Sc.SUP.26.Pl.2.

Digitized by Google

43
6 F
25

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# ANNUS
# APOSTOLICUS,

CONTINENS CONCIONES { I. Toto Adventu, II. Tempore Quadrageſimæ, III. Omnibus & ſingulis totius Anni diebus Dominicis,

## PRÆDICABILES,

STILO PERSPICUO ELABORATAS,
CLARAQUE METHODO CONCINNATAS.

*AUCTORE R. P.*

## FR. ZACHARIA LASELVE,

SACR. THEOLOG. LECTORE, NECNON PROVINCIÆ RECOLLECTORUM SS. SACRAMENTI SEU TOLESANÆ ALUMNO.

## TOMUS PRIMUS;

*CUM NOVA APPENDICE,*

IN QUA CONCIONES ALIÆ XVI. QUADRAGESIMALES
NOVISSIMI AC DISTINCTI ARGUMENTI,

## EX P. CLAUDIO DE LINGENDES

*NUNC PRIMUM EXCERPTÆ EXHIBENTUR.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS MDCCXCIV.
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# I D E A
# C O N C I O N U M
## TOTIUS ADVENTUS.

*Ideam generalem, & diſtributionem Concionum totius Adventus quiſque videre poterit in principio primæ Concionis. Quare hic proponam tantum ideam & diviſionem cujuslibet Concionis particularis.*

### CONCIO PRIMA.

De peccatis, quæ occultantur in confeſſione.

Q*Ui gravia peccata in confeſſione occultant: 1. Per Pœnitentiæ Sacramentum non juſtificantur: 2. In extremo Judicio confundentur: 3. Inferni ſuppliciis adjudicabuntur.* Pag. 1

### CONCIO II.

De prava Conſuetudine.

*Prava conſuetudo eſt* 1. Malum *grave:* 2. Malum, *quod facile contrahitur:* 3. Malum, *quod difficile ſanatur.* 6

### CONCIO III.

De peccatis recidivæ.

*In mortalia poſt peractam pœnitentiam recidere, eſt: 1. Quid commune: 2. Quid grave: 3. Quid periculoſum.* 11

### CONCIO IV.

De peccato mortali.

*Peccatum mortale Chriſto, animæ rationali, & bonis operibus mortem infert:* 1. Chriſto, *qui eſt vitæ auctor:* 2. Animæ rationali, *quæ eſt vitæ principium:* 3. Bonis operibus, *quæ ſunt æternæ vitæ ſumma.*

### CONCIO V.

De Dei erga peccatores bonitate.

*Deus in peccatores ita bonus eſt, ut illos expectet, quærat, & recipiat:* 1. illos expectat, *magna cum patientia:* 2. Illos quærit, *ingenti cum ſollicitudine:* 3. Illos recipit, *ſummo cum affectu:* Patientia Dei, *peccatores expectantis:* Sollicitudo Dei, *peccatores quærentis:* Affectus Dei, *peccatores recipientis. En tres hujus concionis partes.* 21

### CONCIO VI.

De Morte.

*Mors eſt certa, prompta, & fallax:* 1. Mors eſt certa, *& infallibiliter venit:* 2. Mors eſt prompta, *& cito venit:* 3. Mors eſt fallax, *& ex improviſo venit.* 26

### CONCIO VII.

De extremo Judicio.

*In extremo Judicio fiet formidandum, & terribile ſacrificium; in quo: 1. Chriſtus erit Sacerdos, qui ſe vindicabit: 2. Peccatores erunt victima, quæ illum irritabit: 3. Pœna illorum erit mors, quæ illos non trucidabit.* 31

### CONCIO VIII.

De Inferno.

*In inferno, ſuper reprobos irruet omnis dolor; ac ibi patientur:* 1. Omnes dolores, *ſine ulla exceptione:* 2. Omnes dolores, *ſine ulla conſolatione:* 3. Omnes dolores, *ſine ullo fructu. Damnati in inferno patientur omnes dolores, ſine ulla exceptione, ſine ullâ conſolatione, & ſine ullo fructu.* 36

### CONCIO IX.

De Divina gratia.

*Gratia eſt donum, motus, & auxilium:* Eſt donum, *quod a Deo enixe petendum:* eſt motus, *& ſacer impulſus, cui non reſiſtendum:* eſt auxilium, *cui cooperandum. Oportet ergo: 1. Dei gratiam petere: 2. Ei non reſiſtere: 3. Ei cooperari.* 48

### CONCIO X.

De Pœnitentia.

*Ad veram pœnitentiam requiritur: 1. Ut cor peccata deteſtetur: 2. ut lingua peccata confiteatur: 3. ut manus pro peccatis ſatisfaciat.* Cordis *dolor,* oris *confeſſio, &* manus *ſatisfactio, ſunt tria ad veram pœnitentiam neceſſaria.* 45

*I. Pars. Ad veram pœnitentiam requiritur:* 1.
Dolor cordis, *qui ex corde vere oriatur:* 2. Dolor
cordis, *qui ad omnia peccata ſe extendat:* 3. Dolor
cordis, *qui propoſitum non amplius peccandi in-* 46
*cludat.*

*II. Pars. Ad veram pœnitentiam requiritur oris
confeſſio: ſeu, quod pœnitens confiteatur omnia mor-
talia, quæ perpetravit:* 1. Omnia, *ſine exceptione:*
2. Omnia, *ſine diminutione:* 3. Omnia, *ſine fuco.* 47

*III. Pars. Ad veram pœnitentiam requiritur ma-
nus ſatisfactio: ſeu, quod homo pœnitens ſatisfaciat:
1. Pro peccatis perpetratis:* 2. *Pro bonis tempora-
libus injuſte detentis:* 3. *Pro damnis inique il-* 49
*latis.*

## CONCIO XI.

De peccandi occaſionibus.

*Poſtquam a peccato ſurrexit Regius Propheta,
nuſquam amplius proximis peccandi occaſionibus ſe
expoſuit: quin contra, reliquo vitæ tempore pericu-
loſas peccandi occaſiones ſummopere timuit, eas om-
nes ſedulo fugit, illaſque in occaſiones, ad virtutis
opera allicientes, immutavit. Imitandus hac in par-
te Propheta: proximæ enim peccandi occaſiones ſunt:
1. Timendæ: Fugiendæ:* 3. *Mutandæ.* 50

## CONCIO XII.

De Tempore.

*Hujus vitæ tempus eſt:* 1. *æſtimandum:* 2. *recte* 5
*impendendum:* 3. *reparandum.*

## CONCIO XIII.

De Pœnitentia non differenda.

*Poſtquam quis in grave aliquod incidit peccatum,
Pœnitentiam differre non debet:* 1. *nec uſque ad
mortem:* 2. *nec uſque ad tempus longe diſtans.* 3. *nec* 60
*uſque in craſtinum.*

## CONCIO XIV.

De Reſtitutione.

*Aliena:* 1. *Sunt reſtituenda neceſſario:* 2. *ſunt re-* 65
*ſtituenda cito:* 3. *ſunt reſtituenda totaliter.*

## CONCIO XV.

De mercede laborum.

*Hujus vitæ labores ſunt apparenter, parvi, &
momentanei. Si autem hi labores pro Dei gloria ſu-
ſcipiantur, ſuam in cælo habebunt mercedem: Labo-
res enim noſtri:* 1. Apparentes ſunt, *& merces ve-
ra:* 2. Parvi ſunt, *& merces magna:* 3. Momenta- 71
nei ſunt, *& merces æterna.*

## CONCIO XVI.

De Dei voluntate circa hominum ſalutem.

*Omnium penitus hominum ſalutem vult Deus:* 1.
*Voluntate ſincera:* 2. *Voluntate ardente:* 3. *Volunta-* 76
*te efficaci.*

A D-

Digitized by Google

# ADVENTUS.
# DE DESTRUCTIONE PECCATI.

## De Peccatis quæ in Confeſſione occultantur.

### CONCIO PRIMA.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.*
Iſaiæ 27. 9.

UT primum mihi in mentem venit de Chriſti Adventu diſſerere; cur ipſe in hunc mundum venerit, ſollicite exquiſivi: meque docuit a Chriſto dilectus Evangeliſta, eum in hunc mundum veniſſe, ut opera diaboli, ſeu peccata deſtrueret. Hæc ejus fuit intentio: hæc major illius fuit ſollicitudo: ad hoc vigiliæ, paſſiones, prædicationes, & omnia ejus opera ſpectarunt: *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli. 1. Joann.* 3. 8.

Ecce cur Chriſtus in hunc mundum venerit; & ecce itidem quo collimare debeant omnes conciones, quæ de Chriſti adventu fiunt. Ille venit, ut peccata deſtrueret; & Concionatorum, tempore Adventus prædicantium, labores ad hoc potiſſimum dirigendi, ut ex hominum cordibus peccata auferant. Hic eſt finis, quem ſibi proponere, & fructus quem ex concionibus ſuis elicere debent: *Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.*

Materiam quæ libuerit, pertractent; & finem quem voluerint, ſibi proponant alii: una mihi materia, unuſque mihi finis, peccatum deſtruere; hoc ſolum intendo, hoc unicum volo, & hic totus fructus quem inquiro. Unde iſtud meum de Adventu opuſculum jure inſcribi poſſet: *Deſtructio peccati.* Ut autem præfixum mihi finem attingere valeam, omnes totius Adventus conciones de peccati deſtructione inſtituam.

In prima hebdomada, hæc proponam peccata, quorum deſtructioni quiſque potiſſimum laborare debet. Hæc autem ſunt: 1. Peccata occulta, quæ in confeſſione manifeſtare erubeſcitis: 2. Peccata inveterata, quibus aſſueviſtis: 3. Peccata recidivæ, in quæ frequenter incidistis: 4. Mortalia omnia peccata, quibus inquinati eſtis.

In ſecunda hebdomada, efficacia dabo motiva, quibus homines ad deſtruenda in ſeipſis peccata adduci ſolent. Hæc autem ſunt: 1. Dei in peccatores bonitas: 2. Mortis memoria: 3. Extremi judicii rigor: 4. Inferni ſupplicia.

In hebdomada tertia, media adducam ad deſtruendum omne peccatum idonea, quæ ſunt: 1. Dei gratia: 2. Pœnitentia: 3. Occaſionum ad peccatum allicientium fuga: 4. Bonus dati nobis a Deo temporis uſus.

In hebdomada quarta, rationes impugnabo, quibus peccatores a deſtruendis peccatis ſe excuſare conantur. Hæ autem, quas adducere ſolent, rationes ſunt. 1. Nondum pœnitendi tempus advenit: 2. Aliena reſtituere non valeo; 3. Labor me terret; 4. Nulla mihi amplius eſt ſpes ſalutis.

Ecce totam dicendi materiam in hoc Adventu mihi propoſitam, quam exordiemur hodie a peccatis occultis, & pudendis, quæ multi in confeſſione manifeſtare erubeſcunt, &c. *Ave.*

NIL durius inveni, quod innocentiæ vultum præfert, quam occultum, in quod infeliciter incidit, crimen confeſſario revelare: Adoleſcentulæ, quæ pudica & pia æſtimatur, nil acerbius, quam ſecretum, in quod miſere lapſa eſt, facinus prodere, & Confeſſarii auribus committere: nil tandem moleſtius, perſonis præſertim, quæ pietatis famam ſibi conciliarunt, quam ſe peccatrices fateri, & pudenda ſua homini manifeſtare. Hinc multi, ex tioſo hoc pudore circumfuſi, duobus, tribus, & nonnunquam pluribus annis a confeſſione abſtinent: Hinc alii, ad ſacram quidem exomologeſim accedunt; ſed



Digitized by Google

ſibi virus ſuum non evomunt, & horrenda, in quæ inciderunt ſcelera non declarant: Hinc alii, ad loca remota, & ad ignotos Confeſſarios migrant, ut quod in corde latet, ore ſuo liberius aperiant, & tamen nec iis, licet doctiſſimis, licet ſapientiſſimis, & ignotis, ſcelera ſua pandere audent.

O quam magna hæc hujuſmodi perſonarum infirmitas! O quam infeſtus ille pudor, qui hominum ora obturat! O quam ſtulti, qui hoc pudore a confitendis ſuis criminibus impediuntur! *O ſtulte*, inquit Auguſtinus, *cur erubeſcis homini dicere quod non erubuiſti in conſpectu Dei facere? remove a te pudorem, curre ad Sacerdotem, revela ſecretum, confitere peccatum. S. Aug. Serm. de utilit. pœnit.* Currite ergo ad Sacerdotes, ſecreta eis ſcelera manifeſtare, occulta eis revelare peccata, ſi per pœnitentiam juſtificati in eſtremo Dei judicio non confundi, & æternis interni ſuppliciis non addici velitis. Qui enim gravia ſua peccata Confeſſario occultant; 1. Per pœnitentiæ Sacramentum non juſtificantur: 2. In extremo Dei judicio confundentur: 3. Inferni ſuppliciis adjudicabuntur.

## PRIMA PARS.

*Qui gravia peccata Confeſſario occultant, per pœnitentiam non juſtificantur.*

De quodam ex ſanctis Patribus refert Caſſianus, *Caſſian. coll. 2. cap. 11.* quod dæmonem aliquando viderit Confeſſariorum tribunalia luſtrantem, cumque ab eo petiiſſet, quid ageret? Reſpondit: *Pœnitentibus reddo quod eis rapueram.* Interrogatus quid hoc eſſet, quod eis rapuerat, & quod reddebat? *Abſtuli*, inquit, *ab eis verecundiam, cum peccarent, ut liberius peccata cumularent; reddo nunc eis, ut a confeſſione ob verecundiam deterream.*

Facit nunc quotidie ſatanas, quod tunc ſemel feciſſe fertur: omni enim, qua poteſt arte & aſtutia, pudorem peccatoribus infundit, ut eos a declarandis in confeſſione criminibus avertat: *Diaboli hæc eſt aſtutia, quod te in peccato erubeſcere vetat, & peccatum dicere impedit pudore. S. Chryſoſt.* Sed de dæmone, & de pudore generoſe triumphare, ſuaque omnia, quantumvis gravia, & occulta crimina Confeſſario manifeſtare debet peccator, ſi per pœnitentiam ſanari, & juſtificari velit: qui enim peccata ſua Confeſſario non declarat, ab eis non abſolvitur, & per conſequens juſtificationis gratiam non accipit: quare, ut per pœnitentiam juſtificeris, omnia peccata tua Confeſſario manifeſtes neceſſe eſt: *Narra, ſi quid habes, ut juſtificeris. Iſa. 42. 26.*

Cum puella quædam honeſta, pudica, & claris orta parentibus, cancrum in pectore, vel gravem, & occultum alium morbum habet, ſuam medico aperire infirmitatem, & chirurgi manibus ſe committere erubeſcit. Sed quo diutius malum celat, eo gravius evadit; nec ſanabitur, ſi illud perito medico non aperiat: quia *quod ignorat medicina, non ſanat. S. Hieron.* Mortalia autem peccata, quæ peccator occultat, ſunt veluti cancri in corde ejus latentes, qui quo diutius teguntur, eo magis crudeſcunt & augentur. Quare, o peccator, ſi ab iis ſanari, & coram Deo juſtificari intendas, ſpirituali medico ea in confeſſione manifeſta; ſi enim ea non manifeſtes, per pœnitentiam numquam juſtificaberis. Velim dormias in cinere & cilicio, facultates tuas pauperibus eroges, & torrentem lacrymarum tui deducant oculi; velim, veniam a Deo millies poſtules, jejuniis multis corpus affligas, ac ad actus doloris, quantum fas erit, te excitare coneris; hæc omnia non te juſtificabunt, ſi peccata tua Confeſſario manifeſtare nolis: ut enim ait Auguſtinus, *Nihil ſibi proderit contritio cordis, niſi ſequatur confeſſio oris, ſi poſſit. S. Auguſt. ibid.* Nec credendum, quod ad juſtificationem ſufficiat, aliqua dumtaxat ex peccatis mortalibus confiteri: ſi enim vel unicum mortale in confeſſione voluntarie taceas, per pœnitentiam non juſtificaberis: quia, inquit Doctor Angelicus, *Quemadmodum corporis medicus totam infirmi habitudinem perſpectam habere vult, ut ei recte medeatur; ita ut in pœnitentiæ Sacramento ſaneris, & juſtificeris, Sacerdoti peccatorum omnium integra confeſſio eſt facienda. D. Thom. in ſuppl. quaſt. 9. artic. 2.*

Sicut poſtquam peccavit David, ſua confeſſus eſt crimina, ac dixit: *Peccavi*; ita poſtquam Chriſtum prodidit Judas, ſuum illud confeſſus eſt peccatum, dicens: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. Matth. 27. 4.* David tamen dicens: *Peccavi*, ſanatur, & juſtificatur: Judas vero dicens: *Peccavi*, non ſanatur, nec juſtificatur. Quare hoc? Quia, ut advertit Sanctus Ambroſius, Judas non omnia ſua confeſſus eſt crimina: tacuit enim fraudes ſuas, tacuit & a ſe ſacrilege ſumptum fuiſſe Chriſti corpus. Ecce quod tibi accidit, cum vel unicum mortale peccatum voluntarie in Confeſſione retices: hæc enim tua confeſſio judaica eſt, ſacrilega eſt, ac per eam non ſanaris, nec juſtificaris.

In vita Sancti Sebaſtiani apud Surium legitur *Surius 20. Januar.* de Chromatio urbis Præfecto, quod cum podagræ doloribus vexaretur, perfectam ei vir ſanctus pollicitus ſit ſanitatem; modo idola ſua omnia confringeret. Ille ſanitatis cupidus, ducenta Sebaſtiano idola confringenda obtulit, nec tamen convaluit. Inde collegit Sebaſtianus, non omnia confracta eſſe idola, aliudque quoddam a Præfecto eſſe reconditum: quare dixit ei, non reſtituendum ſanitati, niſi illud proderet. Paruit Chromatius, unumque idolum, ſibi maxime charum, quod in cubiculo abſconderat, Sebaſtiano tradidit: quo confracto, de repente convaluit. O. N. quot peccata, tot idola. Vis per pœnitentiæ Sacramentum juſtificari, & ab animæ infirmitatibus ſanari? omnia hæc ſcelerum tuorum idola quæ in cordis conclavi geris, Confeſſario confringenda trade, omnia tua peccata confitere: ſi enim vel unicum mortale abſcondas, nunquam ſanaberis, nunquam juſtificaberis, quia, ut docent Theologi, unum mortale ſine altero per pœnitentiam remitti nequit. Et ideo neque quis per pœnitentiæ Sacramentum juſtificari poteſt, ſi omnia ſua mortalia peccata non confiteatur, & vel unicum voluntarie occultet.

De his, qui mortalia peccata in confeſſione occultant, aſſerit Oſeas Propheta, quod dolores mulieris parturientis patientur: *Abſconditum peccatum ejus. Dolores parturientis venient ei. Oſeæ 13. 12.* Cum culpam ſua corruptela paſſa eſt quædam puella, quibus conficitur cruciatibus, quando pariendi tem-

tempus advenit? quam variis tunc agitatur lancinantium cogitationum ſtimulis? quam acribus diverſarum paſſionum morſibus tunc laceratur? nunc enim familiæ dedecus, nunc propriæ famæ jacturam, nunc afflictionem matris, nunc patris iracundiam, nunc fratrum, & propinquorum convicia mente revolvit; ac iis magis, quam ipſis partus doloribus angitur. Eoſdem fere dolores patiuntur qui gravia, & pudenda perpetrarunt crimina, cum tempus pariendi, ſeu peccata confitendi venit: tunc enim diriſſime anguntur, tremunt, pallescunt, conturbantur, ac intra ſe dicunt: quomodo patri ſpirituali declarabo hoc & illud peccatum, quæ enormiſſima ſunt: quomodo in lucem dabo quæ in tenebris facta ſunt? quis me ſentiet Confeſſarius, ſi pudenda mea illi patefaciam? Ibi ſane dolores ut parturientis; ſed pariendum eſt, tuaque omnia, quantumvis occulta, confitenda ſunt peccata, ſi ab iis ſanari, & juſtificari velis: quia, ut ſanctum Tridentinum Concilium definivit, *Peccator non obtinet veniam, & remiſſionem peccatorum mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum, niſi ea, quantum moraliter poteſt, confiteatur. Trid. Seſſ. 14. cap. 5. & Can. 7.*

Nec mirum, ſi ſic ſacra loquatur Synodus: tantum enim abeſt, quod per pœnitentiæ Sacramentum juſtificetur qui mortale aliquod in confeſſione occultat, quin contra, qui in ſordibus erat, ſordeſcit adhuc, novoque ſe peccato coinquinat: ſiquidem quotieſcumque quis in confeſſione vel unicum lethale peccatum voluntarie reticet, graviſſimum perpetrat ſacrilegium, totque ſacrilegia multiplicat, quot confeſſiones & communiones in hoc ſtatu facit. Quare Confeſſarii tui notitiæ peccata non ſubducas, tua ei non occultes ſcelera; ſed omnia & ſingula, quantumvis horrenda, & pudenda, ei declara facinora, ut per pœnitentiæ Sacramentum juſtificeris. *Audacter*, inquit Sanctus Gregorius Nyſſenus, *oſtende Sacerdoti, quæ ſunt recondita animi arcana*; audacter dic Confeſſario hoc adulterium, in quod, faventibus noctis tenebris, infeliciter lapſa es; audacter manifeſta illi fœdam illam actionem, quæ Deo ſoli, & tibi nota eſt; dic ei audacter hunc inceſtum, hoc ſacrilegium, aliaque turpia & horrenda peccata, in quæ miſere incidiſti; dic ei tua omnia mortalia, ut per pœnitentiæ Sacramentum juſtificeris: *ac etiam ut in extremo Dei judicio non confundaris.*

## SECUNDA PARS.

*Qui gravia peccata Confeſſario occultant, in extremo Dei judicio confuſione operientur.*

Sicut cum pictor aliquis pereximius præclaræ cuidam tabellæ elaborandæ incumbit, opus ſuum deliteſcere, & a nullo videri ſatagit, ne præmature cenſuretur; at opere confecto, & perfecto, illud omnibus ſpectandum, & cenſurandum proponit: ita, inquit Sanctus Baſilius, omnes penitus homines quaſi pictores ſunt, qui quamdiu in hoc mundo morantur, in anima ſua, velut in tabula raſa virtutes, & vitia depingunt. Virtutes ſuas ex humilitate aliqui abſcondunt, vitia etiam ſua ex verecundia multi contegunt; ſed in die judicii, deducto velo, *ea quæ a ſe in anima, ſeu tabula picta ſunt in occulto, in lucem prodibunt. S. Baſil. lib. de vera virg.* Tunc quidem juſtorum virtutes ab omnibus conſpicientur; ſed & omnia reproborum peccata, tanquam turpes, & indecoræ picturæ, ſub monſtruoſa ſpecie manifeſtabuntur. Tunc in momento, in ictu oculi, cortina remota, patefient omnia & ſingula peccata, quæ quiſque uſquam cogitatione, verbo, & opere commiſit. Tunc Deus occulta peccata, quæ in antris, in clauſis cubiculis, & ubique perpetrata ſunt; ipſas etiam pravas cogitationes, nec non occultiſſima cordium deſideria manifeſtabit: *Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. 1. Corinth. 4. 5.*

In legenda Patris Seraphici, a Seraphico filio & Doctore conſcripta, narratur, in quodam ex Conventibus Ordinis Minorum, nocte media, a Fratribus conſpectum currum igneum, cum globo candenti, a quibus refectorium, dormitorium, chorus, ac omne Monaſterium ita illuſtratum eſt, ut non ſolum totius domus officinæ a cunctis Fratribus tunc in momento viſæ ſint; ſed etiam, virtute illius luminis, quilibet frater, quid alii agerent, vel cogitarent, clare perſpexerit; ac, ut loquitur D. Bonaventura, *Ex virtute mirandi illius luminis, alterius alteri conſcientia nuda fuit. S. Bonav. In legend. cap. 4.* In die autem generalis judicii, mirabiliori quodam, & longe fulgentiori lumine Deus *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*: tunc enim, virtute illius luminis, alter alterius conſcientiam luſtrabit, ac occultiſſima quævis flagitia, quæ quiſque in hoc mundo patravit, omnibus patebunt. Unde quiſque cum timore & tremore hæc S. Auguſtini verba ore proferre & mente volvere debet: *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt univerſa ſcelera mea, non ſolum actuum, ſed etiam cogitationum.*

At licet omnia penitus ſcelera, quæ reprobi in hoc mundo commiſerunt, ſint in extremo judicio manifeſtanda; ea tamen longe clarius, & evidentius patebunt, quæ ex verecundia in confeſſione homines occultarunt: quia enim ex pudore ea uni homini declarare noluerunt; in hujus pudoris pœnam, inquit Chryſoſtomus, ea Deus, non uni dumtaxat, ſed omnibus prorſus hominibus clariſſime manifeſtabit. Quod & ipſe Spiritus Sanctus terribilibus verbis aſſerit, dicens: *Nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam; Ezech. 16. 37.* quaſi dicat: o peccator, quamdiu in mundo vivis, tua abſcondis ſcelera, ea nec ipſi Confeſſario fateri vis; ſed in hujus tui pudoris pœnam, pudenda hæc peccata, quæ tam ſollicite abſcondere conaris, omnibus penitus hominibus in generali judicio patefaciam. Tunc omnibus patebunt falſæ ſyngraphæ, tunc falſa juramenta, tunc ſacrilegia, tunc latronum furta, mulierum adulteria, & mercatorum fraudes manifeſtabuntur, tunc uſuræ palliatæ, hypocryſes, & omnia facinora, quæ ob verecundiam in confeſſione tacuiſti, terribili cum apparatu ſe ſiſtent; &, ut fatur S. Chryſoſtomus, *In medio ſe ferent coram omnibus adſtantibus, & amicis, & inimicis, & Angelis.*

Quanta, quæſo, tua erit verecundia? quanto pudore afficieris tu, qui peccata tua Confeſſario revelare noluiſti, cum Deus omnia tua crimina, non

ſolum in genere, & confuſe; ſed clare, & diſtincte, cum ſpecialibus eorum circumſtantiis, cunctis hominibus manifeſtabit? quanta tibi erit confuſio, *cum non confuſe, ſed ſingulas per partes, velut in pictura cernemus?* *S. Baſil. Ibid.* Tunc videbit quiſque, quo loco, qua hora, & quoties hanc mulierem ad patrandum adulterium pellexiſti. Tunc clare perſpicient omnes, qua arte adoleſcentulam ſeduxiſti, & quoties cum illa peccaſti. Tunc omnibus patebunt enormia omnia ſcelera, quæ clam perpetraſti; nullumque ita abſconditum, quod tunc non cunctis pateſiat: *Non eſt occultum, quod non manifeſtetur; nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palam fiat. Luc.* 8. 17. Tunc omnia hæc patebunt perſpicue, clare, & diſtincte ſicut in pictura. O qualem, & quantum confuſionem!

Heu! inquit Petrus Damianus, ſi hic confundimur, unico homini peccata noſtra clam dicere; quid erit in generali judicio, ubi omnia patebunt? Certe tanta tunc erit confuſio illorum, qui ſua in confeſſione peccata tacuerunt, ut ad eam declinandam, a montibus operiri ſint petituri: *Si confundimur hic dicere: quid erit in magna illa confuſione, ubi omnia patebunt? cum eo veneris infelix homuncio, quo te flectes? nonne tunc incipies dicere montibus: Cadite ſuper nos? Petrus Damian. Serm.* 2. *de S. Andr.*

Tanta quidem tunc erit confuſio illorum, qui peccata in confeſſione occultarunt, ut a montibus operiri ſint optaturi; ſed inſuper tanta eorum erit confuſio, ut ad eam vitandam, in inferno latere ſint appetituri. Tunc enim, ut huic non ſubjiciantur confuſioni, gementes clamabunt: *Quis mihi hoc tribuant, ut in inferno protegas me? Job* 14. 13. Nec mirum, ſi ſic ſint clamaturi, cum hæc confuſio ipſis etiam inferni ſuppliciis ſit gravior: *Supplicium omnium graviſſimum, eſt opprobrium illud, & confuſio. S. Baſil. Ibid.*

Penſate, quæſo, quam confuſionem patiatur mulier, quæ probatæ virtutis cenſebatur, cum a patre, marito, matre, vel aliis conſanguineis in adulterio deprehenditur; mente revolvite, qua verecundia afficiatur puella nobilis, cum in loco recondito, ſub obſcuro veſpere, cum proco, ſola cum ſolo a multis invenitur. Sed ſerio adhuc recogitate, quanta hujus mulieris, & illius puellæ eſſet confuſio, ſi alba veſte indutæ, in medio foro, coram totius urbis incolis, ſua crimina fateri cogerentur? Hæ haud dubie mori, quam tot peccati ſui teſtes habere, præeligerent. Aſt, o peccator: quanto major tua erit confuſio, cum in die judicii occultiſſima quævis tua flagitia in conſpectu patris, matris, fratrum, & omnium hominum manifeſtabuntur? quanto acerbiori ſubjacebis rubori, cum a te clam perpetrata ſcelera, in valle Joſaphat, in tam aperto, tamque illuſtri theatro denudata omnium oculis objicientur? Pudor, quo tunc afficieris, ipſa etiam inferni ſuperabit ſupplicia, ac omnium erit ſuppliciorum maximum. Quare ut magnæ huic tunc non ſubjacens confuſioni, parvam illam nunc ſubeas confuſionem, quæ in auriculari confeſſione reperitur. Graviſſima, inquit Petrus Damianus, & oneroſa in generali judicio tibi erit confuſio, ſi peccata tua in confeſſione tacueris. Vis hanc confuſionem vitare, & hoc onus excutere? aperi os tuum, & peccata tua confitere: *Hoc onus, ſi velis, nunc excutere vales, aperi os tuum. Petrus Damian. Ibid.*

Pudet te, ait præfatus Cardinalis, peccata tua uni Sacerdoti dicere, hunc confer pudorem cum eo, quem in generali judicio paſſurus es: ſi in hoc mundo tua debite non confitearis peccata: *Opponamus huic pudori comparatione majoris confuſionis. Ibid.* Si erubeſcis nunc tua unico homini peccata dicere, quanto magis in extremo erubeſces judicio, cum non uni dumtaxat, ſed cunctis hominibus manifeſtabuntur? Si te pudeat tua uni Confeſſario peccata ſecreto, & in aure revelare, quanto majori ſuffunderis pudore, cum in judicio palam revelabuntur, ac Angelis & hominibus nota fient? Confer confuſionem, quam in confeſſione pateris, cum graviſſima hac confuſione, quam in generali judicio paſſurus es, & fatere cum Sancto Auguſtino, quod *melius eſt coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulſa notatum erubeſcere, Auguſt. lib.* 2. *de viſit. infir. cap.* 6.

Scimus Sacerdotem, cui peccata confitemur, eſſe hominem ſicut & nos, eſſe debilem, infirmum, ad peccata proclivem, & confeſſione egentem ſicut nos. Scimus, hunc hominem Chriſti vices gerere, paterna viſcera habere, ac ſalutis noſtræ deſiderio accendi. Scimus, illum jure naturali, divino, & eccleſiaſtico ad ſecretum ſervandum teneri. Quare his, & aliis multis rationibus quiſque omnem a ſe pudorem expellere, & omnia ſua peccata libenter confiteri debet. Sed maxima ratio, qua ad triumphandum de hoc pudore, & ad omnia peccata Confeſſario manifeſtanda quiſque debet excitari, hæc eſt, quod ſcilicet *melius eſt coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulſa notatum erubeſcere.* Quare pudorem pudore vince, ac peccata tua, quantumvis horrenda, & pudenda, Confeſſario generoſe declara ut in generali judicio coram omnibus hominibus graviſſima non afficiaris confuſione: *ac etiam ut ad inferni ſupplicia non condemneris.*

## TERTIA PARS.

*Qui gravia peccata Confeſſario occultant, æternis inferni ſuppliciis adjudicabuntur.*

DEus, qui Angelis peccantibus nullum ad juſtificationem, & ad ſalutem auxilium præſtitit, ſacramentalem inſtituere dignatus eſt confeſſionem, qua mediante homines quique, quantumvis ſceleroſi, & rei a peccatis abſolvi, juſtificari, & ſalvari poſſunt, *Confeſſio ſanat, confeſſio juſtificat, confeſſio peccatis veniam donat, omnis ſpes in confeſſione conſiſtit. S. Iſid. l.* 1. *c.* 12.

Non ſe habet Deus ſicut terreni judices, qui reos illos, qui ſua fatentur ſcelera, diris ſuppliciis, & ſæpe morti adjudicant: non enim vult Deus mortem peccatoris, & peccatores, quantumvis gravium criminum rei, ſi Deo, ſeu Confeſſario, Dei vices gerenti, ſua debite confiteantur peccata, ab iis abſolvuntur, ac juſtificationis, & ſalutis gratiam accipiunt: *Mortem plerumque generat, vel ſemel terreno Judici crimina confiteri; Deo autem facta confeſſio, non parturit periculum, ſed ſalutem. Caſſiod. in Pſalm.* 74.



Digitized by Google

Maxima eſt differencia inter forenſe, & pœnitentiale tribunal: in forenſi enim tribunali, cum quis dolore victus, & tormentorum vi adductus, ſua fatetur ſcelera, ad capitalem pœnam damnatur, quia illa confeſſus eſt; ſi autem de dolore triumphans, taceat, ſuaque non fateatur crimina, ad mortem non damnatur. In tribunali autem pœnitentiali omnis peccator, quantumvis gravium, & multorum criminum reus, abſolvitur, juſtificatur, & ſalvatur, ſi ea debite confiteatur: tanta enim eſt miſericordis Dei bonitas tamque ineffabilis ejus clementia, ut ſi ſcelera dolentes confeſſi fuerimus, noſtri ipſorum facti accuſatores, ipſe nobis indulgeat, ac cæleſtem beatitudinem impertiatur; *In mundanis, & forenſibus judiciis, poſt accuſationem, & criminum confeſſionem, reſtat mors; apud divinum autem tribunal, poſt accuſationem, & confeſſionem criminum, datur corona. Chryſoſt. hom. 1. in cap. 64. Iſaiæ.*

O quam felices illi peccatores, qui peccata ſua debite confitentur! cum mediante humili confeſſione, gratiam & gloriam obtineant. Sed o quam infelices hi, qui in confeſſione peccata ſua reticent! ſi enim vel unicum mortale occultaverint, ſuppliciis adjudicabuntur æternis. Quod ex jam dictis facile inferri poteſt: ſi enim per pœnitentiam non juſtificantur, qui omnia ſua mortalia in confeſſione non manifeſtant, inde ſequitur, quod & hi ad æterna ſupplicia condemnabuntur: ad ea enim damnabuntur omnes, qui juſtificationis gratiam non habentes, ex hoc mundo migraverint. Unde D. Auguſtinus, qui aſſerit, Deum ſalvare omnes, qui debite ſua confitentur peccata; aſſerit etiam, Deum ſuppliciis æternis adjudicare eos, qui ea non confitentur: *Deus liberat humilem, damnat non confitentem. Auguſt. in Pſalm. 66.*
Miranda eſt confeſſionis ſacramentalis virtus reſpectu pœnarum inferni: ſi enim confeſſio debite fiat, ignem inferni quaſi extinguit; & pœnitentem, qui ſua omnia debite confitetur peccata, ab inferni ſuppliciis præſervat: *Amaritudo præſentis pœnitentiæ extinguit ignem ſequentis iræ. S. Gregor. lib. 19. Moral.* Unde illos qui peccata ſua confiteri erubeſcunt, hortatur Tertullianus, ut ſerio cogitent, quod ſimili ſcelerum ſuorum confeſſione, tartari pœnas vitare, & inferni ignem ſibi extinguere valeant: *Si de exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet. Tertull. lib. de Pœnit. c. 12.* Hoc quidem ſerio cogitare debent peccatores; ſed & cogitare, ac certi eſſe debent, quod ſi omnia ſua mortalia in confeſſione non declaraverint, æterna non vitabunt ſupplicia; quin contra a Deo iis adjudicabuntur, & in æternum damnabuntur, quia tacuerunt, ſuaque omnia ſcelera Confeſſario declarare noluerunt: *Damnaberis tacitus, qui poteras ſalvari confeſſus. Aug. Ibidem.*

Hoc certiſſimum eſt, illudque probe novit dæmon, qui omni qua poteſt arte, peccatores ab integra peccatorum confeſſione facienda avertit. Eos dæmon jejunare, orare, conciones audire, eleemoſynas dare; immo & e menſa Domini epulari ſinit, modo ſua omnia non confiteantur peccata: quia certus eſt, quod ſi ea, aut ſi vel unicum mortale in confeſſione reticeant, ad inferni ſupplicia infallibiliter condemnabuntur. In quo dæmon ſimilis videtur carceris cuſtodi, qui parum ſollicitus eſt de his quæ captivus intra carcerem agit; illique indifferens eſt, quod ludat, cantet, bibat, vel aliud aliquid faciat, modo carceris oſtium ita obſeratum ſit, ut evadere nequeat. Sic enim ſatanas, poſt quam hominem horrendo aliquo, vel pluribus illaqueavit ſceleribus, parum curat, an jejunet vel non jejunet, an oret, vel non oret, modo clauſum remaneat oris ejus oſtium, & ſcelera foras non mittat per confeſſionem, quia certus eſt, quod ſi ante mortem omnia penitus mortalia non confiteatur, æternis inferni ſuppliciis poſt mortem judicabitur; quodque damnabitur tacitus, qui poterat ſalvari confeſſus.

Cum quis in horrendum, & pudendum aliquod crimen incidit, multas, ſuadente diabolo, rationes ſibi fingit, quibus ab illo confitendo excuſetur. Jam ſibi ſuadere conatur, hoc peccatum eſſe leve, quia factum in pueritia, & antequam rationis lux perfecte illuceſceret, ac ideo non neceſſario confitendum. Jam in mentem venit, quod ſufficiat, illud dicere in genere, & confuſe, vel ſub quibuſdam verborum involucris illud Confeſſario tegere. Nunc imaginatur, quod Deus cujus bonitas infinita, ipſi indulgebit, licet illud in confeſſione taceat. Nunc confidit, quod ſine confeſſione ſuum illud peccatum aliquibus eleemoſynis, aliiſque piis operibus delere poterit. Sed; o errores! o illuſiones! Falleris, peccator; quia neceſſario confitendum eſt tuum peccatum, ut non in æternum damneris: ſi enim omnia mortalia, in quæ incidiſti, confiteri poſſis, & ea omnia non confitearis, ad æterna poſt mortem ſupplicia condemnaberis; & ut loquitur S. Auguſtinus, *ſi non confeſſus lates, non confeſſus damnaberis.*

Vide nunc peccator, quid tibi melius ſit, an peccatum tuum confiteri, an ad inferni ſupplicia in æternum damnari? Vel, ut loquitur Tertullianus, *vide an melius ſit damnatum latere, quam palam abſolvi? Tertull. an. lib. de Pœnit.* O peccator inter cælum & terram medius ſtas, inter cæli delicias, & inferni ſupplicia ita poſitus es, ut in poteſtate tua ſit aut cæli deliciis in æternum frui, aut ad inferni ſupplicia addici. Si debite confitearis, ecce cælum tibi apertum, ut æternis fruaris deliciis; ſed ſi debite non confitearis, ita ut mortale aliquod voluntarie reticeas, ecce tibi patet infernus, ad cujus ſupplicia condemnaberis. Vide jam quid tibi magis conveniat; elige quod volueris; attende, an melius ſit in æternum damnari, quam omnia peccata tua confiteri? Certe, ſi recte judices, melius eſt millies peccata quævis coram omnibus hominibus evulgare, quam ad unicum quadrantem in inferno torqueri.

Heu! ſi ſcires, quam acerba ſint inferni ſupplicia, ſi noſſes, quam terræ, & formidandæ ſint tenebræ, quibus involvuntur damnati: quam terribiles vermes, a quibus roduntur: quam acerbus carcer, quo includuntur: quam vorax ignis, a quo cremantur. Si hæc probe ſcires, & ſæpe mente revolveres, peccata tua, quantumvis horrenda, confiteri non renueres: nec te puderet, hoc & illud ſcelus Confeſſario declarare. Si hæc ſerio recogitares, non diceres: pudet me tam enorme crimen Confeſſario manifeſtare: ſed ad ſacrum pœnitentiæ tribunal mox properares, ut tua omnia crimina, clare, & diſtincte



Digitized by Google

confitereris: ac ſentires, longe ſatius eſſe peccata omnia confiteri, quam in æternum damnari.

Confitere ergo omnia peccata tua; non erubeſcas ſcelera tua dicere homini, qui peccator eſt ſicut tu, & forte plus quam tu: ab integra confeſſione facienda nullus te pudor, nulla ratio impediat, nullumque mortale peccatum in confeſſione occultes, quia ſi vel unum occultaveris, per pœnitentiæ Sacramentum non juſtificaberis, in extremo Dei judicio maxima confuſione perfunderis, & æternis inferni ſuppliciis adjudicaberis.

Ut peccatores ad deponendam omnem verecundiam, & ad omnia peccata confitenda excitaret, dicebat Auguſtinus: *Quid erubeſcis, o homo, confiteri peccata tua? peccator ſum ſicut & tu, homo ſum ſicut & tu: confitere ergo homo homini, homo peccator homini peccatori. Auguſtin. Serm.* 124. *de tempore*. Immaginare, peccator, quemlibet Confeſſarium in pœnitentiæ tribunali ſedentem, tibi cum Auguſtino dicere, homo es tu, homo & ego, peccator es tu, peccator & ego, non ſum ego Angelus & impeccabilis, ſed ſum homo fragilis & peccator ſicut tu: quare, o homo peccator, ſcelera tua homini peccatori dicere non erubeſcas.

Ecce quidem magnum, & urgentiſſimum motivum quo quiſque ad omnia peccata libenter, & abſque rubore confitenda excitari deberet. Sed rogo & obſecro, ut ſæpiſſime etiam mente verſetis tria motiva, quæ adduximus, ut vos ad non occultanda in confeſſione peccata alliceremus. Serio perpendite, & intra vos dicite, ſi in confeſſione vel unicum mortale taceam, per pœnitentiæ Sacramentum non juſtificabor. Et ſi in hoc ſtatu ab hoc mundo exeam, maxima in extremo judicio confuſione afficiar, ac æternis inferni ſuppliciis adjudicabor. Hæc ſi ſerio, & ſæpe conſideretis, omnia peccata veſtra in confeſſione declarabitis, per pœnitentiæ Sacramentum juſtificabimini, in extremo judicio ſecuro apparebitis, æterna vitabitis inferni ſupplicia, & immenſa cœli gaudia obtinebitis. *Amen*.

## DE PRAVA CONSUETUDINE.

### CONCIO II.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Iſaiæ 27.

NON miror, quod homines, qui ex natura ſua debiles ſunt & infirmi, in grave aliquod peccatum quandoque incidant: quia *humanum eſt peccare*, *D. Bern.* ſed miror, ac totus obſtupeſco, cum innumeros video, qui pertinaci obſtinatione in ſceleribus ſuis perſeverant: quia *diabolicum eſt perſeverare*.

O quam multi, diabolico hoc agitati ſpiritu, prima pueritiæ peccata uſque ad ſenectutem protrahunt! quam multi vitia, quibus a teneris annis adhæſerunt, per varios actus repetitos incrementant, illaque eo magis augent, quo diutius in hoc mundo morantur! quam plurimos videre eſt uſuris, perjuriis, blaſphemiis, laſciviis, ebrietatibus, detractionibus, & aliis vitiis addictos, a quibus ſi petatur, a quo tempore his aſſueverint? Reſpondebunt, a ſex, decem, vel pluribus annis. Qui aſſuetus erat furto a ſex annis, jam furatur; qui libidini a decem annis aſſueverat, jam luxuriatur. Ebrioſi ſunt hodie, qui ebrietati indulgebant annis præteritis, uſurarii hodie, qui uſuris proximum a decem, & viginti annis opprimere ſoliti erant.

Hi ſunt morbi prolixi, & inveterati, qui gravant medicos, & quibus medendis Concionatores, & Confeſſarii multa ſollicitudine, multoque labore incumbunt, *Languor prolixior gravat medicum*. *Eccli.* 10. 11. His morbis curandis, ſeu inveteratis, praviſque conſuetudinibus, & habitibus eradicandis hodie operam dabo: totus enim fructus, quem in hoc Adventu intendo, eſt deſtructio peccati: *Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum*.

Heri autem occulta peccata, quæ homines in confeſſione dicere erubeſcunt, pro viribus deſtruere conati ſumus, & hodie peccata inveterata, ſeu pravas peccandi conſuetudines deſtruere pertentabimus, &c. *Ave*.

CUM de pravis habitibus, ſeu de inveterata peccandi conſuetudine diſſerere ſtatui, protinus mihi in mentem venere peſſimi urbis Sodomæ incolæ, in quibus, tamquam in execrandis prototypis, quæ ſit pravæ conſuetudinis natura, quantaque ejus malitia, facile adnotari poteſt; prava enim, & infanda conſuetudo, qua hi ligati detinebantur, erat malum grave, malum, quod difficile curabatur. *Erat malum grave*, non ſolum ex ſua natura, ſed etiam ratione cæcitatis, obdurationis, & malignorum aliorum effectuum, quos cauſabat. *Erat malum, quod facile contrahebatur*: cum ibi omnis caro corrupiſſet viam ſuam; nec decem juſti in populoſa hac civitate reperti ſint. *Erat malum, quod difficile curabatur*: cum Sodomitæ nec ſcelerum ſuorum agnoſcerent enormitatem, nec de iis corripi paterentur.

Quod de inveterata Sodomitarum conſuetudine, hoc & de prava quavis peccandi conſuetudine dici poteſt, prava etenim ad quodcumque mortale perpetrandum conſuetudo eſt: 1. *Malum* grave: 2. *Malum* quod facile contrahitur: 3. *Malum*, quod difficile ſanatur.

### PRIMA PARS.

*Prava conſuetudo eſt malum grave.*

PRava conſuetudo, ſeu habitus malus, nil aliud eſt, quam facilitas quædam peccandi, per varios ejuſdem rationis actus acquiſita, prava v. g. conſuetudo blaſphemandi, eſt facilitas, quam quis habet ad blaſphemandum, variis actibus, ſeu pluribus iteratis blaſphemiis comparata.

Hæc autem peccandi conſuetudo, graviſſimum malum eſt, & præcipue ſi inoleverit & inveterata ſit, tunc enim nil illa gravius & exitioſius eſſe videtur: *Omnibus malis eſt gravior, & omnium malorum peſſima conſuetudo. Anaſt. Sinaita*. Eam eſſe malum grave, & graviſſimum, multa ſuadent, ſed præcipue: 1. *Peccata multa*, quorum eſt parens: 2. *Cæcitas ſpiritualis*, cujus eſt origo: 3. *Æterna damnatio*, cujus eſt cauſa.

1. Ipſa docet experientia, quod inveterata peccandi

Digitized by Google

di conſuetudo multorum ſit parens peccatorum; qui enim furto aſſuetus eſt, ad furta ſua iteranda, & multiplicanda per conſuetudinem trahitur; qui fornicationi aſſuevit, vix a fornicationibus abſtinere poteſt, & ſi magnam ſibi vim non inferat, in ſpurcitias ſuas ſæpe incidet. Idem de pravis aliis habitibus dicendum: ſicut enim prava omnis conſuetudo per peccata, ſeu per pravos ejuſdem generis actus eſt genita, ita & ipſa eſt maligna parens, quæ pravos multos ejuſdem rationis actus gignit, & quæ ad peccata multiplicanda inclinat: *Cum prava quadam conſuetudine ligamur, mala inceſſabiliter malis addimus. Salvian. lib. 6. de guber.* Et quod pejus eſt, cum prava aliqua conſuetudine conſtricti detinemur, non ſolum malis mala ejuſdem rationis, ſed etiam mala, & peccata diverſæ rationis addimus; qui enim ebrietati, v. g. addictus eſt, non ſolum ſæpe ſe vino ingurgitat, ſed etiam ex effrænata hac ingluvie ad luxuriam, ad rixas, ad perjuria, ad ſacrilegia, & ad alia peccata trahitur. Idem dicendum de pravis aliis conſuetudinibus, quæ omnes ad multa, ſive ejuſdem, ſive diverſæ rationis peccata alliciunt, ut enim D. Auguſtinus, *omnis peccator perſeverans in peccatis ſuis, addit peccata peccatis.*

Duo dedit nobis Deus, ut a perpetrandis peccatis præſervemur, gratiam ſcilicet, & conſcientiæ ſtimulum. *Gratiam*, quæ intus nos illuminat, excitat, & adjuvat; *conſcientiæ ſtimulum*, qui intus pungit, & lancinat, ut nos a committendo peccato avertat. *Gratia* cuivis homini in magno peccandi periculo verſanti ſeſe offert, cumque intus monet & movet, ut illum a peccato perpetrando cohibeat. *Stimulus etiam conſcientiæ* quemque in proximo peccandi periculo exiſtentem intus pungit, ut illum a peccato arceat, hinc fit, ut gratia divina adjuti, & ſalubribus conſcientiæ ſtimulis lancinati, a peccatis perpetrandis præſervemur. Aſt cum quis habitum peccaminoſum contraxit, eſt quaſi cæcus, qui gratiæ divinæ illuſtrationibus clauſos habet oculos; eſt quaſi ſurdus, qui ſalubrem intus monentis gratiæ divinæ vocem non audit; & eſt quaſi homo inſenſibilis, qui ſacris divinæ gratiæ motibus non excitatur. Cum etiam pravum quis habitum contraxit, intus mordentem conſcientiæ non ſentit ſtimulum, quo a peccato committendo avertatur, quin contra, nil ipſi ſuavius, quam peccare, & in peccatis perſeverare: *Lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Proverb. 2. 14.* Unde cum nec divina gratia, nec conſcientiæ ſtimulo a perpetrandis peccatis cohibeatur, in multa cadit peccata, additque peccata peccatis, quouſque tandem in peccatorum abyſſum decidit: *Trahitur miſer in profundum. S. Bernard. grad. 12. humil.* Inveterata ergo peccandi conſuetudo eſt malum grave: cum multorum ſit parens peccatorum; *ſed eſt etiam malum grave, cum cæcitatis ſpiritualis ſit origo.*

2. Pudor & timor ſunt quaſi duo fræna, quibus a peccatis perpetrandis cohibemur. *Pudor* quidem, cum enim quis pudore magno ſuffunditur, a peccato facile abſtinet. Unde pudor a D. Bernardo vocatur *gloria conſcientiæ: S. Bern. Serm. 66. in Cant.* quia ſcilicet, per pudorem conſcientia de peccatis triumphat, & ab iis ſe immunem ſervat. *Timor* etiam, cum enim quis formidanda Dei judicia, vel horrenda inferni ſupplicia vere pertimeſcit, a gravibus quibuſque peccatis abhorret, nec ad ea quomodocumque declinat. Unde ut a peccatis abſtineret Propheta, Deum enixe rogabat, ut ſancto timore animam ſuam lancinaret: *Confige timore tuo carnes meas; Pſalm. 118. 120.* O quam felices, qui duplici hoc fræno a peccatis committendi arcentur! Sed, o quam infelices, qui prava conſuetudine ligantur! Infelices quidem ſunt, quia duplici hoc fræno a peccatis perpetrandis non cohibentur. *Non pudore*, quin contra, Sodomitarum inſtar, de peccatis ſuis ſæpe gloriantur. *Non etiam timore*: quia poſtquam pluries in idem peccatum inciderunt, jus quoddam ad illud deinceps perpetrandum acquiſiviſſe videntur, nec amplius Dei judicia, & inferni ſupplicia timent. Quare cum nec pudoris, nec timoris fræno a peccatis cohibeantur: ipſa inclinante natura, & conſuetudine alliciente, in gravia multa faciliime labuntur crimina. Ac tandem in tantam mentis cæcitatem veniunt, ut peccata ſua, quaſi non peccata, inſpiciant, immo & virtutes eſſe cenſeant.

Videte quid acciderit Sodomitis: nonne inveterata luxuriandi conſuetudo ita illos excæcavit, ut peccata ſua virtutes eſſe judicarent? Certe ita cæci erant, ut ſe juſtos cenſerent, & Lot, a quo in ſpiritu charitatis arguebantur, reprehenſione magis, quam ipſos, dignum arbitrarentur: *Tanta ibi nefandæ turpitudinis conſuetudo erat, ut jam nequitia eſſet juſtitia, & prohibitor potius reprehenderetur, quam factor. S. Aug. Serm. 44. de verb. Dom.* Ecce quid accidat blaſphemis, luxurioſis, ebrioſis, & omnibus qui gravi, & inveterata quadam peccandi conſuetudine ligantur: Inveterata enim hæc conſuetudo tanta illos cæcitate afficit, eorumque ita invertit mentem, ut graviſſima ſua peccata, quaſi minima, nec non quaſi virtutes reſpiciant; quare ſi quis eos in ſpiritu charitatis moneat, ab iis irridetur, ac etiam nonnunquam conviciis afficitur. Dic ebrioſo, qui in prava ſua inolevit conſuetudine, quod ebrietatibus ſuis Deo injuriam faciat, proximo occaſionem ſcandali præbeat, conſcientiam ſuam lædat, facultates diſſipet, ſanitati officiat, ac damnationis periculo ſe exponat, irridebit te: ejus enim judicio nil ſuavius, niſi melius quam bene bibere, & lætari. Dic luxurioſo, quod ab omnibus deſpiciatur, quod Sacramentorum participatione ſit indignus, quodque Paradiſum ſibi claudat, ſibique inferni fores aperiat, videbetis ei quaſi ludens loqui, nec ſe Sacramentorum participatione, & Paradiſi gloria indignum cenſebit. Idem dicendum de aliis peccatoribus, qui prava quadam conſuetudine ligati detinentur: tanta enim feriuntur animi cæcitate, ut vix peccatores ſe eſſe credant, ſed potius peccata ſua virtutes eſſe arbitrentur. Grave ergo malum eſt prava conſuetudo, cum cæcitatis ſpiritualis ſit origo, *ac etiam cum ſit damnationis cauſa.*

3. Poſtquam peccator prava ſua conſuetudine in magnam peccatorum multitudinem & in ſpiritualem cæcitatem incidit, in quandam ſalutis ſuæ deſperationem, nec non in tantam obdurationem venit, ut omnia ſalutis ſuæ media abjiciat, & contemnat: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. 18. 3.* Si quis ei dicat, aliquam de conſcientia curam habendam: *contemnit*: Si quis coram



Digitized by Google

illo loquatur de Dei bonitate, de formidanda ejus juſtitia, de Paradiſi gaudiis, vel de inferni ſuppliciis, *contemnit*. Si quis eum hortetur ad agendam pœnitentiam, & ad ſumenda ſalutis aſſequendæ media: *Contemnis pœnitentiam, & omnem medicinam. Liran. in c. 18. Prov. 3.* Hinc fit, ut prava conſuetudo illum ad infernum trahat. Hic eſt terminus ad quem tendit homo, qui prava quadam conſuetudine ligatur; *Credite mihi, fratres, omne vitium habituatum in nobis, gehennæ ſubjectum eſt. S. Doroth. inſtit. 2.*

Puer quilibet per Baptiſmi perceptionem ab originali lavatur noxa, & in ſtatu innocentiæ conſtituitur. Cum autem puer, major factus, rationis uſu pollere incipit, a corrupta per peccatum natura ad prava inclinatur, ſed Deus dat ei gratiam, & auxilia ſupernaturalia quibus adjutus, ad mortalia declinare timet. Si tamen abjecta Dei gratia, & contempto hoc timore, in grave aliquod peccatum miſere incidat, non amplius horrendam peccati faciem reformidat, quin contra, ſi ſibi non vim inferat, ab uno peccato in aliud facile trahitur, deinde quandam cum peccato familiaritatem init, & tandem in illo perpetrando ſibi complacet, ac ſummopere diligit quod antea timebat & abhorrebat: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia, cibi mei ſunt. Job 6. 7.* En quomodo contrahitur habitur, & conſuetudo peccandi. Cum autem quis in aliquam peccandi conſuetudinem venit, peccatis peccata addit, in ſpiritualem cæcitatem cadit, quandam quaſi peccandi neceſſitatem ſibi facit, ac deinde de ſalute deſperans, in peccatis uſque ad mortem perſeverat, & infeliciter damnatur, *Habitudinem ſequitur neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio. Hugo a S. Vict.* Ecce quo pravi ducunt habitus; ac proinde fatendum, pravam conſuetudinem eſſe malum grave & graviſſimum. Quare ſummo affectu quiſque cavere debet, ne in tale malum incurrat, & antidota, ſeu remedia ad tantum malum præcavendum ſumere.

Morbos præveniendos, ac remedia præſumenda monet Sapiens, dicens: *Ante languorem adhibe medicinam. Eccli. 18. 20.* Docent etiam Medici remedia adhibenda, antequam ingraveſcat morbus. Unde apud eos commune hoc ex Ovidio ſumptum axioma.

*Principiis obſta; ſero medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluere moras.*

QUod hi de corporis morbis dicunt, hoc & de prava conſuetudine dicendum: cum enim prava conſuetudo ſit malum graviſſimum, ab illa præcavendum eſt, & antequam contrahatur conſuetudo, media ad illam elidendam ſumenda ſunt. *Antequam robur faciat adverſum te mala conſuetudo, elide illam. Auguſtin. in Pſalm. 150.*

Mirantur omnes, quomodo David fortiſſimum Goliat debellaverit; quomodo juvenis virum robuſtiſſimum, inermis, & inexpers hominem undique armatum, & diu in caſtris verſatum vincere, & interficere valuerit. Sed advertendum, quod David illum primo in capite vulneraverit, quo docet nos Spiritus Sanctus, eum qui adverſus pravam conſuetudinem bellum ſuſcipit, *a capite*, id eſt, a principio illam elidere debere, ac interimendum eſſe peccatum, antequam ad conſuetudinem devolvatur. Non ergo peccatis te obrui expectes, antequam medicinam ſumas, non in ſtatu mortalis peccati perſeveres, donec pravo habitu conſtringaris, ſed antequam in gravia labaris peccata, aut ſaltem ſtatim poſt lapſum, & antequam pravo involvaris habitu, ſume remedia ad malum tam grave præcavendum idonea. At ſi prava conſuetudo eſt malum grave: *eſt etiam malum, quod facile contrahitur.*

## SECUNDA PARS.

*Prava conſuetudo eſt malum, quod facile contrahitur.*

SI non peccaſſet Adamus, virtutum habitus comparare cuique faciliimum fuiſſet: ſed exitioſo hoc peccato ita debilis, & infirma ad malum proclivis facta eſt natura noſtra, ut virtutes non ſine difficultate, & labore aſſequamur: *Vir us non venit ſine labore. S. Bern. de vita ſolit. cap. 15.* Verum quidem, quod interdum Deus aliquos eximiæ pietatis viros tot gratiis repleat, totque donis cumulet, ut nil eis facilius, quam virtutes ſectari, ſed aliis omnibus *virtus eſt in materia difficili, S. Bonav.* & eſt ſemper via arcta, qua incedere debemus, ut ad cælum migremus: *arcta eſt via, quæ ducit ad vitam. Matth. 7. 24.*

Aſt ſi Chriſtianarum virtutum habitus difficile acquirantur, pravi peccatorum habitus ſeu pravæ peccandi conſuetudines, ſunt mala, quæ facile contrahuntur. Et ideo prava conſuetudo a nonnullis merito vocatur *centrum* quia ſicut lapis, ignis, & omnia facile, & ex innata propenſione tendunt ad centrum, ita & pravæ conſuetudines ſunt quaſi centra, ad quæ ex corruptæ naturæ propenſione quiſque facile fertur, vel potius, ſunt gravia mala, quæ facillime contrahuntur.

Priuſquam Samaritana hæc, de qua Sanctus Joannes Evangeliſta, ad Dominum converteretur, ad puteum facile iter peregit, ac hydriam, funemque adhibuit, ut ex puteo aquam hauriret, Chriſto autem ſitienti, & aquam poſtulanti ſe difficilem præbuit, dicens: *Quomodo tu Judæus cum ſis, bibere a me petis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis. Joann. 4. 9.* Sic ſic ad ea quæ virtutis ſunt, nos difficiles præſtamus; ad ea vero quæ mala ſunt, & ad pravas quaſque conſuetudines abſque labore, & magna cum facilitate ferimur. Cum jejunandum, *puteus altus eſt*; cum eleemoſynæ faciendæ, *puteus altus eſt*; cum injuriæ condonandæ, cum operibus miſericordiæ incumbendum, vel aliis Chriſtianarum virtutum exercitiis incumbendum, hæc ſunt difficilia, *puteus altus eſt*. Sed peccatis ſe inquinare, peccata multiplicare, & pravis ſe illaqueare conſuetudinibus, nil facilius: ad hæc enim inclinat natura, mundus allicit, inducit diabolus, & pleique hominum nos trahere conantur.

Cum Iſraelitæ ab Aarone Deum ſibi fieri a quo per deſertum ducerentur, pertinaciter poſtularunt illos a tam impia re avertere voluit ſanctus Sacerdos, & ideo omnes inaures aureas ſibi in hunc finem dari petiit, cenſens, quod ſibi idolum non facere, quam inaures dare mallent. *Exod. 42. 2.* Sed il-

Google

illum feſellit opinio; omnes enim mulieres ſuas protinus obtulerunt inaures, ut petitionis, & voti ſui compotes fierent. Inaures dare noluiſſent mulieres, ſi eas petiiſſet Aaron, ad illas piis operibus impendendas, illas vero promptè, hilariter, & facile largiuntur, ut ex eis fabricetur idolum, quia ad virtutem difficile, & ad peccata, pravaſque peccatorum conſuetudines facile ferimur.

Quod ut clarius pateat, ſciendum, quod ad pravum habitum contrahendum, oporteat ſolummodo peccare, & in idem peccatum pluries cadere, quia ut fatentur omnes, habitus quilibet per actus iteratos acquiri ſolet; habitus v. gr. luxuriandi per iteratos luxuriæ actus, & habitus jurandi per juramenta pluries repetita. Facillimum autem eſt peccare; tum quia pravis ſuis ſuggeſtionibus dæmon ad peccandum excitat, tum quia peccandi occaſiones occurrunt multæ, tum quia ipſa natura corrupta, ſeu concupiſcentia ad peccatum allicit, *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Job 1. 14.* Facillimum eſt etiam iterare peccatum, immo facilius eſt illud iterare, quam illud prima vice committere, quia peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, *ſuo pondere ad aliud trahit. S. Greg.* Quare cum facillimum ſit peccare, & idem peccatum iterare; facillimum etiam eſt pravos habitus contrahere.

Hoc mihi evidentiſſimum videtur; ſed & alia mihi occurrit ratio, qua ſole clarius apparet, pravos facillime contrahi habitus; quæ ſumitur ex peccatis, quæ perpetrantur, quorum aliqua ab hominibus laudari, & alia ab hominibus non laudari ſolent. *Peccata quæ ab hominibus laudantur*, ſunt illa quæ non committuntur ſine adſtantium approbatione, laude, & plauſu: ſic plaudere ſolent homines illis, qui proximi famam ingenioſe, & exquiſitis verbis dilaniant; illis qui plus quam par eſt, vivendo ſplendide, facultates ſuas miſere diſſipant; illis qui ſocios potando, ac vino ſe ingurgitando ſuperant: illis qui aliis jocoſe illudunt, vel quia callide alios decipiunt. *Peccata quæ ab hominibus non laudantur*, ſunt horrenda, & probroſa quædam peccata, quæ quiſque occultare ſatagit, ut in aliorum notitiam non veniant. Ad primi autem generis peccata, honum approbatione, plauſuque allicimur: & ad peccata ſecundi generis, propria inclinatione ferimur. Quare cum ad omnia peccata, vel hominum plauſu, vel propria inclinatione trahamur, nil facilius, quam peccare, peccata multiplicare, & habitus pravos contrahere.

Alias ad hoc propoſitum rationes adducere, ſuperfluum eſſet; cum ipſa conſtet experientia, pravos habitus ab hominibus quam facillime contrahi: pauci enim ſunt, qui pravo quodam habitu a dæmone ligati non detineantur. O quot impii iniquis criminum funibus, & pravis habitibus capti, conſtrictique ſunt! Quot fatui ſenes, inveterata conſuetudine excæcati, in ſceleribus ſuis inſipienter putreſcunt! Quot juvenes a teneris annis, multis & infandis ſe dedunt vitiis; ac peccata multiplicando, tartareos malorum habituum funes ſibi faciunt, quibus ad omnis abominationis gurgitem trahuntur! Quot viri, quot mulieres tetris hiſce ligati detinentur funibus! Quot omnis generis perſonæ pravis habitibus conſtrictæ ingemiſcunt! Paucos quidem reperire eſt, qui malo quodam habitu & prava aliqua conſuetudine non ducantur. Immo & plerumque pravi habitus in ſæcularibus famiis ſunt quaſi hæreditarii. Unde dici ſolet apud homines: hæc familia uſuris, hæc libidini, illa abdomini, iſta blaſphemiis & detractionibus addicta eſt. Nil tandem in mundo communius, nilque facilius, quam pravos habitus contrahere. Quare cum prava conſuetudo ſit malum ita grave, & quod tam facile contrahitur, ſumma cura vigilare, & laborare quiſque debet, ut in hoc malum non incurrat, utque nulla unquam prava conſuetudine conſtringatur.

Sicut Sampſon, dum dormiret, funibus ligatus eſt: ita qui dormiunt, & qui ſaluti ſuæ ſedulo non invigilant, pravæ conſuetudinis vinculis facile conſtringuntur: quare ſi nulla adhuc prava conſuetudine ligati ſitis, in ſalutis negotio non dormitatis; ſed ſuper vias veſtras vigilate, jejunate, orate, occaſiones peccati fugite, & alia media ad cavendum a prava conſuetudine ſollicite ſumite. Si autem jam prava quadam ligati ſitis conſuetudine; remedia etiam ad tam grave malum curandum idonea adhibete.

Optima ad hoc malum ſanandum remedia ſunt, illius deteſtatio, occaſionum fuga, Sanctorum invocatio, jugis judiciorum Dei meditatio, & piorum librorum lectio. Hæc remedia ſumite, ut tantum malum expellere valearis. Sed & aliud ſaluberrimum remedium docet Sanctus Chryſoſtomus, nempe, quod conſuetudo prava, quantum fas erit, in oppoſitam conſuetudinem immutetur: *Conſuetudo, quando mala, in alteram transferenda eſt conſuetudinem. Chryſoſt. hom. 16. ad pop.*

Vulgari, & trito axiomate dicunt Medici, quod ad ſanandos morbos, remedia contraria ſint apponenda; *contraria contrariis curantur*. Quare cum pravi habitus ſint infirmitates animæ, & mala graviſſima, ad ea curanda, remedia contraria ſunt adhibenda. Peccare ſolitus eras in caupona, ubi ebrietati indulgebas? Impoſterum Eccleſias, & non cauponam, frequenter adi. Peccare ſolebas avaritia, quæ te ad aliena auferenda alliciebat? Ita te liberalem exhibe, ut non ſolum aliena reſtituas, verum & ex propriis multa pauperibus eroges. Proximi famam detractionibus & calumniis frequenter dilaniabas? Jam non ſolum ab iis abſtineas, ſed & proximi virtutibus & meritis promulgandis incumbe. A multo tempore jurare, blaſphemare, ventri & libidini ſervire eo ſueveras? Iis omnibus contraria adhibe remedia. Quod debes facere magna cum ſollicitudine; quia prava conſuetudo, non ſolum eſt malum grave, & quod facile contrahitur: *Sed eſt etiam malum quod difficile ſanatur.*

## TERTIA PARS.

*Prava conſuetudo eſt malum, quod difficile ſanatur.*

CHriſtus Dominus quatriduanum Lazarum modo penitus inſolito, a mortuis ſuſcitavit. Nam cum eum ſuſcitare voluit, infremuit ſpiritu, turbavit ſemetipſum, lacrymatus eſt, ad monumentum ejus acceſſit, lapidem ſuperpoſitum tolli curavit, ſurſum levavit oculos, Patrem rogavit, ac tandem voce magna clamavit: *Lazare veni foras. Joann. 2. 3.*

Non

Digitized by Google

Non flevit, non infremuit, nec clamavit Chriſtus, cum Jairi Principis Synagogæ filiam ſuſcitavit; ſed apprehenſa ſolummodo ejus manu, mox ſuſcitata fuit: *Tenuit manum ejus, & ſurrexit puella. Marc.* 5. 4. Cum etiam Chriſtus filium unicum viduæ Naim ad vitam revocavit, in ſacris Codicibus non legitur, quod fremuerit, fleverit, & turbatus ſit, ſed ſolum, quod ei ſurgere imperaverit: *Adoleſcens tibi dico ſurge. Luc.* 1. Cur non aliorum, ſed in ſola Lazari reſurrectione flet, fremit, & turbatur Chriſtus? forte quia majori in Lazari, quam in aliorum ſuſcitatione, ei impendendus eſt labor? Nequaquam: Chriſto enim, cum Deus eſſet, omnia erant æque facilia; poteratque omnes mortuos unico voluntatis actu ſuſcitare. Cur ergo flet, fremit & turbatur, cum ſuſcitat Lazarum? Reſpondet D. Auguſtinus Chriſtum in Lazaro quatriduano, & ligato, hominem inveterata conſuetudine conſtrictum inſpexiſſe: ac tunc fleviſſe & infremuiſſe, ut indicaret, difficillime ſanari eos, qui prava conſuetudine conſtricti detinentur: *Fremuit Chriſtus Dominus, lacrymatus eſt, & voce magna clamavit: Quam difficile ſurgit, quem moles pravæ conſuetudinis premit! Auguſt. Tract. 60. in Joann.*

Quam difficile ſanetur, & eradicetur prava & inveterata conſuetudo, diſcipulos ſuos præclare docuit peritiſſimus quidam vitæ ſpiritualis Pater. *S. Doroth. inſtit.* 2. De quo refert Sanctus Dorotheus, quod ſimul cum illis quadam die in ſilva deambulans, uni ex iis naſcentem quandam cupreſſum eradicandam propoſuerit, quam quidem facillime, admota etiam unica manu, eradicavit. Hac eradicata, aliam aliquantulum grandiorem eradicandam ei indicavit; quam, obediens diſcipulus, ambabus apprehendens manibus, radicitus evulſit, ſed majori cum labore. Tertiam etiam, & quartam eradicavit: ſed quo grandiores erant & antiquiores, eo ad illas evellendas magis inſudabat. Quo uſque tandem prudens Magiſter unam aliis jam eradicatis grandiorem indigitavit; ad quam advolavit diſcipulus, eamque totis viribus evellere pluries conatus; ſed fruſtra: Quare totus ſudore madeſcens, & ab inito labore plurimum fatigatus, palam confeſſus eſt, eam eradicare ſibi eſſe impoſſibile. Ex quo ſapientiſſimus Pater, anſam ſumens adſtantes filios erudiendi, dixit eis: quod vidiſtis, jam vera eſt effigies, veraque idea eorum quæ in anima noſtra ſæpe fiunt. Cum in ea non inveteraverunt pravi habitus, facile tolluntur & extirpantur: at ſi in ea pravæ inoleverint conſuetudines, difficillime deſtruuntur, & eradicantur; nilque hac re difficilius videtur: *In omni re difficilis eſt, quæ expugnetur conſuetudo.*

Cum aliquando Diogenes Cynicus improbum inveteratæ conſuetudinis virum admoneret: Rogatus, quid ageret; reſpondit: *Æthiopem lavo.* Et recte quidem: quia ſicut Æthiops difficillime pellem ſuam mutare, ita & pravæ conſuetudinis morbo laborans, difficillime ſanari poteſt. Qua ſimilitudine, ut aptiſſima ad manifeſtandam pravæ conſuetudini naturam, utitur Spiritus Sanctus, dicens: *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Difficillimum eſt, & impoſſibile, naturaliter loquendo, Æthiopem ex nigro album facere, quovis adhibito ſapone: difficillimum etiam & eodem modo impoſſibile, pardi varietates tollere, quamvis intime & profunde ad radices uſque pilorum tondeatur. Eodem autem modo inveterati peccatoris animam a peccatis conſuetudinis abluere, eamque ſanare difficillimum eſt. Quia gratiæ divinæ, quæ nunquam deeſt, ita reſiſtere ſolent inveterati peccatores, ut ex centum vix unus a peccandi conſuetudine reſiliat.

A prava quidem luxuriandi conſuetudine aliquando reſiliit D. Auguſtinus: ſed quantum laboris impenderit, explicat ipſemet iſtis verbis: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa, facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur; facta eſt quaſi neceſſitas. Quibus, quaſi annulis quibuſdam ſibimet innexis, tenebat me obſtrictum dura ſervitus.* Hæc vincula dirupit S. Auguſtinus; ſed potentiſſimo Dei auxilio fretus: ſed poſt multa inita adverſus pravam conſuetudinem certamina; ſed poſt plurimos exantlatos labores, & poſt tot ſuperatas difficultates, ut ipſe miretur, quomodo de prava hac conſuetudine triumphare potuerit: ac palam fateatur, pravam conſuetudinem eſſe malum, quod difficillime curatur. *Difficillime ſurgit quem moles pravæ conſuetudinis premit.*

Sumpto ex Sacra Scriptura proverbio, ſcimus, quod cum quis ab adoleſcentia pravæ adhæſit conſuetudini, ab ea in ſenectute difficile diſcedat: *Proverbium eſt. Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Ut enim præfata verba exponit S. Hieronymus. *Difficulter eraditur quod rudes anni perbibuerunt.* Et ratio eſt, quia inveterata conſuetudo eſt qua altera natura, & diuturna conſuetudine vitia nobis quaſi naturalia fiunt: *Conſuetudo, quaſi ſecunda, & quaſi affabricata natura dicitur. S. Auguſt. lib. 6. de muſic. c. 7.* Cum autem prava peccandi conſuetudo ſit quaſi altera natura, eam vincere, & ſanare eſt difficile; *Cum natura pugnare, eſt difficile. Philo. l. de Abraham.*

Venatoribus quondam præda fuit puer triennis; qui cum in ſilvis inter lupos nutritus eſſet, ferinos & lupinos eorum mores ita induerat, ut prope in feram, pedibus & manibus reptans, degeneraſſet. *Cauſin. Cour Sainte tom.* 1. Eum venatores Angli Henrico, Haſſiæ Principi, dono dederunt, qui omni, qua potuit, arte & induſtria illum recte incedere, ac humanos mores induere curavit; ſed fruſtra. Semper enim & ferinos ſervavit mores, & capite ad terram inclinato ac reptans inceſſit: *quia jam morem fecerat uſus. Ovid. l. 2. Metam.* Ecce genuinam inveterati peccatoris indolem, & pravæ conſuetudinis vim: Peccator enim, prava ligatus conſuetudine, cum feris, ſeu cum aliis peccatoribus, convivere ſolet: hic etiam ſuper terram reptat; quia non cæleſtia bona, ſed mundi hujus divitias, & delicias quærit. Cum autem peccatoris vitia in conſuetudinem venerunt, difficillime, & vix curari poſſunt: *Deſinit eſſe remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores fiunt. Senec. Ep.* 28.

O quam magna eſt pravæ conſuetudinis vis! Quam gravis ejus eſt tyrannis: *Magna eſt conſuetudinis tyrannis, adeoque magna, ut perinde cogat ac natura. Chryſ. in c. 4. Ep. 2. ad Corinth.* Hæc tamen pravæ con-

Digitized by Google

conſuetudinis vis neminem deterrere debet; & quamvis pravæ conſuetudine conſtrictus quis detineatur, non deſperet, ſed fortiter agat: Ut enim recte Tullius: *Multos vidimus & audivimus, cum totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, ſe ad frugem bonam recepiſſe, homineſque graves fuiſſe. Tullius in Catilin.* Sed nonne Matthæus, nonne Pelagia, nonne Magdalena, nonne Maria Ægyptiaca, nonne Auguſtinus, & alii multi fregerunt vincula ſua? ac pravæ conſuetudinis morbo curati ſunt? Cur ergo hoc non poterit quilibet alius peccator, quantumvis pravæ conſuetudinis vinculis ligatus exiſtat?

Verum quidem, quod ſine Dei gratia hoc fieri nequeat; ſed cum Dei gratia, quæ nulli deeſt, & hoc, & omnia quæ ad ſalutem ſpectant, facere poſſumus: *Omnia poſſum cum eo qui me confortat. Phil. 4. 13.* Agite ergo generoſe, pravitatis veſtræ vincula totis niſibus frangere contendite: & quod impoſſibile jam vobis videtur, ſucceſſu temporis, vobis facile fiet. Quia, ut ait S. Bernardus: *uſus tollit difficultatem, invenitque facile eſſe quod impoſſibile ante putavit. S. Bernard. Ep. 1.*

Dum adhuc juvenis eſſet S. Auguſtinus, jurare conſueverat; pravamque hanc jurandi conſuetudinem tollere, ei difficillimum, & quaſi impoſſibile videbatur. Potuit tamen; ac ita potuit, ut tandem nil illi facilius videretur, quam non jurare: *Abſtulimus*, inquit, *jurationem de ore noſtro. Ecce vobiſcum vivimus, qui nos audivit aliquando jurantes; numquid non conſueveram quotidie jurare? nil mihi jam facilius, quam non jurare. S. Aug. ſerm. 1. decoll. S. Joann.* Sed ad quid hoc de ſe ipſo narrat Auguſtinus? *Hoc ideo*, ait, *admonui charitatem veſtram, ne dicatis, quis poteſt?* Nullus ergo dicat ſe pravam peccandi conſuetudinem tollere non poſſe: *Ne dicatis, quis poteſt?* Quia quamvis inveterata ſit prava conſuetudo, illam tollere, & eradicare, penes nos eſt. Ne hoc dicatis; ſed agite fortiter: Vigilate, orate, ſanctiſſima Eccleſiæ Sacramenta frequenter ſumite, prudentis alicujus moderatoris conſiliis humiliter obtemperate: & tandem aliquando de pravis veſtris habitibus triumphabitis, æternamque illam coronam, quæ vincentibus datur, obtinebitis. *Amen.*

# DE PECCATIS RECIDIVÆ

## CONCIO III.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Iſaiæ 27. 9.

CORpora cæleſtia a ſublunaribus in hoc differunt; quod cæleſtia nulli obnoxia ſint alterationi, & corruptioni: quia materia ex qua componuntur, formam ſibi ab origine mundi annexam, tenaciter ſervat, nec aliam aliquam appetit. Sublunaria vero continuis generationis, & corruptionis viciſſitudinibus ſubſunt: quia materia ex qua conſtituuntur, ad novas ſemper, appetitu ſibi innato, anhelat formas; ac, prioribus relictis, novas alias facile recipit.

Sancti qui nunc in cælis regnant, cæleſtibus ſimiles videntur corporibus, quia in iis nulla eſt mutatio & viciſſitudinis obumbratio: ſed continua in viſione, amore, & Dei poſſeſſione perſeverantia. Homines vero, quamdiu in hoc mundo morantur, eodem fere modo ſe habent in ordine gratiæ, quo corpora ſublunaria in ordine naturæ: utpote quia ſæpiſſime mutantur, ac a ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati, & a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ tranſeunt. Cum enim debite pœnitentiam agunt, Dei gratiam recipiunt, quæ eſt forma, qua juſti fiunt; ſed quaſi eos pœnituiſſe pœniteat, hanc ſæpe mox abjiciunt formam, & a ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati infeliciter migrant.

Hodie mihi inſtituenda eſt concio adverſus peſſimum illud hominum genus, qui poſt peractam pœnitentiam, & acceptam a Deo gratiam in priſtina ſua ſcelera miſere relabuntur. Cumque toto hoc Adventu, peccati deſtructioni incumbere ſtatuerim, hodie deſtructioni peccatorum recidivæ totus ero, &c. *Ave.*

QUi mortalibus peccatis ſuam inquinant animam, multi ſunt, maligni ſunt, infelices ſunt. Hi quidem *multi*; *Eccl. 1. 15.* cum hi ſint ſtulti illi homines, quorum numerus eſt infinitus: *Stultorum infinitus eſt numerus. Job 15. 25.* Hi etiam *maligni*; cum adverſus Deum ſuum, Creatorem & benefactorem ſuum impudenter inſurgant: *Tetendit adverſus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt.* Hi tamen *infelices* ſunt: quia ſi a peccatis non reſipiſcant, æternis, poſt mortem, ſuppliciis addicentur: *Ibunt hi in ſupplicium æternum. Matth. 25.*

Quod de omnibus, qui in mortalia cadunt, dicitur, hoc & ſpecialius dicamus de his, qui poſt peractam pœnitentiam, in mortalia recidunt: iſti enim multi, maligni, & infelices ſunt. Iſti quidem *multi*, quia in mortalia relabi, eſt communiſſimum: iſti etiam *maligni*, quia poſt peractam pœnitentiam relabi, eſt graviſſimum: iſti tandem *infelices*, quia in priſtina peccata relabi, eſt periculoſiſſimum. Quæ, ut clarius pateant, tria hæc ſigillatim elucidemus: ac dicamus; quod in mortalia recidere eſt: 1. Quid commune, & uſitatum: 2. Quid grave, & enorme: 3. Quid exitioſum, & periculoſum. In mortalia poſt peractam pœnitentiam relabi, eſt commune, eſt grave, eſt periculoſum. En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*In mortalia relabi eſt commune.*

POſtquam peccatorum ſuorum vincula dirupit, & ab exitioſis dæmonis laqueis ereptus eſt, Regius Propheta, exultans, magnoque circumfuſus gaudio, exclamavit: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Pſalm. 123. 7.* Exultavit David, & poſtquam a criminum & dæmonum laqueis eſt ereptus, nuſquam amplius iis captus eſt; nec amplius a ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati eſt mutatus: *Non movebor in æternum. Pſalm. 29. 7.* Sed tanta eſt aliorum hominum infirmitas, & inconſtantia, ut fere omnes in eadem peccata, poſt peractam pœnitentiam, relabantur; ac iiſdem criminum laqueis, a quibus per Dei miſericordiam liberati fuerant, iterum capiuntur.

Ipſæ

Digitized by Google

Ipſæ aves, ac etiam cervi, & alia animantia ſemel capta, ſi effugiant, difficillime iterum capiuntur: *Avicula ſemel capta laqueo, mox elapſa; cervus in rete decidens, & effugiens, iiſdem iterum difficile capientur: nam cuique ſit experientia cautelæ magiſtra. Chryſ. hom. 15. ad pop.* Sed plerique hominum ipſis brutis quaſi ſtolidiores, poſtquam per pœnitentiam, & per Dei miſericordiam, a ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, vindictæ, aliorumque criminum laqueis ſe extricarunt, iiſdem ſæpiſſime capiuntur, & in priſtina peccata recidunt; *Nos autem*, ut ſubdit Chryſoſtomus, *ſæpius iiſdem capti, in eadem cadimus.*

Saulem, hoſtem ſibi infenſiſſimum, in tentorio dormientem invenit David: cumque illum facillime occidere poſſet, ab illius cæde abſtinuit, abſtulitque ſolummodo *haſtam & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saulis*, 2. *Reg.* 26. & abiit. A ſomno autem evigilans Saul, admiratus eſt Davidis clementiam; & pœnitentia ductus, ab eo veniam petiit, dicens: *Peccavi, revertere fili mi David, nequaquam enim ultra tibi male faciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim, quod ſtulte egerim. Ibid.* Ecce Saulem vere pœnitentem; Sed ut advertit S. Baſilius, non multo elapſo tempore, haſtam vibrat Saul ut Davidem interimat; *Quaſi ad mentem ſobriam ideo ſe recepiſſet, ut iterum ſæviret. C. Baſil. orat. 15.* O magnam Saulis inconſtantiam! ſed, o veram etiam hominis peccatoris effigiem! Deus enim omnes peccatores juſte occidere, & in infernum præcipitare poſſet, mox ut mortale aliquod crimen perpetrarunt; ipſis tamen ſolum auferre ſolet ſcyphum & haſtam; *Scyphum*, privando eos divitiis, deliciis, vel aliquibus rebus, quibus adhærebant; *Haſtam*, debilitando corpora eorum gravibus morbis, & ſubripiendo alia, quibus ut nequitiæ armis utebantur. Peccatores autem, advertentes hanc Dei in ipſos bonitatem & clementiam, pœnitentia ducti, clamant: *Peccavi*; malitiam & ſtultitiam ſuam fatentur; ac ſe nuſquam in Deum peccaturos proteſtantur: ſed tanta eorum eſt inconſtantia, ut paucis elapſis diebus, plerique haſtas & malignas criminum ſuorum ſagittas adverſus Deum vibrent. Hodie convertuntur ad Dominum; ſe non amplius in illum peccaturos pollicentur; ac millies promittunt, ſe non in priſtina peccata caſuros: ſed pauciſſimis adhinc diebus, votorum & promiſſionum ſuarum obliti, arma adverſus Deum ſumunt; in illum peccant ſicut antea; ac iiſdem ſe criminum laqueis intricant, quibus antea obſtricti fuerant. Ecce quomodo ſe gerere ſoleant peccatores: ecce quod in mundo commune & uſitatum eſt.

Filii Iſrael, qui diu in Ægypto ex alliis & cepis miſere victitarant, non ſapiebant niſi Ægyptum: tantaque eorum erat ſtoliditas, ut allia & ceps, quibus manducandis aſſueti erant, cæleſti cibo præferrent. Unde deguſtato cæleſti manna, dicebant: *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. Num.* 21. 5. Hi filii Iſrael denotant peccatores vitiis aſſuetos: qui cum palatum ſanum non habeant, ſpiritualia non guſtant: eis enim pœnitentiæ gratia non ſapit, nauſeant ſuper ſacroſancto Euchariſtiæ manna; nec anhelant, niſi ad mundi & carnis voluptates. Unde plerique brevi poſt confeſſionem, & Sacramenti Euchariſtiæ ſumptionem ad cepas & allia ſua migrant; ſeu, in eadem peccata, a quibus feliciter emerſerant, intra breviſſimum tempus infeliciter recidunt. Et ideo ob magnam hanc inconſtantiam & malitiam, peccatores Spiritus Sanctus porcis aſſimilat; *Contigit enim eis illud veri proverbii: canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti. S. Pet.* 2. 22.

Porcum lavet quis, quantum voluerit: ut primum ei occurret quoddam volutabrum, in illud ſe immerget, & huc illuc in luto ſe volvet. Sic peccatores, adveniente Jubilæo, vel Paſchatis tempore, ad ſalubre pœnitentiæ lavacrum accurrunt, & a ſuis ſe immunditiis lavant: ſed tranſacto die feſto, ad iniquitatum ſuarum volutabrum plerique recurrunt. Qui ſordidi fuerant, ſordeſcunt adhuc: qui ebrioſi, libidinoſi, avari, & aliis vitiis antea erant deditì, ad ebrietatem, luxuriam, avaritiam, aliaque ſua vitia poſtmodum declinant; ac quaſi ſues ad volutabra revertuntur: *Sus lota in volutabro luti.*

Hæc quidem vera peccatorum idea; ſed & comparari poſſunt exhalationibus, quæ ſurſum elevari non videntur, niſi ut iterum recidant. Tria enim ſunt vaporum & exhalationum genera: quarum aliæ, cum craſſæ ſint, tantiſper ſolum ſupra terræ ſuperficiem elevantur, & mox recidunt: aliæ aliquanto altius ſublimantur; ubi poſtquam aliquantulum moratæ ſunt, in aquam reſolvuntur, & ad terram relabuntur: & aliæ ad mediam aeris regionem evehuntur; ubi diu huc & illuc volvuntur; ſed tandem ex iis formantur grandines, pluviæ, vel nives, & in terram recidunt. Iis exhalationibus ſimiles ſunt peccatores. *Aliqui* enim ex his pravis ſuis habitibus tenaciter adhærent; & illi, cum a peccatis per pœnitentiam ſurgunt, parumper elevantur, ſed mox ad ea redeunt: hodie confitentur, & cras in ſimilia peccata cadunt. *Alii*, cum per pœnitentiam reſurgunt, aliquanto altius evehuntur: non multo tamen elapſo tempore, in ejuſdem generis peccata denuo labuntur. *Alii*, per pœnitentiam ita extolluntur, ut nuſquam amplius caſuri videantur: millies enim pollicentur, ſe non ultra peccatis adhæſuros; ſed tandem, ſucceſſu temporis, propoſiti obliviſcuntur, & qui loti erant, in peccatorum ſuorum cœno iterum volvuntur, ac in priſtina ſua peccata miſere recidunt. Et ſic in priora crimina relabi, ita apud peccatores commune eſt, ut fere omnes in ea recidant.

Vidiſtis aliquando paſſeres, hirundines, columbas, & alias aves, quæ, ſtrepitu excitato, aut lapide projecto, a nidis ſuis avolant, ac ita fugiunt, ut nuſquam amplius redituræ videantur, intra breviſſimum tamen tempus ad arborem quamdam, vel ad tectum vicinum accedunt, & inde ad nidum ſuum mox revertuntur. Similem in modum peccatores in vitiis, quibus aſſueverunt, quaſi in nido jacent. Cum autem de perpetratis peccatis pœnitentiam agunt, ſicut aves a peccatorum ſuorum nido avolant; *Sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes. Iſa.* 16. 2. Sed cito potator ad populum, luxurioſus ad ſcortum, avarus ad fraudes, & omnes ad nidos ſuos, ſeu, ad priſtina peccata revolare ſolent. Hoc fere omnes peccatores faciunt: nil apud eos communius.

S.e-

Steterunt aquæ, ſuumque retinuerunt, curſum, ut arca per Jordanis alveum portaretur. At ubi pertranſivit arca, aquæ in locum ſuum reverſæ, ſolitum tenuere curſum, & in mare, ſicut antea, defluxerunt. Quam plurimi ſimiliter, qui peccatum ſicut aquam bibere ſoliti ſunt, adveniente aliquo Jubilæo, vel ſolemni Feſto, ab aſſueto vitiorum curſu aliquantiſper ceſſant, ut arca Euchariſtica per eos tranſeat; at mox ut Communionis tempus tranſit, ſolitum tenent curſum, & in priſtina peccata relabuntur. Avari ſunt ut antea, libidinoſi, ut antea, ebrioſi, invidi, detractores, blaſphemi, aliiſque horrendis vitiis dediti ut antea.

Sicut qui ex gravi infirmitate convaleſcant, ſibi ſtatim ita validi & robuſti videntur, ut quidvis manducare, & quidvis agere liceat; & ideo datas a Medico vivendi regulas violant, & in febrim recidunt: ita & qui recenter ad Deum ſunt converſi, ſibi facile ſuadent, ſe nuſquam amplius in peccatum caſuros, & ideo datas a Confeſſario recte vivendi leges ſervare negligunt, priſtinis ſe peccandi occaſionibus immiſcent, perſonas cum quibus peccaverant, temerarie frequentant: unde miſere fit, ut in priora peccata denuo labantur. Quod non uni dumtaxat, aut alteri, ſed omnibus fere peccatoribus accidit. Hoc illis eſt familiare & commune; & quicumque oculos habet, videt, omnes fere peccatores, poſt peractam pœnitentiam in priſtina peccata relabi. Quod quidem omnes ad amare flendum excitare deberet.

Xerxis, Perſarum Regis, tantus fuit exercitus, utpote ipſa flumina exſiccaſſe dicatur. Cumque potentiſſimus ille Princeps innumeros milites, & florentiſſimam Aſiæ juventutem, ex qua ejus conſtituebatur exercitus, prope Helleſpontum die quadam luſtraret, *de ſublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem videns exercitum, fleviſſe dicitur, quod poſt centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, ſuperfuturus eſſet. D. Hieron. l. 1. ad Heliod.* Innumeros ſimiliter Eccleſia militans in præcipuis anni feſtivitatibus, ſui exercitus milites videt, qui poſt confeſſionem, & cæleſtis Euchariſtiæ cibi ſumptionem, vegeti, validi, ac ad contra ſalutis ſuæ hoſtes generoſe pugnandum parati ſunt. O præclarum ſpectaculum! ſed ipſis quidem ſanguineis lacrymis deflendum, ſi cogitemus, quod ex tot millibus, qui per pœnitentiam a peccatis reſurgunt, pauciſſimi ſint, qui ab accepta gratia brevi non decidant, & in priſtina peccata non relabantur. Surgunt multi; recidunt multi: gaudeamus, quia ſurgunt; ploremus, quia recidunt: gaudeamus propter multos, qui a peccatis ſurgunt; ploremus propter multos, qui in priſtina peccata relabantur. Sed ſi in eadem peccata relabi ſit commune: *in eadem etiam peccata relabi eſt grave, & recidiva peccata ſunt graviſſima.*

## SECUNDA PARS.

*In mortalia relabi eſt grave.*

OMne mortale peccatum grave eſt, cum ſi gravis offenſa Dei optimi, maximi, cujus ſapientia ineffabilis, majeſtas infinita, bonitas incomprehenſibilis: ſed longe gravius eſt, recidere, & ad peccata paulo ante abjurata revolvi. Sicut enim in morbis corporis recidiva, quid ipſo morbo deterius eſt: ſol et; quia per recidivam ſæpe pereunt, qui e primo morbo incolumes evaſerant; ita & in animæ morbis, ſeu in peccatis, *recidere, quam incidere deterius eſt. S. Bern. ſerm. 54. in Cant.*

Si alicui crus frangitur, aut manus, inquit Sanctus Eligius Novimenſis Epiſcopus, cum labore ſolet ad priſtinum revocari officium: ſi vero ſecundo, aut tertio eodem loco membra franguntur, poteſt intelligere charitas veſtra, cum quantis doloribus & cruciatibus vulnera ipſa curanda ſunt: & tamen poſt longos & multos labores, vix erit unquam ut ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant revocari: *Similis ratio in animarum fracturis exiſtimanda eſt. S. Eligius hom. 15.* Sicut ergo quo plures in eodem loco frangitur crus, eo gravior eſt fractura: ita & quo pluries poſt veniam quis recidit, eo graviora ſunt ejus peccata: quia recidere, quam incidere gravius & deterius eſt.

Sanctus Chryſoſtomus, qui hominibus hortari non deſinit, ut a quocumque mortali abſtineant, eos, in ſermone de lapſu primi hominis, potiſſimum rogat, & monet, ut in ea non recidant, peccata, quorum jam a Deo veniam impetrarunt; *Noli peccare poſt veniam. Chryſ. ſer. de lapſ. primi hom.* Cujus rei rationem mox adducit Antiochenus Antiſtes, dicens non recidendum in priſtina peccata, quia in peccata relabi, quam labi gravius eſt: *Cogita graviorem eſſe culpam poſt veniam.* Gravia quidem, inquit, in ſe ſunt quævis mortalia: ſed ſi poſt acceptam a Deo veniam in eadem iterum labaris, illa eadem peccata, tamquam recidivæ, cæteris paribus, erunt prioribus graviora. Quia licet graviſſimum videatur, quod homo Chriſtianus, qui Dei bonitatem, Paradiſi gaudia, inferni ſupplicia, & alia Chriſtianæ Religionis myſteria novit, in mortale aliquod peccatum cadat; longe tamen gravius eſt, ſi hic homo poſt impetratam a Deo veniam in priſtina labatur peccata: *Grave eſt, hominem inſtructum delinquere: gravius eſt abſolutum peccare.*

Cum Chriſtus Dominus probaticæ piſcinæ languidum, quem ſanaverat, in templo, pro accepto beneficio gratias referentem inveniſſet dixit ei: a paralyſi, qua laborabas, ſanatus es: ingens hoc tibi beneficium præſtiti: cave nunc ne iterum in peccata labaris: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare.* Quod Chriſtus huic paralytico palam dixit, hoc & cuilibet homini qui a mortali peccato ſurrexit, clam, & in corde quotidie dicit: quemlibet enim ſic intus affatur: O peccator, in te benignus & miſericors ita fui, ut meæ virtute ſanguinis, ab omnibus animæ morbis te ſanaverim: ſed ſumma jam ſollicitudine cave, ne in priſtinos hujuſmodi morbos, & in priora peccata recidas: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare. Joann. 5. 14.* O peccator, ſanavi te ab infirmitatibus linguæ tuæ, quæ tot convicia, tot detractiones, totque blaſphemias proferre ſolita erat: cave, ne in ſimiles morbos recidas: *Jam noli peccare.* Sanavi te ab ægritudinibus, quibus tuum laborabat cor; quod pravis quibus adhæſerat cogitationibus, ac iniquis affectibus quibus exarſerat corruptum penitus, putridum, & ſauciatum erat: cave, ne putreſcat adhuc, & ne in eaſdem infirmitates incidat:

Digitized by Google

dat; *Jam noli peccare.* Sanavi te ab infirmitatibus oculorum tuorum, qui tot objecta impudice aſpexerant; & ab infirmitatibus manuum, quæ aliena rapere conſueverant, cave, ne in ejuſdem rationis morbos, ſeu in eadem peccata labaris: *Jam noli peccare.* Cur paralytico, omnibuſque peccatoribus prohibet Chriſtus, ne in priora peccata recidant? *Ne deterius ſibi aliquid contingat. S. Bern. ſerm. 1. in Cant.* Hoc illis prohibet, quia in peccata recidere, quam cadere, longe eſt gravius, & deterius: *eſt ſine dubio recidenti quam jacenti deterius. Thr. 3. 22.*

Tanta mortalis peccati eſt malitia, ut quaſi continuum in hoc mundo ſit miraculum, quod peccatores, mox ut mortale quoddam peccatum perpetrarunt, Deus non deſtruat & annihilet: *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.* Hanc Dei in ſe bonitatem admirabatur Regius Vates, ac fatebatur, quod ſi per Dei miſericordiam a ſuis liberatus non eſſet peccatis, ad inferni ſupplicia damnatus fuiſſet: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Pſalm. 93. 13.* Hanc & in ſeipſo Dei clementiam expertus eſt Sanctus Auguſtinus, quam admirans, ait: *Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quod peccata mea tamquam glaciem ſolviſti. Aug. lib. 4. Conf. cap. 7.* Eadem ſane Dei eſt bonitas, & clementia in omnes, qui a mortalibus culpis abſolvuntur, & liberantur, eos enim Deus per gratiam ſuam ab horrenda, & immani, in qua immerſi erant, abyſſo eripit, illos ab alto præcipitio, & portentoſa voragine, a qua per ſe ipſos egredi non valebant, miſericorditer eruit; illos a tetris peccati vinculis, a dira dæmonis tyrannide, & ab inferni faucibus educit. Unde omnes qui a mortalibus peccatis lavantur, dicere debent in corde ſuo *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.* Miramini ingens, & ineffabile illud Dei in peccatores beneficium, ſed & identidem fatemini, quod quanto majus eſt hoc beneficium, quod a Deo peccatores recipiunt, tanto major etiam illorum eſt ingratitudo, tantoque gravius illorum eſt peccatum, ſi accepti beneficii immemores, in benefactorem iterum inſurgant, & in priora peccata recidant. Quia, ut fatentur omnes, eo cæteris paribus offenſa eſt gravior, quo majora a perſona, in quam peccamus, beneficia accepimus.

Sed ut evidentius pateat, quam graviter peccet, qui in mortalia poſt acceptam a Deo veniam recidit, mente revolvamus, quanta ſint beneficia, quæ a Deo recipit qui a peccato per Dei miſericordiam reſurgit. Antequam enim quis a mortalibus peccatis reſurgat, Dei inimicus eſt, ac omni prorſus gratia indignus: Deus tamen, cujus infinita bonitas, peccatorem hunc ſibi infenſum, ac omnis gratiæ indignum illuminat, monet; & gratiæ ſuæ auxiliis prævenit, adjuvat, & ad pœnitentiam adducit. Poſtquam autem, adjuvante Deo, peccatorum ſuorum vincula rupit, eum Deus gratia ſanctificante ditat, in dilectum filium recipit, aliiſque multis donis afficit. O quam magna ſunt hæc Dei beneficia in peccatorem qui convertitur! Sed, o quam gravia etiam ſunt peccatoris crimina, ſi acceptis tot beneficiis, adverſus Deum benefactorem ſuum denuo peccet, & in priora peccata labatur! Non eſt qui non fateatur, poſteriora iſta peccata, cæteris paribus, eſſe prioribus graviora, ratione ingratitudinis. Quia, qui in peccata recidit, a quibus per Dei gratiam emerſerat, ingentium beneficiorum, quæ a Deo in converſione ſua acceperat, ingratus eſt, *Indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat. Chryſoſtom. hom. 15. ad popul.*

Quod ut familiari ſimilitudine evidentiſſimum fiat, dicat quis: Si vilis quidam, & ex infima populi fæce homo alapam Epiſcopo infligeret, nonne graviſſima hæc eſſet injuria? nonne enorme eſſet illud crimen, enorme quidem, horrendum, exquiſitiſque ſuppliciis dignum? Sed ſi Epiſcopus ex nimia benignitate percuſſori indulgeret, injuriam ei penitus remitteret, illum ex charitatis affectu amplecteretur, illumque donis multis afficeret, quibus acceptis, ingratus homo Pontificem denuo depalmaret: nonne ſecunda injuria eſſet priore gravior? nonne iſtud crimen eſſet priore enormius? Gravius quidem. & longe enormius eſſet, ratione ingratitudinis, quia ultimo iſti crimini annexa eſſet infanda quædam ingratitudo, quæ in priori crimine non erat. Hoc evidentiſſimum eſt, ſed & identidem eſt evidentiſſimum, quod cum quis poſt pœnitentiam, & poſt acceptam a Deo veniam, iterum in Deum peccat, poſteriora iſta peccata ſint prioribus longe graviora, ratione ingratitudinis in Deum, a quo indulgentiam, veniam, & multa beneficia in converſione acceperat.

Hanc peccatoris, poſt peractam pœnitentiam relabentis, ingratitudinem & malitiam mirum in modum exaggerat Tertullianus, dicens, quod cum in mortalia recidit, *diabolum Deo præponit.* Quando enim per pœnitentiam ad Deum convertitur peccator, ad illum Deus per gratiam ſanctificantem venit: & in eo per gratiam ſuam manere ambit. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, Joann. 13. 15.* Ipſe autem Deum, quem in ſe habet, cum dæmone confert, inquit Tertullianus, & comparatione inter utrumque facta, dæmonem Deo meliorem judicat; & dæmoni quam Deo ſubeſſe præeligit: *Comparationem videtur egiſſe, & judicato pronunciaſſe, eum eſſe meliorem cujus eſſe maluerit. Tertull. lib. de pœnit.* Nonne maxima hæc peccatoris poſt pœnitentiam relabentis ingratitudo? Ingratiſſimus utique eſt, eo quod poſt tot accepta a Deo beneficia, diabolum Deo præponat, & dæmonis, quam Dei obſequio mancipari malit. Sed, ut ait Tertullianus, major adhuc eſt peccatoris, poſt pœnitentiam relabentis, in Deum ingratitudo, quia non ſolum diabolum Deo præponit, verum & diabolo ſatisfacit, quaſi ei injuriam feciſſet, cum, eo relicto, ad Deum converſus erat: *Qui prius Deo per delictorum pœnitentiam ſatisfecerat, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfacit.* O portentoſam peccatoris recidentis ingratitudinem! Quam adhuc graviorem eſſe ait S. Bernardus, quia peccator non ſolum diabolum Deo præfert, & diabolo ſatisfacit, ſed etiam Deum ab anima ſua expellit, ut diabolum intromittat; *Sic honoratis, miſeri, Chriſtum, quem ſuſcepiſtis, v . . . paratis hoſpitium? S. Bernard. ſerm. 8. de Reſurrect.* O infandas & execrandas peccatoris relabentis ingratitudines! Sed, o quam gravia etiam ſunt peccata, in quæ recidit. Ea, ratione annexæ ingratitudinis, ita gravia & enormia eſſe cenſent

non-

Digitized by Google

nonnulli Theologi: ut doceant, maliriam unius peccati mortalis, in quod quis poſt veniam relabitur, ob peccantis ingratitudinem, tantam eſſe, ut valeat exæquare hoc unum omnia peccata antea remiſſa; & peccatorem recidentem perinde puniri, ac ſi peccata præterita remiſſa non fuiſſent. *Joann. Medina de pœnit. tract. 1. quæſt. 9.* Quare cum ita gravia & enormia ſint recidivæ peccata, ab iis ſumma ſollicitudine cavere. Sed & ab iis cavendum quia poſt acceptam a Deo veniam, in mortalia recidere, *eſt periculoſum.*

## TERTIA PARS.

*In mortalia relabi eſt periculoſum.*

MIſericordiæ ſuæ viſcera Deus omnibus aperit; nec eſt peccator ita obſtinatus, induratus, gravibuſque addictus peccatis, quem ad pœnitentiam non vocet, & cui non indulgeat, ſi ſincerè converti velit. Non aliquos dumtaxat peccatores, ſed omnes, nullo excepto, ad ſe per gratiam ſuam Deus allicit, & licet ſepties, decies, millies, ac etiam decies millies reciderint, iis adhuc libenter ignoſcit, modo ſincere reſipiſcere, & peccatis valedicere ſatagant: *Qui enim Petro annuntiavit ſeptuagies ſepties fratri ignoſcendum, multo magis vel ſepties millies homini ignoſcet reſipiſcenti. S. Anton. ad Antioch. quæſt. 93.*

At licet impios quoſque Deus diligat, vocet, expectet, & benigne recipiat, ſi ad illum contriti accedant: ejus tamen bonitate abuti non debent, nec temeraria impudentia in priſtina relabi peccata. Quia qui in mortalia facile & frequenter recidunt, in evidenti damnationis periculo verſantur, eoſque æterna damnatio expectat: *Si a prima delictorum miſeria empti, rurſus ad eamdem malignitatem revertimur, gravior punitio nos procul dubio expectabit. Chryſoſt.*

Grave hoc damnationis periculum, in quo verſantur, qui poſt peractam pœnitentiam, & acceptam a Deo veniam, in priſtina peccata frequenter relabuntur, indicat D. Paulus, dicens, impoſſibile, ſeu difficillimum eſſe, eos ad veram pœnitentiam rurſus adduci; *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam. Heb. 6. 4.* Si enim quaſi impoſſibile eſt, eos renovari ad pœnitentiam, quaſi impoſſibile eſt etiam, quod ſalventur, quia peccator non ſalvatur, niſi pœnitentiam egerit. Ac proinde in maximo damnationis periculo verſantur.

Quod & idem Paulus confirmat, dicens, nullum eſſe ſacrificium, quo peccatores, qui frequenter ſurgunt & recidunt, Deum placare, & ab eo veniam peccatorum obtinere valeant: *Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Sicut enim in veteri lege nullum Deus pro ſuperbis & contumacibus inſtituerat ſacrificium, ut oſtenderet, hujuſmodi peccatores difficillime converti: ita ait D. Paulus, pro illis, qui poſt acceptam a Deo gratiam, in mortalia frequenter relabuntur, nullam hoſtiam, nullumque ſacrificium relinqui, ut oſtendat, difficillimum eſſe, quod hi vere convertantur. Et ideo cum difficillime ad Deum converti poſſint, in evidenti damnationis ſunt periculo, & vix ſalvari poſſunt.

De hoc non dubitabit, qui advertet, quomodo ſe gerere ſoleat dæmon erga illos, qui a peccatis per pœnitentiam ſurrexerunt, ſi in ea iterum labantur: *Dæmon enim tunc vadit; & aſſumit ſeptem ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi. Matth. 12. 45.* Ut, ſcilicet, eum ſecurius detineant, ac impediant, ne iterum evadat, & ad Deum convertatur.

Cum quis vi, vel fraude e carcere elapſus iterum capitur, cum cuſtos majori cum vigilantia, & cura detinet, ſi antea eum unica vinciebat catena, nunc duplici eum vinciet, ſi antea nocturno & quietis tempore non illum viſitabat, nunc diu noctuque illum iterum atque iterum inviſet, ſi antea unico oſtio, & unica ſera eum clauſum detinebat, nunc ſeras & oſtia multiplicabit, eodem prorſus modo, cum peccator e dæmonis vinculis per pœnitentiam liber evaſit, ſi in peccatum recidat, ac dæmonis captivus iterum fiat, ab illo ſumma cum vigilantia cuſtoditur, ne amplius evadat; ſi antea diabolus unam aut alteram ſuggerebat tentationem: modo decem, & viginti ſuggeret, omneſque claudet aditus, quibus iterum aufugere, ac ad Deum reverti poſſet. Et ut eum ſecurius detineat ſatanas, *aſſumit ſeptem ſpiritus ſecum, nequiores ſe,* qui omni qua poſſunt cura, & ſollicitudine impediant, ne liber evadat, & ad Deum rurſus convertatur. Quare tunc huic peccatori difficillimum eſt, ut a peccatis iterum ſurgat, & ad Deum vere convertatur; ac proinde vix ſalvari poteſt, & in manifeſto damnationis eſt periculo. Et ideo hujuſmodi homines, qui ab accepta juſtitia in mortalia frequenter decidunt, non Paradiſo videntur idonei, ſed ad infernum ſunt parati: *Qui tranſgreditur a juſtitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhompheam. Eccli. 26. 27.* Id eſt, *ad ſupplicium æternum,* ut exponit Dionyſius Carthuſianus.

De his peccatoribus, qui in mortalia peccata crebro relabuntur, loquitur Propheta, dicens: *Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſecula. Pſalm. 130. 16.* Inimici, qui Domino mentiuntur, ſunt ipſi peccatores, qui poſt peractam pœnitentiam, & acceptam a Deo gratiam in mortalia peccata recidunt. Cum enim pœnitentiam egerant, priores culpas coram Deo retractarant, abjurarant, deteſtati erant, ac pluries promiſerant, ſe non amplius peccaturos. Sed hi Dei Inimici *mentiti ſunt ei,* cum in priſtina peccata, contra datam Deo fidem, relapſi ſunt. Quare non temporali tantum, verum æterna pœna digni ſunt, & æternis plectentur ſuppliciis: *& erit tempus eorum in ſecula.*

Videte, quid acciderit uxori Lot. Quamdiu hæc in urbe Sodoma inter infandis vitiis deditos permanſit, eam Deus innocuam, & incolumem ſervavit; ſed poſtquam de execranda hac civitate egreſſa eſt, in ſalem converſa fuit. Cur plectit Deus, & in ſalem convertit hanc mulierem, quæ jam de Sodoma eſt egreſſa? Ideo illam plectit quia poſtquam de Sodoma migravit, Sodomam aſpexit. Quo exemplo docet, graviter plectendos illos, qui poſtquam Sodomæ pro abominandis ſuis criminibus abrenuntiarunt, ad ea iterum aſpiciunt, & revertuntur.

Il-

Digitized by Google

Illos quidem Deus in inferno graviſſime plectet. Ut enim ait Propheta: *Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. Pſalm. 67. 22.* Hi qui in delictis perambulant, ſunt peccatores; illi, qui ſunt quaſi in continuo motu a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, & a ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati; ac qui a peccatis ita diſcedunt, ut ad ea brevi revertantur. Iſti autem peccatores, in peccatis perambulantes, in tanto ſunt damnationis periculo, ut quaſi certum ſit, quod Deus eos ad inferni ſupplicia damnabit: quodque ibi non ſolum capita eorum, verum & omnia eorum membra, ipſas quoque capillorum ſummitates conteret & confringet.

De aliquo uno peccatore in peccatis perambulante fertur, quod cum poſt plures recidivas, & veniam a Deo pluries acceptam, ad Confeſſarium acceſſiſſet, ut ab eo peccatorum, in quæ reciderat, abſolutionem peteret, abnuit primo Confeſſarius; ſed tandem opportunis importuniſque precibus, ac promiſſis multis de non recidendo factis, cum ad dandam abſolutionem inclinavit. *Cant. lib. 2. apum cap. 3.* Qua obtenta, lætus in domum ſuam ſe recepit; tantaque ejus fuit inconſtantia, ut die immediate ſequenti in priora ſcelera reciderit: credens haud dubie, quod Deus iterum illum expectaret ad pœnitentiam. Sed illico ultricem Dei manum expertus eſt; ac pluries hæc verba ingeminans: *Vindicta Dei ſuper me; vindicta Dei ſuper me*, infelicem efflavit animam, quam, æternum cruciandam, ad infernum horrendi dæmones traxerunt.

Quod huic accidit, iis omnibus, qui in mortalia poſt pœnitentiam pluries relabuntur, accidere ſolet. Licet enim eos non audiamus clamantes: *Vindicta Dei ſuper me*: in tanto tamen damnationis verſantur periculo, ut quaſi certum ſit, quod hi miſere peribunt, quodque æternam Deus in inferno de peccatis eorum vindictam ſumet. Quare a gravibus quibuſque peccatis ita ſurgite, ut amplius in ea non recidatis, & æternæ damnationis periculo non vos exponatis: *Evaſimus ſemel, non amplius periculo noſmetipſos inferamus, etſi iterum evaſuri videmur. S. Aug.*

Maledicit Spiritus Sanctus iis, qui ab accepta juſtitia facile declinant, & in priora peccata relabuntur: *Væ iis, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. Eccli. 2. 6.* Væ tibi, o avare, qui poſt peractam pœnitentiam perdidiſti ſuſtinentiam, & in priores uſuras lapſus es. Væ tibi, luxurioſe, qui promiſſis Confeſſario datis non ſtetiſti, & qui ſtatim poſt confeſſionem, totus in libidines effuſus es. Væ tibi, ebrioſe, qui a Pœnitentiæ Tribunali, mox ad cauponam te contuliſti, ut vino te ingurgitares. Væ vobis omnibus qui perdidiſtis ſuſtinentiam, & qui poſt acceptam a Deo veniam in priſtina peccata recidiſtis! Væ vobis: quia in mortalia recidere graviſſimum, & periculoſiſſimum eſt.

Aſſerunt ſancti Patres, parum, aut nihil prodeſſe pœnitentiam, ſi peccator in priora relabatur ſcelera (in caſſum ſumitur medicina, inquit ſanctus Cyrillus, ſi poſt inſtauratam ſanitatem, per vitæ incontinentiam, qui convaluit in priſtinum incidat morbum. *S. Cyrillus hom. 5. in Joann. cap. 17.*) *Inanis eſt pœnitentia*, ait S. Auguſtinus, *quam ſequens inquinat culpa: & nihil proſunt lamenta, ſi iterentur peccata. S. Auguſt. in Decr. diſt. 3. de pœnis.*

Similia multa leguntur in SS. Patrum libris. Sed dicamus, hanc non ſolum non prodeſſe, verum & quodammodo obeſſe pœnitentiam, in quantum, ſcilicet in eadem peccata poſt peractam pœnitentiam recidere, graviſſimum & periculoſiſſimum eſt. Quare totis conatibus laborate, ut in mortalia, poſt veniam, non recidatis; & ut horrenda, & periculoſa recidivæ peccata deſtruatis.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Fructus quem hodie intendo, hic eſt, quod deſtruatis recidivæ peccatum: utpote quia commune, quia grave; quia periculoſum. Illud ergo deſtruite, ac in accepta gratia conſtanter perſeverate, & accipietis regnum æternum. *Amen.*

## DE PECCATO.

# MORTALI.

## CONCIO IV.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Iſaiæ 27.

Virtus in arduo poſita eſt, & nonniſi magno labore comparatur: peccatum vero faciliime perpetratur; nilque facilius, quam peccatum in animam inferre. Sicut enim ſerpens antiquus, cum Heva ludens, nullo negotio peccatum in mundum intulit: ita & idem ſerpens, qui ſemper circuit quærens quem devoret, una occaſione, vel unica ſuggeſtione, non ſolum impios, ſed & homines juſtos ad peccatum allicit: ac ſucceſſu temporis illis peccatum ita ſuave efficit, ut illud bibant ſicut aquam: *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem. Job 16. 16.*

Quid facilius, quam aquam potare? neque dentibus ſcinditur aut extenuatur, ut cibus; neque in ore, aut faucibus hæret; ſed mira facilitate in ſtomachum prolabitur. Eadem autem facilitate improbus homo peccati venenum ebibit: & ex hac facilitate, ſimul cum quadam dulcedine quæ in peccato deguſtatur, totus fere mundus, non ſolum ad levia, ſed etiam ad mortalia, & gravia allicitur ſcelera; quorum deſtructioni hodie incumbere intendo, ut propoſitum in hoc Adventu fructum aſſequi valeam: *Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.*

Peccata occulta, peccata ex conſuetudine, & peccata recidivæ in præteritis concionibus deſtruere conati ſumus: ut autem primæ Adventus hebdomadæ prædicationibus finem faciam, hodie de mortali peccato in genere diſſerere ſtatui; & ut ad illud in vobiſmetipſis deſtruendum inducam, hoc ſolum dicam, quod mortale ſit, ſeu, quod mortem inferat: *Peccatum, cum conſummatum fuerit, generat mortem, &c. Jacob. 1. 15. A.c.*

Vivit Chriſtus, vivit anima rationalis, & vivunt bona cujuſque opera. *Vivit Chriſtus*, qui eſt vitæ Auctor & Dominus: *Vivit anima rationalis*, quæ vitæ & omnium operationum vitalium principium eſt, & origo: *Vivunt bona opera* per gratiam, qua vivificantur, & æternæ vitæ meritoria fiunt.

Non

Digitized by Google

Non ſolum vivunt Chriſtus, anima rationalis, & bona opera: ſed etiam ita vivunt, ut immortalitatis quemdam præſeferant characterem: Chriſtus enim eſt immortalis jure acquiſito, anima rationalis ex natura ſua, & bona opera ratione meriti. *Chriſtus* quidem immortalis eſt jure acquiſito, quia morte ſua jus ad immortalitatem ſibi comparavit: *anima rationalis* eſt immortalis ex natura ſua, quia ſpiritualis eſt, & eſſentialiter vivens: *bona opera* immortalia ſunt ratione meriti, quia æterna & immortali vita nos dignos efficiunt: *Hoc fac, & vives. Luc. 10. 28.*

O mirabilem Chriſti, animæ rationalis, & bonorum operum vitam! ſed o infandam mortalis peccati immanitatem; quæ tanta eſt, ut mortem in ipſum immortalitatis ſinum inferat. Ut enim jam videre eſt, peccatum mortale infert mortem Chriſto, animæ rationali, & bonis operibus: 1. *Chriſto* qui eſt vitæ auctor: 2. *animæ rationali*, quæ eſt vitæ principium: 3. *bonis operibus*, quæ ſunt æternæ vitæ ſemina.

## PRIMA PARS.

*Peccatum mortale Chriſto mortem infert.*

IN ipſo mundi primordio infeſtæ dæmonum legiones, ducente perduelli Lucifero, adverſus Deum claſſica ſonuerunt, & prælium adverſus Omnipotentem inierunt: *factum eſt prælium magnum in cælo. Apoc. 12. 7.* Aliud non multo poſt Conditori ſuo bellum indixit communis omnium parens Adamus: cum Deo primus ille homo in arenam deſcendit; & Creatori ſuo obtemperare renuens, fatalem ſceleris haſtam in illum contorſit.

Sicuti autem commilitones ſuos habuit Lucifer: ita & ſuos habet Adamus, cujus omnes poſteri, divini Numinis hoſtes naſcuntur; ac eorum plurimi propriis criminibus adverſus Deum Creatorem, & factorem ſuum bella gerunt: *Qui cogitaverunt iniquitates, tota die conſtituebant prælia. Pſalm. 139. 2.*

Pugnant adverſus Deum guloſi, pugnant luxurioſi, pugnant quilibet peccatores, quia criminibus ſuis Deum offendunt, majeſtatem ejus exhonorant, illum creaturis, quas amant, poſtponunt, & ut loquitur Propheta, adverſus illum enſes ſuos ſtringunt: *Gladium evaginaverunt peccatores. Pſalm. 36. 14.* Cum detractor virulenta detractionum & calumniæ verba profert, cum blaſphemus in impietatis, & blaſphemiæ ſermones prorumpit: cum libidinoſus carnalibus deliciis incumbit: cum ſe vino ingurgitat ebrioſus: quotieſcumque tandem homines in mortale aliquod ſcelus incidunt, toties adverſus Deum gladios ſuos evaginant: *Putandi ſunt adverſus Deum evaginare gladium, dum jam impudenter, & abſque ulla verecundia et amentes iniquitates ſuas perpetrant. Origen. hom. 2. in Pſalm. 36.*

Gladios quidem ſuos adverſus Chriſtum evaginant peccatores, & quantum in ipſis eſt, illi mortem inferunt, illumque cruci affigunt, quoties ad mortale aliquod ſcelus declinant. Et ideo Doctor Mellifluus, peccatores vocat novos Chriſti crucifixores, qui quantum in ipſis eſt, eum jam immortalitate præditum occidunt, & crucifigunt, *Novi crucifixores, qui immortalem mortificant, & incrucifigibilem crucifigunt. S. Bernard. ſerm. 2. Paſch.*

Hanc impiorum adverſus Chriſtum immanitatem exhorret D. Paulus, & peccatores, qui gravia perpetrant ſcelera, novos vocat carnifices, qui Chriſtum Salvatorem denuo crucifigunt. *Rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei. Hebr. 6. 6.* Chriſtus qui ſemel in Calvariæ monte a Judæis crucifixus eſt, a peccatoribus quotidie iterum crucifigitur, & morti traditur, non quod revera patiatur, & moriatur, cum ſit immortalis, impaſſibilis: ſed a peccatoribus crucifigi, & occidi dicitur, quia, ut præfata Pauli verba exponit Doctor Angelicus, quotieſcumque homo ad gravia peccata declinat, *Quantum in ſe eſt, dat occaſionem ut Chriſtus crucifigatur. Corn. a Lapide.* Vel, ut ejus verba explicant alii: peccator iterum crucifigit Chriſtum; quia novo peccato novam dat cauſam crucis & mortis Chriſti. Rurſum enim agit id propter quod Chriſtus crucifixus eſt: quare ſi Chriſti mors ad omnia prorſus peccata non ſe extenderet, oporteret, eum toties mori & crucifigi, quoties peccant homines, ſicut Aaronica ſacrificia & victimæ toties mactari & offerri debebant, quoties peccabant Judæi. O magnam impiorum in Chriſtum crudelitatem! quam & ipſe Chriſtus variis manifeſtare voluit apparitionibus, quarum aliquas, notatu dignas, hic referre non pigebit.

Eo tempore, quo Albigenſes hæretici omnia ferro flammiſque vaſtabant, ſanctæ Lutgardi apparuit Mater Domini Maria, triſtem præſeferens faciem, non ſecus ac cum juxta Chriſti morientis crucem ſtabat. Cumque ab ea Lutgardis cauſam afflictionis petiiſſet; reſpondit Virgo, ideo triſtis, & afflicta videor; quia ſceleribus ſuis Albigenſes, quantum in ipſis eſt, *Filium denuo crucifigunt. Surius 16. Jun.*

Cum die quadam ſancta Coleta, Ordinis ſanctæ Claræ Alumna, Virginem Mariam enixe oraret, ut apud Filium pro peccatoribus intercederet: ſeſe illi in conſpectum dedit Deipara, filiolum Chriſtum portans, non qui in ſinu luderet, vel qui Coletæ ſubrideret; ſed vulneratum, membratim conciſum, & ſanguinolentum. Adjiciens, hanc eſſe hominum facinoroſorum in crudelitatem, qui, quantum in ipſis eſt, ſceleribus ſuis *Chriſtum crudelius quam Judæi vulnerant, & cruentant. Surius 1. 7.*

Nobilitate ſanguinis, & vitæ ſanctitate illuſtris Brigitta illa ex Suecia oriunda, cum die quadam de paſſione Domini concionem audiiſſet, nocte inſequenti Jeſum in cruce vidit recenti ſanguine perfuſum, & toto corpore laceram, qui illam ſic compellavit: *Aſpice vulnera mea, o filia. Sur. 23. Jul.* Cui illa, ad tantum ſpectaculum attonita, dixit, Heu, mi Jeſu! quis te tam crudeliter ſauciavit? quis te cruci tam dire affixit? Reſpondit Dominus. ab iis hoc factum eſt, qui me ſceleribus ſuis laceſſunt. Hi iterum me cruci affigunt. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.*

Audite hoc, o impii, qui blaſphemias & improperia in Deum impudenter profertis; hoc audite, o libidinoſi, qui ut fœdæ propenſioni indulgeatis, Deum toties offenditis; hoc audite, o guloſi & potatores, qui abdomini & ventri tanto affectu inſervitis; audite, o Judices, o Cauſidici, qui auro corrupti, toties a juſtitia defecitis; audite hoc om-

nes peccatores, ac firmiter credite, quod idem Chriſtus, qui a Judæis crucifixus eſt, criminibus veſtris iterum vulneretur & crucifigatur. Ut enim ipſe per Prophetam Zachariam loquitur: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Zachar. 13. 6.* Quomodo ibi plagatus Chriſtus? non quidem clavis & enſibus; ſed criminibus quæ ab hominibus perpetrantur.

Varias inter artes necromanticas, unam refert Delrio, qua Magi cereas quaſdam conficiunt imagines, quas in nomine Beelzebub baptizant, cumque alicui interitum machinantur, has imagines acubus, aut ſtylis ferreis configunt, *& ſic*, inquit, *certum iis, quos tales imagines deſignant, interitum adferunt. Delrio diſq. Mag. lib. 3. part. 1. ſect. 4.* Anima noſtra eſt Dei imago, ad ejus ſimilitudinem facta, peccata vero quæ perpetramus, ſunt veluti ſtyli ferrei, quibus illam configimus, & identidem Deum noſtrum, quantum in nobis eſt, transfigimus, & occidimus: *Ipſum, quantum in ipſa eſt, Deum perimit voluntas propria. S. Bern. ſerm. 3. de Reſ.*

Hoc jam capere non poſſunt peccatores; ſed hoc capient in tremendo judicii die, cum eos, ut ſuæ mortis reos, Chriſtus acriter arguet, ſua illis oſtendens vulnera, iiſque, ut ait Auguſtinus, ſic exprobrabit: *Ecce hominem, quem crucifixiſtis: videte vulnera, quæ inflixiſtis. S. Aug. l. b. 2. de Symb. cap. 8.*

Credite ergo, peccatores, quod Chriſtum, quantum in vobis eſt, criminibus veſtris crucifigitis & occiditis. Immo aſſerit Auguſtinus, Chriſtum dirius jam a peccatoribus, quam olim a Judæis crucifigi. Et ideo Chriſtum peccatores in die judicii ſic increpantem inducit. *Cur me graviore tuorum criminum cruce, quam in illa in qua olim pependeram, afflixiſti? gravior apud me peccatorum tuorum crux, in qua invitus pendeo, quam illa in quam tui miſertus aſcendi: S. Aug. ſerm. 181. de Temp.* Gravior quidem Chriſto iſta crux: quia infinities magis odio habet unum mortale peccatum, quam ſpinas, flagella, & omnia tormenta, quæ in paſſione perpeſſus eſt.

Vide, o peccator, quanta tua ſit impudentia, qualiſve tua crudelitas. Non enim hominem vilem, non civem quemdam, non terrenum Regem; ſed Regem Regum, Conditorem tuum, & Deum tuum crucifigis, & quantum in te eſt, occidis: o infandam immanitatem! Dic, o peccator; nonne aliquando iraſceris in Judam, in Pilatum, & in carnifices, qui Chriſtum crucifixerunt? forte pluries in temetipſo dixiſti: Si Chriſti paſſionem adfuiſſem, omni niſu eum morti eripere conatus fuiſſem: nonnunquam forte, zelo ſuccenſus, hæc aut ſimilia protuliſti verba, quæ olim Clodovæus Galliæ Rex, qui audiens, & ægre ferens, Chriſtum a Judæis fuiſſe crucifixum, dixit: *Si ego cum Francis meis iſtic adfuiſſem, ejus injuriam vindicaſſem. Lobet. vita & mors, cap. 6. §. 3.* Sed, o homo peccator, non eſt ſolum quod in Judæos exardeſcas: non eſt ſolum quod eorum barbariem & rabiem inſecteris; ſed & zelum tuum in teipſum accende. Argue teipſum ut Chriſti crucifixorem & trucem: quia quotieſcumque mortaliter peccas, toties id agis, quod mortis Chriſti cauſa fuit; eſque mortis ejus cauſa & reus, ac ſi eum occidiſſes. O peccator ingrate, cur tantam Chriſto injuriam irrogas? Cur occidis eum, a quo eſſe & vitam habes? Tuam, quæſo, recole ingratitudinem, tuam deteſtare immanitatem.

De Matrona quadam ex Galliæ Regno oriunda fertur, quod cum unicum filium ſuum in Italia, ubi eum invitum ablegarat, mortuum eſſe didiciſſet, ita indoluit, ut mundi pompis valedicens, ſolis pane & aqua reliquo vitæ ſuæ tempore victitarit; ac ſæpe audita ſit hæc verba ingeminans: *Ego te peremi, fili mi, quis mihi tribuat, ut moriar pro te? Saint Jure Livre des Elus ch. 7.*

O homo peccator, Chriſtum toties, quantum in te eſt, crucifixiſti, & occidiſti, quoties mortaliter peccaſti. Quare ingemiſce, amaras funde lacrymas; ac dic, & intus dic: *Ego te peremi, Chriſte:* manus tibi violentas ego intuli. Hæc, corde contrito, verba profer, & pœnitentiam age, ut ab eo veniam impetres, quem toties ſceleribus tuis crucifixiſti. *At peccatum mortale, non ſolum Chriſto, verum & animæ noſtræ mortem infert.*

## SECUNDA PARS.

*Peccatum mortale animæ noſtræ mortem infert.*

Anima rationalis, quoad vitam naturalem ita immortalis eſt, ut nullo modo mori poſſit: ſed quoad vitam ſupernaturalem, quam habet a gratia, mortalis eſt; tuncque ſpiritualiter moritur, cum privatur gratia ſanctificante, quæ eſt quaſi anima animæ, & quaſi altera anima, per quam ipſa anima ſpiritualiter vivit. Sicut enim tunc moritur corpus, cum ab eo ſeparatur anima, per quam vivit: ita & ſpiritualiter moritur anima, cum privatur gratia ſanctificante, per quam ſpiritualiter, ſeu ſupernaturaliter vivit.

Peccatum autem mortale eſt crudelis ille carnifex, qui animam occidit quia eum gratia ſanctificante privat: adveniente enim mortali peccato, ab anima recidit gratia, ejuſque diſceſſu anima mortua manet. Et ideo dicit Spiritus Sanctus, mortale peccatum eſſe quaſi exitioſam matrem, quæ mortem generat, & quæ ipſi animæ immortali ſpiritualem mortem infert: *Peccatum generat mortem. Jac. 1. 15.* Ideo etiam alibi dicit Spiritus Sanctus, mortale peccatum eſſe veluti gladium ex utraque parte acutum, quo homo peccator, quaſi phreneticus, ſuam interficit animam: *Quaſi rhomphea bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas. Eccli. 21. 4.* Ideo tandem ait Spiritus Sanctus, peccatum mortale leoninos habere dentes, quibus roditur, diſcerpitur, & trucidatur peccatoris anima: *Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. ibid.* O peccator, temporalia hæc quæ inique comparaſti, hæc adulteria quæ perpetraſti, ebrietates, fornicationes, & omnia mortalia peccata in quæ lapſus es, ſunt quaſi gladii bis acuti, & ſicut leonini dentes, a quibus ſauciata, diſcerpta, & interfecta eſt anima tua. Eo ipſo enim quod mortaliter peccaſti, anima tua ſpiritualiter mortua eſt: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur: Ezech. 18. 4.*

Videte, quid protoparenti noſtro acciderit. Dixerat ei Deus, quod moreretur ipſa die, qua de fructu comederet: *In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Gen. 2. 17.* De fructu autem vetito comedit Adamus; & eadem die, qua de illo manducavit,

Digitized by Google

vit, mortuus eſt: non quidem morte corporali, cum adhuc ſupra nongentos annos vixerit; ſed morte ſpirituali. Quia enim mortaliter peccavit, violando Dei præceptum, & comedendo de fructu vetito; peccatum illud mortale quod perpetravit, mortem animæ ejus intulit: *Nos primum hominem, qua die peccavit anima, mortuum dicimus. S. Greg. ep. ad Eulog.* Ecce quod cuilibet peccatori accidit: eodem enim die, eodemque momento, quo quis mortaliter peccat, morte animæ moritur. O peccator, quacumque die virginem conſtupraſti, mortuus es: *te mortuum dicimus:* Quacumque die blaſphemias in Deum, vel detractiones in proximum protuliſti, *te mortuum dicimus:* Quacumque die mœchatus es, furatus es, vel grave aliud crimen perpetraſti, *te mortuum dicimus:* quia mortale illud peccatum, in quod lapſus es, ſpiritualem animæ tuæ mortem intulit.

Viduam, quæ in deliciis vivit, mortuam vocat D. Paulus: *quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.* 1. *Tim.* 5. 6. Si vivit, quomodo mortua? Si mortua, quomodo vivit? Vivit quidem, & ſimul mortua eſt: Vivit utique vita corporali & animali, cum comedat, bibat, ac illicitis voluptatibus indulgeat: ſed vidua quæ ſic vivit, mortua eſt ſpiritualiter, & quoad animam, quia peccata, quæ in illicitis deliciis perpetravit, animam ejus interfecerunt. Quod autem de hujuſmodi viduis ait Divus Paulus, hoc & de omnibus peccatoribus aſſerit Propheta, cum eos mortuos vocat: *mortuos ſæculi. Pſal.* 140. 3. Hi quidem vivunt vita naturali, & corporali, cum videant, audiant, loquantur, ratiocinentur, aliaſque operationes vitales exerceant: potius tamen mortui, quam viventes dicendi ſunt, quia quoad nobiliſſimam ſui partem, quoad animam ſcilicet, mortui ſunt. O Rex, o Judex, o mercator, o homo, qualiſcumque ſis, ſi mortale aliquod peccatum perpetraſti, *nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Apoc.* 3. 2. Loqueris, incedis, ratiocinaris, & ſæcularia negotia peragis: mortuus tamen es morte terribili, & horrenda: quia mortale peccatum tuam revera interfecit animam, quæ in corpore tuo, quaſi in ſepulchro, mortua habitat. Nam corpora peccatorum ſunt ſepulchra animarum, per peccatum mortuarum: *Corpora peccatorum quid ſunt, niſi ſepulchra mortuorum? Amb. lib. 6. in Luc.*

Nonnunquam viſa ſunt mortuorum corpora, quæ arte dæmonum movebantur, ambulabant, manibus palpabant, aliaque exterius vitæ munia obibant: & ideo, licet revera mortua eſſent, viventia tamen videbantur. Quid autem ſimile, inquit Auguſtinus, in homine peccatore videre eſt: *Quem quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt, & audit auribus, officiis cæteris membrorum ſatis utitur, viventem putant. Vivit, ſed corpus ejus: mortua eſt autem anima ejus; mortuum eſt quod melius eſt ejus. Vivit habitaculum, mortuus eſt habitator. Auguſt. ſerm.* 28. *de verb. Apoſt.*

O peccator, vivis ſimul & mortuus es, vivis in corpore, & mortuus es in corde; vivis in hominum opinione, & coram Deo mortuus es: vivis præclaris actionibus quas feciſti, & mortuus es peccatis, quæ perpetraſti; vivis quoad corpus, & mortuus es quoad animam; quæ mors præ morte corporis flenda & lugenda eſt: quia cum mortua ſit anima, *mortuum eſt quod melius eſt.*

Tanta hodie multorum eſt inſania, ut plus ob patris, uxoris, filii, vel amici, quam ob animæ ſuæ mortem plorent. Hoc quam indignum ſit, digniſſime exaggerat S. Cyprianus, dicens: *Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres: facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris oſtenderes: animam tuam perdidiſti, & non acriter plangis, & non jugiter ingemiſcis? S. Cypr. lib. de lapſis.* Plange, ingemiſce, o peccator: quia tua mortua eſt anima, cujus jactura inenarrabilibus lacrymis ac perpetuis gemitibus digniſſima eſt. Adverte, o peccator, quod criminibus tuis non alium occidiſti quam teipſum, quam animam tuam: *Quæris quem occidiſti! non extraneum, non inimicum, ſed teipſum. Quibus armis? quibus inſidiis? erroris tui, offenſæ Dei. Tertul. de Idol.* Quare tua deteſtare ſcelera, ingemiſce, amaras funde lacrymas, & ſaltem tantum lugeas ob tuæ mortem animæ, quantum alii ob filiorum, vel parentum mortem plorant: *Sic lugeamus animam extinctam, quomodo plangimus carnem mortuam. S. Auguſt.*

Si Athei, Gentiles & Epicurei ſeipſos, per peccatum mortuos, non plangant, non eſt quod miremur: cum hi talem animæ ſuæ mortem ignorent. Sed ſtupendum, horrendum & intolerabile eſt, quod tu, o Chriſtiane, qui noſti quam terribilis & formidanda ſit animæ tuæ mors, de ejus morte parum cures, ejuſque interitum non plores. Quare te totum in fletum convertere, implacabilibus inſiſte lacrymis, ac te ipſum per peccatum mortuum exhorreſce.

Tanta, ut refert S. Auguſtinus, olim Hetruſcorum prædonum fuit immanitas, ut ex viatoribus quos ſpoliabant, alios occiderent, & aliorum viva corpora mortuis corporibus colligarent: ita ut ſingula viventis corporis membra ſingulis cadaveris membris congruerent. *S. Aug. l. 5. contra Petil. cap.* 15. O quam immane illud ſupplicium! O quam durum, quam horrendum tibi eſſet, ſi vivus corpori mortuo alligari, & illud undequaque circumferre cogereris! Non ſolum tibi, verum & omnibus hoc horrendum eſſet ſpectantibus, qui omnes fugerent: *Si quis cadaver putridum circumferens per civitatem vagaretur, nonne omnes eum fugerent? Chryſ. homil.* 74. *in Matth.* Hoc ſane horrendum eſſet, inquit Sanctus Chryſoſtomus: ſed adverte, quod tu vivo corpori mortuam animam pluribus menſibus & annis longe turpius alligatam circumferas. *Hoc de te cogita, qui animam peccatis obrutam, atque mortuam circumducis. Ibid.* Hoc ſerio mente revolve, ac te ipſum per peccata mortuum exhorreſce. Ne in hoc ſtatu diutius moreris, ſed quantum fas erit tua deteſtare ſcelera. Et ſi per peccatum mortuus ſis, fac, ut per Dei gratiam a mortuis ſuſciteris.

Per peccatum mortuus erat filius ille prodigus, qui luxurioſe vivebat: ſed qui per peccatum mortuus erat, per Dei gratiam a mortuis ſuſcitatus eſt. *Mortuus erat, & revixit.* O Chriſtiane, quando in Deum blaſphemias protuliſti, *mortuus es:* quando virginem conſtupraſti, *mortuus es:* quando aliena, vi vel fraude abſtuliſti, *mortuus es:* quotieſcumque tandem in lethale quoddam peccatum incidiſti;

*mortuus es: Luc. 25. 45.* Quare ſi jam per peccatum mortuus ſis, pœnitentiam age, ut a mortuis ſuſciteris. Si patrem, fratrem, vel filium fato functum ſuſcitare poſſes, haud dubie illum ſuſcitares: quanto magis te ipſum, per peccatum mortuum ſuſcitare debes? Ne maneas ergo in morte, in quam per peccatum incurriſti: ſed a teipſo tolle peccatum mortale, quod mortem infert Chriſto & animæ; *ac etiam operibus noſtris.*

## TERTIA PARS.

*Peccatum mortale operibus noſtris mortem infert.*

AB iis totaliter diſſentio, qui omnia opera infidelium peccata eſſe dicunt. Si enim omnia & ſingula eorum opera peccata eſſent, peccarent cum orarent, cum Deum colerent, cum alicui ex ejus præceptis obtemperarent, & cum per bonum aliquod opus Deum placare, & ad converſionem ſe diſponere conarentur; quod quam abſurdum ſit, nemo non videt.

Pravæ etiam eorum ſententiæ non adhæreo qui docent, non neceſſarium eſſe, quod quis in ſtatu gratiæ ſit, ut opera viva, meritoria, & cælo digna faciat. Opera enim viva & meritoria eſſe nequeunt, ſi a gratia, quæ eſt principium vitæ & meriti, non procedant.

Medium inter utramque hanc ſententiam, vel potius inter utrumque hunc errorem teneo: ac dico, omnia opera hominum qui non ſunt in ſtatu gratiæ, ſeu qui ſunt in ſtatu peccati mortalis, eſſe mortua: quia peccatum mortale non ſolum animabus hominum, ſed etiam operibus eorum mortem infert. Unde quamdiu aliquis homo in ſtatu mortalis peccati remanet, ſimilis eſt infelicibus illis matribus, quæ non niſi mortuos filios pariunt: quia hic non niſi opera mortua producit, quæ apud Deum non vivunt, nec vitæ æternæ digna ſunt.

Tritum, & apud Theologos commune eſt, quod tria ſunt operum genera: quorum alia mortifera, alia mortificata, & alia mortua dicuntur. *Opera mortifera*, ſunt ipſa peccata mortalia, quæ animabus ſpiritualem, & ſæpe æternam mortem inferunt. *Opera mortificata*, ſunt opera meritoria quæ homo peccator fecerat, antequam in mortale peccatum caderet; quæ per adveniens mortale peccatum non quidem interempta ſunt, ſed ſolummodo mortificata: quia ſi peccato a morte peccati per pœnitentiam reſurgat, hæc etiam opera tunc reviviſcent. *Opera tandem mortua*, ſunt illa opera quæ ab homine per peccatum mortua ſiunt: Quamdiu enim quis eſt in ſtatu peccati mortalis, ſi jejunet, oret, pauperibus facultates eroget, & alia hujuſmodi bona opera faciat, hæc quidem non ſunt opera mortifera, ſeu peccata; ſed ſunt opera mortua, quæ vitæ æternæ non ſunt meritoria & digna. Quia, ut ait S. Bernardus, ſicut ſuam a ſole claritatem Luna ſumit: ita opera noſtra a gratia, ſeu a charitate vitam & meritum ſumunt: *Sicut enim claritas Lunæ nonniſi a Sole eſt; ſic abſque charitate meritum nullum eſt. S. Bernard. ſerm. 26. in Cant.* Quare cum qui talia opera producit, non ſit in ſtatu gratiæ & charitatis, ejus opera non ſunt viva, ſed mortua. Hos qui in ſtatu mortalis peccati multa opera bona faciunt, nonnullis ſimiles dicam venatoribus, qui, ut ait D. Auguſtinus, graviſſimis ſe laboribus & periculis exponunt, & hoc, ut feram capiant. *Quos, inquit, æſtus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, a foſſis, a præcipitiis, a fluminibus perferunt venatores? Quem laborem eſurientes & ſitientes? quantas viliſſimi & ſordidiſſimi potus anguſtias, ut beſtiam capiant? S. Auguſt. ſerm. 48. de temp.* Hujuſmodi eſſe videntur labores hominum, qui in ſtatu mortalis peccati bonis operibus vacant. Hi etenim non Paradiſum, ſed feram, & quaſi nihilum capiunt: quia opera eorum viva, & æternæ gloriæ meritoria non ſunt. Quid capit Prædicator poſt tot lucubrationes, poſt tot ſtudia & tædia, poſt tot labores & ſudores, poſt tot Adventus & Quadrageſimas, quas coram illuſtri Cœtu prædicaſſe gloriatur? Quid capit homo religioſus, poſtquam toties jejuniis & flagellis corpus ſuum cruciavit, poſtquam per tot horas contemplationi vacavit, & poſtquam divinis laudibus diu noctuque commendis operam dedit? Quid Presbyter ille qui infirmos viſitat, qui pauperes ſublevat, conſolatur mœſtos, & omnibus benefacit? Quid hæc adoleſcentula, quæ viduarum, pupillorum, & pauperum domos ſingulis diebus luſtrat, ut eorum neceſſitatibus ſubveniat? Certe, ſi hic Concionator, hic Religioſus, hic Presbyter, & hæc adoleſcentula in ſtatu lethalis peccati hæc faciant, non Paradiſum, ſed beſtiam, ſeu quaſi nihilum capiunt, quia cum hi in ſtatu charitatis & gratiæ non ſint, eorum opera non viva & meritoria, ſed mortua ſunt: *Abſque charitate meritum nullum eſt. Aggæi 1. 6.* Unde iis, & omnibus qui in ſtatu mortalis peccati bona opera fecerunt, dici poſſet: *Seminaſtis multum, intuliſtis parum.* Hi quidem ſeminarunt & laborarunt multum, cum jejuniis, mortificationibus, eleemoſynis, aliiſque piis operibus vacarunt; ſed intulerunt parum: quia eleemoſynæ, preces, aliaque opera, quamvis ex natura ſua bona ſint, mortua, inania, & nullius apud Deum ſunt meriti, ſi in ſtatu mortalis peccati fiant. Peccatum enim mortale eſt quaſi malignum fermentum, quod totam bonorum operum maſſam corrumpit: eſt quaſi fur, qui bonis operibus rationem meriti deprædatur, & quaſi crudelis carnifex, qui eis mortem infert.

Peccatum, inquit Doctor Seraphicus, eſt *corruptio boni: D. Bonav. in 2. diſt. 25. art. 1.* & ut ait Doctor Angelicus, peccatum eſt *corruptio actionis. D. Th. 1. 2. quæſt. 27.* Peccatum mortale eſt vere corruptio boni, & actionis: quia eſt quaſi vermis qui rodit, ignis qui devorat, putredo quæ corrumpit, & gladius qui omnes actiones ex ſe bonas interimit. Credis, hunc juvenem eſſe pium; quia modeſtia ejus nota eſt omnibus hominibus: quia plures ſingulis diebus Miſſas audit; & quia multis piis operibus palam incumbit? Hanc adoleſcentulam ſanctam eſſe putas; quia in Eccleſiis, in noſocomiis, & ubique bonis operibus aſſidua videtur? Sed ſi hic, & illa in ſtatu mortalis peccati vivant, mortui ſunt coram Deo, mortuaque ſunt eorum opera: quia peccatum mortale, quod in iis regnat, omnia bona eorum opera corrumpit, & interimit. *Peccatum eſt corruptio boni, eſt corruptio actionis.*

Certiſſimum eſt, ut cum Ariſtotile docent omnes alii Philoſophi, quod *operari ſequitur eſſe*, prius enim ali-

Digitized by Google

aliquid eſſe debet, quam operetur: nec quomodcumque operari poteſt, antequam ſit. Anne Sol, antequam creatus eſſet, terrarum orbem illuſtravit? Nequaquam. Anne ignis calefacit, antequam accendatus? Nequaquam. Eſtne aliquod aliud agens, quod antequam exiſtat, ſuum producat effectum? Nequaquam; quia quodlibet prius eſſe debet, quam operetur; *operari ſequitur eſſe*. Quicumque autem in ſtatu mortalis peccati vivit, non eſt quoad eſſe ſupernaturale, quia tale eſſe eſt a gratia, quam ille non habet; quare cum non ſit quoad eſſe ſupernaturale, non poteſt opera ſupernaturalia, & vitæ æternæ meritoria producere; ſed omnia opera, quæ in hoc ſtatu facit, ſunt opera mortua, & inania; quæ ſupernaturali gratiæ vita carent; quia mortale peccatum eis vitam aufert, & mortem infert.

Quamdiu peccator in hoc mundo vivit, eſt vere quoad eſſe naturale; ſed quamdiu in ſtatu mortalis peccati moratur, eſt verum nihilum quoad eſſe ſupernaturale gratiæ; *tamquam nihilum ante te. Pſal. 38. 6.* Quare cum tunc peccator non ſit quoad eſſe ſupernaturale quod a gratia eſt, opera viva & meritoria, quæ nonniſi a gratia manant, elicere non poteſt; ſed omnia opera quæ in hoc ſtatu producit, ſunt opera mortua. Quod familiari ſimilitudine docet nos Chriſtus, dum ſe viti aſſimilat. *Sicut*, inquit, *palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos niſi in me manſeritis. Joann. 15. 4.* Chriſtus eſt vitis quædam myſtica; Juſti vero ſunt quaſi palmites, ei per gratiam uniti, & colligati, & ideo cum illi ſint uniti, ab eo vitam gratiæ percipiunt, ac opera viva, & meritoria facere queunt. Sed peccatores, cum ſint palmites per peccatum ab hac vite ſeparati, nec per gratiam ſupernaturaliter vivunt, nec opera viva & vitæ æternæ meritoria facere poſſunt.

Scio opera illa bona, quæ quis in ſtatu mortalis peccati facit, ſuo modo eſſe utilia quia pravos deſtruunt habitus, quibus homo ad peccatum trahi ſolet; quia etiam, ut ait Doctor Angelicus, temporalem aliquam a Deo mercede impetrant; ac tandem, quia licet ad gratiam obtinendam vere non diſponant; Deus tamen videns, peccatores bonis operibus incumbere, actuales ei multas & magnas impertit gratias, quarum auxilio a peccatis reſurgunt, & convertuntur. *D. Thom. 3. part. quæſt. 89. artic. 2.* Et ideo quilibet homo, quantumvis magnus ſit peccator, orare, eleemoſynas facere, jejunare, ac piis quibuſque operibus ſedulo incumbere debet. Sed ſemper advertat, & ſerio perpendat peccator, quod hæc omnia opera (licet aliunde utilia) non ſunt vitæ æternæ meritoria. Quia ſicut corpus mortuum non audit, non loquitur, nec aliquam operationem vitalem elicit: ita & anima, per peccatum mortua, nullum opus vivum, ſeu æternæ vitæ meritorium producit.

O homo peccator, ſi in ſtatu gratiæ eſſes, ſingulis momentis apud Deum mereri, ac quolibet jejunio, qualibet eleemoſyna, & quolibet vel minimo bono opere, novos gloriæ gradus comparare poſſes; ſed quia per peccatum mortuus es, nullum ex tuis operibus vivum, & meritorium eſt. Quare exurge a mortuis, ſurge a peccato, & ut ait ſanctus Eucherius, da mortem peccato, quod Chriſto, animæ tuæ, & bonis tuis operibus mortem infert. Da mortem peccato, illudque pœnitentiæ gladio interfice: *Veterem hominem cum actibus ſuis gladio pœnitentiæ caedemus. S. Euch.*

Chriſti, animæ, & operum tuorum infenſiſſimus hoſtis eſt mortale peccatum: quare eſto & tu illius hoſtis, illi inſidias para, & pœnitentiæ gladio illud interfice. Non imiteris eos, qui per pœnitentiam peccata a ſe ipſis ad tempus ſolummodo expellunt: ſed ea gladio pœnitentiæ ita occide, ut nunquam impoſterum in te vivant. Non amplius in te vivat ſpiritus luxuriæ, ſpiritus avaritiæ, ſpiritus gulæ, vel cujuslibet alterius peccati. Hoc ſi facias, æternum in cælo cum Deo & Sanctis omnibus regnabis. *Amen.*

## DE DEI BONITATE ERGA PECCATORES.

### CONCIO V.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Iſaiæ 27. 9.

Miſericordia Dei eſt fauſtum ſidus, quod e ſummo cælo omnia ſublunaria illuminat. Et ſicut ſol iſte materialis auratos in hæc inferiora jaculatur radios, quibus malos ſimul cum bonis irradiat: ita & Deus ſolem bonitatis & miſericordiæ ſuæ oriri facit ſuper bonos & malos ac utroſque colluſtrat, & benignis influxibus fovet. Immo & videtur, Deum, apud quem non eſt acceptio perſonarum, & qui erga omnes bonum ſe & miſericordem exhibet, majora reprobis quam probis, malis quam bonis, & peccatoribus quam juſtis, bonitatis ſuæ dare teſtimonia: *Bonus ad omnes Deus, in peccatores præcipue ſuam oſtendit longanimitatem. Chryſoſt. hom. 7. de pœnit.*

Non meæ nunc mentis eſt, inquirere, quæ & quanta Deus pro nobis & electis fecerit: ſed ut peccatores ad deſtruenda in ſe peccata allicere valeam, magnam Dei erga illos bonitatem, & miſericordiam proponam. Adverto, quod cum prodigus ille filius, qui totam ſuam ſubſtantiam diſſipavit, recordabatur, ſe peccaſſe in patrem, a quo & eſſe, & alia multa bona perceperat, ad illum adeundum intus excitabatur, ac dicebat: *Ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum & coram te. Luc. 15. 13.* Quare ut peccatores ad deſtruenda peccata, & ad properandum verſus Deum adducam, magnam ejus in illos bonitatem & miſericordiam explanabo. Hoc eſt primum motivum, quo peccatores ad deſtruenda in ſe peccata allicere conabor, &c. *Ave.*

Cum Paſtor ovem, quem diligebat, perdidit, expectat ut veniat: ſi venire tardet, eam ſollicite quærit: ſi veniat, illam benigne recipit. Peccatores autem ſunt oves ſtolidæ, quæ a Deo aberrant, & Deus erga peccatores miſeros & indignos, Paſtoris boni fungitur munere: *Ego ſum Paſtor bonus. Joann. 10. 1.*

Deus quidem eſt Paſtor bonus, qui peccatorem ex-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA

pectat, quærit, & recipit; cum enim peccator criminibus ſuis ab eo diſceſſit, expectat Deus, ut per pœnitentiam ad ipſum veniat; ſi venire renuat, tum Deus mediantibus gratiæ ſuæ auxiliis ſollicite quærit: ſi vocatus & quæſitus revertatur, cum Deus magno cum affectu recipit. Quare ut immenſam Dei in peccatores bonitatem & miſericordiam delineem, dicam ſolummodo, quod Deus illos expectet, quærat, & recipiat. Peccatores Deus 1. Expectat, magna cum patientia: 2. Quærit, ingenti cum ſollicitudine: 3. Recipit, ſummo cum affectu: *Patientia Dei*, peccatores expectantis: *Sollicitudo Dei*, peccatores quærentis: *Affectus Dei*, peccatores recipientis. En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Patientia Dei, peccatores expectantis.*

DEi dominio ſubſunt peccatores; qui quidem criminibus ſuis a Deo elongari poſſunt, ſed ab ejus juriſdictione ſubtrahi non poſſunt. Licet enim Deus præcepta ſua ab iis violari ſinat; iis tamen permittere nequit, ut ejus ſe poteſtati & juriſdictioni ſubducant. Faciant impii quod voluerint, ſub potente Dei manu ſemper remanent, ejus ſemper dominio ſubſunt; ac ſemper ſortis eorum ille eſt arbiter; vitæ & mortis illorum ille ſemper eſt Dominus; & penes illum eſt vitam illis prorogare, vel auferre. Immo, ſi vellet, ad tartara eos præcipitare poſſet, mox ut mortale aliquod perpetrarunt.

Hoc quidem poſſet Deus, & ſi hoc ageret, de illo nullo modo conqueri poſſent peccatores. Sed tanta ejus erga illos eſt bonitas, ut licet eum graviter offenderint, non tamen eos ſtatim ſempiternis addicat ſuppliciis; quin contra, magna cum benignitate eos conſervet, nutriat, gratiæ ſuæ auxiliis foveat, ac magna cum patientia expectet, ut ad ipſum revertantur: *Suſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum.* Rom. 9. 21. Peccatores ſunt vaſa hæc, iræ Dei digna, apta ad interitum, & tartareis flammis idonea: tanta tamen Dei bonitas & patientia, ut in hæc iræ ſuæ vaſa, ſeu in peccatores non iraſcatur, nec eos protinus ad tartara mittat: ſed eos ſuſtineat, ac peccata eorum quaſi diſſimulet, expectans ut per pœnitentiam ad ipſum veniat: *Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Sap. 1. 24.

Hanc Dei, peccatores ad pœnitentiam expectantis, patientiam & bonitatem adnotavit Habacuc, dicens, eum quaſi mutum & cæcum factum eſſe; *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare reſpicis ad iniqua agentes, & taces.* Hab. 1. 13. O Domine, inquit Propheta, tu noſti corda & opera hominum; nil te latet, nec te latere poteſt: & tamen videris non habere oculos, ut aſpicias, & intuearis ſcelera, quæ ſingulis momentis adverſum te perpetrantur. Quot blaſphemi, quot ſacrilegi, quot adulteri, quot omnis generis peccatores maledica, legesque tuas violant? Et tu, quaſi mutus eſſes, nec unicum verbum profers, ut proterviam illorum coerceas: *Reſpicis ad iniqua agentes, & taces.* O Domine, ut quid tam benignus erga peccatores te geris? Loquere, Domine, argue, objurga, increpa hos inſenſatos: exurge, Domine, extende manum tuam, & diſſipa inimiciſſimos illos gloriæ tuæ hoſtes, percute, opprime, occide, annihila illos læſæ majeſtatis divinæ reos: mitte illos ad tartarum cruciandos. Hoc ſane facere poſſet Deus, & hoc tandem aliquando faciet, ſi non convertantur. At tanta ejus in peccatores bonitas & patientia, ut non ſtatim adverſus eos ſæviat, nec illos continuo puniat; ſed ad tempus peccata eorum diſſimulet, & quaſi non videat; expectans ut ad ipſum per pœnitentiam revertantur: *Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Poſſet quidem illos ſtatim plectere, inquit Guerricus Abbas; ſed omnia ſcelera eorum diſſimulat, ut eos ad pœnitentiam expectet. *Etſi poteſtas & terror apud ipſum eſt, totum tamen interim diſſimulat, donec pœnitenti parcat.* Guer. *ſerm. 1. de Nativ.*

Patriarchæ Noemi temporibus, omnis caro corruperat viam ſuam; & ideo Deus, quaſi eum pœniteret feciſſe hominem, univerſum genus humanum generali diluvio ſubmergere ſtatuit: ſed viginti ſupra centum annis priuſquam fieret hoc diluvium, Noemum miſit, ut peccatoribus pœnitentiam prædicaret: ut eos de futuro cataclyſmo præmoneret, ac ut iis annunciaret, quod ſi converterentur, iram ſuam ipſe comprimeret, & ultricem manum ſuam non experirentur. Cur voluit Deus, Noemum toto hoc tempore prædicare, clamare, monere, minari, & exhortari homines, ut fugerent *a facie a*... Cur has Deus peccatoribus dat inducias? Cur tot homines, horrendis deditos peccatis, videns, non ſtatim terræ præcipit ut ſuum aperiat ſinum & eos deglutiat? Cur tigribus, leonibus, lupis, & aliis feris animantibus non ſtatim præcipit, ut eos rapiant, & devorent? Cur ignem, aerem & omnes creaturas non armat adverſum rebelles, & protervos illos homines, ut illos deſtruat? Quod ſi eos aquis ſuffocari decrevit; cur non ſubito aquas mittit ſuper univerſam terram? Cur centum & viginti annis expectat, antequam cæli cataractas aperiat? Hoc fecit Deus, inquit S. Baſilius, ut peccatores expectaret ad pœnitentiam: & *ut peccatores ad pœnitentiam traherentur.* S. Baſil. orat. 5. O mirabilem Dei erga illos peccatores patientiam! Miranda quidem: ſed eadem etiam patientia, & bonitate Deus erga alios omnes peccatores plerumque utitur. Non enim illos ſtatim atque peccaverunt, plectere ſolet: ſed eos aliquanto tempore expectat, ut ad pœnitentiam agendam illos inducat: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire: ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* 2. Pet. 3. 9. Cum quivis homines in gravia inciderint peccata, poſſet ſtatim iis Deus dicere: *diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum:* Matth. 25. 41. in tartaream fornacem cruciandos mox illos mittere poſſet: ſed præ nimia ſua bonitate aliquamdiu eos ad pœnitentiam expectat. Miramini hinc Dei erga peccatores bonitatem, & patientiam.

Præclare adnotavit Chryſoſtomus, Deum ad mundum univerſum conſtruendum ſex ſolummodo dies impendiſſe, & ad unicam civitatem Jericho deſtruendam ſeptem dies conſumpſiſſe. *Mundum univerſum ſex in diebus conſtruit, & unam urbem ſeptem in diebus ſolvit.* Chryſ. hom. 5. de pœn. Plus temporis inſumi

ſo-

Digitized by Google

ſolet in conſtruendo, quam in deſtruendo: cur ergo Deus, qui cælum, terram, maria, ac omnem hunc viſibilem mundum, & qui in eo eſt, ornatum, ſex diebus faceret, unicæ civitati deſtruendæ ſeptem dies impendit? Hoc fecit Deus, ut hujus civitatis incolis pœnitendi tempus daret. Hanc enim civitatem una die, hora una, aut etiam uno momento diruere poterat; ſed ejus everſioni & ruinæ ſeptem impendit dies; quia expectabat, ut Jericuntini cives, ad ſe reverſi, pœnitentiam agerent, & dato tempore ad converſionem ſuam uterentur. Quod autem reſpectu illorum fecit, hoc & facere ſolet Deus reſpectu aliorum peccatorum. Dicimus enim nonnumquam intra nos: quare hic & ille impius proſperatur in ſæculo? Cur permittit Deus, hunc uſurarium, hunc libidinoſum hominem, & iniquum hunc Judicem in hoc mundo adhuc vivere? Cur in impios, mox ut peccaverunt, ſua non vibrat fulmina? Vis ſcire, cur? *expectat Deus, ut miſereatur veſtri.* Hæc omnia fiunt ex Dei bonitate & patientia, quæ tanta eſt, ut peccatores ad penitentiam expectet.

Jonas in mare præcipitatus, & ab immani ceto devoratus, triduum in vivo hoc carcere latitavit, donec cetus Prophetam in littus ejecit, ut Ninivitis concionaretur, & in urbis Ninives everſionem poſt quadraginta dies futuram prænuntiaret: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur. Jonæ 3.4.* Cur non ſtatim Deus civitatem Ninivem ſubvertit? Cur hujus urbis ſubverſionem & excidium longe antea prædici vult? Hoc ita fieri vult Deus, ut Ninivitis det pœnitendi tempus; *Miſit ad eos Prophetam; ut dicente illo: Adhuc quadraginta dies; qui condemnati fuerant, non perirent; ſed agentes pœnitentiam, impetrarent miſericordiam Dei. Orig. hom. 1. in Ier.* O non ſatis mirandam Dei erga Ninivitas clementiam, & patientiam! Cui non eſt diſſimilis portentoſa Dei bonitas erga alios peccatores, quos Deus æternis non addicit ſuppliciis mox ut peccaverunt; ſed illos antea monet, movet, & terret, ut illos ad pœnitentiam alliciat: *Clementiæ Dei peculiare hoc eſt: non clam, aut ſilenter ingerit ſupplicia: ſed per comminationes ea prædicit adfore: per hoc peccatores invitans ad pœnitentiam. Ibid.* O quantam Dei patientiam!

Hanc Dei patientiam tantam eſſe dicit Tertullianus, ut aliquo modo perfectionibus ejus videatur contumelioſa: quia ex hac Dei patientia occaſionem ſumunt multi peccatores in Deum gravius peccandi, ſcelera ſua multiplicandi, & in iis perſeverandi: Suſtinet Deus *ingratiſſimas nationes .... luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem perſequentes, ut ſua ſibi patientia detrahat: Tertull. hom. de patient. c. 2.* Si Deus impios, mox ut peccaverunt, graviter plecteret, majori cum ſollicitudine impoſterum a peccatis caverent. Si cum hic blaſphemus in horrendas coram omnibus blaſphemias prorumpit, eum ſtatim Deus ſatanæ cruciandum traderet, adſtantes terrerentur, & a blaſphemiis accurate abſtinerent: ſi prima vice, qua in fornicationem, adulterium, ſacrilegium, vel aliud quodcumque grave crimen homines incidunt, eos ſubito Deus interimeret, alii ſollicitiores eſſent in præcavendis & vitandis criminibus: & patientia ſua Deus ſibi injuriam quodammodo facere videtur: *Sua ſibi patientia detrahit.* Mavult tamen Deus, injuriam ſibi a peccatoribus fieri, quam ſuam in eos non oſtentare patientiam: quare ſumma patientia illos ad pœnitentiam expectat: *Expectat Deus ut miſereatur veſtri.*

Miramini portentoſam hanc Dei in peccatores patientiam: quæ quidem nos ad pœnitendum, & ad deſtruenda in nobis quæcumque peccata allicere debet. Heu! ſi prima vice, qua in Deum mortaliter peccavimus, protinus mortui eſſemus; quid de nobis actum eſſet? Nonne mox in infernum præcipitati fuiſſemus? Nonne terribilibus tartari ſuppliciis fuiſſemus adjudicati? Certe ex tunc in formidandam inferni fornacem miſſi fuiſſemus. Quare cum tanta Dei in nos extiterit bonitas, ut poſt tot adverſus illum perpetrata ſcelera, nos adhuc ad pœnitentiam expectet, laudemus eum, benedicamus eum, pro tanto beneficio immortales ei gratias referamus, ac ſerio & prompte pœnitentiam agamus: *Quia patiens Dominus eſt, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam fuſis lacrymis poſtulemus. Judith 2. 14.*

Non imitemur ſceleratiſſimos, & induratos illos peccatores, qui ex immenſitate clementiæ & patientiæ Dei, peccandi licentiam ſumunt. Non dicamus cum impiis: Deus bonus eſt; ergo licet adhuc in peccatis perſeverem, mihi indulgebit. Non dicamus: Deus ad pœnitentiam expectavit; ergo & aliquibus adhuc annis me ſimiliter expectabit. Non ſic ratiocinandum; ſed dicendum: quia Deus ita bonus fuit, ut uſque nunc me ad pœnitentiam expectaverit, ejus amplius non abutar patientia, ſed abſque ulla mora me pœnitentiæ operibus accingam. *Quia patiens Dominus eſt, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam fuſis lacrymis poſtulemus.* At peccatores ſua deſtruere debent ſcelera, non ſolum quia Deus ita bonus eſt, ut eos expectet cum patientia, ſed etiam *quia ita bonus eſt, ut eos ſollicite quærat.*

## SECUNDA PARS.

*Sollicitudo Dei, peccatores quærentis.*

DEus, qui ab æterno peccatores ita dilexit, ut ex mera ſua bonitate eos, per Adami peccatum ſervos, redimere decreverit, eadem bonitate ductus, in tempore incarnari voluit, ut eos quæreret & ſalvaret: *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat. Luc. 19. 10.* Quam Dei peccatores quærentis bonitatem admiratus Auguſtinus, ait: *Venit pius Deus, venit pro pietate, & bonitate ſua, venit quærere & ſalvum facere quod perierat: quæſivit, & invenit, & humeris ſuis reportavit ad caulas gregis. S. Auguſt. in medit.*

Peccatorem quæſivit Deus homo factus, totoque vitæ ſuæ tempore erroneam hanc ovem quæritavit. Et quod tunc viſibiliter per ſeipſum operatus eſt, nunc inviſibiliter agit; nec ceſſat jam per gratias ſuas peccatorem miſerum & indignum quærere. Quotidie ſtat ad oſtium cordis ejus: ibi pulſat: ibi clamat: ut eum perditum quærat: & errantem revocet: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. Apoc. 3. 20.*

Deus qui eſt ſummum bonum, quo nil majus excogitari poteſt, ab omni curia cœleſti honoratur: cum

 lau-

laudant Angeli, adorant Dominationes, & omnes creaturæ glorificant, excepto homine peccatore, qui in eum impudenter inſurgit, & qui majeſtatem ejus inique offendit. Tanta tamen Dei eſt erga peccatores bonitas, ut eos licet indignos, licet miſeros, licet læſæ majeſtatis divinæ reos, per gratias ſuas quærat, & ad ſui amicitiam revocare contendat. O magnam Dei, peccatores quærentis & revocantis, bonitatem! *Quis non ſtupeat caritatem Dei ſpreti, & revocantis? S. Bernard. Serm. 3. in Cant.*

Quærit a Deo Propheta, quid ſit homo, *Quid eſt homo, quod memor es ejus? Pſal.* 8. 5. Ecquis eſt ille homo, quem Deus ita amat, ut illum ſollicite quærat: *quid eſt homo?* Certe ſi recte ſentiamus, homo eſt immunditiæ ſentina, ſcopus infortuniorum, miſeriarum chaos, pelagus inconſtantiæ, *imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludus, mutationis imago, invidiæ & calamitatis trutina. Ariſtot.* Homo eſt ingratus Dei filius in carne infirmus, inordinatus in ſpiritu, in affectibus beſtialis, ad pia monita ſurdus, promptus ad peccata, ad virtutes tardus, & tandem mortis tributarius. Vis adhuc perfectius noſſe, quid ſit homo? audi Sanctum Gregorium Nyſſenum, dicentem: *Homo ſecundum Abrahamum terra & cinis; ſecundum Iſaiam fœnum; ſecundum Davidem ne fœnum quidem, ſed fœno ſimilis eſt; ſecundum Eccleſiaſten vanitas. Nyſſen. trat.* 2. O magnam hominis miſeriam! Et tamen hominem hunc miſerum, infirmum, rebellem, peccatorem, & majeſtatis divinæ contemptorem, Deus reſpicere, & quærere dignatur; *Et dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos? Job* 14. 3. Deus, cujus magnitudinis non eſt finis, quærit hominem parvum & miſerum: Deus cæleſtium, terreſtrium, & infernorum Dominus, cujus dominio omnia ſubſunt, hominem quærit egenum & pauperem; Deus omnipotens, qui attingit a fine uſque ad finem fortiter, hominem debilem & infirmum quærit; Deus, omnis beatitudinis centrum & origo, hominem quærit infelicem & infortunatum; Deus ſanctus hominem peccatorem, rebellem & indignum quærit, cum ille majeſtatem ejus ſpernit, & multiplicatis ſceleribus offendit. O ſtupendam, & incomprehenſibilem Dei, peccatores quærentis, bonitatem! *Quis non ſtupeat charitatem Dei ſpreti, & revocantis?*

Vos haud dubie non latet prodigium portentoſæ illius petræ, quæ Iſraelitas in deſerto comitabatur, & ex qua fluebant fontes uberrimi, ad potandum hunc Dei populum ſufficientes: *Bibebant autem*, inquit D. Paulus, *de ſpiritali conſequente eos petra. 1. Cor.* 10. 4. Seu, ut explicat Hugo Cardinalis, *bibebant de myſtica ſequente eos petra.* Hæc petra, ut ait S. Hieronymus, *volvebatur in medio caſtrorum, nullo hominum impellente, emittens largiſſimos rivulos ad ſatietatem populi & jumentorum. Hieron. in c.* 20. *Num.* 3. Quam mirabile erat videre petram volubilem, rivos aquarum continue emittentem, & Iſraelitas quocumque pergerent ſequentem! Sed quid hæc ſignificabat petra? *Petra autem erat Chriſtus:* ut ſubdit D. Paulus. Hæc petra ſignificabat Chriſtum, qui peccatorem ſequitur, ut illum convertat, hæc petra eſt Dei miſericordia, quæ undequaque effundit uberes gratiæ fontes: & quæ ingratos peccatores quærit, & ſequitur, ut illos ad pœnitendum alliciat, *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Pſ.* 22. 6. Suis ſe criminibus a Deo ſeparat peccator; derelinquit Deum factorem ſuum, ut inanibus adhæreat creaturis, eſt profugus ſuper terram, ſicut alter Cain: tanta tamen Dei erga peccatores bonitas, ut eos quantumvis inimicos, induratos, & obſtinatos, per gratiam ſuam quærat, & ad pœnitentiam vocet. Miſericordia ejus illos ſemper & ubique ſequitur & quærit; *Miſericordia tua ſubſequetur me.* O mirabilem, inquit Bernardus, Dei peccatores quærentis bonitatem! *Mira Dei quærentis dignatio!*

Poſtquam peccavit Adamus, abſcondere ſe, & fugere conatus eſt: *Abſcondit ſe Adam & uxor ejus a facie Domini. Gen.* 3. 8. Cum autem fugit Adamus, non illum dereliquit Deus; ſed illum ſollicite quæſivit, & vocavit: *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es?* Hanc Dei erga Adamum bonitatem ponderat, & miratur S. Chryſoſtomus, dicens, quod hæc verba; *Ubi es?* quæ Deus Adamum quærens, protulit, miſericordiæ ejus magnitudinem plurimum manifeſtant; *Ipſum dicere; Ubi es? plurimam habet miſericordiæ vim.* Hæc verba; *ubi es?* non ſunt verba Dei ignorantis ubi eſſet Adamus: ſed ſunt verba Dei miſerentis, quærentis & vocantis Adamum ad pœnitentiam, *Eum vocat, & requirit, dicens, Adam, ubi es? per hoc quod vocat, ſignum dat, quod ad pœnitentiam revocat. S. Gregor. lib.* 2. *Mor. c.* 4. O magnam Dei bonitatem erga protoparentem noſtrum! Sed o magnam etiam ejus bonitatem erga omnes peccatores! Sicut enim Adamum lapſum quæſivit, ita & omnes prorſus peccatores quærit, & ad pœnitentiam vocat. Omnibus clamat, omneſque per gratiam ſuam ad converſionem ſollicitat: omnibus *profert verba ſua, dicens: Convertimini. Prov.* 1. O mirandam Dei, peccatores quærentis, bonitatem! quam ab omnibus perpendi, & ſerio ponderari optat Sanctus Gregorius: *Ponderate, fratres, pondus tantæ pietatis. Ecce vocat, & quos inquinatos denuntiat, amplecti quærit. S. Gregor. hom.* 13. *in Evang.*

Hanc Dei in vos perpendite miſericordiam: hanc non ſegniter conſiderate; ac Deum, quærentem vos, ſedulo quærite. Ne fugiatis a facie Domini; oblatam vobis ejus gratiam ne reſpuatis: ſed Deum, quærentem vos, & ipſi quærite. Quærit ille vos per gratiam: quærite vos, & ad Deum revertimini per integram cordis, vitæ & morum converſionem: *Quæramus, & revertamur ad Dominum. Thren.* 3. 14.

Non fugit Deus; ſed quærentibus ſeſe ultro offert, modo ex toto corde quæratur, *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris. Deut.* 4. 29. Si ex una cordis parte, mundi divitias, carnis illecebras & terrenas voluptates quæras, Deum tuum non invenies, quia totum cor petit, & toto corde quæri vult, ut inveniatur: *Invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris.*

Audite Dominum clamantem: *Convertimini ad me in toto corde veſtro. Joel.* 2. 12. Non vult Deus dimidiatam, ſed integram eſſe converſionem veſtram; non vult, ut ad eum veniatis ex una ſolum cordis parte, ſed ex toto corde. Sincere ergo, ſollicite, & ex toto corde quærite Deum; cujus tanta in vos

bo-

Digitized by Google

bonitas, ut vos ſollicite quærat. Sed tanta etiam Dei in peccatores bonitas, *ut eos, ad illam venientes, benigne & ſummo cum affectu recipiat.*

## TERTIA PARS.

### *Affectus Dei peccatores recipientis.*

Filius ille prodigus (de quo Sanctus Lucas Evangeliſta) non primogenitus, ſed ſecundo natus erat; qui, licet bene ſibi eſſet apud patrem, portionem tamen ſubſtantiæ, quæ illi contingebat, petiit: eaque a pio parente obtenta & percepta, peregre profectus eſt in regionem longinquam, ubi facultates ſuas diſſipavit: *diſſipavit ſubſtantiam ſuam. Luc.* 15. Sed tandem infelix ille filius, in ſe reverſus ad patrem redire ſtatuit: a quo tanto cum affectu acceptus eſt, ut eum oſculatus ſit, ei ſtolam primam dederit, ac de ejus reditu magnum exterius gaudium teſtatus ſit, omneſque domeſticos teſtari voluerit.

Pius ille Pater, inquit Tertullianus, eſt ipſe Deus: *Quis nobis ille intelligendus eſt Pater? Deus, ſcilicet: tam Pater nemo, tam pius nemo. Tert. l. de pœnit. c.* 8. Illius autem patris filius rebellis & prodigus eſt homo peccator, qui abiit in regionem longinquam, cum per lethale peccatum ab eo diſcedit: ibique ſuas diſſipat facultates, quia per unicum mortale peccatum, in quod labitur, omnia gratiæ ſanctificantis dona in anima ejus deſtruuntur. Si tamen per pœnitentiam ad Deum revertatur, ſummo cum affectu ab eo recipitur: quia Deus: 1. De ejus reditu gaudet, ac totum cælum gaudere vult: 2. Dat ei Deus oſculum pacis, ac pacem & omnium peccatorum veniam ei concedit: 3. Gratiæ ſuæ ſtolam, multaque alia ei ſpiritualia bona confert.

1. Cum filius prodigus ad patrem rediit, de ejus reditu gaviſus eſt pater, & de eo omnes domeſticos gaudere voluit: Tunc enim ex ejus ordinatione factæ ſunt epulæ, & audita eſt ſymphonia: *Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt. Luc.* 15. Ecce primum teſtimonium ſingularis hujus affectus, quo pius pater redeuntem filium prodigum recepit. Sed hoc eſt etiam teſtimonium maximi affectus, quo Deus peccatores, ad illum revertentes, recipit: in cujuslibet enim peccatoris converſione gaudet ipſe, ac totum cælum gaudere vult.

Gaudet quidem Deus in peccatoris converſione: *Ipſe ſalvabit: gaudebit ſuper te in lætitia, Soph.* 3. 17. inquit Propheta. Tantamque Dei in converſione peccatoris eſſe lætitiam ait Origenes, ut quotieſcunque quis convertitur, diem feſtum Deus agere videatur: *Per ſingulos, qui convertuntur ad Dominum feſtivitas oritur Domino. Orig. hom.* 22. *in Num.* Cum ſuperbus fit humilis, cum impudicus caſtitatem ſectatur, ac cum impius quiſque iniquas ſuas relinquit vias, ut ad Deum convertatur, hæ illi ita placent converſiones, ac de iis ita gaudet, ut quælibet peccatoris converſio ſit ei quaſi nova feſtivitas: *Iſtæ omnes quorumcumque converſiones, feſtivitates generant Deo. Ibid.*

At de peccatoris converſione non ſolum gaudet Deus, verum & Angelos, ac totam cæleſtem curiam gaudere vult: *Gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Luc.* 15. Cum dolet peccator, gaudet cælum, cum peccator lacrymatur, cælum exhilaratur: cum pœnitentiam in terra agit peccator, gaudium magnum eſt in cælo. Immo pro unico peccatore, qui affligit animam contritione, qui mortificationibus corpus cruciat, qui abrenuntiat peccatis, & qui debite ad Deum ſe convertit, tantum eſt gaudium in cælo, quantum pro nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia, ut Deo reconcilientur. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia. Ibid.* Magno ergo affectu peccatorem redeuntem Deus recipit, cum & ipſe in ejus reditu gaudeat, & totum cælum gaudere velit. Sed magno etiam affectu eum recipit. *Qui ei redeunti dat oſculum pacis, ac ei peccatorum veniam concedit.*

2. Cum filius prodigus ad patrem rediit, a longe vidit illum pater, qui miſericordia motus eſt; & accurrens: *cecidit ſupra collum ejus, & oſculatus eſt eum.* Non iratus eſt pater in filium redeuntem, non illi improperavit, conviciis illum non affecit; fœdas ei non exprobravit libidines: ſed miſericordia motus, dedit ei pacis oſculum; ac eum de venia, & indulgentia certum fecit: *Rediens oſculum charitatis a patre recipit, dum certificatur de venia, & indulgentia. Vide Beda.*

Ecce aliud teſtimonium affectus paterni erga prodigum revertentem: & ecce etiam aliud ſignum affectus, quo Deus peccatorem redeuntem recipit. Oſculatur enim eum, eique dat oſculum pacis: quia veniam, & omnium peccatorum, quantumvis gravium, indulgentiam ei concedit. Quod ita certum eſt, ut aſſerat Deus, quod ſi peccator ad ipſum redeat, ipſe ei parcet, ei indulgebit, & quaſi multiplex erit ad ei ignoſcendum: *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus; & ad Deum noſtrum: quoniam multus eſt ad ignoſcendum: Iſ. c.* 57. Quomodo Deus multus eſt ad ignoſcendum peccatori? *Multus eſt*, ut exponit Hugo Cardinalis: *quia peccata multa, magna & multoties dimittit.* Ne timeas ad Deus per pœnitentiam accedere, quantumvis multa, & magna ſint peccata tua: quia Deus erga peccatores, ad illum revertentes, ita benignus & miſericors eſt, ut graviſſima quæque peccata, quantumvis multa & iterata ſint, libere eis condonet, & parcat. Deus ergo peccatorem, per pœnitentiam ad illum revertentem, magno affectu recipit, eique dat oſculum pacis: cum illi omnium peccatorum veniam concedat. Sed eum magno etiam affectu recipit: *quia ei ſtolam gratiæ, & multa alia ſpiritualia bona libere largitur.*

3. Filium prodigum non ſolum oſculatus eſt pater, verum & munera ei obtulit: ſervis enim ſuis dixit benignus ille pater: *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus. Luc.* 15. Ecce tertium teſtimonium pereximii affectus, quo prodigus a patre recipitur. Ei quippe pius ille pater dat ſtolam primam; ſeu, ex ſtolis & veſtibus, quas in domo habebat, dat illi præcipuam: & ſimul cum hac ſtola, ei alia beneficia impendit.

Similí affectu Deus peccatorem, a ſervitute peccati reſipiſcentem, recipit: ei enim ſtatim pretioſam gra-

tiæ ſanctificantis veſtem confert. Et non ſolum eum hac ſtola exornat: ſed ei etiam ſimul cum gratia ſanctificante, alia dona largitur: nempe fidei, ſpei & caritatis habitus: *In ipſa juſtificatione, cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, fidem, ſpem, caritatem, &c. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7.* Hæc ſunt verba Concilii Tridentini. Quibus adjungere non pigebit ea, quæ habentur in Concilio Moguntino ultimo cap. 7. Ubi dicitur, quod peccatori, per pœnitentiam ad Deum revertenti, Deus *cum peccatorum remiſſione, etiam ſanctificationem, & interni hominis renovationem confert.*

De Auguſto narrat Seneca, quod cum ad illum quidam Senator veniſſet, veniam petiturus de nonnullis verbis adverſus eum indebite prolatis, benigne eum recepit Imperator: & non ſolum ei pepercit, verum & largis eum muneribus affecit. *Sen. lib. 3. de benef. cap.* 27. Hanc Auguſti benignitatem miratur Philoſophus moralis: ſed eſt, quod magis Dei, totius mundi Imperatoris, erga peccatores bonitatem admiremur. Sive enim adverſus eum verba blaſphema, impia & ſacrilega protulerint, ſive aliis quibuſvis ſceleribus majeſtatem ejus offenderint, ſi ad illum in ſpiritu pœnitentiæ veniant, non ſolum iis indulget, ſed etiam gratiam ſanctificantem, fidem, ſpem, jus ad gloriam, & alia ſpiritualia dona illis confert. O magnam Dei in peccatores bonitatem!

In peccatores bonus eſt Deus: quia eos expectat, quærit, & recipit: *eos expectat* magna cum patientia: *eos quærit*, ingenti cum ſollicitudine: *eos recipit*, ſummo cum affectu. Quare cum tanta ſit Dei in peccatores bonitas, peccata veſtra deſtruite, & ad Deum ex toto corde veſtro convertimini: *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors eſt. Joel. 2. 13.*

Omnis peccator, cujus anima lethali quodam ſcelere eſt inquinata, neceſſario converti debet, ſi æternam beatitudinem aſſequi, & horrenda inferni ſupplicia vitare velit: ſed & converti debet, ſi inſpiciat Dei bonitatem, quæ in peccatores tanta eſt, ut illos patienter expectet, ſollicite quærat, & benigne recipiat. Ineffabilis hæc Dei in peccatores bonitas, eos omnes ad converſionem allicere debet: *Convertimini ad Dominum, quia benignus & miſericors eſt.*

O peccatores, poterat Deus, poſt primum mortale quod perpetraſtis peccatum, mox ad tartara vos, æternum cruciandos, mittere: & tamen vos adhuc ad pœnitentiam expectat. Poterat Deus vos deſerere, & abjicere, cum ad illum venire neglexiſtis: & tamen per gratiam ſuam vos quærere, & ad converſionem ſollicitare non deſinit. Poſſet tandem Deus vos, venire volentes, reſpuere, & abjicere: & tamen ſi ad illum per pœnitentiam veniatis, vos benigne recipiet. Quare ite ad Deum qui vos expectat: quærite Deum, qui vos quærit: & convertimini ad Deum, qui vos benigne recipiet: & qui tandem aliquando ſtolam gloriæ in Cælo vobis conferet. *Amen.*

# DE MORTE.

## CONCIO VI.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Iſ. 27.

FRequens mortis meditatio ſalubre eſt ad præcavenda omnia peccata antidotum. Sicut enim qui mortis obliviſcitur, in varia ſcelera facile labitur: ita & qui mortis certitudinem, terrores & fallacias ſerio meditatur, a peccatis nullo negotio abſtinet. Immo, ut ſentit Joannes Climacus, qui mortis meminit, in peccata cadere non poteſt: *Nemo memoriam mortis habens, poteſt aliquando peccare.*

Cum mortis & ſepulchri recordatur, Job, dicens: *Dies mei breviabuntur, & ſolum mihi supereſt ſepulchrum*, mox ſubjungit: *Non peccavi*. Et ratio eſt, quia mortis cogitatio, & ſepulchri meditatio a committendis peccatis arcet. Ac etiam, ut ait ſanctus Auguſtinus, ad jam commiſſa ſcelera deflenda & delenda allicit: *Nil ſic revocat a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. Clim. grad. 6.*

Peccati deſtructionem, tamquam unicum concionum noſtrarum fructum, ſuſcepimus: *Iſte omnis fructus, ut deſtruatur peccatum.* Job. 17. 1. Multa quidem ad hoc potentiſſima nos motiva excitant; ſed inter ea ultimum locum non tenet mortis cogitatio. Quare ut vos ad peccatum in vobiſmetipſis deſtruendum adducam, hodie de morte dicam, &c. *Ave.*

AN inter dæmones, ſicut & inter homines, politicus quidam ordo vigeat, non plane mihi conſtat: inter illos tamen, ſicut & inter nos, aliqui ſunt viatores, mercatores aliqui, & aliqui pictores. Inter illos aliqui ſunt viatores, qui totum terrarum orbem facile perambulant, ut unicum deprædentur juſtum. *Circuivi terram, & perambulavi eam. Job 1. 7.* Inter illos etiam nonnulli reperiuntur mercatores, qui omnia offerunt, omnia pollicentur, & omnia dare volunt, ut unicam emant animam: *Hæc omnia tibi dabo. Matth. 4. 9.* Inter eos tandem ſunt pictores induſtrii, qui fallacibus picturis homines innumeros decipiunt, & ad peccandum alliciunt: *Diabolus qui ſeducebat eos. Apoc. 20. 10.*

Pictor malignus a mundi primordio fuit ſatanas, cum fructum vetitum ita ſuavem & ſalubrem depinxit, ut Hevam ad manducandum ex eo adduxerit. Pictoris arte functus eſt, cum mulierem ſe lavantem ita formoſam Davidi repræſentavit, ut illum ad eam concupiſcendam & deperiendam attraxerit. Nonne ſimiliter crumenam, & aliquos argenteos, ut quid ſumme amabile, Judæ delineavit? Sed nonne quotidie homines ad ſcelera multa allicit: quia talem & tantam in peccatis voluptatem depingit, ut ab iis abſtinere, nonniſi difficillime poſſint? O malignum pictorem!

Sed induſtrii & fallacis pictoris tunc maxime perſonam gerit ſatanas, cum mortis qualitates & conditiones hominibus explanat. *Aliis* enim mortem ad eos numquam venturam ſuadet: *aliis*, eam quidem venturam inſpirat; ſed nonniſi poſt plurimos annos; *aliis*, eam ſuo quidem tempore venturam proponit: ſed illam eos prius morituram, nec inſidias eis quomo-

modocumque paraturam, in animum inducit. O quam falſa hæc mortis imago! quam fallax hæc pictura! Ut enim jam probabimus, mors eſt certa, prompta, & fallax: 1. *Mors eſt certa*, & infallibiliter venit: 2. *Mors eſt prompta*, & cito venit. 3. *Mors eſt fallax*, & ex improviſo venit.

## PRIMA PARS.

*Mors eſt certa, & infallibiliter venit.*

DEus nullo modo mori poteſt: quia vita & immortalitas ei eſſentialiter competunt. Sed ſicut Deus eſt immortalis; ita & homo mortalis eſt, ac pluſquam certum, omnes homines infallibiliter morituros: quia adverſus univerſum genus humanum mortis ſententiam Deus protulit, omneſque penitus homines morti adjudicavit! *Statutum eſt hominibus ſemel mori. Hebr. 9. 27.*

Illa Dei decreta, quæ abſoluta vocamus, immutabilia ſunt; & quidquid hujuſmodi decretis Deus ſtatuit, infallibiliter fit, alias mutationi & viciſſitudini Deus eſſet obnoxius. Et ideo mortem eſſe certam, omneſque penitus homines ſemel morituros, certiſſimum eſt: quia abſoluto decreto Deus omnes morituros ſtatuit: *ſtatutum eſt*, &c.

Licet aliquæ leges omnibus terræ regnis ſint communes: quodlibet tamen regnum ſpeciales aliquas ſibi vindicat leges, quæ in aliis regnis non vigent: ſic ab Anglis aliquæ recipiuntur leges, quæ a Gallis abjiciuntur; & a Gallis admittuntur aliquæ, quas Hiſpani exſibilant. In univerſo autem orbe a Deo condito, tria magna ſunt regna, quorum quodlibet ſpecialem habet legem reſpectu mortis; & hæc regna ſunt, cælum, terra, & inferi: *cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Philip. 2.* Lex regni cæleſtis hæc eſt, quod nullus in eo morietur; & quod qui in eo ſunt, vivent in æternum: *juſti autem in perpetuum vivent. Sap. 5.* Lex regni infernalis, omnes in eo commorantes continuæ addicit morti, a qua indeſinenter depaſcentur: *Mors depaſcet eos. Pſalm. 48. 15.* Lex tandem orbis terrarum, omnes in eo viventes ad ſemel moriendum damnat: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Ad hoc damnantur ſtatuto & decreto immutabili, in ſanctiſſimæ Trinitatis conclavi facto. Ac proinde omnes homines morientur, morſque ad illos certo veniet.

Quod ita verum, & perſpicuum eſſe novit D. Auguſtinus, ut ex omnibus quæ homini accidere poſſunt, ſolam mortem certo, & infallibiliter ei venturam judicet: *Cætera noſtra bona, & mala incerta ſunt: ſola mors certa eſt. Aug. ſerm. 21. de verb. Dom.* Et revera de aliis omnibus quæ nobis evenire poſſunt, dubitanter loquimur, cumque de iis interrogamur, problematice, & ambigue reſpondemus, dicentes hæc forſan eventura, forſan non eventura, *ubique eſt, forte erit, forte non erit*. Si de puero recenter nato, quærat quis, an diu ſit victurus? reſpondebitur: forſan diu vivet, forſan diu non vivet. Si quærat, an puer hic litteris ſit operam daturus? reſpondebitur: forſan iis operam dabit, forſan iis non dabit operam. Si quærat, an futurus ſit doctus vel ignarus, ſtultus aut ſapiens, ſanus aut infirmus? ſemper reſpondebitur: *forte erit, forte non erit.* Sed ſi de puero hoc quærat quis, an ſit moriturus? reſponderi nequit, eum forſan moriturum, forſan non moriturum: *numquid potes dicere? forte non morietur? Auguſt.* Hoc certe dici non poteſt, ſed abſolute reſpondendum, eum moriturum, mortemque ad eum infallibiliter, & certe venturam: quia abſoluto, & immutabili Dei decreto hic puer, & omnes penitus homines ad mortem ſemel perferendam condemnati ſunt: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.*

Quærit Regius Vates, an aliquis homo mortem ſit evaſurus: *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem? Pſ. 88. 49.* Numquid Enoch, qui ut habetur in libro Geneſis, translatus eſt in Paradiſum? Numquid Elias, qui, ut in ſacra Regum Hiſtoria legitur, curru vectus igneo, in cælum aſcendit? Nequaquam, inquit S. Gregorius. *Quia etſi Enoch & Elias nondum ſint mortui, mortis tamen ſententiam non evadent. Greg. 20. Moral. cap. 27.* Quis ergo a mortis falce poterit liberari? quis ejus tyrannidem declinare valebit? *Non* quidem Magnates; cum Alexander, Cæſar Auguſtus, Pompejus, omneſque famoſi Monarchæ qui in mundo olim floruerunt, e vivis exceſſerint: *Non* viri fortes robore, & potentes in ſæculo; cum Sampſon, Goliath, Gedeon, aliique omnes viri fortiſſimi mortui ſint: *Non* viri ſcientia illuſtres; cum Salomon, Paulus, Auguſtinus, Hieronymus, & alii quique viri doctiſſimi diem extremum obierint: *Non* viri divites; cum Craſſus, Mydas, Crœſus, & alii viri ditiſſimi fato functi ſint: *Non tandem* viri ſanctitate prædit; cum Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Dei Genitricem Mariam, ipſumque Chriſtum omnis ſanctitatis auctorem, mortuos eſſe conſtet. Si autem mortem evadere nequeant homines nobiles, fortes, docti, divites, & ſancti; quis ex hominibus non videbit mortem: *quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Reſpondet Hugo Cardinalis: *Nullus.* Nullus quidem: quia mors omnes mactat; ſive nobiles illi ſint, ſive ruſtici; ſive fortes illi ſint, ſive debiles; ſive docti illi ſint & divites, ſive ignari & pauperes: *Mors enim captivat, vaſtat, interficit omnes, quos natura præſentem ducit ad vitam. Chryſoſt. ſerm. 118.* Unde neceſſaria quædam futuræ mortis conſequentia ex cujuſque hominis nativitate trahitur: ac cuique in hoc mundo viventi dici poteſt: natus es, ergo morieris: *Natus es homo, moriturus es. Aug. tract. 42. in Joann.* Quia quot homines naſcuntur ex muliere, tot occiduntur a morte: *Ex quo naſcimur, neceſſe eſt ut moriamur.*

Dicunt Medici, hunc hominem moriturum, quia hydropicus: iſtum, quia pulmonarius: illum, quia peſte, diſenteria, vel gravi febre laborat. Hæc quidem vera eſſe poſſunt: ſed futura hujus, iſtius, illius, & omnium hominum mors ab altioribus ſumenda principiis: ab eorum nempe nativitate; vel ab Adami peccato; quo factum eſt ut tot homines ſint morituri, quot naſcuntur: *Neceſſe eſt, ut quicumque natus fuerit, inde moriatur. Aug. ſerm. 1. in Dom. 1. Quadrag.*

Hoc quidem nil certius, evidentius nihil; multi tamen vix ſibi ſuadere poſſunt, ſe aliquando morituros, mortemque ad ipſos quandoque venturam. Quare ut hominum mentibus hanc veritatem altius infigat Propheta, eos morituros, ait, ſicut Reges & Principes, quos omnes a mundi primordio mortuos

eſ-

Digitized by Google

eſſe, cunctis perſpicuum eſt: *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de Principibus cadetis. Pſalm. 81. 7.* Nullus unquam Rex, inquit Chryſoſtomus, crudelem mortis falcem effugit: (non Saul, qui primus regni diadema induit; non David, regno dignus appellatus: non Samuel ille Regum pater, qui effuſo oleo, illum regno dignum declaravit; non ſapientiſſimus Salomon, ſapientia & potentia famoſiſſimus; non alius quiſquam ex Regibus. Certus autem eſſe quiſque debet, ait Propheta, quod ſicut illi Reges mortui ſunt, ita & ipſe morietur: *Sicut unus de Principibus cadetis.*

Quando ruſticus, vel alius aliquis ex infima populi fæce in tuguriolo moritur, ejus mors paucis innoteſcit: cum & quis ille fuerit, pauci noverint. Sed cum Imperator, Rex, vel Princeps aliquis moritur, undique auditur campanarum ſonitus, undequaque Sacerdotes & nobiles ad funebrem pompam conveniunt, defuncti laudes orationibus ſuis Concionatores pluribus in locis proſequuntur innumeris epiſtolis, & plurimis in diverſa loca miſſis nuntiis, mors ejus annuntiatur: ejus corpus mortuum, & infitis ligatum vident multi, illud terræ mandari cernunt quamplurimi: quare nec eſt, qui de ejus morte dubitet: Sicut autem certo certius eſt, hunc Imperatorem, Regem hunc, vel hunc Principem mortuum eſſe: ita eſt certiſſimum, omnes homines morituros? *Sicut unus de Principibus cadetis.* Quare cum de omnibus conclamatum ſit: cum omnes ſint morituri; omnibus jam dicam quod olim Cæſar Auguſtus victis & debellatis a ſe Peruſinis civibus dixit, nempe moriendum eſſe: *moriendum eſt.* Hi lacrymis, precibus, & oblationibus Cæſarem placare conabantur: ſed ille iratus, eos omnes morti adjudicavit; ſemperque clamavit: *Moriendum eſt.* Quod autem Peruſinis civibus dixit Auguſtus; hoc omnibus penitus hominibus jam dico: O dives impie, qui uſuris ſubſtantiam pauperum ſuxiſti, & qui fraudibus tuis pupillorum, viduarum, & aliorum bona abſtuliſti, ſcito, te eſſe moriturum, *Moriendum eſt.* O Lucifer, qui diabolica inflaris ſuperbia, qui omnibus dominari appetis, quique per fas & nefas in altum ſublimari fatagis; memento, quod ventus ſit vita tua, quodque in favillam ſis reverſurus: *Moriendum eſt.* O inſenſate peccator, qui a multo tempore illicitis indulſiſti voluptatibus, quique tot criminibus animam tuam fœdaſti; recordare, te juſto Dei judicio ad mortem eſſe condemnatum: *Moriendum eſt.* O vos divites & pauperes, nobiles & ruſtici, docti & ignari, Eccleſiaſtici & Laici, Regulares & Sæculares; vos tandem omnes, qui in hoc mundo vivitis, certi eſtote, nullum ex vobis eſſe immortalem, & quod moriemini omnes, nullo excepto: *moriendum eſt.*

*Moriendum eſt*: hac re nihil certius: multi tamen vivunt, quaſi nunquam morituri. De Megarenſibus ait Tertullianus, quod ampla conſtruerent palatia, quaſi numquam morituri eſſent: *Megarenſes ædificant, quaſi numquam morituri. Tertullian. Apolog. 2. 39.* Sed heu! innumeri Chriſtiani, non ſolum ædificant, verum luxuriæ, ebrietati, uſuris, & omnibus vitiis indulgent, *quaſi numquam morituri.*

O peccator, cum certus ſis, te aliquando moriturum, vive ut homo, qui moriturus eſt: *Si es mortalis, vive ut mortalis. Iſocra.* Ne vivas quaſi non moriturus; ſed crebro imminentis tibi mortis memento, teque tui ipſius hac de re ſollicitum exhibe monitorem, ac futuram mortem tibi ipſi annuntia: *Hoc nobis ſubinde dicamus, moriendum eſt. Senec. nat. quaſt. lib. 6.* Cum menti tuæ fœda quædam illabetur cogitatio, illam protinus expelle, dicens: *Moriendum eſt.* Cum urgens quædam tentatio ad illicita te movebit, dic, & intus dic: hujuſmodi illicitis aſſentiri nequeo, quia *moriendum eſt.* Cum te pravi, & licentioris vitæ homines ad mala perpetranda verbis vel exemplis allicere pertentabunt, reſiſte fortiter, dicens: talia non agam, quia aliquando moriturus, & vitæ meæ rationem Deo redditurus: *Moriendum eſt.* Cum Spiritum Sanctum intus loquentem, teque ad peccatis abrenuntiandum, nec non ad pie vivendum trahentem ſenties, ſacris ejus motibus te promptum & facilem exhibe: fac quod inſpirabit; & ito, quo trahet; quia *moriendum eſt.* O quam utile, quam tibi ſalubre, ſi cordi tuo alte hæreat hæc cogitatio! *Moriendum eſt*: moriturus ſum: mors eſt certa, & ad me certo veniet. Hoc ſæpe cogita: hoc ſerio perpende; hoc crebro meditare. Sed & meditare etiam, *quod mors eſt prompta, & cito ad te veniet.*

## SECUNDA PARS.

*Mors eſt prompta, & cito venit.*

IN hoc falluntur plerique, quod mortem a ſeipſis remotam, nec ipſi poſt multa tempora ad ipſos venturam cenſeant: *In hoc fallimur, quod mortem proſpicimus. Senec.* Non deſunt, qui dicant: diu vivere nequeo; talis eſt corporis mei habitus, talis conſtitutio, taliſque vitæ meæ ratio, ut cito mori debeam. Sed plerique aliud dicunt, & aliud ſentiunt: ac dum ſe brevi morituros ajunt, numquam, aut ſaltem nonniſi poſt multum temporis ſe morituros credunt, mortemque tunc proſpiciunt, cum eam non longe ab ipſis eſſe dicunt.

Qui juvenes, qui robuſti & validi, qui nulla laborant infirmitate, diuturnam ſemper tibi pollicentur vitam: &, quod mirum eſt, non eſt quiſquam ita ſenex, ita debilis & infirmus, qui ſe brevi moriturum certo credat, & qui ſpe longioris vitæ non fallatur, quia, ut dici ſolet, ultimum quod in nobis moritur, eſt ſpes diu vivendi. Sed ſciant omnes, & ſenes & juvenes, & infirmi & bene valentes, & robuſti & debiles quod mors ad eos celeriter veniet, quodque ſint cito morituri: *Memor eſto, quoniam mors non tardat. Eccli. 14. 12.*

Multi mortem proſpicientes, ac ſe diu victuros præſumentes, comparandis divitiis, honoribus aſſequendis, vel voluptatibus capeſſendis ſe totos dedunt. Alii diuturnam ſibi pollicentes vitam, cum ſtulto divite ajunt. *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Luc. 12. 19.* Alii tamquam certum ſupponentes ſe diu victuros, de ædificandis amplis palatiis, de mutuo dandis pecuniis, ac de pluribus rebus in futuro faciendis decernunt, dicentes: *Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tunc demum laſſam & plenam ſenectutem in otium referam. Sen. lib. 17. Epiſt.*

*Epiſt.* 102. Sed ſciant hi omnes, ſe cito morituros; quia *mors non tardat*. Et, ut ait Petrus Damianus: *Qui hodie induitur purpura, cras includitur ſepulchro, hodie qui hominibus dominatur, cras a vermibus ſaſtus putredo corroditur, hodie regalibus inſulis redimitur, cras vilibus pannicul is exanime cadaver obvolvitur: hodie ſplendet coronatus in regalis excellentiæ ſolio, cras fœtet marcidus in ſepulchro. Petr. Dam. Epiſt.* 75.

Cenſent aliqui Doctores, Deum in hominis creatione terram, ex qua illum formaturus erat, ex quatuor mundi partibus ſumpſiſſe; ac aliquantulum terræ ex parte Orientis, aliquantulum ex parte Occidentis; aliquantulum ex parte Meridiei, & aliquantulum ex parte Septentrionis accepiſſe. Hocque Deum ita feciſſe ajunt, ut ſuperbo homini quatuor mundi partes originem ſuam exprobrarent; eique quaſi continue dicerent; Memento homo, quod ex pulvere compactus ſis, ac proinde diu ſtare nequeas, ſed cito ſis moriturus, & in pulverem redigendus. Quod & omnibus hominibus annunciat D. Paulus, dicens, hujus vitæ tempus breve eſſe, & qui in hoc mundo vivunt, cito morituros. *Qui habent uxores*; inquit Apoſtolus, *tamquam non habentes ſint; & qui flent, tamquam non flentes, & qui gaudent, tamquam non gaudentes, & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*. 1. *Cor.* 7. Cujus rei rationem adducit, quia, ſcilicet, hujus vitæ tempus breve eſt; & homines quique cito morituri ſunt; *tempus breve eſt*.

Hujus vitæ tempus breve eſſe, mortemque ad homines prompte, & cito venire declarant ipſi damnati in Inferno, cum nativitati ſuæ mortem immediate ſucceſſiſſe ajunt: *Nos nati continuo deſivimus eſſe. Sap.* 5. 13. Hi dum eſſent in ſæculo, victuros ſe diu, mortemque a ſe longe diſtare, falſo crediderunt, & ideo laſſati ſunt in via iniquitatis, omnique voluptatum & criminum generi indulſerunt. Sed jam cum ita mediis tartari flammis vitæ ſuæ tempus ſerio recogitant, illud ita breve fuiſſe, ac ita cito tranſiſſe fatentur, ut mors ſtatim poſt nativitatem ad ipſos venerit: *Nos nati continuo deſivimus eſſe*. Dic, o Cain, qui manus tuas innocui fratris ſanguine purpuraſti: Dic, o Juda, qui Magiſtrum, creatorem, & Redemptorem tuum impudenter prodidiſti: Dic, o Nero impie: Dic, o Antioche? Dicite vos omnes, qui in inferno nunc dira patimini? Dicant etiam, ſi velint, omnes Sancti, qui jam in Paradiſo beantur: dicant & omnes, qui in hoc mundo vixerunt, an diu in eo remanſerint? Certe ſi hos omnes hac de re dicentes audiremus, faterentur haud dubie, mortem ad eos citiſſime veniſſe, nullum fere medium inter nativitatem & mortem ſuam extitiſſe: ac mox poſt nativitatem ſe mortuos eſſe, & deſiiſſe: *continuo deſivimus eſſe*.

Quod ut plenius, perfectiuſque conſtet, ſerio ponderandum, quam brevis ſit vita noſtra. Hanc breviſſimam eſſe declarat Job dicens; quod homo natus de muliere brevi vivit tempore, quodque *quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra. Job.* 14. 2. Eam breviſſimam cenſet Sanctus Jacobus, dicens, quod vita noſtra eſt quaſi levis quidam vapor, cito tranſiens, & *ad modicum parens. Jacobi* 4. 15. Si a ſapientiſſimo Salomone quæramus, an diu duret vita noſtra, reſpondebit eam citiſſime tranſire, quodque *tranſibit tamquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt a radiis ſolis. Sap.* 2. 3. Si interrogemus ipſos reprobos, qui nunc in inferno cruciantur; & ab iis petamus, an diuturna ſit hominum vita? eos audiemus in Salomonis libris reſpondentes, eam ita brevem & tranſitoriam eſſe, ut tranſeat *tamquam umbra & tamquam nuncius præcurrens, & tamquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, aut tamquam avis quæ tranſvolat in aere. Sap.* 5. Ut vitæ noſtræ brevitatem exprimat D. Auguſtinus, ait, quod vita noſtra nil aliud ſit, quam *curſus velociſſimus ad mortem. Auguſtin. lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 10. Eam ita brevem credit Seneca, ut eam unico inſtanti durare dicat: *In puncto fugacis temporis pendet*. O quam brevis eſt vita illa, quam tanto affectu diligimus! o quam prompte & quam cito venit mors illa, quam tantopere timemus!

Verum quidem, homines multos uſque ad ſexageſimum, & ſeptuageſimum; immo & nonnullos ad centeſimum annum vitam ſuam protrahere. Sed quid ſunt ſexaginta, ſeptuaginta & centum anni reſpectu æternitatis? momentum unum. Quid ſunt hi anni in conſpectu Dei? momentum unum, & tanquam nihilum: *tamquam nihilum ante te. Pſalm.* 38. 7. Velim, te mille annis vixiſſe: quid eſſet hæc tua mille annorum vita? hæc eſſet tanquam dies una, quæ jam præteriit: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præteriit. Pſalm.* 89. 4. Non dicit Propheta, quod mille annorum vita, ſit tamquam dies hodierna: quia dies hodierna, aliquid eſſe videtur, cum acta ſit: ſed ait: quod ſit tanquam dies heſterna, quæ nihil eſt, quia jam præteriit: ut oſtendat vitam noſtram nihil eſſe, ac ita brevem eſſe, ut pro nihilo reputanda ſit. O quam brevis eſt vita noſtra! quam cito ad nos venit mors! Sed o quam ſtulti homines, qui tanto affectu vitam, & tam cito labentis vitæ commoda diligunt!

Refert Ariſtoteles, naſci in Græcia juxta flavium Hypanis parvum quoddam animal, quatuor pedes, & totidem habens alas, quod Ephemeron nuncupatur, cujus vita ultra diem unum non protenditur, tanta tamen hujus animalculi pro conſervanda vita eſt ſollicitudo, ut indeſinenter ambulet, volet, ac maxima cum diligentia alimenta pro unius diei vita inquirat: *Ariſtot. lib.* 2. *de hiſtor. anim.* Animali huic ſimiles ſunt multi, quorum tanta ſtultitia, ut licet breviſſimum vitæ ſuæ curriculum eſſe noverint, ſummo tamen ſtudio non ſolum quæ ad vitam neceſſaria, verum ſuperflua, verum delectabilia, verum ſaluti noxia, verum fugaces mundi dignitates, & vanos honores inquirant, tamquam ſi in mundo æternum eſſent victuri: *Tamquam ſemper victuri vivitis, omnia tamquam immortales concupiſcitis. Senec. lib. de vit. cap.* 4.

O homo, ſi te brevi tempore victurum, ſi mortem ad te cito venturam, ſerio & ſæpe perpenderes, profecto ſæculi pompas, corporis delicias, tranſitorias opes, & omnia quæ mundi ſunt, non ita ſollicite inquireres, ſed *mox ſpretis pompis, poſtpoſitis mundi curis, contemptis deliciis, in tui cuſtodia vigilares. Auguſtinus tom.* 9. *in ſpec.* Si mortem ad te prom-

prompte venturam firmiter crederes; prompte omnia in te ipſo peccata deſtrueres, & ſalutis tuæ negotio citiſſime conſuleres. Quare hoc tuo inſere cordi; hoc menti tuæ ſculpe: a memoria tua hoc numquam recedat, ſemperque cogita, vitam tuam fore brevem, mortem promptam eſſe, & ad te cito venturam. *Ac etiam cogita, mortem eſſe fallacem, & ad te ex improviſo venturam.*

## TERTIA PARS.

*Mors eſt fallax; & ex improviſo venit.*

DEum enixe rogat Propheta, ut mortis ſuæ diem ei notum faciat: *Notum fac mihi, Domine, finem meum. Pſalm.* 38. 5. Eadem omnium fere hominum eſt curioſitas, nullus fere eſt, qui mortis ſuæ diem & horam ſcire non deſideret, ſed hunc diem & hanc horam homines latere vult Deus; aſſeritque mortem ad eos venturam inopinate, ex improviſo, & qua hora non putaverint: *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Luc.* 12. 40.

Sicut inter ciborum delicias capi, & occidi ſolent aves & piſces, ita homines qua hora non putant, cum diu ſe victuros cenſent, & ſæpe cum illicitis vacant deliciis, a fallaci capiuntur & rapiuntur morte: *Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſupervenerit. Eccl.* 9. 12.

Miror Amos Prophetam dicentem, quod *occidet Sol in meridie. Amos* 8. 9. Quis unquam vidit, quis audivit, Solem in meridie, ſeu in medio diei occidere? Nec unquam in meridie occidit, nec occidere poteſt Sol: quia cum occidit, non tunc eſt medium diei, ſed finis diei. Meridies eſt quaſi medius dies, vel medium diei, & ſolis occaſus eſt finis diei: finis autem diei non poteſt eſſe medium diei, & medium diei non poteſt eſſe finis diei, ac proinde Sol non poteſt occidere in meridie: cur ergo ait Propheta, quod *Sol occidet in meridie?* Hoc non intelligi videtur de Sole hoc, qui quotidie ſuper capita noſtra volvitur, ſed de hominibus his, quibus omnia proſpera; de his, qui honoribus & dignitatibus multis fruuntur in ſæculo, & qui velut ſoles fulgent in orbe terrarum; hoc intelligitur de hominibus his, qui ſunt quaſi in meridie divitiarum, in meridie honorum, & in meridie voluptatum. Hi autem ſoles in meridie occidunt, quia cum altius ſublimati ſunt, & cum magis inter homines rutilant, tunc fallax eos invadit mors: tuncque repentino corruunt interitu: *Cum dixerint, Pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* 1. *Theſſal.* 5. 3.

Cum Alexander Magnus ſe immortalem credidit, cum in mundanæ proſperitatis meridie eſſe putavit: tunc repentina morte correptus eſt: *Decidit in lectum, & cognovit quia moreretur.* 1. *Mac.* 1. 6. Cum impius Balthaſar omnibus ſe formidandum exhibet, & adverſus Deum impudentius inſurgit, cum in meridie ſuo eſſe arbitratur; tunc portentoſam videt manum, quæ mortis ejus ſententiam ſcribit. *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis. Dan.* 5. 5. Cum Ezechias de vita diu prorogandа cogitat, mox Prophetam audit dicentem ei. *Diſpone domui tuæ quia morieris tu, & non vives. Iſaiæ* 38. 1. In mediis conviviis a morte deprehenſi ſunt Hebræi: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Pſalm.* 77. 30. Cum ſtultus ille dives (de quo in Evangelio) de quiete, & de exquiſitis cibis ſumendis cogitat, dicens: *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare:* tunc Deum audit dicentem. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. Luc.* 12. Mors tandem homines invadit, quando non putant, quando de ea minus cogitant, cum in felicitatis meridie eſſe credunt, ac cum vera, ſolida, ſtabili pace frui arbitrantur: *Cum dixerint, Pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* O quam fallax mors! o quam inopinata! o quam ex improviſo ad homines venit!

De nonnullis peccatoribus loquens Propheta, ait, *veniat mors ſuper illos. Pſalm.* 54. 16. Alia verba habet: *decipiat illos mors.* Quomodo poteſt mors illos decipere? Illos decipere poteſt, & de facto eos decipit eodem prorſus modo, quo peritus exercituum Dux hoſtes ſuos decipere ſolet. Cum enim talis quidam Dux hoſtes ſuos aperto marte aggredi non vult; ut eos decipiat, nonnumquam ſe ab iis longe diſtare fingit, cumque hi ſe in loco tuto eſſe credunt, in eos ſubito irruit, illoſque omnes interficit. Similem in modum mors, Deo ita permittente, peccatores ſolet decipere, cum enim deliciis, & vanitatibus vacant: cum nil minus quam mori cogitant: ad eos ſubito venit mors, illoſque ita invadit, ut prius pereant, quam ſe morituros cogitaverint, *mors decipiet eos.* Vel dicamus, mortem eos decipere eodem modo, quo latro, ſeu expilator, viatores decipere ſolitus eſt. Sicut enim cum minus de periculis cogitat viator, cumque ſe magis tutum & ſecurum cenſet, ex latebris armatus prodit expilator, qui illum interficit, cunctaque ejus bona diripit: ita & cum ſe magis ſanum, cum ſe validiorem exiſtimat homo, ex noxii alicujus cibi, e febriculæ unius, vel e tegulæ deſuper cadentis latebris prodit mors, quæ illum & vita, & facultatibus ſpoliat. Et ideo monet nos Deus, quod mors ad nos ventura ſit tamquam fur. *Veniam ad te tamquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te. Apoc.* 3. 3. Addit D. Paulus, mortem ad nos venturam, non tamquam furem in die, ſed tamquam furem in nocte: *Dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* 1. *Theſſalon.* 5. 2.

Cum fur domum tuam mediis in noctis tenebris invadere vult, non te præmonet, non ad te prius nuncios mittit, qui qua hora venturus ſit, annuntient, ſed cum te, tuoſque ſomno ſepultos cenſet: cum te, nihil de futura domus tuæ expilatione ſuſpicari credit, in domum tuam ingreditur, & omnia, quæ in ea ſunt, diripit. Hoc prorſus modo ad homines venire ſolet mors: ad eos venit ſicut fur in nocte, quia ad eos venit, dum ſecuri quieſcere putant, cum in peccatis dormiunt, cumque nil minus, quam de morte cogitant. O quam fallax mors! o quam multos decipit!

Quod ut clarius & evidentius pateat: dic, quæſo, quo anno, quo menſe, quo die, & qua hora ſis mori-

ritu-

Digitized by Google

rituru? Hæc omnia te latent: *Neſcitis diem, neque horam. Matth. 25. 13.* Certum eſt, mortem ad te aliquo anno, & aliquo hujus anni menſe venturam, ſed quo anno, & quo menſe veniet, ignoras. Certum eſt, eam aliqua hebdomada, aliquo ejus hebdomadæ die, & aliqua hujus diei hora venturam: die autem, ſi ſcias, qua hebdomada, quo die, & qua hora veniet? Certe neſcis diem, neque horam, qua mors ad te veniet *ſicut fur in nocte*, qua ſcilicet hora non putabis. Quare cum neſciamus quo die, & qua hora fallax mors ad nos ventura ſit: omni die, omnique hora vigilandum, ut eam expectemus; & ut ad eam nos diſponamus. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam. Ibid.*

Non ſine myſterio voluit Deus, mortis noſtræ diem & horam nos latere: ut enim ait D. Auguſtinus: *latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies. Aug. hom. 15. ex 50.* Si mortis ſuæ diem & horam noſſent impii, omni vitiorum generi uſque in hunc diem, & in hanc horam facile indulgerent, ac uſque ad ultimum vitæ finem pœnitentiam agere differrent: ſi mortis etiam ſuæ diem & horam certo ſcirent juſti, remiſſius forte virtutum operibus incumberent. Quare mortis diem & horam latere voluit Deus, ut peccatores omni die & hora a vitiis abſtineant; ut juſti ferventius in perfectionis via ambulent; & ut tam juſti, quam peccatores omni die, & tempore ad mortem ſe præparent: *Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies.*

Si certo ſcires, hodiernum diem eſſe ultimum vitæ tuæ diem: ſi certus eſſes, te intra jam labentis horæ tempus moriturum: magna haud dubie cum ſollicitudine mox ſalutis tuæ negotio incumberes, ſtatim aliena reſtitueres, & inimicis parceres: ad prudentem ſtatim & probum feſtinares Confeſſarium, cui omnia tua declarares ſcelera: illicitis omnibus protinus abrenuntiares voluptatibus, perpetrata crimina fuſis lacrymis delere conareris, ac omnia veræ pœnitentiæ opera continuo ſuſciperes. Hæc omnia proculdubio faceres, ſi ſcires hanc eſſe mortis tuæ horam; ſed eadem etiam nunc facere debes, cum te lateat, an hæc ſit mortis tuæ hora. Ideo enim voluit Deus, tibi ignotam eſſe mortis tuæ horam, ut qualibet hora ita ſalutis tuæ negotio incumbas, ac ſi ultima hæc eſſet vitæ tuæ hora. *Horam ultimam idcirco voluit Deus nobis eſſe incognitam, ut dum illam prævidere non poſſumus, ad illam ſine intermiſſione præparemur. S. Greg. hom. 3. in Evang.*

Omni ergo hora ad mortem te præpara, ac ſi hæc ultima eſſet vitæ tuæ hora. Quoticiecumque horas pulſans audis horologium, de imminente morte cogita, ac intus dic: Hæc forſan ultima erit vitæ meæ hora: hac forſitan hora ex hoc mundo exibo, meamque efflabo animam. Hoc intus dic, & identidem tua deteſtare peccata; ac ad mortem te præpara, non ſecus ac ſi protinus moriturus eſſes. Hoc ſi facias, cum veniet Dominus, te vigilantem, & præparatum inveniet, tibique regni cæleſtis januas aperiet. *Amen.*

DE EXTREMO

# JUDICIO.

## CONCIO VII.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.*
Iſaiæ 27. 9.

SIcut nil homini Chriſtiano utilius, quam ſerio & ſæpe formidanda Dei judicia meditari, ita nil exitioſius, quam judiciorum Dei obliviſci, nec de iis velle recordari. Ut enim ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, qui judiciorum Dei meditationi incumbunt, a peccatis facile declinant, & vertutes multas aſſequuntur. *Judicium ſemper præ oculis habeamus, & ita ſemper virtuti vacare poterimus. Chryſoſtom. homil. 38. in Joann.* Sed e contra, qui Dei judicia a mente ſua auferunt, multis ſe peccatis inquinant, & in iis ſemper perſeverant. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus. Pſalm. 9.*

Quod ita certum credidit D. Auguſtinus, ut aſſerat, reprobationis & damnationis hominum cauſam non aliam eſſe, quam oblivionem terribilium Dei Judiciorum. *Puto, quod omnis perditionis cauſa inter Chriſtianos ſit, metum, ac memoriam futuri perdidiſſe Judicii. S. Auguſt. ſerm. 35. in append.* Addit Sanctus Pater, quod peccata in ſeipſis deſtruere non poſſint, & abſque omni remedio ſint peccatores, qui judiciorum Dei non recordantur. *Irremediabile periculum eſt, ſic aliquem vitiis, ac cupiditatibus fræna laxare, ut ſe rationem Deo redditurum non meminerit.* Quare cum in votis habeam, peccata mundi tollere: de formidandis Dei judiciis hodie dicam; ac ut peccatores ad deſtruenda in ſeipſis peccata alliciam, terribile illud ſacrificium, quod in extremo Judicio de peccatoribus fiet, tota hac concione delineare conabor, &c. *Ave.*

IN omni ſacrificio Sacerdos aliquis, aliqua victima, & mors aliqua eſſe ſolent. In omni ſacrificio eſt Sacerdos, qui Mediatoris Deum inter & homines fungitur officio, immo & qui plus ab hominum, quam a Dei partibus ſtare videtur, ut enim ait D. Paulus, *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia. Hebr. 5. 1.* In quolibet etiam ſacrificio eſt quædam victima, quæ Deo offertur ad eum honorandum & placandum. Et ideo in veteri Teſtamento Deo ſacrificabantur ſolum animalia munda, ut hæ victimæ aptiores eſſent ad illum honorandum, & ad illius iram mitigandam, *Animal quod immolari poteſt Domino, ſanctum erit. Levit. 27. 9.* In omni tandem ſacrificio mors interveniat neceſſe eſt, ut enim ait Doctor Angelicus, victima occidi, & quaſi annihilari debet, *in teſtimonium ſupremi dominii, quod Deus habet ſupra omnes creaturas.*

Venite jam omnes, ad vallem Joſaphat ſaltem mente, & ſpiritu properate; ut formidandum ſacrificium, quod ibi in die Judicii fiet, attente contemplemini. In hoc quidem ſacrificio, ſicut & in aliis, erunt Sacerdos, victima, & mors; *Chriſtus* erit Sacerdos, *peccatores* erunt victima, *eorumque pæna* erit mors.

mors. Sed omnia in hoc ſacrificio formidanda, & terribilia erunt, terribilis erit Sacerdos, terribilis erit victima, terribilis erit mors. *Chriſtus* erit Sacerdos terribilis, quia pro peccatoribus non ſtabit, ſed de iis ſe vindicabit. *Peccatores* erunt victima terribilis, quia Deum non placabunt, ſed magis irritabunt. *Mors*, cui addicentur, erit terribilis, & omni alia morte terribilior, quia eos ita occidet, ut ſemper ad pœnam vivi remaneant. O quam terribile hoc ſacrificium, in quo erit Sacerdos, victima, & mors, 1. *Sacerdos*, qui ſe vindicabit, 2. *Victima*, quæ irritabit, 3. *Mors*, quæ non trucidabit.

## PRIMA PARS.

*In extremi judicii Sacrificio Chriſtus erit Sacerdos, qui ſe vindicabit.*

CHriſtus Dominus, qui in primo ſuo in hunc mundum adventu, vilibus panniculis indutus fuit, in ſecundo ſuo adventu, ſeu in extremi Judicii die, omnium oculis apparebit, Pontificalibus indutus veſtibus, necnon ut *Sacerdos exornatus podere & mitra, & cydari munda. Tert. adverſ. Jud. cap. ultimo*. Sed Chriſtus, qui in hoc mundo Sacerdos fuit peccatoribus ita propitius, ut pro iis in ſacrificium ſe Patri obtulerit, in extremi Judicii die erit Sacerdos terribilis, qui de iis ſe vindicabit. Tunc enim, ut ait Tertullianus, Chriſtus erit Sacerdos gladio armatus. *Accingere enſem tuum circa femur tuum potens tempeſtivitate. Ibid.* Tunc etiam gladium hunc, quo armatus erit, e vagina educet, eumque in conſpectu peccatorum exacuet. *Si acuero ut fulgur gladium meum*. Ac tandem tunc diſtricto gladio, in peccatores ſæviet, & de iis vindictam ſumet. *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Deut. 32. 41.*

Quamdiu in hoc mundo vivunt peccatores, ſcelera eorum Chriſtus diſſimulat, erga eos ſe ſemper miſericordem exhibet, toties iis parcit, quoties eos peccatorum pœnitet; eos ad ipſum venientes, ſemper benigne recipit. Sed in die Judicii non iis favebit Chriſtus, nec in eos quomodocumque miſericors erit, quin contra tunc terribilis Sacerdotis perſonam geret, qui de peccatoribus ita ſe vindicabit, ut Sol & Luna præ timore deficiant: *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum. Math. 24. 29.* Tanta tunc illius in peccatores erit vindicta, ut ipſæ cæli columnæ, & ipſi Angeli terrore concutiantur. *Ibid. Virtutes cælorum commovebuntur. Ibid.* Ira portentoſa ejus in peccatores erit ultio, ut peccatores præ timore areſcant, *areſcentibus hominibus præ timore. Luc. 21. 26.* O terribilem Sacerdotem! o inexplicabilem ultionem, quis eam explicare queat?

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando*
*Explicet, aut poſſit lacrymis æquare dolorem?*
*Virg. lib. 4. Æneid.*

Sanctiſſimus Propheta Jeremias, ut aliquam Chriſti ſummi Sacerdotis, de peccatoribus ſe in die Judicii vindicantis, ideam mentibus noſtris ingerat, ait, diem Judicii fore ultionis diem, in quo Chriſtus de peccatoribus vindictam ſumet: *Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies ultionis, ut vindictam ſumat de inimicis ſuis. Jerem. 46. 10.* Omnes Chriſti in hoc mundo verſantis dies, fuere dies gratiæ & miſericordiæ; ſed aſſerit Jeremias, extremi Judicii diem, fore diem ultionis Chriſti, in quo de peccatoribus vindictam ſumet. Tunc enim, inquit, ut Chriſtus de peccatoribus ſe omnino vindicet, diſtricto illo gladio, quem dextera geſtabit, ita graviter illos percutiet, ut gladius ille quaſi voraturus ſit carnes illorum, ac eorum ſanguine ſaturandus, & inebriandus: *Devorabit gladius, & ſaturabitur, & inebriabitur ſanguine eorum. Ibid.*

Olim Dei gladius in cælo inebriatus eſt, cum rebelles Angelos inde Deus expulit, & deturbavit: *Inebriatus eſt in cælo gladius meus. Iſ. 34. 5.* Sed in extremi Judicii die vorax ille gladius de cælo deſcendet, & in peccatores irruet: *Ecce ſuper Idumæam deſcendet, & ſuper populum interfectionis meæ. Ibid.* Gladius tandem hic ad Chriſti dexteram veniet, ac impiorum adipe & ſanguine ſaginabitur: *Gladius Domini repletus eſt ſanguine; incraſſatus eſt adipe & ſanguine agnorum & hircorum. Ibid.* Hic erit dies vindictæ Domini, in quo Chriſtus gladio ſuo percutiet agnos & hircos, ſeu Plebejos & Magnates, ac omnes peccatores diſperdet: *Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Eccli. 5. 9.*

Sed ut clarius pateat, quam ſevere Chriſtus ſummus Sacerdos, peccatores in die Judicii puniet, quamque terribilis futura ſit ultio, quam de iis ſumet, non attendendus ſolummodo gladius ille devorans, quo armatus, in eos ſæviet, ſed ponderandum inſuper qua pompa, quove apparatu adverſus illos incedet. Ut enim loquitur Salomon, *Accipiet armaturam zelus illius, induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile, æquitatem. Sap. 5. 18.* Adverſus peccatores in die Judicii accuſatores adſtabunt dæmones, teſtes aderunt Cuſtodes Angeli; Chriſtus vero in juſtitiæ ſuæ throno ſedebit, tamquam Sacerdos armatus, *accipiet armaturam zelus illius*: Sacerdos hic, in throno ſuo ſedens, caput geret ferreum reſpectu peccatorum; ſacrumque ejus caput, quod pro eorum ſalute ſpinea corona redimitum fuerat, tunc galea armabitur, *accipiet pro galea judicium certum*. Divinum ejus pectus, quod pro peccatorum ſalute lancea apertum fuerat, tunc induetur thorace: ut iis declaret, viſcera ſua, reſpectu eorum, ferrea, & ænea eſſe, *induet pro thorace juſtitiam*. Manus tandem ejus, quæ tot beneficiis peccatores affecerunt, enſibus & ſcutis inſtructæ apparebunt, *ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem*. O formidandum Sacerdotem, qui hoc apparatu in peccatores inſurget, in eos ſæviet, immaniter eos percutiet, ac ita horrendam de iis ſtragem faciet, ut volucres cæli, & beſtias terræ ſit advocaturus, ad hoc ut de mactatis horum carnibus ſatuentur. *Dic omni volucri, & univerſis avibus, cunctiſque beſtiis agri, Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem. Ezech. 39. 17.* Nec credas, tunc Chriſtum hæc omnia ægre laturum, quin contra ei hæc omnia voluptati erunt, & quaſi conſolationem percipiet ex vindicta, quam de peccatoribus ſumet. *Heu! conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de*

ſui-

*inimicis meis*. *Iſ.* 1. 24. O quale ſpectaculum, Chriſti, ſub Sacerdotis habitu, de peccatoribus ſe vindicantis! *Quale ſpectaculum, in proximo eſt adventus Domini, jam indubitati, jam ſuperbi, jam triumphantis! Tertull. de ſpect. cap.* 10.

Grande ſane hoc erit ſpectaculum. Nec mirum, cum extremi Judicii dies ſit *magnus dies Domini & terribilis valde*. *Joel.* 2. Omnes Chriſti, in hoc mundo viventis, dies parvi fuere; quia omnibus vitæ ſuæ diebus humiliter inceſſit, & cum humilibus converſatus eſt. Sed extremi Judicii erit *magnus dies Domini*; quia tunc veniet *in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, & tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ*. *Matth.* 25. 31. Et non ſolum extremi Judicii dies, erit magnus dies Domini; ſed erit dies Domini magnus, *& terribilis valde*, quia hac die non ſolum apparebit in majeſtate ſua, ſed etiam in peccatores ſæviet, & de iis modo quodam terribili ſe vindicabit. Ac, ut loquitur ſacra Scriptura, de iis *ſe vindicans vindicabis*. *Eccl.* 5. 3.

Terreni Principes, omni quidem tempore in reos capitalia judicia exerceri curant; nonnumquam tamen juſſu illorum fit extraordinarius quidam delectorum Judicum conſeſſus; ſeu, ut in Gallia loquuntur, *tenentur magni dies* in quibuſdam regni Provinciis. Tuncque juſtitia tanto cum rigore exercetur, ut etiam vetuſta, & quaſi oblita quævis ſcelera in jus vocentur. Tunc aliqui ad furcas, ad triremes alii, ad perpetuum carcerem iſti, & illi ad ignis pœnas damnantur. Tunc fugiunt multi, trepidant omnes; pavor undique, undique tremor, quia tunc fit judicium ſine miſericordia, nec ulli cujuſvis criminis conſcio parcitur. Unde tunc Reges non ſolum ſe vindicant, ſed etiam modo extraordinario & quaſi multipliciter ſe vindicant, ac ſe vindicantes vindicant.

Quid ſimile, & in infinitum terribilius in extremi Judicii die fiet? Quamdiu enim peccatores in hoc mundo morantur, Deus interdum eos morbis, bonorum jactura, vel aliis afflictionibus plectit, & tunc non vindicans, ſed amans, de iis ſe vindicat, quia eos plectit, ut eos convertat & ſalvet. At extremi Judicii dies, *erit magnus dies Domini, & terribilis valde*, quia tunc Chriſtus apparebit in majeſtate ſua, Angelicis ſpiritibus ſtipatus, armatus, iratus, & in peccatores ſæviens, tunc omnia eorum crimina examinabit; tunc omnia ſevere puniet; tunc vindictam ſumet de blaſphemis, perjuris, guloſis, luxurioſis, aliiſque omnibus peccatoribus. Et ſive Reges illi ſint, ſive ruſtici, ſive magni, ſive parvi, de iis modo terribili & inſolito ſe vindicabit, ac ſe *vindicans vindicabit*.

O quam terribilia erunt hæc Dei judicia! quam horrendum tunc erit incidere in manus Dei viventis! quam ſevere tunc de peccatoribus ſe Chriſtus vindicabit! Sed quanto tunc timore, & terrore non afficientur peccatores? Heu! ſi tunc non ſine magno timore futuri ſint juſti; quantus tunc impiorum timor eſt futurus? Si fortiſſimæ tunc trement columnæ, quomodo fragiliſſima ſubſiſtent tuguria? ſi concutientur cedri, virgulta quomodo immobilia perſeverabunt? *Quid ergo facient tabernæ, ſi tremunt columnæ, aut quomodo virgulta immobilia ſtabunt, ſi hujus pavores turbine etiam cedri quatientur? S. Gregor. lib.* 24. *Moral.* Certe tunc peccatores timore & terrore concutientur, pluſquam a nobis dici & concipi poſſit.

Olim Hebræi nolebant Deum loquentem, quia timebant, ne mox morerentur, ſi eum loquentem audirent. *Perterriti, ac pavore concuſſi ſteterunt procul, dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Exod.* 20. 19. Heu! ſi Hebræi timebant audire Deum loquentem eo tempore, quo in eos erat benigniſſimus, & quo non niſi cum ſuavitate loquebatur, quanto timore afficientur peccatores in die Judicii, cum Chriſtus non ſolum adverſus eos loquetur, ſed & in eos iraſcetur, ac de iis modo terribili ulciſcetur? *Si Hebræi neque cum conſolatione valuerunt ſufferre adventum ejus, quid obſecro facturi ſumus, quando in furore, & in ira intolerabili deſcendet? Sanctus Ephrem Syrus*. Hoc ſerio perpendite, peccatores, hoc ſæpe mente revolvite, ac in vobis peccata deſtruite, ut ſecuri appareatis in extremo Judicio; in quo Chriſtus erit Sacerdos qui ſe vindicabit: *& in quo peccatores erunt victima, quæ Chriſtum irritabit*.

## SECUNDA PARS.

*In extremi Judicii Sacrificio peccatores erunt victima, quæ irritabit.*

QUamdiu in ſæculo vivunt peccatores, Deum placare, iram ejus mitigare, juſtitiam illius ſiſtere, eumque ad miſericordiam flectere poſſunt. Sed mox ut mortui fuerint, tempus gratiæ & miſericordiæ non erit amplius, non amplius in eos ſe benignum & miſericordem exhibebit Chriſtus; ſed tunc ſeverus erit Judex, qui in eos ſæviet, & qui omni cum libertate de iis ſe vindicabit. *Deus ultionum libere aget*.

Dum in ſæculo morantur peccatores, Chriſtus Dei juſtitiæ ſiſtitur, & quaſi ligatus. *Tum*, ab ejus miſericordia, quæ peccatoribus ſemper eſt propitia: *Tum*, a Beatiſſima Virgine Maria, quæ eorum eſt advocata! *Tum*, ab aliis Sanctis, qui pro illis intercedunt: *Tum*, ab ipſis peccatoribus, qui Deum nonnunquam ad miſericordiam flectunt. Aſt in die Judicii Chriſtus ſumma cum libertate in peccatores ſæviet, tunc *Deus ultionum liber aget*; quia tunc Maria, Angeli, & Sancti pro peccatoribus non ſtabunt: & quia tunc Dei iram coercere non valebunt peccatores. Quin contra præſentia ſua magis irritabunt Chriſtum Judicem, qui cum coram ſe videbit ingratos peccatores, qui mandata ejus violaverunt, Sanguinem ejus conculcaverunt, Sacramenta profanaverunt, & gratias abjecerunt, in eos magis exardeſcet. Et ſicut magis ſævit, & irritatur Rhinoceros, cum ei objicitur ſanguis: ita & Chriſtus in die Judicii tunc magis iraſcetur, & irritabitur, cum ei ſiſtentur peccatores, divino illo tincti Sanguine, quem profanarunt, & toties conculcaverunt.

Homines ex hoc mundo migrantes, ſua ſolum opera ſecum auferunt, *opera enim illorum ſequuntur illos*. *Apoc.* 14. 13. Juſti ſecum portant virtutes, quibus adhæſerunt; peccatores vero iniquitates deferunt, ad quas declinaverunt. *Unuſquiſque*, inquit

D. Paulus, *onus ſuum portabit*, *Galat. 6. 5.* onus juſtorum ex variis humilitatis, patientiæ, ſcharitatis, aliarumque virtutum actibus erit compactum: & onus impiorum ex uſuris, blaſphemiis, impudicitiis, aliiſque ſceleribus erit compoſitum. Cum autem Chriſtus juſtos variis virtutibus onuſtos & exornatos videbit, benigne eos recipiet, iis gratulabitur, eos laudabit & præmiabit; ſed cum peccatores ei ſe ſiſtent, grave & probroſum Babylonis, ſeu, peccatorum ſuorum onus portantes, a facie & a præſentia illorum magis accendetur ira ejus. Et ideo iratus, & ab illorum præſentia irritatus, in eos acrius inſurget, iiſque ſcelera quæ perpetrarunt objiciet. *Superbis* dicet, ecce qui me privare voluerunt gloria mea. *Avaris* dicet, ecce qui toties me vendiderunt: quique & ſe & hæredes ſuos diabolo tradiderunt, ut divitias congregarent, & ideo jam dæmonibus æternum cruciandi tradentur. *Guloſis & luxurioſis* dicet, ecce qui delicias, & corporis ſui voluptates plus dilexerunt, quam meipſum, & ideo quantum in deliciis fuerunt, tantum jam dabitur illis de tormentis. Cuique tandem peccatori cuncta, quæ perpetravit ſcelera, coram omnibus exprobrabit, eoſque omnes æternis ignibus adjudicabit.

Cum Moyſes de monte deſcendens, vidit vitulum aureum, quem Iſraelitæ ſibi fecerant, ut adorarent illum, ita in eos iratus eſt, ut Tabulas Legis, quas deferebat, projecerit; ac vitulum igne abſumpſerit, & in cinerem redegerit. *Vidit vitulum, iratuſque valde, projecit de manu Tabulas, & confregit eas, arripienſque vitulum, quem fecerant, combuſſit; & contrivit uſque ad pulverem. Exod. 32. 19.* Heu! ſi Moyſes, qui *erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines, Num. 12. 3.* ita iratus eſt, cum idolum illud ab Iſraelitis conflatum vidit, quanta in die Judicii erit Chriſti Salvatoris ira, cum ei ſe ſiſtent peccatores, portantes idola quæ fabricaverunt? quantus ejus erit furor, cum ei objicietur avarus, idolo cupiditatum ſuarum onuſtus? quantum irritabitur, cum videbit luxurioſum, libidinum ſuarum idolo oneratum, & alios omnes peccatores criminum ſuorum idola deferentes? Tunc videbit, & iraſcetur, tunc impiorum præſentia ita irritabitur, ut non ſit qui coram illo ſtare, & iræ ejus impetum ſuſtinere valeat. *Ante faciem indignationis ejus quis ſtabit? & quis reſiſtet in ira furoris ejus. Nah. 1. 6.*

Cum principi, jam ira ſuccenſo, ſiſtitur ſceleſtus quidam homo, qui ei necem machinatus fuerat; tunc ſceleroſi illius præſentia eum magis ad iram provocat: & qui antea iratus erat, tunc magis iraſcitur. Extremi autem Judicii dies, erit dies ultionum Chriſti, in quo iracundia concitatus, vindictam ſumet de inimicis ſuis: *Deus æmulator, & ulciſcens Dominus, & habens furorem: ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis. Nah. 1. 2.* Sed tunc magis iraſcetur, & irritabitur Chriſtus, cum ei ſiſtentur peccatores, qui adverſus illum inſurrexerunt, qui ſuis illum criminibus offenderunt; & qui quantum in ipſis fuit, violentas ei manus intulerunt. Tunc adverſus illos ita irritabitur, & exacerbabitur, ut mallent in inferno latere, quam in ejus præſentia remanere, & illum iratum videre: *Quorum gloria in Inferno eſt. S. Paul. ep. 4.*

Quærunt nonnulli Doctores, quid in extremo judicio magis formidandum? quod ex Judicii illius ſignis & ſuppliciis terribilius erit, & intolerabilius? Anne portentoſus hic Solis & Lunæ defectus, qui tunc fiet? Non. Anne caligo & tenebræ, quibus omnia offundentur? Non. Anne ignis ille vorans, qui ante Chriſti faciem ibit? Nequaquam. Quid ergo? forte elementorum omnium confuſio, orbis univerſi incendium, mare bulliens, vel ſtellæ de cælo cadentes? Nequaquam. Sed tunc ſupplicium omnium graviſſimum erit, videre Chriſtum a peccatorum præſentia irritatum. Hoc erit tormentum ipſa gehenna gravius: & ideo optabunt, cito in infernum mitti: ſeque felices arbitrarentur, ſi a Chriſti præſentia tolli, & in mediis inferni flammis latere poſſent. Quare quiſque illorum gemens dicet: *Quis mihi, hoc tribuat, ut in Inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus? Job 14. 13.*

O peccatores, cum in extremi Judicii die ante Tribunal Chriſti ſtabitis, eum placare optabitis: ſed vana tunc erunt vota veſtra, quia præſentia veſtra eum tunc magis & magis irritabit. Quare facite nunc, quod tunc agere non valebitis. Chriſtum nunc placate, nunc vobiſcum propitium facite, ut in die Judicii in vos iratus non ſit. Nunc Chriſtus placatur hoſtiis, placatur eleemoſynis; ſed placatur præcipue pœnitentia: quare ut futuram Chriſti iram evadere poſſitis, nunc vacate pœnitentiæ operibus. *Quis demonſtrabit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Matth. 3. 7.* Ut futuram Chriſti iram declinetis, eumque in extremo Judicio propitium habeatis, non ſunt ſolum facienda pœnitentiæ folia, pœnitentia non eſt ſolum agenda exterius, & apparenter, ſed facienda vere, ſincere, & ita perfecte, ut vobis utilis ſit & fructuoſa.

Pœnitentia eſt quaſi quædam arbor myſtica, cujus *radix* eſt contritio cordis, *rami* opera bona, *medulla* confeſſio integra, *fructus* ſatisfactionis pœna. Ille autem facit pœnitentiam, ſed non fructus, qui dolet tantum de commiſſis, ille agit pœnitentiam & fructus, ſed non dignos, qui & dolet & in parte ſatisfacit. Sed, ut ait Hugo Cardinalis, ille facit dignæ pœnitentiæ fructus, *qui tantum affligitur per pœnam, quantum deliquit per culpam.* Ne ergo ſolum faciatis pœnitentiæ folia, ſed veram pœnitentiam & veros agite pœnitentiæ fructus, ut Chriſtum propitium habeatis in die Judicii, in quo peccatores erunt victima, quæ illum irritabit, *& pœna illorum erit mors, quæ illos non trucidabit.*

## TERTIA PARS.

*In extremi Judicii Sacrificio, pœna peccatorum erit mors, quæ illos non trucidabit.*

EZechieli Prophetæ imperavit Deus ut populo nuntiaret, ſe gladium ſuum exacuiſſe & limaſſe: *Gladius exacutus eſt, & limatus: ut cædat victimas, exacutus eſt; ut ſplendeat, limatus eſt. Ezech. 21. 10.* Chriſtus Dominus, qui in extremi Judicii die Sacerdotis perſonam geret, horrendum tunc faciet ſacrificium, in quo peccatores erunt infelix victima, ad quam jugulandam & cædendam ſuum ipſe exacuet gladium: *ut cædat victimas, exacutus eſt.* Sed, ut ait Propheta, gladium ſuum Chriſtus non ſolum exacuet, verum & limabit, ut illum in oculis ſuorum

rum victimarum jam occiſarum ſplendere faciat: *ut ſplendeat, limatus eſt*. Quomodo hæ victimæ, jam mortuæ, ſplendentem Chriſti ſe vindicantis gladium videre poterunt? Eum videbant: quia gladius hic ita peccatoribus mortem inferet, ut eos adhuc vivos relinquat; eos ita occidet, ut adhuc vivant, & videant.

Quod præclare docuit idem Propheta, dicens, quod Chriſtus peccatores gladio ſuo percutiens, multiplicabit ictus: *duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic eſt gladius occiſionis magnæ. Ibid. v. 14.* Chriſtus ter, quater, centies has victimas gladio ſuo feriet: & licet quilibet ictus ſit lethifer, nunquam tamen morientur. Primus ictus erit lethalis; peccatoribus tamen vitam non auferet: ſecundus ictus erit mortalis; eos tamen vitæ ſuperſtites relinquet: tertius, quartus, quintus, & quilibet ex his ictibus eos cædet ad mortem; nunquam tamen morientur: continue lethiferis percutientur ictibus, & nullus ex his ictibus eos e vivis auferet, ultimas tandem ſemper patientur morientium anguſtias, & nunquam morientur: ac *his miſeris erit mors ſine morte: finis ſine fine: defectus ſine defectu. Aug. lib. de ſpir. & litt.* Heu! quam durum, quam intolerabile eſt, ſemper mori, & nunquam mortuum eſſe! Non poteſt, inquit Auguſtinus, cuiquam pejus accidere, quam quod crudelis mortis pœnas indeſinenter patiatur, & tamen nunquam pereat; ſed ſemper moriens, ſemper vivat: *Numquam homini erit pejus in morte, quam ubi erit mors ipſa ſine morte. Auguſt. de Civ. lib. 13. cap. 2.* Hæc eſt ſæva illa mors, quam in die Judicii perferent peccatores: pœna eorum erit mors, quæ illos non trucidabit: *miſeris erit mors ſine morte.*

Nonnullus ex antiquis Philoſophis eos irridebat, qui mortem timebant: eamque nullo modo timendam dicebat: quia citiſſime tranſit, nec cum morientibus aliquandiu remanet: *eſſet timenda, ſi ſecum eſſe poſſet*. Parum quidem timenda mors illa temporalis, quam in hoc mundo patimur, quia unico ſolum momento nobiſcum eſt: ſed timenda plurimum mors illa, quam in die Judicii perferent peccatores; quia hæc cum illis ſemper remanebit. Hæc nunquam tranſibit, ſed ſemper cum iis erit: morientur ſemper, & nunquam mortui, penituſque extincti erunt. Mors eorum non tranſitoria, ſed fixa erit & permanens: *infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt. Pſ. 9. 16.* Mortem iis ita infiget, & alligabit Chriſtus, ut ab iis divelli, & ſeparari nunquam poſſint: continua morte ferientur, & tamen nunquam mori & totaliter extingui poterunt: æterna morte morientur, inquit Auguſtinus; & tamen hæc mors illos non trucidabit; ſed eos ita vivos relinquet, ut nec moriendi poteſtatem habeant. *Infeliciter in æterna morte ſine moriendi poteſtate durabunt. Aug. in Enchir. c. 3.*

Mortuos magnos & parvos vidit Sanctus Joannes Evangeliſta. *Vidi mortuos magnos & puſillos. Apoc. 20. 12.* Sciunt omnes, mortem eſſe ſolummodo vitæ privationem; quæ privatio conſiſtit in indiviſibili: nec enim unus mortuus vita magis privatur, quam alius. Cur ergo ait dilectus Chriſti Diſcipulus, ſe magnos & parvos vidiſſe mortuos? Ratio eſt; quia in mortalibus, mortuos alios dicimus magnos, & alios parvos. Cum enim homo in ſtatu gratiæ mortuus eſt, hic parvus eſt mortuus: immo, quaſi non eſt mortuus; quia mors ejus eſt ſolummodo quaſi ſomnus dulcis, & quaſi tranſiens ad vitam æternam. Sed cum in ſtatu mortalis peccati moriuntur impii, hi ſunt magni mortui; quia non ſolum in hoc mundo moriuntur, verum & in extremi Judicii die æternæ morti ſunt adjudicandi. Tunc eis infligetur, & infigetur mors acerba & doloroſa, quæ ſemper eos feriet, nec unquam trucidabit: Tunc falcem ſuam ab his mors nunquam retrahet: ſed ictus omni hora iterando, æternas adferet agonias, tunc ſemper morientur impii, nec unquam moriendi poteſtatem habebunt; quia mors illos nunquam penitus trucidabit. *Infeliciter in æterna morte ſine moriendi poteſtate durabunt.*

Idem Sanctus Evangeliſta ait, quod qui de mundo, de propriis paſſionibus, & de peccato triumphaverint, non morientur morte ſecunda; *qui vicerit, non lædetur morte ſecunda. Apoc. 2. 2.* Quæ eſt illa mors ſecunda, quam non patientur juſti, qui de vitiis, & peccatis in hoc mundo triumpharint? Hæc haud dubie eſt illa mors, quam Job *reginam* vocat, *& calcet ſuper eum, quaſi rex, interitus. Job 18. 14.* Eſt quædam mors *regina*, & quædam mors *non regina*; mors, quam in hoc mundo perferimus, quia velociſſime tranſit, non eſt regina, nec regnat ſuper nos; ſed mors *ſecunda*: ſeu mors illa, qua in die Judicii plectentur peccatores, erit mors *regina*; quia in æternum ſuper eos regnabit, ſemperque hac morte morientur, nec tamen unquam trucidabuntur. Vel, ut ait S. Bernardus, hac morte ſemper morientur; ita tamen ut ſemper vivi remaneant. *Semper morientur ad vitam, & ſemper vivent ad mortem. S. Bern. ſer. de verb. Apoſt.*

O quam terribilis illa mors, quæ nunquam trucidat! quid intolerabilius illa morte, cujus conflictus eſt perpetuus, cujus tormenta carent termino, cujus dilacerationes, & contorſiones non habent metam? Si crudelem, ſævam, & intolerabilem vocamus mortem noſtram, quæ mox tranſit; quid ſentiendum de hac morte, quæ ſemper occidendo torquet; vel potius, quæ ſemper torquendo nunquam interficit. *Quid gravius immortalitate miſerabili, Ambr. lib. de fide Reſurr.* inquit D. Ambroſius? ſeu, quid gravius, quam ſemper mori, & in continua morte ſemper vivere, nec unquam trucidari? Certe nil gravius videtur. Quare quiſque ita vivere debet, ut in extremi Judicii die hac morte non percutiatur.

Vidiſtis formidandum hoc ſacrificium, in quo *Chriſtus* erit Sacerdos, qui ſe vindicabit; *peccatores* erunt victima, quæ Deum irritabit; *& pœna* eorum erit mors, quæ non trucidabit. At non ſatis eſt, ſacrificium hoc noſſe, & pertimeſcere; verum ſummo ſtudio vigilandum, & laborandum fortiter, ut terribile hoc ſacrificium devitetur. Ut autem horrendum hoc ſacrificium quiſque peccator declinare valeat, aliud in hoc mundo ſacrificium Deo offerre debet, nempe pœnitentiæ ſacrificium. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*, inquit Propheta. *Pſ. 4. 6. Sacrificium juſtitiæ*, eſt ſacrificium pœnitentiæ; quia juſtum & æquiſſimum eſt, ut peccator, qui pluries Deum offendit, juſtitiæ ejus per pœnitentiam ſatisfaciat. Et ideo hoc veræ pœnitentiæ ſacrificium quiſque pec-



Digitized by Google

D. Paulus, *onus ſuum portabit*, *Galat. 6. 5.* onus juſtorum ex variis humilitatis, patientiæ, charitatis, aliarumque virtutum actibus erit compactum: & onus impiorum ex uſuris, blaſphemiis, impudicitiis, aliiſque ſceleribus erit compoſitum. Cum autem Chriſtus juſtos variis virtutibus onuſtos & exornatos videbit, benigne eos recipiet, iis gratulabitur, eos laudabit & præmiabit; ſed cum peccatores ei ſe ſiſtent, grave & probroſum Babylonis, ſeu, peccatorum ſuorum onus portantes, a facie & a præſentia illorum magis accendetur ira ejus. Et ideo iratus, & ab illorum præſentia irritatus, in eos acrius inſurget, iiſque ſcelera quæ perpetrarunt objiciet. *Superbis* dicet, ecce qui me privare voluerunt gloria mea. *Avaris* dicet, ecce qui toties me vendiderunt: quique & ſe & hæredes ſuos diabolo tradiderunt, ut divitias congregarent, & ideo jam dæmonibus æternum cruciandi tradentur. *Guloſis & luxurioſis* dicet, ecce qui delicias, & corporis ſui voluptates plus dilexerunt, quam meipſum, & ideo quantum in deliciis fuerunt, tantum jam dabitur illis de tormentis. Cuique tandem peccatori cuncta, quæ perpetravit ſcelera, coram omnibus exprobrabit, eoſque omnes æternis ignibus adjudicabit.

Cum Moyſes de monte deſcendens, vidit vitulum aureum, quem Iſraelitæ ſibi fecerant, ut adorarent illum, ita in eos iratus eſt, ut Tabulas Legis, quas deferebat, projecerit; ac vitulum igne abſumpſerit, & in cinerem redegerit. *Vidit vitulum, iratuſque valde, projecit de manu Tabulas, & confregit eas, arripienſque vitulum, quem fecerant, combuſſit; & contrivit uſque ad pulverem. Exod. 32. 19.* Heu! ſi Moyſes, qui *erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines, Num. 12. 3.* ita iratus eſt, cum idolum illud ab Iſraelitis conflatum vidit, quanta in die Judicii erit Chriſti Salvatoris ira, cum ei ſe ſiſtent peccatores, portantes idola quæ fabricaverunt? quantus ejus erit furor, cum ei objicietur avarus, idolo cupiditatum ſuarum onuſtus? quantum irritabitur, cum videbit luxurioſum, libidinum ſuarum idolo oneratum, & alios omnes peccatores criminum ſuorum idola deferentes? Tunc videbit, & iraſcetur, tunc impiorum præſentia ita irritabitur, ut non ſit qui coram illo ſtare, & iræ ejus impetum ſuſtinere valeat. *Ante faciem indignationis ejus quis ſtabit? & quis reſiſtet in ira furoris ejus. Nah. 1. 6.*

Cum principi, jam ira ſuccenſo, ſiſtitur ſceleſtus quidam homo, qui ei necem machinatus fuerat; tunc ſceleroſi illius præſentia eum magis ad iram provocat: & qui antea iratus erat, tunc magis iraſcitur. Extremi autem Judicii dies, erit dies ultionum Chriſti, in quo iracundia concitatus, vindictam ſumet de inimicis ſuis: *Deus æmulator, & ulciſcens Dominus, & habens furorem: ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis. Nah. 1.2.* Sed tunc magis iraſcetur, & irritabitur Chriſtus, cum ei ſiſtentur peccatores, qui adverſus illum inſurrexerunt, qui ſuis illum criminibus offenderunt; & qui quantum in ipſis fuit, violentas ei manus intulerunt. Tunc adverſus illos ita irritabitur, & exacerbabitur, ut mallent in inferno latere, quam in ejus præſentia remanere, & illum iratum videre: *Quorum gloria in Inferno eſt. S. Paul. ep. 4.*

Quærunt nonnulli Doctores, quid in extremo judicio magis formidandum? quod ex Judicii illius ſignis & ſuppliciis terribilius erit, & intolerabilius? Anne portentoſus hic Solis & Lunæ defectus, qui tunc fiet? Non. Anne caligo & tenebræ, quibus omnia offundentur? Non. Anne ignis ille vorans, qui ante Chriſti faciem ibit? Nequaquam. Quid ergo? forte elementorum omnium confuſio, orbis univerſi incendium, mare bulliens, vel ſtellæ de cælo cadentes? Nequaquam. Sed tunc ſupplicium omnium graviſſimum erit, videre Chriſtum a peccatorum præſentia irritatum. Hoc erit tormentum ipſa gehenna gravius: & ideo optabunt, cito in infernum mitti: ſeque felices arbitrarentur, ſi a Chriſti præſentia tolli, & in mediis inferni flammis latere poſſent. Quare quiſque illorum gemens dicet: *Quis mihi, hoc tribuat, ut in Inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus? Job 14. 13.*

O peccatores, cum in extremi Judicii die ante Tribunal Chriſti ſtabitis, eum placare optabitis: ſed vana tunc erunt vota veſtra, quia præſentia veſtra eum tunc magis & magis irritabit. Quare facite nunc, quod tunc agere non valebitis. Chriſtum nunc placate, nunc vobiscum propitium facite, ut in die Judicii in vos iratus non ſit. Nunc Chriſtus placatur hoſtiis, placatur eleemoſynis; ſed placatur præcipue pœnitentia: quare ut futuram Chriſti iram evadere poſſitis, nunc vacate pœnitentiæ operibus. *Quis demonſtrabit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Matth. 3. 7.* Ut futuram Chriſti iram declinetis, eumque in extremo Judicio propitium habeatis, non ſunt ſolum facienda pœnitentiæ folia, pœnitentia non eſt ſolum agenda exterius, & apparenter, ſed facienda vere, ſincere, & ita perfecte, ut vobis utilis ſit & fructuoſa.

Pœnitentia eſt quaſi quædam arbor myſtica, cujus *radix* eſt contritio cordis, *rami* opera bona, *medulla* confeſſio integra, *fructus* ſatisfactionis pœna. Ille autem facit pœnitentiam, ſed non fructus, qui dolet tantum de commiſſis, ille agit pœnitentiam & fructus, ſed non dignos, qui & dolet & in parte ſatisfacit. Sed, ut ait Hugo Cardinalis, ille facit dignæ pœnitentiæ fructus, *qui tantum affligitur per pœnam, quantum deliquit per culpam.* Ne ergo ſolum faciatis pœnitentiæ folia, ſed veram pœnitentiam & veros agite pœnitentiæ fructus, ut Chriſtum propitium habeatis in die Judicii, in quo peccatores erunt victima, quæ illum irritabit, *& pœna illorum erit mors, quæ illos non trucidabit.*

## TERTIA PARS.

*In extremi Judicii Sacrificio, pœna peccatorum erit mors, quæ illos non trucidabit.*

EZechieli Prophetæ imperavit Deus ut populo nuntiaret, ſe gladium ſuum exacuiſſe & limaſſe: *Gladius exacutus eſt, & limatus: ut cædat victimas, exacutus eſt: ut ſplendeat, limatus eſt. Ezech. 21. 10.* Chriſtus Dominus, qui in extremi Judicii die Sacerdotis perſonam geret, horrendum tunc faciet ſacrificium, in quo peccatores erunt infelix victima, ad quam jugulandam & cædendam ſuum ipſe exacuet gladium; *ut cædat victimas, exacutus eſt.* Sed, ut ait Propheta, gladium ſuum Chriſtus non ſolum exacuet, verum & limabit, ut illum in oculis harum

Digitized by Google

rum victimarum jam occiſarum ſplendere faciat: *ut ſplendeat, limatus eſt*. Quomodo hæ victimæ, jam mortuæ, ſplendentem Chriſti ſe vindicantis gladium videre poterunt? Eum videbunt; quia gladius hic ita peccatoribus mortem inferet, ut eos adhuc vivos relinquat; eos ita occidet, ut adhuc vivant, & videant.

Quod præclare docuit idem Propheta, dicens, quod Chriſtus peccatores gladio ſuo percutiens, multiplicabit ictus: *duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic eſt gladius occiſionis magnæ. Ibid. v. 14.* Chriſtus ter, quater, centies has victimas gladio ſuo feriet: & licet quilibet ictus ſit lethifer, nunquam tamen morientur. Primus ictus erit lethalis; peccatoribus tamen vitam non auferet: ſecundus ictus erit mortalis; eos tamen vitæ ſuperſtites relinquet: tertius, quartus, quintus, & quilibet ex his ictibus eos cædet ad mortem; nunquam tamen morientur: continue lethiferis percutientur ictibus, & nullus ex his ictibus eos e vivis auferet, ultimas tandem ſemper patientur morientium anguſtias, & nunquam morientur: ac *his miſeris erit mors ſine morte; finis ſine fine; defectus ſine defectu. Aug. lib. de ſpir. & litt.* Heu! quam durum, quam intolerabile eſt, ſemper mori, & nunquam mortuum eſſe! Non poteſt, inquit Auguſtinus, cuiquam pejus accidere, quam quod crudelis mortis pœnas indeſinenter patiatur, & tamen nunquam pereat; ſed ſemper moriens, ſemper vivat: *Nunquam homini erit pejus in morte; quam ubi erit mors ipſa ſine morte. Auguſt. de Civ. lib. 13. cap. 2.* Hæc eſt ſæva illa mors, quam in die Judicii perferent peccatores: pœna eorum erit mors, quæ illos non trucidabit: *miſeris erit mors ſine morte.*

Nonnullus ex antiquis Philoſophis eos irridebat, qui mortem timebant: eamque nullo modo timendam dicebat: quia citiſſime tranſit, nec cum morientibus aliquandiu remanet: *eſſet timenda, ſi ſecum eſſe poſſet.* Parum quidem timenda mors illa temporalis, quam in hoc mundo patimur, quia unico ſolum momento nobiſcum eſt: ſed timenda plurimum mors illa, quam in die Judicii perferent peccatores; quia hæc cum illis ſemper remanebit. Hæc nunquam tranſibit, ſed ſemper cum iis erit: morientur ſemper, & nunquam mortui, penituſque extincti erunt. Mors eorum non tranſitoria, ſed fixa erit & permanens: *infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt. Pſ. 9. 16.* Mortem iis ita infiget, & alligabit Chriſtus, ut ab iis divelli, & ſeparari nunquam poſſint: continua morte ferientur, & tamen nunquam mori & totaliter extingui poterunt: æterna morte morientur, inquit Auguſtinus; & tamen hæc mors illos non trucidabit; ſed eos ita vivos relinquet, ut nec moriendi poteſtatem habeant. *Infeliciter in æterna morte ſine moriendi poteſtate durabunt. Aug. in Enchir. c. 3.*

Mortuos magnos & parvos vidit Sanctus Joannes Evangeliſta. *Vidit mortuos magnos & puſillos. Apoc. 20. 12.* Sciunt omnes, mortem eſſe ſolummodo vitæ privationem; quæ privatio conſiſtit in indiviſibili: nec enim unus mortuus vita magis privatur, quam alius. Cur ergo ait dilectus Chriſti Diſcipulus, ſe magnos & parvos vidiſſe mortuos? Ratio eſt; quia in mortalibus, mortuos alios dicimus magnos, & alios parvos. Cum enim homo in ſtatu gratiæ mortuus eſt, hic parvus eſt mortuus: immo, quaſi non eſt mortuus; quia mors ejus eſt ſolummodo quaſi ſomnus dulcis, & quaſi tranſiens ad vitam æternam. Sed cum in ſtatu mortalis peccati moriuntur impii, hi ſunt magni mortui; quia non ſolum in hoc mundo moriuntur, verum & in extremi Judicii die æternæ morti ſunt adjudicandi. Tunc eis infligetur, & infigetur mors acerba & doloroſa, quæ ſemper eos feriet, nec unquam trucidabit: Tunc falcem ſuam ab his mors nunquam retrahet; ſed ictus omni hora iterando, æternas adferet agonias, tunc ſemper morientur impii, nec unquam moriendi poteſtatem habebunt; quia mors illos nunquam penitus trucidabit. *Infeliciter in æterna morte ſine moriendi poteſtate durabunt.*

Idem Sanctus Evangeliſta ait, quod qui de mundo, de propriis paſſionibus, & de peccato triumpharint, non morientur morte ſecunda; *qui vicerit, non lædetur morte ſecunda. Apoc. 2. 2.* Quæ eſt illa mors ſecunda, quam non patientur juſti, qui de vitiis, & peccatis in hoc mundo triumpharint? Hæc haud dubie eſt illa mors, quam Job *reginam* vocat, *& calcet ſuper eum, quaſi rex, interitus. Job 18. 14.* Eſt quædam mors *regina*, & quædam mors *non regina*; mors, quam in hoc mundo perferimus, quia velociſſime tranſit, non eſt regina, nec regnat ſuper nos; ſed mors *ſecunda*: ſeu mors illa, qua in die Judicii plectentur peccatores, erit mors *regina*; quia in æternum ſuper eos regnabit, ſemperque hac morte morientur, nec tamen unquam trucidabuntur. Vel, ut ait S. Bernardus, hac morte ſemper morientur; ita tamen ut ſemper vivi remaneant. *Semper morientur ad vitam, & ſemper vivent ad mortem. S. Bern. ſer. de verb. Apoſt.*

O quam terribilis illa mors, quæ nunquam trucidat! quid intolerabilius illa morte, cujus conflictus eſt perpetuus, cujus tormenta carent termino, cujus dilacerationes, & contorſiones non habent metam? Si crudelem, ſævam, & intolerabilem vocamus mortem noſtram, quæ mox tranſit; quid ſentiendum de hac morte, quæ ſemper occidendo torquet; vel potius, quæ ſemper torquendo nunquam interficit. *Quid gravius immortalitate miſerabili, Ambr. lib. de fide Reſurr.* inquit D. Ambroſius? ſeu, quid gravius, quam ſemper mori, & in continua morte ſemper vivere, nec unquam trucidari? Certe nil gravius videtur. Quare quiſque ita vivere debet, ut in extremi Judicii die hac morte non percutiatur.

Vidiſtis formidandum hoc ſacrificium, in quo *Chriſtus* erit Sacerdos, qui ſe vindicabit; *peccatores* erunt victima, quæ Deum irritabit; *& pœna* eorum erit mors, quæ non trucidabit. At non ſatis eſt, ſacrificium hoc noſſe, & pertimeſcere; verum ſummo ſtudio vigilandum, & laborandum fortiter, ut terribile hoc ſacrificium devitetur. Ut autem horrendum hoc ſacrificium quiſque peccator declinare valeat, aliud in hoc mundo ſacrificium Deo offerre debet, nempe pœnitentiæ ſacrificium. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*, inquit Propheta. *Pſ. 4. 6. Sacrificium juſtitiæ*, eſt ſacrificium pœnitentiæ; quia juſtum & æquiſſimum eſt, ut peccator, qui pluries Deum offendit, juſtitiæ ejus per pœnitentiam ſatisfaciat. Et ideo hoc veræ pœnitentiæ ſacrificium quiſque pec-

catot Deo in hoc mundo offerre debet, ut tremendum extremi Judicii ſacrificium declinare valeat.

Omnes peccatores ſe apud Deum in die Judicii excuſare conabuntur, ut terribile illud ſacrificium devitent; ſed ſolum pœnitentiæ ſacrificium, in hoc mundo oblatum, tunc Deum placare, & peccatores excuſare poterit. Optima excuſatio, & potiſſima eorum apologia erit pœnitentiæ ſacrificium, ſi illud Deo in hoc mundo obtulerint: *Pœnitentia apologia magna hominis peccatoris. Tertull.* Ut ſe excuſet *ebrioſus*, dicet: in ebrietatibus uſque ad mortem perſeveravi; quia a ſociis, a pravo affectu, & ab inveterato habitu allectus fui: ſed hæc non erit legitima ejus apologia. *Luxurioſus* dicet: corrupta caro me ad fœda inclinavit, innata propenſio me attraxit, & occaſio proxima, in quam infeliciter incurri, me totaliter illaqueavit: ſed non vera ejus erit apologia. *Avarus*, qui aliena inique detinuit, dicet: a ſtatu meo deficere nolui; durum mihi fuit, id reſtituere, quod diu poſſederam; piguit me filios ad egeſtatem redigere: ſed hæc ejus non erit apologia. Sola hominis peccatoris apologia erit pœnitentiæ ſacrificium, ſi ante mortem illud obtulerit: *Pœnitentia apologia magna hominis peccatoris.*

Si hoc pœnitentiæ ſacrificium in hoc mundo Deo obtulerint peccatores: cum in tremendi Judicii die dicet ei Chriſtus: hoc & illud peccatum perpetraſti; reſpondere poterunt: hoc quidem verum; ſed pœnitentiam egimus. Cum dicet eis Chriſtus: luxuriæ, gulæ, & aliis multis vitiis indulſiſtis: reſpondere poterunt; hoc verum eſt, ſed ante mortem pœnitentiam egimus. Ecce eorum apologiam; ecce ſacrificium, quod Deum placabit: quare pœnitentiam agite: per pœnitentiam omnia mortalia in vobis deſtruite; & hoc ſacrificium vos a formidando ultimi Judicii ſacrificio præſervabit; vobiſque gratiam in hoc mundo, & æternam beatitudinem in alio obtinebit. *Amen.*

## DE INFERNI SUPPLICIIS.

### CONCIO VIII.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Iſaiæ 27. 9.

TImere, an amare, quid homini ad ſalutem utilius, penitus ignoro. Non me latet, Dei amorem (ſi verus ſit) amorem mundi excludere, de vitiis omnibus triumphare, & ad perfectionis apicem perducere. Sed Dei amori adjungi debet timor illius: quia qui non timet, nimia ſui confidentia, & occulta quadam præſumptione, in gravia nonnunquam cadit ſcelera, a quibus non facile ſurgit, ſi ſancto Dei timore non ſtimuletur, & ad pœnitentiam ſuſcipiendam non excitetur. Quamobrem Spiritus Sanctus, qui amoris præcepta hominibus tradidit, ad ſanctum timorem eos invitat, eoſque beatos declarat, quorum cordibus ſemper infixus eſt Dei timor. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus. Prov. 28. 14.* Ob eandem etiam rationem Chriſtus, qui in hunc mundum venit, homines ad ſui amorem allicit, eos crebro terrītat, dum jam mortis horam imminere monet, jam terribilia extremi Judicii ſigna proponit, & jam intolerabilia inferni ſupplicia iis minatur.

Sanctum hunc timorem peccatorum cordibus inferre pertentavimus in præcedentibus & ultimis duabus concionibus, dum de morte & extremo Judicio conciones inſtituimus. Sed ut altius peccatorum cordibus hic timor infigatur, utque eos ad deſtruenda in ſemetipſis peccata efficacius inducamus, de formidandis inferni ſuppliciis iſta erit concio, &c. *Ave.*

HUjus mundi vita exilium eſt, peregrinatio eſt, miſeria eſt, & miſeriarum abyſſus; nec enim quis in hoc mundo vivit, qui multis non repleatur miſeriis. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Job 14. 1.*

O quam infelix hæc hominum in hoc mundo viventium ſors! *Nullus* tamen eorum ita in hoc mundo miſer, ut pati cogatur omnia pœnarum genera abſque ulla exceptione, abſque ulla conſolatione, & abſque ullo fructu. *Nullus* in hoc mundo omnia abſque ulla exceptione pœnarum & dolorum genera patitur, nec pati poteſt; quia corpora noſtra doloribus cedunt; & cum quis vel unico gravi afficitur ſupplicio, mox moritur, & deficit. *Nullus* etiam in hoc mundo ita miſer ut omni penitus ſolatio careat: quia aut parentes, aut amicos, aut ſeipſum, aut Deum conſolatorem quiſque habet. *Nullus* tandem ita obcæcatus, ita obduratus, & a Deo ita derelictus, ut aliquem fructum ex doloribus, quos patitur, percipere non valeat, ſi cæleſtibus non abutatur gratiis, quæ nulli deſunt; & quarum auxilio freti, æternam beatitudinem ſemper mereri poſſumus.

Aſt longe alius eſt reproborum ſtatus in inferno. Ibi enim non aliquibus duntaxat, ſed omnibus adducuntur miſeriis: ibi omnia perferunt ſupplicia; ibique omnes patiuntur dolores ſine ulla exceptione, ſine ulla conſolatione, & ſine ullo fructu. Damnati in inferno patiuntur: 1. *Omnes dolores*, ſine ulla exceptione: 2. *Omnes dolores*, ſine ulla conſolatione: 3. *Omnes dolores*, ſine ullo fructu.

### PRIMA PARS.

*Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores, ſine ulla exceptione.*

D*Uæ civitates ſunt: una in regno æterno, alia in igne æterno. Auguſt. ſerm. 18. de ver. Apoſt.* Sicut autem Sancti, qui in cæleſti civitate triumphant, omnibus perfruuntur bonis: ita reprobi, qui in inferni civitate cruciantur, omnia patiuntur mala, omni ſuppliciorum genere torquentur, omneſque dolores perferunt. De homine enim reprobo aſſerit Job, quod in inferno non hos ſolum, aut illos, ſed omnes patietur dolores, qui non pedetentim, & ſucceſſive, ſed omnes ſimul in eum irruent: *omnis dolor irruet ſuper eum. Job 20. 22.*

Imaginare omnes dolores, quos perferunt qui podagra, qui dyſenteria, qui calculo, qui hemicrania, qui alvi cruciatibus, aliiſque gravioribus morbis torquentur: Recogita quoſcumque dolores, quos a mundi primordio perpeſſi ſunt Martyres igne cremati, flagellis cæſi, in oleum fervens injecti, oleo liqua-

to

Digitized by Google

to perfuſi, pectinibus ferreis dilaniati, aliiſque ſuppliciis torti: Animo verſa, & in unicum faſciculum collige quidquid terribilius in primi pœnam peccati Deus hominibus intulit, quidquid crudelitatis inhumani, & barbari tyranni infideles adinvenerunt, & quidquid ſævitiæ in mortales induxerunt tartarei ſpiritus. Mentis tuæ oculis hæc omnia objice; & certus eſto, quod hæc omnia ſupplicia, omneſque hi dolores in damnatos irruent: quia, ut præfata Jobi verba exponit Hugo Cardinalis; *in damnatos irruet cruciatus æternus, qui omnes hujus mundi dolores virtualiter continet, & in immenſum ſuperat.*

O quam infelices reprobi, in quos omnis dolor irruet! Immo, ut ait Chryſoſtomus, in eos non ſolum irruent omnes hujus mundi dolores; verum & longe majores: quia omnia ſupplicia, quæ unquam in hoc mundo perpeſſi ſunt homines, ſi cum reproborum ſuppliciis conferantur, non ſupplicia, ſed quædam ſolummodo ſuppliciorum umbra, & figura ſunt. *Pone ferrum, ignem & beſtias, & ſi quid his difficilius; attamen nec umbra ſunt hæc ad illa tormenta.* Addit S. Hieronymus, quod in damnatos irruent omnes hujus mundi dolores; quia tot & tantis addicentur ſuppliciis, ut omnia, quæ in hoc mundo unquam paſſi ſunt homines, quaſi nihil ſint, nec reproborum ſuppliciis valeant comparari: *Omnia mala, quæ veteribus hiſtoriis continentur, aut inundatione maris, aut alluvione fluminum, aut peſtilentia, morbis, fame, beſtiis, hoſtium vaſtitate hominibus acciderunt, his ſuppliciis non poterunt comparari. Hieron. in c. 2. Joel.*

Sed ut facilius quiſque ſibi ſuadeat, quod omnes dolores in inferno perpeſſuri ſint reprobi; velim, ut quiſque mente revolvat, quid & qualis ſit inferni locus, quem ſic deſcribit Petrus Damianus (regio gehennalis, regio dura, regio extimeſcenda, terra afflictionis, terra oblivionis, terra miſeriarum, terra tenebrarum, terra turbinis & caliginis, terra maledictionis & mortis, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Totus tremo ad memoriam regionis illius, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea. Illic eſt ignis qui non extinguitur, vermis qui non moritur: Ibi frigus horrendum: ibi fœtor intolerabilis exoritur: ibi percutientes mallei reſonant inceſſanter, & offuſæ tenebræ cumulatius condenſantur. Illic confuſio peccatorum, horribilis facies dæmonum, inextricabilium vinculorum ferrilis multitudo: ibi fletus & ſtridor dentium, planctus & gemitus: ibi alternantia mala impios ſine pietate diſcerpunt.) *Petr. Dam. ſerm. 60.* O infelicem regionem, in qua impii nihil guſtant præter amaritudines; nil vident niſi tenebras, nil audiunt niſi planctus, nil aliud olefaciunt quam fœtores, nihilque ſentiunt præter tormenta! O terram infortunatam, in qua dolores multitudine ſunt infiniti, intenſione acerbiſſimi, varietate diverſi, duratione perpetui. Penſate nunc, quos & quales dolores in inferno patiantur reprobi: certe non ibi hos, aut illos duntaxat, ſed omnes penitus dolores perferunt: *omnis dolor irruet ſuper eum.*

Quod & ipſe Deus ore Moyſis aſſerit, formidandis iiſce verbis; *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. Deut. 32. 23.* Quaſi dicat: Quamdiu peccatores morantur in ſæculo, nimia mea abutuntur clementia, juſtitiæ meæ minas irrident, Concionatorum & Confeſſariorum monita ſpernunt, leges meas impudenter violant, pro eorum ſalute inſtituta Sacramenta profanant, & plurima ſuper ſe peccata aggregant: ego vero ſuper eos in inferno congregabo omnia ſupplicia, omnes miſerias, omneſque penitus dolores. *Congregabo ſuper eos mala.*

Plurorius Reipublicæ Thebanorum Senator vigilantiſſimus, advertens, multis & graviſſimis vitiis pleroſque cives ſcatere, eoſque ob nimiam Judicum indulgentiam licentius vivere, ſuppliciis multis illos ad meliorem vitæ frugem adducere excogitavit. Quare rotarum, ſecurium, aſciarum, novacularum, & aliorum inſtrumentorum ad torturam, & alia tormenta inferenda ſpectantium integram ſtruem coram aliis S natoribus & populo congeſſit: per hoc iis indicans, non amplius indulgentia, & inſana diſſimulatione, ſed rigore, & ſeveritate utendam ad tollendas civium inordinationes, & ad extirpanda eorum ſcelera. Deus ſimiliter videns, impios ſua in hoc ſæculo abuti patientia, æterna iis minatur ſupplicia: & ſi hi, antequam moriantur, licentiori vitæ metas non ponant, omnia mala, omneſque dolores in inferno ſuper illos congregabit: ac in eos tot vibrabit tela, tot plagas, totque calamitates immittet, ut ſuam videatur pharetram exhaurire; nec aliud aliquod ei ſupereſſe ſupplicium, cui inferendo manum admovere poſſint: *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.*

Octo ſuppliciorum genera, quibus antiquitus plectebantur rei, recenſet Auguſtinus; videlicet, *damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, ſervitutem, mortem.* In inferno autem reprobi his omnibus torquentur ſuppliciis. Ibi enim graviſſimum patiuntur damni pœnam, cum in æternum priventur viſione Dei: quæ pœna nulla eſt gravior. Ibi etiam talionis infligitur pœna, quæ eſt ſupplicii quædam paritas reciproca: & ideo quia Deum ignoraverunt, ab eo ignorabuntur, & quia miſericordes non fuerunt, miſericordiam non conſequentur. Ibi tanta afficiuntur ignominia, ut ad eam vitandam deſtrui, & annihilari cupiant. Duriſſimi exilii pœnas haud dubie luunt, cum a Paradiſi gloria exulent, nec in locum inferno horribiliorem ablegari queant. Taceo ſervitutem illorum, qua nulla durior excogitari poteſt: cum tartareum poteſtatum dominationi ſubſint. Vinculis etiam adamantinis ab Omnipotentis dextera in inferno ligati detinentur. Duriſſima quoque patiuntur verbera, nam a dæmonibus, non flagellorum ſolum, ſed & malleorum ictibus cæduntur: *Mallei percutientes ſtultorum corporibus. Prov. 19. 29.* In inferno tandem impii mortem obeunt, non quidem temporalem, ſed æternam: *Supplicium mortis ibidem erit, ſed mortis æternæ. S. Auguſt. in Pſalm. 80.* Ac proinde omnia mala, omnia ſupplicia, & omnes dolores ſuper impios in inferno congregantur.

De quo non dubitabit qui avarum divitem clamantem audiet, & dicentem; infernum eſſe *locum tormentorum.* Dici quidem poteſt infernum eſſe *locum tormentorum. Luc. 16. 28.* quia immaniores quique carceres, fœtidiores quæcumque cloacæ, & quævis alia loca, quantumvis horrenda, reſpectu inferni, ſunt loca deliciarum. Sed infernus eſt etiam locus tormen-

torum: quia ibi eſt centrum & congregatio omnium ſuppliciorum & dolorum. In mentem revoca omnia mala, omnes afflictiones, omneſque dolores, quos patiuntur mortales bello, fame, morbis, inundationibus, naufragiis, incendiis, fortunæ luſibus facultatum jactura, ex illis incarcerationibus, & cunctis hujus vitæ calamitatibus. Hæc omnia in unum collige; & certus eſto, infernum eſſe *locum tormentorum*; quia in eo damnati hæc & alia ſupplicia; immo & omnes mundi hujus dolores, ac etiam longe graviores perferunt.

O qualem locum, *in quo innumera ſunt pœnarum genera*! *Auguſt.* O quam infelices, qui in locum hunc præcipitantur! Sed; o quam ſtulti, qui tot ſupplicia, totque dolores declinare non ſatagunt! Heu! ſi temporales, & tranſitorias tribulationes tanta ſollicitudine quiſque in hoc mundo evadere conetur; cur tot & tanta inferni ſupplicia ſummo ſtudio devitare quiſque non ſataget? Cur totis conatibus quiſque non laborabit ad declinandos tot dolores, quos in inferno damnati perferunt?

O homo, ſi Chriſtianus ſis, credere debes, multa & magna eſſe inferni ſupplicia: ſi credas, timebis; ſi timeas, cavebis; ut enim ait D. Bernardus, *Qui pavet cavet, qui negligit incidit. S. Bern. ſerm. ad Cleric.* Crede ergo, ut timeas time, ut caveas: cave, ut in infernum non incidas: ubi damnati omnia perferunt ſupplicia, omneſque patiuntur dolores ſine ulla exceptione: *ac etiam ſine ulla conſolatione.*

## SECUNDA PARS.

*Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores, ſine ulla conſolatione.*

IN cælo eſt gaudium purum quod omnem fugat triſtitiam, ſanitas, quæ omnem morbum excludit, ſcientia quæ nullum patitur errorem, opulentia quæ omnem tollit egeſtatem, conſolatio quæ nulla turbatur afflictione, & ut loquitur Guillelmus Pariſienſis. *Hic locus puræ felicitatis nihil habet, quod non addat felicitati. Guill. Pariſ. de univ. cap. 5.* Sicut autem in cælo ſunt omnia bona pura ſine ulla permixtione mali; ita in inferno ſunt omnia mala pura, quæ omne bonum, omniſque boni ſpeciem excludunt. Ibi enim patiuntur reprobi tyrannidem dæmonum, ſitis incommoda, famis rabiem, ignis ardores, diros vermis rodentis morſus, gravem ignominiam, ſummam paupertatem, omneſque penitus dolores & afflictiones ſine ullo levamento; quia ut ſubdit præfatus Antiſtes: *Hic locus puræ miſeriæ nihil habet, quod non addat miſeriæ.*

O quam infelices reprobi, qui talia in inferno perpeſſuri ſunt! Sed longe adhuc majorem eorum cenſebit miſeriam, qui advertet, eos tot inter ſupplicia & afflictiones omni carere ſolatio, nullamque ſive a Deo, ſive ab Angelis, ſive ab hominibus conſolationem percipere. Ut enim ait Auguſtinus: *In inferno ſunt gemitus & ſuſpiria, & non eſt qui miſereatur: ibi eſt dolor, & planctus, & clamor, & non eſt qui conſoletur.*

Graviſſima licet Chriſtus, Paſſionis ſuæ tempore, tormenta paſſus ſit: licet tunc a Diſcipulis ſit derelictus, illuſus ab Herode, ab impiis flagellatus, & a Judæis crucifixus: non omni tamen tunc deſtitutus eſt conſolatione. Nam Angelus deſcendit de cælo confortans eum; filiæ Jeruſalem amare ſuper eum fleverunt; innocentiam ejus prædicavit latro. Centurio eum Dei Filium eſſe teſtatus eſt; ac ab ejus doloribus Maria Mater, aliæque piæ mulieres plurimum commotæ fuit. At quilibet reprobus omnia in inferno patietur mala, omniumque afflictionum pondere opprimetur: *invenient eum omnia mala & afflictiones. Deut. 31. 17.* Quilibet omnia, quæ in hoc mundo experimur, patietur tormenta, & longe graviora, nec aliqua ei unquam ex ulla parte adveniet conſolatio: *Ibi dolor, & planctus, & clamor, & non eſt qui conſoletur.*

Hoc patet in divite epulone, qui quidem omnia in inferno patitur tormenta, ſed nec unicam aquæ guttulam obtinere poteſt. Infelix ille avarus, in mediis inferni flammis ſepultus, ad Patrem Abraham clamat; ac ab eo ſupplex petit ut Lazarum mittat, qui unica aquæ ſtilla ſuam refrigeret linguam: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Luc. 16. 24.* Ab inferni ignibus eripi non petit dives, non refrigerans poſtulat balneum, cui immergatur; ſed unicam ſolummodo aquæ guttulam; ſed madente ſolum digito linguam ſuam attingi. O quam parvum hoc levamentum homini qui in media tartari fornace cruciatur! O quam levis hæc conſolatio! Et tamen leviſſimum hoc ſolatium ei Deus denegat, dicens, conſolationes deberi, non illi, qui divitiis & illicitis deliciis in mundo abundarat, ſed Lazaro, qui gravia in mundo paſſus erat: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris; Ibid. v. 25.* Heu! quam miſera, & infelix inhumani hujus divitis ſors! Hic, dum in ſæculo viveret, byſſo induebatur & purpura, laute & ſplendide quotidie epulabatur, ac omni temporalium voluptatum genere fruebatur; poſt mortem vero hic in inferno ſepelitur, ubi in medio flammarum decumbens, famem, ſitim, ignium vim, & graviſſima quævis patitur ſupplicia, nec in mediis tormentis vel minimam conſolationem impetrare poteſt.

En, o impie, quod tibi accidet, ſi ante mortem non converteris ad Dominum, hic delicatis dapibus, vinoque exquiſito veſci quæris; illic fame & ſiti perpetua laborabis; hic molli lecto decumbere delectaris; illic in mediis flammis æternum volutaberis: ſcurriles & impudicas cantilenas hic audire tibi placet; illic perpetuos damnatorum gemitus & planctus indeſinenter audies; hic vix ferre potes quid aliquantulum male olens; illic omnium immunditiarum fœtorem ſpirabis; hic vel minimum in uno ex dentibus dolorem ægre fers; illic omnium dolorum pondus in toto corpore ſuſtinebis: hic omnibus appetis ſatiari deliciis; illic omnibus cruciaberis ſuppliciis. Tuncque cum avaro epulone clamabis, & nullus exaudiet; clamabis, nec minima tibi dabitur conſolatio; ſed gemens, in æternum dices: *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis. Oſeæ 13. 34.*

Et revera ſi aliquod in inferno ſolatium perciperent reprobi; aut a Deo, aut ab Angelis, aut a Sanctis, aut a ſociis. *Aut a Deo*, qui eſt Deus totius conſolationis: *Aut ab Angelis*, qui ad hominum cu-

Digitized by Google

cuſtodiam & conſolationem delegari ſolent; *Aut a Sanctis*, qui in hoc mundo afflictorum conſolatores exciterunt; & quorum caritas perſeverat in Cælis: *Aut a ſociis*; quia conſolatio miſerorum eſt habere pares. At nullum penitus nec a Deo, nec ab Angelis, nec a Sanctis, nec a ſociis ſolatium accipient.

Non quidem a Deo; qui licet mortalibus ſit *Deus totius conſolationis*: 2. *Cor.* 1. 3. nullam tamen exiſtentibus in inferno dabit conſolationem. Qui contra eos irridebit: *Tu Domine deridebis eos. Pſalm.* 58. 9. Et tantum abeſt, quod eos conſoletur, quin contra juſtitiæ ſuæ miniſtris præcipiet, ut illos omni ſuppliciorum genere in æternum crucient. O quam durum erit reprobis, nullum a Deo percipere ſolatium! *Sed nec aliquam etiam ab Angelis habebunt conſolationem.*

In Inferno enim ſumme afflicta eſt cujuſque reprobi anima, & *non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus*, *Thr.* 1. 2. id eſt, ut exponit Doctor Seraphicus, *ex omnibus Angelis*, qui hominum ſunt amici. Si unus ex Angelis alicui ex damnatis diceret: ad te a Deo miſſus ſum, ut nuntiem, te tranſactis centum millionibus annorum ex Inferno egreſſurum; aliquam ei conferret conſolationem. Si diceret ei: annuntio tibi ex parte Dei, te ex tartaro exiturum tranſactis tot annorum millionibus, quot ſunt aquarum guttæ in Oceano, & arenæ grana in toto mundo; aliquid ei conſolationis afferret. Sed nec hoc, nec aliud quodque ſolatium damnatis dabunt Angeli: *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus.*

Sed forte Sancti, qui caritatis officia hominibus impendere ſoliti ſunt, a damnatorum miſeriis commovebuntur, iiſque compatientur? Nequaquam. Quin contra, ad vindictam de iis ſumendam Deum incitabunt, dicentes: *Da illis ſecundum opera eorum & ſecundum nequitiam adinventionum ipſorum. Pſ.* 27. 4. Cum civitatem Jeroſolymitanam vaſtarent Babylonii, afflictos Jeroſolymitanos non ſolum non conſolabantur Idumæi; ſed & Babylonios ad civitatem hanc totaliter diruendam excitabant, clamantes: *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea. Pſalm.* 136. 7. Sancti ſimiliter qui in cælo regnant, tantum abeſt, ut damnatis compatiantur, iiſque aliquod ſolatium afferant; quin contra, *lætabitur juſtus, cum viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris. Pſal.* 57. 10. Tunc quidem lætabuntur Sancti; ac a Deo poſtulabunt, ut impios quam diriſſime plectat.

Unde ergo damnatis adveniet conſolatio? Forſan ab uxore, a filiis, ab amicis, & ab aliis in ſupplicio ſociis? Nequaquam. Quia licet in ſæculo ſolatium ſit miſeris, ſocios habere pœnarum; non tamen in inferno: ut enim ait Doctor Angelicus, *ibi miſerorum ſocietas miſeriam non minuet, ſed augebit. D. Th. p.* 3. *q.* 89. *art.* 4. Ibi filia augebit matris tormentum; ibi pater aggravit filiorum cruciatus: ibi quilibet damnatus a ſociorum præſentia magis torquebitur. Quare cum nec a Deo, nec ab Angelis, nec a Sanctis, nec a ſociis aliquod ſint percepturum ſolatium, fatendum, quod in mediis ſuppliciis omni carebunt conſolatione.

O quam durum, miſeriis & ſuppliciis optimi, omnique identidem privari ſolatio! Quid acerbius; ait Poeta; quam quod quis dira ſemper patiatur, neque ullum unquam habeat conſolatorem? Quid intolerabilius, quam quod ſemper crucieris.

*Siſque miſer ſemper, nec ſis miſerabilis ulli,*
*Gaudeat adverſis femina, virque tuis.*

Sanctiſſimo viro Job, in ſimeto decumbenti, nil durius fuit, quam quod in mediis miſeriis quas patiebatur, non ſolum non eum conſolaretur mulier, verum & ei illuderet. Sed o quam durius damnatis, omnia omnis generis ſupplicia perpeti, nec ullum uſquam vel minimum percipere ſolatium!

O peccator, cum aliqua laboras infirmitate, vel quid triſte tibi accidit, mox te circumdant amici & propinqui, ut tibi ſolatium ingerant; eorumque viſitatione non parum tua leniuntur mala: quia *laborantis viſitatio eſt laboris ſublevatio. S. Gregor. lib.* 5. *Mor. c.* 5. Sed in inferno nullum unquam nec a Deo, nec a creaturis ſolatium recipies: omni ſemper ibi ſuppliciorum genere cruciaberis, & omni ſemper carebis ſolatio. Hoc ſerio perpende, ac totis conatibus labora, ut poſt mortem non mittaris in infernum, ubi damnati omnia patiuntur ſupplicia abſque ulla conſolatione; *ac etiam abſque ullo fructu.*

## TERTIA PARS.

*Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores ſine ullo fructu.*

SI ex doloribus & pœnis, quas in inferno perferunt, aliquod emolumentum perciperent reprobi, aliqua inde iis adveniret conſolatio. Sed, ut ait Doctor Seraphicus, licet damnati omnia patiantur ſuppliciorum genera; nullum tamen ex iis fructum, nullamque eliciunt utilitatem; quia *pœnæ infernales, inutiles ſunt, & infructuoſæ*. Ac ita iis ſunt infructuoſæ, inquit idem Doctor, ut quamvis aliquis ex damnatis, in mediis tormentis, lacrymarum torrentes funderet, nil ad ſalutem hoc ei prodeſſet.

Fruſtra rigatur arbor, quæ mortua eſt: fructus enim nunquam producet, quamvis ſupra ejus radices fluminum omnium fundantur aquæ. Idem dicendum cenſet D. Bonaventura de homine peccatore; qui quidem dum in ſæculo vivit, fructus æternæ gloriæ dignos producere poteſt, ſi veræ pœnitentiæ lacrymas fundat: ſed poſtquam mortuus eſt, omnia ſupplicia quæ in inferno patitur, & omnes lacrymæ quas fundit, nil ei ad ſalutem inſerviunt, nullumque ei fructum & emolumentum afferunt, quia *damnatorum pœna eſt longiſſima & infructuoſa. De Bonav.*

Dicere ſolent impii: Edamus & bibamus, coronemus nos roſis, hujus vitæ fruamur bonis; & quamdiu in hoc mundo vivimus, omni deliciarum generi adhæreamus. Vitam auſteram, inquiunt, amplectantur ſolitarii; eminentioribus virtutibus aſſequendis incumbant viri religioſi: nos autem gaudeamus in hoc ſæculo, & de his quæ in alio mundo ſunt, non curemus, nec ſolliciti ſimus. Non ſic loquitur D. Paulus, ſed omnes penitus homines invitat ad bona opera facienda, dum in ſæculo vivunt. *Dum tempus habemus, operemur bonum. Gal.* 6. 10. Multæ qui-

quidem rationes nos allicere debent ad bona opera in hoc mundo facienda: ſed ſi a dilecto Diſcipulo quæramus, cur bonis operibus agendis in hoc mundo incumbere debeamus? Reſpondebit: quia a Deo miſſus Angelus juravit, poſt mortem nullum amplius fore tempus faciendi opera bona, fructuoſa, & ad ſalutem utilia. *Juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, qui creavit cælum, & ea quæ in eo ſunt, & terram, & ea quæ in ea ſunt, & mare, & ea quæ in eo ſunt: quia non tempus non erit amplius.* O peccator, quamdiu in hoc mundo moraris, unica lacryma e corde contrito prodiens, omnes tartari rogos tibi extinguere valet; unicum vere pœnitentiæ momentum, æternum gloriæ pondus operari, & immenſos gloriæ cæleſtis fructus tibi producere poteſt. Sed poſt mortem inutiles erunt tuæ paſſiones, infructuoſa erunt omnia tua opera, nullumque unquam ex iis fructum, utilitatem nullam percipies: quia *tempus non erit amplius.*

Solitus erat Alexander Magnus, poſtquam urbem aliquam copiis circumſederat, facem in excelſo quodam loco accendere, ita ut ab obſeſſis facile cerni poſſet: deinde pacem, amicitiamque ſuam iis offerebat; modo tamen ei ſe ſubderent, dum fax illa arderet: qua extincta, & conſumpta, nullum amplius eis veniæ locum concedebat. Eodem autem modo ſe gerere videtur Deus erga peccatores: Quamdiu enim in hoc mundo morantur, & quamdiu mortalis hujus vitæ fax iis illucet, vitam & pacem æternam illis offert, modo pœnitentiam agant, modo ſe illi ſponte ſubdant, & bonis operibus vacent. Sed ſi vitæ ſuæ facem extingui exſpectent, nullum eis dabit veniæ locum; nec pati, aut operari aliquid poterunt, quod iis utile ſit ad ſalutem, & quo ab inferni ſuppliciis liberari mereantur. Et ideo aſſerit Sapiens, vacuam fore damnatorum ſpem, nullumque eos ex laboribus, paſſionibus, & operibus ſuis fructum percepturos: *Vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inutilia opera eorum. Sap. 3. 11.* Sperent, ſi poſſint, ex inferno egredi, & ad Paradiſum perduci, ſpes illorum vana ſemper & vacua erit; quia hæc ſupplicia, & opera eorum ſunt infructuoſa. Quid prodeſt Judæ, a ſexdecim ſæculis inferni tormenta pertuliſſe? Nihil. Quid prodeſt iis, qui a mundi primordio damnati ſunt, jam a quinque, vel a ſex mille annis in mediis tartari fornacibus arſiſſe? Nihil. Quia quidquid faciant, & quidquid patiantur damnati, hoc illis inutile & infructuoſum, nec ullam unquam ex paſſionibus ſuis utilitatem accipiunt, *labores ſine fructu, & inutilia opera eorum.* Quando quis ex damnatis inferni ſupplicia ad centum annos perpeſſus eſt, hoc pro nihilo habetur: cum ea ad mille annos paſſus eſt, hoc pro nihilo computatur: cum ad centum mille annos, & ad mille annorum milliones pertulit, id pro nihilo reputatur: quia omnes damnatorum pœnæ ſteriles, inutiles, & ita eis ſunt infructuoſæ, ut nec vel minimum quid valeant ad eos inde liberandos, & ad æternam ſalutem promerendam: *labores ſine fructu, & inutilia opera eorum.*

Ab omnibus Juriſperitis lex illa recipitur, quod debitor nummis adulterinis liberari, ſuaque debita ſolvere nequeat: *Reprobi nummi non liberant ſolventem. Leg. eleganter, digeſtis de pignor. actor.* Peccatores autem, quamdiu in ſtatu peccati remanent, juſtitiæ divinæ ſunt debitores; habentque in hoc mundo monetam bonam, qua illi ſatisfaciant, pœnitentiam ſcilicet & bona opera: ſed ſi in hoc mundo ei non ſatisfecerint, in inferno ei ſatisfacere nequibunt. Ibi enim omnes eorum paſſiones, omnes gemitus, & omnia opera erunt nummi reprobi, & adulterini, quos Deus in ſatisfactionem non recipiet, & qui omnino inutiles & infructuoſi erunt. Et ideo hortatur nos Salomon, ut in hoc mundo bonis operibus ſedulo incumbamus: quia ſcilicet in inferno nulla pœna, nullum opus, nullaque eſt ſcientia, quæ ad ſalutem utilis ſit & fructuoſa: *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas. Eccl. 9. 10.*

O peccator, dum tempus bene operandi habes, inſtanter & ſedulo bonis operibus incumbe. Ne dicas: juvenis ſum: nondum pœnitendi tempus advenit: cum inſenuero, me totum pœnitentiæ, & piis omnium virtutum exercitiis conſecrabo: Ne ſic loquaris; & ne tardes converti ad Dominum: quia ſi ſubitanea morte præoccupetis, ad tartara præcipitaberis, ubi omnia perferes ſupplicia, *omnia*, ſine ulla exceptione: *omnia*, ſine ulla conſolatione: *omnia*, ſine ullo fructu.

Heu! clamat D. Auguſtinus, *quam lugenda perverſitas, ut animam, quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit, luxurioſus quiſque propter unius momenti delectationem diabolo vendat? Auguſt. ſerm. 25. de temp.* Sed, heu: quam lugendi, non ſolum luxurioſi, verum & avari, ſuperbi, helluones, blaſphemi, aliique omnes peccatores, qui pro modico lucro, aut pro momentanea voluptate, animæ ſuæ jacturam faciunt, & inferno digni fiunt; ubi omnes dolores, omniſque generis ſupplicia abſque ulla exceptione, conſolatione, & fructu perferent.

O peccator, quomodo tot & tanta inferni tormenta portare poteris? Si intolerabilem nunc cenſeas podagræ, dentium, vel calculi dolorem: quid facies in inferno ubi omnis dolor ſuper te irruet? Si, cum doloribus plurimis lancinaris, noctem, quam inſomnem ducis, anno integro longiorem arbitraris; quomodo remanere poteris in inferno, ubi omnem penitus dolorum vim, non unica nocte, ſed in æternum abſque ulla conſolatione patieris? Si tandem graves diu pati non potes dolores, niſi aliquod levamentum adveniat; quomodo te habebis in inferno, ubi æternos perferes cruciatus; nec aliquem ex iis fructum, vel minimum quodque levamentum unquam recipies? Tunc in teipſum iraſceris, tunc amare flebis, dentibuſque tuis fremes & tabeſces: *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet. Pſ. 3. 10.* Tunc optares, pœnitentiam egiſſe, mortificationi adhæſiſſe, & pie vixiſſe; ſed vana & inutilia erunt tua hæc deſideria, *deſiderium peccatorum peribit.* Quare fac nunc, quod tunc feciſſe velles; pœnitentiam age, peccata in temetipſo deſtrue, virtutes ſectare, & in Dei gratia uſque ad mortem perſevera. Hoc ſi facias, inferni ſupplicia vitabis, æternaque Paradiſi gaudia obtinebis. *Amen.*

DE

Digitized by Google

## DE DIVINA GRATIA.

### CONCIO IX.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Iſaiæ 27. 9.

QUamdiu in hoc mundo vivit homo, (ſi non ſit in gratia confirmatús) eſt mutabilis a gratia ad peccatum, & a peccato ad gratiam. In eo tamen diverſimode fiunt hæ mutationes: nam, ut a ſtatu gratiæ ad peccati ſtatum tranſeat, ſupernaturali Dei auxilio non eget; ſed ut a ſtatu peccati ad gratiæ & ſanctitatis ſtatum tranſire, necnon ad Deum converti valeat, gratiæ actualis auxilio indiget, ſine quo nil ſupernaturale operari poteſt; *ut in peccatum ires, ſuffecit ei liberum arbitrium, quo ſeipſum vitiavit: ut autem redeas ad juſtitiam, opus habes Medico, quoniam ſanus non eſt; opus habet vivificatore, quia mortuus eſt. Auguſt. lib. 1. de nat. & grat. c. 23.*

Quotidiana docet experientia, res, etiam inanimatas, propriæ inclinationis pondere abſque ullo extraneo auxilio ad nativam redire temperiem: & ſic aqua ab igne calefacta, ſemoto igne, ex ſemetipſa nativum reſumit frigus. Sed homo, in peccatum lapſus, propriis viribus, & ſine ſupernaturali gratiæ actualis auxilio ad Deum converti, & ad priſtinum gratiæ ſanctificantis ſtatum redire nequit; quia gratia actualis eſt medium abſolute neceſſarium, ut homo in ſeipſo peccatum deſtruat, & ad Deum convertatur: *non poteſt homo eſſe liber, dominante peccato, niſi Filius illum liberaverit. Auguſt. lib. 1. cont. Julian.* De gratia actuali, quæ eſt medium ad peccati deſtructionem abſolute neceſſarium, iſta inſtituetur concio, &c. *Ave.*

GRatia actualis eſt donum Dei, motus Dei, auxilium Dei. Gratia eſt donum Dei pretioſiſſimum, cujus minimus gradus tanti eſt pretii, ut terreſtria omnia pretio ſuo longe ſuperet: *bonum gratiæ unius majus eſt, quam bonum totius univerſi. D. Thom. 1. 2. quæſt. 113. artic. 6. ad 2.* Gratia eſt etiam motus Dei, & ſacer impulſus, ſine quo a peccatis ſurgere, & ad Deum trahi nequimus: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Joann. 6.* Gratia tandem eſt auxilium cæleſte, ſine quo nil ſupernaturale, nilque meritorium agere poſſumus: *ſine me nihil poteſtis facere. Joann. 15.*

Si autem gratia eſt donum pretioſiſſimum, cur illud a Deo enixe non poſtulabimus? Si gratia eſt ſacer motus, quo ad Deum trahimur, cur ei reſiſtemus? Si gratia eſt auxilium potentiſſimum, cur ei non cooperabimur? Gratia quidem *eſt donum*, quod petendum; *eſt motus*, cui non reſiſtendum; *eſt auxilium*, cui cooperandum. Oportet 1. gratiam petere; 2. gratiæ non reſiſtere; 3. gratiæ cooperari.

### PRIMA PARS.

*Oportet gratiam a Deo petere.*

FIngunt Poetæ, Mydam auri cupidiſſimum a diis ſuis petiiſſe, ut quidquid in regno ſuo naſceretur a terra, probatiſſimum aurum eſſet. Votis ejus annuerunt dii; cumque jam omnis terræ partus aurum eſſet, ingens oborta eſt fames; tuncque ſtultiſſimam petitionem fuiſſe novit; & ut loquitur Ovidius.

> *Attonitus novitate mali, diveſque, miſerque*
> *Effugere optat opes, & quæ modo voverat, odit.*
> *Ovid. 2. Metam.*

Multi ſimiliter vana, inutilia, immo & nocitura a Deo poſtulant. Unus in oratione petit villam, temporalem dignitatem poſtulat alius, uxorem alius quærit. Iſte longiorem vitam ſibi dari rogat, ille corporis valetudinem. Hic orat, ut merces ſecure ad portum appellant; alter, ut dives ad ipſum veniat hæreditas, alius, ut pace tandem firmata, mercatura vigeat; & ut loquitur S. Ambroſius: *Plerumque in oratione avarus de pecuniis cogitat, alter de lucro, alter de honore. Ambr. lib. 6. de Sacr. cap. 5.* Sed ut ait idem Ambroſius: *Noli orare pro pecunia; quia ærugo eſt: noli pro auro; quia metallum eſt: noli orare pro poſſeſſione; quia terra eſt. Ambr. ſer. 19. in Pſ. 118.*

Scio, non eſſe prohibitum temporalia petere: quia ſi ea habere liceat, cur ea petere non licebit? Sed alio modo petenda ſunt, quam ſpiritualia. Temporalia enim, non abſolute petenda ſunt; ſed ſub ea conditione, quod eorum impetratio & poſſeſſio profectui noſtro ſpirituali non obſit: gratia vero abſolute, & enixe poſtulanda eſt, quia non eſt quid futile & terrenum: ſed eſt bonum ſpirituale ad deſtruenda peccata, ad converſionem & ad ſalutem abſolute neceſſarium. Sine gratia peccata tua deſtruere nequis: quare petenda eſt. Sine gratia ad Deum converti, tibi eſt impoſſibile: quare petenda eſt. Sine gratia ſalvari non potes: quare petenda eſt. Sine gratia paſſionum impetus frænare, æſtus concupiſcentiæ temperare, ſuſtinere dæmonum conflictus, & Dei mandata ſervare non vales: quare potenda eſt. Hoc petendum, hoc a Deo enixe poſtulandum: & non terrena, quorum poſſeſſio ſaluti noſtræ ſæpe obeſt.

De Metello refert Plinius, quod decem a diis poſtulaverit: nempe, ut eſſet primarius Bellator, optimus Orator, & fortiſſimus Imperator: ut auſpicio ſuo maximæ res gererentur: ut maximo honore frueretur, ſumma ſapientia polleret, & ſummus Senator haberetur: ut magnam pecuniarum copiam bono modo inveniret, multos liberos relinqueret, & clariſſimus in civitate eſſet. *Plin. lib. 7.* Ecce quid petere ſoleant plerique hominum; divitias, honores, & futiles dignitates inſanis ambiunt votis: eaſque etiam invito cælo poſtulant: & non ſecus ac Metellus, de Dei gratia, & æterna felicitate petenda minime curant. Unde iis merito dici poteſt, *uſque modo non petiſtis quidquam. Joann. 16.* Quamdiu enim terrena petunt, non petunt *quidquam*: quia terrena omnia, reſpectu gratiæ, non ſunt *quid*: ſed ſunt quaſi nihilum. Pete ergo *quid* a Domino: pete gratiam, quæ eſt quid magnum, quid pretioſum, & quid ita neceſſarium, ut ſine

ea

Digitized by Google

ea a peccato ſurgere, ad Deum converti, & ſalvari nequeas.

Ad Chriſtum acceſſit mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, *adorans*, & *petens aliquid ab eo. Matt. 20.* Quid petis, mulier? forte, ut filii tui cæleſtibus gratiis repleantur, & in gratia Dei confirmentur? non forte ut pretioſa futura ſit mors eorum in conſpectu Domini, & ut æterna vitent ſupplicia? non. Quid ergo petis? anne ut filii æterno Patri placere, & cæleſtia regna obtinere valeant? nequaquam hujuſmodi poſtulat ambitioſa mater; ſed petit, ut filii ad altiores ſedes in Chriſti regno eleventur: & ut ibi unus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram Salvatoris ſedeat: *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo. Ibid.* O mulier, ſi tu & filii ſciretis, quæ & qualia ſint quæ petitis, profecto talia non peteretis: ſed *neſcitis quid petatis.* Neſciebat quid peteret illa mulier: & neſciunt quid petant plerique mortalium. O mulieres ſteriles, ſummo cum affectu a Deo petitis, vobis dari filios? *neſcitis quid petatis: Ibid.* quia ſi dentur vobis filii, truces forſan & carnifices vobis erunt. O matres ambitioſæ, petitis, filios veſtros ad altiores dignitates in ſæculo ſublimari? *neſcitis quid petatis*: quia quo altius elevabuntur, eo forte lapſu graviore ruent. O viri, o mulieres, enixe Deum rogatis, ut tranſitorias opes, & umbratiles vobis dare dignetur honores? *neſcitis quid petatis*: quia ſi hæc vobis darentur, ruinæ forſan, & æternæ damnationis vobis occaſio forent: Quare non hæc & his ſimilia: ſed Dei gratiam ſupplices poſtulate. Undique vos circumdant, & impugnant tartarei ſpiritus? gratiam petite, cujus auxilio inſidias illorum declinare, & impetus comprimere valeatis. Impugnat vos corrupta caro, & ad prava vos inclinat? gratiam poſtulate, ut de illa glorioſe triumphare poſſitis. A multo tempore ex prava conſuetudine in plurima caditis peccata? Deum ſupplices rogate, ut gratiam vobis infundat, cujus virtute a perverſæ hujus conſuetudinis vinculis vos extricare valeatis. *Phil. 4. 13.* In omnibus tandem ſpiritualibus neceſſitatibus gratiam petite, ſine qua nil in ordine ad ſalutem poſſumus: & qua adjuti, omnia poſſumus: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

In oratione petunt aliqui mala, alii ridicula, & alii prava. *Aliqui* petunt mala, turpia, ſcelerata, & ut loquitur Seneca: *turpiſſima vota Diis inſuſurrant. Sen. ep. 10.* Nonne milites bella peterent, & annonæ caritatem agricolæ? Si plurium medicorum votis Deus annueret, nonne ingenti morborum agmine mundum repleret? Si multos Juriſperitos Deus exaudiret, nonne undique ſcaturirent diſſidia & lites? Si quod mulierculæ, caupones, aurigæ, & alii multi in igne furoris ſui, & ex prava loquendi conſuetudine poſtulant, Deus fieri permitteret; innumeri ſane homines, pueri, & equi interirent, a dæmonibus auferrentur, & ad tartara ruerent. O infandas petitiones, quæ non fiunt ſine peccato, & quæ fiunt in peccatum! *Oratio ejus fiat in peccatum. Pſalm. 108. Hom. 27. in Evangel.* Ut enim ait Sanctus Gregorius: *Oratio in peccatum eſt, illa petere, quæ prohibet ipſe a quo petitur.*

*Alii* abſurda, & ita ridicula a Deo flagitant, ut eos puderet, ſi vota quæ animo volvunt, & tacitas preces quas Deo fundunt, vicini perciperent. Hi ſimiles Philoxeno, qui ſumma impudentia collum gruis a Deo petebat, ut eo gratius in ventrem flueret vinum, quo tubo longiore. Sed, ut monet Seneca, hujuſmodi non ſunt fundendæ preces; nulluſque a Deo petere debet, quod palam petere nollet: *Nihil Deum rogas, niſi quod rogare poſſis palam. Ibid.*

*Alii* tandem parva petunt; terrenas ſcilicet facultates, mundi dignitates, & alia iſtiuſmodi, quæ ita parva ſunt, ut nihilum cenſeantur: *Certo certius conſtat, omnia humana riſum, pulverem, & nihil eſſe.* Non ergo petenda quæ mala ſunt, quæ ridicula ſunt, quæ parva ſunt: ſed petenda Dei gratia, qua in hoc mundo nihil melius, nihil pretioſius, nihil majus a Deo dari ſolet: *Qui vere Chriſtianus eſt, non illa petere debet; ſed totum pondus orationis ſuæ ad expetendam gratiam, & æternam beatitudinem impendere debet. S. Auguſt. ſerm. 2. de Verb. Domini.*

Veri & ſancti illi Chriſtiani, qui in primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, non divitias petebant, quæ multis exitio fuerunt; ſed gratiam, cujus pretio æternas opes comparare poſſent. Hi terrenas dignitates non poſtulabant, quæ plurimos peſſum dederunt: ſed Dei gratiam, qua mediante cæleſtes dignitates aſſequi, & ad ſublimiores cæli ſedes aſcendere valerent. Hi vana, inutilia, & mala a Deo non petebant; ſed gratiam, quæ eſt quid pretioſiſſimum, quid maxime utile, & ad ſalutem abſolute neceſſarium. Hi, probe ſcientes, ſobrietatem, modeſtiam; immo & caſtitatem in conviviis ſæpe naufragari, adverſus hæc omnia divinæ gratiæ præſidium ſupplices petebant: nec prius accumbebant menſæ, quam in oratione eam enixe petiiſſent: *Non prius diſcumbitur, quam oratio prægustetur. Tert. Apol.* Gratiæ divinæ auxilium hi a Deo etiam tunc petere ſoliti erant, cum Cæſarum urgebat perſecutio; ut mediante gratiæ ſubſidio, de tyrannis & ſuppliciis triumpharent. Hi tandem gratiam a Deo petebant, ut de dæmonum aſtutia, de paſſionum tyrannide, de concupiſcentiæ illecebris, de mundi fallaciis, & de pravis quibuſque carnis motibus victores evaderent: ac in omni tempore Deum rogabant, dicentes: *Tua nos, Domine, gratia præveniat, & ſequatur. Tert. l. de Bapt. 20.* Sicut autem illi in omni caſu, & neceſſitate gratiam; ita & nos, non terrena, ſed Dei gratiam continue petere debemus: *gratiam petite de Patre, petite de Domino; petite, & accipietis.* Aſt non oportet ſolum gratiam petere; *verum & oportet ei non reſiſtere.*

## SECUNDA PARS.

*Oportet gratiæ non reſiſtere.*

NUllam Deus dat gratiam, cujuſcumque naturæ illa ſit, quæ hominem neceſſitet. Dat quidem interdum gratias aliquas fortiter trahentes, victrices & triumphantes, quarum auxilio freti, vincimus, & triumphamus: ſed nullam tribuit gratiam, quæ liberam hominis tollat voluntatem, & quæ liberum ejus arbitrium neceſſario trahat. Gratia enim ſic ſe voluntati noſtræ contemperat, ut ad ordinis ſu-

Digitized by Google

ſupernaturalis opera facienda eam elevet: nullam tamen unquam ei neceſſitatem imponit, ac ſemper voluntas noſtra libera manet; ita ut oblatam gratiam reſpuere poſſit, poſſitque ſemper conſentire, vel diſſentire iis, ad quæ gratia movet: *ſitum eſt in hominis voluntate*, inquit Concilium Colonienſe, *ut gratiam Dei oblatam accipiat, vel reſpuat. Trid. ſeſſ. 6. can.* 4. Et Concilium Tridentinum anathemate ferit eos qui dixerint, nos non poſſe oblatam gratiam reſpuere, & ei diſſentire: *Si quis dixerit, liberum arbitrium, a Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, neque poſſe diſſentire, ſi velis, anathema ſit.*

Gratiæ divinæ reſiſtere poſſumus: & proh dolor! tanta eſt malitia noſtra, taliſque noſtra ingratitudo, ut ei crebro reſiſtamus; eamque ſæpe ſæpius abjiciamus. Oblatæ a Deo gratiæ ſemper reſiſtebant hi, quibus dicebat Stephanus: *vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*: *Actor.* 7. 51. & plerique Chriſtianorum, ſi non ſemper, ſaltem ſæpe ei reſiſtunt. Audiunt ſæpe illam intus loquentem; ac quaſi alterum Joannem Baptiſtam clamantem, *non licet tibi*. Divina illa gratia in corde peccatorum loquitur, dicitque ei: o peccator, *non licet tibi* proximi bona vi, vel fraude auferre: *non licet tibi* alterius uxorem in adulterium adducere: *non licet tibi* hoc & illud peccatum perpetrare; *non licet tibi* in pravo hoc, & illo habitu perſeverare. Sic in hominum cordibus gratia loquitur; ſic eos interius monet, & excitat; ſed plerique internæ ejus voci ejuſque ſalutaribus monitis repugnant. Vocat eos Deus per gratiam ſuam; vocat eos a ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ: vocat eos ad bona opera crebro facienda; ſed hi gratiæ Dei reſiſtunt: *vocavi, & renuiſtis*. At ſi ſaperent, divinæ gratiæ non reſiſterent, nec eam in ſemetipſis extinguerent. *Spiritum nolite extinguere*. 1. *Theſſ.* 5. 19.

Nobis ſæpe ſeſe offert divina gratia, inſtar interni a cælo miſſi luminis, a quo noſter illuſtratur intellectus; & a quo *nunc* nobis ſapientia, bonitas, juſtitia, & aliæ perfectiones divinæ manifeſtantur; *nunc* nobis notificantur Paradiſi gaudia, tremenda Dei judicia, & formidanda inferni ſupplicia, & *nunc* nobis interius notum fit, quam magna ſit peccati malitia, quam deplorandus ſit conſcientiæ noſtræ ſtatus, & quam ſuave ſit chriſtiane vivere, ac Deo fidenter ſervire; internis autem his gratiæ divinæ illuſtrationibus reſiſtere, eaſque abjicere, nefas: *Spiritum nolite extinguere*. Gratia etiam actualis ad nos ſæpe venit per modum interni & ſpiritualis cujuſdam ignis, quo ad declinandum a malo, & ad bene faciendum movemur, & accendimur: ita ut dicere poſſint quicumque hujuſmodi gratias receperunt: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis? Luc.* 24. 31. Sacer autem hic ignis non eſt extinguendus, hæc gratia non eſt abjicienda, nec ei reſiſtendum eſt. Quia qui gratiæ Dei reſiſtunt, Chriſtum, a quo eſt omnis gratia, contemnunt, & deſpiciunt: *Qui gratiam Chriſti abjiciunt, eum habent oſtentui. Hugo Card. in c. 6. Ep. ad Hebr.*

Ita Chriſtum contemnunt, & oſtentui habent qui gratiæ ejus reſiſtunt, ut quodam modo ſimiles videantur his, qui tempore paſſionis in faciem ejus ſpuerunt. Eorum nonnunquam deteſtamur impudentiam, qui divinum Chriſti vultum conſputarunt; iraſcimur adverſus impios Salvatoris irriſores, & ſacrilegos Judæos, qui faciem ejus ſputis conſpurcarunt. Sed ſimilis flagitii rei ſumus, cum gratiam, paſſionibus Chriſti partam, reſpuimus & abjicimus. Ut enim ait D. Auguſtinus, qui gratiæ Dei reſiſtit, ſimilis eſt iis, qui horrendis ſputis faciem Chriſti ſordidarunt; *Qui expuerunt in faciem Chriſti, ſignificant eos, qui præſentiam gratiæ ſuæ reſpuunt. Aug. de quæſt. Evang. l.* 1. *c.* 44. O immane ſacrilegium! o grande piaculum! o graviſſimum Chriſti contemptum!

Non ſolum in Chriſti faciem exſpuunt, qui gratiæ ejus reſiſtunt, verum & pretioſum ejus Sanguinem conculcant. Scit unuſquiſque veſtrum, quod poſt Adami lapſum a peccato ſurgere nequibamus: quia deerat nobis gratia, ſine qua a peccato ſurgere nemo poteſt. In hunc autem mundum venit Chriſtus, qui laboravit plurimum, ſudavit multum, gravia paſſus eſt ſupplicia, & proprium ſanguinem fudit, ut gratiam nobis mereretur; *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Rom.* 7. 25. Quare cum Chriſtus gratiam paſſionibus, & Sanguinis ſui effuſione nobis meruerit, gratia eſt quid pretioſiſſimum ex Chriſti ſudoribus & Sanguine conflatum. Quid ergo agis, o peccator, cum oblatæ a Deo gratiæ reſiſtis? ſudores quidem, merita, & Chriſti Sanguinem conculcas. O quam magna eſt hæc tua ingratitudo! Sed o quantis dignus es ſuppliciis ob tuam hanc ingratitudinem, & ob hanc impudentiam, qua Chriſti Sanguinem conculcas!

Si qui olim irritam faciebant legem Moyſis, ſine ulla miſeratione morti addicebantur; *quanto magis*, inquit D. Paulus, *putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Hebr.* 10. 29. Profecto qui divinæ gratiæ reſiſtentes, Chriſti Sanguinem conculcant, & Spiritui gratiæ contumeliam faciunt, graviſſimis digni ſunt ſuppliciis ac ſuppliciorum theſauros in inferno ſibi accumulant: *Theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei. Rom.* 2. 5

Qui vocanti, & trahenti gratiæ reſiſtunt, ingrati ſunt tanti beneficii, quod illis a Deo offertur, contemnunt pretioſum illud donum, quod a Deo illis confertur, injuriam faciunt Chriſto, qui magno pretio gratiam hominibus emit, & meruit, in Chriſti faciem exſpuunt, & ſanguinem ejus conculcant: Quare ingratitudine, & impudentia ſua indigni ſiunt Dei beneficiis, Deique manum comprimunt, ne eis majorem gratiarum abundantiam largiatur. Unde fit, ut pauliſper a ſalutis cura deficiant, deinde in cæcitatem, in cordis duritiam, necnon in impœnitentiam cadant, ac tandem pœnarum, & iræ Dei theſauros in inferno ſibi congregant; *theſaurizas tibi iram*.

O quam grave eſt, Dei gratiæ reſiſtere! Sed, o quam multi gratiæ ejus reſiſtunt! quam multi rebelles ſunt gratiæ lumini! Multos Deus, gratiæ ſuæ miniſterio, ad Religionis ſtatum vocat, & plerique vocanti Deo obedire renuunt, per gratiam ſuam multis inſpirat Deus, ut a proximis peccandi occaſionibus declinent, utque pravos habitus eradicare conentur, & pauci obtemperant; movet alios Deus ad aliena reſtituenda & ad charitatis opera facien-

de,

Digitized by Google

da, & his Dei inſpirationibus, ac ſacris divinæ gratiæ inpulſibus plerique reſiſtunt. Sed nonne Deus per gratiam ſuam omnes peccatores ad pœnitentiam, & ad pie vivendum vocat; *ignoras quoniam benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit?* Vocat quidem eos Deus, & ut ait S. Bernardus, plurimis modis eos vocat; (vocat undique Deus ad correctionem, vocat ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectionem, vocat per ultimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per miſericordiam conſolationis.) *S. Bern. ſerm.* 21. *in Can.* His & aliis innumeris modis ſeſe inſinuat gratia, ut peccatores a vitiis avocet, & ad pœnitentiam adducat. Sed hi Dei gratiæ reſiſtunt, idque facere renuunt, quod faciendum Deus inſpirat. O peccatores, deſinite inique agere, ne amplius rebelles ſitis gratiæ luminis, ne impoſterum Deo per gratiam vocanti reſiſtatis, ſed ſincero corde dicat unuſquiſque veſtrum; *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Job* 14. 15. Ne dicatis; *Vocabis me*, & ergo renuam; *Vocabis me* per gratiam, & ego perverſa mea voluntare reſiſtam; ſed Deo, & divinæ gratiæ obtemperate, *ac ei etiam cooperamini*.

## T E R T I A  P A R S.

*Oportet Dei gratiæ cooperari.*

DEus cujus infinita eſt potentia, omnes effectus naturales per ſe ſolum, & ſine ulla creaturarum ſimultanea actione producere poſſet, ſed ex nimia qua pollet bonitate, innatæ quam creaturis dedit, virtuti ſe aptat, cum illis agit, & ſimul cum eis omnes naturæ effectus producit. Cum ſole illuminat, calefacit cum igne; cum arboribus fructus procreat, & cum omni agente creato ita operatur, ut nullus in orbe ordinis naturalis effectus producatur, qui non ſit a Deo, & a creatura, quique a Deo, ut a cauſa prima, & a creatura, ut a cauſa ſecunda non procedat.

In ordine autem ad effectus ſupernaturales qui ad converſionem, merita & ſalutem noſtram ſpectant, vult etiam Deus nos ſimul cum ipſo agere. Verum quidem eſt nos nil ſupernaturale & meritorium ſine divinæ gratiæ auxilio facere poſſe; *Sine me nihil poteſtis facere*; *Jo:* 15. 5. ſed dat nobis Deus gratiam ſuam, vultque ut nos ſimul cum ea agamus, & ei cooperemur. Non ita per gratiam ſuam Deus in nobis agit, ut nos nihil agere intendat, ſed ita agit, ut nos ſimul cum gratia agere, & gratiæ cooperari velit. Filii Dei, inquit D. Auguſtinus, per gratiam excitantur & aguntur; *ut agant, non ut ipſi nihil agant. Ambr. lib.* 10. *Ep.* 84. Quare, ut ait S. Ambroſius, ſimul cum Dei gratia agere, eique cooperari oportet: *Cooperatores nos eſſe oportet gratiæ Dei, ut illam excitantem, juvantem, locupletantem, & quotidie provehentem ſubſequamur.*

O peccator; monet, & movet te Dei gratia, ut ad Deum convertaris? *Convertere ad Dominum Deum tuum.* Vocat te gratia ad altioris perfectionis ſtatum? Hunc ſtatum generoſe ſectare. Excitat te gratia ad Dei & Eccleſiæ præcepta ſervanda, nec non ad variarum virtutum opera facienda? Præcepta ad amuſſim ſerva, & virtuti conſtanter adhære. Fac tandem id ad quod te Dei gratia vocat & movet, eique in omnibus cooperare; quia non oportet ſolum nos divinæ gratiæ eſſe admiratores, & quæſtores; ſed neceſſe eſt etiam, ut ſimus cooperatores, ita ut ei excitanti, & vocanti pareamus; ac ſimul cum illa, ſalutis noſtræ opera faciamus; *Cooperatores nos eſſe oportet gratiæ Dei. Pſalm.* 118.

A Deo ſupplex poſtulabat Propheta, ſibi dari gratiam, cujus virtute cor ſuum ad bonum faciendum inclinaretur; *Inclina cor meum*; *Ib.* ſed & ipſe gratiæ cooperabatur, ipſe cum gratia agebat, ac ſimul cum gratia, cor ſuum inclinante, cor ſuum & ipſe inclinabat; *Inclinavi cor meum.* Unde Regii Vatis cor duo ſimul inclinabant, Deus ſcilicet & ipſe; Deus per gratiam quam ei largiebatur, & ipſe per liberum arbitrium a Dei gratia adjutum: inclinabat Deus, agendo in corde ejus per gratiam ſuam, & inclinabat ille agendo ex parte ſua, & cooperando gratiæ: dumque Deus cor Prophetæ per gratiam ſuam ad bonum inclinabat; ipſe identidem, divinæ gratiæ cooperans, cor ſuum ad idem bonum faciendum inclinabat; *inclinavi cor meum.* O quam pauci, gratiæ divinæ fideliter cooperantur! quam pauci corda ſua ad ſurgendum a peccato, & ad pie vivendum inclinant! Multi quidem corda ſua a Deo inclinari petunt, ſed pauci ea ad bene faciendum inclinant. Deo quamplurimi in oratione dicunt, da mihi, Domine, gratiam tuam; fac, ut a peccatis declinem, converte me Domine, ac cor meum totaliter immuta: *inclina cor meum*; ſed plerique nihil agere volunt, ut a peccatis declinent, ut convertantur, ut mutentur, & ut corda ſua ad bene faciendum inclinentur. Dicunt Deo; *Inclina cor meum* Deus, per gratiam tuam, ſed non dicunt; *Inclina cor meum*, divinæ gratiæ cooperando. Utrumque tamen eſt Deo dicendum; ab eo enim petenda gratia, qua ad recte vivendum inclinemur, ſed cooperandum etiam divinæ gratiæ, & ſimul cum ea corda noſtra ad bene faciendum inclinare debemus; *Cooperatores nos eſſe oportet gratiæ Dei.*

Ad hanc cooperationem fideles hortabatur D. Paulus, dicens: *Et hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 1. *Cor.* 6. 1. Quæ verba exponens Primaſius, ait: *In vacuum gratiam Dei recipit, qui cum gratia Dei non laborat.* Laboras cum gratia? non in vanum eam recipis. Non laboras cum gratia? in vanum eam recipis. Labora ergo cum gratia, ei cooperare, ut in vanum eam non recipias.

Non ſolum hortatur nos D. Paulus, ut gratiæ Dei cooperemur: ſed etiam vult, ut ad ei cooperandum ſummo ſtudio, & ſpeciali cura attendamus, & invigilemus: *Contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei.* Hebr. 12. Seu, ut explicat Hugo Cardinalis, *Attendentes, ne quis deſit gratiæ Dei.* Homo deeſt gratiæ, inquit præfatus Cardinalis, *quando ſubtrahit ſe ad cooperandum ei, ſeu ſimul ad operandum cum ea: ſicut miles deeſt gladio, cum pigritatur operari ſtrenue cum eo.* Attendere autem quiſque debet, ut non deſit gratiæ, ſed ei ſedulo cooperetur: *contemplantes, ne quis deſit gratiæ.*

Hæc voluntatis noſtræ cooperatio ita neceſſaria eſt, ut non poſſit homo ad Deum converti, & ſalvari, niſi gratiæ Dei cooperetur. Ad ſalutem enim, & ad vitam æternam obtinendam jungi debent gratia, & liberum arbitrium: *Gratia* quæ nos præveniat, & adjuvet; *& liberum arbitrium*, quod gratiæ cooperetur. Per ſolam Dei gratiam homo adultus ſal-

va-

Digitized by Google

vari non poteſt; per ſolam etiam voluntatis operationem, vitam æternam mereri nequit: *Neque gratia ſine libero arbitrio faciet hominem habere beatam vitam; nec liberum arbitrium ſine gratia. Aug. Hypognoſtici c. 3.* Quare ut homo ſalvetur, gratia quidem indiget, quæ operetur: ſed & ipſe gratiæ neceſſario cooperari debet; cui ſi non cooperetur, nunquam ſalvabitur.

Audite, quomodo de gratia, & de cooperatione noſtra loquatur Propheta, reſpectu ſalutis. Non omnes, inquit, qui Dei gratiam poſtulant, regnum Dei conſequ ntur: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, intrabit in regnum cælorum. Matth. 7. 21.* Quis ergo regnum Dei obtinebit, & vitam æternam aſſequetur? Hic qui gratiæ Dei ita cooperabitur, ut in neceſſatiis ad ſalutem, voluntatem Dei faciat: *Sed qui facit voluntatem Patris mei, qu in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Lib. 4. c. 68.*

De coturnicibus refert Jovianus, quod cum volando mare trajicere nequeant, nonnunquam ſupra maris undas enatent, ita tamen ut alam unam in aerem elevent, alteram in aquam deprimant. Illa quam ſurſum tollunt, eis pro velo eſt, & aeris, ventique auxilium capit: illa vero quam in aquam deprimunt, remigat, & enatat: quare dici poteſt, coturnices veliis & remis navigare, ut ad optatum portum pervenlant. Nos autem in hoc mundo, quaſi in procelloſo mari navigamus; & portus noſter, ad quem appellere debemus, Paradiſus eſt. Sed ut ad illum pervenire valeamus, velis & remis indigemus: *Velis*, quidem, ſeu ope Spiritus Sancti, quo per gratiam ſuam flante, verſus cælum progrediamur: *& remis*, ſeu labore noſtro, & noſtra cooperatione. Sine gratia enim & noſtra cooperatione ad cælum pervenire, & ſalvari nequimus. Ad ſalutem utrumque neceſſarium eſt, & gratia, & cooperatio noſtra: *Utraque alteri neceſſaria eſt, & induſtriæ gratia, & gratiæ induſtria. Gilbert. Abbas ſerm. 7. in Cant.*

Gratia quidem eſt in agendo prima; nunquam enim opera æternæ gloriæ meritoria faceremus, ſi nos Deus per gratiam ſuam non præveniret, & ad bene agendum non excitaret; ſed cum nos Deus gratia ſua prævenit, gratiæ ejus cooperati debemus. Stat Deus ad cordis noſtri oſtium; ſtat ibi, & per gratiam ſuam pulſat. *Sto ad oſtium, & pulſo; Apoc. 3. 20.* Pulſanti autem Deo aperiendum eſt, gratiæ ejus cooperandum, ac illuc gradiendum, quo Deus per gratiam ſuam nos vocat & trahit.

Sicut animalia illa myſtica, de quibus Ezechiel, eo gradiebantur, quo a ſpiritu trahebantur; *Ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur: Ezech. 11. 12.* Ita & quiſque ſcrutari debet, quo Spiritus Sancti gratia illum trahat; illucque debet incedere, quo illum gratia trahit. O. N. inſpirat tibi Deus, ut prava conſortia fugias? ea ſeduio, & prompte fuge. Movet te Dei gratia ad pœnitentiam? cito, & ſerio pœnitentiam age. Excitat te Spiritus Sanctus ad præceptorum cuſtodiam? illa omnia, nullo excepto, fideliter & religioſe ſerva. Eo tandem gradere, quo te pellit divinæ gratiæ ventus: gratiæ, ſaltem in neceſſariis ad ſalutem, ſedulo cooperare. Et mediante hoc divinæ gratiæ auxilio, tuaque cooperatione, æternam beatitudinem obtinebis. *Amen*.

# DE POENITENTIA.

## CONCIO X.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum,* Iſaiæ 27. 9.

SI nullum in orbe terrarum eſſet peccatum, ab eo exularet pœnitentia: ſed quia tot in mundo ſunt peccatores, quot homines, oportet, ut Concionatores in ſuggeſtu ingrediantur ſicut Jonas in civitatem Ninivem, vel, ſicut Sanctus Chriſti Præcurſor intravit in deſertum; ut, ſcilicet, homines ad deſtruenda in ſe peccata excitent, & ad pœnitentiam agendam alliciant: *Pœnitentiam agite.*

Verum eſt, inter Catholicos ſatis communem eſſe hiſce temporibus pœnitentiæ uſum: ſed inter eos rariſſima eſt vera pœnitentia. Plurimi enim, qui ad ſacra reconciliationis tribunalia accedunt, non pœnitentiam, ſed pœnitentiæ larvam habent: pœnitentes creduntur ab hominibus, ſed in oculis Dei pœnitentes revera non ſunt, quia pœnitentia eorum non vera & perfecta, ſed apparens ſolummodo & imperfecta eſt, quæ pœnitentiæ nomen habet, rem non habet.

Hujuſmodi autem pœnitentia exterior & apparens, peccata non deſtruit, ſed illa auget: quia ut pœnitentia peccata deſtruere valeat, vera, perfecta, & omnibus numeris abſoluta eſſe debet. Sicut enim, inquit Tertullianus, debita non ſolvuntur nummis falſis: ita Deo non fit ſatis, nec peccata deſtruuntur falſa pœnitentia. *Tertull. de Pænit. c. 6.* Quare cum peccati deſtructionem in toto hoc Adventu ſuſceperimus; de vera illa pœnitentia quæ eſt medium efficaciſſimum ad deſtruenda peccata, hodie dicemus, docebimuſque quid faciendum ſit, ut pœnitentia, quæ ab homine fit, vera pœnitentia ſit, &c. *Ave.*

ADverſus Deum peccamus corde, peccamus lingua, peccamus manu; ſeu, quod idem eſt, adverſus eum peccamus pravis cogitationibus quas cor parturit, verbis indebitis quæ lingua profert, & actionibus iniquis quas manus operatur: *Peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere.*

Sicut autem cor, lingua, & manus ſunt peccatorum noſtrorum principia & cauſæ: ita, ut peccata in ſemetipſo quis deſtruat, corde, lingua, & manu uti debet; *corde*, ut peccata ſua deteſtetur: *lingua*, ut ea confiteatur: *manu*, ut pro iis ſacisfaciat: *Peccator*, inquit Doctor Seraphicus, *culpam animo deteſtetur, verbo accuſet, & facto puniat. D. Bonav. in compend. Th. lib. 6. c. 23.*

Vera pœnitentia incipit a corde, quod perpetrata peccata deteſtatur, & de iis dolet: a corde autem tranſit ad os, quod commiſſa peccata ſincere confitetur, & prudenti Confeſſario declarat: ab ore tandem migrat ad manum, quæ pro peccatis ſatisfacit, fructuſque pœnitentiæ dignos operatur. Videamus pœnitentiam in corde, in ore, & in manu hominis pœnitentis: dicamuſque, quod ad veram pœnitentiam requiritur: 1. Ut cor peccata deteſtetur: 2. ut lingua peccata confiteatur; 3. ut manus pro peccatis ſatisfaciat. *Cordis* dolor, *oris* confeſſio, *manus* ſatisfactio, ſunt tria ad veram pœnitentiam neceſ-

ceſſaria, ut in tribus hujus concionis partibus probabimus.

## PRIMA PARS.

*Ad veram pœnitentiam requiritur dolor cordis.*

CErtum eſt, peccata actualia per pœnitentiæ Sacramentum nunquam remitti, niſi de iis doleat peccator; *Doleat & ingemiſcat neceſſe eſt. Tertul. lib. de Pœn. c. 7.* Ille autem dolor, ut peccata deſtruere & delere valeat, debet ex corde procedere; ad omnia peccata, ſaltem mortalia, ſe extendere, & propoſitum non amplius peccandi includere. Ille dolor debet eſſe; 1. *Dolor cordis*, qui ex corde vere oriatur; 2. *Dolor cordis*, qui ad omnia peccata ſe extendat; 3. *Dolor cordis*, qui propoſitum non amplius peccandi includat.

1. Duplex eſt dolor internus: *Unus* qui excitatur in appetitu ſenſitivo; quo quis ad ſuſpiria, ad planctus & ad lacrymas movetur. Et iſte dolor, licet bonus eſſe poſſit, & laudabilis; non tamen neceſſarius eſt ad pœnitentiæ valorem, quia hic dolor non eſt in noſtra poteſtate; hunc enim dolorem ſenſibilem in ſe excitare, & lacrymas fundere non poteſt quiſque, prout voluerit. *Alius* dolor internus, eſt *Dolor cordis*, ſeu voluntatis; qui dolor, ut ait Doctor Seraphicus, nihil aliud eſt, quam *peccati diſplicentia; D. Bon. ubi ſup. c. 24.* tuncque vere habemus hunc cordis dolorem, quando perpetrata peccata voluntas deteſtatur; vel cum peccaſſe ei diſplicet. Et iſte dolor cordis, ſeu, iſta peccati diſplicentia, & deteſtatio, *eſt de eſſentia pœnitentiæ*, inquit S. Bonaventura. Quare ſicut res aliqua non poteſt ſubſiſtere ſine his quæ ſunt ejus eſſentia; ita nec ſine hoc cordis dolore vera pœnitentia eſſe poteſt.

De quo ſi adhuc dubites, audiendum eſt Concilium Tridentinum, dicens quod *fuit quovis tempore ad impetrandam veniam, hic contritionis motus neceſſarius. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.* Et hoc docent omnes Theologi, qui cordis dolorem ad delenda peccata ita neceſſarium cenſent, ut, licet dicant aliqui, Deum de potentia ſua abſoluta poſſe remittere peccata, etiamſi nullus ſit dolor ex parte pœnitentis; in hoc tamen conveniunt omnes, quod de ordinaria Dei potentia remitti nequeant, niſi ſit dolor ex parte pœnitentis, & niſi ei peccaſſe diſpliceat. Non enim poteſt quis per pœnitentiam reconciliari cum Deo, nec veniam peccatorum obtinere, niſi de offenſa in Deum commiſſa doleat. Quia Deus hos ſolum ſanat, iiſque ſolum indulget, qui dolorem habent in corde: *qui ſanat contritos corde. Pſ. 146. 3.*

Multos reperire eſt, qui, cum non habeant pœnitentiæ ſacramentalis uſum, nec contritionis, nec attritionis actus elicere norunt: quare antequam ad Confeſſarium, peccata ſua declaraturi, accedant, ſumpto quodam libello, in eo ſemel & iterum contritionis, & attritionis actus legunt, ſed abſque ulla attentione ad ea quæ legunt. In libello ſuo legunt: *Domine, doleo de peccato commiſſo*; ſed nullus eis in corde de peccatis dolor. Et quia doloris actus pluries legerunt, doloris actus vere elicuiſſe, ſibique per pœnitentiam peccata remiſſa eſſe credunt. At falluntur multum, & hallucinantur: quia ad veram pœnitentiam non requiritur actus doloris in oculis, qui lugeant; ſed in corde, quod peccata vere & ſincere deteſtetur: Deus enim non ſanat contritos oculis, ſed contritos corde: *Qui ſanat contritos corde.*

In ſimilem errorem cadunt alii, qui cum peccata ſua frequenter confiteri, & doloris actus elicere ſoleant; hos actus ſæpe ex conſuetudine, ore ſolum, & non corde eliciunt: non attendentes ad ea quæ dicunt, nec in corde verum dolorem habentes; ſed ore ſolum dicentes: *Domine, de peccatis doleo.* Quod nonnumquam aliquibus accidit; qui cum totam pœnitentiæ eſſentiam & perfectionem in hoc conſiſtere imaginentur, quod omnia peccata accurate dicant, temporis multum in conſcientiæ ſuæ examine inſumunt; actum vero doloris de peccatis, perfunctorie, abſque ulla advertentia, & ore ſolummodo proferunt. Iſtorum autem nulla eſt pœnitentia, nullaque iis fit peccatorum remiſſio: tum quia cordis dolor eſt de eſſentia pœnitentiæ: tum quia Deus hos ſolum ſanat, qui habent dolorem in corde: tum quia, ut ait ſacrum Concilium Tridentinum, dolor ad pœnitentiam neceſſarius, *eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo. Ibid.* Hic dolor hærere non debet in oculis, vel in labiis; ſed in animo, ſeu in corde & voluntate: *Eſt dolor animi.* Ad veram ergo pœnitentiam requiritur cordis dolor, qui vere a corde procedat. *Sed requiritur etiam cordis dolor, qui ad omnia peccata mortalia ſe extendat.*

2. Non eſt neceſſe, ut homo, multis mortalibus gravatus, de quolibet illorum ſpecialiter doleat, & ut quodlibet ſpeciali doloris actu deteſtetur: debet tamen cordis dolor ad omnia & ſingula, ſaltem generaliter, ſe extendere: ita ut nullum ſit peccatum mortale, de quo non doleat, ſaltem in genere. Si enim peccator doleat quidem de aliquibus mortalibus, ſed in aliis ſibi complaceat, vel de iis non doleat; dimidiatus ille dolor eſt inutilis; & nec ad pœnitentiæ valorem, nec ad delenda peccata ſufficit.

Quod ut quam verum ſit, pateat, audiendus Spiritus Sanctus qui apud Ezechielem ait: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, vita vivet, & non morietur. Ezech. 18. 21.* Non dixit: ſi de aliquibus: ſed, *ſi de omnibus peccatis*: Quia ſi non de omnibus, ſed de aliquibus ſolum mortalibus dolor habeatur, dolor ille nullus eſt, pœnitentia nulla, nec aliqua fit peccatorum remiſſio: unum enim mortale ſine alio remitti impoſſibile eſt. Et, ut ait Auguſtinus, *ſpecies quædam infidelitatis eſt, ab illo qui juſtus eſt, dimidiam ſperare veniam. Aug. lib. de vera & falſa pœn.*

Herodes, audito Joanne Baptiſta, ipſum de criminibus redarguente, non de omnibus, ſed de multis peccatis dolebat; multaque ad eorum deletionem faciebat: *Audito eo, multa faciebat. Marc. 6. 20.* Quid emolumenti inde percepit Herodes? Eſt ne inde juſtificatus? ſuntne ei dimiſſa omnia peccata? nequaquam. Quia ad hoc ut quis juſtificetur, non de aliquibus ſolum aut de multis, ſed de omnibus mortalibus dolere debet: *Debet dolere de crimine, & de omni ejus varietate. Auguſt. lib. de vera & falſa pœn. 17.*

In quolibet peccatore paſſio quædam prædominans eſſe ſolet, qua uni cuidam peccato ita adhæret, ut licet de aliis omnibus doleat, de illo tamen numquam doleat: quin potius in eo delectatur, & ſibi complacet: *Sunt plures*, inquit Auguſtinus, *quos pa-*

*pœniteat peccaſſe, ſed non omnino; ſervantes quædam in quibus ſibi delectantur. Ibid.* Sic nonnumquam videmus homines ebrietati deditos, qui libidinem, avaritiam, & alia multa deteſtantur vitia: ſed de ebrietate dolere non poſſunt: quinimmo de ea gloriantur, & in ea ſibi complacent. Sic homines fœdis addicti libidinibus, uſuras, ebrietates, & alia multa ſæpe oderunt peccata; in quæ ſi incidant, ea facile deteſtantur: ſed de ſuis numquam perfecte dolent libidinibus: quin potius in iis magis & magis delectantur, iiſque pertinacius adhærent. Iis autem nil prodeſt, quod de aliquibus ſolum doleant peccatis: quia ad hoc ut vera ſit pœnitentia, & ut deleantur peccata, dolor non de aliquibus ſolum, ſed de omnibus mortalibus eſſe debet: *Debet dolere de crimine, & de omni ejus varietate.* Sed cordis dolor non ſolum debet ad omnia mortalia ſe extendere: *verum & propoſitum non amplius peccandi includere.*

3. Ad Confeſſarios accedunt ſæpe famoſi peccatores, quorum alii pravo quodam habitu a multo tempore conſtricti detinentur: alii in proximis peccandi occaſione vivunt: & alii ab annis pluribus aliena inique detinent. Hujuſmodi peccatores ad ſacrum Pœnitentiæ Tribunal ſe ſiſtunt, non ut pravos in ſemetipſis habitus deſtruant, non ut proximis abrenuntient peccandi occaſionibus, non ut injuſte ablata reſtituant, nec ut peccatis valedicant; ſed ut abſolutionem quomodocumque a Confeſſario obtineant; & ideo ut illum ad dandam abſolutionem alliciant, pectora tundunt, fundunt lacrymas, ac pluries proteſtantur ſe impoſterum ea omnia, quæ Chriſtiani hominis ſunt, ſtudioſe facturos. Hoc proteſtantur tunc, hoc proteſtati erant anno proxime elapſo, hoc proteſtati ſunt, quoties a multis annis ad Pœnitentiale Tribunal acceſſerunt: ſed quia hæ proteſtationes fictæ fuerunt & falſæ, nullus etiam fuit eorum dolor, & pœnitentia nulla. Ut enim ait Concilium Tridentinum, ad veram pœnitentiam requiritur cordis dolor, qui firmum, & verum non amplius peccandi propoſitum includat. Debetque homo pœnitens de peccatis dolere, *cum propoſito non peccandi de cætero. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.*

Ad pœnitentiæ valorem neceſſario requiritur dolor quidam internus, qui ſit, vel actus contritionis, vel actus attritionis: non enim valere poteſt data a Sacerdote abſolutio, niſi pœnitens actum contritionis, vel attritionis eliciat qui ſit materia proxima, ſupra quam applicetur abſolutio, quæ eſt pœnitentiæ forma. Sive autem hic doloris actus ſit contritio, ſive ſit attritio, ſemper includit propoſitum non peccandi deinceps, ut patet ex definitione utriuſque doloris. Contritio enim eſt dolor, ſeu, deteſtatio de peccato propter Deum ſumme dilectum, *cum propoſito non peccandi de cætero*, ut loquitur Concilium Tridentinum. Attritio vero, ut ait idem Concilium, eſt dolor de peccato commiſſo; qui dolor oritur, non ex dilectione Dei ſuper omnia, ſed ex aliis motivis: v. g. ex metu gehennæ, ex metu amittendi gloriam æternam, vel ex turpitudine ipſius peccati, cum ſpe veniæ, *& intentione non peccandi denuo: Trid. Ibid.* Quare cum quilibet ex his doloribus, quorum unus ad pœnitentiæ valorem neceſſario requiritur, includat propoſitum non peccandi deinceps: dicendum quod cordis dolor, qui ad pœnitentiæ valorem abſolute requiritur, neceſſario includat propoſitum non amplius peccandi.

Dolor ad pœnitentiam requiſitus, ſive ſit contritio, ſive ſit attritio, duos habet reſpectus: *unum*, ad præteritum, ſeu, ad peccata præterita, quæ deteſtatur: *alium*, ad futurum, ſeu, ad peccata quæ in futuro vitare firmiter proponit. Et iſtud propoſitum non peccandi in futuro eſt neceſſarium: *tum*, ad obtinendum pœnitentiæ finem, quæ ad emendationem vitæ tendit: *tum*, ad impetrandam a Deo veniam: non enim peti, & ab aliquo venia facile obtineri poteſt, niſi appareat propoſitum non ei amplius injuriam aliquam faciendi: *tum*, ad pœnitentiæ valorem: nulla enim eſt pœnitentia, ſi ſit ſine dolore interno, in quo formaliter vel ſaltem virtualiter includatur propoſitum non amplius peccandi: ſeu, *non peccandi de cætero.* Ecce dolorem, qui ad pœnitentiæ valorem requiritur. *Sed ad eam neceſſaria eſt etiam oris confeſſio.*

## SECUNDA PARS.

*Ad veram pœnitentiam requiritur oris confeſſio.*

AD pœnitentiæ valorem non ſufficit ut doleat cor: debet etiam lingua loqui, & poſt cordis dolorem, ſequi debet oris confeſſio: *Poſt dolorem cordis, ſequitur confeſſio oris. S. Bonav. ſerm. 40. de div.* Verum eſt, ab homine pœnitente ita perfectum nonnumquam elici doloris actum, ut omnia ejus peccata, etiam ante confeſſionem, deleat: manet tamen ei onus peccata mortalia confitendi: non aliqua ſolum, ſed: *1. Omnia*, ſine exceptione: *2. Omnia*, ſine diminutione: *3. Omnia*, ſine fuco.

1. Plures invenias, quos quiſque ſcit blaſphemiis, ebrietatibus, luxuriæ, & aliis eſſe vitiis addictos: plures qui turpiter, impie, & maximo cum aliorum ſcandalo vivunt: qui tamen cum ad Confeſſarium accedunt, ſe nihil mali feciſſe, aut in leviſſima ſolum quædam peccata lapſos eſſe aſſerunt. Si iis credatur, numquam blaſphemarunt, impudicitiis & ebrietati numquam indulſerunt, proximum in facultatibus & in fama læſerunt numquam: ac ſe leviter mentitos eſſe, vel aliud aliquod veniale peccatum perpetraſſe vix fatentur. Hi ſimiles videtur Adamo, qui poſtquam in Deum peccavit, *abſcondit ſe: Geneſ. 3. 9.* peccata enim ſua abſcondunt, nec ea Confeſſario manifeſtare volunt. Aſt omnia penitus mortalia, nullo excepto, in confeſſione ſunt manifeſtanda: non ſolum in genere, & in ſpecie, ſed etiam in numero, quantum fieri poteſt. Quod ad remiſſionem peccatorum obtinendam, de jure divino eſſe neceſſarium aſſerit Concilium Tridentinum his verbis: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum, neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habetur, anathema ſit. Trid. ſeſſ. 14. Can. 7.*

Antequam peccatores ad pœnitentiale Tribunal ſe ſiſtant, ſuam ſerio diſcutere debent conſcientiam, ac peccatorum ſuorum ſpeciem & numerum examinare, *Diſcute conſcientiam tuam, aſcende tribunal mentis tuæ; noli tibi parcere, examina te. Auguſt. in*

Digitized by Google

*in Pſalm.* 101. Hæc conſcientiæ diſcuſſio non perfunctorie & negligenter, ſed accurate & diligenter eſt facienda: *Peccator debet ſeipſum diligenter excutere, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explorare. Trid. ſeſſ.* 14. *Can.* 5. Non ſegniter; ſed magno ſtudio inquirere quiſque debet, quæ peccata corde, ore, & opere, contra Deum, ſeipſum, & proximum perpetraverit: talemque inquiſitionem quiſque facere debet, qualis in arduo & magni momenti negotio requiritur. Facto autem hoc examine: non aliqua ſolum ex peccatis cognitis, & in ſe adnotatis, ſed omnia penitus & ſingula mortalia peccata, quorum quiſque memoriam habuerit, confiteri debet. Non tacendum hoc peccatum, quod pudor declarare vetat: non ſub ſilentio prætereundum illud, quod non eſſe mortale, tibi ſuadere conaris, non illud reticendum, quod perpetraſti, dum adhuc pueriles annos agebas, ſed quantum fieri poteſt, mortalia, quorum memineris, ſunt omnia, nullo excepto, confitenda. Neceſſarium eſt *jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habetur.* At ſi peccata mortalia ſunt confitenda omnia ſine exceptione: *ſunt etiam confitenda omnia ſine diminutione.*

2. Aliqui gravia quævis quæ perpetrarunt peccata, circumſtantiis minuentibus ita involvunt, ut non mortalia, ſed venialia & leviſſima peccata videantur. Si ad ſola eorum verba attendamus, omnia peccata de quibus ſe excuſant, aut ſunt motus primo primi, aut ſunt in materia levi, aut abſque plena deliberatione fuere perpetrata, aut ita vehemens extitit paſſio, ut ei reſiſtere non potuerint. Si proximo damnum intulerint, dicunt ſemper, quod de re parvi momenti agatur; ſi reſtitutio ſit facienda, mora eorum numquam eſt culpabilis; ſi mentibus eorum impudicæ irrepſerint cogitationes, eas ſtatim expuliſſe ajunt: nec ulla in iis unquam fuit complacentia voluntaria: ſi adverſus proximum locuti ſunt, res ſemper erat parvi momenti, & ea ſolummodo dixerunt, quæ ſciebant omnes: Hi tandem ita peccata ſua minuunt, ut licet mortalia, & graviſſima in ſe ſint, ea ut venialia, & ut levia quædam delicta confiteantur. O qualem peccata ſua confitendi modum! o quam mendaces & fallaces filii hominum! o quam minuuntur ab iis veritates! *Diminutæ ſunt veritates a filiis hominum. Pſalm.* 11. 2. Sed o quam inutilis & prava hæc confeſſionis praxis! Hac ſane confeſſione, nulla obtinetur peccatorum remiſſio: quia, ut ex Concilio Tridentino diximus, ut quis in Sacramento Pœnitentiæ remiſſionem peccatorum obtineat, omnia & ſingula mortalia, quorum prævio diligenti examine recordatur, confiteri tenetur, ſi poſſit. Qui autem peccata ſua mortalia in confeſſione ita minuunt, ut venialia ſolum videantur: non vere mortalia ſua peccata confitentur, ſed illa operiunt, ac proinde nulla eorum eſt pœnitentia, nec criminum ſuorum remiſſionem obtinent.

Tantum abeſt, quod hujuſmodi pœnitentibus mortalia remittantur peccata, quin contra talis eorum confeſſio eſt ſacrilega, ſuiſque peccatis addunt ſacrilegium quod perpetrant, cum mortalia ſua peccata ita minuunt, ut venialia ſolummodo videantur. Fatentur enim omnes, ſacrilegium perpetrare illum, qui mortale aliquod ſine legitima cauſa in confeſſione reticet, quia profanat Pœnitentiæ Sacramentum. Qui autem mortalia ſua peccata in confeſſione ita minuunt, ut venialia ſolum appareant, mortalia ſua non vere confitentur, ſed ea potius Confeſſario occultant; quare tantum abeſt quod a peccatis ſolvantur, quin contra peccatis ſuis novum peccatum, ſeu ſacrilegium addunt. Omnia ergo mortalia confitenda ſunt ſine diminutione; *ſed confitenda ſunt etiam omnia ſine fuco.*

3. Peccata ſua ita confitentur, tantoque ea fuco operiunt, ut gravitatem illorum non ſolum minuant, verum & ea virtutis minio operiant, eaque tamquam præclaras Chriſtiani hominis virtutes Confeſſario declarent. Homo, v. g. qui uſurariis lucris ad pinguiorem venit fortunam: Confeſſario dicet, ſe quidem mutuo dediſſe pecuniam, & lucrum ex mutuo accepiſſe, magnum tamen charitatis actum ſe in hoc exercuiſſe, quia mutua hac pecunia mutuatarios impedivit, ne ab aliis creditoribus opprimerentur, & ne fame perirent: ecce hominem ex charitatis motivo uſurarium. Pater familias qui famulorum, & mercenariorum mercedem iis invitis detinet, excuſabit ſe apud Confeſſarium, dicens: aliquid mercenariis meis ſolvendum mihi ſupereſt, ſed nil inde iis detrimenti eveniet quin eſt quod mihi gratias referant, quia ſi eos totaliter ſolviſſem, quæ illis dediſſem, jam diſſipata eſſent: ecce hominem qui ſe beneficum dicit, ſibique gratiarum actiones deberi putat, quia aliena inique detinet. Patres, & Matres, qui in propriis domibus iraſci, & veluti leones rugire ſolent, ferinos ſuos iracundiæ motus velo zeli obnubilant, dicuntque, ſe ad iracundiam moveri zelo filios & domeſticos corripiendi, & ad meliorem vitæ frugem perducendi: ecce qui iracundiam chriſtiani & religioſi zeli pallio operiunt. Famuli, qui dominorum bona furati ſunt, furta ſua excuſare ſolent, dicentes, ſe furatos eſſe, ut fratris, ſororis, vel aliorum pauperum neceſſitatibus ſubvenirent: ecce qui furantur ex miſericordiæ motivo. Patronus, qui clientes ſuos ad litigandum excitavit, probe ſciens, jura eorum claudicare, ac eos cauſa caſuros, Confeſſario dicet, ſe nullum iis intuliſſe damnum: quin potius eos ſibi obſtrictos, quia ab iis parum emolumenti percepit, reſpectu multi laboris, quem in gerendis eorum negotiis expendit: ecce hominem, qui cum clientes ad multas & inutiles expenſas faciendas pravis ſuis conſiliis implicaverit, eos de ipſo bene meritos ait. O quam fallaces hi omnes peccata ſua confitendi modi! O quales fucores! O quam inique ab hujuſmodi pœnitentibus ſcelerum facies immutatur: cum ea ita declarent, ut non peccata, ſed virtutes videantur. Sed væ illis qui dicunt bonum eſſe quod malum eſt, & qui ſcelera ſua Confeſſariis ſub virtutis ſpecie manifeſtant! *Væ qui dicitis malum bonum! Iſ.* 5. 10. Væ illis: quia per pœnitentiam non ſanabuntur, nec juſtificabuntur: *Ne latebras quæras, ne ſub doli pallio lateas, non vulnera tua pallies; ſi enim operam medicantis expectas, neceſſe eſt ut vulnera tua detegas. Div. Thom.* Væ illis! quia cum mortalia ſua peccata, non ut peccata, ſed ut virtutes declarent, non ſolum veniam non obtinent, ſed &

gra-

Digitized by Google

grave ſacrilegium perpetrant. Væ tandem illis: quia cum tanta illorum ſit hypocriſis, ut malitiam ſuam virtutis velo operiant, in Dei maledictionem incurrunt: *Væ vobis hypocritæ!*

*Beatus vir*, inquit Propheta, *cui non imputavit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus. Pſ.* 31. Quis eſt ille homo beatus, in cujus ſpiritu non eſt dolus? Hic homo, inquit Auguſtinus, eſt ille peccator, qui cum intus multorum ſit reus ſcelerum, coram Confeſſario juſtus videri non ſatagit, nec illi peccata ſua ſub virtutum ſpecie declarat: *In ſpiritu ejus non eſt dolus, quia non habet in ore ſuo oſtentationem juſtitiæ, cum conſcientia ejus peccatis plena ſit*. Hic quidem beatus eſt: ſed infelices illi qui cum intus mali ſint, oſtentationem habent juſtitiæ. qui peccata ſua virtutis veſte induunt, eaque Confeſſario, tamquam virtutes, declarant; Væ illis hypocritis, qui æterna maledictione digni ſunt: *Væ vobis hypocritæ*. Væ illis: quia ſi non convertantur, in inferno cum hypocritis æternum cruciabuntur: *partemque ejus ponet cum hypocritis*. Quare ite, *oſtendite vos Sacerdotibus. Matth.* 24. 51. Non ſufficit, quod eos adeatis; non ſatis eſt, quod coram illis procidatis; ſed vosmetipſos ipſis oſtendite, propriam iis patefacite conſcientiam; mortalia quæ perpetraſtis, eis declarate; non aliqua ſolum, ſed omnia ſine exceptione, ſine diminutione, & ſine fuco. Ecce quæ peccatorum confeſſio ad veram pœnitentiam neceſſario requiratur; *Aliquid de ſatisfactione dicamus*.

## TERTIA PARS.

*Ad veram pœnitentiam requiritur ſatisfactio.*

Ex peccatoribus plurimi ſua facile fatentur crimina, eaque libenter declarant; immo & ea nonnumquam nimia cum impudentia Confeſſario dicunt. Sed cum de ſatisfactione Deo & proximo facienda agitur; hic opus, hic labor eſt. Ut tamen vera & integra ſit pœnitentia, oportet, ut homo pœnitens ſatisfaciat. 1. Pro peccatis perpetratis. 2. Pro bonis temporalibus injuſte detentis. 3. Pro damnis proximo inique illatis.

1. Non ſufficit pœnitenti, mores in melius mutare, & a peccatis, peccandique occaſionibus diſcedere; ſed inſuper oportet, ut pro jam perpetratis criminibus ſatisfaciat Domino, qui peccata ita dimittere ſolet ut aliquam ab iis, quibus indulget, ſatisfactionem exigat. Deus quidem ita miſericors eſt, ut in Pœnitentiæ Sacramento remittat culpam; ac etiam pœnitentiam æternam, mortali peccato debitam, in pœnam temporalem commutet; ſed juſtitia ejus aliquam ex parte peccatori ſatisfactionem expectat; & aliquam pœnam temporalem, quam ſatisfactionem vocamus, ab eo exigit. Hoc onus ei juſtitia divina imponit, cum illi peccata dimittit, & ut loquitur Tertullianus. *Hoc pretio Dominus addicere veniam inſtituit, hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Tert. lib. de Pœnit. cap.* 6.

Satisfactio, prout eſt pars integrans Sacramenti Pœnitentiæ, nil aliud eſt, quam compenſatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, conſiſtens in operibus pœnalibus, taxatis a Confeſſario. Licet enim ſcire præciſe nequeant Confeſſarii, quanta pœna poſt culpæ remiſſionem a quolibet pœnitente ſit ſubeunda; tenentur tamen cuilibet pœnitenti (qui ſaltem non eſt incapax pœnitentiam adimplendi) pœnam aliquam imponere, quam vocamus pœnitentiam, vel ſatisfactionem: tenentur, inquit Concilium Tridentinum, *ſalutares & convenientes pœnitentias injungere. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 8. Et has pœnitentias, ſeu ſatisfactiones acceptare, & adimplere tenentur pœnitentes; *tum*, ut integrum faciant Pœnitentiæ Sacramentum, *tum*, ut juſtitiæ divinæ ſatisfaciant, *tum*, ut Confeſſarii, & legitimi ſui Judicis ſententiæ obtemperent.

Eos qui pœnitentias a Confeſſariis impoſitas acceptare nolunt, ſtultos vocat Sanctus Leo Papa, dicens: *Multi tanta falluntur ſtultitia, ut capitali crimine culpati, pœnitentiam a ſuis Sacerdotibus acceptare nolint. S. Leo Epiſt.* 80. Eas acceptare, & adimplere tenentur, ſi poſſint: ſicut enim Sacerdos eam imponere; ita & eas pœnitens adimplere tenetur: quia cum uterque concurrat ad Sacramentum, uterque etiam, quantum in ſe eſt, ad Sacramenti integritatem concurrere tenetur. Unde Tertullianus eos qui pœnitentias ſibi a Sacerdote impoſitas adimplere recuſant, graviter inſectatur, his verbis: *Pœnitentiam acceptant; ſed implere eam negligunt. Quam ineptum, quam iniquum pœnitentiam non implere! Tertull. Ibid.* Ut vera ergo ſit pœnitentia, ſatisfaciendum Deo pro peccatis perpetratis; *ſed ſatisfaciendum etiam proximo pro bonis ab eo injuſte ablatis*.

2. Pœnitentis eſt, ablata reſtituere: pœnitentes enim qui non reſtituunt aliena, quæ reſtituere poſſent ſi vellent, non veri, ſed ficti ſunt pœnitentes: *Si res aliena propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Auguſt. Epiſtola* 54. *ad Maced.* Jejunet quis toto vitæ ſuæ tempore, lugeat, pectus tundat, & divinam miſericordiam quantum voluerit imploret, hæc omnia verum pœnitentem non efficiunt, falſaque & ficta eſt hæc pœnitentia, ſi reſtitutio non fiat: *non agitur pœnitentia, ſed fingitur*.

Avarus, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus, ſimilis eſt ſanguiſugæ: *avidam cruoris æmulatur hirudinem*. Sicut enim hirudo, ſeu ſanguiſuga alienum cruorem; ſic & avarus alienas opes cupit, ſugit & deperit. Sed ſi ſanguiſugas alienum ſugentes ſanguinem imitentur avari; illas eundem ſanguinem evomentes imitari debent. Sicut ſanguiſugæ arte Medicorum effuratum ſanguinem emittunt, & evomunt: ita cum ad ſpirituales Medicos, ſeu ad Confeſſarios, pœnitentiæ cauſâ, accedunt avari, ſuffuratum ſanguinem, ſeu malè partas opes evomere & reſtituere debent, ſi poſſint; aliter pœnitentia eorum vana eſt, & nulla: *Hæc pœnitentia neceſſario vana: quia caret fructu ſuo, ſeu remiſſione peccatorum. Tertull. lib. de Pœnit. cap.* 2.

Homini, quantumvis impio, pœnitentiam agenti, veniam, gratiam & vitam æternam pollicetur Deus: ſed ea conditione, quod aliena reſtituat: *Si pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit. Ezech.* 33. 14. Si enim, cum reſtituere poſſit, non reſtituat, inanis & nulla ejus eſt pœnitentia, nullaque ei ſalutis ſpes ſupereſt. Ad hoc ergo ut vera ſit pœ-

pœnitentia, ſatisfaciendum pro bonis injuſte detentis: *ac etiam pro damnis proximo inique illatis.*

3. Eos qui aliena reſtituere nolebant, cum poſſent, arguebat, increpabat, & ſacra Communione privabat D. Auguſtinus: *Nolentes reddere, quos novimus, & male abſtuliſſe, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, deteſtamur, aliquando etiam ſancti altaris Communione privamus. Auguſt. ibid.* Cur tam acriter & aſpere arguit & increpat Auguſtinus eos qui aliena detinent, & ea reddere nolunt? cur eos deteſtatur, eoſque ſacra Communione privat? Ratio eſt: quia quamdiu aliena quæ detinent, non reſtituunt, pœnitentia eorum vana, inutilis & nulla eſt. Quod autem de iis qui aliena detinent, & non reſtituunt, dicit Auguſtinus; hoc idem dicendum de iis qui proximo damnum intulerunt, & ei non ſatisfaciunt; quia damnum inferre proximo in bonis temporalibus, & bona ejus temporalia auferre, unum & idem eſſe videtur: *Quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre, in quo ipſum damnificat. D. Thom. 2. 2. quæſt. 64. art. 40.* Quare cum pœnitentia eorum qui aliena detinent, ſit nulla, ſi ea non reſtituant: ita & pœnitentia eorum, qui proximo damnum intulerunt, nulla eſt, ſi tale damnum non reſarciant, & ſi damnificato pro ratione damni non ſatisfaciant.

*Damnum*, inquit Ariſtoteles, *dicitur ex eo quod aliquis minus habet, quam debet habere. Ariſt. lib. 5. Ethic. cap. 4.* Unde cum damno, quod alteri intuliſti, ſis tu cauſa, quod ille minus habeat, quam habuiſſet, ſi ei damnum non intuliſſes; videtur, quod illi abſtuleris id, quod minus habet, & in quo minus dives eſt: Ac proinde damnum ei illatum reſarcire teneris: & ſi illud non reſarcias, cum poſſis, pœnitentia tua vana eſt, nulla eſt, ſacrilega eſt, ac ſacra communione prorſus indignus es.

Ecce quæ ad veram pœnitentiam requirantur. Vis veram facere pœnitentiam, quæ peccata tua deſtruat? Cor doleat, confiteatur lingua, manus ſatisfaciat. *Cor doleat*; ſitque cordis tui dolor *verus*, qui ex corde vere prodeat; *univerſalis*, qui ad omnia mortalia ſe extendat; & *conſtans*, qui propoſitum non amplius peccandi includat. *Confiteatur deinde lingua*, non aliqua ſolum mortalia, ſed *omnia* ſine exceptione, *omnia* ſine diminutione, *omnia*, ſine fuco. *Manus tandem ſatisfaciat*: tum pro peccatis in Deum perpetratis: tum pro bonis injuſte detentis: tum pro damnis proximo inique illatis.

Ecce quid requiratur, ut vera ſit pœnitentia: ſi hujuſmodi pœnitentiam feceris, optimum tibi medium erit ad deſtruenda peccata. Pœnitentia falſa, inquit Auguſtinus, non eſt in remedium peccatorum; ſed eſt potius æternæ damnationis occaſio: *non ſanabit, ſed cruciabit.* Quare pro viribus contende, ut pœnitentia tua non ſit falſa, ſed vera. Sincero corde peccata deteſtare, ea omnia ore confitere, ac manum adhibe, ut Deo & proximo ſatisfacias. Hoc ſi facias, pœnitentia tua vere deſtruet, tibique regna cælorum aperiet, ubi in æternum regnabis. *Amen.*

## DE PECCANDI OCCASIONIBUS.

### CONCIO IX.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Iſaiæ 27. 9.

TAnta eſt connexitas inter proximam peccandi occaſionem, & peccatum, ut illa ſine iſto vix reperiatur. Non ſolum, quia proxime peccandi occaſioni ſe exponere peccatum eſt; ſed etiam quia qui ei ſe exponit, ad peccata, ad quæ talis occaſio inclinat, facile declinat Et ideo Tertullianus eos, qui in proximis peccandi occaſionibus verſantur, funambulis comparat, & funambulos vocat. *Tertull. l. de pudic. c. 13.* Sicut enim funambuli, qui ſupra diſtentum funem gradiuntur, ſi alibi reſpiciant, ſi nutent genua, vel ſi caput vertiginet, in orcheſtram decidunt & pereunt: ita & qui laſciviæ, aliiſque proximis ſe exponunt peccandi occaſionibus, quaſi funambuli, non quidem in terram, ſed in peccatum, & deinde in infernum miſere ruunt. Quare optimum ad vitanda, & deſtruenda in ſemetipſo peccata medium eſt peccandi occaſionibus non ſe exponere, & ab iis ſe ſubtrahere. Ad quod faciendum ut vos allicere valeam, iſta concio erit de proximis peccati occaſionibus, ſeu de illis peccandi occaſionibus, quæ vehementer ad peccatum trahunt, vel potius de illis occaſionibus, quibus cum quis expoſitus peccare ſolet, &c. *Ave.*

NOrunt omnes, ſanctiſſimum Prophetam David in grave adulterii peccatum infeliciter lapſum eſſe: notum etiam eſt omnibus illum pœnitentiam egiſſe, multiſque lacrymis & jejuniis ſcelus ſuum expiaſſe; ſed velim ut quiſque advertat, quod ut piiſſimus ille Rex hoc peccatum in ſeipſo penitus deſtrueret, utque gravia omnia peccata devitaret, proximis peccandi occaſionibus nuſquam amplius ſe expoſuerit. Quin contra reliquo vitæ ſuæ tempore, periculoſas peccandi occaſiones ſummopere timuerit, eas omnes ſedulo fugerit, & eas in occaſiones, ad bonum allicientes, immutaverit.

Proximas peccandi occaſiones timuit Propheta, & ideo Deum enixe rogabat, ut ab ipſo illas amoveret: *viam iniquitatis amove a me. Pſalm. 3.* Eas fugit; & ideo ab hominum converſatione ſe elongabat; *Ecce elongavi fugiens.* Eas mutavit, & ideo relictis locis, quæ illi peccandi occaſionem dare poterant, ad ſolitudinem properabat, ubi virtuti ſedulo incumbendi occaſionem habebat, *& manſi in ſolitudine.*

O homo, tu qualiſcumque ſis, ut peccata in temetipſo deſtruas, utque illa ita abjicias, ut in ea amplius non labaris, Regium imitare Prophetam, & ſimul cum illo proximas peccandi occaſiones time, fuge, & muta. Ad quod faciendum ut alliciaris, eas timendas, fugiendas, & mutandas jam probabimus. Proxime peccandi occaſiones ſunt: 1. timendæ: 2. fugiendæ: 3. mutandæ.

PRI-

Digitized by Google

## PRIMA PARS.

*Peccandi occaſiones ſunt timendæ.*

Licet timor omnium paſſionum infima, & ultima ſit: laudabile tamen, glorioſum, & neceſſarium eſt timere, reſpectu occaſionum peccati. Qui enim peccandi occaſionibus ſeſe implicare non timet, in gravia peccata facile cadit; qui autem iis ſe exponere pertimeſcit, a peccatis cavet, & propriæ ſaluti recte conſuluit; *timende cavebimus, & cavendo ſalvi erimus. Tertull. lib. de cult. fem. cap. 2.*

Poſtquam primis parentibus prohibuit Deus[1], ne de fructu arboris, quæ erat in medio Paradiſi, comederent, non ſtatim Evæ ſuaſit diabolus, ut de fructu vetito comederet; ſed illi prius occaſionem de eo comedendi præbuit. Suaſit illi prius malignus ille ſpiritus ut arborem hanc, & fructus ejus attente inſpiceret, bonitatemque ejus ſerio perpenderet: *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulcrum oculis, aſpectuque delectabile. Gen. 3. 6.* Deinde perſuaſit illi angelus ſatanæ, ut fructum legeret, manu attrectaret, odorem exploraret; *tulit de fructu illius.* Quid aget mulier præſente & movente occaſione comedendi de fructu vetito? abſtinebit ne, an vero comedet? *tulit de fructu illius, & comedit.* Sic homines diabolus ad crimina callide trahit; prima enim fronte enormia non ſuadet ſcelera, ſed a peccandi occaſionem primo allicit, & deinde ab occaſione ad peccatum facillime trahit. Honeſto juveni primo ſuadet, nihil mali, nihilque periculi imminere, ſi in ingenuam puellam oculos injiciat, ſi perhumaniter illam ſalutet, ſi eam iterum iterumque conveniat, ſi prolixiores ſermones crebro cum illa miſceat. Sed tandem ad manum ejus prehenſandam, ad figenda amoris oſcula; immo & aliquando ad fructum virginitatis ejus auferendum trahit, *tulit de fructu illius.* Ecce quo ducunt peccandi occaſiones; quare ut peccatum devites, & ut ſalvus fias, peccandi occaſiones time; *timendo cavebimus, & cavendo ſalvi erimus. Gen. 28.*

Proximas peccandi occaſiones maxime timuerunt quamplures viri ſanctiſſimi. Jacob a paterna domo libenter diſceſſit, & in Meſopotamiam peregrinatus eſt, ut inter ſe & fratrem ſuum Eſau omnis jurgiorum occaſio tolleretur. Iſaac a terra, in qua potentiſſimus & locupletiſſimus erat, libentiſſime exulavit, ne qua occaſio amaritudinis & diſcordiæ inter ſe & Regem Abimelech pullularet. Abraham, timens, ne inter paſtores ſuos & paſtores nepotis ſui Lot quædam diſſenſionis foret occaſio, terram in qua habitabat, cum nepote ſuo diſpertiti, eique potiores partes cedere voluit: Moyſes vir mirabilis in ſignis & prodigiis, ita peccandi occaſionem timuit, ut vitandæ occaſionis cauſa, maluerit eſſe paſtor ovium, quam filius adoptivus filiæ Pharaonis. Sanctus Joannes Baptiſta, licet magnus coram Domino, licet ſanctus antequam natus, & licet inter natos mulierum major, ita peccandi occaſiones timuit, ut eas vitandi cauſa, deſerta incoluerit. *Hieron. Epiſt. 47.* Peccandi occaſiones veluti viperas pertimeſcebat S. Hieronymus, has & timuerunt viri quique ſanctiſſimi, quorum innumeri, in peccati occaſione peccare, & perire timentes, in monaſteria, in deſerta, & in antra ſe receperunt. Heu! ſi viri illi ſanctiſſimi tantopere peccandi occaſiones timuerunt, cur non pavebis tu, o homo infirmus, & ad peccatum proclivis? Si gigantes hi trepidaverunt, cur non timebis tu, qui pigmæus es? Time occaſiones peccati, illis te exponere, plurimum time. Noſti, domum illam, hunc librum, illiuſque perſonæ converſationem tibi eſſe peccandi occaſiones: in illam domum ingredi, hunc librum legere, & hanc perſonam alloqui time. Docuit te experientia, quod quotieſcumque cauponam adis, vino te ingurgites; & quod quotieſcumque ludis, in blaſphemias erumpas, in cauponam ire, & ludere pertimeſce. Probe ſcis, officium quo fungeris, & beneficium quo frueris, tibi eſſe peccandi occaſionem, illis abrenuntia, omnemque penitus peccandi occaſionem time, ut in peccatum non incidas, & ſalvus fias.

Si quæramus a Sancto Cypriano, quid ſit proxima peccandi occaſio? reſpondebit peſtem eſſe, & luem clandeſtinam: *Peſtis eſt, & lues, & clandeſtina pernicies. Cyprian. lib. de ſingul. Cler. c. 25.* Si Bernardum rogemus ut doceat nos, quid ſit occaſio proxima? dicet, quod hæc ſit *peſtis quæ ſubtiliter intrat, ac mentem occupat, & niſi ſubito repellatur, & allicit & incendit. S. Bernard. ſerm. inter dom. c. 29.* Hæc ſane peſtis eſt, quæ animam inficit, ad peccatum trahit, & interficit, & hac peſte innumeros, eoſque ſanctiſſimos viros occubuiſſe aſſerit Sanctus Auguſtinus. *Experto, inquit, crede, coram Deo non mentior, cedros Libani, duces gregum ſub hac peſte cecidiſſe reperi, de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quam Hieronymi, vel Ambroſii.* Heu! ſi occaſio peccandi eſt peſtis exitioſiſſima, quæ generoſiſſimis, ac ſanctiſſimis viris ſpiritualem mortem infert; cur proximæ peccandi occaſioni te exponere non pertimeſces? Si luem, quæ corpus inficit & toxicat, tantopere times; ſi in domibus peſte infectis habitare metuis: ſi patrem, filium, vel amicum, quem peſtilens virus invaſit, inviſere formidas, cur non metues peccandi occaſionem, a qua, veluti a venenata peſte, occiditur anima? hic liber, in quo hæretica, ſcurrilia, & impia legere conſuevisti, *peſtis tibi eſt.* Hæc domus, in qua toties innocentiam perdidiſti, *peſtis tibi eſt.* Ludus alearum, in quo temporis, facultatum, & ipſius animæ jacturam feciſti, *peſtis tibi eſt.* Hæc creatura, quam inordinato nimis amore proſequeris, *peſtis tibi eſt.* Quare has peſtes time, haſque peccandi occaſiones plurimum pertimeſce.

Proximam peccandi occaſionem *impietatis baſiliſcum* vocat Sanctus Gregorius Nazianzenus, quia ſicut baſiliſcus ſuo viſu toxicat, & venena infundit ad necem, ita occaſio proxima eſt baſiliſcus venena infundens, ad impietatem trahens, ac ſpiritualem animæ mortem inferens. *Gregor. Nazianz. orat. in laud. S. Athan.* Audimus quandoque dicentes, verum eſt, quod in proxima ſim peccandi occaſione, verum eſt, quod in eadem domo mecum habitet pellex, ſed nullum inde mihi peccandi periculum, mallem enim mori, quam fœdari. O ſtulte, non præſumas, ſed timeas, hæc etenim pellex, baſiliſcus tibi eſt, cujus veneno toxicaberis, & ad peccatum alli-

allicieris; nec diu potes cum ea morari, quin ad peccatum te trahat. Quia ut ait Sanctus Bernardus, *habitare cum femina, & non cognoſcere feminam, plus eſt quam mortuum ad vitam ſuſcitare. Quod minus eſt, non potes, quod majus eſt te poſſe, vis credam? S. Bern. ſerm. 65. in Cant.* Hanc ergo, & quamlibet proximam peccandi occaſionem time, quia quælibet talis occaſio eſt quaſi baſiliſcus, a quo tua occidetur anima, & ad peccatum infallibiliter allicietur.

Notiſſimum, & certiſſimum eſt, prolatum hoc a Spiritu Sancto oraculum; quod qui periculum amat, in illo perit, *qui amat periculum, peribit in illo. Eccli. 3. 27.* In tanto autem peccandi periculo verſatur, qui in proxima peccandi occaſione eſt, & perſeverat, ut eum non peccare quaſi impoſſibile ſit. Et ideo dicit Spiritus Sanctus: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Prov. 6. 27.* Quaſi dicat; Sicut naturaliter loquendo, impoſſibile eſt ut quis ignem in ſinu ſuo foveat, vel ſuper prunas ambulet, quin comburatur, ita impoſſibile eſt, ut quis in proxima peccandi occaſione aliquandiu remaneat, quin in peccatum incidat. O peccator, vis in proxima peccandi occaſione perſeverare, & non peccare? hoc impoſſibile eſt. Vis cum concubina in eadem domo manere, & non peccare? hoc impoſſibile eſt. Vis frequenter cauponam adire, ludere, impios libros legere, & hoc faciendo non peccare? hoc ita impoſſibile eſt, naturaliter loquendo, ut miraculum & maximum miraculum ſit, ſi quis in vehementi, & proxima peccandi occaſione aliquandiu maneat, & non peccet: *Majus miraculum eſt, inter vehementes occaſiones non cadere, quam mortuos ſuſcitare. S. Bernard. Ibid.* Quare time proximas peccandi occaſiones, in quibus evidentiſſimum, & imminentiſſimum eſt peccandi, & pereundi periculum, in quo ſi remaneas, infallibiliter peribis: *qui amat periculum, peribit in illo.*

Quamdiu homo in hoc mundo vivit, in magno ſemper verſatur peccandi periculo, quia ipſe infirmus eſt, & ad peccatum pronus. Sed in longe majori eſt periculo, cum proximæ cuidam peccandi occaſioni ſe exponit; *tum*, quia hæ occaſiones ſunt *fomites peccatorum. Ambr. l. 2. de Pænit. c. 8.* ad peccandum fortiter trahentes: *tum*, quia in his occaſionibus quiſque eſt debilior, & ad cadendum promptior: *tum*, quia diabolus in his occaſionibus eſt adverſus homines fortior, eoſque facilius ad peccandum allicit; quare quaſi impoſſibile eſt quod in his occaſionibus homo non cadat. Et ideo proximæ peccandi occaſiones ſunt timendæ, *ac etiam fugiendæ.*

## SECUNDA PARS.

*Peccandi occaſiones ſunt fugiendæ.*

Famoſum quendam vitæ ſpiritualis Magiſtrum adierunt nonnulli juvenes, ab eo petituri normam pie ſancteque vivendi. Quibus expertus ſenior dixit: ſcribite. Cumque illi ad conſcribenda ſalutis documenta fuere parati, duo hæc verba ſcribenda dictavit Magiſter: *occaſiones fuge.* Quibus ſcriptis, ordine inverſo, eadem dictavit, dicens: *fuge occaſiones.* Deinde ſubjunxit: *occaſiones fuge.* Cumque attoniti juvenes reſpondiſſent. O Pater, hæc jam ſcripſimus. Eandem ſemper cantilenam repetiit ſenex, dicens: *occaſiones fuge, fuge occaſiones*: ut indicaret, omnes ad vitanda peccata, & ad pie vivendum regulas ad hanc unicam de fugiendis peccandi occaſionibus reduci poſſe.

Hanc peccata vitandi, & pie vivendi regulam in veteri lege Deus præclare docuit, cum non intra, ſed extra caſtra vitulum immolari præcepit: *ipſum autem vitulum offe et extra caſtra. Levit. 4.* Victimam enim pro peccato, non intra caſtra, & in medio populi, ſed extra ſibi offerri Deus ordinavit; ut doceret, *quod peccator debeat eſſe elongatus, non ſolum a peccato, ſed etiam ab occaſionibus ejus. Liranus.* In medio populi variæ occurrunt peccandi occaſiones, quia unus aures ſagittat, ut jucunde detractiones audiamus, alius oculum ad laſciviam excitat, linguam movet alter, ut fratribus inferat convicia; iſte ventrem ad ingluviem irritat: ille ad uſuras & rapinam provocat; totus denique mundus in maligno politus eſt. Quare Deus, non in præſentia populi, ubi multæ ſunt peccandi occaſiones, ſed extra caſtra vitulum pro peccato immolari præcipit, ut doceat, ſollicite fugiendas peccandi occaſiones.

Nazaræis non ſolum præcepit Deus, ut a vino, & ab omni quod inebriare poteſt, abſtinerent, verum & prohibuit eis ne uvas, & quidquid a vite oritur, comederent: *Quidquid ex vinea eſſe poteſt ab uva paſſa uſque ad acinum, non comedent. Num. 6. 4.* Quod Nazaræi vinum bibere Deus prohibeat, non eſt quod miremur: quia, ut ait D. Paulus, in eo *eſt luxuria.* Sed cur uvas, acinum, & quidquid ex vinea eſſe poteſt, comedere vetat? Ratio eſt, quia ſi uvas & acinum comediſſent, inde ſumpſiſſent occaſionem bibendi vinum, ac ſe inebriandi. Quare non ſolum vinum bibere, ſed etiam uvas comedere prohibuit, ut doceret, non ſolum peccata, ſed etiam peccandi occaſiones eſſe fugiendas.

Quod & luculenter docuit Chriſtus in Evangelio, ubi habetur, quod cum ad eum quidam juvenis, viam ſalutis petiturus, acceſſiſſet, dixit el Salvator: *Sequere me.* Annuit adoleſcens; ſed facultatem petit eundi prius in domum, ut mortuum patrem ſepeliat. Cui Chriſtus: *Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Luc. 9. 20.* Jure naturali, & divino parentes honorare, iiſque obſequi tenemur: cur ergo filium hunc ultimi pietatis & charitatis officia defuncto parenti impendere, recuſat Chriſtus? Præclare reſpondet Sanctus Ambroſius, adoleſcentis illius patrem fuiſſe infidelem, & ideo non datam filio facultatem ſepeliendi patrem; ne, ſi iret inter infideles, inde occaſionem in infidelitatem cadendi ſumeret: *Non revocatur ab officio patris filius, ſed fidelis a perfidi communioni ſecernitur, Ambroſ. in hunc locum.*

Videte, quomodo fugiendas peccandi occaſiones doceat Chriſtus. Sed hoc idem clarioribus verbis docet, dicens: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Matth. 5. 29.* Per oculum enim ibi intelligitur res illa tibi chariſſima, quam veluti ocu-

oculum diligis; ſive res illa ſit officium, ſive beneficium, ſive perſona aliqua, quæ tibi proxima eſt occaſio peccandi: hæc enim omnia fugienda, eruenda, & longe projicienda: *Projice abs te*. Adverto; quod non dixerit Chriſtus, claudendum ſolum oculum, ſed eruendum, & projiciendum: relinquendum enim hoc officium, ejicienda hæc perſona, quantumvis hæc ejectio ſit tibi moleſta, & fortunæ noxia. Projiciendus longe hic oculus: non enim in domo vicina, vel in villa hoſpitanda eſt concubina, ſed longe & quam longiſſime; non ad tempus, ſed in perpetuum eſt mittenda.

Proximas ad peccatum occaſiones, fumantes vocat Sanctus Petrus Chryſologus: *Occaſiones fumantes*. Ancillam habes induſtriam, fidelem, gnaram, quæ tibi plus quam par eſt, familiarem ſe exhibet: ecce *occaſionem fumantem*. Apud te venit officioſa mulier, quæ ſtratum verſat, quæ domeſticis muneribus ultro ſe immiſcet, tibique blanditur; ecce *occaſionem fumantem. Chryſolog. ſerm.* 116. Venit ad te ingenua puella, ut ſalutis documenta petat, prima converſatio, tota ſpiritualis eſt, in ſecunda, aſpicis illam, aſpicit te illa, in tertia de rebus indifferentibus habetur ſermo, deinde prolixiora crebro de variis, de vanis, & aliquando de malis fiunt colloquia: ecce *occaſionem fumantem*, & ni caveas, ex illo fumo oritur ignis concupiſcentiæ, & laſciviæ. Ipſa enim experientia docet, quod titiones, & candelæ fumantes, & ex quibus fumus exit, facile igneſcunt, hæ autem occaſiones ſunt ſimiliter fumantes, quia ex iis facile oritur fœdæ concupiſcentiæ ignis. Quare abſcindendæ, & fugiendæ hujusmodi occaſiones: *Fuge*, inquit Innocentius Papa, *perſonam ſuſpectam, locum idoneum, tempus aptum, & quidquid eſt opportunum ad faciendum peccatum. Quia ſicut difficile eſt in igne eſſe, & non ardere: ita difficile, habere opportunitatem peccandi, & non peccare*.

Sicut in militia ſæculari, occaſiones pugnandi fugere turpe, ita in Chriſti militia occaſiones peccandi fugere glorioſum, arſque potiſſima ad triumphandum de peccato, fugere eſt. Unde Sanctus Hieronymus ait, quod in prælio, quod adverſus peccata agitur, ille vincitur, qui peccandi occaſionibus ſe implicat, ille vero vincit, qui peccandi occaſiones fugit; *Fuge, & viciſti*. Hanc regulam ſervavit & ipſe Hieronymus, qui ut peccata vitaret, peccandi occaſiones fugit, & hominum converſatione relicta, procul ad eremum confugit. Ex quo ei improperandi anſam ſumpſit impiiſſimus Vigilantius, eum inertem militem vocans eo quod ſtationem ſuam deſerat, & fugiat. Cui præclare Hieronymus: *Fugio, ut te non audiam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis. Reſpondebis, hoc non eſt pugnare, ſed fugere. Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Hieron. Epiſtolæ 47. adverſ. Vigilant.* Fugiebat Sanctus Hieronymus, ut Vigilantii non audiret doctrinam, quæ peſtilens erat, ut mores ejus, qui ſcandaloſi erant, non videret, ut a furore illius, qui ferinus erat, ad iracundiam non moveretur, ut a conſpectu & conſortio mulierum ad luxuriam non traheretur, fugiebat tandem peccandi occaſiones, ne aliquando vinceretur, vel potius eas fugiebat, ut vinceret: *Fuge, & viciſti*.

Specioſum & integerrimum adoleſcentem Joſeph daperire intendebat impudentiſſima Putiphar; eum ad adulterium vehementer ſollicitabat, apprehenſaque lacinia veſtimenti ejus, dicebat ei: *Dormi mecum*. Quid faciat innocens & pudicus Joſeph? Manebit ne in peccandi occaſione, nequaquam, ſed *relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus foras. Geneſ.* 39. 12. Fugit Joſeph: & ſi non fugiſſet, haud dubie victus fuiſſet. Fugit Joſeph; & ut ait Sanctus Baſilius Seleucienſis: *fuga uſus eſt pro armis. S. Baſil. orat.* 8. Hæc ſunt arma, quibus triumphavit; & hæc ſunt arma, quibus de diabolo, & de peccato quiſque facile triumphabit. Projice tabulas luſorias & taxillos, prohibitos libros combure, procul pelle concubinam, iniquos contractus abſcinde, ac omnes peccandi occaſiones fuge, & de peccatis triumphabis. *In occaſione peccandi apprehende fugam, ſi vis invenire victoriam. Auguſt. ſerm.* 250. *de temp.*

Cum Chriſtus, ſancto ſuccenſus zelo, nummularios e templo ejecit, columbas etiam extra templum auferri juſſit. *Auferte iſta hinc. Joann.* 2. 16. Satis videbatur ejectos eſſe e templo profanos mercatores; ac in templo ſervandæ videbantur oves, & columbæ: utpote, quia ſacrificiis inſervire poterant: cur ergo Chriſtus eas extra templum auferri imperat? Reſpondet Cardinalis Toletus, hoc ita factum, ne mercatores inde occaſionem ad templum redeundi, & in eo nundinandi ſumerent: *Ne redeundi relicta videretur occaſio: tunc enim malo ſubvenitur perfecte, quando etiam mali occaſio amputatur*. O peccator, conſcientiæ tuæ ſufficienter providiſſe credis, modo peccata tua foras ejeceris, & Confeſſario declaraveris: ſed ſi concubinam non expellas: ſi picturas & libros ad venerea allicientes non abjicias; ſi a colloquio cum tali, & tali perſona non deſiſtas; ſi tandem proximas omnes peccandi occaſiones, quantum in te eſt, non abſcindas, & fugias, tuæ ſufficienter non providiſti conſcientiæ, peccata tua non deleviſti, inaniſque, & nulla eſt tua pœnitentia, quia abſolutionis eſt incapax, qui in proxima ad gravia peccata occaſione voluntarie perſeveras.

De hoc nullus eſt dubitandi locus: & ideo docent Caſuiſtæ, non abſolvendos eos, qui proximam peccandi occaſionem tollere & fugere neglexerint. Quæ doctrina ſumitur ex ſacro Canone cap. *Legatus* 24. quæſt. 2. Ubi Gelaſius Papa admonet Fauſtum, *abſolvendos non eſſe, qui in errore, & occaſione peccandi ſua culpa immerſi ſunt*. Et ratio eſt, quia qui in peccandi occaſione manere vult, peccare etiam vult. Ut enim ait Doctor Angelicus: *Qui vult cauſam ex qua neceſſario, vel regulariter ſequitur effectus, cupit virtualiter effectum: D.Thom.* 2. 2. *quæſt.* 6. Quare cum proxima peccandi occaſio ſit cauſa, ex qua ſequi ſolet, & regulariter ſequitur peccatum, qui vult remanere in occaſione peccati, cenſetur velle peccare, & in peccatum cadere. Et ideo eſt incapax abſolutionis; non enim valet, nec valere poteſt abſolutio, niſi quis velit non amplius peccare, & a peccato abſtinere; quare proximas omnes peccandi occaſiones ſedulo fugite, ut peccatum

allicieris; nec diu potes cum ea morari, quin ad peccatum te trahat. Quia ut ait Sanctus Bernardus, *habitare cum femina, & non cognoſcere feminam, plus eſt quam mortuum ad vitam ſuſcitare. Quod minus eſt, non potes, quod majus eſt te poſſe, vis credam? S. Bern. ſerm. 65. in Cant.* Hanc ergo, & quamlibet proximam peccandi occaſionem time, quia quælibet talis occaſio eſt quaſi baſiliſcus, a quo tua occidetur anima, & ad peccatum infallibiliter allicietur.

Notiſſimum, & certiſſimum eſt, prolatum hoc a Spiritu Sancto oraculum; quod qui periculum amat, in illo perit, *qui amat periculum, peribit in illo. Eccli. 3. 27.* In tanto autem peccandi periculo verſatur, qui in proxima peccandi occaſione eſt, & perſeverat, ut eum non peccare quaſi impoſſibile ſit. Et ideo dicit Spiritus Sanctus: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Prov. 6. 27.* Quaſi dicat; Sicut naturaliter loquendo, impoſſibile eſt ut quis ignem in ſinu ſuo foveat, vel ſuper prunas ambulet, quin comburatur, ita impoſſibile eſt, ut quis in proxima peccandi occaſione aliquandiu remaneat, quin in peccatum incidat. O peccator, vis in proxima peccandi occaſione perſeverare, & non peccare? hoc impoſſibile eſt. Vis cum concubina in eadem domo manere, & non peccare? hoc impoſſibile eſt. Vis frequenter cauponam adire, ludere, impios libros legere, & hoc faciendo non peccare? hoc ita impoſſibile eſt, naturaliter loquendo, ut miraculum & maximum miraculum ſit, ſi quis in vehementi, & proxima peccandi occaſione aliquandiu maneat, & non peccet: *Majus miraculum eſt, inter vehementes occaſiones non cadere, quam mortuos ſuſcitare. S. Bernard. Ibid.* Quare time proximas peccandi occaſiones, in quibus evidentiſſimum, & imminentiſſimum eſt peccandi, & pereundi periculum, in quo ſi remaneas, infallibiliter peribis: *qui amat periculum, peribit in illo.*

Quamdiu homo in hoc mundo vivit, in magno ſemper verſatur peccandi periculo, quia ipſe infirmus eſt, & ad peccatum pronus. Sed in longe majori eſt periculo, cum proximæ cuidam peccandi occaſioni ſe exponit: *tum*, quia hæ occaſiones ſunt *fomites peccatorum. Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 8.* ad peccandum fortiter trahentes: *tum*, quia in his occaſionibus quiſque eſt debilior, & ad cadendum promptior: *tum*, quia diabolus in his occaſionibus eſt adverſus homines fortior, eoſque facilius ad peccandum allicit; quare quaſi impoſſibile eſt quod in his occaſionibus homo non cadat. Et ideo proximæ peccandi occaſiones ſunt timendæ, *ac etiam fugiendæ.*

## SECUNDA PARS.

*Peccandi occaſiones ſunt fugiendæ.*

FAmoſum quendam vitæ ſpiritualis Magiſtrum adierunt nonnulli juvenes, ab eo petituri normam pie ſanctеque vivendi. Quibus expertus ſenior dixit: ſcribite. Cumque illi ad conſcribenda ſalutis documenta fuere parati, duo hæc verba ſcribenda dictavit Magiſter: *occaſiones fuge.* Quibus ſcriptis, ordine inverſo, eadem dictavit, dicens: *fuge occaſiones.* Deinde ſubjunxit; *occaſiones fuge.* Cumque attoniti juvenes reſpondiſſent. O Pater, hæc jam ſcripſimus. Eandem ſemper cantilenam repetiit ſenex, dicens: *occaſiones fuge, fuge occaſiones*: ut indicaret, omnes ad vitanda peccata, & ad pie vivendum regulas ad hanc unicam de fugiendis peccandi occaſionibus reduci poſſe.

Hanc peccata vitandi, & pie vivendi regulam in veteri lege Deus præclare docuit, cum non intra, ſed extra caſtra vitulum immolari præcepit: *ipſum autem vitulum offe et extra caſtra. Levit. 4.* Victimam enim pro peccato, non intra caſtra, & in medio populi, ſed extra ſibi offerri Deus ordinavit; ut doceret, *quod peccator debeat eſſe elongatus, non ſolum a peccato, ſed etiam ab occaſionibus ejus. Liranus.* In medio populi variæ occurrunt peccandi occaſiones, quia unus aures ſagittat, ut jucunde detractiones audiamus, alius oculum ad laſciviam excitat, linguam movet alter, ut fratribus inferat convicia; iſte ventrem ad ingluviem irritat: ille ad uſuras & rapinam provocat; totus denique mundus in maligno poſitus eſt. Quare Deus, non in præſentia populi, ubi multæ ſunt peccandi occaſiones, ſed extra caſtra vitulum pro peccato immolari præcipit, ut doceat, ſollicite fugiendas peccandi occaſiones.

Nazaræis non ſolum præcepit Deus, ut a vino, & ab omni quod inebriare poteſt, abſtinerent, verum & prohibuit eis ne uvas, & quidquid a vite oritur, comederent: *Quidquid ex vinea eſſe poteſt ab uva paſſa uſque ad acinum, non comedent. Num. 6. 4.* Quod Nazaræi vinum bibere Deus prohibeat, non eſt quod miremur: quia, ut ait D. Paulus, In eo *eſt luxuria.* Sed cur uvas, acinum, & quidquid ex vinea eſſe poteſt, comedere vetat? Ratio eſt, quia ſi uvas & acinum comediſſent, inde ſumpſiſſent occaſionem bibendi vinum, ac ſe inebriandi. Quare non ſolum vinum bibere, ſed etiam uvas comedere prohibuit, ut doceret, non ſolum peccata, ſed etiam peccandi occaſiones eſſe fugiendas.

Quod & luculenter docuit Chriſtus in Evangelio, ubi habetur, quod cum ad eum quidam juvenis, viam ſalutis petiturus, acceſſiſſet, dixit ei Salvator: *Sequere me.* Annuit adoleſcens; ſed facultatem petit eundi prius in domum, ut mortuum patrem ſepeliat. Cui Chriſtus: *Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Luc. 9. 20.* Jure naturali, & divino parentes honorare, iiſque obſequi tenemur: cur ergo filium hunc ultima pietatis & charitatis officia defuncto parenti impendere, recuſat Chriſtus? Præclare reſpondet Sanctus Ambroſius, adoleſcentis illius patrem fuiſſe infidelem, & ideo non datam filio facultatem ſepeliendi patrem; ne, ſi iret inter infideles, inde occaſionem in infidelitatem cadendi ſumeret: *Non revocatur ab officio patris filius, ſed fidelis a perfidi communioni ſecernitur, Ambroſ. in hunc locum.*

Videte, quomodo fugiendas peccandi occaſiones doceat Chriſtus. Sed hoc idem clarioribus verbis docet, dicens: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Matth. 5. 29.* Per oculum enim ibi intelligitur res illa tibi chariſſima, quam veluti ocu-

Digitized by Google

oculum diligis, ſive res illa ſit officium, ſive beneficium, ſive perſona aliqua, quæ tibi proxima eſt occaſio peccandi: hæc enim omnia fugienda, eruenda, & longe projicienda: *Projice abs te*. Adverto; quod non dixerit Chriſtus, claudendum ſolum oculum, ſed eruendum, & projiciendum: relinquendum enim hoc officium, ejicienda hæc perſona, quantumvis hæc ejectio ſit tibi moleſta, & fortunæ noxia. Projiciendus longe hic oculus: non enim in domo vicina, vel in villa hoſpitanda eſt concubina, ſed longe & quam longiſſime; non ad tempus, ſed in perpetuum eſt mittenda.

Proximas ad peccatum occaſiones, fumantes vocat Sanctus Petrus Chryſologus: *Occaſiones fumantes*. Ancillam habes induſtriam, fidelem, gnaram, quæ tibi plus quam par eſt, familiarem ſe exhibet: ecce *occaſionem fumantem*. Apud te venit officioſa mulier, quæ ſtratum verſat, quæ domeſticis muneribus ultro ſe immiſcet, tibique blanditur; ecce *occaſionem fumantem. Chryſolog. ſerm. 116.* Venit ad te ingenua puella, ut ſalutis documenta petat, prima converſatio, tota ſpiritualis eſt, in ſecunda, aſpicis illam, aſpicit te illa, in tertia de rebus indifferentibus habetur ſermo, deinde prolixiora crebro de variis, de vanis, & aliquando de malis fiunt colloquia: ecce *occaſionem fumantem*, & ni caveas, ex illo fumo oritur ignis concupiſcentiæ, & laſciviæ. Ipſa enim experientia docet, quod titiones, & candelæ fumantes, & ex quibus fumus exit, facile igneſcunt, hæ autem occaſiones ſunt ſimiliter fumantes, quia ex iis facile oritur fœdæ concupiſcentiæ ignis. Quare abſcindendæ, & fugiendæ hujuſmodi occaſiones: *Fuge*, inquit Innocentius Papa, *perſonam ſuſpectam, locum idoneum, tempus aptum, & quidquid eſt opportunum ad faciendum peccatum. Quia ſicut difficile eſt in igne eſſe, & non ardere: ita difficile, habere opportunitatem peccandi, & non peccare*.

Sicut in militia ſæculari, occaſiones pugnandi fugere turpe, ita in Chriſti militia occaſiones peccandi fugere glorioſum, arſque potiſſima ad triumphandum de peccato, fugere eſt. Unde Sanctus Hieronymus ait, quod in prælio, quod adverſus peccata agitur, ille vincitur, qui peccandi occaſionibus ſe implicat, ille vero vincit, qui peccandi occaſiones fugit; *Fuge, & viciſti*. Hanc regulam ſervavit & ipſe Hieronymus, qui ut peccata vitaret, peccandi occaſiones fugit, & hominum converſatione relicta, procul ad eremum confugit. Ex quo ei improperandi anſam ſumpſit impiiſſimus Vigilantius, eum inertem militem vocans eo quod ſtationem ſuam deſerat, & fugiat. Cui præclare Hieronymus: *Fugio, ut te non audiam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis. Reſpondebis, hoc non eſt pugnare, ſed fugere. Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Hieron. Epiſtolæ 47. adverſ. Vigilant.* Fugiebat Sanctus Hieronymus, ut Vigilantii non audiret doctrinam, quæ peſtilens erat, ut mores ejus, qui ſcandaloſi erant, non videret, ut a furore illius, qui ferinus erat, ad iracundiam non moveretur, ut a conſpectu & conſortio mulierum ad luxuriam non traheretur, fugiebat tandem peccandi occaſiones, ne aliquando vinceretur, vel potius eas fugiebat, ut vinceret: *Fuge, & viciſti*.

Specioſum & integerrimum adoleſcentem Joſeph deperire intendebat impudentiſſima Putiphar; eum ad adulterium vehementer ſollicitabat, apprehenſaque lacinia veſtimenti ejus, dicebat ei: *Dormi mecum*. Quid faciat innocens & pudicus Joſeph? Manebit ne in peccandi occaſione, nequaquam, ſed *relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus foras. Geneſ. 39. 12.* Fugit Joſeph: & ſi non fugiſſet, haud dubie victus fuiſſet. Fugit Joſeph; & ut ait Sanctus Baſilius Seleucienſis: *fuga uſus eſt pro armis. S. Baſil. orat.* 8. Hæc ſunt arma, quibus triumphavit; & hæc ſunt arma, quibus de diabolo, & de peccato quiſque facile triumphabit. Projice tabulas luſorias & taxillos, prohibitos libros combure, procul pelle concubinam, iniquos contractus abſcinde, ac omnes peccandi occaſiones fuge, & de peccatis triumphabis. *In occaſione peccandi apprehende fugam, ſi vis invenire victoriam. Auguſt. ſerm. 250. de temp.*

Cum Chriſtus, ſancto ſuccenſus zelo, nummularios e templo ejecit, columbas etiam extra templum auferri juſſit. *Auferte iſta hinc. Joann. 2. 16.* Satis videbatur ejectos eſſe e templo profanos mercatores; ac in templo ſervandæ videbantur oves, & columbæ: utpote, quia ſacrificiis inſervire poterant; cur ergo Chriſtus eas extra templum auferri imperat? Reſpondet Cardinalis Toletus, hoc ita factum, ne mercatores inde occaſionem ad templum redeundi, & in eo nundinandi ſumerent: *Ne redeundi relicta videretur occaſio; tunc enim male ſubvenitur perfecte, quando etiam mali occaſio amputatur*. O peccator, conſcientiæ tuæ ſufficienter providiſſe credis, modo peccata tua foras ejeceris, & Confeſſatio declaraveris: ſed ſi concubinam non expellas: ſi picturas & libros ad venerea allicientes non abjicias; ſi a colloquio cum tali, & tali perſona non deſiſtas; ſi tandem proximas omnes peccandi occaſiones, quantum in te eſt, non abſcindas, & fugias, tuæ ſufficienter non providiſti conſcientiæ, peccata tua non deleviſti, inaniſque, & nulla eſt tua pœnitentia, quia abſolutionis eſt incapax, qui in proxima ad gravia peccata occaſione voluntarie perſeveras.

De hoc nullus eſt dubitandi locus: & ideo docent Caſuiſtæ, non abſolvendos eos, qui proximam peccandi occaſionem tollere & fugere neglexerint. Quæ doctrina ſumitur ex ſacro Canone cap. *Legatus 24.* quæſt. 2. Ubi Gelaſius Papa admonet Fauſtum, *abſolvendos non eſſe, qui in errore, & occaſione peccandi ſua culpa immerſi ſunt*. Et ratio eſt, quia qui in peccandi occaſione manere vult, peccare etiam vult. Ut enim ait Doctor Angelicus: *Qui vult cauſam ex qua neceſſario, vel regulariter ſequitur effectus, cupit virtualiter effectum: D.Thom. 2. 2. quæſt. 6.* Quare cum proxima peccandi occaſio ſit cauſa, ex qua ſequi ſolet, & regulariter ſequitur peccatum, qui vult remanere in occaſione peccati, cenſetur velle peccare, & in peccatum cadere. Et ideo eſt incapax abſolutionis; non enim valet, nec valere poteſt abſolutio, niſi quis velit non amplius peccare, & a peccato abſtinere; quare proximas omnes peccandi occaſiones ſedulo fugite, ut pecca-



Digitized by Google

tum in vobis deſtruatis, utque conſcientiæ veſtræ conſulatis. Sed ſi peccandi occaſiones timendæ ſint, & fugiendæ: *ſunt etiam in virtutis occaſiones immutandæ*.

## TERTIA PARS.

*Peccandi occaſiones ſunt mutandæ.*

CUm in regia ſua deambularet David, a longe vidit Bethſabee, Uriæ uxorem, lavantem ſe: *Vidit mulierem lavantem ſe ſuper ſolarium*. 2. *Reg.* 11. Vidit, concupivit, fœdo eam vitiavit adulterio, ac Uriam virum ejus trucidari curavit. Heu! ſi David, qui Rex erat ſanctiſſimus, & vir ſecundum cor Dei, occaſione illius mulieris, quam quaſi fortuito videt, turpiſſimum adulterium, & iniquum perpetrat homicidium: credisne tu, o homo peccator, & infirmus, quod in mediis occaſionibus, & periculis conſiſtere poteris? *David*, inquit Auguſtinus, *in mille paſſibus mulierem vidit, & ſtatim homicidium fecit, & adulterium: Et aliqui in aliena domo cum extraneis mulieribus putant ſe caſtitatis obtinere triumphum? Auguſt. ſerm.* 250. *de temp.* Falluntur qui hoc credunt. Et ut ait Sanctus Gregorius Papa: Si David ob inopinatam peccandi occaſionem cecidit, nullus præſumere, ſed quiſque proximas peccandi occaſiones fugere debet: *Fugienda, & cavenda eſt occaſio. S. Gregor. in* 2. *Reg.* 11.

Fugiendæ quidem, & timendæ peccandi occaſiones, ſed ſunt etiam in occaſiones virtutis, & pietatis immutandæ. Quod & exemplo ſuo docet nos David: ipſe etenim a peccato ſurrexit, pœnitentiam egit, & quæ illi occaſiones peccandi fuerant, in virtutum occaſiones generoſe mutavit. Peccavit Propheta, quia mulierem vidit, oculi ejus ei peccandi occaſio fuerunt; mutavit autem ille hanc peccandi occaſionem in occaſionem virtutis: quia oculos, qui ei occaſio peccandi fuerant, in fontes lacrymarum convertit: *Exitus aquarum*, inquit, *deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam. Pſal.* 118. Oculis ad peccandum uſus erat, & oculis ad flendum, ad ſua crimina lavanda, & ad Deo ſatisfaciendum utitur; *Quia peccavit oculis & oculorum concupiſcentia*, inquit Genebrardus, *per oculos ſatisfecit, copioſe lacrymando*. O homo peccator, ſi David ſecutus es errantem, eum ſequere pœnitentem. Tanta ejus fuit pœnitentia, ut non ſolum peccata per pœnitentiam expiaverit, verum & peccandi occaſiones in occaſiones virtutum mutaverit: vide & tu, quibus occaſionibus ad peccatum ductus ſis, eaſque in virtutum occaſiones immuta. Si oculi tui tibi peccandi occaſionem præbuerint, quia illicita, pluſquam par eſt, conſpexerunt, iis ad flendum, & ad abluendas criminum maculas utere. Si lingua peccaveris, quia in murmura, in detractiones, & in blaſphemias erupit, fac ut impoſterum hæc tota, & totaliter Dei & proximi laudibus proferendis conſecretur. Si manibus ad aliena rapienda uſus ſis, eas ad ſua cuique reſtituenda, & ad facultates pauperibus eroganda aſſume. Quæ tandem tibi peccandi occaſiones fuerunt, in virtutis & pietatis occaſiones immuta.

Magdalenæ peccata ita nota erant & gravia, ut *mulier in civitate peccatrix* vocaretur: quaſi ipſa ſola in civitate peccatrix eſſet. Mulier autem illa ex peccatrice facta eſt pœnitens, tantaque ejus extitit pœnitentia, ut non ſolum civitatem, iniquam hominum converſationem, unguenta pretioſa, & alia quæ ipſi peccandi occaſionem præbuerant, totaliter reliquerit, verum & ea, quæ ei peccandi occaſiones fuerant, in virtutum occaſiones converterit, & immutarit: *Convertit numerum vitiorum ad numerum virtutum. Chryſol.* Civitas quam incolebat, domus in qua habitabat, perſonæ quarum conſortio ſe immiſcebat, oculi quibus amoris jacula vibrabat, capilli quibus hominum corda vinciebat, & unguenta quibus proprium corpus ungebat, ei peccandi occaſiones fuerant, ſed ipſa hæc omnia in occaſiones, & inſtrumenta virtutum mutavit. A civitate enim in ſolitudinem, & a domo in antrum migravit: hominum ſocietati valedixit, ut Angelorum converſatione frueretur: oculis ad fundendas pœnitentiæ lacrymas, unguentis pretioſis ad ungendos Chriſti pedes, & capillis ad eos abſtergendos uſa eſt; omnes denique peccandi occaſiones, omniaque vitiorum inſtrumenta, in occaſiones & inſtrumenta virtutum mutavit. O peccator, diſce ab hac muliere, vitæ, & occaſionum mutationem. Noſti, te in aliqua domo pluries peccaſſe? ne amplius in eam intres; ſed ad ſacra crebro templa te confer, ubi plures virtutum occaſiones reperies. Probe ſcis, te cum malis malum extitiſſe: te impoſterum conjunge bonis, qui verbis & exemplis ad pietatem ſectandam te excitabunt. Si oculi, capilli, lingua, & libri profani, tibi peccandi occaſiones, & incentiva extiterunt: hæc & alia omnia, quæ tibi peccandi occaſionem præbuerunt, in virtutum occaſiones immuta.

Jacobus Eremita ſanctitate celebris, & miraculis famoſus, dæmonibus erat terribilis, quos ab hominum corporibus expellere ſolitus erat. Cum autem quodam mane e cubiculo egrediens, mulierem dæmonium habentem, in atrio ſolam inveniſſet: eam quidem a tartareo hoſpite liberavit. *Sur.* 28. *Jan.* Sed quia ibi ſolus cum ſola inventus eſt: hac occaſione allectus, in unum & alterum graviſſimum incidit peccatum: primo enim pudorem, & deinde vitam huic mulieri abſtulit. O portentoſum tanti viri caſum: quo diſcere debent perſonæ, etiam ſanctiſſimæ, trepidare, & peccandi occaſiones fugere. Sed docet nos etiam hic eremi cultor, peccandi occaſiones mutare: ille etenim qui infeliciter cecidit, a peccato ſurrexit, & occaſiones peccandi in occaſiones virtutis feliciter mutavit. Advertit hic etenim incola, frequentiam populorum qui ad ipſum veniebant, ut ſanarentur a languoribus ſuis, ei occaſionem peccandi præbuiſſe: quare ab hoc in alium locum migravit, ubi in ſepulchro annis ſeptem ignotus latitavit: ibi amare flevit: ibi ſolis herbarum radicibus victitavit. Ibique ita portentoſam pœnitentiam egit, ut ſanctiſſime obierit, & Sanctorum faſtis adſcribi meruerit. Ecce mirabile exemplum, quo ad immutandas pravas peccandi occaſiones quiſque excitari debet. Cum peccatori, in proxima peccandi occaſione viventi, dicimus: fuge occaſiones, peccandi occaſiones in occaſiones virtutum converte: Reſpondet plerumque: non poſſum hanc vitare, & mutare occaſionem: quia inde hoc, vel illud damnum timeo. O ſtulte, leviſſimum hujus mundi times damnum,

num, & graviſſimum æternæ damnationis damnum non times? Scito, quod quamdiu in peccandi occaſione moraris, inferni periculis circumdaris: *Pericula inferni circumdederunt me*. Hæc fuge pericula, has peccandi occaſiones devita, ac prudenti obtempera Confeſſario, qui te ad vitandas, & mutandas peccandi occaſiones hortatur. Non jubet, ut in deſertis habites, ſicut Jacobus ille eremita: non te condemnat ad latitandum ſeptem annis intra ſepulchrum: non imperat, ut amaras ſolummodo herbarum radices comedas. Vult tantum, ut hanc & illam peccandi occaſionem in occaſionem virtutis mutes: a te ſolum exigit, ut ablegatis profanis quibuſque libris, ſacros volvas codices, aliorumque ſanctorum librorum lectioni incumbas: a te petit, ut hujus, & illius perſonæ converſatione relicta, cum illis verſeris perſonis, quæ pietatem tibi inſpirent; a te poſtulat, ut in hanc domum, in qua toties peccaſti, non amplius ingrediaris; ſed loca ſacra, Deum deprecaturus, frequenter adeas. Audi hunc ſalutis tuæ Magiſtrum, audi, & inclina cor tuum ad ei prompte obediendum. Nullas adducas rationes ad excuſandas excuſationes in peccatis; ſed in temetipſo dic: ſalus mea agitur: quare ut ſalvus fiam, peccandi occaſiones impoſterum timebo, ſollicite fugiam, & in occaſiones virtutum mutabo. Hoc dic in corde tuo: hoc firmiter ſtatue; hoc fideliter executioni manda, & vitam æternam obtinebis. *Amen.*

# DE TEMPORE.

## CONCIO XII.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Iſaiæ 27. 9.

ITa abſtruſa & recondita eſt temporis natura, ut ad eam explicandam nobiliſſimi & ſubtiliſſimi quique Auctores plurimum deſudarint. Illius eſſentiam perfecte intellexiſſe, & mirabiliter explanaſſe credunt Pictores, cum illud delineant, jam ut parentem crudelem, qui fœtus ſuos devorat, & jam ut adoleſcentem vegetum & robuſtum, qui ſupra caput ſphæram & ſub pedibus rotam mobilem gerit. Poetæ, quibus omnia licent, tempus dicunt eſſe quaſi præclaram quamdam ſtellam, quæ motu continuo & circulari indeſinenter ſupra mundi ſphæram gyrat: aut quaſi baſiliſcum qui caudam ſuam continue rodit. Inter Philoſophos Pythagoras, tempus eſſe mundi animam arbitratus eſt: eſſe ipſum cælum ſenſerunt alii: eſſe cælorum motum dixerunt multi: & plerique eſſe menſuram & numerum motus, hiſce temporibus docent. Sed Doctorum Aquila, & ingeniorum Phœnix Auguſtinus, ſuam hac in parte ingenue fatetur ignorantiam, dicens, ſe ſcire aliquo modo quid ſit tempus: non tamen ita perfecte, ut aliis naturam ejus explicare valeat: *Quid eſt tempus? ſi nemo a me quærat, ſcio: ſi quærenti explicare velim, neſcio. Auguſt. lib. 11. Confeſſ. cap.* 14. Licet autem nos lateat temporis natura: ſcimus tamen, quod bonus temporis uſus ſit medium ad deſtruenda peccata, & ad bona opera facienda aptiſſimum. Quare de bono temporis uſu iſta erit concio, &c. *Ave.*

QUomodo tempus expendant plerique hominum, optime deſcribit Seneca, dicens, quod illud terant alii nihil agendo, alii aliud agendo, & alii male agendo: *Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Seneca Epiſtola 1. ad Lucil.* Tempus parvipendunt, qui nihil agendo, & otioſe vivendo illud labi ſinunt: Tempore bene uti negligunt, qui aliud agendo, ſeu faciendo ea quæ ſui ſtatus & conditionis non ſunt, illud impendunt. Tempus tandem nequiter tranſigunt, qui male agendo, ac pravis operibus incumbendo miſere vivunt. At contemnendum, negligendum, & nequiter tranſigendum non eſt tempus: non contemnendum, ſed magnopere æſtimandum: non negligendum, ſed bene expendendum: non nequiter tranſigendum, ſed ſollicite reparandum. Tempus eſt: 1. Æſtimandum: 2. Bene expendendum: 3. Reparandum. Ecce quomodo tempore nobis a Deo conceſſo uti debeamus.

### PRIMA PARS.

*Tempus eſt æſtimandum.*

TEmpus plerique mortalium parvipendunt, & pro nihilo habent: *Nemo æſtimat tempus; immo pene nullum pro ipſo eſt ejus. Seneca lib. de brev. vit. cap.* 1. Illud ita parvi faciebat Domitianus Imperator, ut ſingulis diebus aliquot horas muſcis acuto ſtylo configendis inſumeret: *Cauſſin. la Cour ſainte.* Hartabus Hyrcaniæ Rex, talpis capiendis crebro operam dabat: Rex Macedoniæ Eropus, laternis conficiendis totus erat: Byas Rex Lydiæ, filo ranas ſæpiſſime colligabat: Valentinianus Imperator ita picturæ, & cælaturæ addictus erat, ut indeſinenter iis vacaret.

Ridebit qui hæc audiet, illoſque Imperatores & Reges, tempus parvipendiſſe facile judicabit. At non multo magis illud hodie æſtimant innumeri, qui illud vel otioſe terunt, vel vanis, ridiculis, & ſæpe malis occupationibus totaliter ſe dedunt. Vidi & audivi, qui ad conficiendum poema de paſſere cicutando multum temporis inſumpſerat: in deſcribendo equo, cane, fele, vel culice, elaborato opere deſudant multi; aniles fabulas ſummo ſtudio componunt & addiſcunt aliqui: alii in explicanda periſcelide multas horas inſumunt: ſingulis horis ad cryſtallum, quaſi ad idolum ſuum, accedunt alii: aliorum, ut ait D. Hieronymus, tota cura eſt; *polire faciem purpuriſſo, & ceruſſa ora depingere: ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem ſtruere. S. Hier. ad Demetr. de virg. cap.* 5. Et quod pejus eſt, iniquis confabulationibus tempus ſæpe perdunt multi; illud teſſeris, vel luſoriis chartis volvendis dilapidant alii, & alii maximam vitæ partem inter epulas & libidines, inter pocula & ſcorta abſumunt.

Præfati omnes, parvi, & quaſi nihili faciunt tempus, quod quidem non contemnendum, ſed pluris æſtimandum eſt: *Nemo noſtrum parvi æſtimet tempus. S. Bern. ſerm. de cuſt. manu ling. & cord.*

Illud ita æſtimabat Seneca, ut ejus jacturam in aliis videre non poſſet, quin & ipſe fleret. Tanti illud faciebat D. Auguſtinus, ut nunquam litigare, & temporalia potius quam tempus perdere ſuaderet:

*Perde nummos ut emas tibi quietem, id eſt tempus vacandi Deo. Aug. ſerm. 24. de verb. Apoſt.* S. Paulus tanti valoris tempus eſſe cenſet, ut eos ſtultos vocet, qui illud emere, & redimere non conantur: *Non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus. Epheſ. 5. 16.* Et, ut alios taceam, illud ita æſtimavit hominum ſapientiſſimus, ut ad illud ſollicite conſervandum hortetur: *Conſerva tempus.* Nec mirum, ſi hi & alii quique viri ſapientes tempus pluris fecerint, cum eo nihil pretioſius ſit: *Tempore nihil pretioſius. S. Bern. ſerm. ad Scholares.*

Argentum, aurum, margaritas, uniones, & alia hujuſmodi, tamquam pretioſiſſima ſummopere æſtimant homines; ſed his longe pretioſius eſt tempus; quia modico tempore, quiſque veniam, gratiam, & gloriam mereri poteſt: O quam pretioſa eſſet illa margarita, qua terrenum aliquod regnum emere poſſes! Sed o quam pretioſius eſt tempus, quo, quantumvis breviſſimo, Dei gratiam, ac cæleſte regnum lucrari potes! *Vide, peccator, temporis pretioſitatem: quia modico tempore poteſt homo lucrari veniam, gratiam & gloriam. S. Bern. ſer. 4. poſt Dom. 1. Quadrag. cap. 4.*

Ita pretioſum eſt tempus, ut toto mundi auro, omnibus maris unionibus, cunctis Regum opibus, ac tandem nullo pretio, vel minimum temporis ſpatium emi poſſit. Tempus emere, ſeu vitæ tempus prorogare maxime optabat Ludovicus undecimus Galliæ Rex, qui in extremis conſtitutus, ſingulis diebus Medico ſuo quingentos aureos dabat, ut vitæ tempus protraheret: ſed nec his aureis, nec toto Regis ærario, aliqua vitæ momenta emi potuerunt.

*Nec potuit pretio vel breve tempus emi.*

Aliquo pretio emi poſſent Ægypti Pyramides, Cæſarum Mauſolæa, Regum Palatia, Coronæ Imperatorum, ac etiam omnia mundi regna: ſed ita pretioſum eſt tempus, ut unicum ejus momento, nullo pretio emi poſſit. *Quem mihi dabis*, inquit Seneca, *qui aliquod pretium tempori ponat? Seneca ep. 1. ad Lucil.* Nullus talis inveniri poteſt; quia tempus eſt ſupra omne pretium, nec quovis pretio emi poteſt. Dic, ſi poſſis, quanti valeat Deus, eſtne aliquod pretium ejus? anne dicere potes, Deum tanti, vel tanti eſſe pretii? non equidem: quia Deus eſt ſupra omne pretium, nec ſatis æſtimari poteſt. Quod autem de Deo dicis, hoc & de tempore dic; quia, ut ait Sanctus Bernardinus, tempus tantum valet, quantum ipſe Deus: *Tempus tantum vales, quantum Deus, quippe in tempore bene conſumpto comparatur Deus. S. Bern. ubi ſup.* O quam pretioſum eſt tempus! O quam ab hominibus æſtimari deberet!

Illud certe æſtimarent, ſi noſſent pretium ejus, ſed quamdiu in hoc mundo vivimus, quanti valoris ſit tempus, non concipimus; *Quis mente aſſequatur, ut pretioſum eſt tempus, aut quis lingua caritatem ejus explicet? norunt qui amiſerunt. Laurentius Juſtin. de vita ſolit. c.* 10. In hoc mundo ignoramus temporis pretium; nos latet, quanti valeat; ſed, inquit S. Laurentius Juſtinianus, hoc damnatos non latet, hi qui tempus ſalutis perdiderunt, probe norunt pretium ejus: *norunt, qui amiſerunt. Ibid.* Sed dicat quis, quanti faciant tempus damnati? Ait ipſe Juſtinianus, quod illud ita æſtiment, ut grato animo erogarent opes, honores, delicias, ac quicquid eſt voluptatis pro una horula; nam exiguo illo tempore poſſent iram & furorem divinæ juſtitiæ ſedare, Angelos exhilarare, flammis æternis ſe eripere, & Cæleſte regnum adipiſci.

Si Deus ad Tartari fores mercatorem ſtatueret, cum poteſtate vendendi tempus, quantum placuerit: quam care putatis vel unam horulam emerent damnati? Interrogemus avarum illum, qui induebatur purpura, & byſſo, & qui epulabatur quotidie ſplendide, petamus ab hoc inhumano divite, qui nec ipſas e menſa cadentes micas Lazaro pauperi dare volebat: petamus, inquam, a famoſo illo damnato, qui ſepultus eſt in inferno, quanti faciat tempus? quantum daret pro una hora, vel etiam pro uno temporis momento, quo pœnitentiam agere poſſet? Daret ſane totum mundum ſi haberet, daret mille mundos, millenas ultro ſuſtineret mortes, & diriſſima quævis tormenta mente hilari per milliones annorum pateretur, ut aliqua ad pœnitendum temporis momenta emeret. Sed quid daret impius Herodes, qui tot innocentium ſanguinem fudit? Quid infenſiſſimus ille Chriſti inimicus? Non ſolum Judææ regnum, verum & totum terrarum orbem, ac centum mille mundos, ſi ſui juris eſſent, libenter traderet. Et tu, o Juda proditor, qui oſculo Magiſtrum & Dominum tradidiſti, daresne crumenam hanc, in qua denarios recondidiſti, quos in pretium Sanguinis Chriſti accepiſti? Dares & propria viſcera. Sed quid tot Cæſares, tot Reges, tot Magnates, tot Doctores, qui in mediis ignibus cremantur flentes, veluti pueri? Quid tandem Arius, Macedonius, Neſtorius, Lutherus, Calvinus, aliique Hereſiarchæ & peccatores pro uno temporis quadrante dare vellent? Darent certe montes aureos, ſi haberent, vellentque ad obtinendam unam temporis horam, mille dira ſupplicia, mille mortes, & continuas in mille milliones annorum pœnas ſubire. Ecce quomodo norunt & æſtiment tempus hi damnati, qui pœnitendi tempus miſere perdiderunt: *norunt qui amiſerunt.*

At non ſoli homines damnati, ſed etiam dæmones norunt quanti valeat tempus, iſti dum in via eſſent, aliqua temporis momenta, quæ eis ad merendum a Deo data erant, infeliciter perdiderunt, ac proinde ejus valorem ſcire debent, *norunt qui amiſerunt*: Dicat ergo jam Lucifer, dicat Beelzebub, dicant tartarei omnes ſpiritus, quanti faciant tempus, quantumque darent, ſi pretioſa hæc momenta jam emere poſſent? Unus reſpondebit pro omnibus, ille qui in corpore obſeſſæ abjuratus dicit: *Si Deus poſt diem Judicii velles mihi punctum temporis concedere ad promerendum cælum, plus ego ſolus pro eo facerem, quam omnes homines ſimul. P. Barri ſolitud. p. 2. 56.* Ille, & omnes dæmones tanti faciunt tempus, ut eorum quilibet ad obtinenda aliqua temporis momenta, plus pro Deo faceret, quam Herodes, quam Antiochus, quam omnes Imperatores, & omnes homines damnati.

Attendite, & videte, quam magna res ſit tempus, quod a Deo ad merendum nobis datur. Quodlibet temporis momentum res pretioſiſſima eſt, quia in quolibet momento veniam, gratiam, & æternam

nam

Digitized by Google

nam gloriam mereri poſſumus. Tantum eſt temporis pretium, ut nullo pretio emi poſſit: illud magni fecerunt viri quique ſapientiſſimi; illu! ſumme æſtimant omnes damnati, illudque quam maxime æſtimare deberent omnes: quia nihil eo pretioſius. Sed heu! nil minus a peccatoribus æſtimatur: *Nihil pretioſius tempore: ſed heu! nihil hodie vilius æſtimatur: S. Bern. in declamat.* O miſeri peccatores, tunc tempus æſtimabitis, cum in inferno latebitis. Tunc dicetis: o ſi daret mihi Deus unum ex iis annis, ex iis menſibus, quos tam inaniter, tamque turpiter expendi! Si ad propria per aliquas hebdomadas redire liceret, tanti facerem ſingula temporis momenta, ut omnia & ſingula flendo, orando, aliiſque bonis operibus vacando, ſollicite expenderem. O miſer, fac nunc quod agere optares, ſi in inferno eſſes, æſtima tempus, quod pretioſiſſimum eſt; *ac illud etiam recte & debite expende.*

## SECUNDA PARS.

*Tempus eſt bene expendendum.*

RECens & ingenioſus quidam Poeta, ut manifeſtaret, quomodo plerique mortalium tempus expendant, ſolem mirabiliter ſplendentem in quadriga induxit, quam duodecim horæ ſub Nympharum ſpecie trahebant, horæ autem aliæ maximæ, minoris aliæ, & aliæ, minimæ ſtaturæ erant. *Strengelius in labyrint. c. 13. n. 23.* Quam diverſitatem cum obvius Mercurius adnotaſſet, ſingulas rogavit, ut quænam eſſent, explicarent? Quæ maximæ ſtaturæ videbantur, reſponderunt; ſe horas eſſe otii, ſomni, ludorum, comeſſationum, ac variarum recreationum; quæ minoris ſtaturæ, dixerunt, ſe horas eſſe temporalium negotiorum; quæ tandem minimæ ſtaturæ erant, ingenue confeſſæ ſunt, ſe orationis, & meditationis horas eſſe. Qua nova adinventione indicavit Vates, homines, prolixas horas, ſeu *multum* temporis, turpi otio, inerti ſomno, ac vanis, maliſque recreationibus, *parum* negotiis temporalibus, & *tantillum* orationi, ac rebus quæ Deum ſpectant, inſumere.

Præclarum quidem adinventum, ſed ſatis inutile, quippe quia pluſquam ſatis notum eſt; omnes fere homines minimam temporis partem recte expendere. Si enim quiſque mente revolvat, quot, a tempore quo uſu rationis pollet, horas ludo, quot inani ſtudio, quot ſomno, quot vanis, & malis occupationibus, quotve Deo, animæ & pietatis exercitiis inſumpſerit: parvæ ſtaturæ eſſe horas, ſeu pauciſſimum eſſe tempus, quod recte & debite expendit, facile indicabit.

At magnæ & prolixæ nimis eſſe debent orationis plorumque exercitiorum horæ: vel, ut congruentius loquar, omnes horas, omneque tempus ita perfecte expendere quiſque debet, ut toto vitæ tempore, Dei ſalutiſque ſuæ negotiis, & bonis operibus ſedulo incumbat; *Dum tempus habemus*, inquit D. Paulus, *operemur bonum. Ad Gal. 6.* 10.

Quamdiu in hoc mundo vivimus, apud Deum mereri poſſumus, ſed poſtquam quis exhalavit animam, nullum eſt ei amplius tempus, quo poſſit expiare ſcelera, Dei placare juſtitiam, iram mitigare, augere gratiam, gloriam mereri. Jam eſt tempus, quando unico cordis gemitu, oris planctu, oculorum ſtillicidio, vel manus bono opere, cæleſtem coronam, ac æternam beatitudinem mereri poſſumus, ſed poſt mortem nullum tale erit tempus, *tempus non erit amplius*; quare *dum tempus habemus, operemur bonum*, & omnia temporis momenta ſalutis noſtræ negotio inſumamus.

Si *beatis* in hunc mundum redire liceret, daretur que illis tempus bene faciendi, & merendi, quam ſollicite illud impenderent! quam ſedulo virtutum omnium exercitiis incumberent! quam ſuaves eis eſſent equulei, ignes, beſtiæ, omniſque generis afflictiones, ut Deo placere, altioreſque Empyrei ſedes aſſequi valerent! *Si fidelibus*, qui in Purgatorio cruciantur, facultatem ad ſtatum viatorum veniendi Deus concederet; quid non darent, quid non facerent, quid non ſuſtinerent, ut expiatricibus ſe pœnis eriperent, utque ad paratos ſibi Paradiſi thronos cito eveherentur? *Si damnatis* daretur ſpatium pœnitentiæ, illiſque poſſibile eſſet in hunc mundum reverti, *per altaria quam feſtinanter currerent, & ibi flexis genibus, vel certe toto corpore in terram proſtrato, tamdiu ſuſpirarent, plorarent & orarent, donec pleniſſimam peccatorum veniam a Deo aſſequerentur. S. Bern. de inter. dome c. 63.* Sed nec beatis, nec animabus Purgatorii, nec damnatis tempus merendi datur; hoc tempus, non illis, ſed nobis a Deo gratis conceditur, expectatque Deus, ut eo bene utamur; quare *dum tempus habemus, operemur bonum.*

Salutari monito homines ad bene faciendum ſtimulat Spiritus ſanctus, dicens, *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, Eccl. 9.* 10. ſeu, ut explicat Hugo Cardinalis, quodcumque bonum poteſt facere manus tua, *inſtanter* operare, id eſt, celeriter, continue, ferventer, perſeveranter. *Celeriter*, propter brevitatem temporis hujus vitæ, quod citiſſime tranſit, venitque nox quando nemo poteſt operari. *Continue*; quia interpolatio otii mentis robur enervat. *Ferventer*; quia mollities in opere, diſſipatio illius eſt. *Perſeveranter*; quia ſola perſeverantia coronatur. Ecce quomodo quiſque inſtanter in hoc mundo operari debeat. Sed cur ſic oportet inſtanter operari? rationem adducit Spiritus ſanctus, ſubjungens: *quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* In inferno, ut exponit præfatus Cardinalis, *non eſt opus*, ſeu tempus operandi meritorie: ibi etiam *non eſt ratio*; quia nullam habent damnati rationem excuſationis, cur tempus in hoc mundo debite non expenderint. Ibi tandem non eſt *ſcientia, nec ſapientia*, quæ doceat illos modum quo bene operari, ac Deo placere poſſint. Quare, o homo peccator, cum apud inferos, quo tu, nequiter vivendo, properas, nil tale reperiatur: omni vitæ tuæ tempore bonis operibus incumbe, & *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.*

Cum terribili tubæ ſonitu, homines ad Judicium vocabit Angelus Domini, non aliquos dumtaxat, ſed *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit: ſive bonum, ſive malum: 2. Cor. 5.* 10. Coram Chriſto, æquiſſimo Judice, Reges & populi, nobiles & ru-

ruſtici, peccatores & juſti, ac omnes penitus homines apparebunt: *omnes nos manifeſtari oportet.* Cur omnes tunc coram illo apparebunt? Non ut fletibus Deum iratum placare valeant, non ut pœnitentiæ operibus incumbant, non ut amoris divini actibus ad cælum ingredi mereantur: ſed ut referat unuſquiſque, prout in hoc mundo geſſit, *ſive bonum, ſive malum.* In hoc mundo Dei præceptis obtemperaſti, pœnitentiam egiſti, ac bonis operibus indeſinenter vacaſti? æternam mercedem recipies. In hoc mundo bene operari neglexiſti, pravas inclinationes foviſti, peccata peccatis addidiſti, nec pœnitentiam egiſti? æternis ſuppliciis addiceris, recipieſque prout geſſiſti in corpore tuo: quare toto vitæ tuæ tempore, bonis operibus incumbe: & *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.*

Hujus vitæ tempus dat cuique Deus, non ut turpibus ſe dedat vitiis, ſed ut per pia opera æternam beatitudinem mereatur. Sempiternam cuique proponit Deus mercedem, ſed per bona opera aſſequendam: *Regnum Dei non dabitur otioſis, ſed in ſervitio Dei ſtudioſis: regnum Dei non dabitur vagantibus, ſed pro ſervitio Dei laborantibus. S. Bern. lib. de modo bene vivendi cap. 51.* In die judicii dabit Deus mercedem, non deſidibus, qui turpi otio indulſerunt; nec impiis, qui operati ſunt iniquitatem: ſed juſtis, qui in vinea ejus fideliter laborarunt: tunc dicet: *voca operarios, & redde illis mercedem.* Quare ne tempus inaniter perdas, nec nequiter expendas: ſed toto vitæ tuæ tempore bonis operibus incumbe, & *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.*

Ipſa docet experientia, quod quale eſt ſemen, tales ſunt fructus qui ex eo proveniunt: ſeminaſti triticum? triticum colliges. ſeminaſti zizania? zizania metes. Quod etiam verum eſt de ſemine myſtico operum noſtrorum: *nam quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Ad Gal. 6. 8.* Seminas in hoc mundo lolia & vitia? in alio metes pœnas & ſupplicia: ſeminas virtutes & bona opera? metes beatitudinem & æterna gaudia: *quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Quid ergo faciemus? ſeminabimuſne zizania iniquitatis? nequaquam: quia meteremus ſupplicia æterna. Sed, ut ſubdit D. Paulus, toto vitæ noſtræ tempore ſeminare debemus bona opera, ut æternam felicitatem aliquando metamus: *bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus. Ibid.*

Perbelle ait S. Gregor. Nazianzenus: *vita noſtra eſt quaſi mercatus, cujus dies cum abierit, tempus amplius non erit emendi. S. Greg. in Sent.* Certi dies mercatibus & nundinis ubique præfixi ſunt, ita ut his, & non aliis diebus habeantur: dies autem præfixus mercatui, quo cælum emere poſſumus, eſt vitæ noſtræ tempus; ita quod ſi hæc dies abierit, actum ſit de cæleſtibus mercibus emendis, nullique cælum mercari & emere ultra concedatur; *cujus dies cum abierit, tempus amplius non erit emendi.* Quare toto vitæ ſuæ tempore ſollicite quiſque laborare debet, ut bonis operibus cælum ſibi emat. Quid, quæro, de eo mercatore dicas? qui cum certo ſciat, ſe unica nundinarum die poſſe centum mille aureos lucrari; ac prævideat, ſe toto vitæ tempore ſimilem lucrandi occaſionem non habiturum, hanc tamen diem ridendo & jocando male conterat? Hunc certe imprudentem & inſipientem quiſque cenſebit: ſi enim ſapiens eſſet, hac die a ſummo mane uſque ad noctem tam quæſtuoſæ negotiationi vacaret, totuſque lucro incumberet. O N. N *mercatus eſt vita noſtra:* hæc eſt dies in qua non aliquos ſolum aureos, ſed totum cælorum regnum facili negotio comparare poſſumus; ſi autem dies hæc nundinaria tranſierit, illud emendi nulla facultas ſupererit: *cujus dies cum abierit, tempus non erit amplius emendi:* quare toto vitæ tuæ die, tam opulentæ negotiationi inſuda; ac ſingulis momentis labora, ut cælum jejuniis, eleemoſynis, aliiſque bonis operibus tibi emas.

Huic negotiationi ita omnes homines vacare voluit S. Bernardus, ut ægre ferat, quod quis vel unicam horam inter vanas confabulationes perdat: *Licet fabulari (dicunt) donec hora prætereat. O; donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miſericordia Conditoris indulget. Donec tranſeat tempus, quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam ſatietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem. S. Bern. ad ſerm. de templi cuſtod.* Quod ſi tam malum cenſeat Mellifluus Doctor, vel unius horæ tempus confabulationibus inſumere; quid dicemus de his, qui menſem & annos, immo maximam vitæ partem inter vanitates & libidines, inter pocula & negotia ſæcularia tranſigunt? Hi quidem inſipientes, & peſſimi ſunt mercatores, qui breviſſimo vitæ ſuæ tempore ad emendum cælum non utuntur. Eſtote iis ſapientiores, quantumque fas erit, tempus bene expendite; *ac perditum redimite.*

## TERTIA PARS.

*Tempus eſt reparandum.*

AUrum & argentum ſi perdiderit homo, poterit tantumdem invenire & reponere: ſi vero tempus amiſerit, nequaquam illud invenire, vel acquirere poterit; neque aliud pro eo aliquando reficere, aut reſarcire; quia *volat irreparabile tempus.* Et ideo Summum Pontificem Clementem VIII. dixiſſe fertur, nullius rei graviorem eſſe jacturam, quam temporis; quia *ſemel amiſſum recuperari non poteſt.* Veſtis ſciſſa eſt, reſarciri poteſt; civitas ſolo æquata eſt, reædificari poteſt. Regis palatium incenſum eſt, iterum inſtaurari poteſt: at tempus perditum reparari non poteſt. Unde flens dicebat aliquis Poeta.

*Damna fleo rerum; ſed plus fleo damna dierum.*
*Rex poterit rebus ſuccurrere, nemo diebus.*

Flete, vos omnes, quotquot multum temporis inaniter, & nequiter perdidiſtis; tempuſque perditum, omni modo vobis poſſibili, reparate; *Cavete ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus. Epheſ. 5. 16.*

Verum eſt, quod quando tempus lapſum & perditum eſt, fieri nequit, ut quæ tranſierunt momenta re-

deant,

deant, & recuperentur: & in hoc ſenſu tempus eſt irreparabile, ſed perditum reparatur tempus, cum jactura ejus flendo, pœnitendo, ac totis conatibus virtuti, ſalutiſque negotiis incumbendo, reſarcitur: *Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam laſciviendo perdidimus, flendo reparamus. D. Gregorius lib. 15. Mor.* 28. Hic eſt modus, quo quilibet tempus redimere, & reparare debet. *Perdidiſti tempus*, vanis & inutilibus rebus vacando? repara illud, cæli, ſalutiſque negotiis ſedulo incumbendo. *Perdidiſti tempus*, otioſe vivendo? repara illud, ſtrenue pietatis operibus inſiſtendo. *Perdidiſti tempus*, vitiis indulgendo, & nequiter vivendo? repara illud flendo & pœnitendo: *Tempus redimimus, quando anteactam vitam, quam laſciviendo perdidimus, flendo reparamus.*

Vano corporis ornatui, elaboratæ pulchritudinis cultui, iniquæ hominum converſationi, vanitati, & luxui multum temporis inſumpſerat Magdalena; ſed otioſe, & nequiter perditum tempus reparavit multis lacrymis, quibus ſacros Chriſti Domini pedes lavit; unguentis pretioſis, quæ ſupra caput ejus reſperſit; ac dira pœnitentia, quam ad mortem uſque prorogavit. Adoleſcentiæ & juventutis tempus, quod vanæ eloquentiæ, & amoris profani exercitiis impenderat Auguſtinus, vitæ ſanctitate, ac ferventiſſimis amoris divini actibus poſtmodum reparavit. Scimus, Mariam illam Ægyptiacam, quæ, ſimul cum tempore, ſuam aliorumque multorum animas, fœdis libidinibus miſere perdiderat, gravi & diuturna pœnitentia reparaſſe. Omnibus notum eſt, magnum Aquitaniæ Ducem Sanctum Guilielmum, temporis plurimum perdidiſſe, magnamque vitæ ſuæ partem ſchiſmate, homicidiis, adulteriis, aliiſque infandis criminibus denigraſſe; ſed perditum tempus inaudita corporis afflictatione, ac portentoſa pœnitentia reparavit. Sic ſic vos, o peccatores, perditum reparate tempus; & ut ait S. Anſelmus, *tempus, & anteactæ vitæ peccata flendo, & pœnitendo redimite.*

In veteri Teſtamento, lege divina ſtatutum eſt, quod *qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus: ſi non redemerit & anni circulus fuerit evolutus, emptor poſſidebit eam, & poſteri ejus in perpetuum. Levit.* 2. 5. O homo, inquit Origenes, quamdiu in ſtatu gratiæ vivis, anima tua eſt domus Dei, & habitaculum Spiritus Sancti: quando autem a ſtatu gratiæ ad mortalem peccatum declinas, domum hanc, ſeu animam tuam diabolo vendis; *Orig. hom. 15. in Levit.* habes tamen annum integrum, in quo eam redimere potes: hic annus, eſt tempus vitæ tuæ, quæ ab Iſaia dicitur *annus placabilis Domino. Iſa.* 61. Si hoc anno animam tuam non redimas, diabolus, qui eſt emptor, *poſſidebit eam in perpetuum*: quare ſi nequiter vivendo, ac male tempus inſumendo, animam tuam dæmoni vendidiſti; & animam, & tempus flendo, & pœnitendo redime: *tempus, & anteactæ vitæ peccata flendo, & pœnitendo redimite.*

In tremendo Judicii die rationem reddituri ſumus temporis; quod Deus ex mera bonitate ſua, ad operandam ſalutem nobis conceſſit; nullum eſt vitæ noſtræ momentum, cujus tunc rationem reddere non teneamur: *Sicut non perit capillus de capite, ſic non perit momentum de tempore, de quo non oporteat rationem reddere, quomodo ſit expenſum. Hug. Card. in capit.* 24. *Eccleſiaſt.* O peccator, qui tantum temporis, mundo, corpori, vanitati, & vitiis dediſti; numera ſi potes, quot dies, quot horas, quotve momenta male impendiſti; & ſcito, de his omnibus te eſſe rationem redditurum: *omne tempus tibi impenſum requiretur a te qualiter ſit expenſum. S. Bern.* Non requiret ſolum a te Deus, qualiter tempus orationis, recreationis, vel aliam aliquam vitæ tuæ particulam; ſed quomodo *omne tempus tibi impenſum*, omniaque & ſingula vitæ tuæ momenta expenderis. Omnes annos, omnes dies, omniaque vitæ tuæ momenta in die Judicii adverſum te Deus adducet; tuncque, ſi male egeris, & in ſtatu peccati inveniaris, æternis ſuppliciis adjudicaberis; ſi autem bene, ad ineffabilia Paradiſi gaudia, æternum beandus, vocaberis. Quare omnia & ſingula vitæ tuæ momenta bonis operibus, ac piis chriſtianarum virtutum exercitiis impende. Quod ſi præteritum tempus te perdidiſſe, & male impendiſſe cognoſcas, illud flendo, & pœnitendo repara: *tempus, & anteactæ vitæ peccata flendo, & pœnitendo redimite.*

Refert S. Hieronymus, Titum Veſpaſiani filium, cum quadam nocte ſero recordaretur in cœna, ſe nihil boni eo die feciſſe: dixiſſe amicis: amici, *hodie diem perdidi. S. Hier. in c. 6. ep. ad Gal.* 10. Heu! quot dies, quot menſes, quotque annos plerique nequiter perdunt? At cum in inferno erunt, gementes clamabunt: dies perdidimus, annos perdidimus, totum vitæ tempus perdidimus; & ideo animam, Paradiſum, Deum & omnia perdidimus. Tunc vellent miſeri, ex diebus, vel horis in hoc mundo perditis aliquam revocare, & reparare; ſed non poterunt: *Sane futurum eſt omnino, ut horam hujuſce temporis quæramus, deſideremuſque, nec eam habere, vel ullis precibus impetrare poſſimus; S. Doroth. ſerm.* 2. Quare, o peccator, cum jam perditum tempus reparare poſſis, illud ſollicite repara. Ne dicas, te perditum tempus reparare non poſſe ſine tuo, rerumque tuarum detrimento: quia illud redimere debes, etiam cum facultatum tuarum jactura, ut æternam beatitudinem aſſequaris: *Redimere tempus eſt, etiam detrimento temporalium commodorum, ad æterna quærenda, & capeſſenda, ſpatia temporis inſumere. S. Auguſt. lib. 50. homil. homil.* 1.

Veteranos ſatanæ milites, ſeu peccatores illos, qui in peccatis inſenuerunt, docet Chryſologus modum facilem, quo tempus perditum reparare valeant, dicens: *vivamus Deo paululum, qui ſæculo viximus totum. Chryſoſt. ſerm.* 12. O peccator, qui totus mundo, corpori, voluptati vixiſti; paululum temporis quod tibi ſupereſt, Dei obſequio impende. Quamvis certus eſſes, te mille, ac centum mille annis in hoc mundo victurum, totum hoc tempus Deo factori, & Redemptori tuo conſecrare deberes: quanto magis paucos, qui tibi ſuperſunt vitæ dies, ei offerre teneris? Vive ergo Deo paululum; da illi reliquos vitæ tuæ dies, qui pauci ſunt: *Vivamus Deo paululum, qui ſæculo viximus totum.* Adoleſcentiam, juventutem, optimamque, & maximam vitæ tuæ partem voluptatis, tuis commodis, fluxis, caducis, & forte malis rebus impendiſti: ut autem totum illud tempus, quod male expendiſti, aliquo modo redimas, petit tantum

Deus,

Digitized by Google

Deus, ut ſaltem ultimam & pejorem vitæ tuæ partem ei tribuas. Da illi hanc partem, & perditum tempus redimes; da illi hanc partem, & eum adverſus te iratum placabis; da illi hanc partem, & æternam tibi beatitudinem dabit. *Amen.*

# DE POENITENTIA

## NON DIFFERENDA.

## CONCIO XIII.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.*
Iſaiæ 27. 9.

SI hi, qui variis ligantur ſceleribus, ſe nolle unquam pœnitere dicerent; eo ipſo ſe Deo nolle reconciliari, ſe infinitis æternæ beatitudinis gaudiis abrenunciare, ſeque ſempiternis inferni ſuppliciis addici velle faterentur. Quare nullum fere peccatorem invenire eſt, qui ſe pœnitentiam agere nolle dicat: & quiſque, ſuadente diabolo, dicere ſolet: *Pœnitentiam agere intendo*; ſed expectandum. *Pœnitentiæ operibus incumbam*; ſed nondum pœnitendi tempus advenit.

O quales pœnitentes, qui pœnitentiam agere volunt & nolunt! *volunt* impoſterum & *nolunt* nunc. Clamat Deus, præſens tempus ad faciendam pœnitentiam idoneum eſſe, & opportunum; *Ecce nunc tempus acceptabile*: 2. *Cor.* 6. 2. & hi non nunc pœnitere, ſed in futurum pœnitentiam differre ſtatuunt. Rogat Deus, ut pœnitentiam non differant: *Non tardes converti ad Dominum*; *Eccli.* 5. 8. & hi non de prompte agenda, ſed de differenda pœnitentia cogitant. Peccatum per pœnitentiam neceſſario auferendum eſſe ſciunt: *Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum*; & pœnitentiam non ſuſcipere, ſed in futurum differre volunt. Cumque eis dicimus, ut peccata ſua per pœnitentiam deſtruant, ſe excuſant, dicentes, *quod nondum advenit pœnitendi tempus*. Hanc eorum excuſationem impugnabimus; probando, pœnitentiam non eſſe differendam; &c. *Ave*,

SI noſſent peccatores, quanta lethalis peccati ſit fœditas, quanta ejus malitia, quantaque ſint damna, quæ animabus infert, nullus quidem apud ſe talem hoſpitem diverſari pateretur, nulluſque illud per pœnitentiam delere vel minimum moraretur. Sed quia non ſatis nota detrimenta quæ a mortali peccato cauſſantur, aliqui uſque ad mortem, ad multum tempus alii, alii in craſtinum & de die in diem illud per pœnitentiam delere differunt.

Aliqui quidem ita ſtolidi, ac in ſalutis ſuæ negotio ita ſegnes ſunt, & inertes, ut uſque ad mortem, ſeu, uſque ad vitæ ſuæ finem pœnitere differant. Cum inſenuero, inquiunt: inſtante jam morte: cum tempus ex hoc mundo proficiſcendi venerit, tunc prudentem & eruditum vocabo Confeſſarium, cui cuncta humiliter declarabo ſcelera; & accepta ejus abſolutione, ſecurus ex hoc mundo migrabo.

Alii ad ſex menſes, ad unum annum, vel ad aliud longe diſtans tempus peccatorum ſuorum pœnitentiam differunt. Et hi dicere ſolent: proximo Paſchatis tempore: cum a Sanctiſſimo aliquis concedetur Jubilæus: cum de tali negotio me expediero: cum ſtudiis finem fecero: cum uxorem duxero, tunc pœnitentiæ operibus ſedulo incumbam.

Alii cunctantes, pœnitentiam procraſtinant, & de die in diem ad Deum converti differunt. Cras, ajunt: intra aliquot dies: prima occaſione opportuna ea omnia adimplebo, quæ veri pœnitentis ſunt.

O quales dilationes! o quam periculoſum & noxium, ſic pœnitentiam differre! Quod patebit in concionis hujus contextu, in qua probabimus, pœnitentiam non eſſe differendam: 1. Nec uſque ad mortem: 2. Nec uſque ad tempus longe diſtans: 3. Nec uſque in diem craſtinum.

### PRIMA PARS.

*Pœnitentia non eſt differenda uſque ad vitæ finem.*

OMnia tempus habent, & quælibet res ſuo tempore facienda; opportunum autem pœnitentiæ tempus non eſt, cum quis inſtante morte gravi morbo laborat. Nam licet, abſolute loquendo, tunc quis pœnitere poſſit, ut patet exemplo Latronis, qui *in cruce, & hora mortis rapuit veniam, invaſit vitam, effregit Paradiſum, penetravit ad regnum. Chryſoſt. ſer.* 167. difficillime tamen, rariſſime & fere nunquam tunc vera ſit pœnitentia; Nam, ut aſſerit D. Auguſtinus, *vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*. Mille, & centum mille ſunt, qui dicunt, aut ſaltem intra ſe ſtatuunt, tunc pœnitentiam agere, cum ægrotabunt ad mortem; tunc, ajunt, in corde ſuo, tunc vitiis ex toto corde abrenunciabimus, tunc ſalubri dolore & ſincera confeſſione conſcientiam purgabimus; tunc cuique ſua reſtituemus: ac omnia veri Chriſtiani munia adimplebimus. Sic ſic in corde ſuo loqui ſolent peccatores; ſed ſciant, & tanquam certiſſimum ſupponant, quod *vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*.

Novi adoleſcentem, inquit Cæſar Racupito, qui laſcivis amoribus implicatus, dictitabat, ſibi ſatis fore ad ſalutem, ſi ante mortem, unam aut alteram ad pœnitendum horam haberet; quia tunc perfectæ contritionis actum eliceret, quo juſtificaretur, & ſalvus fieret. Infelix, cum quadam nocte poſt epulas ad ſolita ſua ſcelera perpetranda pergeret, repentino lapſu confracta cervice, ſine voce, ſine ſenſu, ac nullo edito pœnitentiæ ſigno miſere obiit. *Recup. de ſign. prædeſt. c.* 4. Unum noverat pius ille Concionator, qui cum in fine vitæ pœnitere ſtatuiſſet, ſubitanea morte raptus, pœnitendi tempus non habuit: at, quod uni accidiſſe narrat, hoc non uni duntaxat, ſed mille & centum millibus accidit, qui cum in vitæ fine pœnitentiam agere decreviſſent, morte non prævisa præoccupati optatum pœnitentiæ tempus non habuerunt, ac impœnitentes ex hoc mundo ad tartareos rogos æternum cruciandi migrarunt. Sed *velim*, quod peccatores cum morte fœdus inierint; *Velim*, Deum iis pollicitum, ſe eis daturum pœnitendi tempus, nec illos ſubitanea morte præventurum; *Velim* adhuc, quod cuique peccatori pœnitentiam uſque ad mortem differenti, miſerit Deus Angelum, qui diuturnam vitam, & non ſubitaneam mortem promiſerit; erunt ne ideo de pœnitentia

in

Digitized by Google

in fine vitæ facienda ſecuri? nulla quidem ſecuritas; quia *vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte æternam indulgentiam obtinebis unus.*

Unum quidem latronem in vitæ fine pœnitentiam egiſſe, ac æternam beatitudinem conſecutum eſſe legimus: Sed qua, quæſo, die? *ea certe die*, qua Chriſtus in cruce moritur; *ea die*, qua univerſalis totius mundi Jubilæus celebratur; *ea die*, qua redemptionis noſtræ pretium tam prodige perſolvitur; *ea die*, qua cataractæ cæli, & abyſſi divinæ clementiæ apertæ ſunt; *ea die*, qua fontes omnes gratiarum, & miſericordiæ Dei undique ſcaturiunt, *ea die*, qua omnia juſtitiæ divinæ tela recondita, & in unum Jeſum reflexa; *ea die*, qua juxta crucem Dei Genitrix pro eo oraſſe creditur; hac, inquam, die pœnitentiam egit ille latro, ac audire meruit: *mecum eris in Paradiſo*. Sed quando occurret dies huic ſimilis? Nunquam. Quandonam alius quidam peccator, qui uſque ad vitæ finem pœnitentiam diſtulerit, eam in vitæ fine aget? Neſcio. In ſacra enim Scriptura nullum alium veram in vitæ ſuæ fine pœnitentiam egiſſe legimus. *Si bene memini, in toto canone Scripturarum, unum latronem ſic ſalvatum legimus. S. Bern. ſerm. 38. de parv.* Verum eſto, quod in fine vitæ pœnitentia fieri poſſit, quodque latro eam in fine vitæ fecerit; ſed *da mihi alium latronem*, inquit D. Auguſtinus, da mihi alios, qui cum in ſtatu peccati uſque ad mortem perſeverare voluerint, tunc veram pœnitentiam egerint: certe vix alius inveniri poſſet: & ex centum millibus, qui pœnitentiam uſque ad mortem diſtulerunt, vix unus tunc indulgentiam obtinet.

Hoc quidem terribile: veriſſimum tamen. Nam licet certum eſſet, Deum in fine vitæ pœnitendi tempus omnibus largiri (quo nihilo incertius) quis promiſit peccatoribus indignis & contumacibus, qui toties divinis inſpirationibus reſtiterunt, qui pretioſum Chriſti Sanguinem conculcarunt, qui ſancta Concionatorum monita pluries contempſerunt, & qui in peſſima vita ſua pertinaciter perſeverarunt; quis, inquam, iis ex parte Dei promiſit, quod in fine vitæ gratiam habebunt, qua auxiliante pœnitentiam debite agent? nullus. Sed velim, quod in fine vitæ, & tempore, & gratia non careant: quis eis pollicitus eſt, quod & hoc tempore, & hac gratia bene utentur, quodque tunc veram pœnitentiam agent? nullus. Et vere impoſſibile eſt, quod tunc vere & debite pœnitentiam agant; *Tum*, quia tunc ægritudinis dolores mentem præoccupant: *Tum*, quia habitus pravi, quos contraxerunt, alio voluntatem rapiunt; *Tum*, quia tunc male officioſi parentes non parum obſtant; *Tum*, quia tunc dæmones validius tentant; *Tum*, quia in negligentiæ ſuæ pœnam, qui ſine pœnitentia in hoc mundo vivere voluerunt, ſine pœnitentia ex hoc mundo exeunt.

Tempus & gratiam in fine vitæ dabit tibi Deus, inquis, o peccator: o utinam ſic fiat! & ſupponamus, quod ſic fiat: quid inde? ergo, inquis, tunc pœnitentiam agam: o peſſimam conſequentiam? Si inferres: ergo tunc pœnitentiam agere potero, hoc facile concederem; ſed inde infers: ergo tunc pœnitentiam agam? bona & legitima non eſt hæc conſequentia. Nam licet tunc tempus & gratiam ſis habiturus; pœnitere tamen tibi difficillimum, & fere impoſſibile erit: quia tunc ſaluti tuæ invigilare, & ea quæ ſalutis tuæ ſunt, cogitare vix poteris: ut enim ait D. Hieronymus, *dum infirmitate opprimeris, nihil aliud potes cogitare quam quod ſentis*: Tunc non mente revolves quanta ſit peccati tui malitia, quanta majeſtas Dei, quem offendiſti, quanta ſupplicia quæ meruiſti: tunc non cogitabis de delendo peccato, de placando Deo, de vitando inferno; ſed totus eris doloribus quos patieris: tunc tibi difficillimum & quaſi impoſſibile erit veram pœnitentiam agere; quia ſolummodo cogitabis, qua arte dolores lenire, curare morbum, & priſtinæ ſanitati reſtitui valeas: *Difficile eſt ut vera ſit pœnitentia, quæ ſera venit: quia cum dolor ſenſum opprimit, tunc vix homo valeat de ea cogitare. Magiſter Sent. lib. 4. diſt. 20.*

Sed demus, te in fine vitæ nimiis doloribus non fore gravatum, ac vere poſſe de pœnitentia agenda cogitare: quid tunc parentes & conſanguinei? Nonne hi infenſiſſimi erunt animæ tuæ hoſtes? hi ſane erunt inimici domeſtici, qui te, ne pœnitentiam agas, impedient. Hi Tabellionem potius quam Parochum, Medicum quam prudentem Confeſſarium vocabunt: ſolliciti non de animæ, ſed de corporis ſanitate erunt pandis, quando temporaneis tuis facultatibus occumagis curabunt. Externis divitiis tibi conciliandis ne te certum facient, aliſ[illegible] de priſtina valetudi- Confeſſarium, ne mortis timor [illegible] admittendum Si admittatur Confeſſarius, hæc adhibebitur [illegible] quod ſcilicet de Confeſſione, & aliorum Sacramentorum receptione non loquatur. Quod ſi tandem ad pœnitendum & ad chriſtiane moriendum te hortetur Confeſſarius, ululabit uxor, in lacrymas prorumpent filii, clamabunt domeſtici, inſurgent creditores, ac ita undique conturbaberis, ut difficillimum futurum tibi ſit, de pœnitentia cogitare; & ſic miſer, decipieris, ac ad tartara præceps detrudderis. Hoc ita fieri ſolet, ut ipſa docet experientia; & ut advertit D. Auguſtinus: *uxor & mundus ſolent ſerotinam pœnis etiam decipere. D. Auguſt. de pœnit. diſt. 7. cap. nullus.*

Sed quid tunc diabolus? otioſus ne erit? tuncne tibi dabit inducias? Tunc *deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet. Apoc. 12. 12.* Tunc circuibit, ut te devoret; tunc inſidiabitur ut leo in ſpelunca ſua; tunc inſidiabitur, ut te ad tartara rapiat: *Inſidiatur, ut rapiat pauperem. Pſalm. 9.* Tunc tot parabit inſidias: tunc tot tendet laqueos, ut eos evadere, ab iis te extricare, & veram pœnitentiam agere, tibi difficillimum futurum ſit.

Hæc omnia, inquies, fieri poſſent, & ſic fieri ſolent, ſed Deo dante, cum inſtabit mors, de doloribus, de parentibus, de tartareis legionibus triumphabo, & pœnitentiam agam. De his omnibus triumphabis? de hoc dubito; pœnitentiam ages? de hoc magis dubito. Sed te tunc pœnitentiam acturum concedamus; quæ, quæſo, hæc erit pœnitentia? eritne vera & legitima? neſcio: tuane delebit ſcelera? neſcio. Ut enim ait Divus Chryſoſtomus: *Qui prave vivendo pœnitentiam agit in mortis articulo: ſicut ejus damnatio incerta eſt, ſic remiſſio dubia. Chryſ.*

de

Digitized by Google

Deus, ut ſaltem ultimam & pejorem vitæ tuæ partem ei tribuas. Da illi hanc partem, & perditum tempus redimes; da illi hanc partem, & eum adverſus te iratum placabis; da illi hanc partem, & æternam tibi beatitudinem dabit. *Amen.*

# DE POENITENTIA

## NON DIFFERENDA.

## CONCIO XIII.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.*
Iſaiæ 27. 9.

SI hi, qui variis ligantur ſceleribus, ſe nolle unquam pœnitere dicerent; eo ipſo ſe Deo nolle reconciliari, ſe infinitis æternæ beatitudinis gaudiis abrenunciare, ſeque ſempiternis inferni ſuppliciis addici velle faterentur. Quare nullum fere peccatorem invenire eſt, qui ſe pœnitentiam agere nolle dicat: & quiſque, ſuadente diabolo, dicere ſolet: *Pœnitentiam agere intendo*; ſed expectandum. *Pœnitentiæ operibus incumbam*; ſed nondum pœnitendi tempus advenit.

O quales pœnitentes, qui pœnitentiam agere volunt & nolunt! *volunt* impoſterum & *nolunt* nunc. Clamat Deus, præſens tempus ad faciendam pœnitentiam idoneum eſſe, & opportunum; *Ecce nunc tempus acceptabile*: 2. Cor. 6. 2. & hi non nunc pœnitere, ſed in futurum pœnitentiam differre ſtatuunt. Rogat Deus, ut pœnitentiam non differant: *Non tardes converti ad Dominum*; Eccli. 5. 8. & hi non de prompte agenda, ſed de differenda pœnitentia cogitant. Peccatum per pœnitentiam neceſſario auferendum eſſe ſciunt: *Iſte omnis fructus, aut auferatur peccatum*; & pœnitentiam non ſuſcipere, ſed in futurum differre volunt. Cumque eis dicimus, ut peccata ſua per pœnitentiam deſtruant, ſe excuſant, dicentes, *quod nondum advenit pœnitendi tempus*. Hanc eorum excuſationem impugnabimus; probando, pœnitentiam non eſſe differendam; &c. *Ave.*

SI noſſent peccatores, quanta lethalis peccati ſit fœditas, quanta ejus malitia, quantaque ſint damna, quæ animabus infert, nullus quidem apud ſe talem hoſpitem diverſari pateretur, nulluſque illud per pœnitentiam delere vel minimum moraretur. Sed quia non ſatis nota detrimenta quæ a mortali peccato cauſſantur, aliqui uſque ad mortem, ad multum tempus alii, alii in craſtinum & de die in diem illud per pœnitentiam delere differunt.

Aliqui quidem ita ſtolidi, ac in ſalutis ſuæ negotio ita ſegnes ſunt, & inertes, ut uſque ad mortem, ſeu, uſque ad vitæ ſuæ finem pœnitere differant. Cum inſenuero, inquiunt: inſtante jam morte: cum tempus ex hoc mundo proficiſcendi venerit, tunc prudentem & eruditum vocabo Confeſſarium, cui cuncta humiliter declarabo ſcelera; & accepta ejus abſolutione, ſecurus ex hoc mundo migrabo.

Alii ad ſex menſes, ad unum annum, vel ad aliud longe diſtans tempus peccatorum ſuorum pœnitentiam differunt. Et hi dicere ſolent: proximo Paſchatis tempore: cum a Sanctiſſimo aliquis concedetur Jubilæus: cum de tali negotio me expediero: cum ſtudiis finem fecero: cum uxorem duxero, tunc pœnitentiæ operibus ſedulo incumbam.

Alii cunctantes, pœnitentiam procraſtinant, & de die in diem ad Deum converti differunt. Cras, ajunt: intra aliquot dies: prima occaſione opportuna ea omnia adimplebo, quæ veri pœnitentis ſunt.

O quales dilationes! o quam periculoſum & noxium, ſic pœnitentiam differre! Quod patebit in concionis hujus contextu, in qua probabimus, pœnitentiam non eſſe differendam: 1. Nec uſque ad mortem: 2. Nec uſque ad tempus longe diſtans: 3. Nec uſque in diem craſtinum.

### PRIMA PARS.

*Pœnitentia non eſt differenda uſque ad vitæ finem.*

OMnia tempus habent, & quælibet res ſuo tempore facienda; opportunum autem pœnitentiæ tempus non eſt, cum quis inſtante morte gravi morbo laborat. Nam licet, abſolute loquendo, tunc quis pœnitere poſſit, ut patet exemplo Latronis, qui *in cruce, & hora mortis rapuit veniam, invaſit vitam, effregit Paradiſum, penetravit ad regnum*. Chryſoſt. ſer. 167. difficillime tamen, rariſſime & fere nunquam tunc vera ſit pœnitentia; Nam, ut aſſerit D. Auguſtinus, *vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*. Mille, & centum mille ſunt, qui dicunt, aut ſaltem intra ſe ſtatuunt, tunc pœnitentiam agere, cum ægrotabunt ad mortem; tunc, ajunt, in corde ſuo, tunc vitiis ex toto corde abrenunciabimus, tunc ſalubri dolore & ſincera confeſſione conſcientiam purgabimus; tunc cuique ſua reſtituemus; ac omnia veri Chriſtiani munia adimplebimus. Sic ſic in corde ſuo loqui ſolent peccatores; ſed ſciant, & tanquam certiſſimum ſupponant, quod *vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*.

Novi adoleſcentem, inquit Cæſar Racupito, qui laſcivis amoribus implicatus, dictitabat, ſibi ſatis fore ad ſalutem, ſi ante mortem, unam aut alteram ad pœnitendum horam haberet; quia tunc perfectæ contritionis actum eliceret, quo juſtificaretur, & ſalvus fieret. Infelix, cum quadam nocte poſt epulas ad ſolita ſua ſcelera perpetranda pergeret, repentino lapſu confracta cervice, ſine voce, ſine ſenſu, ac nullo edito pœnitentiæ ſigno miſere obiit. *Recup. de ſign. prædeſt.* c. 4. Unum noverat pius ille Concionator, qui cum in fine vitæ pœnitere ſtatuiſſet, ſubitan a morte raptus, pœnitendi tempus non habuit: at, quod uni accidiſſe narrat, hoc non uni duntaxat, ſed mille & centum millibus accidit, qui cum in vitæ fine pœnitentiam agere decreviſſent, morte non prævisa præoccupati optatum pœnitentiæ tempus non habuerunt, ac impœnitentes ex hoc mundo ad tartareos rogos æternum cruciandi migrarunt. Sed *velim*, quod peccatores cum morte fœdus inierint; *Velim*, Deum iis pollicitum, ſe eis daturum pœnitendi tempus, nec illos ſubitanea morte præventurum; *Velim* adhuc, quod cuique peccatori pœnitentiam uſque ad mortem differenti, miſerit Deus Angelum, qui diuturnam vitam, & non ſubitaneam mortem promiſerit; erunt ne ideo de pœnitentia

in

Digitized by Google

in hac vitæ facienda ſecuri? nulla quidem ſecuritas; quia vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte æternam indulgentiam obtinebit unus.

Unum quidem latronem in vitæ fine pœnitentiam egiſſe, ac æternam beatitudinem conſecutum eſſe legimus: Sed qua, quæſo, die? ea certe die, qua Chriſtus in cruce moritur; ea die, qua univerſalis totius mundi Jubilæus celebratur; ea die, qua redemptionis noſtræ pretium tam prodige perſolvitur; ea die, qua cataractæ cœli, & abyſſi divinæ clementiæ apertæ ſunt; ea die, qua fontes omnes gratiarum, & miſericordiæ Dei undique ſcaturiunt, ea die, qua omnia juſtitiæ divinæ tela recondita, & in unum Jeſum reflexa; ea die, qua juxta crucem Dei Genitrix pro eo oraſſe creditur; hac, inquam, die pœnitentiam egit ille latro, ut audire meruit: *mecum eris in Paradiſo*. Sed quando recurret dies huic ſimilis? Nunquam. Quandonam alius quidam peccator, qui uſque ad vitæ finem pœnitentiam diſtulerit, eam in vitæ fine aget? Neſcio. In ſacra enim Scriptura nullum alium veram in vitæ ſuæ fine pœnitentiam egiſſe legimus. *Si bene memini, in toto canone Scripturarum, unum latronem ſic ſalvatum legimus. S. Bern. ſerm. 38. de parv.* Verum eſto, quod in fine vitæ pœnitentia fieri poſſit, quodque latro eam in fine vitæ fecerit; ſed *da mihi alium latronem*, inquit D. Auguſtinus, da mihi alios, qui cum in ſtatu peccati uſque ad mortem perſeverare voluerint, tunc veram pœnitentiam egerint: certe vix alius inveniri poſſet: & ex centum millibus, qui pœnitentiam uſque ad mortem diſtulerunt, vix unus tunc indulgentiam obtinet.

Hoc quidem terribile: veriſſimum tamen. Nam licet certum eſſet, Deum in fine vitæ pœnitendi tempus omnibus largiri (quo nihilo incertius) quis promiſit peccatoribus indignis & contumacibus, qui toties divinis inſpirationibus reſtiterunt, qui pretioſum Chriſti Sanguinem conculcarunt, qui ſancta Concionatorum monita pluries contempſerunt, & qui in peſſima vita ſua pertinaciter perſeverarunt; quis, inquam, ex parte Dei promiſit, quod in fine vitæ gratiam habebunt, qua auxiliante pœnitentiam debite agent? nullus. Sed velim, quod in fine vitæ, & tempore, & gratia non careant: quis eis pollicitus eſt, quod & hoc tempore, & hac gratia bene utentur, quodque tunc veram pœnitentiam agent? nullus. Et vere impoſſibile eſt, quod tunc vere & debite pœnitentiam agant; *Tum*, quia tunc ægritudinis dolores mentem præoccupant: *Tum*, quia habitus pravi, quos contraxerunt, alio voluntatem rapiunt; *Tum*, quia tunc male officioſi parentes non parum obſtant; *Tum*, quia tunc dæmones validius tentant; *Tum*, quia in negligentiæ ſuæ pœnam, qui ſine pœnitentia in hoc mundo vivere voluerunt, ſine pœnitentia ex hoc mundo exeunt.

Tempus & gratiam in fine vitæ dabit tibi Deus, inquis, o peccator; o utinam ſic fiat! & ſupponamus, quod ſic fiat: quid inde? ergo, inquis, tunc pœnitentiam agam: o peſſimam conſequentiam! Si inferres: ergo tunc pœnitentiam agere poſſero, hoc facile concederem; ſed inde infers: ergo tunc pœnitentiam agam? bona & legitima non eſt hæc conſequentia. Nam licet tunc tempus & gratiam ſis habiturus; pœnitere tamen tibi difficillimum, & fere impoſſibile erit: quia tunc ſaluti tuæ invigilare, & ea quæ ſalutis tuæ ſunt, cogitare vix poteris: ut enim ait D. Hieronymus, *dum infirmitate opprimeris, nihil aliud potes cogitare quam quod ſentis*. Tunc non mente revolves quanta ſit peccati tui malitia, quanta majeſtas Dei, quem offendiſti, quanta ſupplicia quæ meruiſti: tunc non cogitabis de delendo peccato, de placando Deo, de vitando inferno; ſed totus eris doloribus quos patieris: tunc tibi difficillimum & quaſi impoſſibile erit veram pœnitentiam agere; quia ſolummodo cogitabis, qua arte dolores lenire, curare morbum, & priſtinæ ſanitati reſtitui valeas: *Difficile eſt ut vera ſit pœnitentia, quæ ſera venit: quia cum dolor ſenſum opprimit, tunc vix homo valeat de ea cogitare. Magiſter Sent. lib. 4. diſt. 20.*

Sed demus, te in fine vitæ nimiis doloribus non fore gravatum, ac vere poſſe de pœnitentia agenda cogitare: quid tunc parentes & conſanguinei? Nonne hi infenſiſſimi erunt animæ tuæ hoſtes? hi ſane erunt inimici domeſtici, qui te, ne pœnitentiam agas, impedient. Hi Tabellionem potius quam Parochum, Medicum quam prudentem Confeſſarium vocabunt: ſoliciti non de animæ, ſed de corporis ſanitate erunt pandis, quidē temporaneis tuis facultatibus occumagis curabunt. Externis divitiis tibi conciliandis ne te certum facient, aliſ uni de priſtina valetudi- Confeſſarium, ne mortis timor vim admittendum Si admittatur Confeſſarius, hæc adhibebitur cautio, quod ſcilicet de Confeſſione, & aliorum Sacramentorum receptione non loquatur. Quod ſi tandem ad pœnitendum & ad chriſtiane moriendum te hortetur Confeſſarius, ululabit uxor, in lacrymas prorumpent filii, clamabunt domeſtici, inſurgent creditores, ac ita undique conturbaberis, ut difficillimum futurum tibi ſit, de pœnitentia cogitare; & ſic miſer, decipieris, ac ad tartara præceps detruderis. Hoc ita fieri ſolet, ut ipſa docet experientia; & ut advertit D. Auguſtinus: *uxor & mundus ſolent ſerotinam pœnitentiam decipere. D. Auguſt. de pœnit. diſt. 7. cap. nullus.*

Sed quid tunc diabolus? otioſus ne erit? tunc ne tibi dabit inducias? Tunc *deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet. Apoc. 12. 12.* Tunc circuibit, ut te devoret; tunc inſidiabitur ut leo in ſpelunca ſua; tunc inſidiabitur, ut te ad tartara rapiat: *Inſidiatur, ut rapiat pauperem. Pſalm. 9.* Tunc tot parabit inſidias: tunc tot tendet laqueos, ut eos evadere, ab iis te extricare, & veram pœnitentiam agere, tibi difficillimum futurum ſit.

Hæc omnia, inquies, fieri poſſent, & ſic fieri ſolent, ſed Deo dante, cum inſtabit mors, de doloribus, de parentibus, de tartareis legionibus triumphabo, & pœnitentiam agam. De his omnibus triumphabis? de hoc dubito; pœnitentiam ages? de hoc magis dubito. Sed te tunc pœnitentiam acturum concedamus: quæ, quæſo, hæc erit pœnitentia? eritne vera & legitima? neſcio: tuam delebit ſcelera? neſcio. Ut enim ait Divus Chryſoſtomus: *Qui prave vivendo pœnitentiam agit in mortis articulo: ſicut ejus damnatio incerta eſt, ſic remiſſio dubia. Chryſ.* de

Digitized by Google

*de compunct.* Et ut loquitur D. Auguſtinus, (ſi quis potius in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit: ſed non præſumimus affirmare, quod hinc bene exit: non præſumo, non vos fallo. Fidelis bene vivens; ſecurus hinc exit: baptizatus ad horam, ſecurus hinc exit: *Agens pœnitentiam ad ultimum reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Divus Auguſtinus homil. 41. ex 50.*) Et alibi idem Auguſtinus, pœnitentiam quæ ab infirmo ad mortem properante fit, non ſolum dubiam, verum & morientem, ac etiam mortuam vocat: *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt; pœnitentia, quæ a moriente petitur, timeo ne & ipſa moriatur. Auguſt. ſerm. 57. de temp.* Dic ergo jam, quæ tua tunc erit pœnitentia? eritne omnibus numeris perfecta? eritne efficax ad tua delenda crimina? timeo, & valde cum ſanctis Patribus timeo, ne pœnitentia hæc ſit inefficax, ne ſit moriens, mortua, & nulla.

Vide, quæ & qualis extiterit Antiochi pœnitentia. Poſtquam percuſſit eum Deus inſanabili & inviſibili plaga; cum nec ipſe jam fœtorem ſuum ferre poſſet, confeſſus eſt, juſtum ac æquitati conſentaneum, quod ipſe voluntati Dei obtemperaret: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo. 2. Machab. 9. 12.* Deinde, ſe tuor notatu digna Deo pollicitus eſtus erat, non Judæos, quos odio maximo [illegible]enſes; *Secundum*, ſe minus amaturum, quod prius expoliaverat, optimis Templum ſanctum, & ſancta vaſa multiplicaturum: donis —, Judæum ſe futurum: *Quartum*, ſe omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei poteſtatem: Ecce hominem, ſaltem quoad ea quæ exterius apparent, vere pœnitentem: ejus tamen pœnitentia falſa & inutilis fuit, quæ a Deo gratiam & miſericordiam obtinere non valuit. Ut enim ait Sacra Scriptura: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Oravit, clamavit, varioſque veri pœnitentis actus feciſſe videtur Antiochus; falſa tamen, inefficax, & nulla ejus fuit pœnitentia.

Talis haud dubie tua erit pœnitentia, ſi eam uſque ad vitæ terminum differas; & talis eſſe ſolet pœnitentia illorum, qui poſtquam male & impie vixerunt, in morte multa pœnitentiæ ſigna præferunt. Videmus nonnunquam inveteratos peccatores, qui appropinquante mortis hora Confeſſarium vocant, ut ei miſerum conſcientiæ ſuæ ſtatum aperiant; qui varia in favorem pauperum & Eccleſiarum legata faciunt; qui Chriſti crucifixi effigiem ardenter amplexantur, & humiliter oſculantur: qui frequenter pectus tundunt, & alia multa his ſimilia pœnitentiæ ſigna edunt. Mirantur quotquot talia cernunt: & mortuo aliquo ex hujuſmodi pœnitentibus, dicunt ad invicem: o præclaram mortem! o quam felix ille homo, qui cum male vixiſſet, pie & religioſe mortuus eſt! Sed, o quam fallacia & falſa hominum judicia! verum eſt, hanc mortem, quoad formam externam eſſe præclaram: ſed an bona ſit, & pretioſa in conſpectu Domini, valde dubium eſt. Quoad ea quæ videmus, hic homo pie mortuus eſt: ſed timendum, ne ejus, ſicut & Antiochi, pœnitentia nulla ſit & mortua: *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: Pœnitentia quæ a moriente petitur, timeo ne & ipſa moriatur:* Quare pœnitentia *non eſt differenda* uſque ad vitæ finem; *nec etiam ad tempus longe diſtans.*

## SECUNDA PARS.

*Pœnitentia non eſt differenda ad tempus longe diſtans.*

Viri *Ninivitæ*, inquit Chriſtus, *ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam non egerunt in prædicatione Jonæ. Matth.* 14. 21. Varias ob rationes pravam multorum peccatorum generationem damnabunt Ninivitæ, ſed præcipue quia mox ut Jonæ prædicationem audierunt, abſque ulla mora ſeveram pœnitentiam ſuſceperunt. Dicere potuiſſent: Deus miſericors eſt, & miſericordiæ ejus non eſt finis; ac proinde indulgebit nobis in quacumque die ingemuerimus; quare cum quadraginta dies uſque ad urbis noſtræ ſubverſionem ſupereſſe dixerit; poſſumus triginta & novem diebus laxui indulgere, voluptatibus vacare, in vitiis perſeverare, & ultimo die, pœnitentiæ operam dabimus, ac Deum adverſus nos iratum placabimus. Sic loqui poterant; ſed non ſic locuti ſunt Ninivitæ; quin contra, audito Propheta, mox Dei miſericordiam implorarunt, ſeriam pœnitentiam inchoarunt, & nullo modo eam in futurum diſtulerunt.

Sapientes quidem hi, ſed o quam inſipientes peccatores multi, qui cum pluries vocem Domini intus loquentis, ac etiam multas Concionatorum prædicationes audierint, pœnitentiam tamen ſuſcipere nolunt, eamque in futurum differunt. Poſtquam ætatis noſtræ flos emarcuerit, ait unus: cum ſuſceptæ liti finem fecero, dicit alius: cum familiæ conſuluero, inquit iſte: cum inſenuero, ait ille: tempore Quadrageſimæ proximo, vel intra aliquos menſes, dicunt alii, tunc de pœnitentia facienda ſerio cogitabimus. Inſipientes ſane hi omnes, qui cum de anima, & de æterna ſalute agatur, pœnitentiam differunt ad tempus futurum, quod forte nuſquam videbunt. *Cogita*, inquit Chryſoſtomus, *quod de anima deliberas: Chryſoſt. homil. 22. in 2. Cor.* Non de vinea, non de villa, ſed *de anima* agitur; quæ, niſi pœnitentiam egeris, ſalvari nequit: quare pœnitentia non eſt differenda ad tempus longe diſtans, quod an ſis habiturus, incertum eſt: ſed prompte cum Ninivitis eſt facienda.

Thebanorum Imperium vi & arte invaſit Archias: quod cum ægre ferrent Athenienſes, ex his nonnulli novo Regi vitam auferre ſtatuerunt. *Plutarch. lib. de genio Lagras.* Quadam autem die, cum Archias lautam ſuis cœnam paraſſet, in qua omnia luxu & deliciis diffluebant: ecce nuntius adeſt, ab aliquo ex fidelioribus amicis ejus miſſus, qui Epiſtolam defert, ac Regem rogat, ut eam protinus legat; quia non nugas, ſed *ſeria* continet. Epiſtolam accepit Archias: ſed nuntii monitum parvipendens, Epiſtolam nec aperire voluit; cumque ad eam legendum urgeretur a nuntio, dicente eam *ſeria* continere; imprudenter reſpondit: *ſeria in craſtinum*: At craſtina dies non eſt illi conceſſa, quia illa ipſa nocte a conjuratis eſt occiſus. O quam imprudens

in hoc caſu fuit Archias; ſed o quam imprudentiores qui pœnitentiam in futurum differunt! in deliciis multis vivunt gravibuſque peccatis animam ſuam coinquinare non deſinunt; cumque prædicatores, vel Confeſſarii, ut miſſi a Deo nuntii, pœnitentiam prompte faciendam eis denuntiant; quia dæmones in eos conſpiraverunt; ſeria hæc non in craſtinum ſolum, verum & ad ſex menſes, ad annum, ad plures annos, & quandoque uſque ad ſenectutem differunt: & interim repentina ſupervenit mors, quæ illis vitam, & pœnitendi tempus aufert. O qualem ſtultitiam! *Quam multi*, inquit Arelatenſis Antiſtes, *ſe credebant longo tempore victuros, & ita illos mors repentina ſubtraxit, ut nec ad illam momentaneam potuerint pœnitentiam pervenire! Cæſar. hom. 13.*

Multi quidem & innumeri, longam ſibi promittentes vitam, pœnitentiam in futurum diſtulerunt, & repentina morte ita præoccupati ſunt, ut nec unicum temporis momentum ad pœnitentiam agendam iis datum ſit. Quare inſipientiſſimi, qui pœnitentiam in futurum differunt.

Mirum in modum argumentatur Antiochenus Præſul, ut probet, maximam eſſe cæcitatem, & ſtultitiam hominum, qui cum promptiſſime omnibus corporis neceſſitatibus ſubvenire conentur, ea quæ ad animam ſpectant, vel minimum curant, & in futurum dimittunt. *Chryſoſtom. lib. de compunct.* Si forte, inquit, parum aliquid morbi corpus pulſaverit, ſtatim & Medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni obſervantia, quod convenit agimus: nec prius ceſſatur, quam quæ moleſta ſunt, mitigentur. *Anima vero cum quotidie infirmetur, & vulneretur, ne parvi quidem pro ea nos cura ſollicitat. Idem Chryſoſtomus.* Si, ait, repentinum in domo tua exoriatur incendium, protinus clamatur, concurſatur, auxiliares manus implorantur, undique defertur aqua; laboratur, ſudatur, donec accenſus prorſus extinguatur ignis: anima vero cum libidinis, iracundiæ, & vindictæ flammis uritur, non ad fontes Salvatoris, non ad Sacramenta prompte concurritur; *Anima vero cum quotidie uratur, ne parva quidem pro ea nos cura ſollicitat. Ibidem.* Si puer in profluentem fluvium præceps ruat, clamat pater, plorat mater, quantocius advolant qui eum eripere valeant: anima vero cum in omnium ſcelerum abyſſum præcipitatur, pauci ad eam inde eripiendam prompte currunt, & multi ad eam inde mediante pœnitentia extrahendam, ad tempus longe diſtans differunt; *Anima vero cum quotidie præcipitetur, ne parva quidem pro ea nos cura ſollicitat. Ibid.* Si navis pretioſis Indiæ mercibus opulenta rimas agat, quanta hic Nautarum ſolertia, quam ſtrenue aqua die noctuque hauritur & ejicitur, quanto ſtudio & labore obturantur rimæ, ne navis pereat; *Anima vero cum omnibus modis pereat: ne parva quidem pro ea nos cura ſollicitat.* O portentoſam hominum cæcitatem & ſtultitiam, qui cum in temporalibus neceſſitatibus ſint fervidi & promptiſſimi; tardo & lento gradu ad pœnitentiam currunt, quæ ad curanda animæ vulnera, ad extinguendas vitiorum ejus flammas, & ad eam ſalvandam abſolute neceſſaria eſt.

Hujuſmodi impiorum qui pœnitentiam in futurum differunt, cæcitatem defleo: quæ quidem magna eſt, non ſolum quia pœnitentiam differunt ad tempus illud, quod an ſint habituri maxime incertum eſt: nec ſolum etiam, quia de temporalibus plurimum, & de anima parum ſunt ſolliciti: verum & quia per hanc pœnitentiæ in futurum dilationem multorum magnam bonorum jacturam faciunt. Licet enim multa opera molliter bona facere poſſint: quamdiu tamen in ſtatu peccati mortalis morantur, & pœnitere differunt, nec minimum opus æternæ gloriæ meritorium facere poſſunt: quia ut ait Divus Auguſtinus, *ſine gratia Dei nullum prorſus, ſive volendo, ſive agendo faciunt homines bonum. Auguſtin. lib. de corrept. & grat.* Quamdiu anima tua mortali aliqua macula inquinata eſt, ſi facultates in eleemoſynas effundas, hoc non eſt meritorium; ſi jejuniis corpus affligas, hoc non eſt meritorium; ſi orationi diu noctuque vaces, hoc non eſt meritorium: hæc quidem, & alia his ſimilia, bona ſunt, & peccatoribus utilia; non tamen æternæ felicitatis meritoria: quia in ſtatu gratiæ hi non ſunt, & *ſine gratia Dei nullum prorſus, ſive volendo, ſive agendo faciunt homines bonum.* Poſſis ſingulis momentis opera meritoria agere: ſi autem pœnitentiam ad annum, aut ad multos annos differas, toto hoc tempore nil ſempiternæ beatitudinis meritorium facies.

O qualem jacturam! quæ quidem peccatores omnes e pœnitentia in futurum differenda arcere deberet. Sed aliud urgens eſt motivum, quo ad pœnitentiam prompte agendam, eamque in futurum non differendam, maxime ſtimulari debent peccatores, nempe, quia ſi illam in futurum differant, in nova ſcelera infallibiliter incident. Si pœnitentiam tuam ad Feſta Paſchalia, ad ſex, octo, vel plures menſes differas, in plurima crimina cades; quia, ut ait Divus Gregorius, *peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit. l. 12. Moral. cap. 9.* Velim, quod unico tantum inquineris mortali peccato: ſi illud ad multum tempus per pœnitentiam delere differas, ab illo in alia traheris, & quo magis pœnitentiam agere tardabis, eo pluribus peccatis inquinaberis. Quod ita fiet, *ſive*, quia in negligentiæ tuæ pœnam, minus efficaces tibi Deus gratias largietur: *ſive*, quia te a dæmonibus gravius tentari ſinet: *ſive*, quia habitus pravi in te altius radicabuntur, & te fortius ad malum trahent; quare ne ad multum tempus pœnitentiam differas, ſed eam quam citiſſime poteris, facias.

Tacere non poſſum aliud motivum, quo non parum concitari debent peccatores ad pœnitentiam in tempus longe diſtans non differendam, quod deſumo ex difficultate quam experiuntur, qui illam ſic differunt: quo enim diutius tardant, eo difficilius, majorique cum labore ad eam ſuſcipiendam ſe accingunt. Certe *qui non eſt hodie, cras minus aptus erit*, qui hodie a facienda pœnitentia abhorret, cras magis, intra annum longe magis, & quo plus eam facere tardabit, eo magis ab ea facienda abhorrebit. Si enim aliquem tunc pœnitentiam facere tædet: cum paucis conſtringitur ſceleribus, patet, quod magis eum pœnitere tædebit in futuro, cum pluribus ſceleribus conſtringetur. Unde qui pœnitentiam in futurum differunt, hæricio ſimiles merito dicuntur.

He-

Digitized by Google

Hericius gravida, ut refert Pierius, a ſpinoſo quem in ventre gerit fœtu plurimum ſtimulatur, nec ideo citius parit, quin contra, quamdiu poteſt, partum differt. Unde fit, ob creſcentes in utero ſui fœtus ſpinas, eo majori cum dolore pariat, quo diutius parere tardat: *alioſtimulata, quamdiu poteſt partum differt, quo fit, ut fœtus magis indoleſcens, majorem poſtmodum in pariendo dolorem afferat.* Ecce veram peccatoris pœnitentiam in futurum dimittentis effigiem; eo enim graviores patitur dolores, quo diutius ſalutaris pœnitentiæ fructus producere differt. Hæc eſt gravis pœna, qua Deus in hoc mundo animam peccatricem plectit: & ideo aſſerit, ſe eam in poſſeſſionem hericii poſiturum: *ponam eam in poſſeſſionem hericii; Iſaiæ* 14. 33. in poſſeſſionem enim hericii ponuntur, & hericio ſimiles fiunt, qui pœnitentiam in futurum differunt. Peccata quibus inquinantur, ſunt veluti fœtus ſpinoſus, quo intus pungitur, ſtimulatur, & lancinatur eorum conſcientia: illi autem ſemper magis & magis pœnitere & parere differunt: ſed quo magis tardant, eo acrius ſtimulantur, eo difficilius pœnitentiam agunt, & fœtum ſuum emittunt. Cum peccatori dicimus, ut inimico indulgeat, aliena reſtituat, pravos eradicet habitus, & a peſſima vivendi ratione diſcedat, acutis intus pungitur ſpinis, quæ eum ab his fœtibus pariendis & a pœnitentia generoſe ſuſcipienda impediunt; ſed quo magis hæc agere morabitur, eo acutioribus & acrioribus pungetur ſpinis, eoque difficilius pœnitentiam ſectabitur. Quare in tempus longe diſtans pœnitentia non eſt differenda; *nec eſt etiam differenda in craſtinum, & de die in diem.*

## TERTIA PARS.

*Pœnitentia non eſt differenda in diem craſtinum.*

SIgiſmundus II. Poloniæ Rex, ob nimiam lentitudinem, & ſegnitiem in graviſſimis quibuſque gerendis negotiis, quorum executionem procraſtinare ſolitus erat, *Rex craſtinus* vocatus eſt. Multos hujuſmodi craſtinos viros habemus, eos ſcilicet, qui in craſtinum, & de die in diem ad Deum converti, & pœnitentiam agere differunt.

Craſtinus erat, & in craſtinum pœnitentiam differebat vir ille nobilis, Chryſaorius nomine, ſuperbia tumidus, carnis ſuæ voluptatibus deditus, avaritiæ facibus accenſus, de quo narrat Sanctus Gregorius, (quod cum enormibus ejus criminibus finem Deus ponere decreviſſet, corporis languore percuſſus eſt.) *Sanctus Gregorius lib.* 4. *Dialog. cap.* 38. Qui ad extremum veniens, eadem hora, qua jam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros, & nigerrimos ſpiritus coram ſe aſſiſtere, qui eum ad inferni clauſtra rapere minabantur. Cœpit tremere, palleſcere, ſudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumque ſuum nomine Maximum, minis & turbatis clamoribus vocare: Turbatus mox Maximus adfuit, lugens & perſtrepens familia convenit. Qui autem adſtabant, malignos ſpiritus videre non poterant: ſed eorum præſentiam in confuſione, in pallore, ac tremore illius qui trahebatur, videbant. Pavore autem tetræ eorum imaginis, huc illucque vertebatur in lectulo, jacebat in ſiniſtro latere: aſpectum eorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem; ibi aderant. Cumque conſtrictus nimis relaxari ſe jam poſſe deſperaret, cœpit magnis vocibus clamare, dicens, *inducias vel uſque mane, inducias uſque mane.* Sed cum hæc clamaret, in ipſis ſuis vocibus de habitaculo ſuæ carnis evulſus eſt.

Inducias uſque mane petiit ille, & ut ſubdit Sanctus Gregorius, *inducias quas petiit, non accepit.* Inducias uſque mane ſimiliter petunt multi, qui tales inducias non obtinent; de die in diem converſionem ſuam differunt: cras, inquiunt, convertar ad Dominum; & ſæpiſſime non datur illis craſtina hæc dies, in qua converti velint & poſſint. O quot vidimus, qui cunctando, & pœnitentiam procraſtinando, diutius vixerunt: cum autem gravi morbo corripiuntur, ſi dicamus eis, ut animæ & ſaluti conſulant, ut convertantur ad Dominum qui benignus & miſericors eſt; hi qui *cras* dicere ſoliti ſunt, *cras* adhuc dicunt: nondum paratus ſum, ajunt, ſed *cras* quæ muneris Chriſtiani ſunt, adimplebo. Si inſtemus, dicentes, morbum eſſe gravem, urgere tempus, nec differendam pœnitentiam in tempus incertum, cum jam fieri poſſit: reſpondent ſemper: *cras, cras* hoc fiet; inducias petunt uſque mane, & ſæpiſſime tales inducias non obtinent: ſed morte ſubita correpti, a dæmonibus, ſimul cum Chryſaorio, ad tartara, æternum cruciandi, trahuntur.

O qualem ſtultitiam, ſic pœnitentiam differre in diem craſtinum, cujus non ſumus domini, & quem an viſuri, ac habituri ſimus, ignoramus! *Quam ſtultum eſt ætatem diſponere! ne craſtino quidem dominamur. Senec. Epiſt.* 103. Præſumunt peccatores miſeri, quod die craſtina vivent, quodque in ea vere pœnitentiam ſunt acturi: ſed advertere deberent, quod forte antequam veniat dies craſtina, e vivis excedent. Non enim ſunt domini diei craſtinæ, quam Deus dare & denegare poteſt, prout libuerit: *quid de futuro miſer præſumis, tanquam Pater tempora & momenta in ſua, & non magis in ſua poſuerit poteſtate? D. Bernardus ſerm.* 38. *de parv.* Dic, quæſo, o peccator, quo in Sacræ Scripturæ libro, quo in capite diem craſtinum tibi Deus pollicitus eſt? Scimus eum peccatori veniam promiſiſſe ea die, qua pœnitentiam debite egerit: Sed, ut ait Sanctus Gregorius, *qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. S. Gregorius homil.* 12. *in Evangel.* Et ideo Divus Auguſtinus peccatores hortatur, ut pœnitentiam in craſtinum non differant; utpote quia Deus nunquam eis diem craſtinum promiſit: *Ne differas de die in diem: promiſit tibi Deus, quod qua die converſus fueris, oblivi ſcetur mala tua; ſed nunquam tibi vitam craſtinæ diei promiſit. Auguſtinus homil.* 23. *ex* 50. Quam ſtulti ergo, qui pœnitentiam in craſtinum differunt; quaſi vero diei craſtinæ eſſent certi & domini; *quam ſtultum eſt ætatem diſponere! ne craſtino quidem dominantur.*

Craſtinum diem peccatori nunquam pollicitus eſt Deus, & craſtinum diem ei ſemper pollicetur diabolus: intus ei ſemper inſpirat, pœnitentiam in futurum, & ſaltem in craſtinum eſſe differendam; *cras, cras pœnitebis*, ait peccatori ſatanas. Hic eſt teterrimus, ortus e tartaro corvus, qui in feneſtra,

ſeu in corde peccatoris cantat, *vox cantantis in feneſtra, corvus in ſuperliminari. Soph. cap. 12.* Quid ibi cantat ille corvus? an ne peccatori, pœnitentiam eſſe jam jam faciendam, nec in craſtinum differendam? hæc ejus non eſt cantilena; non tam ſuaviter, & ſalubriter canit; voce ſua ſolummodo crocitare novit, nil aliud in corde peccatoris clamat, niſi cras, cras pœnitebat, *vox cantantis in aure cordis*, inquit Eminentiſſimus ſimul & Doctiſſimus Cardinalis de Vitriaco, *vox corvina eſt, vox diaboli, qui clamat: cras, cras pœnitebis. Serm. in Dom. 17. poſt Pent.*

Veterator ſatanas in corde peccatorum non ſtatim cantat, pœnitentiam nunquam eſſe agendam: non enim ei facile crederent, eaque forte illos terreret cantilena. Quid ergo peccatori ſatanas? ei dicere ſolet, pœnitentiam quidem eſſe faciendam, ſed in futurum, ſaltem in craſtinum eſſe differendam, peccatori ait dæmon, *hodie mihi, cras Deo. De Auguſt.* Hodie deliciis affluas, hodie in vitiorum tuorum cœno voluteris, hodie in via tua peſſima ambules, cras vero pœnitentiam ages: ecce vocem corvinam, ecce corvum peccatori cantantem, *cras, cras pœnitebis*: ecce quomodo peccatores a pœnitentia agenda avertit, & ad tartara trahit.

O quam multi hac voce, *cras*, dementantur, ab agenda pœnitentia revocantur, ſpiritualiter occiduntur, a Paradiſo excluduntur! *Ipſa res eſt quæ multos occidit, dum dicunt, cras, & ſubito oſtium clauditur, S. Auguſt. ſerm. 17. de verb. Domini. Cras* ait ſatanas, & *cras* ait peccator, *cras* ages pœnitentiam, dicit ſatanas, & *cras* pœnitentiam agam, inquit peccator. Quaſi corvus eſt ſatanas, qui peccatori dicere non deſinit, *cras, cras*, & quaſi corvus eſt peccator, qui dicit *cras, cras*, ut enim ait Auguſtinus. *Ecce quoties dicis cras, cras factus es corvus. Auguſt. ſerm. 164. de temp.* Sed quid accidit peccatori pœnitentiam in craſtinum differenti, & inſtar corvorum, cras, cras dicenti? *Ecce dico tibi, dum facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina, Ibid.* Certe peccatoribus, *cras, cras* dicentibus, & pœnitentiam procraſtinantibus, maxima imminet ruina, impœnitentes enim haud dubie ex hoc mundo exibunt, & ad æternos tartari rogos præcipitabuntur. Quare ne de die in diem converti differas, ſed hodie, jam abſque ulla mora & cunctatione convertere ad Dominum Deum tuum per actum veræ contritionis, & deinde quamprimum poteris, ad Confeſſarium advola, tua ei humiliter declara ſcelera, eaque omnia quæ veri pœnitentis ſunt, ſedulo adimple. *Non tardes converti ad Dominum*, non tardes uſque ad mortem, non ad tempus longe diſtans, non in craſtinum, quia ſi ſic converti, & pœnitere differas, qua hora non putabis, ſubitanea morte corripieris, & ad æterna ſupplicia damnaberis, *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Eccl. 5. 8.*

Tardavit aliquandiu converti ad Dominum Divus Auguſtinus, & in tempore converſionis, cum Dei inſpirationibus ad abrenuntiandum vitæ ſuæ peſſimæ urgeretur, adhuc converſionem ſuam differre volebat. Similis eram, inquit, homini, qui a ſomno excitatur, qui nonniſi verba ſomnolenta profert. *Non* *erat omnino quid reſponderem tibi, niſi verba lenta & ſomnolenta, modo, & ecce modo, ſine paululum; ſed modo & modo non habebat modum; & ſine paululum ibat in longum: Auguſt. lib. 8. Confeſſ. c. 5.* Semper Deo vocanti reſpondebat Auguſtinus: *modo & modo, ſine paululum*; & ſic ſuam ſemper in futurum differebat converſionem. Sed tandem a gravi hoc ſomno plene excitatus, dilationibus his finem fecit, clamans: *quamdiu cras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ?* & ſic generoſe ad Deum toto corde converſus eſt. O peccator, a multo tempore te Deus ad pœnitentiam vocat; & ei forte uſque nunc reſpondiſti cum Auguſtino: *modo, modo; cras, cras; ſine paululum, ſine paululum*: ſed tandem ſanctiſſimum hunc imitare Doctorem; dic cum illo, & intus dic: *quamdiu cras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Ibid. c. 12.* ne amplius tuam procraſtines converſionem; ſed hodie, hac ipſa hora convertere ad Dominum Deum tuum, finemque turpitudinibus tuis facito.

Veteri lege ſancitum erat, ut ſi Nazaræi viſo mortuo pollucrentur, *illico in eadem die* ab hac macula purgarentur. *Num. 6. 9.* Per Baptiſmum Nazaræi facti, & Deo conſecrati ſumus omnes: quare a maculis peccatorum purgari non differamus in craſtinum; ſed prompte, *illico, eadem die*, ab his per pœnitentiam animam noſtram totaliter purgemus. *Beatus vir*, inquit Vates Regius, *qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit: Pſ. 1. 1.* in cathedra peſtilentiæ non ſedeamus; in ſtatu peccati mortalis non immoremur; ſed prompte, jam abſque ulla mora & dilatione, a qualibet lethali noxa animas noſtras purgemus; & in cælo aliquando beati erimus. *Amen.*

# DE RESTITUTIONE.

## CONCIO XIV.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.*
Iſaiæ 27. 9.

NOn in Oceano ſolum inveniuntur pyratæ; totus enim mundus eſt quaſi mare variis tempeſtatibus agitatum, in quo innumeri ſunt pyratæ, & prædones, qui vi, dolis, & omnibus viis, aliorum facultates diripiunt. Prædones ſuos habent oppida & civitates, immo & in qualibet civitate tot fere ſunt prædonum genera, quot ſunt varii civium ſtatus: *Prædones* enim reperiuntur inter magiſtratus, *prædones* inter mercatores, *prædones* inter caupones & propolas, *prædones* inter magiſtros & famulos, *prædones* & fures in omnibus ſtatibus & conditionibus hominum, in quibus non deſunt qui doloſe aliorum bona ſuffurentur: *A minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent; & a Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Jer. 6. 13.*

O quam multi in mundo avari! quam multi aliena inique auferunt! ſed o quam pauci ablata reſtituunt! Nihil dulcius quam pupillorum & viduarum ſanguinem ſugere: nihil ſuavius, quam ex pauperum ſubſtantia ſe impinguare: nihil gratius, quam divitiis

tils divitias addere, ſed cum de iis reſtituendis agitur, *ibi dolores, ut parturientis*; nullus enim male acquiſita reſtituere vult, & vix reperitur aliquis, qui vanas, & ſæpe ridiculas excuſationes non adducat, ut ſibi, & Confeſſariis ſuadere conetur, ſe ad reſtitutionem non teneri. Defectus hic reſtitutionis in cauſa eſt, cur innumeri in ſtatu peccati vivant & pereant; quare ut ad deſtruenda eorum peccata efficaciter laboremus, vanas eorum excuſationes impugnabimus, eoſque ad reſtituenda aliena pro viribus adducere contendemus, &c. *A. e.*

EX his qui aliena injuſte detinent, aliqui reſtituere poſſunt, & nolunt, alii reſtituere volunt, ſed non cito, & alii reſtituere volunt cito, ſed non omnia. Qui nolunt reſtituere, dicere ſolent: *non poſſum*. Qui reſtituere volunt, ſed non cito, dicunt: *reddam*. Qui reſtituere nolunt omnia, dicunt: *nihil ultra debeo*.

Non ſic loquebatur Zachæus: cum enim ſe alterius bona retinere advertebat, non dicebat: reſtituere non poſſum, ſed ea reddebat: *Si quid aliquem defraudavi, reddo. Luc.* 19. 8. Non dicebat etiam: reddam intra ſex, vel decem annos, ſed ſtatim reddebat: *reddo*. Non tandem dicebat, ſed partem eorum quæ retinebat, redditurum, ſed omnia ablata, ac etiam plura reſtituebat: *reddo quadruplum*.

Ecce exemplar, quod omnibus alienorum bonorum detentoribus imitandum proponitur: imitandus Zachæus, ſtatura puſillus, & virtute magnus. Ut enim jam probabimus, omnes qui aliena retinent, & ea propriis dominis reddere poſſunt, tenentur ea reſtituere de facto, reſtituere cito, reſtituere totaliter. Aliena: 1. ſunt reſtituenda, 2. ſunt reſtituenda cito, 3. ſunt reſtituenda totaliter.

## TERTIA PARS.

*Aliena ſunt reſtituenda.*

AUrum & argentum, quæ David *ſimulachra gentium* nuncupat, ſunt idola, quæ plerique adorant. Et ſicut olim Gentiles, deos ſtricte ligabant, quos vi, vel fraude ab hoſtibus eripuerant, ne forte avolarent, vel a propriis dominis iterum auferrentur; ita & qui aliena rapuerunt, ea concupiſcentiæ ſuæ vinculis ſibi alligant, tantoque affectu illa detinent, ut vix inveniatur qui aliena reſtituat. At, velint, nolint, reſtituendum eſt; quia Deus, natura, ſancti Patres, omneſque penitus Catholici Doctores clamant, omnem qui aliena detinet, ad ea reddenda teneri, niſi impoſſibilitas reddendi excuſet: nec enim alia haberi poteſt ratio non reſtituendi, quam defectus poteſtatis.

Tempore Divi Auguſtini, peccatores nonnulli peccata ſibi remitti poſſe arbitrabantur, licet aliena non reſtituerent, qua de re Auguſtino cum ſcripſiſſet Macedonius; reſpondit Hypponenſis Præſul, totamque litem terminavit præclaris his verbis, quæ in ſacro Canone referuntur, quæ in Theologiæ ſcholis tanquam dogma infallibile recipiuntur, & quæ in cathedris toties a Concionatoribus geminantur. Reſpondit, inquam: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, pœnitentia non agitur, ſed fingitur: ſi autem veraciter agatur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Sanctus Auguſtinus Epiſt. 54. ad Maced.* Fateris, o peccator, te ad pinguem fortunam injuſto lucro perveniſſe; te grave damnum proximo, vi, fraude, conſilio, vel auxilio intuliſſe: aliena a pluribus annis detinere, & quia ſtimulat conſcientia, vel quia tremenda Dei judicia pertimeſcis, coram Confeſſario in ſacra exomologeſi dicis, Peccavi, defraudavi, injuſte egi, facti me pœnitet. Hæc quidem bona & laudanda ſunt, modo ablata reſtituas; nam ſi reſtituere recuſes, hæc tua pœnitentia non vera, ſed ficta eſt: potiuſque eſt phantaſma, & larva pœnitentiæ, quam vera pœnitentia; quia *ſi res aliena, cum reddi poſſit, non redditur, pœnitentia non agitur, ſed fingitur*. Velim ſingulis diebus ſacroſancto Miſſæ ſacrificio decenter interſis, diebus ſabbati & veneris jejunes, carnem diro cilicio domes, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum frequenter recipias, largas eleemoſynas in ſinu pauperum abſcondas, coram Confeſſario pectus tundas, torrentem lacrymarum fundas, ac in confeſſione omnia & ſingula tua peccata fideliter aperias; ſi aliena reſtituere poſſis, & non reſtituas, hæc omnia parum tibi proderunt, nec peccata tua delebunt, quia *non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*.

Qui proximi bona abſtulit, duplici obligatione conſtrictus remanet: *una*, reſpectu Dei, cui ſatisfacere tenetur ob injuriam majeſtati ejus irrogatam: *alia*, reſpectu proximi, cui ſatisfacere debet, ob bona quæ ab eo ſuſtulit, & damna quæ ei intulit. Sed duæ hæ obligationes tanto junguntur fœdere, ut Deo ſatisfieri nequeat, quin & proximo ſatisfiat. *V*is placare Deum adverſus te iratum ob furta, uſuras, iniquos contractus, fraudes & dolos, quibus proximum in bonis ſuis læſiſti? fac prius ſatis proximo ob damna ei illata, quia numquam Deus injuriam ſibi factam condonabit, ſi damna proximo illata non reſarcias; nunquam peccata dimittet, niſi inique ablata reſtituas. Abſolutionem dare poteſt Sacerdos ignarus; ſed non abſolveris: dicere poteſt. *Ego te abſolvo*: ſed abſolutionem non recipies, nec remittentur peccata, quia a Deo *non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*.

Fateberis, quod ſi in domo tua haberes concubinam, abſolvi non poſſes, niſi prius eam dimiſiſſes, & ſi daretur tibi antea abſolutio, vana & inutilis eſſet, adderesque peccatum peccato: eodem modo, inquit Doctor Subtilis, ratiocinandum de eo qui aliena detinet; ſi enim ea reſtituere poſſit, & non reſtituat, abſolutio ei data, nulla eſt, ac novo peccato animam ſuam fœdat. ( Sicut tenens adulteram, non eſt capax pœnitentiæ, ſed irriſor; & ſi talis veniat ad pœnitentiam, addit peccatum peccato: ita detinens alienum & voluntate & facto, dum talis eſt, non eſt capax alicujus partis pœnitentiæ. *Scotus 4. diſt. 15. quæſt. 1.* ) Videmus nonnumquam mercatores, qui habent pondus & pondus, menſuram & menſuram: Tabelliones, qui teſtamenta, aliaque publica inſtrumenta abſcondunt. Patres-familias, qui domeſticorum & operariorum mercedem retinent, & tamen frequenter ad Pœnitentiæ Tribunal accedunt, O quales confeſſiones, vel potius, o

ſa-

Digitized by Google

ſacrilegia! non enim a peccatis abſolvuntur, ſed in nova incidunt, illi enim ſunt abſolutionis incapaces, quia non *remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Tanta, tamque ſtricta eſt hæc obligatio reſtituendi aliena, ut aſſerant Auctores cum Doctore Angelico, omnem qui aliena retinet, & ea reddere poteſt, ad eorum reſtitutionem teneri, & neceſſitate præcepti, & neceſſitate medii. *Neceſſitate quidem præcepti*, non ſolum quia dixit Chriſtus, ſua cuique reddenda: *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*; ſed etiam quia eodem præcepto, quo prohibuit ne aliena furemur, *non furaberis*, præcepit & aliena reſtituere, iniqua enim rei alienæ detentio, eſt quaſi continuatio furti. *Neceſſitate etiam medii*, quia reſtitutio rei alienæ eſt medium abſolute neceſſarium ad ſalutem, ita ut ſalvari nequeat quicumque aliena reſtituere poteſt, niſi ea reſtituat: *Cum conſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, conſequens eſt, quod reſtituere id quod injuſte ablatum eſt, ſit de neceſſitate ſalutis. D. Thom. 2. 2. quæſt. 62. artic. 2.* Ita loquitur, ita concludit, ita ratiocinatur Doctor Angelicus, & cum ipſo omnes alii Doctores. Quod intelligunt, non ſolum de iis qui aliena rapuerunt, ſed etiam de iis qui ad damnum proximo inferendum cooperati ſunt, qui nunquam ſalvabuntur, nec in regnum cælorum intrabunt, niſi reſtituerint, ſi reſtituere poſſint.

Aſſerit Chriſtus, quod *non omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Matth. 7. 2.* quare non intrabit hic in regnum cælorum? Multæ haud dubie adduci poſſent rationes, ſed ſpecialem, ac propoſito noſtro congruam adducit Sanctus Vincentius Ferrerius, dicens, quod ut quis intret in regnum cælorum, non ſolum bis, ſed ter dicere debeat, Domine, 1. *in corde* per contritionem, 2. *in ore* per confeſſionem, 3. *in opere* per ſatisfactionem: quicumque enim aliena injuſte detinet, licet de peccatis doleat, ac ea confiteatur, non ſalvabitur niſi proximo ſatisfaciat. *Sanctus Vincentius ſerm. 3. poſt Dom. 4. poſt Trinit.* O avare, quando audis Concionatorem in pulpito tonantem, ac de tremendo Dei Judicio, vel de pœnarum æternitate fortiter diſſerentem, pœnitet te peccaſſe, & de perpetratis peccatis doles: ecce primum *Domine*. Quando adveniunt Feſta Paſchalia, vel publicatur Jubilæus, peccata tua confiteris: ecce ſecundum *Domine*. Sed ſi ſalvari velis, oportet dicere tertium *Domine*, ſcilicet *ſatisfaciens*, inquit Sanctus Vincentius; oportet proximo, cujus bona detines, ſatisfacere, ſi poſſis; aliter nunquam in cælum intrabis.

Poſtulat a Deo Propheta, qui futuri ſint regni cæleſtis incolæ, quique æterna requie ſint gaviſuri: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Quæſtionem ſolvit ipſemet, dicens: *qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam. Pſ. 14.* Duo inquit, requiruntur, ut in regnum cælorum ingredi poſſit. Primum, ut cujuſvis peccati macula ſit immunis: *qui ingreditur ſine macula.* Secundum, ut operetur juſtitiam, reſtituendo cuique quæ ejus ſunt. Cum enim quis aliena rapit, vel inique detinet, evidentem operatur injuſtitiam: quare ut ſalvetur, non ſolum conſcientiam ſuam ab omnibus peccatis mundare, verum & juſtitiam operari debet, aliena reſtituendo: *qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam.*

Eandem quæſtionem alibi agitat, & ſolvit Regius Vates: poſtquam enim petit, quis in regnum cælorum ſit ingreſſurus: *quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* Reſpondet protinus, *innocens manibus, & mundo corde. Pſ. 23.* Quaſi dicat, ut quis in cælum aſcendat, non ſolum cor & conſcientiam ab omni ſcelere mundare tenetur, ſed manus ſuas etiam innoxias habeat neceſſe eſt: ita ut aut aliena non rapuerit, aut ea reſtituerit: *innocens manibus, & mundo corde.* O N. in conſcientia tua latet peccatum grave? in cælum ingredi nequis: aliena detines, quæ reſtituere poſſes, ſi velles? in cælum etiam ingredi non potes. Quia ad obtinendum regnum cælorum, abſolute requiritur, non ſolum quod e corde tuo omnia tollis peccata, ſed etiam quod aliena reſtituas, ſi reſtituere poſſis.

Hoc ſciunt, qui aliena detinent; ſed imaginantur, quod ad reſtitutionem non teneantur, id ſibi ſuadere conantur uſurarii, qui dicunt, lucra uſuraria, quibus arcæ redundant, eſſe ſui juris, id ſibi ſuadent Domini temporales, qui ruſticorum prædia iniquis vexationibus uſurpant, id credunt, vel credere fingunt Cauſidici, qui ut injuſtas clientum cauſas defendant, pecuniam, aut munera accipiunt; id ſuadent ſibi tutores, & curatores, qui minorum & pupillorum bona diripiunt; quicunque tandem aliena retinent, rationes fingunt, quibus ſe ad aliena reſtituenda non teneri ſibi ſuadeant: hoc & illis perſuadere conatur ſatanas. Sed nemo ſe ſeducat: nemo ſibi inique & erronee blandiatur, quiſque ſerio diſcutiat, an ad alicujus rei reſtitutionem teneatur. Doctorum & piorum conſilium quiſque poſtulet, quo habito, aliena generoſe reſtituat, ut ſalvetur: non enim in regnum cælorum introibit qui aliena non reſtituerit.

Videte, quomodo ſe geſſerit Tobias, qui audiens vocem hædi balantis in domo, dixit: *Videte, ne forte furtivus ſit: reddite eum dominis ſuis: quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Tob. 2. 21.* O virum mirabilem, qui nec hædum in domo ſua balare paſſus eſt, quin prius probaſſet, an eſſet ex furto: *nolebat ſonum furti audire in domo. S. Auguſt.* Probate ſimiliter, an bos qui mugit in prato; ſus qui grunnit in ſtabulo, & volatilia quæ garriunt in domo, ſint furto comparata. Probate, an pannus quo operti eſtis, pecunia quam in arca habetis, hortus, vinea, villa, & alia quæ poſſidetis, furtiva ſint. Si quidem autem furto raptum, vel inique detentum inveneritis, *reddite dominis ſuis*; reddite, ut ſalvemini; nunquam enim ſalvabitur qui aliena non reſtituit, ſi ea reſtituere poſſit. Redde ergo, o avare, redde hanc domum, hunc agrum, hanc pecuniam; & alia quæ viis iniquis acquiſiviſti: redde ea; alioquin nulla tibi ſupereſt ſpes ſalutis. *Sed aliena ſunt etiam reſtituenda cito.*

## SECUNDA PARS.

*Aliena ſunt reſtituenda cito.*

IMprudentes cenſentur in ſæculo, qui cum debita ſolvere facile poſſint, ea ſolvere negligunt, & differunt, quouſque a creditoribus obruantur. Sed imprudentiores haud dubie apud Deum Chriſtiani; qui cum aliena reddere poſſint, eorum reſtitutionem in futurum facere dimittunt; quia eſt periculum in mora. Eſt enim periculum, ne reſtituendi voluntas mutetur; eſt periculum, ne gratia reſtituendi a Deo non detur; & eſt periculum, ne ſine ratione dilata reſtitutio, aut nunquam fiat, aut male fiat.

At licet hiſce non exponerentur periculis, qui aliena reſtituere differunt; ad prompte reſtituendum moveri deberent ipſomet reſtitutionis præcepto, quod negativum eſt, contentum in his verbis: *non furaberis*: *D. Thom. ubi ſupra* 8. ac proinde ( ſicut accipere rem alienam eſt peccatum contra juſtitiam; ita & detinere eam: quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam, *invito domino*, privat eum uſu & diſpoſitione rei ſuæ; & ſic facit ei injuriam. ) Peccas ergo cum aliena reſtituere tardas, *invito domino*. Dico, *invito domino*: quia ſi non ſit invitus, ſed voluntarie & libere conſentiat, ut debita non ſibi ſolvantur, tunc non peccas: *volenti enim & conſentienti non fit injuria*. Sed ſi dominus ſit invitus, & rationabiliter invitus: ſeu ſi rem illius reddere moreris, eo rationabiliter invito, & nolente, peccas, & damna ei ob talem dilationem cauſata reſarcire teneris. Dico *eo rationabiliter invito, & nolente*; quia aliquando, invito domino, licet rem ejus detinere; quando ſcilicet, ille eſt irrationabiliter invitus, ſeu quando rationabiliter velle debet, eam detineri. Debeo v. g. decem nummos homini prædiviti, quos aut ſolvere mihi eſt impoſſibile, aut ſi ſolvam, fame peribo; tunc ille rationabiliter velle debet, ut ſolutionem differam, & ſi ille in hoc, & ſimilibus caſibus me eam differre nollet, eſſet irrationabiliter nolens & invitus: quare tunc invito domino, ſeu, eo irrationabiliter nolente, poſſum tuta conſcientia, ſolutionem in futurum differre. Exceptis autem his caſibus, reſtitutionem differre non licet.

Hæc eſt doctrina ſubtiliſſimi Doctoris Joannis Duns Scoti, qui ait, quod ( non licet aliquo tempore detinere alienum invito domino, id eſt nolente, & ſecundum rectam rationem nolle debente, & per conſequens, regulariter reſtitutio eſt ſtatim facienda, ſicut ſtatim ceſſandum eſt ab actu cujuſcumque peccati mortalis. *ubi ſup.*) Hæc eſt etiam doctrina D. Thomæ, & aliorum Doctorum, fundata in hoc principio, quod ſcilicet præceptum de reſtitutione eſt negativum contentum ſub hoc præcepto: *non furaberis*. Ac proinde ſicut nullo tempore licet rem alienam, rationabiliter invito domino, furari: ita nec ullo tempore, domino rationabiliter invito, eam detinere licet. Sed ſtatim eſt reſtituenda.

Hæc eſt differentia inter præcepta affirmativa & negativa; quod affirmativa obligent ſemper, ſed non pro ſemper; negativa vero obligent ſemper & pro ſemper. Filius v. g. ſemper parentes venerari tenetur, quia præcepto honorandi parentes ſemper ligatur; ſed illud præceptum non eum obligat pro ſemper; quia cum præceptum honorandi parentes ſit affirmativum, non obligat filios ad honorandum parentes pro ſemper, ſeu, ad eos ſemper & ſingulis momentis honorandos. At aliter diſſerendum de præceptis negativis, ut enim dicunt omnes Theologi, ea obligant ſemper & pro ſemper: quia ſemper & pro ſemper, ſeu ſingulis momentis ad ea ſervanda tenemur; & ſic v. g. ſingulis momentis teneor ad non furandum, non mœchandum, non occidendum; quia hæc ſunt præcepta negativa. Quare cum præceptum reſtituendi, ſeu non detinendi aliena, rationabiliter invito domino, ſit negativum, obligat ſemper & pro ſemper, ita ut ſingulis momentis quiſque ad aliena reſtituenda teneatur, nec poſſit ſine peccato reſtitutionem, invito domino, differre, ſi reſtituere poſſit.

Prohibet Deus, ne quis mercedem mercenariis ſolvere differat: *Non morabitur opus mercenarii apud te uſque mane. Levit.* 19. 13. Ex quo infert Doctor Angelicus, ergo neque in aliis reſtitutionibus faciendis poteſt fieri dilatio: *ſed ſtatim reſtituere oportet. D. Thom. ibid.* Non differenda eſt reſtitutio uſque ad mortem, vel uſque ad ſenectutem, ſed *ſtatim reſtituere oportet*: Et Confeſſarii pœnitentes ſuos ad ſtatim reſtituendum compellere debent, ſi ſtatim reſtituere poſſint. Imma Cajetanus cum aliis docet, pœnitentem non eſſe abſolvendum priuſquam reipſa reſtituat, ſi in alia confeſſione abſolutus reſtituere jam ſemel neglexerit. *Tunc*, inquit, *dicenti*; *hac vice, Pater, reſtituam certe*, *reſpondere debet, credo tibi: & propterea modo in iſta bona diſpoſitione vade ad reſtituendum, & poſtea abſolveris. Cajet. in Sum. V. reſtitut. cap. 6.*

Ecce quod facere deberent omnes Confeſſarii, ut cum Cajetano docet Sanctus Antoninus. Sed ecce quod pauci faciunt, & ideo multi Confeſſarii, multique pœnitentes damnantur; *iſti*, quia non prompte reſtituerunt, *illi*, quia eos ad prompte reſtituendum non compulerunt, ſed faciliores in dandis abſolutionibus extiterunt. *Sanctus Antoninus 2. part. tit. 2.* 8. O avare, a tot annis Patri ſpirituali pollicitus es, te redditurum quæ huic viduæ; huic famulo, vel huic civitati furatus es; o hæres inique, a tot menſibus promiſiſti, te pia legata ſoluturum, ac juſtis parentum fato functorum voluntatibus ſatisfacturum; o uſurarie, a tanto tempore proteſtatus es, te damna reparaturum, quæ huic & huic familiæ intuliſti. Hoc promittunt omnes iniqui alienorum detentores, omnes dicunt, reddam, reddam, & tamen nunquam reddunt, omnes dicunt: *reddam*, & quia ſe reddituros pollicentur, nonnunquam inveniunt Confeſſarios, pluſquam par eſt, faciliores ad impertiendam abſolutionem, quo fit ut Confeſſarii cum pœnitentibus, & pœnitentes cum Confeſſariis perſæpe damnentur; quare non differenda eſt reſtitutio, ſed *ſtatim reſtituere oportet*.

O quam multi jam cremantur in inferno, qui dum in hoc mundo viverent, reſtituere diſtulerunt; & poſtea non reſtituerunt! Quam multi quotidie damnantur, quia nunquam dixerunt reddo, ſed reddam, reddam! Cum injuſtis alienorum detentoribus prædicatur obligatio reſtituendi: *Dicunt*, Reſti-

ſtituam mox ut commode potero, & nunquam tempus illud opportunum venit. *Dicunt*: Ego quidem bonis meis dum vixero, frui volo: poſt mortem vero, teſtamento meo cuique ſuum reſtituam, ac pauperibus multa diſtribuam, ſed plerumque vel teſtamentum non faciunt, vel in teſtamento de alienorum reſtitutione non curant; *Dicunt*. Reſtituere nequeo, donec pendenti liti finem fecero, vel donec filius meus nupſerit: ſed poſtquam lis terminata eſt, & nupſit filius, de reſtitutione facienda non cogitant. Quid fiet de hujuſmodi viris, qui ſemper reſtituere differunt, & nunquam reſtituunt? Hi certe ad tartara, in æternum cruciandi, trahentur: *Hi ut victima ad ſupplicium ſaginantur, ut beſtiæ ad pœnam coronantur: Minut. Felix in Oct.* Hi in ſempiternum cum avaro divite in medio flammarum clamabunt: *Crucior in hac flamma*.

Mirabiliter delineat Spiritus Sanctus, quomodo ſe gerere ſoleant, qui ab aliis pecuniam ſibi mutuo dari petunt. Primo, inquit, moleſtos ſe exhibent; ut precibus importunis eos ad mutandum alliciant: *Multi præſtiterunt moleſtiam his qui ſe adjuverunt. Eccli. 29.* Secundo, ſi iteratis precibus eos ad commodandum movere nequeant, iis adulantur, ac manus illorum oſculantur: *Donec accipiant oſculantur manus dantis*. Tertio, & preces fundendo, & manus dantium oſculando, crebro pollicentur, brevi ſe mutuata reddituros: *Et in promiſſionibus humiliant vocem ſuam*. Ecce quomodo ſe habere ſoliti ſint, qui pecuniam mutuo ſibi dari poſtulant: At longe aliter ſe gerunt, cum mutuata reddenda eſt pecunia; tunc enim qui tam firmiter ſe cito reddituros promiſerant, ſemper reſtituere differunt, a creditoribus ſuis poſtulantes tempus: *Et in tempore redditionis poſtulabit tempus*. En quomodo ſe habere ſoleant, quicumque aliena mutuo acceperunt; ſed en etiam quomodo plerumque ſe gerant quicumque aliena injuſte detinent. Ut aliena auferant, multis precibus, multis artibus, multiſque utuntur fraudibus; ſed cum reſtituendum eſt, ſemper differunt, poſtulantes tempus: *Poſtulabit tempus*. Ad reſtituendum ſollicitat eos divina gratia, & ipſi *poſtulant tempus*: ſtimulat eos conſcientia, & ipſi *poſtulant tempus*: urgent eos Confeſſarii, & ipſi *poſtulant tempus*: Accedit vidua plorans, ſuaque ſibi reſtitui petens; & ipſi *poſtulant tempus*: conqueruntur creditores, quod ſibi debita non ſolvantur, & ipſi *poſtulant tempus*: Sicque poſtulando tempus, tempus mortis venit; ac moriuntur antequam reſtituerint. Quid quæſo, fiet de his qui ſemper reſtituere diſtulerunt, poſtulantes tempus? hi certe non ſolum per aliquod tempus, ſed in æternum formidandis inferni tormentis addicentur; quare aliena reſtituere non differatis, eaque quamprimum potueritis, reddite: *Sed aliena ſunt etiam reſtituenda totaliter*.

## TERTIA PARS.

*Aliena ſunt reſtituenda totaliter.*

TAnta multorum eſt injuſtitia, ut cum ſibi omnia totaliter reddi velint, ipſi aliis non omnia, ſed aliqua tantum, & ſæpe nihil reſtituant. Hi quod ſibi fieri volunt, aliis facere renuunt. Sed ſicut quiſque omnia ſibi debita reddi vult, ita & aliis omnia reddat neceſſe eſt, juxta æquiſſimam hanc juſtitiæ, & charitatis legem: *Quod ſibi fieri vis, alteri feceris*.

Hanc obligationem, non ſolum aliqua, ſed & omnia ablata reſtituendi, docet Divus Paulus, dicens: *Reddite omnibus debita. Rom. 13. 7.* Non ait Apoſtolus, reddite aliquibus, ſed *reddite omnibus*. Non ait Doctor Gentium: reddite iis ſolummodo, quibus ſolvendis publico inſtrumento adſtricti eſtis, vel iis qui ad ſolvendum vos cogere poſſunt; ſed, *reddite omnibus*. Reddite huic famulo, & huic ancillæ, qui tanto tempore vobis fideliter inſervierunt; reddite huic opifici, cujus familia ingemiſcit, & dira patitur: reddite huic pupillo, & huic viduæ, quorum lacrymæ ad Deum clamant: reddite huic ruſtico, & huic pauperi, quibus adverſum vos litigandi nec ars, nec facultas ineſt: omnibus tandem reſtituite: *Reddite omnibus debita*. Ac ita reſtituite, ſubdit D. Paulus, ut nihil ultra cuiquam debeatis: *Nemini quidquam debeatis*.

In veteri Teſtamento hæc a Deo lex poſita erat: *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove. Exod. 22. 1.* Quo edocemur, inquit Guillelmus Pariſienſis, non ſolum rem ablatam, ſed etiam fructus ex ea perceptos eſſe reſtituendos, immo & omnia damna cauſata eſſe reparanda. Hoc, & docent omnes Theologi, inter quos ſic loquitur Doctor Subtilis; *Non ſolum tenetur quis ad reſtituendam rem ablatam, vel uſum rei, ſed etiam ad intereſſe, & fructum conceptum de re, ſi res erat fructifera. Ibidem.* Ecce quomodo aliena ſunt totaliter reſtituenda. Cum reſtituiſti rem ablatam, aliquid aliud debes, nempe fructus ex re ablata perceptos, ſi ſcilicet res ablata, erat vel vinea, vel ager, vel alia res de ſe frugifera. Cum rem ablatam & fructus perceptos reſtituiſti, aliquid aliud debes, nempe reparare damna, quæ proximo cauſaſti, ut tandem præcepto reſtituendi ſatisfacias, ita debes totaliter reſtituere, ut nihil ultra debeas: *Nemini quidquam debeatis*. Seu, ita teneris totaliter reſtituere, ut non ſolum rem ablatam, & fructus naturales, ex re ablata perceptos, reddas, ſed etiam damna cauſata reſarcias. *Dicis*, dabo aliquid illi cujus rem abſtuli, dabo illi partem rei ablatæ, curabo, ut hæredes totam rem ablatam reſtituant. Dic hæc, & alia quæ volueris: dicam tibi ſemper cum omnibus Theologis, quod ſi reſtituere poſſis, non ſolum ad rem ablatam, & fructus ejus reſtituendos tenearis, verum & ad damna reparanda. Hæc eſt reſtitutio totalis, quæ neceſſario facienda eſt.

De nonnullis loquitur Chryſoſtomus, qui reſtitutionis præcepto ſatisfeciſſe putant, ſi ex ablatis aliquid pauperibus dederint, vel in pios uſus erogarint; *Sunt enim etiam nunc qui alienis direptis, excuſatos ſe a toto crimine putant ſi aliquam partem pauperibus dederint. S. Chryſ. hom. 18. vel 86. in Matth.* O quam ſtulti, qui talia credunt! o quam ſtolidi qui hujuſmodi eleemoſynas Chriſto placere arbitrantur! placent quidem Chriſto eleemoſynæ quæ ex pro-

propriis, ſed diſplicent, quæ ex alienis ſiunt: quia, inquit Chryſoſtomus: *non vult Chriſtus rapina nutriri, ingratiſſima hæc ſibi ſunt alimenta*. Non placent Chriſto tales eleemoſynæ, quas diabolicas, & judaicas vocat idem Chryſoſtomus. *Judaica hujuſmodi eleemoſyna eſt, immo diabolica*. Quod non ſine gravi fundamento profert os illud aureum: ſicut enim Judas, morti proximus, projecit in templum triginta argenteos, quibus Chriſtum vendiderat, ut in pia opera impenderentur, ita & qui aliena abſtulerunt, inſtante morte, nonnunquam aliqua legata pauperibus & Eccleſiis faciunt, credentes ſufficienter reſtituere, ſi partem rei ablatæ in eleemoſynas fundant. Sed Chriſtus non vult rapina nutriri, ac Judaicæ ſunt hujuſmodi eleemoſynæ; quantum enim fieri poteſt, res propriis dominis ſunt reddendæ, & non ſolum pars, ſed tota res ablata cum fructibus ejus eſt reſtituenda, ac etiam damna reparanda.

*Dices*: hæc omnia reſtituere mihi eſt impoſſibile. Certe ſi hoc tibi ſit impoſſibile, ad omnia reſtituenda non teneris, quia ad impoſſibilia nemo tenetur; ſed cave, ne impoſſibile dicas, quod tibi difficile eſt. Scio, quod difficile ſit homini avaro, bonis ſe ſpoliare, quibus diu gaviſus eſt; difficile enim eſt homini in dignitate conſtituto a ſtatu & conditione ſua aliquantulum deflectere; durum eſt homini conviviis aſſueto frugalius epulari; durum eſt mulieri luxui deditæ, modeſtius indui, ſed illa non ſunt impoſſibilia, hæc fieri poſſunt & debent, ut aliena omnia quæ detines totaliter reſtituas.

*Dices*, cuique ſuum reddere optarem, ſed quid fiet de liberis, ſi omnia reſtituam, nil illis facultatum ſupererit, & in hoſpitali ſummo cum dedecore morientur. Ecce potiſſimam tentationem, & laqueum, quo diabolus conſtrictos detinet eos qui aliena rapuerunt; dicit enim eis in corde, quid fiet de primogenito tuo, quem tantis ſumptibus educaſti? Quid de ſecundo genito, qui tam ſubtili pollet ingenio? quid de hoc, & illo, qui tot tibi amoris & reverentiæ ſigna exhibent? quid de hac filia, quæ uſque ad miraculum officioſa eſt & vigilans in omnibus quæ familiæ adminiſtrationem ſpectant? o gravem tentationem! o quam multi aliena non reſtituunt! quia nimium ſolliciti ſunt quid fiet de pueris. Sed ſi ſaperent, ſollicitius quid de ſeipſis, quam quid de filiis futurum ſit recogitarent. *O infelix*, inquit Salvianus, *quid curas de filio ſuperſtite, & teipſum in æternitate negligis? cur tibi potius, quam filiis non ſuccurris? cur animam tuam perdis, ut terram & lutum filiis relinquas? cogitas, quam bene alii poſt te vivant, non cogitas, quam male ipſe moriaris, o avare: propinqua & conjunctiſſima pignora ſunt vobis filii, ſed mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo vobis conjunctior, quam vos ipſi*: Quare majori cum ſollicitudine recogitate, quid de vobis, quam quid de filiis futurum ſit: magis de vobis, quam de filiis curate.

Sed, o avare, qui ita de filiis ſollicitus es: o miſer, qui inſpirante ſpiritu tenebrarum, dicis, quid fiet de filiis meis? Vis, ut dicam tibi, quid de illis fiet, & quid facient illi? Certe ſi aliena reſtituas, te poſt mortem tuam laudabunt, dicentque, te ea feciſſe, quæ Chriſtiani hominis erant. E contra, ſi non reſtituas, tui ſolummodo recordabuntur, quaſi hominis in ſtatu peccati mortui, ac quaſi hominis reprobi & damnati. Vis adhuc ſcire quid fiet de pueris? haud dubie de iis fiet, & illi facient quod alii facere ſolent. Quid faciunt alii, quando patres eorum aliena reſtituerunt? ipſi pacifice inter ſe vivunt, & quo temporalium bonorum ſunt pauperiores, eo ſpiritualium ditiores ſunt; quando autem patres eorum aliena non reſtituerunt, ipſi epulantur quotidie ſplendide, & ſæpe diſſipant ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe: idem facient & filii tui. Vis tandem ſcire quid poſt mortem tuam de filiis fiet? Certe ſi aliena reſtituas, tuo exemplo ad pie vivendum movebuntur, & ſaluti ſuæ invigilabunt. Si autem non reſtituas, pravo tuo exemplo ad male vivendum allicientur, & ad tartara tecum detrudentur, ubi in æternum te maledictis afficient. Ibi adverſum te ora ſolvent. Ibi dicent, & millies repetent: Maledictus pater qui me genuiſti, & maledictæ opes, quæ me ad hæc tormenta demerſerunt. Quare non tam ſis ſollicitus de opibus filiis tuis relinquendis, quam de propria ſalute. Faciant illi poſt mortem tuam prout voluerint, ſed reſtitue tu omnia quæ detines, ut ſalvari valeas. *Si vis ſalvari, fac ut ſerpens: tranſi per arctum foramen reſtitutionis uſque ad ultimum obulum. S. Vincent. Dom. 7. poſt Trin. Conc. 5.* Si vis ſalvari, ita te tuis ſpolia facultatibus, ut non aliqua ſolum, ſed omnia ablata, ſimul cum fructibus reſtituas.

Non dubito, quin durum tibi ſit omnia reſtituere; ſed ut duro huic te ſubdas jugo, audi formidoloſa Spiritus Sancti verba, qui de injuſto alienorum poſſeſſore ait. *Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Job* 10. 15. O avare, alienis bonis inhias, aliena inique detines, eaque propriis dominis reſtituere renuis; ſed tandem aliquando divitias omnes quas devoraſti evomes, & de ventre tuo eas Deus extrahet.

Aurum, argentum, & omnes divitiæ inique collectæ, ſunt cibi venenoſi, quos evomet avarus, quoſque ſimul cum omnibus bonis ſuis relinquet. *Ut enim qui noxium aliquem cibum ſumpſit, una cum eo probos etiam evomit: ſic qui inique congerendis opibus ſtudet, non ſolum ipſas, ſed eas etiam quas prius jure poſſidebat, plerumque amittit. Nicetas. Orat. 5.*

Poſtquam Ferdinando II. regiones & regna, quæ Princeps Palatinus cum aliis rebellibus devoraverat, famoſiſſima Pragenſi victoria reſtituta ſunt, ab aliquo ſcite typis expreſſus, & apto cælo excuſus eſt Palatinus, omnes urbes, & Provincias quas devoraverat, ſimul cum maligno hæreſeos veneno quo toxicatæ erant, evomens. *Spondan. Tom. 3. ann. 1620.* Quod autem feciſſe Palatinum delineatur, hoc idem faciunt iniqui omnes alienorum poſſeſſores: omnia enim aliena veluti venena evomunt; eaque omnia de ventre eorum Deus extrahit. *Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.*

Dic, quæſo, o avare, quid fiet de bonis quæ tam ſollicite congregaſti? auferesne tecum aliquam eorum partem, cum morieris? nequaquam: quia *dives cum dormierit, nil ſecum auferet. Job* 27. 29.

Sed

Digitized by Google

Sed forte tecum tunc auferes pecuniam illam, quam in arca clauſam tam ſollicite ſervas? forte vineam illam quam inique poſſides? nil quidem eorum tecum auferes; ſed omnia in hoc mundo relinques: *Quæris pecuniam*, inquit Auguſtinus, *& relinquenda eſt: quæris vineam, & hic relinquenda eſt*. Quid tuliſti tecum, quando in hunc mundum veniſti? tuliſtine aurum, argentum, & amplas poſſeſſiones? non. Quid ergo tuliſti? nihil. Scito autem, quod ſicut nihil tuliſti, cum in hunc mundum veniſti; ita & nihil auferes, cum ab eo exibis: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus*. 1. *Tim.* 7. Quare cum in morte nil tecum auferre poſſis, ſed omnia ſint relinquenda & evomenda, relinque jam & reſtitue quod tunc relinquendum & reſtituendum. Si jam ea non reſtituas, tunc ea reſtitues & evomes ſummo cum dolore, & ſine fructu: fac ergo jam libere & cum fructu quod tunc neceſſario & ſine ullo fructu faciendum eſt. Cum in inferno eris, dices: o utinam credidiſſem his qui mihi reſtituere ſuadebant! utinam ante mortem reſtituiſſem hunc hortum, hanc vineam, & alia quæ injuſte detinebam! utinam omnia aliena, ſimul cum fructibus eorum propriis dominis reddidiſſem; ſed vana tunc erunt omnia hæc vota: quare ſic nunc quæ tunc feciſſe voles. Studioſe animi tui nunc latebras diſcute, ſollicite ſerutare quæ & quibus debes, ac omnia penitus reſtitue. Si autem bona temporalia in hoc mundo reſtitueris, æterna in alio impetrabis. *Amen*.

## DE MERCEDE LABORUM.

### CONCIO XV.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum*. Iſaiæ 27. 9.

PEccatores plurimos, qui de converſione cogitant, vana ſpecie rigoris, auſteritatis, & laborum deterrere ſolet ſatanas; illorum cordibus nocturnum infigere ſolitus eſt timorem, ſeu metum quemdam; atque horrorem laborum & difficultatum, quas in via virtutis eſſe ſuadet; eoque timore nocturno, converſionis illorum initia exagitat & impedit, *Primordia noſtræ converſionis primus exagitat timor; quem horror vitæ ingerit arctioris, & inſueta auſteritas diſciplinæ; is timor nocturnus. S. Bern. ſerm.* 33. *in Cant.*

Sed cum ſerio mente revolvunt peccatores, quanta ſit vitæ brevitas, quanta mortis certitudo, quam formidanda Dei judicia, quamque terribilia inferni ſupplicia, a peccatis declinare, & ad Deum converti deſiderant: ſed cum deinde (inſpirante ſpiritu tenebrarum) imaginarios qui in chriſtiana palæſtra reperiuntur, labores recogitant; deficit animus; ab incepto propoſito deflectunt, ac ad Deum converti negligunt & refugiunt; *Laborum timore deterriti mox refugiunt*. Optarem, ajunt, huic & illi parvo habitui valedicere; velle ad Deum totaliter converti, peccata omnia in meipſo deſtruere, & virtutem ſedulo ſectari; ſed *labor me terret*.

O quam multos timor ille, ne convertantur, impedit! quam multis vanus hic laborum metus eſt quaſi remora, qua a ſectanda perfectiori vita retardantur, & arcentur! Sed ut peccatores ad deſtruenda peccata, & ad generoſe ſuſcipiendum laborem qui in via virtutis reperitur, alliciam; velim, ut contemplentur magnitudinem præmiorum, quæ Deus his qui pro ipſius gloria laborant, in Paradiſo largitur, velim ut exiguitatem laborum cum magnitudine mercedis conferant, &c. *Ave*.

EOrum, qui pro mundo laborant, merces, aliquando nulla, ſæpe parva, & ſemper momentanea. Eorum merces *aliquando nulla*: quia poſt multos exanclatos labores nullum eis ſupereſt emolumentum, ſuntque ſimiles Apoſtolis, qui tota nocte laborantes nihil cœperunt. *Per totam noctem laborantes nihil cœpimus*. *Luc.* 5. 5. Eorum merces *ſæpe parva*, nil enim aſſequuntur, niſi terrenas quaſdam opes, vel honores vanos, qui nullius fere ſunt momenti, unde de illis vere dici poteſt, quod plurimum laboraverint, & parum intulerint. *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum*. *Agæi* 1. 6. Eorum tandem merces eſt ſemper tranſitoria & momentanea, quia voluptates, honores & omnia quæ iis mundus impertitur, veluti umbra, & quaſi in momento tranſeunt. *Tranſierunt omnia illa tanquam umbra*. *Sap.* 5. 9.

O quam infelices, qui Dei & ſalutis immemores, nil non faciunt, ut mundo placeant, ſed o ter quaterque beati, qui pro Deo & propria ſalute ſedulo laborant! labores enim quos pro Dei gloria capeſſimus, ficti ſunt & apparentes; parvi ſunt & exigui, tranſitorii ſunt & momentanei; labores noſtri. 1. *Apparentes ſunt*, & merces vera; 2. *Parvi ſunt*, & merces magna; 3. *Momentanei ſunt*, & merces æterna.

### PRIMA PARS.

*Labores noſtri apparentes ſunt, & merces vera.*

MOrbos, afflictiones, & labores noſtros, veros & reales eſſe, conſtat, ita tamen leves, exiles, & parvi momenti ſunt, ut apparentes, ficti, & quaſi imaginarii dici poſſint. Quod probe docet D. Auguſtinus, cum labores noſtros, quaſi ſomnia eſſe dicit: *Triſtitia noſtra quaſi ſomnium tranſit*. *Aug. in Pſal.* 48.

Quotidiana docet nos experientia, quod in ſomniis, non vera, ſed apparentia, ficta & imaginaria mentibus noſtris ſeſe offerre ſoleant. Somnias v. g. tetro carcere patrem includi, fratrem cruci affigi, amicum nuptiis intereſſe, te prandere, equitare, diſputare, prædicare, & quamdiu hæc durant ſomnia, ea quæ ſomnias veriſſima cenſes. Sed cum a ſomno excitaris, ſubrides, quia hæc omnia imaginaria ſolum; ficta, & apparentia fuiſſe invenis. Idem quodammodo dicendum de hujus vitæ laboribus, quos quidem graves, intolerabiles, & importabiles plerique cenſent, ſed ſomniant, & delirant; labores enim noſtri non graves, ſed apparentes tantum & ficti ſunt veluti ſomnia, quæ inter dormiendum errans imaginatio noſtra efformat. *Triſtitia noſtra quaſi ſomnium*. *S. Aug. ib.*

Qui ſomnia ſua enarrat, ſemper addit *quaſi*. Videbat, inquit, *quaſi* in medio fori, *quaſi* in aula regia, *quaſi* in navi validis ventis agitata, *quaſi* prandere, equitare, diſputare. *Qui ſomnium indicat, addit quaſi: quaſi dicebam, quaſi loquebar, quaſi prandebam, quaſi equitabam, quaſi diſputabam*. Sic in ſacra Scriptura cum enarratur ſomnium Danielis, additur quaſi. *Et ecce quaſi ſtatua una grandis. Dan. 2. 31.* Sic Joſeph ſomnium ſuum recenſens, adnectit quaſi. *Vidi per ſomnium quaſi Solem & Lunam, & ſtellas undecim adorare me. Geneſ. 5. 7.* Sic in libro Judicum, de ſubcinericio pane, qui in ſomnio viſus eſt, dicitur. *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volvi. Judic. 7. 13.* Semper tandem in enarratione ſomniorum addimus *quaſi*; quia quæ in ſomniis videmus, non vera, ſed omnia ficta & imaginaria ſunt: *Qui ſomnia indicat, addit quaſi, totum quaſi: quia cum evigilaverit, non invenit quod videbat. Aug. ib.* Dic pariter de hujus vitæ laboribus, quod ſint quaſi labores, quia apparentes ſolum & veluti ſomnia ſunt: *Triſtitia noſtra quaſi ſomnium*.

Hoc perfecte noverat D. Paulus, qui hujus vitæ labores veluti ſomnia, & ut labores apparentes fictoſve delineat: *Sicut egentes*, inquit, *quaſi triſtes, quaſi morientes. 2. Cor. 6.* Cum de ſeipſo, ac de his loquitur, qui relictis omnibus voluntariæ paupertatis onera propter Deum ſuſcepere, non eos pauperes vocat, ſed quaſi pauperes: *ſicut egentes*. Cum de his, quos afflictos, mœſtos, mœrore confectos cenſemus, ſermonem inſtituit, non eos afflictos, ſed quaſi afflictos nuncupat: *quaſi triſtes*. Cum de iis mentionem facit, quos pro Chriſti gloria mortem pati videmus, non illos mortem obire, ſed quaſi obire ait: *quaſi morientes*. Labores tandem omnes, quos pro Chriſti gloria in hoc mundo ſubimus, exprimit D. Paulus per hæc verba: *ſicut*, vel *quaſi*, ut doceat, omnes hujus mundi labores, eſſe ſolummodo quaſi labores, vel potius labores fictos, mentitos, apparentes, & quaſi ſomnia: *Triſtitia noſtra quaſi ſomnium*.

Sed forte me ſomniare, & delirare dicet quis, dum me hujus mundi labores apparentes, & ſomniis ſimiles aſſerentem audiet. Timerem & ego, ne ſomniatoris nomen mihi conciliarem, ni cum D. Paulo loquerer, immo, & cum viro omnium ſapientiſſimo, qui labores Martyrum, quos acerbiſſimos & intolerabiles credimus, apparentes, & quaſi imaginarios vocat. *Viſi ſunt*, inquit, *oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, illi autem ſunt in pace. Sap. 3. 2.* Quaſi dicat: homines ſtulti & inſipientes, labores Martyrum graves arbitrantur & acerbos, in quo maxime falluntur: labores enim Martyrum acerbi fuere ſolummodo apparenter, quia in mediis martyriis vera & ſecura pace fruebantur: *illi autem ſunt in pace*. Nullus, aut fictus ſolummodo eſt labor, ubi pax, & ſecura quies: quare cum Martyres in mediis ſuppliciis perfecta pace fruerentur, nulli aut ficti ſolummodo eorum labores dicendi ſunt: *Quomodo non fictus labor, ubi non labor, ſed requies invenitur? S. Bern. in ſerm.*

In ſcenicis ſpectaculis nonnumquam aliqua apparenter ſolummodo fiunt, quæ qui ſtulti ſunt, vera eſſe arbitrantur. Cum v. g. ibi fit repræſentatio Decollationis ſancti Joannis Baptiſtæ, ille qui carnificis perſonam gerit, caput amputaſſe fingit, monſtraturque ſpectanti populo truncum illud caput adhuc palpitans, ex quo purpurei ſtillant ſanguinis rivuli tanta arte, talique induſtria ut non deſint pueri, & inſipientes, qui vere hominem decollatum fuiſſe cenſeant. Eodem prorſus modo afflicti, tribulati, & laboribus confecti videntur Martyres: cum tamen labores eorum ficti ſint, & ſomniati. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori.* Heu! ſi acerbiſſimi Martyrum labores ficti & apparentes quodammodo dici queant; quid ſentiendum de laboribus noſtris? Certe longe potiori jure labores noſtri, labores ficti, mentiti, & apparentes vocandi ſunt.

Quod ut evidentius pateat, velim labores noſtros aliquantulum conferamus cum iis quæ paſſus eſt Chriſtus in hoc mundo, & cum iis quæ patiuntur animæ tum in Purgatorio, tum in Inferno. Gravia, inquis, pateris, vel ab inimicis qui te perſequuntur, vel a morbis quibus cruciaris, vel ab egeſtate qua obrueris, ſed dic, quæſo, quid hæc & alia quæ pateris, reſpectu acerbiſſimorum tormentorum, quæ Chriſtus in horto, in prætorio, & in monte Calvariæ perpeſſus eſt? quid hæc, eorum comparatione, quæ in mediis Purgatorii flammis animæ fidelium patiuntur? Sed quid hæc, intuitu pœnarum, quas in tartarea fornace æternum paſſuri ſunt damnati? quid labores noſtri, reſpectu eorum quos ibi perferunt Lucifer, dives epulo, & innumeri reprobi? Certe reſpectu eorum, labores noſtri ficti, apparentes, ac potius ſomnia, quam labores dicendi ſunt. Quare nullus deterreri debet labore, qui in via virtutis reperitur, & præcipue ſi inſpiciat mercedem quæ laboribus noſtris datur, labores enim noſtri apparentes ſunt, *& merces vera. Ubi ſupr.*

2. Hoc præclare docuit D. Auguſtinus, qui cum de laboribus noſtris ſermonem habet, eos fictos dumtaxat, & apparentes dicit: *triſtitia noſtra habet quaſi*. Sed cum deinde de mercede illa loquitur, quæ laboribus noſtris datur, non eam fictam, apparentem & ſomniatam, ſed veram & realem vocat: *gaudium noſtrum non habet quaſi*. Labores ſunt apparentes, & habent *quaſi*, merces vero non eſt apparens, ſed vera: *non habet quaſi*; alumnis & ſervis ſuis voluptates apparentes & imaginarias dæmon in hoc mundo dare ſolet, in alio vero gravibus & exquiſitis eos tormentis afficit. At Deus e contra alumnos ſuos in hoc mundo pro ipſius gloria aliquos vult pati labores, qui ita leves ſunt, ut ficti, & ſomniati videantur: *habent quaſi*, in alio vero mundo pro fictis hiſce laboribus mercede eos præmiat, non ficta & imaginaria, ſed vera & reali: *gaudium noſtrum non habet quaſi*.

Conqueruntur ex Chriſtianis multi, magnum eſſe onus ſervandi divina præcepta, nec ſine gravi labore ſervari poſſe ajunt. At ſi Regio credamus Vati, non quidem magnus hic labor, ſed fictus ſolum & apparens: *qui fingis laborem in præcepto. Pſ. 93. 20.* Hic certe labor fictus, quia Deus tanta gratia, tantaque ſuavitate intus afficit cuſtodientes legem ſuam, ut non labor, ſed jugum ſuave, & onus leve illis ſit: *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Matth. 11. 30.* Hic etiam labor eſt fictus tantum & ap-

Digitized by Google

apparens, immo & nullus reſpectu laborum, quos in alio mundo animæ perferunt. Attamen fictus licet ſit ille labor, merces quæ cuſtodientibus Dei mandata datur, non ficta, ſed vera & magna eſt: *incuſtodiendis illis retributio multa. Pſ. 18. 12.*

Quod de labore qui in cuſtodiendis Dei præceptis reperitur, dicit Propheta, hoc & de omnibus hujus mundi laboribus aſſerit S. Cyrillus Hieroſolymitanus. Perilluſtris hic Antiſtes labores noſtros cum cæleſti mercede confert, & diverſimode de iis loquitur: hujus enim ſæculi labores, non veros, ſed apparentes appellat; in iis ait non eſſe veritatem, ſed ſimilitudinem, & quamdam laborum apparentiam: *in nobis enim mortis quidem, & paſſionum quædam ſimilitudo. S. Cyrill. Catech. 2.* Cum autem de mercede loquitur, quam Deus præparavit diligentibus eum, & pro ipſius gloria laborantibus, non eam apparentem & fictam, ſed veram & realem nuncupat: *ſalutis vero non ſimilitudo, ſed veritas.*

De quo nullatenus dubitabit, qui ſciet, quæ ſit futura merces noſtra in cælo. Vis noſſe, o homo, quæ ſit illa merces? audi ipſummet Deum qui Abrahamo, & in ejus perſona cuilibet homini ait: *ego merces tua. Gen. 15. 2.* Merces noſtra Deus, cujus poſſeſſione beati erimus: merces noſtra Deus, quem poſſidebimus contemplatione & amore eſſentiæ ejus; Deus eſt merces noſtra; Deus, inquam; & non creatura aliqua; Deus, qui omnia eſt, qui omnia poteſt, & omnia poſſidet, hic eſt merces noſtra. O qualem mercedem! o mercedem veram, magnam & infinitam! *ego merces tua magna nimis.* Quare o N. non te deterreat labor, qui in deſtruendis criminibus, & in via virtutis reperitur, cum labores noſtri apparentes ſint, & merces vera. Sed non debet etiam te deterrere labor, qui in virtutis via invenitur; quia *labores noſtri parvi ſunt, & merces magna.*

## SECUNDA PARS.

*Labores noſtri parvi ſunt, & merces magna.*

1. QUi mundanis paſci ſolent deliciis, nil non durum, nil non difficile in vita chriſtiana ſe experiri dicunt. O quam durum, inquiunt, pravos habitus eradicare, ab aſſuetis vitiis abſtinere, in via mandatorum Dei currere, & in arcta virtutis ſemita incedere! quam difficile, ea facere quæ Deus jubet, ea fugere quæ natura appetit, ea pati quæ quiſque naturaliter refugit! Sed ſi de omnibus, quæ in chriſtiana palæſtra quiſque patitur, recte judicemus, omnia levia, omnia facilia; omneſque labores, quos pro Deo, & æterna felicitate obtinenda ſuſtinemus, ita parvi ſunt ut quaſi nihilum videantur. Et ideo aſſerit Propheta, Deum nos ſalvare, non pro gravibus quos perpeſſi ſumus, laboribus, ſed pro nihilo: quia labores noſtri ita parvi & exigui ſunt ut quaſi nihilum cenſeantur: *pro nihilo ſalvos facies illos. Pſ. 55. 8.*

Non me latet, in libro Apocalypſeos labores noſtros magnos vocari: ibi enim habetur, unum ex ſenioribus dilecto Chriſti Diſcipulo dixiſſe, ſanctos in cælum aſcendiſſe per magnos labores, & graves tribulationes: *hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna. Apoc. 7. 14.* Scio etiam, in ſacra Scriptura, & apud ſanctos Patres, mundi hujus labores crebro magnos vocari: ſed per hoc non fiet, quin poſſint & parvi appellari: ſunt etenim & magni & parvi. Sunt quidem magni in modo loquendi hominum; *magni* reſpectu infirmitatis noſtræ, *magni* etiam ſæpe in ſeipſis, ſed ſunt etiam parvi & exigui: *parvi* in comparatione pœnarum alterius mundi, *parvi* amantibus Chriſtum, *parvi* intuitu gloriæ cæleſtis, cujus reſpectu quaſi nihilum videntur omnes hujus ſæculi labores: *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*. Rom. 8. 18.

Non facile crederent multi, parvos, & exiguos eſſe hujus mundi labores, niſi teſtes religioſiſſimos, & incorruptos produceremus: quare ut id ſuadere valeam, teſtes adhibebo Apoſtolos, Martyres, & ſanctos Chriſti Confeſſores, quorum vita laboribus plurimis, & tribulationibus multis conferta fuit. Ad vos me converto, o ſancti Dei Apoſtoli: teſtes vos advoco: dicite, quæſo, an labores quos perpeſſi eſtis in hoc mundo, graves vel leves, magni vel parvi extiterint? Loquere, o Paule, qui inter Apoſtolos Doctoris Gentium nomen & gloriam adeptus es. Loquere tu, qui *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter fuiſti? 2. Cor. 11. 23.* dic an labores quos paſſus es, graves vel leves vocandi ſint? Eos ita leves, & parvos æſtimavit Paulus, ut ei placerent, ac gratiſſimi exiſterent: *placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus. 2. Cor. 12. 10.* Cum Paulo idem ſentiunt alii Apoſtoli, qui ita leves judicarunt labores quos experti ſunt, ut in mediis ſuppliciis corda eorum gaudio affluerent: *ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Act. 5. 41.*

Ab Apoſtolis ad Martyres pergo: dicant iſti, quid de hujus mundi laboribus ſentiant. Scimus, eos lapidatos, ſectos, flagellatos, cruci affixos, ac omnibus plexos fuiſſe ſuppliciis, quæ fremens tyrannorum malitia adinvenire valuit: quare rogemus eos, ut quid de hujus mundi laboribus opinentur, dicere annuant. Dic, quæſo, o Stephane, Martyrum antesignane: dic, an quid grave, vel leve tibi fuerit, lapidibus obrui? Certe, ut ſancta canit Eccleſia: *lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Aſſerit ſimiliter illuſtris Martyr S. Polycarpus, ſe in medio fornacis ſuave inveniſſe refrigerium: Sanctus Tiburtius ſuper ardentes prunas, veluti ſupra odoriferas roſas inceſſiſſe confeſſus eſt: ſancti Martyres Marcus & Marcellianus ſe majoribus numquam deliciis affectos fuiſſe denuntiarunt, quam cum a carnificibus cruciarentur. Dulce tandem, & ſuave fuit omnibus Martyribus, quævis pro Chriſto ſupplicia pati; quia in mediis ſuppliciis per Chriſtum, conſolatione replebantur: *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. 2. Cor. 1.*

Sed audiamus ſanctos Chriſti Confeſſores: iſti forte in vigiliis, jejuniis, & ciliciis plus laboris perſenſere, quam Martyres in mediis ignibus, gladiis, rotis, & flagellis? Nequaquam. Itidem enim leves ſanctis Confeſſoribus fuere omnes quos pertulerant labores, ut eos nec tangere viderentur: *non contriſta-*

*bit:*

*bis*; vel ut vertunt aliqui: *non tanges juſtum quidquid ei acciderit. Proverb.* 12. 21. Ecce quid Apoſtoli, quid Martyres, quid ſancti Chriſti Confeſſores de hujus mundi laboribus ſentiant; quos quidem ita leves & parvos judicarunt, ut illos quaſi nihilum reputarent; *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis*. Quare inſipientes ſane cenſendi, quos laborum timor a deſtruendis in ſe criminibus, & a virtutis via deterret; & præcipue ſi mercedem inſpiciant; labores enim parvi ſunt, *& merces magna*.

2. Infelices dici ſolent pauperes, afflicti, & omnes qui in hoc mundo perſecutionem patiuntur. At longe aliter loquitur ſuprema Veritas Chriſtus, qui hujuſmodi, non infelices, ſed feliciſſimos, & beatos vocat, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, beati qui lugent, beati qui perſecutionem patiuntur. Matt.* 5. Hac beatitudine potiebantur Apoſtoli, quibus dicebat Chriſtus: *Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me. Ibid.* Sed heu! qualis hæc beatitudo! Unde beati qui maledictis afficiuntur? Unde beati Apoſtoli cum hominum perſecutionibus ſubduntur? Beati ſunt reſpectu mercedis cæleſtis quæ eis dabitur. Si enim maledicta & perſecutiones æquo animo propter Deum in hoc mundo pertulerint, pro his laboribus qui parvi ſunt, maxima eis impendetur merces in cælo; & ideo ſubdit Chriſtus; *gaudete, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Ibid.* Parvi ſunt labores noſtri, ſed non parva merces; exigui ſunt labores, ſed merces magna; *merces veſtra copioſa eſt in cælis*.

Æternam hanc mercedem Paulus, in cælum raptus, oculo mentis cernere meruit; ſed illam verbis exponere non valuit: tanta enim eſt, ut nullus homo, quantumvis eruditus, ejus magnitudinem explanare poſſit: *non licet homini loqui*. 2. *Cor*. 12. 4. Dic, o Paule, quid ſit objectum illud beatificum, quo beantur Sancti in cælo? *non licet*. Dic, quæ & quanta ſupernæ civitatis ſunt gaudia? *non licet*. Non habet verba Paulus, quibus poſitive præclaram hanc mercedem delineet: quare de ea negative ſolum diſſerit, dicens, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*. 1. *Cor*. 2. 9. Oculi hominum vident mundi magnitudinem, Solis pulchritudinem, admirabilem elementorum harmoniam, plantarum & animalium jucundam varietatem, ac totam orbis terrarum machinam, quæ eſt ingens miraculorum naturæ theatrum; aures etiam hominum audiunt mirabilia quæ fecit Deus in Ægypto, & in mari rubro, portentoſa quæ operatus eſt, ut homines a dæmonis ſervitute redimeret, & miranda quæ per Apoſtolos & viros Apoſtolicos in variis orbis regionibus peregit: corda tandem hominum, ſecreta multa naturæ & gratiæ ſcrutantur, ac mirabilia multa concipiunt. Sed tanta eſt merces, quam dat Deus his qui pro ejus gloria in hoc mundo laborarunt, ut nec oculis videri, nec corde concipi poſſit: *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*. Ut enim ait Auguſtinus, hæc merces quocumque modo ab hominibus concipi, & explicari nequit; *deſiderari poteſt, concupiſci poteſt, ſuſpirari poteſt: tamen digne cogitari, & verbis explicari non poteſt. Aug. tract.* 4. *in Joann.* O mirabilem mercedem! cujus ut aliquam ideam det D. Auguſtinus, illam confert cum iis quæ Deus in hoc mundo dat non ſolum juſtis, ſed etiam reprobis.

*Hæc merces*, inquit Auguſtinus, *deſiderari poteſt, concupiſci poteſt: tamen digne cogitari, & verbis explicari non poteſt. Ibid.* O mirabilem mercedem! quam maximam eſſe patet, ex hoc quod quanta ſit concipere non valeamus. Sed ejus magnitudinem infert etiam Auguſtinus ex bonis, quæ hominibus juſtis, & peccatoribus Deus in hoc mundo confert.

Mundus iſte eſt veluti carcer, a quo extrahuntur reprobi, ut ducantur in infernum, ad quem ob ſcelera ſua damnati ſunt; & tamen iis, licet inimicis, licet indignis, dat Deus lucem ad videndum, odorum ſuavitates ad guſtandum, aerem ad reſpirandum, ſonorum varios concentus ad audiendum, terræ animantia, volucres cæli, piſces maris, & arborum fructus ad reficiendum, fontes ad refrigerandum, ſimplicia & herbas ad curandas infirmitates, flores ad recreandum viſum; & ut loquitur S. Auguſtinus, *ſingula ſolatia, ſingulis malis obviantia præparavit. Auguſt. in Solil.* Ex quo præclare infert Auguſtinus, magnam eſſe debere mercedem quam electis dat in cælo, cum tanta ſint bona quæ reprobis impertit in hoc mundo; *Quid dabit iis quos prædeſtinavit ad vitam, qui hæc dedit & iis quos prædeſtinavit ad mortem? Aug. lib.* 22. *de Civ. c.* 24. Et ut alibi recte concludit: *ſi tam magna & innumera beneficia præſtat a cælo, & terra, & aere, & mari, & luce, & tenebris, ut allevet faſtidium noſtrum; qualia, quæſo, & quam magna erunt illa bona quæ præparavit diligentibus eum? Aug. in Solil.* Certe tanta erunt, ut explicari & concipi nequeant: *illud digne cogitari, & verbis explicari non poteſt*.

Aliquid cæleſtis hujus beatitudinis in hoc mundo nonnulli ex Sanctis prægustaſſe videntur. Hanc prægustabat Xaverius, cum cæleſtium gaudiorum abundantia ſuperfuſus clamabat: *ſatis eſt, Domine*. Hanc prælibabat Thereſia, cum in divinorum myſteriorum contemplatione cor ejus ſuccendebatur, & in mentis exceſſum rapta, omnia terrena veluti examen apum arbitrabatur: *omnia mihi examen apum eſſe videbantur*. Hanc etiam ſæpe prægustavit Pater Seraphicus, cum Angelorum concentum audire, & extra ſe rapi meruit. Sed quid hæc omnia reſpectu cæleſtis beatitudinis qua fruuntur Sancti in cælo? Si una ſtilla Sanctos adimplevit in hoc mundo; quid fiet, quando torrente voluptatis potabuntur in cælo: *torrente voluptatis tuæ potabis eos? Pſ.* 35. 9. Si extra ſe rapti ſunt Sancti in hoc mundo, cum unicam ſpiritualium deliciarum guttulam deguſtarunt; quid fiet in cælo, cum inebriabuntur ab ubertate domus Dei; *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ? Ibid.* Si tandem tam inſolitas invenere voluptates in hac lacrymarum valle; quales debent eſſe deliciæ regni illius pacifici, in quo omnia bona? quanta ibi pax? quantum gaudium? quanta merces? Tanta utique hæc omnia in cælo ſunt, ut a nobis explicari nequeant: *illud digne cogitari, & verbis explicari non poteſt*. Quare, o peccator, cum labores noſtri parvi ſint, & merces magna, non te deterrere debet labor, qui in vita chriſtiana invenitur; ſed non debet etiam te deterrere, quia *labores noſtri momentanei ſunt, & merces æterna*.

TER-

## TERTIA PARS.

*Labores noſtri momentanei ſunt, & merces æterna.*

TAnta eſt damnatorum infelicitas, ut ſupplicia omnia quæ in inferno patiuntur, æterna ſint: ibi patiuntur famem æternam, ſitim æternam, & ignem æternum: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Matth.* 25. 41. Sed labores & mala quæ in hoc mundo ſuſtinemus, alterius ſunt naturæ & qualitatis; quia non in perpetuum durant, & citò tranſeunt; *præſentia mala ſine dubio tranſitoria ſunt. D. Aug.* Velim, ut per totum vitæ tuæ tempus patiaris facultatum jacturam, infirmitates corporis, famæ diſpendium, patriæ exilium, perſecutionem inimicorum, parentum deriſionem, immo & ipſiuſmet quoque Dei contradictionem: hæc omnia tranſeunt, ac ita cito tranſeunt, ut unico momento durare videantur. Quia de hujus vitæ laboribus, ſicut de deliciis loquendum eſt; momentaneæ autem ſunt hujus vitæ voluptates: *momentaneum quod delectat*, inquit S. Auguſtinus: quare & momentanei etiam dici debent omnes labores, quos in hoc mundo ſubimus.

Ut Chriſtum tentaret ſatanas, duxit illum in montem excelſum; & inde, ut refert S. Lucas, *oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis. Luc.* 6. 6. Quomodo oſtendit Chriſto omnia mundi regna *in momento temporis?* Videbatur, unum ſaltem requiri momentum ad oſtendenda ei regna quæ in orientali plaga ſunt: aliud momentum ad oſtendenda, ea quæ ſunt ex parte Occidentis; aliud, ut oſtenderet ea quæ ex parte Meridiei; & aliud, ut oſtenderet ea quæ ex parte Septemtrionis: quomodo ergo ait Evangeliſta, dæmonem oſtendiſſe Chriſto omnia mundi regna *in momento temporis?* Myſterium aperit S. Ambroſius, dicens, dæmonem Chriſto omnia mundi regna in momento oſtendiſſe; quia *in momento cuncta prætereunt. Ambr. 4. in Luc.* Quare non diuturnos cenſeas labores quos pateris, momentanei enim ſunt, & non ſecus ac alia *in momento prætereunt.*

Quod ut clarius & evidentius pateat: dic, rogo, quid nomine laboris, & tribulationis tuæ vocas? Non aliud nomine laboris tui vocare potes, quam vel quod alias paſſus es, vel quod nunc pateris, vel quod in futuro paſſurus es. Labores autem tui dici nequeunt, quæ olim paſſus es; quia labores hi jam non ſunt, & ut ait Seneca, *quæ retro ſunt, mors tenet.* Non etiam labores tui dici poſſunt, quæ impoſterum te paſſurum arbitraris; quia nondum illa pateris, nec forte illa unquam patieris: quare ſupereſt, ut labores appelles tuos, eos ſolummodo, quos nunc, ſeu in tempore præſenti pateris; præſens autem tempus eſt ſolum momentaneum: *præſens tempus non dicitur longum, quia caret ſpatio, & in puncto præterit. Aug. 2. Confeſſ. c.* 28. Et ideo labores tui non diuturni, ſed momentanei dicendi ſunt. Quod præcipue verum comprobatur, ſi labores tuos cum æternitate conferas; omne enim tempus eſt quaſi momentum, & omnia quæ patimur ſunt momentanea reſpectu æternitatis. Et ideo labores noſtros, non annuos, non biduos vel triduos, ſed momentaneos vocat Princeps Apoſtolorum, dicens, *modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus. 1. Petr.* 1. 6. Non ait, labores noſtros pluribus diebus, vel pluribus menſibus durare; ſed *modicum nunc*, ſeu uno momento.

Hoc & alius aſſerit Apoſtolus, nempe Doctor Gentium, qui labores & tribulationes noſtras, non diuturnas, ſed momentaneas vocat: *momentaneum & leve tribulationis noſtræ. 2. Cor.* 4. 17. Eodem modo de laboribus noſtris loquitur Paulus, quo Geographi de terra loqui ſolent. Scimus, terram hanc quam pedibus calcamus, tantæ molis eſſe, ut ſupra ſeptem leucarum millia circuitus ejus protendatur; Geographi tamen dicere ſolent, totum terrarum orbem, reſpectu cæli, eſſe quaſi punctum. Eodem prorſus modo D. Paulus, hujus mundi labores, quantumvis diuturnos, reſpectu æternitatis momentaneos vocat: *momentaneum & leve tribulationis.* Audimus aliquos dicentes, ſe a pluribus annis podagra febri, vel aliquo morbo laborare: *momentaneum.* Dicunt alii diuturnam ſe ab inimicis perſecutionem paſſos: *momentaneum.* Narrant alii quadam cum animi ſui oblectatione, varias tribulationes, quas a multo tempore pertulerunt: *momentaneum.* Omnes tandem labores noſtri momentanei ſunt: quare, o peccator, non te deterreant labores, qui in momento tranſeunt. Certe te terrere non debent, & præcipue ſi inſpicias mercedem: labores enim momentanei, & *merces æterna.*

2. *Momentaneum*, inquit D. Paulus, *& leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor.* 4. 17. Pro momentaneo labore, non momentanea ſolum impenditur merces, ſed æterna. *Momentaneum*, ecce laborem: *æternum*, ecce mercedem. *Momentaneum*, ecce quod pateris: *æternum*, ecce quomodo præmiaberis. *Momentaneum*, ecce diuturniores hujus vitæ labores: *æternum*, ecce breviorem & compendioſiorem cæli mercedem. Sic præfata D. Pauli verba explanat Hugo Cardinalis, dicens, momentaneas eſſe omnes hujus mundi tribulationes, mercedem vero quam ſperamus, eſſe æternam: *tribulatio modica & momentanea, remuneratio magna & æterna.*

Hortatur nos Vates Regius, ut labores, quibus, Deo volente, in hoc mundo affligimur, æquo animo ſuſtineamus: *confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Pſal.* 26. 14. Cur affligentem nos Dominum ſuſtinere debemus? Eum ſuſtinere debemus, tum quia bonus, tum quia juſtus, tum quia plura & majora pro nobis paſſus eſt; tum quia ob peccata noſtra gravioribus digni ſumus ſuppliciis: ſed eum ſpecialiter ſuſtinere debemus, ait Auguſtinus, quia ſi ex Dei ordinatione ad momentum in hoc mundo affligimur, pro momentaneis hiſce laboribus, quos pro Dei gloria ſuſtinebimus, æterna mercede præmiabimur. *Ad tempus laboras, in æternum non laborabis; brevis eſt moleſtia tua, æterna erit beatitudo tua: ad modicum doles, ſine fine gaudebis. Aug. in Pſalm.* 26. Ecce momentaneum laborem, & ecce mercedem æternam.

Hoc præclare nos docuit Iſaias, ſeu potius Deus per Iſaiam, dicens: *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper a te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Iſai.* 54. 8. Tribulationes noſtræ limitatæ ſunt, *in momento indignatio-*

tio-

*tionis:* gloria vero erit ſine termine, *& in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui*. Afflictiones noſtræ finem habent, *in momento indignationis*; cæleſtis vero felicitas fine caret, *& in miſericordiis ſempiternis*. Labores tandem noſtri ſunt momentanei, *in momento indignationis:* merces vero eſt ſempiterna, *& in miſericordiis ſempiternis*. O quam tranſitorii labores noſtri, qui momentanei ſunt! O quam diuturna merces, quæ perpetua eſt!

Gloriam & mercedem cæleſtem in tribulatione latere ait Doctor Mellifluus: *latet gloria, fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione. S. Bern. ſerm. in Pſalm. Qui habitat.* Cum quis febri laborat, peſtifera lue affligitur, paupertate premitur, a tyrannis dire excipitur, vel alia aliqua pro Dei amore patitur, nihil glorioſum in eo cernunt oculi noſtri: latet tamen aliqua gloria ſub his tribulationibus, ſi patienter propter Deum perferantur: *latet gloria, fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione.* Quæ eſt illa gloria, quæ in tribulatione latet? *in momentaneo hoc*, ſubdit Bernardus, *latet æternitas:* in tribulatione quæ momentanea eſt, æterna latet gloria: in momentaneo labore ſempiterna abſconditur merces: quia qui momentaneos hujus mundi labores æquanimiter propter Deum patitur, æternam mercedem in cælo percipiet. O qualem conſolationem! & quis labores qui in virtutis via occurrunt, perferre renuet, ſi æternam hanc mercedem inſpiciat, & ſerio perpendat?

Hac conſolatione Arcadium nobilem virum, in exilium proſcriptum, Sanctus Antonius Conſtantienſis Epiſcopus ad æquo animo exilii gravitatem perferendam incendebat, dicens: o Arcadi, *quantum tempus eſt, quo pugnaturus es? & quantum tempus erit, quo in æternum victurus eris? S. Ant. Epiſt. ad Arcad.* quaſi dicat: Tempus quo exilium paſſurus es, breve eſt, tranſitorium eſt, momentaneum eſt: regnum autem, & merces quam percepturus es, non momentanea, ſed æterna erit. O potentiſſimum ad perferendos hilariter quoslibet hujus vitæ labores motivum! hoc, quæſo, motivo accendantur corda veſtra ad ſtrenue ſubeundos omnes labores, qui in vita chriſtiana ſeſe offerunt. Durum tibi, o peccator, hoc & illud agere, ut ad Deum vere convertaris, & ut chriſtiane vivas; ſed ut quidquid durum & laborioſum in virtutis ſemita occurrit, generoſe ſuſcipias, memento, quod labores qui in via virtutis inveniuntur, apparentes ſunt, & merces vera; parvi ſunt, & merces magna; momentanei ſunt, & merces æterna.

Cum S. Symphorianus ad martyrium duceretur, ſequebatur eum piiſſima Mater: & ut ad generoſe perferendos martyrii labores illum accenderet, clamabat: *Nate, nate, memento vitæ æternæ.* O peccatores, tædet vos chriſtiane vivere, ad Deum converti, & virtutis viam ſectari pertimeſcitis, quia terret vos labor, qui in chriſtiana vita reperitur; ſed paratam vobis inſpicite mercedem. Mementote, quod pro labore apparente mercedem veram, pro parvo labore mercedem magnam, & pro momentaneo labore mercedem accepturi eſtis æternam. Suſcipite ergo apparentes, parvos, & momentaneos labores, qui in virtutis via occurrunt: & mercedem veram, magnam, & æternam percipietis in cælo. *Amen.*

# DE DEI VOLUNTATE

## CIRCA HOMINUM SALUTEM.

## CONCIO XVI.

*Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum.*
Iſaiæ 27. 9.

SI quis unquam in Doctorum hominum conſpectu vere non parva dicturus, merito extimuit, ea mihi hodie conditio, ut niſi rei, loci, temporis, meæque imbecillitatis ſim oblitus, non ſolum timere oporteat; ſed diffidere etiam, ne hunc locum ornatiſſimum temere videar occupaſſe, meque muneri multo majori, quam meæ ferant vires, obtuliſſe. Altiſſimam enim, & generalem Dei voluntatem circa omnium ſalutem explanaturus, & probaturus huc conſcendi: cujus rei explicatio ſanctorum Patrum, Doctorum omnium, ac ſubtiliſſimorum quorumlibet Theologorum varie torſit animos: & cujus elucidatio non tam hominis, quam ſupremi Numinis opus eſſe videtur. Quare merito temerarius, cujuſque conſpectui videri poſſem; niſi neceſſitas, cui ne Deus quidem immortalis repugnat, me tam arduam provinciam adire coegiſſet: & niſi impii ad hanc materiam pertractandam aliquo modo compuliſſent. Cum enim impium aliquem ad deſtruenda peccata hortamur, renuit ille, dicens: Tot perpetravi crimina, ut nulla mihi ſit ſpes ſalutis: a Deo jam deſtitutus ſum: Deus meæ oblitus eſt ſalutis, de ea non curat; ac proinde inutile eſſet, quod innumerabilium, & graviſſimorum peccatorum meorum deſtructionem jam ſuſciperem. Obmuteſce, o peccator, ne ultra adverſus immenſam Dei bonitatem blaſphemes; ſed vires & animum reſume, accinge te operi, ac tuorum deſtructionem ſcelerum generoſe ſuſcipe; quia, ut jam probabimus, tuam & omnium penitus hominum Deus vere vult ſalutem, &c. *Ave.*

NON eſt aliquis peccator ita excæcatus, & obduratus, a quo ſi petatur, an ſalvari velit? qui non reſpondeat: *volo*. Sua deſtruere ſcelera negligit impius, in iis perſeverare vult, de pœnitentia facienda non curat: & tamen quærenti an velit ſalvus fieri; reſpondet: *volo*. Sed dic, quæſo, impie, quomodo ſalvari cupias? Viſne hoc ſincere vel ficte, ardenter vel negligenter, efficaciter vel inefficaciter? Salvari vis, inquis: dic quomodo? Viſne ſalvari ſincere? heu! ſalutem tuam non vere vis, ſed velle fingis. Viſne ardenter ſalvari? heu! quidquid agis, negligenter agis. Viſne ſalvari efficaciter? heu! quam pauca facis, & perfecte operaris pro ſalute tua!

O peccator, ſi recte de teipſo judices, vis ſimul & non vis ſalvari: hoc vis voluntate ficta, & non vis voluntate vera: hoc vis voluntate remiſſa, & non vis voluntate ardente: hoc vis voluntate inefficaci, & non vis voluntate efficaci. Non ſic autem Deus, non ſic; vult enim ille ſincere, quod tu ficte & in ſpeciem; vult ille ardenter, quod tu ſegniter & negligenter; vult ille efficaciter, quod tu inefficaciter & oſcitanter. Ut enim jam videbimus, omnium penitus ho-

**hominum Deus ſalutem vult: 1. Voluntate ſincera: 2. Voluntate ardente: 3. Voluntate efficaci.**

## PRIMA PARS.

*Deus vult omnium ſalutem voluntate ſincera.*

DEus non vocatur Pater ultionum, & judiciorum; ſed *Pater miſericordiarum*. 2. *Cor.* 1. 3. Quia licet non minus juſtus ſit, quam miſericors: omnibus tamen hominibus in hac mundo viventibus, miſericordiæ ſuæ viſcera aperit: tantaque ejus in illos eſt bonitas, & miſericordia, ut omnes penitus, nullo excepto, vere & ſincere ſalvare velit. Unde qui pereunt, ſua culpa pereunt: nec Deus, ſed ipſi ſunt perditionis ſuæ cauſa: *Perditio tua Iſrael. Oſee* 13. 9. Ex te, ſcilicet: non autem a Deo, qui neminem vult perire, & qui omnes ſalvari vere & ſincere vult.

Non vult Deus perire idololatras, qui diis ligneis & lapideis thura adoleverunt; non Judæos, qui Chriſtum patibulo medium duos inter latrones affixerunt: non hæreticos, qui altaria ſpoliaverunt, templa diruerunt, & Sacramenta profanarunt: non impios, qui in Deum & Sanctos blaſphemias evomuerunt: non alios quoſcumque peccatores, qui legem ejus violaverunt: *nolens aliquos perire*, non vult Deus, ut aliquis, quantumvis impius, & venia indignus, pereat. Quid ergo vult Deus? quæ ejus voluntas erga homines? Non vult quod quis ex illis pereat: ſed optat, ut omnes pœnitentiam ſectentur, & ſalvi fiant: *nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. 2. *Petr.* 3.

Hoc ipſe Deus apud Ezechielem Prophetam ſolemni juramento confirmat: *Numquid*, inquit, *voluntatis meæ eſt mors impii? Ezech.* 18. 23. Quaſi dicat; forte creditis, quod aliquos ſolummodo ex hominibus quos creavi, ſalvare velim, alios vero omnes damnare intendam? fallimini: non enim hæc mea eſt voluntas, ſed omnes penitus ſalvos fieri volo, ac juro, quod nec ipſorum etiam impiorum, qui me toties ſceleribus ſuis offenderunt, mortem & damnationem velim: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat: Ezech.* 33. 11. Impius ille qui toties geminatis ſceleribus majeſtatem meam offendit: ille impius qui ſapientiæ meæ theſauros, juſtitiæ meæ ſupplicia, & miſericordiæ meæ beneficia contempſit: impius ille qui gratias intus moventes, Prædicatorum monita, Sanctorum exempla, Sacramenta oblata, & omnia Eccleſiæ meæ bona parvipendit: ille, ille impius æterna morte, & ſuppliciis ſempiternis dignus eſt: attamen jurejurando obteſtor, me nec etiam ſceleratiſſimorum quorumque impiorum mortem velle, ſed optare plurimum, ut omnes convertantur, & vitam æternam obtineant. *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat*. Audite Dominum; non ſolum aſſerentem, ſed etiam jurantem, ſe ita omnium hominum velle ſalutem, ut nec ipſos impios damnari velit: audite illum, & ei juranti credite: *Juravit Dominus; ut ſi non credamus promittenti Deo, credamus ſaltem pro noſtra ſalute juranti. S. Chryſoſt. in c.* 33. *Ezech. v.* 11.

Generalem hanc & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines indicat Deus, cum veluti Pater miſericors, omnes vocat, & ad veniendum invitat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matth.* 11. 28. Non hunc vocat, & illum reſpuit: non aliquos ſolum ad veniendum invitat, ſed omnes: non vult ſolum ſalvare aliquos ex amicis, vel aliquos tantum ſcientia, nobilitate, aut ſanctitate illuſtres: ſed omnes penitus, nullo excepto: *Non dixit hunc vel illum, ſed omnes. S. Chryſoſt. homil.* 39. *in Matth.*

D. Paulus ad Timotheum ſcribens, rogat eum, ut preces fieri curet *pro omnibus hominibus*. 1. *Tim.* 2. Cujus rei rationem ſubdit, dicens: hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, *qui omnes homines vult ſalvos fieri*. Quaſi dicat: o Timothee, Deus Paradiſum non fecit pro his tantum quos ſpecialis Spiritus ſancti gratia ad Monaſteria traxit: non pro his ſolum quos duxit in ſolitudinem, ut ad cor illorum loqueretur; non pro ſolis Apoſtolis, qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum: non pro ſolis Martyribus, qui *ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt; Hebr.* 11. 36. non tandem pro ſolis virginibus, quæ ſequuntur Agnum quocumque ierit: vel pro iis ſolum Sanctis, quorum vita prodigium multis facta eſt: ſed pro omnibus, quia omnes *homines vult ſalvos fieri*. Non aliquos dumtaxat, ſed *omnes* nullo excepto: *omnes* ſine ulla limitatione & reſtrictione. Sic præfata Apoſtoli verba explicant ſancti Patres: *ſacrorum præfectus*, inquit S. Dionyſius Areopagita, *omnes homines ſalvari cupit*. D. Hieronymus ait. *Vult Deus ea quæ ſunt plena rationis, vult ſalvare omnes*. Alia multa his ſimilia leguntur apud ſanctos Patres. Sed licet ex ſanctis Patribus non haberemus, præfata D. Pauli verba intelligenda eſſe de omnibus hominibus ſine exceptione: ipſa Apoſtoli verba, ſi attendantur antecedentia & conſequentia, de omnibus penitus hominibus eum loqui convincunt. Vult enim ibi D. Paulus, ut orationes fiant pro omnibus, nullo excepto; cujus rei rationem adducit: Quia *Deus vult omnes ſalvos fieri*: ergo ſicut vult D. Paulus, ut oremus pro omnibus, nullo excepto; ita & certum eſt quod Deus velit omnes ſalvos fieri, nullo excepto.

Quod præclare confirmat D. Paulus, cum Chriſtum non pro aliquibus ſolummodo, ſed pro omnibus penitus hominibus redimendis & ſalvandis ſemetipſum tradidiſſe aſſerit: *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Ex quo D. Pauli loco infert Hugo Cardinalis, Deum velle ut omnes ſalvi fiant: Dedit, inquit, redemptionem ſemetipſum pro omnibus; *& ita omnes vult ſalvos fieri*. Sed ex his D. Pauli verbis inferendum etiam, quod Deus non ficte, ſed vere & ſincere omnes ſalvari velit. Sicut enim non eſt qui non credat, ſanctum Paulinum, & alios nonnullos Sanctos vere & ſincere voluiſſe redimere illos captivos, pro quorum redemptione illi ſemetipſos tradiderunt: ita certum & evidens eſt, Deum ſincere omnium hominum velle redemptionem & ſalutem, cum ſeipſum pro omnium redemptione & ſalute dederit; *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*.

Mi-

Miramini Deum, qui ita ſincere omnes homines ſalvari vult, ut omnes ad ſe vocet, ut pro omnibus redimendis ſeipſum tradat; ac aſſerat & juret ſe ita omnium optare ſalutem, ut nec unicum impium perire velit.

Vult quidem ſincere Deus, omnes homines ſalvari. Sed, heu! pauci ex hominibus vere & ſincere ſalvari volunt. Dicunt, ſe ſalvari velle; ſed dictis non concordant opera, aſſerunt ſe ſalutis deſiderio teneri, ſed ea quæ ſalutis ſuæ ſunt, non faciunt: proteſtantur, ſe ſuam multum optare ſalutem, & tamen blaſphemiis, uſuris, impudicitiis ſe dedunt, in peccatis perſeverant, ac ſaluti contraria facere non deſinunt. Hi certe vere & ſincere ſalvari nolunt; ſi enim vere ſalvari vellent, Dei mandata ſervarent, & media ad ſalutem idonea ſumerent. Vis ſalvari? inquit Chriſtus, *ſerva mandata*. Hæc eſt ſalutis regula; hanc tenere debent qui vere ſalvari cupiunt: quare ſi vere ſalvari concupiſcitis, Deum adorate, parentes honorate, inimicos diligite, ac omnia mandata ſervate. Si ea ſervare ſatagitis, vere ſalvari vultis; ſi ea ſervare renuitis, non vere ſalvari vultis. Sed pauci, pauci mandata Dei ſervant; ac proinde pauci vere ſalvari volunt, & pauci ſalvantur.

Omnes ſalvari velle dicunt; ſed volunt nolentes, ſimulque volunt & nolunt: *vult & non vult piger. Prov.* 13. 4. Cum ab iis quæritur, an ſalvari velint, reſpondent: *volo*; ſed cum iis dicitur, ut huic & illi peccato abrenuntient, ut hoc & illud Dei præceptum ſervent; hoc facere nolunt; vellent ſalvari, ſed media ſalutis ſumere nollent. Hoc autem proprie loquendo, nihil aliud eſt quam non velle vere & ſincere ſalvari. Sicut is nollet vere adire Pariſios, qui non viam qua Pariſios itur, ſed viam penitus oppoſitam teneret, ita & is non vere ſalvari vult, qui non per viam, qua ad cælum itur, ſed per oppoſitam incedit.

NN. obſecro vos, ut non ficte, ſed vere & ſincere ſalvari velitis. Res veſtra agitur. Sive enim ſalvemini, ſive non, Deus inde nec major, nec minor fiet, & tamen noſtram vere & ſincere vult ille ſalutem: quanto magis illam velle & optare debemus nos, cum inde omnia noſtra pendeant? Dicite ergo & ſincere dicite: *volo ſalvari*; optate ſincere ſalutem veſtram, cum Deus illam velit voluntate ſincera. *Sed Deus vult etiam ſalutem noſtram voluntate ardente.*

## SECUNDA PARS.

*Deus vult omnium ſalutem voluntate ardente.*

REges & terræ Principes, quantumvis magni & potentes ſint, ſervis & ſubditis ſuis egent; ac ab iis illorum potentia, gloria, divitiæ, imperiumque pendent: ſi enim Rex populum non habeat, ubi eſt dominium ejus? ubi poteſtas, ubi gloria? At Deus ita cæli & terræ Dominus eſt, ut cælo, terra, Angelis & hominibus non indigeat: ſive enim hæc omnia pereant, ſive non pereant, Deus ſemper idem in ſe manebit; ac ſemper potentiam infinitam, divitias infinitas, majeſtatem infinitam & omnes perfectiones infinitas poſſidebit: *etiamſi omnes Angeli, & homines pereant, nullo afficietur damno, cum de bonis ejus nihil deſit, ipſe enim eſt ſibi totum bonum. Abul. quæſt.* 71. *in cap.* 18. *Matth.*

Licet autem Deus hominibus non egeat, & licet minor in ſe non eſſet, quamvis totum genus humanum periret, homines tamen diligit, ac eorum ſalutem ardenter deſiderat. *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris? aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita tua? Job* 22. 3. hæc nihil ei proſunt, nil inde emolumenti percipit, nec inde aliquid gloriæ intrinſecæ acquirit. Tamen, licet Deus ſibi ſufficiat, nec hominibus quomodocumque egeat, illos tanto affectu proſequitur, ut eorum omnium ſalutem, non remiſſe, ſed ardenter & vehementer deſideret: *In Deo eſt voluntas vehemens cum deſiderio, qua mirum in modum cupit, & vehementer deſiderat noſtram ſalutem. Chryſol. homil.* 1. *in Epiſt. ad Eph.*

Vehementer hanc & ardentem voluntatem ſalvandi omnes homines manifeſtat Deus, multis nominibus quæ uſurpat, ac variis loquendi modis, quibus in ſacra Scriptura utitur. Aliquando enim perſonam gerit concionatoris zelantiſſimi, qui in vicis, plateis, & undique prædicat, ut omnes homines ad ſe vocet & ſalvet: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam. Proverb.* 1. 20. Aliquando ſe medicum charitativum dicit, qui e cælo deſcendit, ut naturam humanam per Adæ peccatum infirmam & mortuam ſanet, & ad vitam revocet. Pluries ſe Paſtorem bonum vocitat, qui hominem lapſum, veluti ovem errantem ſollicite quærit, qua inventa gaudet, eamque non inter brachia geſtat, ſed humeris ſuperimpoſitam defert, ut ab omnibus videatur, tamquam vigiliarum, & ſollicitudinis ſuæ trophæum. Nonnunquam ſe Sacerdotem & ſummum animarum noſtrarum Pontificem nuncupat, quia in hunc mundum venit, ut pro ſalvandis animabus noſtris corporis ſui Sacrificium in Crucis Altari offerret. Appellat etiam ſe Salvatorem, & Redemptorem hominum, aliiſque multis gloriatur titulis, qui omnes ad hominum ſalutem referuntur; ut inde notum faciat, ſe omnium hominum ardenter optare ſalutem: *mirum in modum cupit, & vehementer deſiderat noſtram ſalutem.*

Chriſtum ex itinere fatigatum rogarunt diſcipuli ut manducaret: *Rabbi manduca.* Quibus Chriſtus: *ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis. Joann.* 4. 32. Quis ille cibus ita exquiſitus quo paſci deſiderat Chriſtus, qui cæleſti pabulo veſci ſolet? quis ille cibus, quem aliis ſibi oblatis Chriſtus præfert? cibus ille quem tanto affectu optat, eſt ſalus hominum, quam ardenter deſiderat: *cibus ejus ſalus mea, S. Bernard. ſerm.* 7. *in Cant.* inquit S. Bernard. Cibus ille quo Chriſtus paſci vult, non eſt materialis, ſed ſpiritualis: hic cibus, inquit Teophylactus, non eſt alius quam ſalus hominum, quam ſummopere deſiderat: *Hominum ſalutem in hoc loco cibum appellat, ut quanta ſalutis noſtræ cura & deſiderio teneatur, oſtendat. In Joann.* Sed cur ſalutem noſtram cibum ſuum vocat Chriſtus? reſpondet Chryſoſt. ſalutem noſtram cibum ſuum appellare, quia ſicut concupiſci ſolet cibus, ita Chriſtus ſalutem noſtram ardenter concupiſcebat. *Hominum ſalutem hic cibum dicit, oſtendens quantum deſiderium habeat noſtræ ſalutis. Sicut enim nobis concupiſcibile eſt come-*

de-

Google

*dere, ita ei ſalvare nos. Ibid.* Quæramus iterum cur ſalutem noſtram cibum ſuum Chriſtus nuncupet? Reſpondebit Teophylactus, quod eam cibum ſuum vocat, quia tanto ardore ſalutem noſtram deſiderat, quanto famelicus cibum appetit: *Salutem hominum tanto deſiderio avebat, quanto ullus noſtrum ſenſibilem cibum.*

Non ſemel demiratus ſum, quod Chriſtus, qui parciſſimus erat, & qui mortificationem & pœnitentiam prædicabat, Matthæi adhuc Telonearii convivio intereſſe voluerit: *Fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua. Luc. 5. 29.* Cur huic convivio adeſt Salvator? qui cibi ad Publicani hujus domum eum alliciunt? quibus ibi paſcitur dapibus? *Erat turba multa Publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes.* Ecce cibos Chriſti exquiſitiſſimos, in hoc convivio, non tam materialibus, quam ſpiritualibus, paſcebatur cibis: ibi inquit Chryſol. *epulabatur, non cibis, ſed reditu peccatorum. Chryſol. ſerm. 19.* Fercula ejus erant peccatores, ſeu ſalus peccatorum quam ardenter optabat: *Salutem hominum hic cibum dicit: oſtendens quantum deſiderium habet noſtræ ſalutis.*

Murmurabant Phariſæi, quod interdum Chriſtus cum Publicanis & peccatoribus manducaret: *Murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum dicentes ad Diſcipulos ejus; quare cum Publicanis, & peccatoribus manducatis & bibitis? Luc. 5. 3.* Irridet Phariſæos Chryſologus: quid, inquit, miramini, quod Chriſtus cum peccatoribus manducet? Nonne ſcitis, eum veniſſe, ut peccatores ſalvet? num vos latet, quod ipſe non venerit vocare juſtos, ſed peccatores? Hi ſunt propter quos in hunc mundum venit: hi ſunt cum quibus ſæpe verſatur, ut eos ſalvet: exquiſitiſſimi ejus cibi ſunt peccatores qui convertuntur, *epulabatur non cibis, ſed reditu peccatorum.* Epulatur opipare Chriſtus, cum convertuntur Matthæus, Magdalena, Samaritana, Centurio, & alii peccatores, quia non minus ardenter ſalutem hominum appetit, quam famelici cibum: *Salutem hominum tanto deſiderio avebat quanto ullus noſtrum ſenſibilem cibum.*

Ardentem hanc homines ſalvandi voluntatem teſtatur Chriſtus, Regii Prophetæ ore dicens, quod in hoc mundo cucurrerit ſitiens, *cucurri in ſiti. Pſalm. 61. 5.* A ſummo cælo uſque ad terram cucurrit Chriſtus, in hoc mundo per vicos, plateas, civitates & deſerta cucurrit, ut ſalvaret homines, & cucurrit ſitiens, *cucurri in ſiti.* Quæ eſt ſitis illa, qua angebatur, & ardebat Salvator? *ſitis tua, ſalus mea,* ſitiebat ſalutem hominum, inquit Auguſt. eamque ardenter ſitiebat & deſiderabat. Poſtquam Crucis patibulo affixus eſt Chriſtus, hæc ejus increvit ſitis: clamavit enim: *ſitio.* Quid ſitis, o Chriſte Salvator? *ſitis tua ſalus mea,* ſitit, & ardenter deſiderat ſalutem omnium penitus hominum, & ideo in Cruce pro omnium ſalute moritur: *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. 1. Timoth. 26.*

O quam magna fuit Chriſti ſitis! quam ardens ejus ſitis extitit! quam ardenter omnium hominum ſalutem deſideravit! Sed, heu! quam negligenter & remiſſe propriam ſalutem cupiunt plerique hominum! terreois inhiant, ad mundi voluptates anhelant, & de animæ ſalute parum, aut nullo modo ſolliciti ſunt. Clamat Chriſtus, ut magno cum fervore & impetu ſalutem optent, & per anguſtam Paradiſi portam ingredi conentur, *contendite intrare; Luc. 13. 24.* ipſi vero nullam ſibi vim faciunt, nec aliquo modo ſalutem ſuam ſitiunt & deſiderant. Vellent ſalvari: ſed difficultates exſorbere, ſuperare diſcrimina, labores exantlare nolunt, ut per anguſtam Paradiſi januam intrent. Vellent ſalvari; ſed hæc eorum voluntas ita tepida eſt, & remiſſa ut quaſi nolint. At non remiſſe & negligenter; ſed ſummo cum fervore ſuam quiſque ſalutem velle & optare debet: quia ſi non ſalveris, cætera omnia nil tibi proderunt: *Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16. 26.* Quid tibi proderit, copioſas Crœſi divitias, mirandam Abſalonis pulchritudinem, incredibilem Herculis fortitudinem, Alexandri Magni dominationem, ac totius mundi divitias, & delicias habuiſſe, ſi propriæ ſalutis jacturam facias? certe hæc nihil proderunt. quare ſalutem ardenter deſidera, pro ſalute ferventer labora.

Audi tremenda Salvatoris verba, dicentis, quod veniet tempus, quo in Paradiſum multi intrare cupient, & non intrabunt: *Multi, dico, vobis, quærent intrare, & non poterunt. Luc. 13. 24.* Cur in Paradiſum intrare non poterunt? *non poterunt intrare,* inquit Carthuſianus, *quia non efficaciter quæſierunt, neque fervide optaverunt, ſed pigre & negligenter.* Ut ergo in Paradiſum aliquando intrare valeatis, fervide nunc & ardenter ſalutem deſiderate, ſicut Chriſtus, qui omnium hominum ſalutem ardenter deſideravit: *ac etiam efficaciter.*

## SECUNDA PARS.

*Deus vult omnium ſalutem voluntate efficaci.*

EOS deteſtor hæreticos, qui de Deo ita male ſentiunt, ut aſſerant, eum aliquos ſolummodo ſalvare velle, quibus ſolis gratias ad ſalutem neceſſarias impertit: aliis vero eas denegat, nec de eorum ſalute quomodocumque curat. Hæc doctrina a variis damnata eſt Conciliis, & qui eam ſectantur, durius quam par eſt loquuntur de Deo, qui non aliquos tantum, ſed omnes penitus homines ſalvos fieri vult. *Qui dicit Deum, certum ſolum numerum electorum ſalvare voluiſſe, durius loquitur, quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabili gratiæ Dei, qui omnes homines vult ſalvos fieri. S. Proſper in reſp. 8. ad Gallos.*

Non ſic de Deo loquuntur SS. Patres Damaſcenus & Chryſoſt. qui Deum voluntate antecedente & primaria, omnes penitus homines ſalvari velle aſſerunt: *Præcedenter* inquit Damaſcenus, *vult Deus omnes homines ſalvari, & regnum ejus conſequi. Damaſcen. lib. 2. de fide orthodox. c. 29.* Et D. Chryſoſt. ait: *In Deo alia eſt voluntas ſecunda, ſecundum quam eos qui perſiſtunt in ſceleribus contaminati, vult perire; & alia eſt voluntas prima, & ſecundum hanc non vult homines perire, ſed ſalvari. Chryſoſt. homil. 21. in Epiſt. ad Eph.* His ſanctis Patribus adjungi poſſet D. Auguſt. qui in libro de ſpiritu & littera cap. 3. & 33. ait: *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri; non ſic tamen, ut eis liberum adimat arbitrium, quo vel bene vel male utentes juſtiſſime judicentur.*

Bo-

Bonus & æquitatis amans judex, antecedente & primaria voluntate, omnes amat, nullumque quantum ex ſe eſt, vult ad furcas damnari; nulli tamen tollit libertatem bene vel male agendi; & eos qui male agunt, voluntate ſecundaria vult punire: ita Deus, non tollit hominibus libertatem male agendi; & ſi male agant, tunc voluntate ſecundaria eos plecti vult: ſed voluntate primaria, & quantum ex ſe eſt, neminem damnari, omneſque ſalvari cupit. *Secundum hanc, non vult homines perire, ſed ſalvari.*

Antecedens & primaria hæc voluntas, qua Deus omnes homines ſalvari vult, non eſt ſimplex velleitas, aut voluntas quædam ſimplicis complacentiæ, vacua, & otioſa; ſed eſt voluntas ex parte Dei efficax; quandoquidem Deus in executionem hujus voluntatis nos creare, conſervare, ac nobis media ad ſalutem neceſſaria tribuere vult: *prout*, ait Doctor Seraphicus, *Deus dicitur velle omnium ſalutem, quantum in ſe eſt, & antecedenter: conſtat enim in hominibus ordinatio ad ſalutem, tam ex parte naturæ datæ, quam ex parte gratiæ oblatæ. D. Bonavent. in 1. diſt. 46. artic. 1. quæſt. 1.* Idem dicit aliis verbis Doctor Subtilis: *Deus*, inquit, *vult omnes ſalvos fieri, quantum ſcilicet ex parte ſui, & voluntate ſua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria ſufficientia ad ſalutem.*

S. Thomas & alii Doctores Catholici eodem fere modo loquuntur, ac aſſerunt, generalem hanc voluntatem, qua Deus vult omnes ſalvos fieri eſſe efficacem ex parte Dei: quatenus, virtute illius, dat omnibus auxilia ad ſalutem ſufficientia. Et licet numquam hac de re locuti eſſent ſancti Doctores, nobis ſatis conſtabit eum velle omnium ſalutem efficaciter quantum eſt ex parte ſua, ſi aliquantulum attendamus ad ea quæ pro communi hominum ſalute fecit. Scimus, cum pro noſtra ſalute miſiſſe Prophetas, qui gravia paſſi ſunt, ut homines viam ſalutis docerent: (Prophetas propter vos vexari permiſit, & in captivitatem mitti, & incidere in fornacem, & innumera mala tolerare, & ipſos Prophetas fecit propter nos. *Chryſ. homil. 14. in Epiſt. ad Rom.*) Non fuit ſatis Deo miſiſſe Prophetas, miſit & Filium ſuum unigenitum, & ab æterno genitum, qui voluit humanæ naturæ hypoſtatice uniri, in vili ſtabulo naſci, ac toto vitæ ſuæ tempore pro communi hominum ſalute indeſinenter laborare.

Non otioſus fuit Chriſtus, quamdiu in hoc mundo permanſit: ſed indeſinenter oravit, prædicavit, civitates & caſtella peragravit, ac continue circuivit, ut homines a dæmonis ſervitute liberaret, eoſque viam ſalutis doceret: *Circuibat Jeſus omnes civitates & caſtella docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni; & curans omnem languorem & infirmitatem. Matth. 9. 35.* Dæmon circuire non deſinit, ut animas rapiat & perdat: *circuit quærens quem devoret: 1. Petr. 5. 8.* Chriſtus autem ut dæmoni ſe opponeret, circuire etiam voluit: *circuibat Jeſus omnes civitates & caſtella.* Circuibat dæmon ut deciperet; Chriſtus ut technas a dæmone inſtructas detegeret: dæmon ut pacem mundo eriperet: Chriſtus ut eam daret: ille, ut culpæ venenum omnibus infunderet: iſte, ut omnes donis cæleſtibus locupletaret: ille, ut animas deprædaretur; iſte ut eas lucraretur: ille, ut homines a regni cæleſtis via averteret, iſte, ut illos recta ad cælum duceret, ac omnes ſalvaret: *Circuit quærens quem devoret: Circuibat Jeſus omnes civitates.*

Poſtquam toto vitæ ſuæ tempore Chriſtus circuivit, & pro hominum ſalute laboravit, in crucem aſcendit, ut ibi pro omnibus ſanguinem funderet, & moreretur. Ibi expandit manus ſuas non ſolum ut juſtos & electos, ſed etiam ut peccatores & reprobos amplecteretur: *expandi*, inquit, *manus meas tota die ad populum incredulum qui graditur in via non bona. Iſaiæ 65. 2.* Quaſi dicat; aſcendi in crucem: ibique, veluti omnium Pater *expandi manus meas*, ut omnes penitus homines, veluti filios meos, amplecterer: Ibi *expandi manus meas*, veluti Pater erga omnes benignus & miſericors, ut omnibus benefacerem: Ibi *expandi manus meas*, non ſolum ad juſtos qui mihi religioſe ſerviunt; ſed etiam ad peccatores & incredulos, qui legibus meis contradicunt; ut ſciant omnes, me non ſolum juſtos, verum & peccatores, ac omnes penitus homines ſalvare velle. Et revera ibi Chriſtus non ſolum pro juſtis, & electis, ſed etiam pro injuſtis & peccatoribus mortuus eſt; *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis. 1. Petri 3. 18.* Quis jam dubitet, eum vere & efficaciter omnium ſalutem voluiſſe?

Dicunt & fatentur omnes, tunc hominem velle aliquid efficaciter, cum media ad illud obtinendum apta & idonea ſumit. Ægrotus v. g. tunc dicitur efficaciter velle ſanitatem, cum amariores quaſque potiones facile ſorbet, & quæcumque a medicis præſcripta ſunt, quantumvis dura & acerba, executioni ſollicite mandat. Idem dicendum de exercitus cujuſdam Duce, qui cenſetur efficaciter velle urbem aliquam invadere, cum eam copiis multis cingit, bellicis tormentis quatit, ignitis ferreis globulis incendit, & aliis ad eam expugnandam mediis utitur. Ex hoc principio, quod ex ſe ſatis patet, clariſſime infertur, Deum, quantum ex ſe eſt, efficaciter velle omnium ſalutem, cum media ad ſalvandos omnes homines idonea adhibeat.

Audite Deum per Iſaiam Prophetam dicentem: *Quid eſt quod debui facere ultra vineæ meæ, & non feci?* Quæ, inquit, non feci, ex his quæ pro communi omnium ſalute facere debui; quæ media pro eorum ſalute non ſumpſi, ex his quæ juxta ordinem ſapientiæ meæ ſumere debui? Videns omnes penitus homines in Adamo peccaſſe, & ideo æterna damnatione dignos, ut eos a præcipitio eruerem, miſi Filium meum unigenitum, qui pro omnibus mortuus eſt, qui omnibus propria merita obtulit, & qui omnes redemit; *æterna redemptione inventa.* Hic meus filius gratias ſuas omnibus meruit, Sacramenta pro omnibus inſtituit, Apoſtolos & viros Apoſtolicos undique miſit, & alia multa pro omnium ſalute fecit: *Quid eſt, quod debui facere ultra vineæ meæ, & non feci?* Certe non ſolum ea fecit Deus, quæ pro ſalute noſtra facere debebat; ſed etiam plura fecit, quam facere debebat pro nobis peccatoribus, pro nobis miſeris, & indignis. Quare fatendum, quod omnium ſalutem voluerit, non ſolum voluntate ſincera & ardente, ſed etiam voluntate efficaci,

ſal-

ſaltem quoad media, in quantum dedit nobis media & auxilia ſufficientia, quibus ſi omnes bene uterentur, omnes ſalvarentur. Unde ſi qui damnentur, non Deus, ſed ipſi damnationis ſuæ cauſa ſunt.

Si Deus, ait S. Ambroſius, omnes homines vult ſalvos fieri, cur non ejus impletur voluntas? *conditio latet, D. Ambroſ. tom. 5. circa finem*, inquit: ſeu non impletur ſuprema illa voluntas, qua vult omnes ſalvos fieri, quia voluntas hæc eſt conditionata. Illa enim generali Dei voluntate ſalvandi omnes homines, latet hæc conditio, quod ſcilicet ipſi ſalvari velint: *non vult*, inquit, *ut nolentes ſalventur, ſed vult illos ſalvos fieri, ſi & ipſi velint.*

Oecumenius, explicans hæc D. Pauli verba: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ait, *ſi Deus vult, quare non fit quod vult? In hæc D. Pauli verba.* Si Deus vult Cainum, Judam, & peſſimos quoſque peccatores ſalvos fieri, quare non ſalvantur? *quare non fit quod vult?* Reſpondet ipſe: *non fit quia illi nolunt*: ecce rationem propter quam non omnes ſalvantur. Verum eſt, quod Deus det omnibus media auxilia ad ſalutem ſufficientia, quibus ſi omnes bene uterentur, ſalvarentur omnes: ſed quia multi iis bene uti nolunt, ideo multi non ſalvantur, quia ſalvari nolunt: *non fit, quia illi nolunt*. Omnes quidem ſalvari vellent voluntate quadam vacua, inani & inefficaci; ſed nollent ea facere, quæ ad ſalutem obtinendam neceſſaria ſunt; vellent ſalvari; ſed nollent ea reſtituere, peccatis abrenuntiare, mandata ſervare, virtutem ſectari, & alia ad ſalutem neceſſaria facere: ſalvari nolunt efficaciter, & ideo non ſalvantur: *non fit, quia illi nolunt*. Quare, ſalutem veſtram optate voluntate ſincera, ardente, & efficaci: & infallibiliter ſalvi eritis. *Amen.*

---

# ANNUS APOSTOLICUS.

*Continens Conciones Tempore Quadrageſimæ Prædicabiles.*

# IDEA CONCIONUM QUADRAGESIMÆ.


### FERIA QUARTA CINERUM.

*De mortis Memoria.*

Tanta divina eſt virtus, ut perditos quoſque homines a peccatis ſæpe avertat, ad pœnitendum alliciat, & ad bona opera facienda inducat. Mortis autem memoria, & frequens ejus meditatio eamdem virtutem habere videtur: mortis enim memoria: 1. A peccatis avertit: 2. ad pœnitentiam ex[citat]: 3. ad bona opera facienda inducit. *pag.* 86

### FERIA V. ANTE DOMINICAM I.

*De fide.*

1. Fidei neceſſitas. 2. Fidei præſtantia. 3. Fidei qualitates. 90

I. Pars. Fides eſt homini maxime neceſſaria: 1. Ut Deum cognoſcat: 2. ut Deo placeat: 3. ut ad Deum vadat.

II. Pars. Fides eſt quid præſtantiſſimum; quia: 1. Omnia poteſt: 2. omnia obtinet: 3. de omnibus triumphat.

III. Pars. Fides debet eſſe humilis & ardens: ſed præcipua ejus qualitas eſt; quod ſit efficax, & in bonis operibus fœcunda. Fides enim, ſi non ſit efficax, & in bonis operibus fœcunda, eſt: 1. Fides diabolica: 2. fides mortua: 3. fides inutilis & vana.

### FERIA VI. ANTE DOMINICAM I.

*De amore inimicorum.*

I. Pars. Inimici diligendi; quia præcipit Chriſtus: 1. Qui Deus noſter eſt: 2. qui pater noſter eſt: 3. qui benefactor noſter eſt.




Digitized by Google

II. Pars. Inimici diligendi; quia inimicos diligit Chriſtus, in præſepio, in vitæ ſuæ decurſu, & in cruce: 1. *In præſepio*, in quo naſcens, reclinatur: 2. *In vitæ ſuæ decurſu*, dum cum hominibus verſatur: 3. *In cruce*, ubi pro inimicis orat, & moritur. 98

III. Pars. Inimici diligendi; quia Chriſtus eos, qui inimicos ſuos non amant, dire plectit. Eos enim; 1. privat venia: 2. privat gratia: 3. privat gloria. 99

## DOMINICA PRIMA.

*De agendis & vitandis tempore Quadrageſimæ.*

Licet omni tempore, abſtinentiæ, pœnitentiæ, & animæ ſuæ ſanctificationi ſit vacandum; Quadrageſimali tamen tempore, modo quodam ſpeciali, 1. Jejuniis eſt vacandum: 2. pœnitentiæ eſt adhærendum; 3. a peccatis eſt abſtinendum. 100

## FERIA II. POST DOMINICAM I.

*De extremo Judicio.*

In extremi Judicii die Chriſtus ſuper majeſtatis ſuæ thronum ſedens: 1. ſeparabit bonos a malis: *Separabit eos adinvicem*: 2. omne examinabit, & cuique dicet: *redde rationem villicationis tuæ*: 3. adverſus reprobos ſententiam dicet; *Diſcedite a me maledicti*. Mente revolvamus hanc ſeparationem, hoc examen, & hanc ſententiam; 1. *Hanc ſeparationem*, qua nulla terribilior: 2. *hoc examen*, quo nullum acerbius: 3. *hanc ſententiam*, qua nulla formidabilior. 105

## FERIA III. POST DOMINICAM I.

*De Uſurariis.*

Uſurarii ſunt: 1. Latrones publici: 2. latrones honorati: 3. latrones intrepidi. *Sunt latrones publici*, qui furantur abſque verecundia. *Sunt latrones honorati*, qui furantur abſque honoris ſui jactura: *Sunt latrones intrepidi*, quia furantur abſque ulla timoris cauſa. 110

## FERIA IV. POST DOMINICAM I.

*De pœnitentia non differenda.*

Ad hoc ut quis pœnitentiam agat, debet habere tempus, gratiam & voluntatem pœnitendi. Pœnitentiam autem in futurum differre non debet peccator; quia incertum eſt an tunc ſit habiturus: 1. Tempus pœnitendi: 2. gratiam pœnitendi: 3. voluntatem pœnitendi. Incertitudo temporis, incertitudo gratiæ, & incertitudo voluntatis, ſunt tria motiva, quæ peccatores a differenda in futurum pœnitentia avertere debent. 114

## FERIA V. POST DOMINICAM I.

*De filiorum educatione.*

Filios recte inſtituere debent parentes ut conſulant: 1. Bono ſuo: 2. bono filiorum: 3. bono publico. 120

## FERIA VI. POST DOMINICAM I.

*De hujus vitæ vanitate.*

Vita noſtra: 1. Somnium eſt: 2. comœdia eſt: 3. peregrinatio eſt. Vita noſtra *ſomnium eſt*: quare non æſtimanda. Vita noſtra, *comœdia eſt*: quare non amanda. Vita noſtra, *peregrinatio eſt*: quare contemnenda. 125

## DOMINICA SECUNDA.

*De Paradiſi bonis.*

Hujus mundi bona, parva, mixta & tranſitoria ſunt. Paradiſi vero bona, non parva, ſed magna: non mixta, ſed pura: non tranſitoria, ſed æterna ſunt. Paradiſi bona: 1. Magna ſunt: 2. pura ſunt: 3. æterna ſunt. 130

## FERIA II. POST DOMINICAM II.

*De æternitate pœnarum Inferni.*

Æternitas pœnarum Inferni eſt certa, terribilis & intolerabilis: 1. *Eſt certa*; ergo credenda: 2. *Eſt terribilis*; ergo metuenda: 3. *Eſt intolerabilis*; ergo vitanda. 134

## FERIA III. POST DOMINICAM II.

*De Sacerdotio.*

Debemus: 1. Sacerdotes venerari: 2. verbis eorum obtemperare: 3. peccata illorum tegere. 139

I. Pars. Sacerdotes debemus venerari: 1. plus quam terrenos Reges: 2. plus quam Angelos: 3. tamquam Deos. 140

II. Pars. Sacerdotum verbis obtemperare debemus: 1. Cum loquuntur ut Paſtores: 2. cum loquuntur ut concionatores: 3. cum loquuntur ut judices. 142

III. Pars. Sacerdotum peccata tegere debemus: 1. Hoc docuit Deus in veteri Teſtamento: 2. hoc docuit Chriſtus in novo: 3. hoc docuit Conſtantinus in Eccleſiæ principio. 143

## FERIA IV. POST DOMINICAM II.

*De filiorum educatione.*

Parentes, ut filios bene inſtituant, debent eos: 1. Corripere: 2. erudire: 3. bonis exemplis fovere. Correptio, eruditio, & bona exempla, ſunt tria a parentibus ad bonam filiorum educationem adhibenda. 145

## FERIA V. POST DOMINICAM II.

*De Inferni igne.*

Dives epulo in mediis inferni ignibus clamat: *Crucior in hac flamma*. Nec ſine ratione ſic clamat, quia ab hoc igne cruciatur vere, cruciatur graviter, & cruciatur ſemper. Quod autem de illo, hoc de omnibus damnatis dicendum: omnes enim damnati in igne inferni: 1. torquentur vere: 2. torquentur graviter: 3. torquentur ſemper, & in æternum. 150

FE-

## FERIA VI. POST DOMINICAM II.

*De æternis damnatorum ſuppliciis.*

Dives avarus in mediis inferni ignibus, Deum; Paradiſum, & ſupplicia ſua recogitat: *Deum* quidem, in quem toties peccavit: *Paradiſum*, quem ſua culpa perdidit: *ſupplicia*, quæ in æternum paſſurus eſt. Eadem autem in Inferno recogitant, & mente revolvunt omnes damnati, ac torquentur: 1. cogitatione Dei: 2. cogitatione Paradiſi: 3. cogitatione ſuppliciorum, quæ in æternum paſſuri ſunt. Tres hæ cogitationes, tres ſunt tortores, a quibus interius diriſſime cruciantur. 155

## DOMINICA TERTIA.

*De Confeſſione.*

Confeſſionis Sacramentalis: 1. Neceſſitas; 2. virtus: 3. qualitates. 160

I. Pars. Confeſſio Sacramentalis eſt neceſſaria habenti peccata mortalia, ut ſanetur, ut mundetur, & ut juſtificetur. Quicumque enim in ſtatu mortalis peccati vivit, infirmus, immundus & reus eſt: Confeſſio autem neceſſaria eſt: 1. *peccatori infirmo*, ut ſanetur: 2. *peccatori immundo*, ut mundetur: 3. *peccatori reo*, ut juſtificetur. 160

II. Pars. Confeſſionis Sacramentalis virtus ad Deum, ad infernum, & ad Paradiſum ſe extendit: 1. *ad Deum*, quem placat: 2. *ad infernum*, cujus flammas extinguit: 3. *ad paradiſum*, cujus portas aperit. 162

III. Pars. Confeſſionis Sacramentalis qualitates ſunt, quod ſit præmeditata, integra & humilis. Debet eſſe: 1. *præmeditata*, ſine negligentia: 2. *integra* ſine diviſione: 3. *humilis*, ſine excuſatione. 163

## FERIA II. POST DOMINICAM III.

*De invidia.*

Invidia eſt: 1. vitium commune: 2. vitium malignum: 3. vitium exitioſum. 165

## FERIA III. POST DOMINICAM III.

*De correctione fraterna.*

Correctio fraterna: 1. a quo facienda ſit: 2. quando facienda ſit: 3. quomodo facienda ſit. 170

## FERIA IV. POST DOMINICAM III.

*De peccato veniali.*

Peccati venialis malitia, pœna, & remedia: 1. *Ejus malitia*: eſt magna: 2. *Ejus pœna*, eſt gravis: 3. *Ejus remedia*, ſunt difficilia. 175

## FERIA V. POST DOMINICAM III.

*De avaritia.*

Homines avari, ſunt ingrati, inhumani, & exitioſi: ſunt: 1. ingrati in Deum: 2. inhumani in proximum: 3. exitioſi in ſeipſos. 180

I. Pars. Avari ſunt ingrati in Deum; quia: 1. de eo non cogitant: 2. eum non amant: 3. eum non adorant. 180

II. Pars. Avari, ſunt inhumani in proximum, & præcipue in pauperes; quia: 1. iis ſubvenire nolunt: 2. eos audire renuunt: 3. eos videre recuſant: 181

III. Pars. Avari; ſunt exitioſi in ſeipſos: quia animas ſuas ſalvare non curant: ſed eas: 1. vili pretio vendunt: 2. criminibus multis inquinant: 3. in infernum præcipitant. 183

## FERIA VI. POST DOMINICAM III.

*De divina gratia.*

I. Pars. Gratia divina eſt neceſſaria peccatoribus, juſtis, & omnibus. Eſt neceſſaria: 1. *peccatoribus*, ut convertantur: 2. *juſtis*, ut perſeverent: 3. *omnibus*, ut ſalventur. 185

II. Pars. Gratiæ divinæ operationes ſunt admirabiles; quia ſuadet, allicit, & trahit: 1. *ſuadet*; ſic tamen, quod non adulet: 2. *allicit*; ſic tamen, quod non neceſſitet: 3. *trahit*; ſic tamen, quod non cogat. 187

III. Pars. Glorioſiſſimi ſunt divinæ gratiæ triumphi; quia ſæpe triumphat de hominibus: 1. qui indurati ſunt: 2. qui perditi ſunt: 3. qui rebelles ſunt. 189

## DOMINICA QUARTA.

*De divina Providentia.*

De Dei providentia dubitant aliqui; de ea aliqui murmurant; de ea alii diffidunt. Qui de Dei providentia dubitant, increduli ſunt & impii: qui de ea murmurant, impudentes ſunt & ingrati: qui de ea diffidunt, timidi ſunt & meticuloſi. At de Dei providentia: 1. non eſt dubitandum: non eſt murmurandum: 3. non eſt diffidendum. 190

## FERIA II. POST DOMINICAM IV.

*De Templorum profanatoribus.*

Mercatores hi, qui Jeroſolymitanum Templum iniquis ſuis commerciis profanabant, in Chriſtum peccaverunt, Chriſtum irritaverunt, ac a Chriſto ſevere correpti, & puniti ſunt. Quod autem de his mercatoribus, hoc & dicendum de omnibus templorum profanatoribus: quicumque enim templa, Deo ſacra, profanant: 1. In Deum graviter peccant: 2. Deum ad iracundiam provocant: 3. A Deo ſevere puniuntur. 196

## FERIA III. POST DOMINICAM IV.

*De Dei mandatis.*

*Mandata Dei ſervare eſt impoſſibile*: Ecce quid dicant Hæretici: *Mandata Dei ſervare eſt durum & difficile*: Ecce quid ſentiant pigri & deſides: *Mandata Dei ſervare eſt indifferens*: Ecce quomodo loquantur impii. At falluntur, & graviter hallucinantur hi omnes: quia Dei mandata ſervare, non eſt impoſſibile, ſed poſſibile; non eſt difficile, ſed facile; non eſt indifferens, ſed neceſſarium. Mand data Dei ſervare, eſt: 1. poſſibile: 2. facile: 3. neceſſarium. 201

## FERIA IV. POST DOMINICAM IV.

*De cæcitate ſpirituali.*

1. Cæcitatis ſpiritualis cauſæ: 2. cæcitatis ſpiritualis malignitas: 3. cæcitatis ſpiritualis remedia. 206

I. Pars. Cæcitatis ſpiritualis cauſæ, ſunt peccatum, dæmon, & Deus: 1. *Peccatum*, malitia ſua: 2. *Dæmon*, arte ſua: 3. *Deus* juſtitia ſua. 206

II. Pars. Cæcitatis ſpiritualis malignitas magna eſt; quia cæcitas ſpiritualis eſt: 1. Obſtinationis cauſa: 2. criminum multorum origo: 3. magna ad æternam damnationem diſpoſitio. 208

III. Pars. Cæcitatis ſpiritualis remedia ſunt: 1. divina gratia: 2. verbum Dei: 3. pœnitentia. 209

## FERIA V. POST DOMINICAM IV.

*De Morte.*

1. Quid ſit mors: 2. a quo ſit mors: 3. qualis cujuſque futura ſit mors. 210.

## FERIA VI. POST DOMINICAM IV.

*De converſione non differenda.*

I. Pars. Qui converſionem ad vitæ finem differunt, ſunt increduli; quia non credunt: 1. Sacræ Scripturæ verbis: 2. Sanctæ Eccleſiæ decretis: 3. Sanctorum Patrum oraculis. 215. ſeq.

II. Pars. Qui converſionem ad vitæ finem differunt, ſtulti ſunt: 1. Quia in volutabro jacent, & nolunt ab eo exire: 2. Quia in ſervitute ſunt, & nolunt ab ea liberari: 3. Quia quaſi in putei margine dormiunt, & nolunt inde amoveri. 217

III. Pars. Qui converſionem ad vitæ finem differunt, reprobi ſunt, ſi credimus Salomoni, Auguſtino, & Scoto: 1. *Salomoni*, qui inter ſapientes ſapientiſſimus: 2. *Auguſtino*, qui inter Eccleſiæ Patres perſpicaciſſimus: 3. *Scoto*, qui inter Theologos ſubtiliſſimus. 219

## DOMINICA PASSIONIS.

*De mendacio.*

In Paradiſo terreſtri mendacium fuit commune, probroſum & malum. Ibi mendacium fuit commune; quia non ſolum diabolus, ſed etiam primi parentes ibi mentiti ſunt. Ibi etiam mendacium fuit probroſum: cum turpiſſimum ſit, quod diabolus & primi parentes, qui tam perfecti jam tunc a Deo creati fuerant, ad vilia mendacia declinent. Ibi tandem mendacium fuit malum: cum omne mendacium ſemper, & ubique malum, & peccatum ſit. 221

## FERIA II. POST DOMINICAM PASSIONIS.

*De avaris uſurariis.*

1. Avaros uſurarios, in vita, in morte, & poſt mortem felices eſſe arbitrantur multi. Sed infelices ſunt in vita, cum nunquam bonis poſſint ſatiari, infelices ſunt in morte, cum tunc non poſſint ſanctificari: infelices ſunt poſt mortem, cum tunc non poſſint ſalvari. Avari uſurarii: 1. *In vita*, non poſſunt ſatiari: 2. *In morte*, non poſſunt ſanctificari: 3. *Poſt mortem*, non poſſunt ſalvari. 225

## FERIA III. POST DOMINICAM PASSIONIS.

*De feſtivis diebus.*

Feſtis diebus, nonnulli vitiis indulgent, operibus ſervilibus incumbunt alii, & cultum divinum plerique negligunt: At his diebus ſollicite, & modo quodam ſpeciali: 1. Abſtinendum a vitiis: 2. Ceſſandum ab operibus ſervilibus: 3. Vacandum pietatis operibus. 230

## FERIA IV. POST DOMINICAM PASSIONIS.

*De detractione.*

Detractio, eſt peccatum commune, grande, & exitioſum: 1. *Eſt peccatum commune*; cum vix reperiatur, qui a detractione ſit liber: 2. *Eſt peccatum grande*; cum ex natura ſua ſit mortale, & inter mortalia grave: 3. *Eſt peccatum exitioſum*, cum ex eo innumera mala oriantur. 235

## FERIA V. POST DOMINICAM PASSIONIS.

*De Magdalena peccatrice.*

Peccatorum Magdalenæ: 1. Natura: 2. Cauſæ: 3. Remedia. 240

I. Pars. Magdalenæ peccata fuere: 1. Gravia: 2. pudenda: 3. ſcandaloſa. 240

II. Pars. Peccatorum Magdalenæ, tres fuere cauſæ: 1. juventus, otio dedita: 2. pulchritudo, arte elaborata: 3. libertas, occaſionibus expoſita. 242

III. Pars. Peccatorum Magdalenæ remedia fuere, lacrymæ, amor, & pœnitentia: 1. *Lacrymæ* contritionis: 2. *Amor* creatoris: 3. *Pœnitentia*, & mortificatio corporis. 244

## FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

*De Magdalenæ pœnitentia.*

Magdalenæ pœnitentia fuit prompta, ſincera, & conſtans; fuit: 1. *Prompta*, ſine dilatione: 2. *Sincera*, ſine fictione: 3. *Conſtans*, ſine ulla mutatione. 245

I. Pars. Magdalenæ pœnitentia fuit prompta; quia pœnitentiam ſuſcepit: 1. Mox ut audivit Chriſtum prædicantem: 2. Mox ut ſenſit Chriſtum, interius ſibi loquentem: 3. Mox ut cognovit Chriſtum, in Phariſæi domo exiſtentem. 245

II. Pars. Magdalenæ pœnitentia fuit ſincera: quia non ficte, ſed vere, & ſincere, 1. de peccatis doluit: 2. peccata delevit: 3. pro peccatis ſatisfecit. 247

III. Pars. Magdalenæ pœnitentia ita conſtans fuit, ut ſimilis fuerit pœnitentiæ Davidis, Jobi, & S. Joannis Baptiſtæ: 1. *Davidis*, qui ſemper flevit: 2. *Jobi*, qui cilicium ſuper carnem ſuam conſuit: 3. *S. Joannis Baptiſtæ*, qui uſque ad mortem in arctioris pœnitentiæ operibus perſeveravit. 243

DO-

Digitized by Google

## DOMINICA PALMARUM.

*De ambitione.*

Beneficia, & ſæculi dignitates ambire non debent: 1. Qui indigni ſunt: 2. Qui digni ſunt. 3. Qui digniores ſunt. 250

I. Pars. Beneficia, & ſæculi dignitates ambire non debent, qui indigni ſunt; quia in iis invenient: 1. Non voluptatem, ſed laborem: 2. non honorem, ſed dedecus: 3. non exultationem, ſed præcipitium. 250

II. Pars. Beneficia, & ſæculi dignitates ambire non debent, qui digni ſunt: quia ambitio: 1. multas diſſenſiones cauſat: 2. peccata multa parturit: 3. ad tartara ducit. 252

III. Pars. Beneficia, & ſæculi dignitates ambire non debent, qui digniores ſunt; quia ſæculi dignitates, ſunt onera, ſomnia, & umbræ; ſunt: 1. *Onera*, quæ gravant: 2. *Somnia*, quæ deludunt: 3. *Umbræ*, quæ tranſeunt. 253

## FERIA II. HEBDOMADÆ SANCTÆ.

*De Maria juxta Chriſti crucem ſtante.*

Dolorum Mariæ juxta crucem ſtantis, exceſſus, cauſa, & modus: 1. *Dolorum ejus exceſſus*, ſeu quantum paſſa ſit: 2. *Dolorum ejus cauſa*, ſeu quare paſſa ſit: 3. *Dolorum ejus modus*, ſeu quomodo paſſa ſit. Quantum, quare, & quomodo juxta crucem paſſa ſit Maria: hæ ſunt tres hujus orationis partes. 255

I. Pars. Maria juxta crucem tantum paſſa eſt: 1. Quantum Martyres paſſi ſunt: 2. Quantum Chriſtus paſſus eſt: 3. Quantum, & plus quam ipſa naturaliter pati poterat. 255

II. Pars. Maria juxta crucem graviſſimos perpeſſa eſt dolores, quia Chriſtum cruci affixum: 1. videbat: 2. cognoſcebat: 3. amabat. Unde oculi, intellectus, & cor Mariæ, fuere cauſæ dolorum ejus: *oculi*, qui Chriſtum patientem videbant: *intellectus*, qui eum perfecte cognoſcebat: *cor*, quod amore ejus ardebat. 256

III. Pars. Maria juxta crucem paſſa eſt: 1. Magna cum animi conſtantia: 2. Magna cum corporis modeſtia: 3. Magna cum voluntatis ſuæ ad divinam conformitate. 258

## FERIA VI. HEBDOMADÆ SANCTÆ.

*De acerba Chriſti Paſſione.*

In Chriſto patiente fuit: 1. Exceſſus afflictionis: 2. exceſſus humilitatis: 3. exceſſus amoris. 259

## DOMINICA PASCHATIS.

*De Chriſti Reſurrectione.*

Chriſti reſurrectio, eſt dogma, argumentum, & myſterium: 1. *Eſt dogma*, quo nullum clarius in ſacra Scriptura probatur: 2. *Eſt argumentum*, quo ad probandam Chriſti Divinitatem, nullum fortius invenitur: 3. *Eſt myſterium*, quo ad noſtram eruditionem, & morum correctionem, nullum aptius videtur. 266

## FERIA II. POST PASCHA.

*De peccatis recidivæ.*

Peccatorum recidivæ: 1. malitia: 2. pœna: 3. remedia. 271

I. Pars. Peccatorum recidivæ malitia magna eſt, quia priorum peccatorum malitiæ addit contemptum, ingratitudinem, & perfidiam: 1. contemptum Dei: 2. ingratitudinem erga Deum: 3. perfidiam adverſus Deum. 271

II. Pars. Peccatorum recidivæ pœna magna eſt: quia eos, qui poſt acceptam a Deo veniam, in propria peccata recidunt, Deus plectere ſolet, ſuſpenſione gratiarum, privatione gloriæ, & æterna damnatione: 1. *Suſpenſione gratiarum*, quibus non bene uſi ſunt: 2. *Privatione gloriæ*, cujus indigni ſunt: 3. *æterna damnatione*, cujus rei ſunt. 273

III. Pars. Peccatorum recidivæ remedia ſunt, voluntas bona, occaſionum fuga, & uſus pœnitentiæ. Sunt: 1. *Voluntas bona*, ſeu firmum propoſitum non recidendi: 2. *Fuga occaſionum*, *urgentium*, quæ ad peccandum allicere ſolent. 3. *Frequens pœnitentiæ uſus*, ac etiam aliorum Sacramentorum. 274

## FERIA III. POST PASCHA.

*De Pace.*

1. Non eſt pax impiis *in vita*. 2. Non eſt pax impiis *in morte*. 3. Non eſt pax impiis *poſt mortem*. 276

# CONCIONES
## PRO TEMPORE
# QUADRAGESIMÆ.

### FERIA QUARTA CINERUM.

## DE MORTIS MEMORIA.

*Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3. 19.

SI Philoſophia dicatur *cognitio rerum ut ſunt; Ariſtot.* ſeu, ſi Philoſophia ſit ſcientia naturas rerum explicans: certe *ſumma eſt Philoſophia meditatio mortis, Chryſologus ſerm.* 14. quia mortis memoria, ac frequens ejus meditatio docet nos, hanc omnium ſublunatium eſſe naturam, quod omnia fragilia ſint, tranſitoria ſint, quaſi nihilum ſint: & ideo a nobis deſpicienda, ut pœnitentiæ & chriſtianarum virtutum operibus adhæreamus; ac ut cæleſtibus, divinis, & æternis comparandis inſiſtamus.

Ut Philoſophiam hanc doceat ſancta Mater Eccleſia, filiorum ſuorum capita hodie cinere conſpergi & ſignari curat per miniſtros ſuos, cuique dicentes: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Nihil pulvere inanius, nil vilius, nil inſtabilius, nil magis volatile: memento autem tu homo ſuperbus, qui aliis dominari ambis; tu homo delicatus, qui tanta ſollicitudine ſanitati tuæ curandæ ſtudes, tu homo peccator, qui tot ſcelerum reus es, tu homo infirmus, qui te diu victurum erronee credis; *memento*, inquam, *quia pulvis es*; memento, quia moriturus, ac in brevi in cinerem & pulverem reverſurus. Hæc eſt Philoſophia ſacra, quam hodie ſancta docet Eccleſia, quam & ego in tota hac oratione docere conabor, dum ad mortis memoriam frequenter habendam vos hortabor, &c. *Ave.*

TAnta divinæ gratiæ virtus, efficacitas tanta ut perditos, & diſſolutos quoſque homines a peccatis ſæpe avertat, ad pœnitendum moveat, & ad operibus bonis vacandum inducat. A peccatis quidem avertit divina gratia; nam, ut ait D. Auguſtinus: *Quanto magis regnat in unoquoque gratia, tanto minus dominatur iniquitas. Auguſt. in Pſ.* 118. Gratia etiam ad pœnitendum movet: hæc etenim peccatoribus pœnitentiam inſpirat, ac in cujuſque corde ait: *Convertere ad Dominum Deum tuum. Oſeæ* 14. 2. Gratia tandem ad bona opera facienda inducit: nulla enim opera meritoria ex nobis quaſi ex nobis agimus; ſed per gratiam, quæ nos ad bene agendum allicit & inducit: *non ego, ſed gratia Dei mecum.* 1. *Cor.* 15. 10.

O magnam divinæ gratiæ virtutem! Sed & eadem mortis meditationi convenit virtus: mortis enim memoria, & frequens ejus meditatio eſt quaſi gratia, aut, ut melius loquar, frequenti mortis meditationi gratia quædam annexa eſt, quia qui ſerio & frequenter ſe vere, cito, & inopinate moriturum cogitat, a peccatis avertitur, ad pœnitendum movetur, & ad bene operandum allicitur. *Memento* ergo *homo, quia pulvis es,* & non peccabis: *memento quia pulvis es,* & pœnitentiam ages: *memento quia pulvis es,* & opera digna ſalutis facies. Quæ ut certius conſtent, dico, quod mortis memoria; 1. a peccatis avertit, 2. ad pœnitendum movet, 3. ad bene operandum inducit.

### PRIMA PARS.

*Mortis memoria a peccatis avertit.*

QUi recte ſapiunt, non tam ſuam originem, & nobilem a qua deſcendunt progeniem, quam finem ſuum, ſeu mortem, quæ terrenarum omnium felicitatum eſt finis & terminus, ſerio contemplantur: *Sapientis eſt, non tam rei principium proſpicere, quam finem & exitum prævidere. Auguſt. tom.* 9. *in ſpec.*

Frequens hæc mortis memoria, ac fervens ejus meditatio, ad ſpernendas ſæculi pompas, ad contemnendas carnis delicias, & ad poſtponendas mundi curas, innumeros induxit; ſed &, ſi credamus Sapientum Principi, frequens illa mortis cogitatio ad avertendos homines a peccatis ita potens eſt, ut qui mortis crebro meminerit, in æternum non ſit peccaturus: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Eccli.* 7. 40. Hoc eſt, ut exponit Hugo Cardinalis, *numquam peccabis, & peccata digna morte æterna numquam facies:*

Verum quidem, peſſimos quoſque peccatores interdum mortis recordari: cum ſcilicet pro mortuis campanas pulſari audiunt, cum aliquem ex cognatis vel amicis obiiſſe diſcunt, cum cæmeteria pertranſeunt, vel cum quis coram ipſis moritur. Tunc *funere calente, corpore adhuc præſente*, recogitant ſe morituros, ſed hæc cogitatio mox evaneſcit: *Cogitatur mors*, inquit Auguſtinus; *ſed forte cum mortuus plangitur, cum exequiæ præparantur, cum offertur, cum itur, cum ſepelitur: ſepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio ſepelitur. Auguſt. ſerm.* 15. *de Reſurrect. Dom.* Quamdiu piæ hæ mortis cogitationes durant, hi a peccatis cavent, & ſi cogitationes illæ in mente ſemper manerent, hi a peccatis ſemper abſtinerent, quia qui ſerio & ſæpe ſe mortuum conſiderat, a peccatis omnibus facile declinat: *memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

In ſomnis vidit Nabuchodonoſor ſtatuam grandem, cujus caput ex auro optimo erat, pectus & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibiæ erant ferreæ, & pedum quædam pars erat ferrea, & quædam

dam

Digitized by Google

dam fictilis. Hoc Nabucodonoſoris ſomnium *ſtatim fugit ab eo*, *Dan.* 2. ita, ut nec recordaretur ejus cum evigilavit, opuſque fuerit, ut Daniel ſomnium ejus divinaret. Sic etiam multi, cum mortem aliquando cogitant, hanc veluti ſomniando reſpiciunt, & ſtatim obliviſcuntur ejus, nihilque eſt, cujus tam cito obliviſcantur, quam mortuis. *Quid iſtud, quæſo, quid iſtud eſt? nihil ita quotidie homines ut mortem vident, nihil ita obliviſcuntur, ut mortem. S. Eucher. Epiſt. paræn.* Plerique ſimiles ſunt letargicis, qui a lethali ſomno clamoribus multis, violentibus motibus, & diris inciſionibus tantiſper excitatis, videntes non vident, audientes non audiunt, unoque aut altero verbo imperfecte prolato, ad priſtinum redeunt ſoporem, nec eorum quæ viderunt & audierunt reminiſcuntur. Sic innumeri letargico ſcelerum ſuorum ſomno gravati, aliquantulum excitantur, cum Prædicatores de morte dicunt, cum pro defuncto quodam pulſatur æs campanum, vel cum quis coram ipſis ſubitanea morte rapitur; ſed tunc audientes non audiunt, videntes non vident, ac tam leviter tamque ſegniter hæc omnia conſiderant, ut mox & mortis & mortuorum obliviſcantur. Et ideo ad fraudes, ad rapinas, ad perjuria, ad infinitas corporis voluptates, & ad priſtina omnia peccata ſtatim redeunt; ad quæ non redirent, ſi hæc mortis conſideratio in cordibus eorum altum figeretur, & ſi in mente eorum hæc mortis cogitatio perſeveraret. Quia nil ita a peccatis avertit, ut mortis memoria: *Nil ſic revocat hominem a peccato, quemadmodum jugis mortis recordatio. D. Aug. l. 2. de Geneſ. ad litt. cap.* 8.

Homo ex natura ſua miſer eſt, multiſque miſeriis obnoxius: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Job* 14. 1. Homo *miſer* in mente, quæ multis ignorantiæ & errorum tenebris involuta eſt; *miſer* in corpore, quod eſt immunditiæ ſentina; & pravæ concupiſcentiæ fornax: *miſer* in anima, quæ inordinato affectu creaturis adhæret, & ad peccata multa declinat; & tamen miſer ille homo, diabolica ſemper inflari ſolet ſuperbia: *cunctis diebus ſuis impius ſuperbit: Job* 15. 20. in miſero hoc homine non minuitur, ſed ſemper augetur ſuperbia: *ſuperbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. Pſ.* 73. 23. Cur, quæſo, infirmus & miſer ille homo ita intumeſcit? cur ſuperbit pulvis & cinis? quæ cauſa ſuperbiæ hominum? Cauſa ſuperbiæ eorum eſt, quia de morte non cogitant: *quia non eſt reſpectus morti eorum*, inquit Propheta, *ideo tenuit eos ſuperbia*, *Pſ.* 72. 4. vel, ut explicat S. Hieronymus, *quia nunc cogitaverunt de morte, ideo tenuit eos ſuperbia*. Hæc eſt cauſa, cur ſuperbia homines tument; ſed hæc eſt etiam cauſa, cur in alia omnia peccata incidunt. Unde ſubdit Vates Regius: *ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua.* Vis ſcire, cur vindictæ flammis incenduntur homines? cur avaritiæ ſpiritu agitantur? cur gulæ indulgent? cur fœdis libidinibus ſe inquinant, ac in gravia quæque peccata incidunt? Cauſa hæc eſt, quia non cogitant de morte: *ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua.* Hæc quidem cauſa, cur in tot cadant crimina: ſi enim ſerio cogitarent, ſe brevi morituros, ſe in pulverem redigendos, a vermibus ſua corrodenda corpora, animaſque ſuas ad tartara forte mox trahendas, haud dubie a peccatis abſtinerent: quia *nihil ſic revocat hominem a peccato, quemadmodum jugis mortis cogitatio.*

Dei teſtimonio ſcimus, Jobum fuiſſe hominem juſtum, timentem Deum, & ab omni recedentem peccato. De hoc enim ſervo ſuo Deus ſatanam alloquens, dixit: *Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? Job* 1. 8. Ita ab omni peccato recedebat Job, ut in conſpectu ipſius Dei, qui cordium & cogitationum ſcrutator eſt, dicere non veritus ſit, ſe non peccaſſe: *non peccavi. Job* 17. 2. In terra Hus vivebat, inter idololatriæ cultores verſabatur; in medio Paganiſmi erat, ubi innumera videbat malorum exemplorum incentiva, ubi ſacræ Scripturæ oracula non legebat, ubi non audiebat Prophetarum documenta, ubi perſpicua Evangelii luce carebat; & tamen perfectæ innocentiæ ſuæ dans teſtimonium, ſe non peccaſſe aſſerit: *non peccavi.* Unde in viro hoc ſimplici & recto tanta innocentia? a quo habuit Job, quod non peccaverit? Profecto a mortis & ſepulchri ſui conſideratione. *Dies mei breviabuntur*, inquit, *& ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum: non peccavi. Job* 17. 1. Quaſi dicat: ſepulchri & mortis contemplatio tantam mihi contulit innocentiam, ut peccata quævis gravia vitaverim: *non peccavi.* Sic præfata Jobi verba exponit magnus ille Papa Gregorius. Unde ſumit occaſionem hortandi homines ad mortis conſiderationem; utpote quia mortis conſideratio ad vitanda quævis peccata maxime juvat: *Perfecta vita eſt mortis meditatio, quam dum iſti ſollicite peragunt, culparum laqueos evadunt. Greg. lib.* 1. *Moral. c.* 16. Memento ergo homo, quia pulvis es, memento ſepulchri, & putredinis in quam redigendus; recordare imminentis mortis tuæ, qua adveniente, tuos, & tua relinques, ac ad tremendum Dei judicantis Tribunal properes. Si horum memineris; ſi hæc ſerio & ſæpe meditatus fueris, peccatorum laqueos facile evades: quia *non eſt vitio diverſorium, in quo verſatur mente ſepulchrum. Petr. Damian.*

De Sampſone legimus, quod a via declinaverit, ut leonis cujuſdam cadaver inſpiceret, *declinavit, ut videret cadaver leonis. Judic.* 14. 8. O utinam omnes homines a via, ſeu a negotiis ſæcularibus declinarent; ut non unius ſolum, ſed & multorum contemplarentur cadavera leonum, id eſt Principum, Regum, Imperatorum, divitum, & aliorum qui in hoc mundo floruerunt! Horum cadavera contemplabatur Baruch Propheta, dicens, quod hi jam perierint, & exterminati ſint; *Ubi ſunt Principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? qui in avibus cæli ludunt, qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? qui argentum fabricant & ſolliciti ſunt, nec eſt inventio operum illorum? Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt.* Ad frequentem horum mortuorum, ac etiam mortis noſtræ conſiderationem hortatur nos Baſilius his verbis (Mortalem te eſſe recordare: circumſpice illos, qui ante te ſimilibus ſeſe ſplendoribus efferebant. Ubinam ſunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi invicti Rhetores atque Oratores? ubi Duces? ubi Poteſtates? ubi Tyranni? Nonne omnia pul-



Digitized by Google

vis? nonne fabula? nonne in paucis oſſibus memoria ipſorum conſervatur? Contemplare ſepulchra: vide num poſſis diſcernere, quiſnam ſervus, quis dominus; quis pauper, quis locuples fuerit. *Baſil. orat. de mort.*) At non ad alios, verum & ad nos ipſos mentem & oculos convertamus, ſerio conſideremus, quam brevis ſit vita noſtra, quam cito ad nos veniet mors, quam terribilis erit. Perpendamus, quid futurum de anima poſt mortem, ducetur ne ad cælos, an ad inferos rapietur? Sed quid fiet de corpore? nonne erit cadaver fœtidum, corruptum & horrendum? Hæc & alia hujuſmodi, quæ in noſtra & aliorum morte accidere ſolent, ſerio & frequenter ſunt conſideranda: & hujuſmodi conſideratio nos a peccatis avertet: quia *nemo memoriam mortis habens, poterit aliquando peccare. Climac. grad. 6.*

Querula voce Dominum interpellat Vates Regius, dicens: *Uſquequo Domine, uſquequo peccatores gloriabuntur? Pſ. 93.* O Domine, tu ſcis, quod impii tua præcepta impudenter violent, leges tuas pro nihilo habeant, viros pios opprimant, viduam & advenam interficiant; immo & tuam negent providentiam, dicentes: *non videbit Dominus. Ibid.* O Domine, quamdiu durabit hæc impiorum ſuperbia & impudentia? quouſque ſuis adhærebant iniquitatibus? Iis adhærebunt, donec ſerio & ſæpe de morte cogitent: *donec fodiatur peccatori fovea. Ibid.* Seu, ut exponit Hugo Cardinalis, iis adhærebunt, *donec ingrediantur ſepulchrum, id eſt; de morte cogitent.* Quamdiu enim de morte non cogitant peccatores, in peccatis ſuis dormiunt, nec ab iis ſurgere curant; ſed cum de morte ſerio cogitant, a peccatis declinant: quia *nemo memoriam mortis habens, poterit aliquando peccare.*

O peccator, ſerio & ſæpe de morte cogita, ſingulis diebus *reſpice finem*, & ſedulo conſidera quis futurus ſit finis tuus, quæ futura mors tua: ſingulis diebus aliquantulum temporis inſume, ut mediteris noviſſima tua. Ne libros illos legas, qui vanitatem, libidines & impietates inſpirant; ſed eos qui mortem tibi in memoriam revocant. Ne adeas comœdias, & alia loca, ubi omnia ad peccandum alliciunt, ſed intra cubiculum tuum, & tibi ſæpe volve libros qui de morte pertractant. Abjice profanas quaſque imagines, quarum aſpectu ad peccandum excitaris, & habeto ſemper in cubiculo cadaveris fœtidi imaginem, cujus intuitu de futura morte monearis. Hoc ſi facias, a peccatis facile declinabis; quia mortis conſideratio a peccatis avertit; *ac etiam ad pœnitentiam de peccatis agendam excitat.*

## SECUNDA PARS.

*Mortis memoria ad pœnitentiam movet.*

MOrs, ait Doctor Seraphicus, non eſt leviter & ſegniter conſideranda, ſed ſerio cogita, inquit, quod mors ex improviſo ad te veniet, quia ſicut fur, quando minime putabis, quando minus diſpoſitus eris, & quando diutius vivere ſperabis. Revolve deinde ordinem quo ad mortem devenitur, & habe te nonnunquam, ſicut ſi ſtatim eſſe moriturus. *S. Bonav. in faſcic. c. 2.* Cogita qualiter præcedet mortem graviſſima infirmitas, cujus aliæ infirmitates non ſunt niſi ſicut præcones, vide gravitatem hujus infirmitatis, & perpende quantus tunc erit clamor conſcientiæ, quantus remorſus in eo qui ſe non diſpoſuit. Cogita de ſingulis peccatis tuis, & paſſionibus propriis ſingulariter, quantum tunc de iis dolebis, quia non viciſti. Cogita quantus tunc erit dolor tuus, cum videbis, quod propter tam parvam delectationem, illa ſempiterna gaudia amiſiſti. Cogita, quam amara erit ſeparatio, cum ab his quæ vitioſe dilexiſti, ſeparaberis. Cogita diſpoſitionem morientis; quomodo totum corpus nigreſcit & tabeſcit, quomodo dæmones ſint ibi, tamquam Leones rugientes, parati ad eſcam; & quomodo tunc ſinguli ſpiritus vitiorum ad animam tuam occurrent, quærentes, & circumeuntes, ut eam devorent. Conſidera etiam quomodo anima egreſſa de corpore mox ſtatuitur ante tribunal Judicis, & fertur ſententia, quæ numquam revocabitur, & ubicumque tunc lignum ceciderit, ibi manebit. Denum cogita, quod corpus traditur ſepulturæ, & perpetuæ oblivioni. Hæc ſi ſæpe cogites, & in memoriam revoces, non ſolum non peccabis, ſed & de perpetratis peccatis pœnitentiam ages: qui enim mortis crebro & ſerio reminiſcuntur, ad pœnitendum facile adducuntur. Et ideo ait Propheta, quod *reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ. Pſ. 21. 28.* quaſi non poſſint reminiſci mortis, quin ſtatim ad Dominum convertantur, & pœnitentiam agant.

Mors ſi oblivioni traditur, quaſi mortua eſt, nullumque impiis horrorem & terrorem incutit; at ſi mors a memoria non recedat, tunc viva & terribilis eſt, multaque efficaciter operatur in cordibus hominum. Eos a ſuperbia retrahit: nec enim ſuperbire poteſt homo, qui ſe brevi in pulverem & putredinem redigendum cogitat: *quid ſuperbis terra & cinis? Eccl. 10. 9.* Eos ad contemptum omnium terrenorum allicit, *facile contemnit omnia, qui ſemper ſe cogitat moriturum. D. Hieron.* Eos adverſus libidinis incentivum, & adverſus carnis tentationes validos & fortes efficit: *Si te libido ad peccatum incitat, ſi te luxuria tentat, objice tibi memoriam mortis. D. Bern. ſerm. 7. de temp.* Eos ab avaritiæ ſpiritu revocat: cum enim conſiderant, ſe alienis divitias ſuas relicturos, quodque ſive Reges illi ſint, ſive Imperatores, ac licet omnes Crœſi divitias habeant, nil poſt mortem ſecum auferent, divitiarum affectum facile deponunt, unde ad mortis & ſepulchri meditationem avaros invitat Petrus Damianus, dicens: *Si te avaritiæ ſtimulus incitat, ad ſepulchrum praſi recurre.* O quam potens, quam efficax mortis memoria! ſed adhuc efficacior videtur, quia omnes penitus peccatores ad cordis compunctionem, ad veram converſionem, & ad pœnitentiam adducere valet: ut enim ait Propheta; *reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ. Pſ. 21. 23.* Ubi adverte, quod poſt hoc verbum, *reminiſcentur*, ſtatim ponitur, *& convertentur*: quaſi non poſſint mortis reminiſci, quin ſtatim ad pœnitentiam adducantur. Et ideo mortem multi Prophetam magnum, Doctorem eximium, vel egregium Prædicatorem vocant, a quo ad pœnitentiam homines moventur.

D. Paulus Troadem ingreſſus, adſtante magna populi multitudine, diſputavit, & concionem habuit, *protraxitque ſermonem uſque ad mediam noctem. Act. 20.*

7. Se-

Digitized by Google

7. *Sedens autem quidam adoleſcens, nomine Eutychus, ſuper feneſtram, ſomnoque gravi oppreſſus, cecidit de tertio ſolario deorſum, & ſublatus eſt mortuus.* Hoc caſu omnes attoniti ſunt auditores, & Paulus conticuit, nec ultra concionem ſuam protraxit. Cur tacet Paulus, mortuo puero? cur gentium Apoſtolus concioni ſuæ finem facit? hoc caſu populus ad rite audiendum verbum Dei, & ad fructum ex illo carpendum videbatur magis præparatus: cur ergo mortuo puero, prædicationi finem facit? Præclare reſpondet Chryſoſtomus, Eutychum mortuum geſſiſſe vices Pauli concionantis: ac mortem ejus fuiſſe Doctorem egregium, qui adſtantibus brevitatem vitæ, mundi contemptum, & pœnitentiam prædicavit: *pro Doctore caſus fuit. Chryſoſt. hom. 42. in Act.* O quam multi quotidie coram vobis cadunt & moriuntur homines! Scitis cecidiſſe patrem, avum, atavum, & omnes majores veſtros: cadentes videtis a dextris mille, & a ſiniſtris decem millia: cadunt undequaque conſanguinei, amici, & alii innumeri, omnes hi caſus, quaſi prædicatores ſunt, qui mundi contemptum, odium peccati, & pœnitentiæ amorem inſpirant: non enim poſſumus mortis reminiſci, quin ad converſionem morum, & ad pœnitentiam moveamur: *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum:* Seu, ut explicat S. Bernardus, *recordabuntur, quod pulveres & cineres ſunt, & convertentur ad Dominum. Bernard. in Medit.*

Mortuo Joſeph Patriarcha, oſſa ejus prædicaſſe, & propheraſſe, ait Sapiens, *& oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt. Eccl. 49. 18.* Noſtis Moyſen oſſa Joſeph de terra Ægypti ad terram promiſſionis tranſtuliſſe: *tulit quoque Moyſes oſſa Joſeph ſecum. Exod. 13. 19.* Præclare adnotat Lippomanus, Hebræos, minus prudentes, auro, argento, aliiſque Ægypti opibus, ſeſe oneraſſe; Moyſes vero, ut ſapientior, pretioſiorem theſaurum detulit, nempe oſſa Joſeph: *tulit quoque Moyſes oſſa Joſeph ſecum.* O quam pium Moyſis, oſſa Joſeph deportantis, factum! quam pie tota quadraginta annorum peregrinatione, ſimul cum arca Teſtamenti, arcam aliam deferri curavit, in qua oſſa Joſeph requieſcebant! quam mirabile, quod toto hoc tempore, totoque illo itinere, Joſephi oſſa prophetarint: *oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt!* Sed quid, & quomodo hujus defuncti oſſa prophetaverunt, & prædicaverunt? Certe arida Joſephi mortui oſſa efficacius populo prædicaverunt, quam facunda ejuſdem Joſephi vivi eloquentia: plus de Joſephi cineribus, quam iteratis ejus verbis, populus ad peccati fugam, & ad recte vivendum excitatus eſt. Oſſa hæc, totius populi conſpectui expoſita, prophetaverunt, & prædicaverunt reverentiam erga Deum, qui tantum in vitas noſtras habet dominium, ut cum placuerit, ab hoc mundo nos auferat. Oſſa hæc prophetaverunt cordis humilitatem, quæ magna eſſe debet, cum nos in pulverem, & cinerem brevi redigendos recogitamus. Mundi etiam contemptum, & omnis mundanæ proſperitatis deſpectum prædicaverunt: ſed prædicaverunt præſertim morum converſionem & pœnitentiam; quia cum mortis recordamur, ad morum converſionem, & ad pœnitentiam agendam plurimum movemur: *recordabuntur, quod pulveres & cineres ſunt, & convertentur ad Dominum.* Unde mihi audire videor oſſa hæc ſuo modo Iſraelitis clamantia: *pœnitentiam agite, pœnitentiam agite.*

De quodam Burgundiæ Duce fertur, quod cum mortui parentis corpus ex uno in alium locum transferre vellet, aperto ſepulchro, horrendum vidit bufonem, faciei patris ſui inhærentem, ac linguam ejus comedentem. Quo commotus ſpectaculo filius, ad ſe reverſus, clamavit coram adſtantibus, dicens: O falſa mundi gloria! ſubluſiſti patri meo, non ſubludes filio. Ubi ſunt, pater, divitiæ & deliciæ, quibus fruebaris, dum in hoc mundo viveres? Ubi exquiſiti cibi, & lauta convivia, quæ tanto ſtudio tibi parabantur? O quam infelix pater, qui jam a bufonibus & vermibus comederis turpiter, ſicut tu pauperes devoraſti! In alia his ſimilia prorupit verba prudens filius, ac ita ex mortis & mortui conſideratione tactus eſt intrinſecus, ut relictis omnibus, Clauſtrum intraverit, ibi toto vitæ tempore pœnitentiam acturus. Ecce quid operata eſt mortis memoria in nobili hoc viro; ecce quid operata eſt in aliis innumeris, & quod in omnibus operaretur, ſi ſerio ſe brevi morituros cogitarent; quia mortis memoria ad pœnitentiam movet: *ac etiam ad bona opera facienda inducit.*

## TERTIA PARS.

*Mortis memoria ad bona opera facienda inducit.*

NEmo eſt, qui ſe moriturum ignoret; ſed hujus rei memoriam habere paucorum eſt: nam vel dæmonis induſtria, vel negotiorum ſæculi multitudine, vel voluptatibus, quibus homines immergi ſolent, fit, ut pauci imminentem ſibi mortem ſerio & ſæpe recogitent. Verum eſt, inquit Chryſoſtomus, (quod nulla res eſt, de qua ſæpius homines loquantur, quam de morte: ſed nulla etiam res, quam minus recogitent. *Chryſoſt. homil. 3. de Spiritu Sancto.* In ipſo matrimonii contractu multoties nomen mortis apponitur: *Si vir ante uxorem moriatur; ſi uxor prius moriatur; ſi primogenitus moriatur;* & toties repetito mortis nomine, nullam mortis conſervant memoriam.) O quam ſtulti, qui tam cito, & tam facile mortis obliviſcuntur! nihil enim utilius, nil ſalubrius, quam ejus ſæpe ſæpius recordari; utpote quia ejus memoria ad omnis virtutis exercitium movet; & ut ait D. Auguſtinus, mors, quæ in hunc mundum intravit, ut eſſet pœna peccati, ſi ob oculos ſæpe objiciatur, ac mente crebre revolvatur, ad bona opera facienda, & ad omnium virtutum acquiſitionem potentiſſime movet; *ipſa pœna vitiorum, tranſiit in arma virtutum. Aug. lib. 3. de Civit. cap. 4.*

Hæc haud dubie fuit cauſa, cur multi magna ſollicitudine mortis recordari curarunt. Non defuere populi, qui monetis ſuis inſculptam haberent mortis effigiem: ut non poſſent monetam manu tenere, quin ſimul mortis haberent memoriam. Ob eandem rationem mortuorum ſuorum cadavera ſupra Civitatum ſuarum muros collocari curabant Æthiopes. De Trojanis etiam fertur, quod ad Civitatis portas mortuos ſuos reponere ſoliti erant. Cum olim coronaretur Imperator, ad eum aliqua marmoris fruſta, eaque varii coloris deferebant ſepulchrorum con-

ſe-

Digitized by Google

ſectores; ac ab eo inquirebant, ex quo marmore vellet ſibi conſtrui ſepulchrum, quo ſuæ mortalitatis admonebatur. *Cornel. a Lapid. in cap. 21. Numeror.* S. Joannes Eleemoſynarius ſibi fieri ſepulchrum curaverat; cumque illud ex induſtria imperfectum reliquiſſent operarii, quotieſcumque menſæ aſſidebat, aliquis ex ſuis ad eum veniebat, ſecreto dicens: *Monumentum tuum uſque hodie eſt imperfectum, Domine; jube ergo, ut id finem accipiat, incertum enim eſt, qua hora mors ventura ſit.* S. Jacobus Heremita pluribus annis in ſepulchro delituit: alii multi in feretris ſomnum captarunt, probe ſcientes, frequentem mortis memoriam ad humilitatem, patientiam, & alias virtutes ſectandas potentiſſimum eſſe incentivum. Qui enim ſe brevi moriturum cogitat, *humilitatem* facile colit, quia in pulverem ſe mox redigendum agnoſcit; *patientiam* ex animo ſectatur, quia corpus ſuum laboribus multis, ac ipſi morti obnoxium videt; *ad mundi contemptum* non invite fertur, quia mundum & ejus gloriam ſe cito relicturum novit; *ad Dei amorem* accenditur, quia ſtatim poſt mortem eum videre & poſſidere ſperat; *ad proximi dilectionem*, & ad alias virtutes comparandas plurimus inclinatur, quia mortis memoria ad virtutes ſectandas, & ad bona opera facienda efficaciter inducit: *ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutum.*

Cum miles imminens prævidet certamen, non dormitat, nec otio indulget; ſed gladium, loricam, ſcutum, & omnia ad pugnam neceſſaria præparat. In morte autem grave aereas inter poteſtates & animas noſtras initur prælium; quare qui ſe brevi moriturum cogitat, turpi non vacat otio, ſed bonis operibus ad hoc certamen ſuſcipiendum ſe parat.

Cum quis coram Judice litem capitis habet, dormit parum, omnique temporis momento, nunc uno, nunc alio modo laborat, ut cauſa non cadat. Magnam autem habemus litem, quæ pendet ante tribunal Chriſti, in qua de vita, aut morte æterna agitur. Hæc lis agitanda & terminanda in hora mortis: quare qui mortem cito venturam recogitant, bonis operibus ſupremum Judicem flectere, iram ejus mitigare, ac ad jura ſua tuenda ſe apparare conantur.

Cum prudens navis gubernator mox excitandam tempeſtatem prænoſcit, domus, patriæ, ac familiæ curas deponit, totuſque mente, corpore, ſenſu, nauticis laboribus occupatur, ut fluctuum poſſit ſuperare diſcrimina, & ſtationem lucroſi portus, periculi victor, intrare. Totus autem terrarum orbis procelloſum eſt mare, in quo cuncti inter ſyrtes & ſcopulos navigant homines, ſed magna in cujuſque morte oriunda eſt tempeſtas: quare qui ſe cito morituros cogitant, bonis operibus vacant, ut in hac procella de concitatis a dæmone fluctibus victores evadant, & ad optatum paradiſi portum pervenire valeant. Et ideo ait D. Paulus, quod *mors in nobis operatur*; *2. Corinth. 4. 12.* ſeu quod mortis memoria ad bona opera facienda nos inducit; quia qui mortem imminere recogitant, bonis operibus ſedulo vacant, ut in certamine hora mortis ineundo imparati non inveniantur, ut in lite tunc agitanda cauſa ſua non cadant, & ut in tempeſtate quæ tunc inſurget, victores ad ſalutis portum perveniant.

Hanc inter viri ſapientis, & viri ſtulti oculos differentiam ſtatuit Salomon, quod vir ſapiens in capite, ſtultus vero in terræ finibus oculos habeat. Sapientes, inquit, oculos in capite habent: *ſapientis oculi in capite ejus: Eccl. 2. 14.* ſtulti vero oculos habent in finibus terræ: *oculi ſtultorum in finibus terræ. Prov. 17. 24.* Cur ait Salomon, ſapientis oculos in ejus eſſe capite? nonne tam ſtulti quam ſapientes oculos in capite habent? cur ergo ſapienti id ſpecialiter tribuit, quod oculos in capite habeat, quaſi vero alii oculos non in capite, ſed alibi habeant? Ratio eſt, quia oculos in capite, & non in pedibus noſtris, Auctor naturæ poni voluit, ut inde quæ longe diſtant, facilius cernere poſſemus, & ideo ſapientis oculi in capite eſſe dicuntur, quia vir ſapiens non ſolum præſentia, ſed etiam futura; non ſolum quæ in vita, ſed etiam quæ in morte eventura ſunt, advertit & prævidet. *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Deuter. 8. 29.* Vir ergo ſapiens oculos in capite habere dicitur, quia vir ſapiens proſpicit, quod intra breve tempus morietur; quod tunc domos, agros, vineas, pecunias, proventus & dignitates relinquet, nilque aliud ſecum afferet, quam eleemoſynas, jejunia, & alia bona opera quæ in hoc mundo fecerit: *opera enim illorum ſequuntur illos. Apoc. 14. 13.* Quare viri ſapientes, qui ſe morituros ſerio recogitant, bonis operibus ſedulo incumbunt, ut ea poſt mortem ſecum deferant, & ut iis æternam felicitatem comparare valeant. Mors prævia & recogitata in iis operatur, quia eos ad bona opera facienda inducit. *Mors operatur in nobis.*

Diſcurſum irridet Auguſtinus & ratiocinationem ſtultorum quorumdam, qui ex hoc quod ſe cito morituros prævidebant, bibendum & comedendum eſſe inferebant. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Iſa. 22. 13.* Sic certe ratiocinantur ſtulti multi, qui licet mortem imminere proſpiciant, dicunt tamen: dum tempus habemus, gaudeamus, epulemur, ebrietati & fœdis libidinibus vacemus, ac hujus mundi bonis fruamur. Sed, inquit D. Auguſtinus, aliter ratiocinantur viri ſapientes; non dicunt: *comedamus & bibamus, cras enim moriemur:* ſed dicunt: *jejunemus & oremus, cras enim moriemur. Auguſt. in Pſal. 70.* Hæc eſt legitima conſequentia, quam ex imminentis mortis prævisione eliciunt: quia ex mortis memoria ad jejunandum, ad orandum, & ad alia bona opera facienda inducuntur.

Videte, quomodo ſe habuerit Propheta Regius, & quomodo ex mortis memoria ad bona opera facienda adductus fuerit: *Cinerem*, inquit, *tamquam panem manducabam. Pſalm. 101. 10.* Cum re aliqua frequenter utimur, dicere ſolemus: hæc res cibus meus eſt; ſic quoque, David mortis memoriam ita ſibi familiarem dicebat, ſicut panis uſum, quo in communi vita ſemper utimur: *Cinerem tamquam panem manducabam*; id eſt, ut explicat Bellarminus, *memoria infirmitatis & conditionis meæ, qua memini, me pulverem & cinerem eſſe, panis mihi eſt, refectio mea eſt.* Sed quis fuit effectus mortis ſic recogitatæ? quid in Propheta cauſavit frequens hæc mortis memoria? In eo cauſavit cordis dolorem, & uberem lacrymarum effuſionem; *& panem meum cum fletu miſcebam. Pſalm. 34. 13.* in eo cauſavit affectum ad ha-

humilitatem, ad jejunia, & ad alias corporis mortificationes; *humiliabam in jujunio animam meam.* Continua hæc mortis meditatio eum ad vigilandum, ad ſurgendum media nocte, & ad Deum laudandum movit: *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Pſalm. 118. 62.* Mortis tandem memoria & Prophetam, & alios Sanctos ad innumera bona opera facienda induxit. Recordamini ſimiliter, vos brevi morituros, & mortem ex improviſo ad vos venturam; in memoriam revocate, quam terribilis, & quam formidanda mors, ex qua pendet æternitas; frequenter mortem in januis ſtantem, ac inſidias parantem meditamini; & hæc mortis memoria non ſolum ad præcavenda peccata, ſed ad pœnitentiam de peccatis agendam, ſed etiam ad bona opera facienda vos alliciet. *Memento homo, quia pulvis es*, & non peccabis; *memento homo, quia pulvis es*, & pœnitentiam ages; *memento homo, quia pulvis es*, & bonis operibus faciendis incumbes; quibus mediantibus, æternam felicitatem comparabis. *Amen.*

## FERIA V.

## ANTE DOMINICAM PRIMAM.

# DE FIDE.

*Non inveni tantam fidem in Iſrael.* Matth. 8.

TOtus admirabilis fuit Centurio ille, de quo hodiernum Evangelium: ut ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, vix concipi poteſt, quid in eo ſit majori admiratione dignum, an humilitas, an fides, an ſapientia, an bonitas & charitas erga ſervum: *Vix ſcio quid primum admiremur in Centurione, humilitatem, aut fidem, aut ſapientiam, aut bonitatem. Chryſoſtomus homil. 22. in cap. 8. Matth.*

In eo, ut ſubdit, os illud aureum, miranda eſt humilitas: *quia in domo Chriſtum ſuſcipere, dignum ſe eſſe non æſtimavit.* In eo mirabilis eſt fides: *quia credidit, Chriſtum poſſe quod ipſe petiit.* In eo mirabilis eſt ſapientia: *quia divinum theſaurum, abſconditum in agro terreno, non acumine oculorum, ſed mentis puritate, nullo demonſtrante, proſpexit.* Mirabilis tandem in eo bonitas: *quia pro ſervi ſalute maxime ſollicitus fuit.*

Omnia quidem in hoc homine mirabilia: ſed audio Chriſtum Salvatorem, qui laudandæ, & extollendæ ejus fidei totus incumbere videtur; & qui palam fatetur, ſe tantam in Iſrael non inveniſſe fidem: *miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.* Admiremur Centurionis fidem, & ex ea occaſionem de fide dicendi ſumamus, &c. *Ave.*

FIdem ut quid homini viatori inutile, & nullo modo neceſſarium inſpiciunt Gentiles Philoſophi, & licentioris vitæ homines, dicentes, lumen naturale cuique ſufficere, nec hominem ſupernaturali fidei lumine quomodocumque egere. Magna quidem hujuſmodi hominum cæcitas, adverſus quos fidem divinam & ſupernaturalem homini viatori maxime neceſſariam eſſe probabimus; *& hæc erit prima hujus Concionis pars.*

Fidem Chriſtianam, & ejus dogmata, quid vile, & contemptibile eſſe arbitrantur viri illi ſuperbi, qui forti, ſublimi, & excelſo ingenio ſe pollere gloriantur, & ideo de fidei myſteriis interdum palam garriunt, eaque deſpiciunt, & contemptui habent. Hi ſane fidem non deſpicerent, ſi ignari non eſſent, & maligni, eorumque patebit inſcitia & malitia, cum fidei excellentiam & præſtantiam propalabimus; *& hæc erit ſecunda Concionis iſtius pars.*

Fidei injuriam faciunt Chriſtiani illi deſides, pigri, & ſalutis ſuæ obliviosi, qui acceptam a Deo fidem debitis qualitatibus non exornant. Iſtos autem docebimus qualitates, quibus in homine Chriſtiano fulgere debeat fides; *& hæc erit tertia pars hujus Concionis.* In prima ergo parte videbimus fidei neceſſitatem; in ſecunda præſtantiam illius; & in tertia ejus qualitates. *Fidei neceſſitas, præſtantia, & qualitates*: en tres hujus Concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Fidei neceſſitas.*

FIdem noſtram Deo glorioſam eſſe certum eſt, quia per fidem illum honoramus, dum illi intellectus noſtri ſacrificium offerimus. *Fides eſt quaſi capitalis honorificentia Dei; S. Bern. Ser.* Fides autem, quæ Deo eſt glorioſa, eſt etiam homini maxime neceſſaria. 1. Ut Deum cognoſcat. 2. Ut Deo placeat. 3. Ut ad Deum vadat.

1. Deum exiſtere, eumque unum eſſe, ſolo rationis lumine cognoſcere poſſumus, ſed ſine fide cognoſcere non valemus, quid ſit ipſe Deus, quæ & quantæ ſint ejus perfectiones, quot in Deo ſint Perſonæ, necnon alia multa Divinitatis myſteria. Quia ſicut ſol ab homine videri non poteſt, niſi proprios ipſe emittat radios, quibus mediantibus videatur, ita nec Deus ab homine perfecte cognoſci poteſt, niſi ipſe fidei radiis illum illuſtret, quibus mediantibus ad perfectam ejus cognitionem veniat. *Sicut ſol videtur ſolum propriis radiis, ſic Deus ſolum videtur radiis fidei. D. Bonav. in dicta ſolut. de dn. Spir. Sancti.*

Deus eſt Sol intelligens, qui duplicis generis radios emittit, & creaturis ſuis infundit, ut ab iis agnoſcatur: aliis enim Sanctos qui beantur in Cælo, & aliis homines qui in hoc mundo peregrinantur, radiis illuminat. Radii quos in Cælo effundit, ſunt ipſum lumen gloriæ, quo mediante, Sancti eum vident, & facie ad faciem intuentur, *in lumine tuo videbimus lumen. Pſal. 35. 10.* Radii vero, quibus hominum viatorum mentes illuminat, ut ab iis cognoſcatur, ſunt ipſa fides, quæ ad cognoſcendum Deum iis ita neceſſaria eſt, ut ſine fide eum perfecte cognoſcere nequeant. *Deus ſolum videtur radiis fidei.*

Summo Deum agnoſcendi deſiderio angebatur olim S. Juſtinus Martyr, & ideo ut ad perfectam Dei notitiam pervenire valeret, varia Philoſophorum luſtravit Academias. Adiit primo Stoicum quemdam, qui quaſi ſol, & ſcientiarum Deus inſpiciebatur, qui tamen quis & qualis eſſet Deus, penitus ignorabat, quare ut velo quodam ſuam tegeret ignorantiam, Juſtino reſpondit, *neque Dei notitiam eſſe neceſſariam.* A Stoi-

Digitized by Google

Stoico ad Peripateticum quemdam, quem ipſe acutum cenſebat, perrexit, cui iſte latiſſime & ſubtiliſſime de natura diſſeruit; ſed ſtolide de naturæ Auctore, nec diu locutus erat, cum a Juſtino mercedem & doctrinæ ſuæ pretium petiit. Et ideo videns S. Martyr, Philoſophum hunc in rebus divinis eſſe ignarum, & lucri magis quam veritatis cupidum, ab eo diſceſſit, & ad Pythagoricum quemdam magni nominis virum, acceſſit, qui de Muſica, Geometria, & Aſtrologia fuſe diſſeruit; ſed de Deo nec quidquam dicere ſcivit. Quare ad Platonicum aliquem Philoſophum, inter hujus ſectæ viros famoſiſſimum, ſe contulit; qui mox de natura univerſali, de ideis communibus & de primis illis exemplaribus, quæ fingebant Platonici, ſermonem inſtituit; ſed de Deo, & de prima veritate, nonniſi confuſe locutus eſt. Auditis autem tot mundi ſapientibus, in rebus divinis doctior factus non erat Juſtinus, cum ecce ad eum miſſus eſt a Deo venerandæ canitiei vir, a quo didicit quod concupiverat: a quo Dei & Chriſtianæ Religionis notitiam & fidem ex auditu habuit, & plane novit Deum, & divina, ſine fidei radiis perfecte cognoſci non poſſe. Quia Deus *lucem habitat inacceſſibilem*: 1. *Tim.* 6. 16. & intellectus noſtri acies ad ejus perfectam cognitionem pervenire nequit, niſi adveniat revelatio divina & fides. Homini ergo neceſſaria eſt fides, ut Deum cognoſcat; *ac etiam ut Deo placeat.*

2. Gentiles, qui Deum ſine fide cognoſcere voluerunt, in varios & horrendos inciderunt errores circa Divinitatem. Alii enim bruta animantia tamquam deos adoraverunt, alii marmoreis, ligneis, argenteis, & aureis ſimulacris, tamquam ſuis divinitatibus, incenſa adoleverunt: alii Deo oculos eruerunt, dicentes, eum omnia quæ ſub cælo fiunt, non videre, alii brachia illi ſuſtulerunt, ajentes, eum non eſſe omnipotentem; alii cor ei evulſerunt, aſſerentes eum ſuas omnes non amare creaturas. Hi ad perfectam Dei notitiam pervenire non potuerunt, quia ad illum agnoſcendum fides neceſſaria eſt. Sed illi placere etiam Deo non potuerunt; quia fides ita neceſſaria eſt homini ad placendum Deo, ut ſine fide nullo modo ei placere poſſit: *ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Hebr.* 11. 16.

Charitas, humilitas, patientia, & aliæ virtutes Deo plurimum placent, eique hominem gratum, amabilem, & acceptabilem faciunt; ſed ſuppoſito ſemper, quod ſimul cum aliis virtutibus, in eo ſit fides; ſine fide enim homo Deo placere nequaquam poteſt. Quamvis altiſſima præditus ſis humilitate, modeſtia polleas angelica, & patientia in te fulgeat heroica: facultates tuas licet pauperibus eroges, licet toto vitæ tuæ tempore jejunes, ac graviſſima quæque perferas ſupplicia; ſi fidem non habeas, Deo placere nullo modo potes: quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. In quæ D. Pauli verba, Gloſſa interlinearis ait: *Vide, quam neceſſaria ſit fides!* Certe maxime neceſſaria eſt, cum ſine ea Deo placere nequeamus.

Quocumque te vertas, inquit S. Thomas a Villanova, quidquid cogites, quidquid agas, ubique & ſemper tibi fides neceſſaria eſt; quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: cum hæc ſalutis initium, hæc vitæ ſit janua. S. Thom. ſerm. de S. Ildeph.* Tunc Deo placemus, cum juſti ſumus; juſti autem eſſe non poſſumus ſine fide, quæ eſt juſtificationis initium & fundamentum: quare ſine fide impoſſibile eſt, nos placere Deo: *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 8. Sed ſi fides ſit homini neceſſaria, ut Deo placeat; *eſt ei etiam neceſſaria, ut ad Deum eat.*

3. Humilitate, patientia, aliiſque chriſtianis virtutibus ad Deum imus: poſito tamen quod fidem habeamus. Fides enim eſt prima virtus, qua ad Deum pergimus, & impoſſibile eſt quod ſine ſine ad Deum eamus; *credere enim oportet accedentem ad Deum. Hebr.* 11. 6. O homo infidelis, viſne ad Deum ire, & in ovile ejus ingredi? *credere oportet*. O peccator, qui Deum criminibus tuis reliquiſti, vis ad illum per veram vitæ mutationem reverti? *credere oportet*. O homo, tu qualiſcumque ſis, vis ſalvari, & ad Deum, qui in Cælis eſt, properare? *credere oportet*. Fides enim eſt via, qua ad Deum imus; eſt ſtella, qua ad illum ducimur; eſt columna, qua duce ad illum pergimus; nec ullus prædeſtinatus ſalvatur, & ad Deum vadit ſine fide: *una eademque fides omnes prædeſtinatos perducit ad Deum. Auguſt. lib.* 16. *de Civit. c.* 47.

In ſomnis Jacob ſcalam vidit, quæ extremitate una terram, & alia cælum tangebat; viditque Deum ſummitati hujus ſcalæ innixum, *& Dominum innixum ſcalæ. Geneſ.* 28: 18. Scala hæc, inquit Doctor Seraphicus, eſt ipſa fides: *Fides eſt iſta ſcala, continens duodecim gradus; id eſt duodecim articulos fidei per Apoſtolos declaratos. D. Bonav. in diet. ſal.* Unde, ait S. Doctor, quicumque ad Deum, qui ſcalæ innititur, ire cupit, ad illum per fidei ſcalam aſcendat neceſſe eſt: *per iſtam ſcalam ad Deum aſcenditur.*

Triplici via ad Deum itur, & triplici ſcala ad illum aſcenditur. Prima eſt lex Dei, quæ decem conſtat præceptis, quibus, tanquam to hujus ſcalæ gradibus, ad Deum fit aſcenſus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Matth.* 19. 17. Secunda, eſt, crux, ſeu tribulationes, quibus ad Deum ire, & ad cælum omnes aſcendere debent: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act.* 14. 22. Tertia ſcala, qua ad Deum aſcenditur, & ſine qua ad Deum ire, & ſalvari nemo poteſt, eſt fides: *per iſtam ſcalam ad Deum aſcenditur.*

O homo, vis Deum cognoſcere, Deo placere, & ad Deum ire? ad hæc omnia abſolute neceſſaria eſt fides. Vis Deum perfecte cognoſcere? habeto fidem. Vis Deo placere? habeto fidem. Vis ad Deum ire? habeto fidem; ſine fide enim eum perfecte cognoſcere, ei placere, & ad eum ire non potes. Quare cum tanta ſit fidei neceſſitas, Deum enixe rogate, ut fidem det, & in cordibus veſtris augeat. Dicite ei ſummo cordis affectu; Domine, *adauge nobis fidem. Luc.* 7. 5. Dicite ei: Domine, fides nobis neceſſaria eſt, ut te, tuaſque divinas perfectiones agnoſcere valeamus: quare tu ſupplices rogamus, ut fidei radiis nos illumines, utque fidem in nobis augeas: *adauge nobis fidem*. Dicite ei: Domine, ita miſeri ſumus & infelices, ut tibi nunquam placere, vel aliquid tibi placitum facere poſſimus, ſi deſit nobis fides: quare a te ſuppliciter petimus, ut des, & in nobis augeas fidem: *adauge nobis fidem*. Dicite

cite

eſſe tandem ei: Domine, ad te ſuſpiramus, & ad te ire cupimus; ſed ſine fide ad te ire non poſſumus: quare ſupplicamus tibi, ut cordi noſtro fidem, & fidei incrementum largiri digneris: *adauge nobis fidem*. Ecce quanta ſit fidei neceſſitas! videamus nunc ejus excellentiam.

## SECUNDA PARS.

### *Fidei præſtantia.*

POſtquam de fidei laudibus fuſe diſſeruit D. Paulus, fatetur, ſibi ad enarranda fidei magnalia, tempus deficere: *deficiet enim me tempus enarrantem*. *Heb.* 11. 32. Tot quidem & tanta de fidei præſtantia occurrunt dicenda, ut in eis enarrandis nullus unquam eſſet dicendi finis; ſed ut ex multis aliqua colligam; dicam ſolummodo, fidem eſſe quid præſtantiſſimum: quia fides: 1. omnia poteſt: 2. omnia obtinet: 3. de omnibus triumphat.

1. Tanta eſt fidei poteſtas, ut de ea, ſicut & de Chriſto, dicere poſſimus, quod omnia poſſit: *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: Matth.* 28. fides enim omnia poteſt, & nihil eſt impoſſibile fidem habenti; *omnia poſſibilia ſunt credenti. Marc.* 9. Quod ut non nimia cum exaggeratione dictum credatur: quid, quæſo, gravius montibus? quid ponderoſius? quid immobilius, & ad tranſportandum difficilius? fides tamen ex uno in alium locum montes transferre poteſt. Quid rupe inſenſibilius, & ad obediendum ineptius? fides tamen ex nobili rupi dat motum, eamque recedere cogit, quantum neceſſarium eſt, ut locum ad ædificandam Eccleſiam idoneum præſtet. Quid difficilius, quam maris tempeſtates ſedare, procelloſos ejus motus comprimere, & ejus aquis ſoliditatem conferre? unius tamen viri fides maris tempeſtates ſedat, illudque ſolidum, velut æs efficit. Sed nonne fide Eliæ factum eſt, ut nubes nec rorem, nec pluviam darent? nonne fides Eliæ vindex ignis de cælo deſcendit? nonne fides Joſue ſtetit ſol? fide Stephanus ſibi cælos aperuit: Iſraelitæ *fide tranſierunt mare rubrum; fide muri Jericho corruerunt; fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, Hebr.* 11. fide dæmonia ejecerunt Sancti; fide cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquendi facultatem dederunt, necnon alia multa miracula operari potuerunt: fides tandem omnia poteſt; per Deum ſcilicet, qui habentibus fidem dedit poteſtatem omnia faciendi: *omnia poſſibilia ſunt credenti*.

*Amen, amen dico vobis*, inquit Chriſtus, *qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet. Jo.* 14. 12. O mirandam fidei poteſtatem, quæ poteſtati Chriſti æquiparatur! O mirabilem fidei virtutem, cui datur poteſtas faciendi portentoſa multa, quæ fecit Chriſtus! Crede, & opera ipſe facies, quæ ille fecit. Sed quomodo fides poteſtatem, Chriſti poteſtati ſimilem, habere poteſt? Reſpondent Rupertus Abbas, Theophylactus, & S. Cyrillus: tantam fidei, quantam Chriſti, eſſe poteſtatem: quia fides agit per virtutem & poteſtatem Chriſti: Quare, cum Chriſti poteſtas ſit infinita, & illimitata, fidei etiam poteſtas nullos habet terminos: & fides omnia poteſt per Chriſtum, qui credentibus ſuam confert poteſtatem, eiſque omnia poſſibilia eſſe vult: *omnia poſſibilia ſunt credenti*. O mirandam præſtantiam, & excellentiam fidei! quæ tanta eſt, ut omnia poſſit: *Sed etiam tanta eſt, ut omnia obtineat.*

2. Miramur, cum audimus, tantam eſſe fidei virtutem, ut ſanet infirmos, expellat dæmones, montes transferat, & omnia poſſibilia faciat. *omnia poſſibilia ſunt credenti*. Quomodo fidei, & homini fidem habenti omnia ſunt poſſibilia, omnia ſunt ei poſſibilia per impetrationem; quia a Deo, qui omnipotens eſt, omnia obtinet: *Omnia*, ut exponit Lyranus, *ſunt fidei poſſibilia per omnipotentiam Dei; quia Deus poſtulantibus cum fide, omne beneficium impertit*. Hominis Chriſtiani fides ita Deo placet, inquit S. Ambroſius, ut nil non a Deo obtineat, præſertim ſi cum humilitate jungatur: *Fides Chriſtiana per humilitatem omnia impetrare conſuevit. Div. Ambroſius.*

Cum Centurio a Chriſto ſervum ſuum paralyticum ſanari petiit, reſpondit ei Chriſtus: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Matth.* 8. Homo ille, a nativitate cæcus, qui ad Chriſtum tranſeuntem clamavit, ut ipſius miſereretur, ab eo videndi facultatem obtinuit per fidem: *fides tua te ſalvum fecit. Luc.* 18. Mulier hæc, quæ ſanguinis fluxum a duodecim annis patiebatur, fide ſua ſanitatem a Chriſto impetravit: *fides tua te ſalvam fecit. Matth.* 9. Fide alii multi a Chriſto ſanari meruerunt: *cum vidiſſet fidem illorum. Marc.* 2. Sed quomodo S. Petrus ad ſupremum Eccleſiæ ſolium evehi, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Caput fieri meruit? nonne per fidem? nonne quia Chriſtum æterni Patris eſſe Filium firmiter credidit? nonne quia humili fide confeſſus eſt, Chriſtum eſſe Dei Filium? *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi. Matth.* 16. Quomodo Sanctiſſima Virgo Maria, Chriſti Mater fieri impetravit? qua virtute tantum favorem conſecuta eſt? a quo ita felix facta eſt, ut Dei Genitrix eſſe mereretur? nonne a fide? nonne quia credidit? Certe per fidem ad tantam dignitatem eſt exaltata: *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino. Luc.* 1. 45. Quomodo, & qua virtute poteſtatem faciendi miracula, gratiam, & gloriam a Deo impetrarunt Sancti? Virtute quidem fidei, qua præditi fuerunt: *per fidem vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones: Heb.* 11. 33. Tanta tandem fidei eſt præſtantia, tanta virtus, ut omnia a Deo impetrare valeat: *fides Chriſtiana omnia impetrare conſuevit*. At tanta etiam eſt fidei præſtantia, *ut omnia vincat, & de omnibus triumphet*.

3. Multis conſtat experientiis, victricem & triumphantem eſſe fidem chriſtianam: *multa habemus experimenta fidei victricis. Tertul. lib.* 3. Scimus enim Apoſtolos, & viros Apoſtolicos fide de Regibus & de Regnis triumphaſſe, innumeroſque populos legi Chriſti ſubjeciſſe: Sancti *per fidem vicerunt Regna. Hebr.* 11. Scimus Martyres de ignibus, in quos injecti ſunt, de gladiis qui adverſus illos evaginati ſunt, & de Tyrannis qui in illos tanquam leones rugierunt, glorioſe triumphaſſe: *obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii. Ibid.* Omnibus notum eſt, Eccleſiam per fidem inſignes de hæreticis, de infidelibus, & de terrenis Principibus victorias reportaſſe. Norunt cuncti, totum fere terrarum orbem fide fuiſſe debellatum, & Chriſti Salvatoris legibus ſubactum: *hac eſt vi-*

Cto-

*Victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* 1. *Jo.* 5. 4. In his omnibus, & aliis multis *habemus experimenta fidei victricis*. Sed ut ampliores, & majores videamus fidei triumphos, dicamus, quod ipſa triumphet, vel quod per ipſam de dæmonibus, & de paſſionibus glorioſe triumphemus.

Dæmones ſunt infenſiſſimi hominum hoſtes, qui indeſinenter circa illos volitant, quærentes quem devorent, quem a ſalutis via avertant, & ad tartara trahant, ſed fide iis reſiſtimus, & eos debellamus: fides eſt ſcutum admirabile, quo omnia eorum tela repellimus, & de cunctis eorum tentationibus triumphamus, *ſumentes ſcutum fidei in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*. *Epheſ.* 6. 16. Tentat ſatanas de avaritia, ſuadens, ut per fas & nefas divitias acquiras, tibique theſauros facias in terra? *ſume ſcutum fidei*, quæ docet brevi te moriturum, nilque ex hoc mundo ablaturum, & hoc ſcuto armatus de dæmone, avaritiam inſpirante, triumphabis. Suggerit dæmon, ut luxuriæ indulgeas & Veneris te fœdes voluptatibus? *ſume ſcutum fidei*, quæ obſcœnas hujuſmodi voluptates prohibet, carniſque mortificationem docet, & hoc ſcuto inſtructus dæmonem, talia ſuadentem, glorioſe vinces. Ad te venit malignus ſpiritus, ut ad vindictam de inimicis ſumendam te excitet? *ſume ſcutum fidei*, quæ dicet tibi, quod ſi inimicis non dimittas, nunquam indulgebit tibi Deus, nec peccata dimittet. Si te ſpiritus nequam tentet ut ad fornicationem, adulterium, furtum, ebrietatem, detractionem & rapinas alliciat, *ſume ſcutum fidei*, quæ aſſerit, quod *neque fornicarii, neque adulteri; neque fures, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*. 1. *Cor.* 6. 9. Quotieſcumque tandem aggredietur te tartareus hoſtis, *ſume ſcutum fidei*; præſto habe aliquem ex ſacræ Scripturæ locis, & aliquod ex fidei dogmatibus, quo armatus, de illo facile triumphabis, omniaque ejus tela extingues: *ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*. O magnam fidei præſtantiam! cujus virtute de dæmonibus triumphamus, *ac etiam de paſſionibus, & vitiis noſtris*.

Paſſiones & vitia ſunt interni & domeſtici inimici, qui ſaluti noſtræ inſidiantur; *inimici hominis domeſtici ejus*. *Mich.* 7. 6. Inimicus noſter eſt amor prophanus, quo intus accendimur: inimicus noſter eſt ſpiritus ſuperbiæ, quo inflamur; inimicus noſter eſt avaritia, qua exardeſcimus, inimicus noſter eſt invidia, qua rodimur, inimici tandem noſtri ſunt ira, acedia, omneſque paſſiones & vitia, quibus impugnamur, & ad illicita trahimur. Sed de his triumphabimus, ſi firmiter ſacræ Scripturæ verbis credamus, & ſi ad auxilium noſtrum vocemus fidem, quæ docet, quod ſi ex Chriſti Diſcipulis eſſe velimus, carnem cum concupiſcentiis ejus mortificare & crucifigere debeamus: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*. *Galat.* 5. 24. Hoc fidei ſcutum ſi ſumamus, de internis & domeſticis omnibus inimicis glorioſe triumphabimus. O quam magni ſunt triumphi fidei, quæ de Regibus, de Tyrannis, de mundo, de dæmone, de vitiis, & de omnibus triumphat! Sed o quam admirabilis eſt excellentia, & præſtantia fidei! quæ tanta eſt, ut omnia poſſit, omnia impetret, & de omnibus triumphet. Ecce fidei præſtantiam, *de ejus qualitatibus aliquid dicamus*.

## TERTIA PARS.

### *Fidei qualitates.*

PRima fidei qualitas eſt; quod ſit humilis: *non eſt fides ſuperborum, ſed humilium*. *Aug. ſerm.* 36. *de verbis Domin.* 2. *Cor.* 5. Chriſtianus enim, qui vere credit, non ſuperbe ſcrutatur abdita Divinitatis, & Religionis myſteria, ſed propter Chriſtum veritatibus fidei ſuum humiliter captivat intellectum, *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*.

Altera fidei qualitas eſt, quod ſit ardens ſeu charitati conjuncta. Licet enim fides magnum quid ſit in ſe, & ſine charitate, nil tamen prodeſt ad ſalutem, ſi a charitate ſit ſejuncta, nec ſalvabitur qui fidem ſolam ſine charitate habebit: *Magna eſt fides, ſed nihil prodeſt, ſi non habeat charitatem*. *Auguſt. tract.* 6. *in Joann.*

Tertia fidei qualitas eſt, quod ſit in bonis operibus producendis fœcunda. Et iſta eſt præcipua fidei qualitas, de qua ſola jam diſſerere intendo, eamque qualitatem in fide maxima requiri dico: quia in homine adulto fides quæ non eſt fœcunda, & efficax, eſt: 1. fides diabolica: 2. fides mortua: 3. fides inutilis, & vana.

1. Hortatur nos Chriſtus, ut Dei fidem habeamus: *habete fidem Dei*. *Marc.* 11. 22. Nonne omnis vera fides a Deo eſt? nonne fides eſt donum ſupernaturale, a Deo hominibus conceſſum? nonne fides eſt habitus ſupernaturalis, homini in Baptiſmo a Deo infuſus? Cur ergo hortatur nos Chriſtus, ut Dei fidem habeamus: *habete fidem Dei*? Non quidem ſine ratione ad hoc nos hortatur Chriſtus: quia in ſacra Scriptura fit mentio de fide quadam diabolica; ibi enim dicitur de dæmonibus, quod credant: *dæmones credunt*. *Jac.* 2. Hortatur autem nos Chriſtus, ut non habeamus dæmonum, ſed Dei fidem.

Hæc eſt differentia inter utramque hanc fidem, quod fides divina, in adultis, ſit efficax, operans, & bonis operibus fœcunda; *fides ex facto habet cenſum*; *Jac.* 2. fides vero diabolica, ſit fides otioſa, & inefficax, quæ nulla bona opera producit, nam *dæmones credunt, & contremiſcunt*, *Tertull. lib. adverſ. Hermog. c.* 2. ſed nullum bonum opus faciunt. Unde, ſi credas, & non facias; ſi fides tua non ſit efficax, & in bonis operibus fœcunda, tu credis inſtar dæmonum, fideſque tua diabolica eſt.

Certum eſt, quod credant dæmones: *dæmones credunt*, ſed ita credunt, ut non faciant: *Credunt* dæmones, Deum eſſe, ſed nolunt illum ut Deum adorare & venerari; *credunt*, futurum generale judicium, quod omnibus terribile & formidandum erit; ſed non ideo pœnitentiam agunt, nec ad Deum convertuntur; *credunt*, Chriſtum in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, vere & realiter ſub panis & vini ſpeciebus exiſtere, ſed non ideo illum ibi adorant; fides tandem dæmonum, eſt fides quædam ſterilis, & inefficax, quæ bona opera non producit: quare ſi credas, & non facias, ſi fides tua ſterilis ſit, & bona opera non elicias, fidem habes dæmonum, credis ſi-

cut

Digitized by Google

cut dæmones, fideſque tua diabolica eſt. Dicis te credere, Deum eſſe & tamen illum non adoras? fides tua diabolica eſt. Dicis, te credere formidanda Dei judicia, & terribilia inferni ſupplicia, nec tamen ideo abrenuncias peccatis, nec ad Deum converteris? fides tua diabolica eſt. Crede quantum volueris, ſi bonæ opera non facias, fides tua, eſt fides diabolica; *& eſt etiam fides mortua*.

2. Sicut mortuum eſt corpus, in quo non eſt anima, & ſpiritus vivificans, ita & mortua eſt fides, in qua, & ex qua non ſunt opera bona: *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt; ita & fides ſine operibus mortua eſt. Jac.* 2. 26. Cum vides arborem, quæ folia & fructus in tempore ſuo non producat, protinus eam mortuam eſſe judicas; fides ſimiliter, ſi bonorum operum fructus non edat, mortua eſt. Unde S. Bernardus ait, fidem ſine operibus, ſimilem eſſe huic ficulneæ, quæ non fecerat fructus, cui maledixit Chriſtus, & mortua eſt: fides enim, ſi bonorum operum fructus non producat, eſt fides quædam maledicta, & mortua, *fides ſine operibus mortua eſt. S. Bernard. tom. 2. ſerm. 5. poſt Cin.*

Sterilem, & infœcundam ſe eſſe videns Rachel, marito dixit: *da mihi liberos, alioquin moriar, Gen.* 30. 1. fides ſimiliter, ſi filios non habeat, & ſi bona opera non edat, mortua eſt. Unde S. Bernardus fidem, quæ bona opera non producit, cadaver fidei vocat: *Quid eſt fides quæ non operatur, niſi cadaver exanime? S. Bernard. ſerm. 4. in Cant.* Et Tertull. hanc fidem vocat *cadaveroſam*: quia non eſt fides viva, ſed quaſi cadaver fidei.

Cum in funebri pompa magnum vides populi conventum, petis protinus, quis ſit ille qui ad ſepulchrum defertur? & reſpondere ſolent adſtantes, eſt dominus talis. Sed inepta eſt hæc reſponſio, quia non ſepulchro mandatur dominus, ſed cadaver, & corpus mortuum domini illius. Idem dicendum de Chriſtianis adultis, qui credunt, & non faciunt, in eis enim non eſt fides viva, ſed fides cadaveroſa, cadaver fidei, & fides mortua: *fides ſine operibus mortua eſt*. Sed fides ſine operibus, *eſt etiam vana, & inutilis*.

3. Inutilis eſt arbor, quæ non fructus, ſed aliqua ſolum folia producit, *inutiliter flos apparet, ubi non ſequitur fructus. S. Bernar. ſerm. 51. in Cant.* Fides ſimiliter, licet florida, licet ſpecioſa, & licet donum ſupernaturale ſit, inutilis tamen erit & ad ſalutem nil proderit, ſi bonorum operum fructus non producat; *Quid proderit, Fratres mei*, inquit S. Jacobus, *ſi fidem dicat quis ſe habere, opera autem non habeat? Jac.* 2. 14. Quaſi dicat, nil proderit, ſeu, ut exponit Lyranus, *nihil proderit ad ſalutem*.

Deficiente oleo, extinguitur, & inutilis eſt lampas, fides autem ſine operibus, *eſt lampas ſine oleo*, inquit S. Hieronymus, quia ſicut lampas ſine oleo inutilis eſt, ita & fides ſine operibus. Quærite a dicto Paulo, quanti pretii, quantique valoris ſit fides, ſi charitatis opera non producat? reſpondebit Doctor gentium: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*. 1. *Cor.* 13. 2. Quæ major fides, quam illa, quæ virtutem habet transferendi montes ex uno in alium locum? Hanc tamen fidem, ſi bona opera non eliciat, ita inutilem cenſet Apoſtolus, ut fateatur, quod licet ſibi a Deo data eſſet fides, cujus virtute montes ex uno in alium locum transferret, inutilis ſibi eſſet hæc fides, ipſeque nihil eſſet ſi hæc fides charitatis opera non eliceret. Quod certiſſimum eſt: quia, ut ait Auguſt. *fides ſine operibus charitatis eſſe poteſt, prodeſſe non poteſt*. Plerique Chriſtiani, adveniente rationis uſu, fidem, quam ſimul cum Baptiſmo receperant, bonis operibus fœcundam facere non curant, quin contra plerumque horrendis ſe dedunt vitiis, in quibus toto vitæ tempore perſeverant. Iis autem fidem in Baptiſmo percepiſſe nihil proderit, quia fides ſine bonis operibus non ſolum diabolica, & mortua eſt, ſed etiam vana & inutilis; nec quomodocumque prodeſſe poteſt; *fides ſine operibus charitatis eſſe poteſt, prodeſſe non poteſt*.

O N. N. inquirite nunc ſedulo, an ſit in vobis fides: *voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate*. 2. *Cor.* 13. Timeo, ne in vobis exinanita ſit fides: *exinanita eſt fides. Rom.* 14. Exinanita quidem eſt apud hæreticos, qui a fide catholica aberrant, exinanita eſt apud Novatores, qui Phariſæorum inſtar, ſub ovina pelle lupinam gerunt animam, & qui ſub eximiæ pietatis ſpecie, Chriſti tunicam dilacerant, ac Sponſam ejus Eccleſiam labefactare moliuntur: exinanita eſt etiam apud inveteratos peccatores, qui in ſcelerum ſuorum pœnam ita a Deo excæcantur, ut in rebus fidei vacillent & titubent. Sed timeo, ne exinanita ſit fides in pleriſque eorum, qui Catholicam Religionem profitentur: aut ſaltem, ne in iis ſit ſolummodo fides otioſa, ſterilis, & infœcunda: quare *voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate*. Tentate, probate, & ſerio inquirite, an fides in vobis ſit fœcunda, an vos ad bona opera facienda trahat. Quod ſi fides veſtra ſit ſine bonis operibus, dicite, fidem in vobis eſſe mortuam, vanam, & quaſi exinanitam.

Scis, o peccator, fide divina credendum quod futurum ſit generale judicium, in quo omnes apparebimus, de cunctis vitæ noſtræ actionibus rationem reddituri; ut recipiat unuſquiſque, prout geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum: *credis hoc?* Certe hoc firmiter non credis: quia ſi hoc crederes, peccatis abrenuntiares, & bonis operibus ſollicite incumberes. Docet fides, Deum eſſe unicum beatitudinis noſtræ objectum, ejuſque ſolius poſſeſſione nos poſſe beari: *credis hoc?* Non equidem; quia ſi hoc crederes, in temporalibus bonis, & in fœdis libidinibus felicitatem tuam non conſtitueres. Fide divina certum eſt, Deum ubique eſſe præſentem, ratione immenſitatis ſuæ: *credis hoc?* Eſt quod judicem, te hoc non vere credere, quia ſi hoc crederes, tot in conſpectu ejus crimina perpetrare erubeſceres. Sed credisne, Chriſtum Dominum vere, & realiter eſſe in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento? Timeo, quod hoc non perfecte credas, quia ſi eum ibi eſſe crederes, ad ſumendum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum frequentius, & majori cum reverentia accederes.

Alia non recenſebo fidei catholicæ myſteria; ſed ponderatis præfatis, & aliis fidei noſtræ myſteriis, *voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate*. Si in vobis fidem non eſſe advertatis, eam a Deo ſupplices petite, eamque bonis operibus fœcundam facite; & fides veſtra vos ſalvos faciet. *Amen*.

*Ɛoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* 1. *Jo.* 5. 4. In his omnibus, & aliis multis *habemus experimenta fidei victricis*. Sed ut ampliores, & majores videamus fidei triumphos, dicamus, quod ipſa triumphet, vel quod per ipſam de dæmonibus, & de paſſionibus glorioſe triumphemus.

Dæmones ſunt infenſiſſimi hominum hoſtes, qui indeſinenter circa illos volitant, quærentes quem devorent, quem a ſalutis via avertant, & ad tartara trahant, ſed fide iis reſiſtimus, & eos debellamus: fides eſt ſcutum admirabile, quo omnia eorum tela repellimus, & de cunctis eorum tentationibus triumphamus, *ſumentes ſcutum fidei in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*. *Epheſ.* 6. 16. Tentat ſatanas de avaritia, ſuadens, ut per fas & nefas divitias acquiras, tibique theſauros facias in terra? *Sume ſcutum fidei*, quæ docet brevi te moriturum, nilque ex hoc mundo ablaturum, & hoc ſcuto armatus de dæmone, avaritiam inſpirante, triumphabis. Suggerit dæmon, ut luxuriæ indulgeas & Veneris te fœdes voluptatibus? *ſume ſcutum fidei*, quæ obſcænas hujuſmodi voluptates prohibet, carniſque mortificationem docet, & hoc ſcuto inſtructus dæmonem, talia ſuadentem, glorioſe vinces. Ad te venit malignus ſpiritus, ut ad vindictam de inimicis ſumendam te excitet? *ſume ſcutum fidei*, quæ dicet tibi, quod ſi inimicis non dimittas, nunquam indulgebit tibi Deus, nec peccata dimittet. Si te ſpiritus nequam tentet ut ad fornicationem, adulterium, furtum, ebrietatem, detractionem & rapinas alliciat, *ſume ſcutum fidei*, quæ aſſerit, quod *neque fornicarii, neque adulteri, neque fures, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*. 1. *Cor.* 6. 9. Quotieſcumque tandem aggredietur te tartareus hoſtis, *ſume ſcutum fidei*; præſto habe aliquem ex ſacræ Scripturæ locis, & aliquod ex fidei dogmatibus, quo armatus, de illo facile triumphabis, omniaque ejus tela extingues: *ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*. O magnam fidei præſtantiam! cujus virtute de dæmonibus triumphamus, *ac etiam de paſſionibus, & vitiis noſtris*.

Paſſiones & vitia ſunt interni & domeſtici inimici, qui ſaluti noſtræ inſidiantur; *inimici hominis domeſtici ejus*. *Mich.* 7. 6. Inimicus noſter eſt amor prophanus, quo intus accendimur: inimicus noſter eſt ſpiritus ſuperbiæ, quo inflamur; inimicus noſter eſt avaritia, qua exaſicſcimus, inimicus noſter eſt invidia, qua rodimur, inimici tandem noſtri ſunt ira, acedia, omneſque paſſiones & vitia, quibus impugnamur, & ad illicita trahimur. Sed de his triumphabimus, ſi firmiter ſacræ Scripturæ verbis credamus, & ſi ad auxilium noſtrum vocemus fidem, quæ docet, quod ſi ex Chriſti Diſcipulis eſſe velimus, carnem cum concupiſcentiis ejus mortificare & crucifigere debeamus: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*. *Galat.* 5. 24. Hoc fidei ſcutum ſi ſumamus, de internis & domeſticis omnibus inimicis glorioſe triumphabimus. O quam magni ſunt triumphi fidei, quæ de Regibus, de Tyrannis, de mundo, de dæmone, de vitiis, & de omnibus triumphat! Sed o quam admirabilis eſt excellentia, & præſtantia fidei! quæ tanta eſt, ut omnia poſſit, omnia impetret, & de omnibus triumphet. Ecce fidei præſtantiam, *de ejus qualitatibus aliquid dicamus*.

## TERTIA PARS.

*Fides qualitates.*

PRima fidei qualitas eſt; quod ſit humilis: *non eſt fides ſuperborum, ſed humilium*. *Aug. ſerm.* 36. *de verbis Domin.* 2. *Cor.* 5. Chriſtianus enim, qui vere credit, non ſuperbe ſcrutatur abdita Divinitatis, & Religionis myſteria, ſed propter Chriſtum veritatibus fidei ſuum humiliter captivat intellectum, *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*.

Altera fidei qualitas eſt, quod ſit ardens ſeu charitati conjuncta. Licet enim fides magnum quid ſit in ſe, & ſine charitate, nil tamen prodeſt ad ſalutem, ſi a charitate ſit ſejuncta, nec ſalvabitur qui fidem ſolam ſine charitate habebit: *Magna eſt fides, ſed nihil prodeſt, ſi non habeas charitatem*. *Auguſt. tract.* 6. *in Joann.*

Tertia fidei qualitas eſt, quod ſit in bonis operibus producendis fœcunda. Et iſta eſt præcipua fidei qualitas, de qua ſola jam diſſerere intendo, eamque qualitatem in fide maxima requiri dico: quia in homine adulto fides quæ non eſt fœcunda, & efficax, eſt: 1. fides diabolica: 2. fides mortua: 3. fides inutilis, & vana.

1. Hortatur nos Chriſtus, ut Dei fidem habeamus: *habete fidem Dei*. *Marc.* 11. 22. Nonne omnis vera fides a Deo eſt? nonne fides eſt donum ſupernaturale, a Deo hominibus conceſſum? nonne fides eſt habitus ſupernaturalis, homini in Baptiſmo a Deo infuſus? Cur ergo hortatur nos Chriſtus, ut Dei fidem habeamus: *habete fidem Dei*? Non quidem ſine ratione ad hoc nos hortatur Chriſtus: quia in ſacra Scriptura fit mentio de fide quadam diabolica; ibi enim dicitur de dæmonibus, quod credant: *dæmones credunt*. *Jac.* 2. Hortatur autem nos Chriſtus, ut non habeamus dæmonum, ſed Dei fidem.

Hæc eſt differentia inter utramque hanc fidem, quod fides divina, in adultis, ſit efficax, operans, & bonis operibus fœcunda; *fides ex facto habet cenſum*; *Jac.* 2. fides vero diabolica, ſit fides otioſa, & inefficax, quæ nulla bona opera producit, nam *dæmones credunt, & contremiſcunt*, *Tertull. lib. adverſ. Herm. c.* 2. ſed nullum bonum opus faciunt. Unde, ſi credas, & non facias; ſi fides tua non ſit efficax, & in bonis operibus fœcunda, tu credis inſtar dæmonum, fideſque tua diabolica eſt.

Certum eſt, quod credant dæmones: *dæmones credunt*, ſed ita credunt, ut non faciant. *Credunt* dæmones, Deum eſſe, ſed nolunt illum ut Deum adorare & venerari; *credunt*, futurum generale judicium, quod omnibus terribile & formidandum erit; ſed non ideo pœnitentiam agunt, nec ad Deum convertuntur; *credunt*, Chriſtum in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, vere & realiter ſub panis & vini ſpeciebus exiſtere, ſed non ideo illum ibi adorant; fides tandem dæmonum, eſt fides quædam ſterilis, & inefficax, quæ bona opera non producit: quare ſi credas, & non facias, ſi fides tua ſterilis ſit, & bona opera non elicias, fidem habes dæmonum, credis ſicut



Digitized by Google

tut dæmones, fideſque tua diabolica eſt. Dicis te credere, Deum eſſe & tamen illum non adoras? fides tua diabolica eſt. Dicis, te credere formidanda Dei judicia, & terribilia inferni ſupplicia, nec tamen ideo abrenuncias peccatis, nec ad Deum converteris? fides tua diabolica eſt. Crede quantum volueris, ſi bona opera non facias, fides tua, eſt fides diabolica; *& eſt etiam fides mortua.*

2. Sicut mortuum eſt corpus, in quo non eſt anima, & ſpiritus vivificans, ita & mortua eſt fides, in qua, & ex qua non ſunt opera bona: *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt; ita & fides ſine operibus mortua eſt. Jac. 2. 26.* Cum vides arborem, quæ folia & fructus in tempore ſuo non producat, protinus eam mortuam eſſe judicas; fides ſimiliter, ſi bonorum operum fructus non edat, mortua eſt. Unde S. Bernardus ait, fidem ſine operibus, ſimilem eſſe huic ficulneæ, quæ non fecerat fructus, cui maledixit Chriſtus, & mortua eſt: fides enim, ſi bonorum operum fructus non producat, eſt fides quædam maledicta, & mortua, *fides ſine operibus mortua eſt. S. Bernard. tom. 2. ſerm. 5. poſt Cin.*

Sterilem, & infœcundam ſe eſſe videns Rachel, marito dixit: *da mihi liberos, alioquin moriar, Gen. 30. 1.* fides ſimiliter, ſi filios non habeat, & ſi bona opera non edat, mortua eſt. Unde S. Bernardus fidem, quæ bona opera non producit, cadaver fidei vocat: *Quid eſt fides quæ non operatur, niſi cadaver exanime? S. Bernard. ſerm. 4. in Cant.* Et Tertull. hanc fidem vocat *cadaveroſam:* quia non eſt fides viva, ſed quaſi cadaver fidei.

Cum in funebri pompa magnum vides populi conventum, petis protinus, quis ſit ille qui ad ſepulchrum defertur? & reſpondere ſolent adſtantes, eſt dominus talis. Sed inepta eſt hæc reſponſio, quia non ſepulchro mandatur dominus, ſed cadaver, & corpus mortuum domini illius. Idem dicendum de Chriſtianis adultis, qui credunt, & non faciunt, in iis enim non eſt fides viva, ſed fides cadaveroſa, cadaver fidei, & fides mortua: *fides ſine operibus mortua eſt.* Sed fides ſine operibus, *eſt etiam vana, & inutilis.*

3. Inutilis eſt arbor, quæ non fructus, ſed aliqua ſolum folia producit, *inutiliter flos apparet, ubi non ſequitur fructus. S. Bernar. ſerm. 51. in Cant.* Fides ſimiliter, licet florida, licet ſpecioſa, & licet donum ſupernaturale ſit, inutilis tamen erit & ad ſalutem nil proderit, ſi bonorum operum fructus non producat; *Quid proderit, Fratres mei,* inquit S. Jacobus, *ſi fidem dicat quis ſe habere, opera autem non habet? Jac. 2. 14.* Quaſi dicat, nil proderit, ſeu, ut exponit Lyranus, *nihil proderit ad ſalutem.*

Deficiente oleo, extinguitur, & inutilis eſt lampas, fides autem ſine operibus, *eſt lampas ſine oleo,* inquit S. Hieronymus, quia ſicut lampas ſine oleo inutilis eſt, ita & fides ſine operibus. Quærite a divo Paulo, quanti pretii, quantique valoris ſit fides, ſi charitatis opera non producat? reſpondebit Doctor gentium: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. 1. Cor. 13. 2.* Quæ major fides, quam illa, quæ virtutem habet transferendi montes ex uno in alium locum? Hanc tamen fidem, ſi bona opera non eliciat, ita inutilem cenſet Apoſtolus, ut fateatur, quod licet ſibi a Deo data eſſet fides, cujus virtute montes ex uno in alium locum transferret, inutilis ſibi eſſet hæc fides, ipſeque nihil eſſet ſi hæc fides charitatis opera non eliceret. Quod certiſſimum eſt; quia, ut ait Auguſt. *fides ſine operibus charitatis eſſe poteſt, prodeſſe non poteſt.* Plerique Chriſtiani, adveniente rationis uſu, fidem, quam ſimul cum Baptiſmo receperant, bonis operibus fœcundam facere non curant, quin contra plerumque horrendis ſe dedunt vitiis, in quibus toto vitæ tempore perſeverant. Iis autem fidem in Baptiſmo percepiſſe nihil proderit, quia fides ſine bonis operibus non ſolum diabolica, & mortua eſt, ſed etiam vana & inutilis; nec quomodocumque prodeſſe poteſt; *fides ſine operibus charitatis eſſe poteſt, prodeſſe non poteſt.*

O N. N. inquirite nunc ſedulo, an ſit in vobis fides: *vosmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. 2. Cor. 13.* Timeo, ne in vobis exinanita ſit fides: *exinanita eſt fides. Rom. 14.* Exinanita quidem eſt apud hæreticos, qui a fide catholica aberrant, exinanita eſt apud Novatores, qui Phariſæorum inſtar, ſub ovina pelle lupinam gerunt animam, & qui ſub eximiæ pietatis ſpecie, Chriſti tunicam dilacerant, ac Sponſam ejus Eccleſiam labefactare moliuntur: exinanita eſt etiam apud inveteratos peccatores, qui in ſcelerum ſuorum pœnam ita a Deo excæcantur, ut in rebus fidei vacillent & titubent. Sed timeo, ne exinanita ſit fides in pleriſque eorum, qui Catholicam Religionem profitentur: aut ſaltem, ne in iis ſit ſolummodo fides otioſa, ſterilis, & infœcunda: quare *vosmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate.* Tentate, probate, & ſerio inquirite, an fides in vobis ſit fœcunda, an vos ad bona opera facienda trahat. Quod ſi fides veſtra ſit ſine bonis operibus, dicite, fidem in vobis eſſe mortuam, vanam, & quaſi exinanitam.

Scis, o peccator, fide divina credendum quod futurum ſit generale judicium, in quo omnes apparebimus, de cunctis vitæ noſtræ actionibus rationem reddituri; ut recipiat unuſquiſque, prout geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum: *credis hoc?* Certe hoc firmiter non credis: quia ſi hoc crederes, peccatis abrenuntiares, & bonis operibus ſollicite incumberes. Docet fides, Deum eſſe unicum beatitudinis noſtræ objectum, cujuſque ſolius poſſeſſione nos poſſe beari: *credis hoc?* Non equidem; quia ſi hoc crederes, in temporalibus bonis, & in fœdis libidinibus felicitatem tuam non conſtitueres. Fide divina certum eſt, Deum ubique eſſe præſentem, ratione immenſitatis ſuæ: *credis hoc?* Eſt quod judicem, te hoc non vere credere, quia ſi hoc crederes, tot in conſpectu ejus crimina perpetrare erubeſceres. Sed credisne, Chriſtum Dominum vere, & realiter eſſe in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento? Timeo, quod hoc non perfecte credas, quia ſi eum ibi eſſe crederes, ad ſumendum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum frequentius, & majori cum reverentia accederes.

Alia non recenſebo fidei catholicæ myſteria; ſed ponderatis præfatis, & aliis fidei noſtræ myſteriis, *vosmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate.* Si in vobis fidem non eſſe advertatis, eam a [illegible] ſupplices petite, eamque bonis operibus fœ[illegible] facite; & fides veſtra vos ſalvos faciet. *Amen.*

## FERIA VI.

## ANTE DOMINICAM PRIMAM.

# DE AMORE INIMICORUM.

*Diligite inimicos veſtros.* Matth. 5.

EX omnibus Dei præceptis nullum nativæ hominum propenſioni ita repugnat ut illud, quo ad inimicos corde, ore, & opere diligendos adſtringimur. Certum quidem, & hoc, & omnia alia Dei præcepta ab hominibus ſervari poſſe, nilque impoſſibile a Deo eſſe præceptum; durum tamen eſt diligere illum, qui ex animo nos odit, qui famam noſtram undequaque denigrat, qui ſanguinem noſtrum ſitit, qui vitæ noſtræ inſidias parat, & qui modis omnibus nobis nocere contendit.

Norunt, qui experti ſunt, quam durum ſit benefacere iis qui nos perſequuntur; quamque difficile ſit affectu chriſtiano proſequi operum noſtrorum ſugillatores, virtutum noſtrarum detractores, ac famæ, vitæ, & perſonarum noſtratum infenſiſſimos hoſtes. Hoc norunt illi, & cum Auguſtino fatentur, quod *in juſtificationibus Domini nulla res ſit difficilior, quam ut quiſque ſuos diligat inimicos. Auguſt. in Pſalm.* 118.

Sed licet durum & grave ſit hoc præceptum homini, juxta corruptæ naturæ leges operanti; ſuave tamen ſit jugum illud per Dei gratiam, quæ nulli deeſt; illudque leve cenſebit, qui ſerio perpendet urgentia motiva, quæ ad diligendos inimicos nos excitare debent. De quibus jam dicturi ſumus, &c. *Ave.*

MAlum pro malo reddendum, & vindictam de inimicis ſumendam, ſuadent dæmon, mundus, prava conſuetudo, & natura corrupta; quare, ut de iis triumphemus, utque ad inimicorum amorem alliciamur, urgentia motiva quiſque in mente habere, & ſibi præfigere debet.

Ante Chriſti adventum nonnullis Philoſophis gentilibus magnum amoris inimicorum motivum erat vitæ probitas; quam ſine hoc amore non poſſe eſſe credebant, dicentes, virum illum non eſſe bonum, qui diuturna in hoſtes ſuos concitatur ira, quia *apud virum bonum cito moritur iracundia. Themiſt.* Aliis quibuſdam gentilibus magnum amoris inimicorum motivum fuit magnanimitas, & ideo dicebat Seneca: *Magni animi proprium eſt tranquillum eſſe, placidumque offenſas & injurias remittere. Seneca lib. de clem.* Alii ad amorem Inimicorum alliciebantur ex honoris & gloriæ motivo; cenſentes, nil glorioſius, quam in ſeipſis iræ, & vindictæ motus comprimere. Dicebantque, illum eſſe fortiorem qui ſe, quam qui urbes munitiſſimas, & copioſos exercitus vincebat: *fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit mœnia.*

Iis omnibus motivis quilibet Chriſtianus ad amandos inimicos excitari debet. Sed urgentiora hujus amoris motiva habemus in Chriſto, qui præcipit, qui amat, & qui punit: *qui præcipit*, ut inimicos diligamus: *qui amat* inimicos: & *qui punit* eos, qui inimicos oderunt. Dicamus ergo, amandos eſſe inimicos: 1. quia Chriſtus inimicos amare præcipit: 2. quia Chriſtus inimicos amat: 3. quia Chriſtus eos qui inimicos oderunt, dire plectit. Chriſtus præcipit, Chriſtus amat, Chriſtus punit. En tres hujus Concionis partes, & tria amoris inimicorum motiva.

## PRIMA PARS.

*Diligendi inimici: quia Chriſtus eos amare præcipit.*

IN veteri Teſtamento Judæis præceperat Deus, ut proximum diligerent: *diliges proximum tuum.* Sed quia ex iis multi, nomine proximi, intelligebant ſolum amicos; hic apud illos error irrepſerat, quod ſcilicet amici eſſent amandi, inimici vero odio habendi: *audiſtis quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Matth.* 5. Chriſtus autem ut hunc tollat errorem, utque homines ad inimicorum amorem inclinet, hodie clare loquitur, & cuique præcipit, ut ſuos diligat inimicos: *ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros.* Audiamus Chriſtum præcipientem, & obediamus ei. Inimicos diligamus: quia præcepit Chriſtus, 1. qui Deus noſter eſt, 2. qui Pater noſter eſt, 3. qui benefactor noſter eſt.

1. Qui inimicos diligere præcipit, non Princeps quidam terrenus, ſed ipſe Deus eſt. Qui præcipit ut inimicos diligamus, eſt ipſe Chriſtus Dominus, cujus ſapientia Infinita, bonitas ineffabilis, & poteſtas immenſa. Ipſe eſt qui legem amoris inſtituit, qui inimicorum odium prohibet, & qui eos diligere præcipit, his verbis: *ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Quaſi dicat: ego qui Deus ſum, qui ſupremus Legislator, & Rex Regum ſum, *dico vobis*, qui humiles ſervi mei eſtis, ut non ſolum amicos, ſed etiam inimicos diligatis. Quaſi dicat, ego, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, qui nec fallere nec falli poſſum, quique leges iniquas condere nequeo, dico vobis inſipientibus, & errori obnoxiis, ut inimicos quoslibet ex corde ametis. *Ego*, qui cum Deus ſim, cognoſco quid proſit vobis inimicos diligere: *ego*, qui vos ſalvare, aut reprobare poſſum; *ego*, inquam, dico, & præcipio vobis, ut inimicos diligatis: *diligite inimicos veſtros.* Quare cum Chriſtns, qui Deus eſt, præcipiat ut inimicos diligamus, non ambigendum, nec de æquitate præcepti diſputandam, ſed inimicos diligere debemus. *Divino intonante præcepto, obediendum eſt, non diſputandum. Auguſt. lib. 16. de Civ. cap.* 32.

Ipſæ creaturæ inſenſibiles Deo in omnibus obediunt. Si enim terræ præcipiat, ut populos multos, & gentes magnas glutiat, mox ſinum aperit, eoſque protinus devorat: ſi aquis imperet, ut ultionem de peccatoribus ſumat, e ſolito ſtatim exeunt alveo, & Dei inimicos undequaque inquirunt, ut eos ſubmergant: ſi jubeat ſolem curſu certo & conſtanti moveri, ut dies & annos metiatur, mirabile illud ſidus nec minimum a lege ſibi poſita aberrat, ſi igni prohibeat, ne aliquibus viris juſtis noceat, vorax hoc elementum iis blanditur, eoſque refrigerat, ſi terminos mari præſcribat, ultra eos nullo modo progreditur: *termi-*

nos

*nos conceſſos non excedis, ſervans jura præſcripta. Tert. lib. de Trin.* Nec ſolum terra, ignis & aqua, ſed etiam grando, nix, glacies, & omnes creaturæ inſenſibiles ei quam perfectiſſime obtemperent: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Pſ.* 148. 8. O Chriſtiane, ſi Deo obtemperant ipſæ creaturæ inſenſibiles; cur tu, qui ſenſu & ratione prædictus es, ei non obedies? cur Chriſto, qui Deus eſt, & qui præcipit, ut inimicos diligas, obtemperare renues? Ne violes mandatum ejus, ſed ei inimicorum amorem præcipienti, humiliter parcas. At ſi inimicos diligere debemus, quia præcipit Chriſtus, qui Deus noſter eſt, eos etiam diligere debemus, *quia præcipit Chriſtus, qui Pater noſter eſt*.

2. Nullus tam Pater noſter eſt, quam Chriſtus, qui fecit nos, qui creavit, & regeneravit nos; nullus tam Pater noſter, quam Chriſtus, a quo habemus eſſe in ordine naturæ, & in ordine gratiæ: *tam pius nemo; nam Pater nemo, Ter. nil.* Chriſtus autem, qui Pater noſter eſt, præcipit nobis, ut inimicos diligamus: *ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*. Quare quiſque ſuos inimicos diligere debet, cum Chriſtus, qui Pater noſter eſt, eos amare præcipiat.

*Quanta*, inquit S. Thomas a Villanova. *Quotidie facimus pro amicis? quot a nobis alienatos, & inviſos, orantibus amicis, in noſtram gratiam recipimus? O Chriſtiane, facis hoc pro amico, & non facies pro Chriſto? maxime cum Chriſtus hoc non ſolum conſulat, ſed & præcipiat? S. Thom. conc. in fer. 6. ante Dom. 1. Quad.* O Chriſtiane, ſi pro amico rogante, inimicos diligis, quanto magis eos diligere debes pro Chriſto, qui non ſolum amicus, ſed etiam Pater tuus eſt, & qui non ſolum rogat, ſed etiam præcipit, ut eos diligas? Certe licet inimici tui Turcæ eſſent, eos diligere deberes: quia Chriſtus qui Pater tuus cæleſtis eſt, hoc præcipit. *Omnes Turcas*, inquiebat prælatus Antiſtes, *immo & ipſos dæmones diligerem, ac pro amicis haberem, ſi id præciperes. Ibid.*

Fratres Joſeph, mortuo patre, timuerunt, ne ipſe injuriam ab iis acceptam ulciſceretur: quare ab omni iræ & vindictæ ſpiritu eum avertere cogitaverunt; nec de hac re ullum efficacius motivum ei proponendum adinvenerunt, quam defuncti Patris ultimam de condonando voluntatem. Ut enim loquitur ſacra Scriptura: *Timentes fratres ejus, & mutuo colloquentes, ne forte memor ſit injuriæ, quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus, mandaverunt ei, dicentes: Pater tuus præcipit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te. Geneſ.* 50. 51. Nonne videtur, quod maxima Joſepho ratio eſſet iraſcendi in fratres, a quibus in foveam miſſus, & inique venditus fuerat? nonne videtur, quod tunc de iis vindictam ſumere deberet, aut ſaltem perpetratum crimen eis exprobrare? Hoc ſane facere ſuadebant naturæ & mundi leges, ſed mox ut audivit, præcipiſſe patrem, ut hanc iis injuriam condonaret, blande & ſuaviter allocutus eſt eos, omnemque ex animo offenſam remiſit. O Chriſtiane, de inimico conquereris: dicis te ab illo fuiſſe injuriis laceſſitum, opprobriis gravatum, volo quod ita ſit. Nihilominus dico tibi, quod illi parcere debeas, omniſque injuriæ ab illo acceptæ oblivifci: quia Chriſtus, qui Pater tuus eſt, & vivens, & moriens, præcepit tibi, ut inimicos diligas: *ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*. Quare Chriſti Patris tui obtempera voluntati, parcens inimicis tuis; eos ex corde dilige, quia hoc tibi præcipit Chriſtus, qui Pater tuus eſt; *ac etiam benefactor tuus*.

3. Innumera ſunt, quæ a Chriſto beneficia accepiſti; quid enim habes, quod ab eo non acceperis? A quo habes, quod ſis, quod vivas, quod loquaris, quod videas, quod ratiocineris, & quod æternæ beatitudinis ſit capax, niſi a Chriſto Domino? Nihil eras, & ille fecit te: perieras, & quæſivit te: ſervus eras, & redemit te: emptum liberavit te: de ſervo fratrem fecit te: *Donavit vitam, donavit ætatem, donavit liberam voluntatem; donavit ſubſtantiam, donavit ingenium, donavit rationem, donavit ſcientiam, donavit omnia ſua, ut eſſent tua: donavit ſe ipſum. Auguſt. lib. 2. de ſim.*

O eximium benefactorem! o quot & quanta a Chriſto accepiſti beneficia! Tot quidem & tanta ſunt, ut vix numerari, & concipi poſſint; *deficit prorſus ſpiritus noſter, deficit in tanta beneficiorum conſideratione. S. Bern. de ſept. miſer.* Ille autem a quo tot & tanta percepiſti beneficia, præcipit tibi ut inimicos diligas: *ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*. Quare hoc non illi denegandum, ſed fugato omni iracundiæ & vindictæ ſpiritu, inimicos debes ex corde diligere pro illius amore, qui tot te donis & beneficiis afficerat.

Immenſa, quæ a Deo acceperat, beneficia perpendens Regius Propheta, ſollicite inquirebat, quam pro tot receptis favoribus ei offerret retributionem. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi: Pſ.* 115. 3. Deinde advertens, nil gratitudini ſuæ convenientius, nilque Deo gratius, quam inimicorum amorem: in gratiarum actione Deo pollicetur, ſe inimicis condonaturum, ac perſecutionum, injuriarum, calumniarum, aliarumque amaritudinum calicem ſe æquo animo pro ejus amore bibiturum. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam.* Calicem ſcilicet illum, ut explicat S. Ambroſius, de quo duobus Diſcipulis Chriſtus dicebat. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* O Chriſtiane, ſerio pondera immenſa & innumera quæ a Chriſto percepiſti beneficia: & ſi ſcire velis quid pro tantis beneficiis ei retribuere valeas, vide eum offerentem tibi calicem perſecutionum: audi eum dicentem, & præcipientem, ut eos diligas qui te perſequuntur. *ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*. Quare pro ejus amore hunc bibe calicem; pro ejus amore ei præcipienti obtempera, & inimicos toto corde dilige. Inimicos ergo dilige, quia præcipit Chriſtus, qui Deus, Pater, & benefactor tuus eſt. At inimici non ſolum diligendi, quia Chriſtus eos amare præcipit; ſed etiam *quia Chriſtus eos amat*.



Digitized by Google

## SECUNDA PARS.

*Diligendi inimici: quia Chriſtus eos amat.*

CHriſtus non ſolum in laboribus, ſed etiam in perſecutionibus fuit a juventute, & a nativitate ſua. Mox enim ut natus eſt, illum dire perſecutus eſt Herodes: in vitæ ſuæ decurſu illum Sacerdotes, Levitæ, & alii innumeri inique, & acriter perſecuti ſunt: & in vitæ ſuæ fine, a Juda traditus, a ſatelliribus caprus, a militibus illuſus, a Pilato condemnatus, & a ſæviſſimis carnificibus flagellatus, ſpinis coronatus, & cruci affixus eſt. O quam gravia, & acerba ab inimicis ſuis paſſus eſt Chriſtus! Sed mirabilia, & portentoſa ſui erga inimicos & perſecutores ſuos nobis præbet amoris exempla in præſepio, in vitæ ſuæ decurſu, & in cruce: 1. *in præſepio*, in quo naſcens reclinatur: 2. *in vitæ ſuæ decurſu*, dum cum hominibus verſatur: 3. *in cruce*, ubi pro inimicis orat, & moritur.

1. Ante Chriſti adventum, ob perpetratum a protoparente peccatum, eramus omnes filii iræ, ſatanæ ſervi, & Dei hoſtes. Dei autem Filius, ut nos a dæmonis ſervitute liberaret, atque nos Patri reconciliaret, incarnari, homo fieri, & in præſepio naſci dignatus eſt: *& reclinavit eum in præſepio. Luc.* 2. 7.

Quis non amat Chriſtum, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis; quis ſummo affectu non diligat Chriſtum, qui ut homines ad cælcſtia regna eveheret, *exinanivit ſemetipſum? Philip.* 2. 7. Sed quis odio habeat Chriſtum, qui ut nos Patri reconciliaret, in vili præſepio naſci, & requieſcere voluit? Illum quidem nullus odio habere, & eum omnes amare deberent: illum tamen in præſepio reclinatum odio habuerunt Herodes, ejuſque ſatellites, qui adverſus eum iniqua machinati ſunt, & qui illum ad necem quæſierunt. Tantum autem abeſt, quod Chriſtus aliquam de iis vindictam ſumpſerit, quin contra paterno ſemper eos amore proſecutus eſt, eiſque benefacere non deſtitit.

Poterar Chriſtus infans, inermis, & in humili præſepio faſciis involutus, Herodem, omneſque ejus ſatellites ſtatim interimere, peſſundare, & annihilare: *Nonne poterat contra eos ſuperius cælum perfringere, vel ipſos terræ hiatibus abolere, vel dimovere ex propriis terminis mare, & voraginibus terram ſubmergere, vel Sodomiticum ignis imbrem mittere unico verbo, vel aliquod aliud acerbum ſupplicium irrogare; Gregor. Nazianz. ord. perfecta Chr. forma?* Hoc quidem quam facillime poterat. Sed ut in præſepio prima amoris ſui erga inimicos ſigna ederet, adverſa omnia miti patientique animo pertulit; ac Herodem, & iniquos ejus adminiſtros plectere noluit. Quin contra, vitæ uſuram eis prorogavit; ſolem ſuum ſuper eos, ſicut & ſuper alios, oriri fecit; temporalia eis, ſicut & aliis dedit: ac gratias, quarum auxilio æternam beatitudinem aſſequi valerent; eis non denegavit.

O Chriſtiane, contemplare in præſepio Chriſtum inimicos diligentem, vide quomodo Herodem, alioſque perſecutores ſuos amet. Si autem ille ſuos; cur tuos non diliges inimicos? Si perſecutores ſuos amet ille, qui Deus eſt; cur perſecutores tuos non amabis tu, qui Dei ſervus es? *Numquid quod decuit Deum, dedecet Dei ſervum? Petr. Bleſſ. ep.* 146. Certe hoc te non dedecet; ſed magna tibi gloria, ſequi Dominum, & Chriſtum imitari: quem ſi non imiteris, Chriſtiano indignus es nomine: *Chriſtiani nomen fruſtra ſortitur, qui Chriſtum minime imitatur. Auguſt.* Imitare ergo Chriſtum, qui in præſepio reclinatus, inimicos diligit; *& qui eos etiam diligit in vitæ ſuæ decurſu, dum cum hominibus verſatur.*

2. Chriſtus diu latere voluit; ſed mox ut cum hominibus converſatus eſt, inſenſiſſimi ejus hoſtes extiterunt Scribæ, Phariſæi, Judaicæ Legis Doctores, & plurimi ex Judæis, qui interna in illum invidia concitati, famam ejus denigrare conati ſunt, dicentes, eum eſſe peccatorem, inſanum, & dæmonem: *Dictus eſt peccator, dictus eſt iniquus, dictus eſt Beelzebub, dictus eſt inſanus. Auguſt. in Pſ.* 68. Sed nonne hi, iniqua exardeſcentes ira, ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ut præcipitarent eum? nonne calumniis, falſis teſtimoniis, & iniquiſſimis quibuſque viis illum ad mortem perſecuti ſunt? Quid autem Chriſtus? ſuis ne inimicis reddidit vicem? maledixitne maledicentibus? nequaquam; ab iis enim *cum malediceretur, non maledicebat.* 1. *Petr.* 2. Quid ergo? forte malum pro malo reddidit? nequaquam; quin contra, eos ex corde dilexit, eique benefacere non deſtitit: *vide*, inquit Sanctus Thomas a Villanova, *quanta bona fecit inimicis ſuis, quomodo curabat ægrotos eorum, quomodo docebat, quomodo diligebat, quomodo ſitiebat ſalutem eorum. Ubi ſup.*

Miramini Chriſtum, qui inimicos amat, qui illos beneficiis multis afficit, & qui eo majorem eorum curam habere videtur, quo graviores ab eis injurias, & contumelias patitur: *quantoque magis ipſum Judaicus populus ignominia, & probris inſectabatur, eo majori ſibi curæ fuit. Chryſ. hom.* 1. *de Dav. & Saul.* Illum admiramini: ſed & eum imitamini. O Chriſtiane, inquit S. Thomas a Villanova, *reſpice magiſtrum tuum, & ducem tuum: vide quanta bona fecit inimicis ſuis! Si ergo es de ſchola Chriſti, cur non ſequeris profeſſorem? Ibid.* Sequere profeſſorem: imitare Chriſtum, qui amat inimicos, & qui in toto vitæ decurſu perſecutoribus benefacit. *Sed majora adhuc, & portentoſa ſuæ erga inimicos amicitiæ exempla edit in cruce ubi per iis orat, & moritur.*

3. Poterat haud dubie Chriſtus ab inimicorum manibus liberari, de iis vindictam ſumere, eoſque annihilare, ſi voluiſſet: tantus tamen ejus in illos fuit amor, ut ulciſci noluerit, ſed pro eorum ſalute pati, & immolari: *cum poſſet ulciſci maluit immolari. Ambr.* O egregium ejus erga inimicos amorem! quem adhuc majorem fuiſſe cenſebit, qui advertet Chriſtum pro inimicis pati & mori voluiſſe in cruce, & morte crucis.

Liberum erat Chriſto, pro inimicis mori vel non mori, & pro iis hac vel illa morte mori. Cum ergo Chriſtus ex nimia ſua charitate pro inimicis mori ſtatuerit, cur potius morte crucis, quam alia minus cruenta, & minus probroſa mori voluit? cur non præelegit lapidari, enſe caput amputari, vel ſuffocari, quam cruci affigi? Præclare reſpondet Chryſoſtomus: *Noluit lapidari, noluit ſuffocari, noluit*

*luit*

Digitized by Google

*luit enſe caput amputari, ſed voluit crucifigi, ut audiretur hæc vox: Pater ignoſce illis.* Si ſuffocatus fuiſſet Chriſtus, pro inimicis ad Patrem clamare non potuiſſet; ſi ei abſciſſum fuiſſet caput, clamandi tempus non habuiſſet; ſi lapidatus fuiſſet, ne pro inimicis orans & clamans audiretur, lapidum ſtrepitus impediſſet: quare ſurſum elevari, & cruci affigi voluit; ut libere clamare, pro inimicis orare, ac ab iis, & pro iis orans, & clamans audiri poſſet: *ut audiretur hæc vox; Pater dimitte illis.*

Contemplemur Chriſtum cruci affixum, audiamus eum pro inimicis orantem, & clamantem: *Pater dimitte illis.* Chriſtus (inquit Sanctus Thomas a Villanova) pendebat in cruce cruentus, plagatus, & laceratus ab eis, quibus tanta beneficia præſtiterat, neque contenti tormentis, inſultabant ludibriis, deridentes, & ſubſannantes, moventes capita ſua dicebant. *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Ibid.* Audit patienter inſultatores ſuos, & Patrem orat: *Pater dimitte illis.* O portentoſam Chriſti benignitatem! o admirabile ejus erga inimicos amorem! Qui ut advertit S. Bernardus; inde majori eſt admiratione dignus, quod illo tempore, quo crucifigebatur, pro crucifixoribus ſuis oraverit, ac pro inimicis tunc veniam petierit, cum ab iis diriſſima pateretur: *Qui flagellis cæſus, clavis confoſſus, patibulo affixus, opprobriis ſaturatus, omnium tamen dolorum immemor, inquit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. S. Bern. Serm. 50. in Cant.*

O homines vindictæ & ultionis cupidi, oculos, & mentem ad Chriſtum cruci affixum convertite, reſpicite in faciem Chriſti Salvatoris veſtri, & Magiſtri veſtri, videte eum clavis confoſſum, ſpinis coronatum, & ab inimicis crucifixum, audite eum in crucis patibulo pro iis orantem, & Patri clamantem: *Pater dimitte illis.* A vertice uſque ad pedes nulla in eo eſt ſanitas, ſolius linguæ uſus ei ſupereſſe videtur, & ea utitur, ut pro inimicis oret, utque ad Patrem clamet, *Pater dimitte illis.* Inimici clamaverant, *crucifige*, & Chriſtus cruci affixus, Patri clamabat: *ignoſce.* Mira res! Judæi clamant vindictam, & Chriſtus clamat veniam; hi fel ori ejus apponunt, & ille melliflua, & inauditæ charitatis verba ex ore promens clamat Patri, ut ignoſcat, quoque magis eorum exardeſcit ira, eo magis Chriſti accenditur charitas, qua ſuccenſus, pro inimicis, a quibus crucifigitur, ad Patrem clamat: *Pater dimitte illis.*

O portentoſum amoris inimicorum exemplum! Ubi nunc qui tanto affectu vindicari appetunt? Videant Chriſtum in cruce pendentem, & audiant illum pro crucifixoribus rogantem. *Vindicari vis;* inquit Auguſtinus, *vide pendentem, audi clamantem, Pater ignoſce illis. Aug. ſerm. 223. de temp.* Dicis; te gravia ab inimicis paſſum, ſed *vide pendentem:* vide an tanta a tuis perpeſſus ſis inimicis, quanta a ſuis Chriſtus, qui ab iis flagellatus eſt, & cruci affixus. *Dicis*, eos qui tibi injuriam irrogarunt, eſſe homines viles, abjectos, & ex infima populi fæce, ſed *vide pendentem*, vide, qui & quales ſint hi a quibus paſſus eſt Chriſtus, nonne a militibus? nonne a famulis? nonne a ſatellitibus, & ab aliis abjectiſſimis viris diriſſima pertulit? *Dicis*, te nihil unquam malî feciſſe, & plurima impendiſſe beneficia iis qui oderunt te? ſed *vide pendentem*, vide quid mali crucifixoribus ſuis fecerat Chriſtus, vel potius quibus eos beneficiis non affecerat. Nonne eos creaverat? nonne iis corpus, animam, & omnia, quibus fruebantur, bona dederat? nonne actu eos conſervabat? nonne, ut ait Petrus Damianus, *dum fel ori, clavi manibus, lancea lateri apponerentur ab inimicis; os, & manus & latus Chriſti agebant pro inimicis? P. Dam. Serm. 1. de Exalt.* Cum ergo ſpiritus nequam te ad vindictam de inimicis ſumendam concitabit, *vide pendentem*, mentis oculos ad Chriſtum converte, qui a perſonis vilibus, quibus innumera bona fecerat, illuſus, flagellatus, & crucifixus, hæc omnia miti & patienti animo pertulit, illiſque benefacere non deſtitit. Reſpice Chriſtum Dominum inimicos diligentem, pro iis orantem, & iis benefacientem. Intuere Chriſtum, & ſi ille inimicos ſuos amavit, tu tuos amare non dedigneris, *non dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus. Aug. ibid.* Imitare Chriſtum, qui inimicos amat. Inimicos tuos dilige, quia Chriſtus miranda tibi amoris inimicorum exempla dedit. Sed amare debes etiam inimicos: *quia Chriſtus dire punit eos, qui inimicos ſuos non diligunt.*

## TERTIA PARS.

*Diligendi inimici: quia Chriſtus eos qui inimicos ſuos non amant, dire plectit.*

MAgnum amoris inimicorum motivum eſt haud dubie mirandum illud amoris hujus exemplum, quod Chriſtus omnibus præbuit. Sed ſi hoc exemplo ad inimicos amandos quiſque non alliciatur, ad eos diligendos quemque cogere debet pœna, qua Chriſtus eos plectit, qui inimicos oderunt. Quæ pœna magna & graviſſima eſt: quia eos qui inimicis non parcunt, Chriſtus: 1. privat venia: 2. privat gratia: 3. privat gloria.

1. Hæc in ſacris Codicibus lex conſtituta legitur, quod qui inimico veniam denegat, a Deo veniam nunquam obtinebit; *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Matth. 6. 15.* Omnis homo qui inimicos odit, coram Deo reus eſt, quia præceptum de amore inimicorum violavit, ut autem hujus, & aliorum criminum veniam a Deo obtineat, inimicis prius parcat neceſſe eſt, quia Deus non dimittit, nec peccatorum veniam concedit his, qui inimicis non dimittunt: ſi inimicis indulgeas, indulgebit tibi Deus, ſi parcas, parcet, ſed ſi iis non dimittas, tibi non dimittet, nec veniam quomodocumque concedet. Acerbis licet jejuniis corpus affligas, licet facultates omnes pauperibus eroges, licet continuis precibus a Deo veniam poſtules, ab eo veniam nunquam impetrabis, ſi inimico prius non parcas, & indulgeas, quia Deus his ſolummodo veniam concedit, qui inimicis parcunt; & fruſtra ab eo veniam petit, qui inimicis veniam concedere renuit; *gratis petis veniam qui alteri indulgere contemnis, Chryſoſt. ſerm. 71.*

Vide quid reſpectu inimicorum a Deo in Oratione Dominica petas: Nonne ab eo petis, ut tibi parcat, indulgeat, & veniam concedat eodem modo, quo tu inimicis tuis parcis, indulges, & veniam

concedis? Nonne ei dicis; *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?* Nonne ab eo poſtulas, ut talem ſe erga te exhibeat, qualem erga inimicos te exhibueris? Hoc ſane a Deo petis, & hoc tibi Deus concedit. Talem enim ſe exhibet reſpectu tui, qualem te eſſe videt reſpectu inimicorum; *Talem unuſquiſque indulgentiam accepturus eſt a Deo, qualem ipſe dederit proximo. Aug. ibid.* Deo in oratione Dominica dicis, Domine, ſi parcam, parce; ſi non parcam, ne parcas, nec mihi veniam concedas. Reſpondet autem Deus, ſi inimicis parcas, parcam & tibi, ſi iis non parcas, tibi non parcam, nec unquam a me veniam impetrabis: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cæleſtis debita veſtra: ſi non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Matth. 6. 15.* Dimitte ergo, ut dimittat tibi Deus, parce, ut parcat, veniam concede, ut veniam obtineas, ſi enim inimicis non parcas, tibi non parcet Deus; quia *non dimittit Deus non dimittentibus;* ſed eos privat venia; *& eos etiam privat gratia. Aug. lib. 21. de Civit. cap. 27.*

2. Jejunabant, ſuaſque animas humiliabant Judæi, ut jejuniis, & humilitate ſua Deum flecterent, & ab eo gratias impetrarent: ſed fruſtra; nulla enim ex gratiis quas petierunt, obtinere potuerunt. Quamobrem mirantes, & attoniti, a Deo ſupplices petierunt, cur jejunia, & mortificationes quibus inſiſtebant, eum ad miſericordiam, & ad petitas gratias concedendas non inclinarent? *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti? Iſaia 58. 3.* Reſpondit autem Deus, eos gratias quas petebant non obtinere, quia in cordibus ſuis odia fovebant, ac adverſus inimicos litigabant, & contendebant, *ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie.* Ecce cur gratiam a Deo non obtineant multi. Quia inimicis gratiam concedere nolunt, ideo in pœnam ſua Deus eos gratia privat.

Jejunia, mortificationes, humiliationes, & alia bona opera ſunt media potentiſſima ad obtinendas a Deo gratias, ſed jejunet quis quantum voluerit, oret, largas pauperibus det eleemoſynas, aliiſque bonis operibus vacet quantum fas erit, non ideo tamen gratias obtinebit, ſi prius inimicis non parcat. Quia quandiu quis inimicos odio habet, tandiu ad impetrandam a Deo gratiam vana & inutilia ſunt ejus opera. *Odium enim proximi omnia bona quæ agis, orationes, eleemoſynas, jejunia, caſſa & inania facit toto tempore quo durat. Quantum malum hoc! S. Th. a Villan. ib.* Certe magnum hoc malum, & graviſſima hæc eſt pœna, qua Deus eos plectit, qui inimicos odio habent: *ſed eos Deus gloria etiam & æterna beatitudine privat.*

3. Durum quidem eſt inimicos diligere, ſed magna merces dabitur diligentibus eos: qui enim inimicos & perſecutores ex corde diligunt, copioſam in cælis mercedem recipient; *Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſus vos, mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Matth. 5. 11.* Gaudere quidem debent, qui perſecutores & inimicos diligunt, qui ampla, & æterna in cælo præmia percipient. Sed eſt quod formident, & trepident qui inimicos odio habent; quia, in criminis ſui pœnam, cæleſti gloria privabuntur, nec ad cæleſtia regna intrabunt, ſi non convertantur. Deus enim illos æterna gloria privabit, & Paradiſi portæ illis in æternum clauſæ erunt: *Qui talem charitatem habet, ut inimicos diligat, illius cæleſtis Jeruſalem portas merebitur intrare; qui autem non vult habere hanc charitatem, ex omni parte portas clauſas inveniet. Auguſt. ſerm. 63. de temp.*

Si ſanctus Stephanus perſecutores ſuos non dilexiſſet, cæli portas ſibi apertas non vidiſſet, ſed quia eos amavit, cælos apertos videre meruit; *ecce video cælos apertos.* Si inimicos diligas, tibi ſimiliter poſt mortem aperientur cæli januæ; ſed ſi eos odio habeas, iiſque non parcas, tibi claudentur Paradiſi fores, & æterna beatitudine privaberis, *ex omni parte portas clauſas invenies.*

O quam grave illud ſupplicium! Durum cenſes, inimico parcere, ſed quam durius tibi erit, æterna beatitudine privari! quam durius tibi erit, cum tibi dicetur, clauſam eſſe Paradiſi januam, nec unquam tibi eſſe aperiendam! Sed quid de te fiet, ſi clauſæ tibi ſint regni cæleſtis januæ? quæ tua erit ſors? nonne æternis tartari flammis addicere? nonne ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, pars calicis tui in inferno erunt? nonne ibi cum Caino fratricida, & ultionis amante, in æternum cruciaberis? Ibi, ibi horrendis, & æternis plecteris ſuppliciis; quia inimico parcere noluiſti.

O N. quid mavis, aut intrare in gaudium Domini tui, aut æternis ſuppliciis adjudicari? Quid mavis, aut æternum cum Chriſto regnare in Cælo, aut æternum in inferno cruciari cum diabolo? haud dubie cæleſtia tibi arrident gaudia, & in æternum cum Chriſto regnare concupiſcis: Sed ſi cæleſtem beatitudinem obtinere, & cum Chriſto in Cælo regnare cupias, inimicos dilige: *ama* illos, ut Chriſto præcipienti obtemperes; *ama* illos, ut Chriſtum imiteris; *ama* illos, ut devites pœnam, qua Chriſtus plectit eos, qui inimicos oderunt: *ama* eos, & charitas operiet multitudinem peccatorum, ac veniam, gratiam, & æternam beatitudinem tibi impetrabit. *Amen.*

DOMINICA PRIMA.

# DE AGENDIS, ET VITANDIS.

## TEMPORE QUADRAGESIMÆ.

*Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Matth. 4. 2.

INſtitutam ab ipſo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ primordio Quadrageſimam appoſite Chryſoſtomus *ſpirituale animarum ver, Chryſ. in Geneſ.* nominat. Sicut enim univerſi terrarum orbis facies, quæ hyemis tempore fuerat deformata; ineunte vere tota immutatur; deperditumque ſplendorem recuperat, ſic adveniente Quadrageſimali tempore, hominum peccatorum vita, quæ diebus bacchanalium, helluationibus, ebrietatibus, luxu, & infinitis execrabilibus, infandis & reprobatis operibus tota fuerat

defu-

defœcata, adveniente ſaluberrimo Quadrageſimæ vere, tota debet immutari.

Adveniente ſacro illo tempore, helluo eſurire, ebrioſus ſitim pati, humiliari ſuperbus, luxurioſus continere, & omnis peccator pravos mores in ſanctas operationes commutare debet. Hoc jejunii tempore ceſſent cupediæ, helluationes, & omnia profana convivia, ceſſent hoc pœnitentiæ & mortificationis tempore coquorum ſollicitudines, & archimagicorum artes: ceſſent hoc ſanctificationis tempore effuſæ libidines, omnibuſque licentioris vitæ criminoſis exercitiis finis ultimus ſtatuatur. Quid hoc Quadrageſimali tempore agere & vitare debeant Chriſtiani, ſpecialius in ſequentibus declarabimus. *Ave, &c.*

LIcet omni tempore abſtinentiæ, pœnitentiæ, & animæ ſuæ ſanctificationi quiſque ſtudere debeat, omnibus tamen notum, & apertum eſt inſtitutam ab Eccleſia Quadrageſimam eſſe tempus ad hæc munia ſpecialiter dedicatum. At funeſta conſtat experientia, homines guloſos hoc abſtinentiæ tempore, ſæpe ſe cibis, vinoque ingurgitare, homines voluptuoſos hoc pœnitentiæ tempore, ſæpe luxuriæ aliiſque illicitis voluptatibus indulgere, & homines diſſolutos hoc ſanctificationis tempore, graviorum criminum ſanie ſæpe ſe inquinare.

Abſit hic agendi modus ab hominibus nomine Chriſtiano inſignitis *hujuſmodi intemperantiæ, & diſſolutionis magiſteria hominem, quæ Chriſtiani nominis vocem induerit, non decent. Tertull.* Non ſic ſane ſacrum Quadrageſimæ tempus eſt impendendum: nam in Quadrageſima abſtinendum a deliciis, & a vitiis. *Hoc tempore abſtinentiæ*, abſtinendum a cibis, & jejuniis eſt vacandum: *hoc pœnitentiæ tempore*, abſtinendum a deliciis, & mortificationi eſt adhærendum: *hoc tempore ſanctitatis*, abſtinendum a peccatis, & virtuti eſt inſiſtendum. Tempore tandem Quadrageſimæ, modo ſpeciali: 1. jejuniis eſt vacandum: 2. pœnitentiæ eſt adhærendum: 3. a peccatis eſt abſtinendum.

## PRIMA PARS.

*Tempore Quadrageſimæ, abſtinentiæ, & jejuniis eſt vacandum.*

GOliath, terror ille Iſraelitarum, qui ab Auguſtino, aliiſque Sanctis Patribus Principi tenebrarum comparatur, provocabat filios Iſrael quadraginta diebus, eos laceſſens mane & veſpere; *procedebat vero Philiſtæus mane & veſpere, & ſtabat quadraginta diebus.* 1. *Reg.* 17. 16.

Tartareus Goliath, toto hoc Quadrageſimæ curriculo, in arenam deſcendit, ut Chriſtianos ad jejunii legem violandam provocet. *Mane & veſpere* eos impugnat, ſuadens, nimis duram eſſe hanc legem, eam non a ſæcularibus, ſed a Religioſis duntaxat ſervandam; danda corpori, quæ ad victum & ad delectationem appetit: non debere Chriſtianum hac in re ſcrupulis angi: in jejunii violatione gravem non eſſe culpam; aut ſi gravis ſit, quod tempore Paſchali inſtante, Sacerdotis abſolutione facile tolletur. *Mane & veſpere* inſpirat vaferrimus tentator, poſſe quemlibet abſque peccato, & abſque commiſſa adverſus legem culpa centies in die bibere, & centies aliquantulum cibi ſumere, ne potus noceat. *Mane* cuilibet dicit Satan: ſtomachus tibi debilis eſt, conſule ſanitati, cave a catharro, a fluxionibus, & aliis malignis effectibus; quos cauſare poſſet jejunium. *Veſpere* ſuadet, collationem largiorem eſſe faciendam, offam comedendam ventremque opplendum, ad hoc ut mox inſomnis non ducatur. *Mane* ſuggerit, prandium ad multum tempus prorogandum, ventremque ita implendum, ut veſperi non eſuriat: *veſpere* vero afflat, ſtrictas collationis leges non eſſe ſervandas, nec gravem eſſe culpam, ſi collatio in cœnam convertatur.

O formidandum Goliath! o infeſtiſſimum hoſtem, adverſus quem quadraginta his diebus colluctandum eſt! Quadrageſima eſt tempus pugnæ quam in dæmonem inire debemus, totoque hoc tempore jejuniis auſteris eſt vacandum, ut de illo triumphemus: *Hodie ſacrum Quadrageſimæ tempus ingreditur, tempus militiæ chriſtianæ: nemo ergo in umbra jaceat, nemo pugnam detrectet, in aciem eundum eſt. S. Bernard. ſerm.* 1. *de jejun.*

In aciem deſcendit Chriſtus, qui quadraginta dierum jejunia emenſus eſt; non in Bethlehem, ubi natus erat, non in Templo, ubi fuerat præſentatus: non in Nazareth, ubi fuerat nutritus, ſed in deſerto, ubi jejunia ſunt duriora. Ibique jejunavit, non ſolum quadraginta diebus, ſed etiam quadraginta noctibus; tantoque cum rigore jejunavit, ut eſuriem paſſus ſit: *Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Si Chriſtus, qui jejunii lege non ligabatur, quadraginta diebus tanta cum auſteritate jejunavit, cur jejunare recuſabit Chriſtianus? ſi Magiſter jejunans eſuriit, cur non jejunabit, & cur non eſuriet Diſcipulus? *Qualis es Chriſtianus, ſi Chriſto eſuriente tu reficiaris? ſi illo pro ſalute tua famem ſuſtinente, tu pro peccatis tuis jejunare formides?*

Chriſtum imitari, ac cum illo jejunare & eſuriem pati non reformidabant primævi Chriſtiani, de quibus S. Baſilius ait: De jejunio Quadrageſimæ cuncti æqualiter præceptum audiunt, & cum gaudio ſuſcipiunt. *D. Baſilius hom.* 1. *&* 2. *de jejun.* Non eſt aut nobilis, aut ſenex, aut adoleſcens, aut vir, aut mulier, aut dux, aut miles, qui non integre & mente hilari Quadrageſimæ dies obſervet. Tam accurate & ſevere jejunabant primi Chriſtiani, ut maluiſſent mori, quam ſine cauſa jejunium violare: *Ad eminente jejunio; etſi millies quis exhortetur, omnia quis mallet pati, quam prohibitum tangere nutrimentum. Chryſ. hom.* 6. *ad pop.* Cujus rei præclarum extat exemplum Civium Conſtantinopolitanorum, de quibus refert Nicephorus, quod cum Juſtinianus Imperator, ob magnam penuriam aliarum rerum quæ ad victum ſpectant, edicto ſuo carnes in ſecunda Quadrageſimæ hebdomada in macello proponi juſſiſſet; nullus, quod mirum eſt, in tanto populo carnes emere, aut guſtare voluit. *Niceph. lib.* 17. *Hiſtor. cap.* 32. O quam præclare hi Chriſtum jejunantem imitati ſunt! ſed heu! quantum diſtant noviſſimi a primævis Chriſtianis! Illi jejunare appetebant, gaudebant, adveniente jejuniorum tempore, & ita accurate ea ſervabant, ut mori maluiſſent, quam cibos vetitos tempore Quadrageſimæ edere. Iſtius autem ſæculi Chri-

ſtiania jejunia plerumque reformidant; imaginarias adducunt rationes, ut ea infringant; ac ſæpe ob leviſſimas rationes: immo ſine ulla ratione jejunia violant, & cibos vetitos comedunt. O N. N. inſpicite Chriſtum jejunantem; videte & majores veſtros; attendite ad primos Chriſti Diſcipulos, & eorum exemplo Quadrageſimalia, & alia indicta vobis jejunia, quantum fas erit, religioſe ſervate.

Sed ſi ad jejunandum non moveant vos mirabilia hæc exempla, attendite ad jejunii præceptum. Non enim cuique liberum eſt jejunare, vel non jejunare; ſed de Quadrageſimali jejunio præceptum extat, quod qui ſine legitima ratione violat, haud dubie peccat: *in Quadrageſima non jejunare peccatum eſt. D. Auguſt. ferm. 62. de temp.* Nec leve credas eſſe peccatum, quod perpetrant, qui abſque cauſa legitima Quadrageſimalis jejunii legem violant; mortaliter enim peccant; *tum* quia Eccleſia abſolute percipit; & res præcepta ſatis gravis eſt, ut illam ſub mortali præcipere queat; *tum* quia in variis Conciliis ſancta ordinavit Eccleſia, ut qui ſine cauſa jejunium Quadrageſimale violant, excommunicationis pœna plectantur; quæ pœna non imponitur, niſi ob mortale peccatum. *D. Th. 2. 2. quæſt. 147. art. 2.* O Chriſtiane, parumne tibi videtur, indictam ab Eccleſia legem violare? parumne tibi videtur, mortaliter peccare? Nonne ſcis, tamquam ethnicos inſpiciendos eos, qui Eccleſiæ mandatis non obtemperant: *Si autem Eccleſiam non audieris, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus? Matth. 17. 8.* Nonne didiciſti, quod *quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus? Jac. 2. 10.* Nonne noſti, quod qui vel unicum mortale perpetrat, in ſpiritualem & æternam mortem incurrit: *anima quæ peccaverit, ipſa morietur? Ezech. 18. 20.* Sanctæ ergo Quadrageſimæ jejunia ne violes, ac jubenti Eccleſiæ obtempera, ne morte ſpirituali & æterna plectaris.

Jonathas, Saulis filius, in grave mortis incurrit periculum, quia ex levi quadam intemperantia parum mellis comedit: ac patris, qui jejunium aliquod indixerat, præceptum, quod ipſe ignorabat, violavit. *1. Reg. 14.* Heu! ſi Saul tam ſevere ſuum plectit filium propter tranſgreſſionem præcepti, ignoranter factam, quomodo punietur, qui voluntarie, & ſine legitima cauſa præceptum de Quadrageſimali jejunio violabit? ſi in Jonatham, eo quod mellis aliquantulum comederit, dira mortis ſententia fertur; quænam adverſus Chriſtianum, qui contra jejunii præceptum comedit, ſententia feretur? *Si ignorans Jonathas indictum a patre jejunium, quia reſolverit, morti addicitur: qui ſciens indictum ab Eccleſia jejunium reſolverit, quid meretur? S. Ambr. ſer. 25. de Quadr.* Certe Chriſtianus, qui ſciens, & abſque ratione legitima, præceptum Quadrageſimalis jejunii violat, ſpiritualem & æternam mortem meretur; ac æterna plectetur morte, ſi de perpetrato peccato pœnitentiam non egerit.

O Chriſtiani, inquit S. Baſilius, inſpicite Abrahamum in cælo regnantem, & divitem avarum in mediis tartari ignibus clamantem. Utrumque mente revolvite, ac (judicate, an expediat magis, *aut* eximere vos a jejunio in hacce vita cum divite hellurone, ac in altera famem æternam ſuſtinere, ſitimque rabidam in flammis, & infernorum ardoribus; *aut* abſtinere vos cum modico labore per dies aliquot, & convivari cum Abrahamo, in ſinu gloriæ molliter recumbentes, quamdiu æternitas durabit. *D. Baſil. homil. 1. de jejun.*) Certe qui recte ſapiet, accurate omnis Quadrageſimæ jejunia ſervabit; & ut æternas tartari pœnas devitet, & ut ſupernæ felicitatis præmia cum Abrahamo obtineat.

Jejunate ergo, ac totius Quadrageſimæ jejunia religioſe ſervate: ſi enim tot annos mundo & voluptati dediſtis; cur Deo & jejuniis dies quadraginta non conſecrabitis? *Tot annorum circulos tranſegiſti, mundo fruſtra operam navans, & quadraginta diebus jejunio non vacabis pro anima tua? S. Cyrillus Alexand. catech. 1.*

Scio, quod multis multus eſt in jejunando labor, ſed talis labor libenter ſuſtinendus, non ſolum ad vitandos inferni cruciatus, & ad impetrandam cæli gloriam; ſed etiam ad imitandum Chriſtum Dominum, qui pro noſtra ſalute jejunavit, & qui pro nobis graviores ſuſtinuit labores. ( Si jejunium nobis acerbum eſt, atque inſtar crucis; agnoſcamus, quam graviora pro nobis pertulerit Chriſtus in cruce: ubi potio quæ ipſi porrecta eſt aceti & fellis, cruciatum illius adauxit. Labor quidem nobis eſt in jejunando: at nondum pro Chriſto crucifixi ſumus; quare jejunium pro cruce eſt: Majora ipſe tulit; parva nos reddimus. *Chryſoſt. homil. de jejun.* ) Generoſe ergo jejuniis incumbite, ac quidquid durum & difficile eſt in ſervanda jejunii lege, forti obite animo propter Chriſtum, qui tam dira & tam acerba pro noſtra ſalute ſuſtinuit.

Jejunium, & moderata abſtinentia, ut ipſi fatentur Medici, pravos humores exſiccat, calorem naturalem roborat, & ſanitatem fovet. Sed velim ut a jejunio aliquid incommodi patiaris: nonne juſtum eſt, ut aliquantulum doloris perferas pro Chriſto, qui tot dolores pro nobis hilariter portavit? ſed nonne juſtum, ut tu, qui tot criminum reus es, aliquid ad ea expianda patiaris? *Juſtum eſt, ut caput aliquando doleat in ſervitio Dei, quod olim ſæpe uſque ad dolorem laboravit in vanitate ſæculi; ut eſuriat venter uſque ad rugitum, qui ſæpe repletus eſt uſque ad vomitum. S. Bernard. tract. de vita ſolit.* Si ergo vera & legitima ratio non excuſet, tota hac Quadrageſima jejuniis eſt vacandum: *ac etiam mortificationi, & pœnitentiæ incumbendum.*

## SECUNDA PARS.

*Tempore Quadrageſimæ pœnitentiæ eſt adhærendum.*

HOmo Chriſtianus, qui a ſtatu gratiæ & ſanctitatis ſua culpa cecidit; tamdiu pœnitentiæ adhærere debet, quamdiu in hoc mundo vivit: *tota vita Chriſtiana, perpetua debet eſſe pœnitentia. Trid. Seſſ. 14. c. 9.* Fateor; eum non teneri ad jejunia continua & perpetua, ad carnem ſuam ciliciis & flagellis indeſinenter affligendam, nec non ad actualem de criminibus ſuis dolorem in corde ſemper habendum. Sed vult ſacroſanctum Concilium Tridentinum pœnitentiam hominis Chriſtiani in mortalia lapſi, ita debere eſſe continuam, ut ſcelerumque quæ in divinam majeſtatem perpetravit, habitualiter reminiſcatur, taliſque

cri-

Digitized by Google

criminum ſuorum memoria illum ad ea interdum deteſtanda, & aliquo modo punienda inducat.

Cujus rei ratio ſumitur ab incertitudine remiſſionis peccatorum; quia cum quis in mortalia incidit, certus eſt ſe peccaſſe, & per peccatum quod commiſit, æternis ſupplicis dignum factum eſſe: ſed licet perpetrata peccata confeſſus ſit, ea ſibi dimiſſa eſſe non eſt certus. Nullus enim peccator certe certitudine infallibili dicere poteſt: remiſſa ſunt peccata mea, ab iis mundatus fui; ab iis purus ſum: *Quis poteſt dicere; mundum eſt cor meum; purus ſum a peccato?* Prov. 20. 9.

Verum eſt, quod qui ad peccatorum ſuorum dolorem ſe excitavit, ac deinde ea Confeſſario declaravit, & amplius non peccare ſtatuit, moraliter certus eſſe debeat, per Sacerdotis abſolutionem peccata ſibi fuiſſe dimiſſa. Talis tamen moralis certitudo anxietatem aliquam in corde relinquit, qua homo peccator, quamdiu vivit, timet, non deleta eſſe ſua crimina; quare quamdiu vivit, debet interdum ea deteſtari, ac ſalutaris pœnitentiæ operibus incumbere; *tota vita chriſtiana, perpetua debet eſſe pœnitentia.*

Sed ſi pœnitentiam ſemper agere debeat peccator, ei potiſſimum incumbere debet tempore Quadrageſimæ: tunc ſpecialiter præterita omnia vitæ ſuæ ſcelera mente revolvere, & in amaritudine animæ ſuæ deteſtari debet; tuncque debet orationi, jejuniis, & aliis pœnitentiæ operibus ſingulariter inhærere. *Tum* quia tempore Quadrageſimæ peccatoribus Deus abundantiores ſolet infundere gratias. *Tum* quia hoc eſt tempus acceptabile & aptiſſimum ad vacandum pœnitentiæ operibus. *Tum* quia tunc a Deo ardentius poſtulant Sacerdotes, ut peccatoribus indulgeat; *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes Miniſtri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo.* Joel 2. 17. *Tum* quia tunc ſancta Eccleſia peccatores ad derelinquenda crimina, & ad converſionem magis urget, clamans cum Iſaia Propheta: *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus.* Iſaiæ 55. 7. Tum tandem quia dies Quadrageſimales videntur eſſe dies expiationis, in quibus homo peccator ſceleribus ſuis expiandis ſpecialiter incumbere tenetur.

Solemne apud Hebræos erat Feſtum, quod vocabatur Feſtum expiationis; in quo quiſque ſuam perſcrutabatur animam; ab immunditiis conſcientiam ſuam purgabat, totumque ſeipſum ab omnibus peccatis mundare conabatur: *In hac expiatio erit, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris; coram Domino mundabimini.* Levit. 16. 30. Apud Hebræos ſtatutum erat, ut hoc expiationis tempore peccatores opera pœnitentiæ & mortificationis aſſumerent; idque ita ſevere, ut nulli in hoc Feſto ridere, aut alia lætitiæ ſigna edere fas eſſet. Qui contra, omnes triſtes, gemebundi, ſuſpirantes, & capite demiſſo eſſe debebant: & ſi quis inveniretur in riſus, & cachinnos effuſus, vel mœſtitiæ ſigna non edens, ad mortem damnabatur: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis.* Levit. 23. 29. Ecce Feſtum expiationis Judæorum: ſed expiationis noſtræ ſpeciale Feſtum eſt Quadrageſima, quæ a divo Ambroſio vocatur *tempus cæleſtis medicinæ:* Ambroſ. tom. 3. ſerm. 17. Hoc expiationis noſtræ tempore debet quiſque lacrymis, & veræ pœnitentiæ operibus ſuam mundare conſcientiam: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Hoc Quadrageſimæ tempore debet quiſque ſua deteſtari peccata, crebros veri doloris actus emittere, recreationum domos non ingredi, ludos & comœdias fugere, conviviorum & omnium ſæculi oblectamentorum genera devitare, ac gemitibus, jejuniis aliiſque ſinceræ, & amaræ pœnitentiæ operibus adhærere: ut enim ait D. Auguſtinus, *Quadrageſimæ tempus eſt, in quo peccator per pœnitentiam obtinet miſericordiam.* Auguſt. tom. 10.

Hominem juſtum Regius Propheta ſimilem eſſe dicit arbori facienti fructum in tempore ſuo: *& erit tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum; quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Pſ. v. 3. Hiemis tempore arbores; etiam juxta fluenta aquarum plantatæ, nec fructus, nec folia habent, & tamen licet dixerit Chriſtus, quod *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur:* Matth. 3. 10. eas non tollit agricola; quia illæ ſolummodo tollendæ, & in ignem mittendæ, quæ fructus non dant in tempore ſuo. Arbores autem ſumus nos in præclaro Eccleſiæ horto plantatæ; fructus bonorum operum a nobis Deus exigit, & a peccatoribus ſpecialiter pœnitentiæ fructus poſtulat: *facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Matth. 3. 8. Recta ratio requirit, ut qui in Deum peccavit, toto vitæ ſuæ tempore pœnitentiam agat; ſed tempus ſpeciale, in quo peccatores veros pœnitentiæ fructus facere debent, eſt Quadrageſima: & ideo ſi Quadrageſimali tempore veros pœnitentiæ fructus non ferat peccator, plurimum timere debet, ne excidatur, & in æternum inferni ignem mittatur. Hoc ergo Quadrageſimali tempore peccatores a deliciis ſæculi abſtineant, & toto corde operibus pœnitentiæ adhæreant.

Fortiſſimus ille Dux Jonathas, ut milites ſuos ad generoſe decertandum excitaret, dixit: *Surgamus, & pugnemus contra inimicos noſtros: non eſt enim hodie ſicut heri, & nudiuſtertius.* 1. Machab. 9. 44. Præcedentibus diebus milites ejus otio & ſocordia torpuerant: quare cum fortiſſimus ille Dux mane ſurgens, accedentes vidit inimicos ad conflictum properantes, militibus ſuis clamavit: *non eſt hodie ſicut heri & nudiuſtertius.* Quaſi dicat; non debetis hodie ſegnes, otioſi, & ſocordes eſſe, ſicut proxime elapſis diebus fuiſtis; ſed hodie fortiter præliandum adverſus inimicos noſtros; *ſurgamus, & pugnemus contra inimicos noſtros.*

Idem dico vobis, o milites Chriſtiani; præteritis bacchanalium diebus ſegnes in vita ſpirituali fuiſtis; otio, voluptatibus, & vitiis maligne & pertinaciter adhæſiſtis; ſed *non eſt hodie ſicut heri & nudiuſtertius.* Hodie, & toto Quadrageſimæ tempore aliud vitæ genus eſt inſtituendum. Jam ceſſet temporis jactura; deliciæ, & ſæculi voluptatis nunc finem habeant; procul ſint tripudia, convivia profana, & laſciviæ; ac his omnibus relictis, *ſurgamus, & pugnemus contra inimicos noſtros.* Pugnet & peccator adverſus libidines, ebrietates, & alia peccata, quæ ſunt infenſiſſimi animæ ejus inimici, adverſus hujuſmodi inimicos generoſe pugnet per pœnitentiam, qua tolluntur & fugantur peccata. Ad arma ergo, o



Digitized by Google

milites Chriſtiani, ad arma adverſus peccata veſtra currite, & ea pœnitentiæ gladio nunc enecate.

David *eo tempore quo ſolent Reges ad bella procedere*, 2. *Reg.* 1. 11. in Palatio ſuo manſit otioſus. Et ideo, inquit Chryſoſtomus, *permiſit Deus, ut caderet tam enormiter, tam luctuoſe, ut haberet quod tota ſua defleret vita. Chryſoſt. homil. 3. in illud: Vidi Dominum.* Eja, o Fratres chariſſimi, ecce nunc tempus, quo ſolent viri pii ad bella adverſus carnem & paſſiones ſuas procedere; ecce tempus, quo peccatores adverſus peccata ſua debent arma pœnitentiæ ſumere. Ad arma ergo, o peccatores, ne otioſi hoc tempore ſitis; ſed ſalutaris pœnitentiæ arma arripite; tota hac Quadrageſima mortificationi & pœnitentiæ adhærere, ut commiſſa deleatis peccata: *ſed & eſt a committendis abſtinendum.*

## TERTIA PARS.

*Tempore Quadrageſimæ eſt a peccatis abſtinendum.*

N*On eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum: Eph. 6. 12.* Maxime certe nobis ineſt pugna adverſus dæmones: quorum totum ſtudium incumbit, ut homines vitiis coinquinent, in peccatorum ſentinam trahant, & in abyſſi barathrum detrudant. At vani erunt omnes eorum conatus, ſi jejuniis inſiſtamus: quia homo jejunans fit dæmonibus terribilis, ac de iis facile triumphat; *Temulentum aggreditur diabolus; ubi autem jejunantem viderit, fugit, pertimeſcit, terretur pallore ejus. Ambr. lib. de Elia & jejun.* Verum ut glorioſior de dæmone maneat triumphus, non ſolum a cibis, ſed a vitiis potiſſimum & a peccatis eſt abſtinendum. *Si diabolum ſuperare volumus cum Chriſto, ab eſca quidem & potu pro viribus temperemus, & a vitiis totis viribus jejunemus. S. Maxim. hom. 4. de Jejun.*

Iſta abſtinentia a peccatis, eſt jejunium ſpirituale, quod Deus hominibus imponit, *corporale jejunium eſt abſtinere a cibis, ſpirituale jejunium eſt abſtinere a peccatis. Chryſoſt. hom. 15. in Matth.* Iſtud eſt jejunium perfectum, non ab Eccleſia ſolum, ſed etiam a Deo hominibus indictum; *perfectum jejunium eſt, abſtinere ab iniquitatibus. S. Auguſt. ſerm. 64. de temp.* Iſta abſtinentia a peccatis, eſt verum jejunium; quod homines Deo gratiſſimos efficit; *Verum jejunium eſt a vitiis immunem eſſe: Continentia linguæ; iræ cohibitio, obtrectationis, mendacii, perjurii: ab his abſtinere, verum jejunium eſt: S. Baſil. ſerm. 1. de jejun.* Et revera, licet jejunium a cibis homini proſit, & Deo placeat; parum tamen ei acceptabile eſt, ſi non ſit junctum cum jejunio a peccatis. Unde paſſim ſancti Patres eos, qui a cibis & non a vitiis abſtinent, diabolo comparant, eorumque jejunium, diabolicum vocant: *Illi qui jejunant a cibo, & non ſe abſtinent a malo, ſimiles ſunt diabolo, qui non manducat, & malo non ceſſat*, ait S. Ambroſius. *S. Amb. lib. de Elia & jejun.* Et ut loquitur S. Iſidorus; *qui a cibis abſtinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus eſca ſemper abeſt, & culpa ſemper adeſt. S. Iſidorus in Amos Proph.*

Omni tempore a peccatis abſtinere debemus: quia omni tempore cuique ait Deus, *declina a malo*; ſed ab iis potiſſimum abſtinere debemus tempore Quadrageſimæ, quia hoc eſt jejunium univerſale, quod tunc præcipue homines ligat: *jejunium magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi. August. tract. 12. in Joann.* Ad quadrageſimale jejunium non tenentur infirmi, ſenes, mulieres prægnantes, agricolæ, opifices qui artes laborioſas exercent, & alii multi: ſed ad jejunium ſpirituale, ſeu ad abſtinentiam a peccatis tenentur omnes: quia hoc eſt jejunium generale, a quo nullus diſpenſatur: *jejunium magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus.*

Hæc abſtinentia a peccatis, eſt jejunium non ſolum utile, ſed etiam ad ſalutem cuique neceſſarium; & parum prodeſſet toto Quadrageſimali tempore a cibis jejunare, ſi quiſque identidem a peccatis non abſtineret: (Quid prodeſt, inquit D. Auguſtinus, vacuare corpus ab eſcis, & animam replere peccatis? quid prodeſt vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? quid prodeſt abſtinere a carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? quid prodeſt tenuari corpus abſtinentia, ſi animus intumeſcit ſuperbia? *Aug. ſer. 5. verbis Domini.*) (Quæ utilitas jejunii, ait Chryſoſtomus, ſi tota die nihil comedis, ludis autem, & nugaris, ſæpe etiam pejeras & blaſphemas? *Chryſ. homil. 6. in Geneſ.*) Certe in jejunio corporali parum eſt utilitatis, ſi cum jejunio, ſeu abſtinentia a vitiis, non fuerit conjunctum: non enim ad ſalutem ſufficit jejunium a cibis, ſine abſtinentia a peccatis. (quid prodeſt afflictio corporis, ſi linguam nequitiis & obtrectationibus polluamus? nonne omnes labores noſtri ad nihilum rediguntur? Agnoſcite itaque Fratres chariſſimi, quod ad ſalutem perpetuam acquirendam, abſtinentia corporalis ſola non ſufficit, niſi & animæ quoque jejunium per abſtinentiam vitiorum fuerit ſociatum. *Cæſ. Aurel. homil. 27.*) Quare hoc Quadrageſimali tempore, non ſolum corporali jejunio corpora veſtra affligite; ſed præſertim jejunio ſpirituali inſiſtite, & ab omnibus peccatis abſtinete. (Jejunet oculus; jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipſa. Jejunet oculus a curioſis aſpectibus, & omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens a fabulis & rumoribus. Jejunet lingua a detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque ſcurrilibus verbis. Jejunet manus ab otioſis ſignis, & operibus prohibitis. Jejunet anima ab omnibus vitiis, & propria voluntate ſua. *S. Bern. ſerm. 3. de Quadr.*) Hoc eſt jejunium verum, hoc eſt jejunium ſpirituale & neceſſarium, quod quiſque ſervare tenetur.

Non ſufficit quod Quadrageſimali tempore jejunemus, & abſtineamus a cibis, ſed inſuper ſanctificanda ſunt jejunia noſtra: *ſanctificate jejunium. Joel* 1. 14. Sed quomodo ſanctificantur jejunia? per abſtinentiam utique a peccatis: *quid eſt aliud ſanctificare jejunium*, inquit S. Maximus, *niſi iniqua vitare? S. Maxim. homil. 1. de jejun.* Et deinde ad ſpecialia deſcendens, docet quæ peccata ſint vitanda, ut ſanctificetur jejunium: (Sanctificat ille jejunium, ait, cujus cor adulatio potentum, amicorum, parentumque

que gratia, clientum etiam parva, magnave munuſcula, a recti tramite non avertunt. Sanctificat jejunium, cujus juſtitia pretio non vileſcit. Sanctificat ille jejunium, qui flammas ſævientis iracundiæ, manſuetæ mentis placabilitate reſtringit. Sanctificat jejunium, qui laſcivientes oculos turpi ab aſpectu avertit. Sanctificat jejunium, qui conviciorum jacula ſcuto patientiæ percuſſa diſperget. Sanctificat jejunium, qui litigantium tumultus pacifici lenitate ſermonis, & linguæ prudentioris arte compeſcit. Sanctificat jejunium, qui conſurgentes in ſemetipſo vanarum cogitationum ſpinas, Evangelico ſulcante vomere, velut quidam pectoris ſui arator excidit. Apprime ſanctificat ille jejunium, qui per omnia præceptis divinæ Legis intentus, diaboli a corde ſuo reſpuit tentamenta.) Abſtinendum tandem a peccatis, ut ſanctificetur Quadrageſimale jejunium; *ſanctificate jejunium*.

Sed heu! quam pauci ſanctificant jejunium! quam pauci tempore Quadrageſimæ abſtinent a peccatis! pauci tunc jejunio vacant pauci de commiſſis peccatis pœnitentiam agunt, & pauci ab iis abſtinent.

Multi quo magis res ſunt præceptæ, eo minus illas faciunt: & quo magis ſunt prohibitæ, eo magis illas facere volunt, & in prohibitum nituntur:

*Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.*

O quam multi tempore Quadrageſimæ non abſtinentiæ & jejuniis, ſed crapulæ, gulæ & Veneri indulgent! quam multi ſacro hoc tempore, non pœnitentiæ, ſed ludis, conviviis, & illicitis voluptatibus vacant! quam multi tunc, non a vitiis abſtinent, ſed omni criminum genere ſeſe magis inquinant!

O N. N. toto hoc Quadrageſimali tempore jejuniis, quantum fas erit, vacare, ut imitemini Chriſtum & primores Chriſtianos, ut Eccleſiæ præcipienti obtemperetis, & ut æternam inferni pœnam evadere valeatis. Toto hoc tempore, pœnitentiæ operibus incumbite: quia hoc eſt tempus Deo acceptabile; quia hi ſunt dies expiationis, & quia hoc eſt tempus, in quo quiſque fructus pœnitentiæ ferre, & arma pœnitentiæ ſumere debet. Tempore Quadrageſimæ a vitiis abſtinete: quia hoc eſt jejunium ſpirituale, jejunium magnum, jejunium univerſale, & jejunium neceſſarium quod Deus exigit a vobis. Tota tandem hac Quadrageſima jejunate, de commiſſis peccatis pœnitentiam agite, & a committendis cavete.

Imitamini Ninivitas, quorum ita enormia erant peccata, ut vix credere poſſet Jonas Propheta, eos a Deo miſericordiam impetraturos: ab eo tamen gratiam & miſericordiam obtinuerunt, quia arctiſſimis jejuniis corpora ſua afflixerunt, quia in prædicatione Jonæ ſeveram pœnitentiam ſuſceperunt, & quia a peccatis abſtinuerunt. O quam multi inter vos gravioribus ſunt inquinati criminibus, quam Ninivitæ! ſed ſi eos errantes imitati eſtis, eos pœnitentes generoſe imitamini; cum iis jejunate, pœnitentiam agite, & a peccatis abſtinete; Deuſque vobis ex nimia bonitate ſua gratiam dabit & gloriam. *Amen*.

FERIA II.

POST DOMINICAM PRIMAM.

# DE EXTREMO JUDICIO.

*Cum venerit Filius Hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ*. Matth. 25. 31.

SIcut olim Jeremias, jubenti Deo ut mirabilia Altiſſimi propheta ret, reſpondit *A, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum: Jerem.* 1. 6. Ita Joel Propheta, licet diſertiſſimus, cum de tremendo ultimi Judicii die vaticinari voluit, adeo ſtupefactus & perterritus fuit, ut quaſi puer balbutiens, dixerit: *A, a, a, diei; quia prope eſt dies Domini. Joel* 1. 15.

Heu! ſi Prophetæ hujus, formidanda & terribilia Dei judicia proſpicientis, & explicare volentis, lingua quaſi palato hæſerit; quomodo digno verborum ſententiarumque apparatu, tremendum hunc hodie oculis & mentibus veſtris objiciam diem, cujus ſigna, portenta & terrores, omnis humanæ cogitationis vires in immenſum tranſcendunt: *Quis poterit cogitare diem adventus ejus? Malac.* 3. 2. Quid de portentoſa illa die dicam, quod non ſit modicum, & quod non quaſi nihilum æſtimari debeat, reſpectu eorum, quæ tunc evenient? Certe deficiunt verba, lingua fatiſcit, & tremendi potius quam loquendi mihi nunc locus eſt. Ne tamen totaliter hæream, & obmuteſcam, Chriſtum, ut ut potero, in die Judicii ſupra thronum majeſtatis ſuæ ſedentem, ac Judicis ſupremi munera obeuntem repræſentabo: *Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, &c. Ave.*

IN tremendi Judicii die formidandus quidam audietur tubæ ſonus, ſeu vox quædam horribilis, omnes penitus homines ad generale Judicium vocans; quæ terrorem omnium cordibus injiciet, omneſque ad Chriſti thronum coget: *Tuba mirum ſpargens ſonum per ſepulchra regionum, coget omnes ante thronum.*

Terribili hac canente tuba, ad Chriſti tribunal ſe ſiſtent juſti & peccatores, religioſi & ſæculares, ac omnes penitus cujuſvis nationis, generis, & gradus homines, qui a mundi primordio vixerunt: *Congregabuntur ante eum omnes gentes. Matth.* 25. 32. Illis autem ſic undequaque congregatis, Chriſtus ſuper thronum majeſtatis ſuæ ſedens, tria facturus eſt; 1. ſeparabit bonos a malis: *ſeparabit eos ab invicem*: 2. omnes examinabit, & cuique dicet: *redde rationem villicationis tuæ*: 3. adverſus reprobos ſententiam dicet: *diſcedite a me maledicti. Ibid.* v. 41.

Ad tremendum Chriſti tribunal nunc, quæſo, mente & ſpiritu properemus; ac ſerio perpendamus *hanc ſeparationem*, qua nulla terribilior; *hoc examen*, quo nullum acerbius; *hanc ſententiam*, qua nulla formidabilior. Separatio, examen, & ſententia, en tres hujus Concionis partes.

PRI-

## PRIMA PARS.

*Separatio, quæ in extremo Judicio fiet.*

IN extremi Judicii die Chriſtus ſupra ſolium majeſtatis ſuæ ſedens, poſtquam coram ipſo congregatæ fuerint omnes gentes, ſeparabit bonos a malis, *ſeparabit eos ab invicem*. Hic erit Pater familias, qui zizania a tritico ſejunget: hic erit piſcator Evangelicus, qui piſces bonos a malis ſegregabit: hic erit Paſtor bonus, qui ſeparabit oves ab hœdis; *ſeparabit eos ab invicem*.

In hoc mundo boni, mali ſunt permixti, juſti cum iniquis, & innocentes cum reis promiſcue vivunt; avari cum beneficis, cum caſtis impudici, ebrioſi cum ſobriis, cum ſuperbis humiles, & iracundi cum manſuetis confuſe verſantur. At in die Judicii ab avaris beneficos, caſtos ab impudicis, ab ebrioſis ſobrios, humiles a ſuperbis, ab iracundis manſuetos, & omnes juſtos a peccatoribus Chriſtus ſeparabit: *ſeparabit eos ab invicem*.

Quamdiu in hoc mundo vivimus, non facile qui boni, & qui mali ſint, agnoſcimus; latet nos ſæpe, qui juſti & amici Dei ſint, qui vero peccatores & Dei inimici. *Multi* namque extrinſecus agni innocentes videntur qui intrinſecus ſunt lupi rapaces: *multi* ab hominibus cenſentur probi, qui coram Deo peccatores & iniqui ſunt: *multi* ſunt hypocritæ, qui ut appareant hominibus jejunantes, exterminant facies ſuas, & qui, ut pii juſtique judicentur, Concionibus interſunt, Eccleſias frequentant, Sacramenta recipiunt, ac omnibus modis, ſibi poſſibilibus, juſti non fieri, ſed æſtimari curant. Sed in tremendo ultimi Judicii die, hæc iniquitatis velamina tollentur: Deus tunc manifeſtabit abſcondita cordium; tunc qui juſti, & qui iniqui ſint, Chriſtus omnibus revelabit, ac ab impiis & peccatoribus pios & juſtos ſegregabit: *ſeparabit eos ab invicem*.

Impiis in hoc mundo *ſæpe* omnia ſunt proſpera, & piis adverſa ſunt omnia: *ſæpe* honorantur qui contemni, & contemnuntur qui honorari deberent: *ſæpe* regnant, triumphant, ac deliciis inebriantur impii, dum viri pii deſpiciuntur, abjiciuntur, conculcantur, ſuntque quaſi omnium peripſema, & ideo in hoc mundo juſti ſiniſtram, peccatores vero dexteram tenere videntur. Sed in extremo Judicio omnia aliter ordinabuntur: cuique ſuus tunc dabitur locus; & Chriſtus ita bonos a malis ſeparabit, ut bonos ad dexteram ſuam, malos vero ad ſiniſtram ſtatuat: *ſeparabit eos ab invicem, ſicut Paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hædos autem a ſiniſtris. Matth. 25. 32.*

Cum Joſeph duos filios ſuos, Manaſſem ſcilicet & Ephraim, ad Jacob adduxiſſet, ac Manaſſem primogenitum ad ejus dexteram, Ephraim vero ad ſiniſtram poſuiſſet: Jacob, ſpiritu divino illuſtratus, ut illis benediceret, commutavit manus, eaſque in modum crucis compoſuit: ex quo factum eſt, ut ad ſancti Patriarchæ dexteram eſſet qui ad ejus ſiniſtram prius fuerat; & eſſet ad ſiniſtram qui ad dexteram prius erat. *Manaſſes* figuram gerit hominis peccatoris, *Ephraim* vero hominis Juſti: *Geneſ.* 48. Chriſtus autem in die Judicii quaſi manus mutabit, ac peccatores, qui in dextera, ſeu in abundantia proſperitatis in hoc mundo fuerant, ad ſiniſtram collocabit; juſtos vero, qui in hoc mundo, ob varias tribulationes quas perpeſſi ſunt, quaſi ſiniſtram tenuerant, ad dexteram ſuam ſtatuet: *Separabit eos ab invicem, & ſtatuet oves quidem a dexteris ſuis, hædos autem a ſiniſtris*. O terribilem mutationem, qua qui in mundo primi fuerant, fient noviſſimi!

O formidandam ſeparationem, qua ex perſonis ejuſdem urbis, ejuſdem domus, ejuſdem ſtatus & conditionis alii ad dexteram, & alii ad ſiniſtram ſtatuentur! O quam durum tunc erit improbo marito a proba uxore, & improbæ uxori a probo marito ſegregari! quam acerbum erit parentibus ſeparari a filiis, & filiis ſeparari a parentibus! quantus tunc luctus, quanta confuſio, quanta rabies, deſperatio quanta multis divitibus, nobilibus multis, innumeris ſapientibus & potentibus in ſæculo, ac omnibus penitus reprobis, cum ad Chriſti ſiniſtram ſtatuentur! Sed ut perfectius futura hæc ſeparatio concipiatur, dicamus ſpecialius qui tunc ad Chriſti dexteram, & qui ad ejus ſiniſtram ſtatuentur.

A dexteris Chriſti tunc erunt ſanctiſſima ejus Genitrix cum illuſtri ſacrarum Virginum choro, Abraham cum ſanctis Patriarchis, Iſaias cum Prophetis, David cum aliis Regibus juſtis, janitor cæli Petrus cum Apoſtolis & Evangeliſtis, Stephanus & Laurentius cum iis qui innocentem pro Chriſto ſanguinem fuderunt, Nicolaus & Martinus cum ſanctis Confeſſoribus, Paulus & Antonius cum Anachoretis, Magdalena & Pelagia cum pœnitentibus; ac omnium Ordinum Patres & Fundatores, quilibet cum filiis ſuis. Cenſet D. Gregorius, quod tunc ad Chriſti dexteram ſtabunt Apoſtoli, & viri Apoſtolici cum iis quos a peccato ad juſtitiam traduxerunt. (Ibi, inquit, Petrus cum Judæa converſa, quam poſt ſe trahet, apparebit: ibi Paulus converſum, ut ita dixerim, mundum ducens: ibi Andreas Achajam, Joannes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpectu Judicis, converſam ducet: ibi omnes Dominici gregis Paſtores cum grege & animarum lucris. *D. Greg. hom. 10. in Evang.*

Ecce qui a Chriſti dextera erunt: inquiramus jam, qui ad ſiniſtram ejus ſtatuendi ſint. Ibi erit Cain, qui fratrem ſuum occidit, cum omnibus fratricidis: ibi Judas cum omnibus traditoribus: ibi Pilatus cum iniquis omnibus Judicibus: ibi Herodes qui innocentes morti adjudicavit, cum omnibus Tyrannis; ibi Barabbas latro cum omnibus latronibus, Lamech cum omnibus adulteris, Giezi cum injuſtis mercatoribus, cum ſimoniacis Simon, & Jezabel cum adulteris; ibi tandem omnes hædi, ſeu omnes reprobi in faſciculos varios ligati.

Sacer Textus aſſerit, quod zizania, ſeu impii tunc in faſciculos ligabuntur: *alligate ea in faſciculos ad comburendum. Matth.* 13. 30. In ſiniſtra ergo Chriſti erunt portentoſi reproborum faſciculi: ibi varii erunt faſciculi hæreticorum qui ſimul cum ſuis hæreſiarchis ligabuntur: ibi faſciculi multi perſecutorum Eccleſiæ, qui cum iniquitatis ſuæ miniſtris vincientur: ibi Cain cum omnibus homicidis, cum proditoribus Judas, & Lamech cum adulteris colligabuntur; ibi erunt faſciculi uſurariorum, faſciculi blaſphemorum, faſciculi impudicorum, & ut ait D. Auguſtinus, ligabuntur *rapaces cum rapacibus, adul-*

*teri*

Digitized by Google

*teri cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidæ cum homicidis, avari cum avaris, iracundi cum iracundis, falſi teſtes cum falſis teſtibus, fures cum furibus, ſimiles cum ſimilibus. S. Aug. ſerm. 39. de Sanctis.*

En ſeparationem, quæ in die Judicii fiet, quæ amabilis erit ſimul & terribilis: *amabilis* juſtis, qui ſummo afficientur gaudio, cum ſe ab hœdis ſeparari, & ad Chriſti dexteram collocari videbunt: *terribilis* peccatoribus, qui totis contremiſcent artubus, cum ſe a juſtis ſejungi, & ad Chriſti ſiniſtram poni cernent. Sed quid tunc non patientur Antiochus, Nero, Diocletianus, & innumeri hujus farinæ, vel potius hujus furfuris viri, cum eos, quos nec aſpectu ſuo in hoc mundo dignabantur, ad Chriſti dexteram ſtare, ibique glorioſe triumphare videbunt? quantus tunc labor, quantus dolor, quanta confuſio Regibus, Principibus, aliiſque Magnatibus, cum ſe deſpici, & cum hædis ac reprobis miſceri cernent, dum ex ſuis clientibus multi in Chriſti dextera, veluti ſidera fulgebunt? quanta deſperatio cunctis peccatoribus, cum ſe reproborum numero adſcribi apprehendent?

Aſt quantus nunc nobis debet ineſſe timor, ne in futura hac ſeparatione, ad Chriſti ſiniſtram collocemur? Timuerunt in hoc mundo juſti; timeamus & nos, timeamus, nec tamen diffidamus; quia quantumvis peccatores ſimus, juſti fieri, & in tremendo Dei Judicio ad Chriſti dexteram collocari poſſumus. Ut enim ait D. Auguſtinus, qui ſunt hirci, poſſunt fieri oves; *& fieri poteſt, ut qui hodie ſunt zizania, cras ſint frumentum. Aug. ſerm. 46. de diverſis.* Timeamus ergo, ac ſancta cum fiducia fortiter & generoſe ea quæ muneris noſtri ſunt, adimpleamus, ut in ſeparatione, quæ in die Judicii fiet, ad Chriſti dexteram collocemur. Sed viſa hac ſeparatione, *ad examen & diſcuſſionem in die Judicii futuram tranſeamus.*

## SECUNDA PARS.

*Examen quod in extremo Judicio fiet.*

IMpii ſuam numquam examinant conſcientiam; credunt que, Deum iis ſimilem fore: *exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis. Pſalm. 49. 21.* Arbitrantur, quod ſicut ipſi numquam ſe examinant, ita Deus conſcientiæ eorum angulos numquam ſcrutabitur; ſed falluntur graviter, quia in ultimi Judicii die Deus omnia hominum peccata examinabit, & librabit libra ſeu bilanca accuratiſſima ſcientiæ ſuæ quæ falli nequit, rigoroſæ juſtitiæ ſuæ quæ corrumpi non poteſt, & judiciorum ſuorum quæ irreprehenſibilia ſunt.

*Arguam te*, inquit Deus peccatori *& ſtatuam contra faciem tuam; Ibid.* quid Deus ante Peccatoris faciem ſtatuet? *Statuet peccata: Septuag.* ut habet alia verſio. O peccator, in die Judicii Deus ante faciem tuam ſtatuet detractiones, perjuria, blaſphemias, uſuras, & omnia ſcelera, quæ perpetraſti. Tunc Redemptor tuus te memorem reddet cujuſvis momenti temporis inutiliter perditi, omnis inordinati motus carnis tuæ, omnium obſcœnarum mentis tuæ cogitationum, pravorum omnium cordis tui affectuum, omnium malorum verborum quæ protuliſti, & iniquarum omnium actionum quas feciſti. Tunc juſtus Judex ultionis, conſcientiæ tuæ latebras ſcrutabitur, & examinabit omnia peccata, quæ cogitatione, verbo & opere commiſiſti. Examinabit non ſolum peccata externa, ſed & interna, non ſolum peccata propria quæ tu perpetraſti, ſed & peccata aliena; ea ſcilicet, in quæ alii juſſione, conſilio, vel pravo exemplo tuo ducti, inciderunt, ea omnia Deus examinabit, librabit, & contra faciem tuam adducet, *ſtatuam contra faciem tuam.*

Senſere nonnulli, Chriſtum in die Judicii gravia peccata non examinaturum, utpote quia ita per ſe nota ſunt, ut nullo examine, nulloque ſcrutinio egeant. Sed certum eſt, quod ad majorem impiorum confuſionem, Chriſtus gravia, & enormia quævis eorum ſcelera inquiret, examinabit & librabit: gravia enim ſcelera ſunt montes illi, quos Deum in die Judicii libraturum ait Propheta, *librabit in pondere montes, & colles in ſtatera. Iſai. 40. 12.* O peccator, in extremi Judicii die *librabit* Deus iniquas illas cogitationes, quas toties in corde tuo verſaſti; *librabit* parvos omnes cordis affectus quos habuiſti; *librabit* quotquot blaſphema, ſcurrilia, ſcandaloſa, contumelioſa, & exitioſa verba protuliſti; *librabit* in ſtatera homicidia, adulteria, ſimonias, furta, rapinas, & mala omnia opera quæ egiſti: *librabit* tandem cuncta peccata mortalia, ſive occulta illa ſint, ſive manifeſta, in quæ toto vitæ tuæ tempore incidiſti; hæc omnia librabit, *& in examen adducet, cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium. Eccleſ. 12. 14.* Et ut ait D. Auguſtinus, non ſolum examinabit Deus peccata gravia, quæ perpetraverimus; ſed etiam objiciet nobis tempus, locum, & perſonas cum quibus peccavimus; necnon peccatorum ſpeciem, circumſtantias, numerum & gravitatem: *Objiciet nobis in faciem omnia quæcumque fecimus, in quo die, in qua hora peccavimus. Aug. lib. de catech. rud.* O quale ſcrutinium! o quam durum illud examen!

In tribunalibus ſæcularibus ad judicium & examen non adducuntur cogitationes malæ, & interni quique, quantumvis pravi, cordis affectus; nec aliquis unquam plectitur, quia prava cogitavit: *cogitationis pœnam nemo patitur*, inquit Ulpianus: ipſa quoque *Eccleſia non judicat de internis.* At ita accuratum & ſeverum erit extremi Judicii examen, ut Deus qui *ſpirituum ponderator eſt, Prov. 16.* examinaturus ſit occultiſſimas quaſque mentis cogitationes, abditos quoſvis voluntatis affectus, ac pravos quoſcumque cordis motus, quos oculatiſſimi quique viri agnoſcere non valent: *quidquid homines cogitaverint, certa lance diſcernet Deus. V. Beda.* O peccator, ſi Deus ſit examinaturus tuas omnes cogitationes, & pravos quoſque cordis tui affectus; quanto magis examinabit tot iniqua verba quæ protuliſti, tot opera, homine Chriſtiano indigna, quæ egiſti; totque peccata externa, in quæ ex infirmitate, ignorantia, vel malitia lapſus es? Certe hæc omnia *adducet Deus in judicium*; nec erit aliquod peccatum, ſive grave, ſive leve illud ſit, quod Deus non inquirat, non exploret, & ſevere non examinet.

Aſſerit Spiritus ſanctus, nos in extremi Judicii die, vel de minimo verbo otioſo quod protulerimus, rationem reddituros: *omne verbum otioſum, quod lo-*

*locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii. Matth. 12. 36.* Quid eſt verbum otioſum? verbum otioſum, inquit Tertullianus, eſt quod *vanum & ſuperfluum eſt*. S. Chryſoſtomus ait, verbum otioſum eſſe illud, quod licet ex ſe malum non ſit, ad nihil tamen utile eſt: *quod nihil affert utilitatis. Chryſoſt. Hom. 43. in Matth.* S. Baſilius verbum otioſum vocat omne illud, quod in hoc ſolummodo malum eſt, quod ad Dei gloriam non conducat: *quod ad propoſitam in Deum utilitatem non conducit. S. Baſil. in Reg. 32.* S. Hieronymus dicit, verbum otioſum eſſe illud quod nec proferenti, nec audienti utile eſt, quod *ſine loquentis & audientis utilitate dicitur*. Ecce quid ſit verbum otioſum; illud, ſcilicet, quod vanum, quod inutile, quod ad Dei gloriam non profertur. Heu! ſi de omni verbo otioſo, quod eſt ſolummodo verbum vanum & inutile, rationem ſimus redditurì, quid dicendum de detractionibus, de blaſphemiis, de perjuriis? quid de impudicitiis, ſacrilegiis, ſimoniis, & aliis omnibus infandis ſceleribus? ſed quid de mendaciis ex joco prolatis? quid de temporis jactura, quid de furtis leviſſimis, & aliis peccatis venialibus? Proculdubio hæc omnia ad Chriſti Salvatoris examen venient; hæc omnia ſevere ſcrutabitur, trutinabit, & examinabit; hæc omnia *adducet Deus in judicium*.

Plura dicam; non enim gravia ſolum & levia, occulta & manifeſta peccata, verum ipſas juſtitias & virtutes Chriſtus inquiret, diſcutiet & examinabit: *Cum accepero tempus*, inquit Deus, *ego juſtitias judicabo. Pſal. 74. 3.* Tempus accipiet Deus in die Judicii; tunc *examinabit* & judicabit cujuſque juſtitia; an ex devotione, vel per hypocriſim facta fuerint: *examinabit* eleemoſynas; & omnia miſericordiæ opera; an ex charitatis, vel vanitatis motivo fuerint facta: *examinabit* Confeſſiones & Communiones: an fuerint ſanctæ, vel ſacrilegæ: *examinabit* Miſſas, quibus quiſque adfuit: an eas cum mentis attentione, & debita corporis compoſitione audierit; *examinabit* tandem omnia virtutis opera, & omnes juſtitias: *ego juſtitias judicabo*. Si Chriſtus ſolum latrocinia, ſacrilegia, adulteria, homicidia, & alia hujuſmodi eſſet examinaturus, multi qui in talia non ſunt lapſi ſcelera, ſecuri ad Chriſti tribunal accederent; ſed quis ſecurus ſtabit ante Chriſtum Judicem, qui ipſas juſtitias, & bona quævis opera ſevere judicabit? Certe eſt quod timeant omnes a judicio Dei, cum ipſe ſit ipſas virtutes examinaturus. Illa duo verba, *juſtitias judicabo*, timorem & terrorem omnium cordibus infligere debent: ut enim ait Hugo Cardinalis, *terribile verbum, quod non tantum peccata judicabit, ſed & juſtitias, bona ſcilicet opera examinabit. Hugo in Pſal. 74. v. 3.*

Terribile quidem illud verbum; terribile & formidandum, quod Chriſtus virtutes, & bona noſtra opera ſit examinaturus; ſed terribile magis, quod perceptorum omnium beneficiorum rationem ſit a nobis petiturus. O homo, perpende omnia & ſingula quæ a Deo accepiſti beneficia; ac certus eſto, quod in extremi Judicii die, eorum omnium Deus a te rationem exiget. Tunc cuilibet dicet Chriſtus: *redde rationem villicationis tuæ: Lucæ 16. 2.* Tunc dicet cuilibet: *redde rationem* illius animæ, quam tibi dederam, ut illam ſalvares; nonne plurimis eam criminibus deturpaſti? *Redde rationem* corporis tui, quod tanta arte fabricaveram; nonne illud multis impudicitiis fœdaſti? *Redde rationem* tot creaturarum, quas in tui obſequium formaveram; nonne eas ſervire feciſti iniquitatibus tuis? *Redde rationem* tot Sacramentorum, quæ ad tui ſalutem inſtitueram: nonne iis in mei contumeliam abuſus es? *Redde rationem* gratiarum, quibus toties ad cor tuum pulſavi: nonne illas ſæpiſſime repuliſti? Sed quem fructum elicuiſti *ex Prædicatoribus*, quos miſi, ut te a peccatis averterem; *ex afflictionibus*, quibus te vexari permiſi, ut te ad meliorem vitæ frugem adducerem; & *ex piis juſtorum exemplis*, quæ tibi proponi volui, ut te ad eos imitandos allicerem? *Redde rationem villicationis tuæ*, redde rationem omnium beneficiorum, quæ a me accepiſti.

O quale examen! o quam timendum, ne qui ſe nunc juſtos arbitrantur, tunc peccatorum multorum rei inveniantur. *Verendum eſt, ne in hoc examine multæ noſtræ juſtitiæ, quæ tales putantur, peccata appareant. S. Bern. ſerm. 55. in Cant.* Quare non fallamus noſmetipſos; non ſupponamus tamquam certum, nos ita juſtos eſſe, ut ſecuri coram juſto Judice apparere poſſimus: ſed ita diſcutiamus conſcientiam noſtram, illam ita examinemus, & ab omni inquinamento purgemus, ut in extremo Judicio Chriſtus nihil in nobis non examinatum & non purgatum inveniat.

*Si noſmetipſos dijudicaremus*, inquit D. Paulus, *non utique judicaremur: 1. Cor. 11. 31.* ita ergo nos examinemus, & judicemus, ut in die Judicii nil Chriſtus in nobis examinandum & judicandum reperiat. Imitemur mellifluum Bernardum, qui de ſeipſo dicebat: *Volo vultui iræ Dei judicatus præſentari, non judicandus; ut ille qui ſcrutaturus eſt Jeruſalem in lucernis, nil in me indiſcuſſum inveniat. S. Bern. ſerm. 55. in Cant.* Simili em modum ita noſtram diſcutiamus & examinemus conſcientiam, ut præmiandi potius quam examinandi appareamus in hoc externi Judicii examine, quod terribile erit. *Sed & erit terribilior ſententia, quam Chriſtus tunc adverſus reprobos proferet.*

## TERTIA PARS.

*Sententia quam in extremo Judicio Chriſtus adverſus reprobos dicet.*

SEntentia quam in tremendo Judicii die adverſus reprobos Chriſtus proferet, hæc eſt; *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus.* O terribilem ſententiam! cujus quot verba, tot tonitrua, totque fulmina ab ore Chriſti adverſus reprobos vibrata. Quare, ut perfectius concipiatur, quam formidanda ſit hæc ſententia, ſingula ejus verba expendere & ponderare, non abs re erit.

*Primum* ergo hujus ſententiæ verbum eſt, *diſcedite*. O quam terribile, diſcedere ab eo qui eſt ſummum bonum, omniumque bonorum origo & principium! quam horrendum, exulare in æternum a Deo & a Paradiſo! Si enim tantus eſſe ſolet luctus, cum quis a domo paterna in exilium ad remotas regiones mittitur; quantus luctus, quanti gemitus, dolor quantus erit reprobis, cum a cæleſti patria, a Deo,

Digitized by Google

Deo, a Dei Genitrice Maria, ab Angelis, & a Sanctis diſcedent, ut diri & perpetui exilii pœnas luant; quanta reprobis erit pœna, cum Chriſtum ſupremum Judicem audient dicentem: *diſcedite a me*; tanta hæc erit pœna; ita grave illud erit ſupplicium, ut eo nullum gravius eſſe poſſit. Nam, ut ait S. Chryſoſtomus, hæc pœna gravitate ſua longe ſuperat ignis pœnam, quæ omnium ſenſibilium pœnarum graviſſima cenſetur: *multi*, inquit, *timent ignis pœnam; ſed hæc pœna longe gravior erit & acerbior*. Quod ut confirmet S. Chryſoſtomus, ait, ignem quidem inferni eſſe intolerabilem; millies tamen gravius eſſe, diſcedere a Deo, & cœleſti privari beatitudine, quam infernalium ignium vim tolerare: *Ignis eſt intolerabilis: ſed ſi mille mihi ignes proponeres, non tanti æſtimo, ac privari illa beatitudine, gloria, præſentia Chriſti*. Sed dic, o Chryſoſtome, quid de aliis reproborum pœnis ſentis? quid de æternis illis tenebris quibus adjudicantur? quid de rodente illo verme a quo indeſinenter laniantur? quid de ſtagno illo ignis & ſulphuris cui immerguntur? quid de rabida fame quam patiuntur? quid de ſtridore dentium, & de multis aliis ſuppliciis quibus addicuntur? *Si mille*, ait, *gehennas mihi proponas, non tantum hoc reputo, neque abhorreo, ſicut a glorioſa illius ſocietatis jucunditate repelli, exoſum fieri Creatori, & ejus aſpectu indignum æſtimari*. Nec ſine gravi ratione hoc dicit Chryſoſtomus: quia ſicut ſummum hominis bonum eſt, videre Deum, amare Deum, ac frui Deo, & cœleſti beatitudine: ita & ſummum hominis malum eſt, iis omnibus privari, & ab iis in æternum diſcedere: *diſcedite*.

*Secundum* hujus ſententiæ verbum eſt: *maledicti*. O quam durum, quam intolerabile, ab eo maledici, qui omnium benedictionum fons eſt & origo! Heu! ſi olim Eſau, ſe paterna benedictione privatum videns, rugiebat, ut ait ſacer Textus: quantos & quales rugitus edent reprobi, cum non ſolum Patris Æterni benedictione ſe privari, verum & omni cum imprecatione & maledictione ſe ejici & exhæredari cernent? Certe tunc amariſſime flebunt, ululabunt & rugient. *Tunc unusquiſque carnem brachii ſui vorabit*; *Iſai. 9. 20.* ac ſibi ipſi maledicens, dicet: maledicti oculi, qui toties nimia complacentia, illicita intuiti eſtis, nec unicam veræ pœnitentiæ lacrymam fudiſtis! maledicta lingua, quæ tot turpia, iniqua, & exitioſa verba protuliſti! maledictum cor, quod pravis cogitationibus, & obſcœnis delectationibus quibus adhæſiſti, cœleſtibus & æternis me bonis privaſti! maledictæ manus, quæ opera digna ſalutis agere noluiſtis. Tunc *pater* maledicet filio, quem in propriæ ſalutis detrimentum ditavit: *mater* maledicet filiabus, quas ut in mundo ſublimaret, ſalutis ſuæ oblita eſt: *filius* maledicet parentibus, quorum incuria, & nimia complacentia damnatus eſt; *amicus* amico, & omnibus ſcelerum ſuorum ſociis maledicet. O quam formidanda hæc Chriſti in reprobos prolata maledictio, ex qua tot aliæ orientur maledictiones! quam terribile erit audire illud verbum, *maledicti*!

*Tertium* hujus ſententiæ verbum eſt; *in ignem*. Non mittet illos Deus in Palatium auro gemmiſque rutilans; non in hortum variis figuris deſcriptum, & diverſis florum generibus diſtinctum: non in balnea ſuave olentia, & refrigerantia, ſed in ignem; in quo vivi comburentur, nec conſumentur: diſcedite a me maledicti *in ignem*. Audite hoc vos omnes qui obliviſcimini Deum; audite hoc omnes peccatores terræ, audite, & ſerio perpendite, quod ſi non convertamini; mittet vos Deus, non in locum deliciarum, ut ibi gaudeatis, non in aliquam ſolitudinem, ut ibi in jejunio, & fletu, & planctu pœnitentiam agatis; non ad triremes, ut ibi multis laboribus peccata veſtra expiare valeatis; ſed mittet vos ad tartareum ignem, ut ibi vivi comburamini; diſcedite a me maledicti *in ignem*. Tunc clamabit unuſquiſque veſtrum, væ mihi miſero! væ, cur unquam natus ſum! væ, cur unquam lucem vidi! væ, cur non ſimul cum corpore anima mortua eſt! Tunc clamabitis, & Deus non exaudiet; ſed abſque ulla miſericordia tartareis vos ignibus adjudicabit: diſcedite a me maledicti *in ignem*. Totus contremiſco, cum mente revolvo tot Reges, tot Principes, tot Magnates, tot divites, tot ſuperbas adoleſcentulas, tot impudicas mulieres; totque omnis generis peccatores in mediis inferni ignibus flentes, ululantes ſe volutare; nec inde egredi valentes, quia ad illos ignes non ad aliquot dies, non ad aliqua duntaxat ſæcula, non ad annorum & ſæculorum myriades, ſed in æternum damnabuntur.

Diſcedite a me maledicti, inquiet Chriſtus, *in ignem æternum*. Diſcedite vos iniqui Judices, qui toties veræ juſtitiæ leges violaſtis, diſcedite mercatores fraudulenti, qui multiplicatis fraudibus ditati eſtis, diſcedite parentes deſidioſi, qui filios in viam ſalutis dirigere neglexiſtis, diſcedite uſurarii, adulteri, fornicatores, homicidæ, fures, & omnes qui in ſtatu lethalis peccati mortui eſtis, diſcedite maledicti *in ignem æternum*: O quam durum, mitti in ignem, qualiſcumque ille ſit! quam durius, mitti in ignem tartareum, cujus comparatione elementaris noſter ignis, veluti umbra, & quaſi ros cenſetur! At o quam adhuc longe durius, in illum ignem non ad aliqua ſolum annorum millia mitti, ſed in æternum diſcedite *in ignem æternum*. O ignis æterne, o pœnarum æternitas, quis te non timeat? quis a peccatis declinare non ſatagat, ut in æternum non ardeat? quis, ſi hanc ignium æternitatem credat, peccata quævis pudenda non confitebitur ac pravos quibus ligatur habitus eradicare non conabitur, ut formidandam hanc ſententiam non audiat: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum*?

Audite Prophetam, qui ut vos a viis veſtris peſſimis revocet, ſummo cum zelo clamat: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Heu! ſi alvi, ſi podagræ, immo ſi unius dentis dolores, ad aliquas horas vix ferre poſſumus: quis ignium inferni vim, non ad aliquas ſolum horas, non ad centum vel mille annos, ſed per totam æternitatem perferre poterit? *quis poterit*, &c.

Hanc, quæſo, ignium inferni æternitatem ſæpe & ſerio recogitate: recordamini ſeparationis quæ in Judicio fiet, examinis quod quiſque tunc ſubibit; & ſententiæ quam Chriſtus tunc adverſus reprobos proferet; ſed in primis mente revolvite ignem illum æternum, cui addicentur peccatores, hæc ſit meditationis veſtræ materia, & tunc præcipue, cum

ur-

Digitized by Google

urgens quædam peccandi occaſio, ſeſe offeret. Tunc accenſam hanc tartari fornacem in mentem revocate. Tunc dicite, melius mihi eſt, hoc & illud peccatum non facere, quam in æternum ardere: ſatius eſt a tranſitoria hac voluptate abſtinere, quam ad perpetuos tartari rogos damnari. Hæc ſi feceritis, a peccatis facile abſtinebitis, & in die Judicii Chriſtum audietis dicentem: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Matth. 25. 34.* Amen.

## F E R I A. III.

## POST DOMINICAM PRIMAM.

# DE USURARIIS.

*Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Matth. 21.

CHriſtus Dominus increpans mercatores illos, qui in Templo uſuraria, variiſque modis illicita exercebant commercia, de hoc ſpecialiter conqueritur, quod Templum Deo ſacrum, in domum negotiationis, & in ſpeluncam latronum converterint: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.*

Quod de hoc Templo dixit Chriſtus, de qualibet Republica, & de qualibet Civitate, in qua uſuræ exercentur, vere dici poteſt; quælibet enim eſt ſpelunca latronum: quia omnes uſurarii ſunt latrones, qui domos ſubvertunt, familias ad inopiam redigunt, Reſpublicas depopulantur: & ut ait S. Chryſoſtomus, *uſurarii in mediis urbibus latrocinantur. Chryſ. ſerm. 11. in Epiſt. ad Rom.*

Chriſtus eos, qui in ovile ſuum non intrant per oſtium, latrones vocat: *qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ille fur eſt & latro. Jo. 10. 1.* Quod & de uſurariis noſtris dici poteſt: ipſi etenim ſunt latrones peſſimi intra ovile Chriſti exiſtentes & viventes: qui nunquam per oſtium regni cæleſtis intrabunt, niſi uſurarios ſuos contractus conſcindant, niſi fraudibus parta lucra reſtituant, ſuiſque uſuris, vel potius latrociniis valedicant. Uſurarios, ut latrones populis infeſtos, in hac Concione proponam, &c. *Ave.*

VErecundia, contemptus, & timor, individui furum & latronum comites eſſe ſolent. *Verecundantur* latrones cum ſua perpetrant furta; & ideo tenebras & latebras, furandi cauſa, communiter inquirunt. *Contemnuntur* etiam ab iis, quibus illorum nota ſunt latrocinia: turpiſſimum enim latronis eſt nomen; nec quis apud homines magis vilificari, & denigrari poteſt, quam turpi furis nomine & titulo. *Timent* tandem latrones, ut in furto deprehendantur, & in ſceleris ſui pœnam ad triremes, vel ad patibulum condemnentur.

Latrones quidem ſunt, qui uſuras exercent: ſed hi ſunt latrones alterius quodammodo rationis & ſortis ab aliis latronibus. Uſurarii enim ſunt latrones publici, honorati, & intrepidi. Sunt: 1. *Latrones publici*, qui furantur ſine verecundia: 2. *Latrones honorati*, qui furantur ſine honoris ſui jactura: 3. *Latrones intrepidi*, qui furantur abſque ulla timoris cauſa. Uſurarii ſunt latrones publici, latrones honorati, & latrones intrepidi: en tres hujus Concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Uſurarii ſunt latrones publici.*

FUrtum, quod ſemetipſo Decalogi præcepto prohibetur, dividi poteſt in occultum, violentum, & fraudulentum. *Furtum occultum*, cui appropriari conſuevit ipſum genericum furti nomen, & quod ſimpliciter, & abſque ullo addito, *furtum* vocari ſolet, eſt occulta rei alienæ acceptio, domino rationabiliter invito. *Furtum violentum*, ſeu rapina, eſt manifeſta & violenta rei alienæ acceptio, domino rationabiliter invito. *Furtum fraudulentum*, eſt ablatio rei alienæ per fraudes & dolos: & ſub iſto genere reducitur uſura, quæ per fraudes & dolos aliena bona diripit. Uſurarii autem ſunt latrones occulti ſimul & publici: *occulti* quidem: quia licet vere aliena auferant, ita hoc faciunt, ut a multis fures non cenſeantur: *publici* vero, quia palam, & abſque ulla verecundia, bona illorum rapiunt, quibus pecuniam mutuo dederunt: *Uſurarius*, inquit S. Chryſoſtomus, *fur & latro eſt, & longe illo deterior; ille namque tum latendo, tum noctu graſſando, multum facinus extenuat; utpote qui ſaltem timeat, & vereatur peccare; hic autem perfricata fronte, nudo capite per medium forum rapit. Chryſ. hom. 67. ad Pop.*

Alii fures, ut aliena furentur bona, latebras & tenebras amant: & ideo nondum dies eſt, ſed in alta noctis caligine, & cunctis dormientibus, diſcurrere ſolent, circumeuntes, ut quærant quod rapiant. Uſurarii vero ſunt latrones iis longe audaciores, & impudentiores: ſiquidem dum dies eſt, etiam in medio foro, bona mutuatariorum uſurariis ſuis contractibus palam auferunt. Immo (quod deterius eſt) debitores a domino illorum palam ejiciunt, eorum arcas auctoritate Judicum reſerant, eos propria bona exponere cogunt, illoſque facultatibus ſuis cedere compellunt: *Uſurarius*, ut ſubdit Chryſoſtomus, *hos qui patiuntur injuriam, per portam expellit; omnia cum fiducia aperit; ipſos ſua per ſe cogit exponere, tantus eſt exceſſus violentiæ.* Ecce latrones publicos ab omni prorſus verecundia alienos, ac ita audaces, & impudentes, ut quaſi Civitatum pyratæ eſſe videantur.

In Gallia, noſtris temporibus erronces nonnullos vidimus, qui Boemi dicebantur: qui fures erant publici, omnibus noti, impudentes, omnis verecundiæ expertes; & qui cum non aliunde haberent, quo veſcerentur, quam de ſuis latrociniis, toto fere anni tempore ad furandum cogebantur: unde nulla dies erat, quantumvis ſancta & Deo ſacra, in qua aliquod furtum non facerent, aut ſaltem facere non meditarentur. Publicis iis latronibus ſimiles quodammodo ſunt uſurarii: quia ſunt latrones publici, qui omni tempore, etiam in diebus feſtis, proximi bona furantur: *fur & raptor*, ait S. Bernardinus, *expolians aliquo determinato tempore; ſed uſurarius homines ſpoliat in quolibet die feſto, ſcilicet Paſchæ, Paraſceve, & tempore Miſſarum; & ſic*

de

Google

*de aliis temporibus. S. Bernard. de uſur. ſerm.* 44. *art.* 1. *c.* 4.

Publicis iis latronibus non ſolum ſimiles, verum & pejores ſunt uſurarii: quia Boemi non continue furantur, multaque ſunt momenta, & horæ multæ in quibus a furtis abſtinent; ſed nulla in totius anni circulo reperire eſt hora, nullum momentum, in quo uſurarius aliena non rapiat. Cum enim uſurarius ſuam mutuo dedit pecuniam, dicit, quod ipſa laboret: & communiter dicitur, quod uſurarii pecunia continue laboret, etiam dum ipſe dormit: quia pecunia mutuo data, aliam pecuniam mutuanti uſurario continue attrahit. Sed congruentius loqueretur qui diceret, uſurarium eſſe furem, qui ſingulis momentis mutuatarii pecuniam aufert: quia ſingulis momentis mutuatarius aliquod pro pecunia ſibi mutuata lucrum ei dare cogitur.

Ecce latrones publicos, ipſis etiam Boemis deteriores: quia ſingulis momentis aliena auferunt & furantur. Sed uſurarii ſunt etiam latrones publici: quia auctoritate publica, & per actus publicos bona mutuatariorum auferunt. Cum enim pecuniam ſuam mutuo dant, contractibus mutui, cambii, emptionis, vel venditionis ſuas pallíant uſuras; eoſque contractus ita componunt, ut intra quatuor menſes, vel unum annum, a mutuatariis decem vel duodecim in centum petant; quæ ſi dare renuant, lite cadunt, impulſiſque auctoritate Judicum mulctantur: unde, velint nolint, ad propriis cedendum compelluntur. O induſtrios, & malignos latrones, qui non clam, ſed actibus publicis, & auctoritate Judicum, aliena bona rapiunt! in quo aliis furibus ſunt pejores: *uſurarius cum majori malitia rem alienam uſurpat quam fur, vel raptor; eo quod compellat eum qui mutuum recipit, ad conſentiendum in talem rapinam. S. Bernardin. ibid.*

Sed uſurarii ſe etiam latrones publicos exhibent in commerciis uſurariis, quæ cum hominibus habent: in quibus, ſub prætextu mutui, res ſuam palam pluris æquo vendere ſolent. Hi prædones tempus expectant, quo res carius venduntur, & in quo pauperes, ob neceſſitatem qua premuntur, cat calus cinere ſolent; dicuntque apud ſemetipſos: *quando tranſibit menſis, & venundabimus merces .... ut poſſideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus? Amos* 8. 8. Infeſti illi fures tempus expectant, quo artificibus, agricolis, & aliis triticum, aliaque ad victum neceſſaria deſunt: quo adveniente, horrea ſua aperiunt, quiſquilias frumenti auro appendunt, & quidquid habent tritici, & aliorum, quæ ad ſublevandam pauperum inopiam neceſſaria ſunt, pluris æquo vendunt; quia mutuo illa dant. Et hoc non fit clam; ſed toti civitati, omnibuſque finitimis locis notum eſt, quod hic uſurarius horreorum ſuorum januas aperuerit; omnibus civibus, aliiſque circumjectorum locorum incolis apertum eſt, quod hic uſurarius non det mutuo frumentum, quin carius quam par eſt, illud vendat; id eſt quin furetur. Quid enim aliud eſt, vendere merces ſuas pauperibus pretio nimio & immoderato, quam bona eorum furari, & ipſis furtive auferre, quod ſupra juſtum pretium accipitur? Uſurarii ergo latrones ſunt publici, qui latrocinia ſua publice exercent, dum ſub prætextu & ſimulatione legitimæ venditionis, palam merces carius æquo vendunt, quia eas mutuo dant.

Dicunt nonnulli uſurarii: cum pecunias, triticum, vinum, vel alia mutuo damus, exigimus ſolum a mutuatariis, ut ſupra ſortem aliquantulum tritici, vel vini nobis dent, in quo nullius mali ſpecies apparere videtur; quinimmo hoc eis maxime gratum eſt. Crediderim, quod mutuatarii hoc ſibi gratum eſſe dicant, quia ſuis neceſſitatibus aliter ſubvenire nequeunt; ſed ſive id mutuatariis placeat, ſive diſpliceat, qui eis mutuo dant, ſi abſque legitimo titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis, aliquid ſupra ſortem accipiant, ſive triticum illud ſit, ſive oleum, ſive aliquid aliud pretio temporali æſtimabile, uſurarii ſunt & latrones: *ſi mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quam dediſti expectes accipere, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud, fænerator es. Auguſt. in Pſalm.* 36. Adde, & quod latro es.

O exitioſos latrones! o fures publicos! quos quidem quælibet Reſpublica, & quævis Civitas expellere deberet, ut Boemos. Minimus latrunculus contemnitur, plectitur & pœnis criminí debitis mulctatur; ſed quanto magis contemnendi, plectendi, & mulctandi uſurarii, cum ſint latrones publici, qui uſurariis contractibus, & commerciis iniquis aliena palam rapiunt? Hi certe plecti deberent latrones publici. Sed tantum abeſt, quod plectantur; quin contra hi ab omnibus honorantur; non enim ſolum ſunt latrones publici: *ſed etiam latrones honorati.*

## SECUNDA PARS.

*Uſurarii ſunt latrones honorati.*

Olim ita contemnebantur uſurarii, ut nec cum iis cibum ſumere liceret: *Scripſi vobis*, inquit D. Paulus, *non commiſceri: ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejuſmodi nec cibum ſumere. 1. Cor.* 5. 11. Olim etiam ita deſpiciebantur uſurarii, ut omnia eorum bona, diaboli bona eſſe dixerint; nec quiſquam cum iis verſari & convivere auderet. (Si quis domum uſurarii aſpiciebat, inquit D. Bernardinus, aut vineam, vel agrum: aliis circumſtantibus execrative demonſtrando dicebat. Ecce domum, vel agrum diaboli, & ſic de cæteris ejus bonis. Nemo ſumpſiſſet de domo illius ignem; nemo in Eccleſia ab illo ſumpſiſſet, nec ei dediſſet oſculum pacis: pueri quoque ad ejus occurſum expaveſcebant, & invicem illum digito demonſtrabant. At nunc, proh dolor, & amentia deploranda! Tales ab omnibus honorantur, omnes eis aſſurgunt, ponuntur nunc in officiis, æſtimantur in conciliis, comitiva magna ſociantur in plateis, copulantur in conjugio cum nobili parentela, &, quod execrabilius eſt, non reſtituentes, ſed quandoque reſtituere ſimulantes, in cœmeteriis, in Eccleſiis etiam conſecratis, cum ſolemnioribus exequiis quam cæteri tumulantur: quia jam quaſi ubique ſcelus eorum aſſumpſit faciem

Digitized by Google

ciem honeſtatis & pietatis. *S. Bernardin. ibid. art. 5. cap. 3.*)

Uſurarii latrones ſunt qui aliorum bonis inſidias parant, eaque artificioſe deprædantur; *qui uſuram facit; inſidiatur quodammodo, ut ex alterius neceſſitate prædetur. Lact. Firm. l. 6. de div. inſtit. c. 18.* Sed hi latrones & prædones ita faciem honeſtatis & pietatis aſſumunt, ut omnium honorem & reverentiam ſibi concilient, & ab iis etiam quorum bona auferunt, nonnumquam honorentur. Unde D. Cyprianus ait, quod miſeris, qui ab uſurariis ſpoliantur, *fiunt religioſa delicta, S. Cypr. ep. 1. ad Donat.* quia ſcilicet uſurarios religioſe venerantur.

Homines miſeri, & inopes, quorum totam ſubſtantiam comedunt, & ſanguinem ſugunt uſurarii, de iis plerumque non conqueruntur; quin contra furta eorum tamquam virtutes æſtimant, & eorum delicta (quæ enormia ſunt) tamquam actiones religioſas & pias inſpicere ſolent. Eja, de uſurariis inquiunt aliqui, quam bonus & miſericors erga me fuit talis homo! fuit certe mihi adjutor in opportunitatibus: quia in momento quo a creditoribus opprimebar, ſuam mihi libenter crumenam aperuit, mihique magnam pecuniæ ſummam mutuavit, ut a tali oppreſſione liberarer. *Eja*, ajunt alii, de tali quidem homine dicere poſſum: *pater meus es tu*: ille enim, quotieſcumque opus fuit, pecunias mihi dedit mutuo, quibus lucratus ſum, quo & me & familiam meam nutrirem. *Eja*, dicunt alii: ecce patrem pauperum, & totius populi protectorem: opificibus enim, ruſticis, & quibuslibet cujuſvis ſtatus & conditionis perſonis libenter pecuniam mutuat. Verum eſt, quod fidejuſſores petat, quodque lucrum aliquod ex re mutuo data percipere intendat (quod æquiſſimum ſane videtur:) tanta tamen ejus eſt charitas, ut ſemper ſub iis conditionibus ſit ad mutuandum paratus. Ecce quomodo de uſurariis loqui ſoleat cæcum vulgus; quod uſuras, quæ vera ſunt latrocinia, tamquam quid juſte debitum approbat; & uſurarios, qui fures ſunt & latrones, tamquam homines pios, miſericordes, & charitate chriſtiana fulgentes inſpicit: quare eos, ut homines honore dignos, colit & reveretur. Et ſic hi latrones, qui a civitatibus expelli, carceribus includi, vel ad triremes damnari deberent, ab iis etiam quorum bona auferunt, reverenter honorantur.

Sunt nonnulli latrones viles, abjecti & inhonorati, qui in ſilvis & in itineribus turpiter populum deprædantur; qui ab uno pallium auferunt, ab alio crumenam rapiunt, aliaque turpia latrocinia exercent: hi ſimiles ſunt duobus illis qui cum Chriſto crucifixi fuere; quia ab Evangeliſtis vocantur, *duo nequam, Luc. 23. 32.* ſed duo latrones viles & infames. Uſurarii autem non ſunt ex vilibus & abjectis illis latronibus; ſed ſunt latrones honorati & curiales, qui, ut benefactores ab hominibus honorantur: *uſura eſt furtum curiale. Hugo Card. in Pſalm. 14.* Uſurarii tanta cum induſtria & arte, ſua faciunt latrocinia, ut ab iis quorum bona rapiunt, non deſpiciantur, ſed honorentur: & ut loquitur S. Cyprianus, *uſurarii ſunt latrones honorati, qui tibi peculium diripiunt, ſanguinem exſugunt, tandem perdunt pauperrimum; attamen hoc agunt honorabiliter, quaſi ſub ſpecie gratificandi. Cypr. l. ad Demetr.*

Cum ad uſurarium vadit quidam artifex, vel ruſticus, ut ab illo aliquantulum pecuniæ ſibi mutuo dari petat, reſpondet ille latro: Chariſſime, doleo ſuper ſorte tua, quia pecuniæ nullæ mihi ſunt, quibus neceſſitati tuæ occurram; ſed ſi velis, libenter dabo tibi triticum, vel frumentum, quod vendere poteris, ut urgenti tuæ ſubvenias neceſſitati. Ecce hominem, qui exterius zelo charitatis ſuccenſus videtur, cum homini neceſſitatem patienti triticum mutuet: ſed revera eſt latro honorarius, qui triticum non ex charitatis, ſed ex lucri motivo mutuat; ut ſcilicet, ratione mutui, illud carius vendat.

Adit uſurarium alius, quem rerum omnium indiga conditio oves, boves, arva, domos, villas, & omnia ſua vendere cogit; ſuam ei manifeſtat neceſſitatem, & auxilium ab eo ſupplex poſtulat. Cui uſurarius, tibi compatior, & ut tibi ſuccurram, hunc tuum agrum vel hanc tuam domum emam. Ecce hominem, qui prima fronte ex charitate agere videtur; ſed in re eſt latro, qui charitatis chriſtianæ prætextu, agrum mille nummis valentem pro quingentis ſibi comparat. Mille ſimiles apparentis charitatis artes habent uſurarii, quibus non turpiter, ſed honorifice, & abſque ulla famæ ſuæ jactura, bona aliorum auferunt & furantur. Hi ſane non ſunt viles & abjecti fures; ſed ſunt latrones honorarii, & ab hominibus honorati.

Mercatores illi quos Chriſtus ejecit e Templo, ſolo avaritiæ ſpiritu ducebantur; & unica eorum intentio erat lucrari, ad uſuras dare, & aliorum bona auferre: ſuas tamen uſuras, ſuaque fraudulenta latrocinia ita pietatis pallio velabant, ut cenſerentur viri pii, & ut tales honorarentur. Dicebant hi, ſe animalia ad templum duxiſſe, ut in Dei gloriam ſacrificarentur; ſeque menſas nummularias erexiſſe ad peregrinorum auxilium, ne ſcilicet, pecuniarum defectu opus tam religioſum dimitterent; quæ quidem ſpecioſa, pia, & ſancta videbantur. Nec deerant qui illos viros pios, & religioſos eſſe æſtimarent; Chriſtus tamen illos latrones vocat: *Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Marc. 11. 17.* Hujuſmodi mercatoribus ſimiles ſunt multi uſurarii, qui multa exterius pietatis ſigna edunt, quique a multis honorantur ut viri pii; & tamen ſunt veri latrones, qui ſub pietatis ſpecie, aliena furantur, *uſurarius ſub pallio pietatis atque ſervitii aliena prædatur. S. Bern. ubi ſup.*

Uſurarii multi peccata ſua crebro confitentur, ad ſacram Synaxim ſæpe accedunt, eleemoſynas palam faciunt, & dum pecunias mutuo dant, ſe ſolo pietatis & charitatis motivo ad mutuandum duci dicunt. Sed, o doloſam pietatem! o ſimulatam bonitatem! o hypocriſim fraudulentam! quam reprobat Spiritus ſanctus, dicens, non utendum fraudibus, cum agitur de pauperum neceſſitatibus ſublevandis: *Nec ages quicquam callide in ejus neceſſitatibus ſublevandis. Deut. 15. 10.* Qua ergo fronte, qua audacia, qua impudentia dicit uſurarius qui uſuris impinguatur, ſe ex pietate ad mutuandum moveri, ſeque pium opus agere? hoc ſane dicit, ut proximum decipiat, ut vir probus cenſeatur, ac ut ab hominibus honoretur. Et revera uſurarii mollibus, & fallacibus ſuis verbis, quaſi incantationibus,

tus, ita ſuos faſcinant mutuatarios, illiſque ita ſuadent, quod erga eos pie, liberaliter, & miſericorditer ſe gerant, ut (licet veri latrones ſint) ab iis tamen ut viri pii, benefici, & miſericordes æſtimentur, & honorentur. Ecce latrones in hoc mundo honoratos; *ſed uſurarii ſunt etiam latrones intrepidi.*

## TERTIA PARS.

*Uſurarii ſunt latrones intrepidi.*

ALexandro Magno quærenti a quodam pyrata, quare devaſtaret mare: Reſpondit ille. O Princeps, *ego quia parva ſcapula mare devaſto, dicor pyrata; tu vero, qui claſſe magna totum orbem devaſtas, diceris Imperator. Hug. Card. in Levit. c. 11.* Homines pariter vocare ſolent latrones eos qui alterius crumenam ſubripiunt, vel qui aliquam tenuem ſupellectilem clam furantur: latrones vero non vocant uſurarios, qui domos devaſtant, & familias depopulantur. Sed uſurarii revera ſunt latrones, qui furantur cum audacia quadam tuta, quæ nihil timet: *eorum audacia palam ſævit, & ipſa ſua audacia tuta. S. Cyprian.*

Latrunculi illi abjecti & infames, qui in ſilvis latebras quærunt, anxie vivunt, & in furtis ſuis deprehendi formidant: at uſurarii audacter, necnon cum omni libertate & ſecuritate furantur, ipſiſque eorum audacia tuta eſt, & ideo uſurarios ſanguiſugæ ſimiles dicit S. Bernardinus: *uſurarius ſanguiſugæ comparari poteſt. S. Bernard. de uſur. ſerm. 45.*

Hæc videtur differentia inter pulicem & ſanguiſugam, quod pulex aliquam ſolum ſanguinis guttulam clam ſugere conetur; ſi tamen deprehendatur, ſtatim occiditur: at ſanguiſuga non guttulam ſolum, verum & varias ſanguinis uncias exhaurit, nec tamen ideo occiditur, quin contra in aquæ paropſide ſedulo ſervatur. Sic ſe res habet de uſurariis, reſpectu aliorum latronum; ſi enim infelix quidam latrunculus oriculam, vel vilem aliquam furetur ſupellectilem, in eum ſtatim inſurgunt omnes, illumque virgis, vel diuturno carceri adjudicandum omnes clamant. Sed uſurarii ſunt latrones qui hæc non timent: hi enim, inſtar ſanguiſugarum, populi ſanguinem ad ſatietatem ebibunt, & eorum facultatibus ſaginantur, nec tamen formidant: quin contra, in medio foro, adhibitis tabellionibus & teſtibus, ac, ſi ſic loqui fas eſt, toto ſpectante mundo, uſuras ſuas exercent, pauperum ſanguinem ſugunt, & aliorum bona furantur cum audacia quadam, omnis prorſus timoris expertes, *ipſa ſua audacia tuta.*

Latrones pavidi eſſe ſolent & meticuloſi, nonnumquam fugiunt hi, nemine perſequente; ac eorum quiſque intra ſemetipſum, inſtar infelicis Caini, ait, *omnis qui invenerit me, occidet me. Geneſ. 4. 14.* Timent, ac merito timere debent, ne a lictoribus excipiantur, ne incarcerentur, ne ad ablata reſtituenda compellantur, & ad ſupplicia ſceleribus ſuis debita damnentur. At uſurarii ſunt cujuſdam generis latrones, qui aliena furantur, nec quomodocumque timent: *uſurarius eſt latro qui rem alienam uſurpat ſine timore perſecutionis & eam detinet ſine timore repetitionis. S. Bern. ſerm. 44. art. 1. c. 4.* Non timent uſurarii Judicum ſæcularium leges & ſupplicia, cum ſuos ita componant contractus, ut qui eos legerit, nil in eis reprehenſione dignum inveniant, non etiam timent, quod ad reſtituenda aliena cogantur, cum contractus ſuos uſurarios tot fraudibus involvant; ut nulla in eis uſuraria labes appareat. Uſurarii tandem ſunt peſſimum quoddam latronum genus, qui impudenter, & effrænate aliorum bona deprædantur abſque ullo timore: *uſurarius eſt latro qui rem alienam uſurpat ſine timore perſecutionis, & eam detinet ſine timore repetitionis.*

Tantum abeſt ut timeant uſurarii, quin contra gloriari ſolent de ſpeciali ſapientia, & arte, qua ad augenda ſua bona, & ad aliena ſibi conciliandа uſi ſunt. Omnibus notum eſt, quod hi, ut aliorum bona fraudulenter furentur, contractus iniquos fabricare ſoleant, qui licet legentibus legitimi appareant, in re tamen ſunt nequiſſimi. Verum eſt, quod ſi hi contractus in ſe ſpectentur, quiſque judicabit, quod ſint contractus puri mutui, abſque ullo mutuantis lucro, vel quod ſint contractus emptionis, venditionis, locationis, vel alii, quos quiſque legitimos, & æquitati conſentaneos dicet: ſed revera ſunt contractus nequam, quibus utuntur uſurarii, ut aliena auferant: quare cum in his contractibus nil exterius appareat, quo a juſtitia ſæculari argui, & damnari queant, hi ſemper intrepidi, & impavidi remanent, ac tantum abeſt ut timeant: quin contra gloriantur, quod præ aliis ſapientes, & ad augenda ſua bona induſtrii ſint.

Quod præclare adnotavit S. Bernardinus Senenſis, dicens: (Uſurarius ſubtiliſſimos contractus, & dolos ſtudioſiſſime excogitat ut ex multiplicibus vitiis fœnus exerceat, & lucra adaugeat, & rapinas acquirat. Quod cum feciſſe ſe conſpicit, lætanter gloriatur, ſe ſapienter egiſſe, & multos alios tam in divitiis, quam in malitiis ſuperaſſe: Ad quem increpative ait Propheta; *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Pſ. 51.* id eſt, in uſuraria pecunia nequiter poſſeſſa. *S. Bern. ſerm. 44. art. 1. c. 3.*) Cum ergo uſurarii ſint latrones, qui de ſuis uſuris & furtis gloriantur, patet, eos eſſe latrones intrepidos & impavidos, qui abſque ullo timore aliena rapiunt, & retinent.

Sed ſi uſurarii ſæcularem juſtitiam non timeant, tremenda ſaltem Dei judicia formidare deberent: quia juſto Dei judicio, cum e viris exceſſerint, Deus omnes creaturas adverſus illos armabit. Hi enim ſunt homines illi inſenſati, & Dei inimici, in quo cunctæ inſurgent & pugnabunt creaturæ; *accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos, Sap. 5.* (Cum uſurarius, inquit S. Bernardinus, non ſolum offenderit Deum, quemadmodum cæteri peccatores, verum etiam tempus vendiderit, quod eſt commune cunctis creaturis, ſic eas omnes offendit. Unde quæcumque creata ſunt, ad eum perſequendum animantur; & ideo omnes Beati, & omnes Angeli Paradiſi in die Judicii clamabunt contra eum: *ad infernum, ad infernum, ad infernum.* Tunc quoque Cœli cum luminaribus ſuis, ſuo modo clamabunt dicentes, *ad ignem, ad ignem, ad ignem.* Planetæ etiam clamabunt, dicentes, *ad inferni profundum, ad profundum, ad profundum.* Elementa etiam ſævient contra illum, di-

dicentia: *ad tormenta æterna, ad tormenta æterna, ad tormenta æterna*. Domus quoque in qua jacet infirmus uſurarius, atque parietes & ligna contra eum vindictam clamare non ceſſabunt: unde Habacuc 2. dicitur: *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit, dicens: fiat, fiat. S. Bern. ſerm. 45. de uſur.* Timete ergo, o uſurarii, timete terribilem Dei juſtitiam, & ſi homines non timeatis, ſaltem timete Deum, qui omnem adverſus vos armabit creaturam, qui ſevere uſuras veſtras puniet, & qui ad æterna ſupplicia vos condemnabit, ut enim ait Doctor Angelicus, *uſuræ vitium eſt deteſtandum, & æterna morte dignum. D. Thom. de uſur. c. 4.*

O quam terribile erit uſurario, qui in hoc mundo multis potitus eſt divitiis, cum in inferno ſumma egeſtate laborabit! O quam durum erit uſurario, qui in hoc mundo multis honoribus, pluribuſque deliciis gaviſus eſt, cum ad æternam ignominiam condemnabitur! Timere ergo debent uſurarii, ſed & timere debent hæredes eorum, qui ſcienter poſſident bona ab iis per uſuras acquiſita: tenentur enim ea reſtituere, quia cum repræſentent defunctum, & in ejus bonis ſuccedant, debent etiam in oneribus ſuccedere, & ſi ea non reſtituant, ſimul cum eis a quibus ea receperunt, ad æterna inferni ſupplicia condemnabuntur.

Ad cujus rei confirmationem, formidandum exemplum adducit Concionator quidam egregius, dicens, quod vir aliquis piiſſimus, raptus in extaſim, Deo ſic volente, ampliſſima inferni viderit, ubi inter alios plurimos unum adnotavit in medio ignis ſepultum: e cujus viſceribus magna orta erat arbor, in cujus ramis utriuſque ſexus perſonæ pendebant. *Diſcip. ſer. 44. de uſur.* Quæſivit vir ſanctus ab Angelo, ut myſterium hoc explicaret; cui Angelus: Iſte in imo inferni ſepultus, eſt uſurarius, & illi qui pendent in arbore, quæ ex ejus viſceribus procedit, ſunt hæredes ejus, qui ſcienter poſt ejus mortem poſſederunt bona, quæ ille per uſuras acquiſierat. Hi enim omnes ſimul cum illo, horrenda inferni patientur ſupplicia. Timete ergo uſurarii, timete latrones publici, & ab hominibus honorati, timete Deum in hoc mundo, ac ita eum timete, ut uſuris veſtris abrenuntietis, & inique ablata reſtituatis.

O Domine, ſancto hoc timore confige carnes, & corda uſurariorum, ut timentes, a peccatis reſipiſcant, aliena reſtituant, ad te omnium bonorum auctorem properent, & æterna Paradiſi bona conſequi mereantur. *Amen*.

FERIA IV.

POST DOMINICAM PRIMAM.

## DE POENITENTIA NON DIFFERENDA.

*Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* Matth. 12. 41.

PErverſa quædam hominum eſt generatio, quæ gravia peccata perpetrare novit, & pœnitentiam prompte agere neſcit: peccare eſt eis familiare, pœnitere inuſitatum, ſingulis fere momentis animam ſuam peccatis gravibus coinquinant, & nunquam venit hora, nunquam occurrit momentum, in quo pœnitentiam ſuſcipiant. Non unicus Jonas, ſed concionatores plurimi, Confeſſarii multi, ſancti Eccleſiæ Patres, Doctores omnes, & ipſe Deus pœnitentiam cito agendam eis annuntiant; & hi eam ſemper in futurum differunt, ſed in tremendo Dei Judicio ſurgent viri Ninivitæ, in generali hoc omnium congreſſu Deus eis proponet & opponet Ninivitas, qui pœnitentiæ agendæ ſe accinxerunt, mox ut Jonam prædicantem audierunt. Tunc Ninivitarum in agenda pœnitentia diligentiam cum eorum negligentia Deus conteret; & comparatione Ninivitarum, hi rei judicabuntur, ac juſta Dei ſententia ad ſempiterna inferni ſupplicia condemnabuntur: *Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.*

O quam imprudentes, qui inevitabile hoc Dei Judicium non timent! quam inſenſibiles, qui terribilem hanc Dei ſententiam non reformidant! quam imprudentes & ſtolidi peccatores, qui ſcelera ſua per pœnitentiam delere differunt. Eorum defleo cæcitatem, & tota hac Concione, pœnitentiam non eſſe differendam ſuadere conabor, &c. *Ave*.

TAnta dœmonis eſt aſtutia, ut pœnitentiam, quam in futurum peccatoribus differendam ſuadet, tamquam quid infallibiliter, & certo futurum eis proponat, ita eos faſcinat, ut eos de futura pœnitentia certos faciat: *immittit diabolus ſecuritatem, ut inferat perditionem. Aug. ſerm. 121. de temp.* Immaginaria hac ſecuritate freti peccatores, in peccatis ſuis perſeverant, in iis quieſcunt, nec de iis per pœnitentiam delendis curant. Sed dic, quæſo peccator; quod eſt fundamentum, quæ baſis, cui innititur talis tua ſecuritas? pœnitentiam agam, inquis, intra ſex menſes, poſtquam a negotiis, quibus implicor, me extricavero; cum inſenuero, vel cum ad mortem infirmabor. Hoc dicis, hoc credis, & hoc tamquam certo futurum ſupponis; ſed dic, rogo unde ſcias, quod tunc ſis pœnitentiam acturus? quis te certum fecit, quod tunc ſis habiturus tempus, gratiam, & voluntatem pœnitendi? Pœnitentiam agere nequis, niſi concedatur tibi pœnitendi tempus, niſi Deus largiatur tibi pœnitendi gratiam, & niſi pœnitendi voluntatem habeas. Dic ergo, habebiſne tunc pœnitendi tempus? hoc incertum eſt: dabitne tunc tibi Deus pœnitendi gratiam? hoc incertum eſt: eritne tunc tibi pœnitendi voluntas? hoc incertum eſt. Ubi ergo tua ſecuritas? nulla ibi ſecuritas, ſed omnia dubia, omnia incerta, & fluctuantia. Audi D. Auguſtinum dicentem: quod *nulla ſatis magna ſecuritas, ubi periclitatur æternitas*, audi illum, & pœnitentiam non differas in futurum, in quo nil tibi ſecurum, nil tibi certum eſt. Non differas pœnitentiam in futurum, quia incertum eſt, an tunc ſis habiturus: 1. tempus pœnitendi: 2. gratiam pœnitendi: 3. voluntatem pœnitendi. Incertitudo temporis, incertitudo gratiæ, & incertitudo voluntatis, ſunt tria motiva, quæ peccatores a non differenda in futurum pœnitentia, avertere debent.

PRI-

## PRIMA PARS.

*Pœnitentiam in futurum differre non debet peccator; quia incertum eſt; an tum ſit habiturus tempus.*

PRæclare dixit Moralis Philoſophus, Deum hujus vitæ tempus nobis dediſſe *ad depoſitum*, *non ad cenſum*. Hæc eſt differentia inter pecuniam, quæ datur ad cenſum, & eam quæ datur ad depoſitum, quod eo ipſo quo quis alteri pecuniam dedit *ad cenſum*, ille cui ad cenſum data eſt, illius ita ſit dominus, ut ſi eam ludis, comeſſationibus, cupediis, impudicitiis, & aliis quibuſque uſibus, etiam illicitis, impendat, nullam injuriam faciat ei a quo data eſt, modo ei annuum reditum, quem pollicitus eſt, fideliter ſolvat. Sed cum quis alteri pecuniam dedit *ad depoſitum*: depoſitarius, ſeu ille cui ad depoſitum data eſt, nullum jus, nullumque in hanc pecuniam dominium acquirit; nec eam quomodocumque ſuis uſibus inſumere poteſt ſine licentia depoſitoris, qui ſolus hujus pecuniæ eſt dominus; qui eam ad ſuos uſus, quomodocumque voluerit, convertere, eamque, quando ſibi placuerit, e manibus depoſitarii retrahere & revocare poteſt.

Tempus autem hujus vitæ non nobis datum eſt *ad cenſum*; quia illius non ſumus domini, nec de eo ad arbitrium noſtrum diſponere poſſumus: ſed a Deo datum nobis eſt *ad depoſitum*; quia Deus ſemper ejus eſt dominus: ac proinde tempus vitæ noſtræ, quod nobis dedit, abbreviare, prorogare, vel retrahere poteſt, quando voluerit.

Sed, proh dolor! peccatores innumeri, quaſi vero temporis vitæ ſuæ ſint domini, de eo ad arbitrium ſtatuere intendunt: Pœnitentiam, inquiunt, nunc ſuſcipere, mei non eſt animi: nolo nunc ſuperflua pauperibus erogare, vitiis renuntiare, & bonis operibus incumbere non poſſum, jam ebrietati metas ponere; luxuriæ terminos ſtatuere; aliena propriis dominis reddere, & ſalubri ſcelerum omnium deteſtatione, necnon humili confeſſione animam expiare: ſed hæc omnia tunc agam, cum temporaneis negotiis finem fecero, cum ab urgente & prædominante intus paſſione liber evaſero, cum ſuboream compoſuero, aut ſaltem cum inſenuero: *quando ad ſenectam venero, tunc ad pænitentiæ medicamentum confugiam. Cæſar. hom.* 20. O miſer, adverte, vitæ tuæ tempus tibi datum eſſe *ad depoſitum*, *non ad cenſum*. Perpende, quod non tu temporis ſis dominus; ſed Deus, qui vitam tuam uſque ad ſenectutem forte non protrahet; qui te forte mori ſinet, antequam temporalibus finem ponas negotiis; & qui forſitan hac nocte, aut etiam intra aliquas horas, animam tuam repetet. Quare pœnitentiam non in futurum differas, cum incertum ſit, an Deus, qui temporis eſt Dominus, tibi futurum tempus daturus ſit.

Vide quid acciderit diviti illi, qui de tempore futuro ſtatuebat. Hic cum non haberet, quo uberes, quibus affluebat, fructus congregaret, horrea majora facere meditabatur, bona multa in eis colligere cogitabat, & deinde ad plurimos annos jucunde quieſcere, bibere & epulari volebat: cum ecce dixit ei Deus, eum hac nocte moriturum, ac vitæ depoſitum redditurum: *ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt a te. Luc.* 12. 20. O terribilem Dei vocem! o ſubitaneam divitis hujus mortem! hic diu vivere credebat, & Deus eum hac ipſa nocte moriturum annuntiat: *Qui ampliationem horreorum, & longæ ſecuritatis ſpatia cogitavit, in ipſa nocte moritur. Cæſar. hom.* 14. Ecce quid evenire ſoleat peccatoribus his, qui in futurum pœnitentiam differunt: & divitiis & deliciis multis frui volunt, antequam ſalutaris pœnitentiæ operibus ſe accingant: pœnitentiam ſectari intendunt, ſed poſtquam diu in peccata perſeveraverint: pœnitentiam agere meditantur, ſed in tempore futuro. Cum autem minus cogitant, depoſitum ſuum Deus poſtulat: Deus vitam, quam iis in depoſitum dederat, ſubito auſert: & ſæpe nocte ipſa moriuntur, qua pœnitentiam in futuro faciendam ſibi proponunt: *ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt.* Quare, o peccator, ne pœnitentiam differas in tempus futurum, cujus Deus eſt Dominus, & quod an tibi daturus ſit, dubium & incertum eſt.

Peccatores multos reperire eſt, qui in manibus ſuis claves vitæ & mortis habere imaginantur: vitæ ſuæ tempus diſponunt, quaſi illius eſſent domini, & diſtributores a Deo conſtituti. Hi tempus, quo in hoc mundo ſe victuros arbitrantur, in varias claſſes, & ætates diverſas diſtribuunt. Tantum temporis, inquiunt, huic negotio impendam: tantum iſti, & tantum illi: hoc agam in juventute, hoc in ætate florente, hoc in provecta: at tandem, his & his peractis, totum me pœnitentiæ operibus dabo, meque totum Deo conſecrabo. Hi ſane ſimiles iis Sacerdotibus, quibus exprobrat Juditha, quod vitæ ſuæ tempora ad libitum diſtribuerent, ac tempus miſerendi Deo præſcriberent: *poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei. Judith* 8. 13. O quam ſtulti, qui ſic ſtatuunt de futuro, cujus non ſunt domini! *Quam ſtultum eſt ætatem diſponere! ne craſtino quidem dominantur. Seneca.* Quam ſtulti, qui ita vitæ ſuæ tempus diſtribuunt, ut pœnitentiæ ultimum dent locum: & qui tempore futuro pœnitentiam ſe acturos, ac Dei miſericordiam impetraturos præſumunt. O N. ne ita ſtultus ſis, ut pœnitentiam differas in futurum: quia forte hac nocte morieris: *ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* Ne ita ſis ſtultus: quia temporis futuri non es dominus, & an illud ſis habiturus, incertum eſt.

Qui pœnitentiam in futurum dimittunt, tamquam certum ſupponunt, ſe nondum morituros, Deumque iis vitam prorogaturum ad hoc uſque tempus, in quo ſe pœnitentiam acturos proponunt. Non *nunc*, inquiunt, ſed *tunc* pœnitentiam agam: *tunc*, cum tale Beneficium obtinuero: *tunc*, cum ad talem dignitatem conſcendero: *tunc*, cum filius meus matrimonium inierit: *tunc*, cum Jubilæus aliquis, vel Paſchalia feſta venerint: *tunc* me totum ad Deum convertam, ac pœnitentiam ſalutarem generoſe ſuſcipiam. Deus pœnitentiam *nunc* eſſe faciendam ait: *ecce nunc tempus acceptabile*; 2. *Cor.* 6. 2. & ipſi eam facere ſtatuunt, non *nunc*, ſed *tunc*; ac tamquam certum ſupponant, Deum hoc illis daturum pœnitendi tempus in quo ſe pœnitentiam acturos decreverunt; quaſi Deus promiſerit, ſe vitam illorum producturum ad hoc uſque tempus: *Expectas, & de miſericordia Dei polliceris; quaſi ille qui tibi per pœnitentiam promiſit*



Digitized by Google

*ſalutem, promiſeris tibi & longam vitam. Aug. ſer. 47. de verb. Dom.* Deus quidem peccatoribus pollicitus eſt, quod quacumque hora ad ipſum debite converterentur, veniam eis & indulgentiam concederet; ſed non promiſit, ſe eis tempus vitæ prorogaturum uſque ad Paſchalia feſta, ad proximum uſque Jubilæum, immo nec ad diem craſtinum: *Deus converſioni tuæ indulgentiam promiſit; ſed dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit. Aug. in Pſ. 144.* Quare cum Deus, qui omnium temporum Dominus eſt, non pollicitus ſit, ſe eis tempus futurum ad pœnitentiam agendam daturum, maxime incertum eſt; an hoc tempus ſint habituri: & ideo pœnitentiam in hoc tempus differre non debent. O N. ſi numerum annorum tuorum tibi Deus revelaſſet; ſi dixiſſet tibi: tot annis vives, nec morieris, quin prius pœnitentiam egeris, pœnitentiam in futurum differendi aliqua tibi forte eſſe poſſet ratio; ſed cum Deus nec craſtinum diem promiſerit; cur eam differs in tempus futurum, quod an ſis habiturus incertum eſt?

Tantum abeſt, ut peccatoribus promiſerit Deus, ſe iis daturum tempus futurum ad agendam pœnitentiam; quin contra iis in futuro omnia incerta eſſe denunciat: ac omnino eſſe incertum, quot annis, & quanto tempore in hoc mundo ſint victuri, *numerus annorum incertus eſt. Job 15. 20.* Immo Deus aſſerit, ſe ad eos venturum veluti furem, ut ab iis vitam auferat, qua hora non putaverint: *veniam ad te tamquefur. Apoc. 3. 3.* O quam multi ſunt, ad quos Deus venit tamquam fur! quam multos ſubitanea morte ex hoc mundo ſuſtulit! quam multos, qui diu ſe victuros arbitrabantur, tam repentina morte rapuit, ut nec minimum iis pœnitentiæ tempus dederit: *quam multi ſe credebant longo tempore victuros, & ita illos mors repentina ſubtraxit, ut nec ad illam poſſint momentaneam pœnitentiam pervenire! Cæſar. hom. 13.* Cur ergo pœnitentiam in futurum differs? nonne times te morte ſubitanea moriturum? pœnitentiam intra ſex menſes, vel intra unum annum te facturum ſtatuis; & forte intra tres menſes, intra unum diem, ac forte uno in momento ſubitanea morte corripieris: & ideo ſtultus es, ſi pœnitentiam differas in tempus futurum, quod non a te, ſed a Deo pendet, & quod an Deus tibi daturus ſit, ignoras.

Peccatores, ſuadente ſatana, intra ſe dicere ſolent: nondum vitæ meæ finis inſtat: mei diu vixere parentes, diu ſimiliter vivam & ego: non mirum, quod hic & ille in ætate florente mortui ſint; hi etenim Veneri & Bacco ſerviebant; ego autem neutri indulgeo. Diuturnam mihi pollicentur vitam firma corporis conſtitutio qua polleo, ordinata victus ratio quam religioſe ſervo, & temperatus aer quem ſpiro; divino gratias ago Numini, quod bene dormiam, melius comedam, nilque meæ noceat valetudini: ad centum annos mea forte non prorogabitur vita; ſed me diu victurum omnia promittunt. O qualia impiorum ſomnia, qui mortem ſuam ſemper proſpiciunt! qualiſcumque enim conſtitutionis ſint, & quamcumque victus rationem teneant, nil de futuro ſibi polliceri poſſunt; nec certo ſcire valent, an vel ad unum diem vita ſit eis proroganda. Non illorum, ſed Dei ſolius eſt noſſe, quanto tempore ſint victuri: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Act. 7. 5.* Dic, quæſo, tu qui tanta valetudine pollere, ac te diu victurum arbitraris, es ne certus, lethiferum in jecore tuo, in pulmone, vel in inteſtinis ulcus non latere? Noſtin' te non brevi apoplexia ſuffocandum? quis certum te fecit, quod intra breve tempus peſtilenti febre, vel gravi alia infirmitate correptus, non morieris? hæc omnia incerta ſunt & indubia. Forte cito, & qua hora non putabis, cadente e tecto latere obrueris, enſe transfodieris, glande e ſclopeto miſſa occideris, vel alio quodam inſperato caſu vitam finies; quare ne in futurum pœnitentiam differas, cum nullatenus de futuro certus ſis. Sine ſpeciali Dei revelatione ſcire nequis, an uno vel pluribus annis, uno vel pluribus menſibus, immo nec an uſque in craſtinum ſis victurus; cur ergo pœnitentiam, ſine qua ſalvari non potes, in tempus futurum differs, quod an ſis habiturus ignoras? Certe pœnitentia non eſt in futurum differenda; quia incertum eſt, an tunc ſis habiturus tempus pœnitendi, *ac etiam quia incertum eſt, an tunc ſis habiturus gratiam pœnitendi.*

## SECUNDA PARS.

*Pœnitentiam in futurum differre non debet peccator; quia incertum eſt, an tunc ſit habiturus gratiam pœnitendi.*

NUllus peccator ita excæcatus, & induratus, qui Dei gratia adjutus, converti non poſſit, & ſalvari. Divino hoc auxilio fretus Saulus, *potuit* ex blaſphemo, & acerrimo Chriſti inimico, in inſignem ejus Apoſtolum, & famoſum totius orbis Doctorem converti: *potuit* Matthæus ex publicano & telonario Diſcipulus Chriſti fieri: *potuit* Auguſtinus, prius infenſiſſimus Eccleſiæ hoſtis, & Manichæus, in mirabilem Eccleſiæ Doctorem, & defenſorem mutari: *potuit* Magdalena, omni peccatorum generi affecta, in ſanctiſſimam fœminam, & portentoſum pœnitentiæ exemplar transformari: *poſſunt* & omnes peccatores juſtificari & ſalvari: quia omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, facere poſſumus cum Dei gratia: *omnia poſſum in eo qui me confortat. Philipp. 4. 1.*

Sed ſicut omnis peccator, Dei gratia adjutus, pœnitentiam agere, & ad Deum converti valet: ita nullus peccator, ſine Dei gratia, pœnitere, veniam obtinere, & juſtificari poteſt, ut enim ait D. Auguſtinus, *niſi Deus dederit, quis aget pœnitentiam? Aug. lib. 3. adv. Julian. cap. 3.* Et ut in Concilio Tridentino definitum eſt; ſine Dei gratia nullus pœnitere poteſt, ſicut oportet. *Si quis dixerit; ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Trid. ſeſſ. 6. can. 3.*

Omnibus autem, quantumvis magnis peccatoribus, gratiam dat Deus, ſed non omni tempore; eam dat ſingulis, ſed non ſemper; nullus eſt peccator, quantumlibet Deo infenſus, cui Deus aliquam gratiam non impertiatur, ut illum ad pœnitendum excitet & moveat; ſed hanc gratiam eis dat, quando vult: *Spiritus ubi vult ſpirat, Jo. c. 8.* inquit Sanctus Joannes: & ut exponit Hugo Cardinalis, *ubi vult ſpirat, & quando vult.* Quare valde dubium eſt, an eam ſit daturus peccatoribus, qui illam ſæpe reſpuerunt, & qui pœnitentiam in futurum diſtulerunt.

Præ-

Digitized by Google

Præſumunt hi, Deum iis prævenientem & excitantem hanc gratiam daturum, cum inſenuerint, cum negotiis ſuis finem fecerint, eo præciſe tempore, quo ſe pœnitentiam facturos ſtatuerint, & cum eis placuerit; ſed falluntur graviter quia Deus forte dabit; forte non dabit; & valde incertum eſt, an eam illis daturus ſit. Gratia enim eſt donum, quod ex mera Dei liberalitate pendet, & quod nullo modo dare tenetur peccatoribus his, qui pœnitentiam in futurum diſtulerunt. Immo gratia hac penitus indigni ſunt hujuſmodi peccatores, quare an hanc eis ſit daturus, hoc dubium eſt, hoc incertum eſt, & valde timendum, ne hanc iis deneget.

In ſecundo Libro Regum legimus, inter Abner & Joab grave prælium per integrum diem exarſiſſe. Cum autem ſub veſperam advertiſſet Abner, exercitum ſuum debilitari, exclamavit ad Joab, & ait: Num uſque ad internecionem tuus mucro deſæviet; uſquequo non dicis populo, ut omittat perſequi fratres ſuos? Nonne jam tempus inducias paciſcendi? aliquas, quæſo, da inducias. Cui Joab: *Vivit Dominus, ſi locutus fuiſſes mane, receſſiſſet populus perſequens*, 2. *Reg.* 2. nec quidquam tibi cladis intuliſſet. Peccatores ſimiliter tota die, & quamdiu perfecta fruuntur valetudine, cum Deo conſtituunt prælia, ſtatuuntque, ſe tunc Dei clementiam imploraturos, ac pœnitendi gratiam petituros, cum inſenuerint, vel cum ad mortem ægrotaverint, ſed valde timendum ne reſpondeat Deus, quod ſi locuti fuiſſent mane, & dum bene ſe habebant, gratiam iis conceſſiſſet: valde metuendum, ne in pœnam negligentiæ illorum, tunc eis denegetur gratia, quam antea facile obtinere potuiſſent. Ut enim ait S. Auguſtinus, *illa eſt pœna peccati juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque illud quo bene uti noluit, cum ſine difficultate potuiſſet, ſi voluiſſet.*

Audite quid loquatur Dominus Deus: *Vocavi*, inquit, *& renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Prov. 1. 4. O N. pluries te Deus vocavit, & quotidie vocat miniſterio Concionatorum, qui te docent; parentum, qui te amice monent; & inſpirationum internarum, quæ te ad pœnitentiam excitant. Heu! quoties in corde tuo locutus eſt Deus, ut ad bene vivendum te alliceret? nonne pluries audiſti neſcio quam vocem, interius dicentem tibi: o miſer & ſtulte peccator, in ſtatu mortalis peccati, & imminentis damnationis verſaris: diſcede a peſſimo hoc ſtatu: convertere ad Dominum Deum tuum: ſalva animam tuam, quæ pretioſo Chriſti Sanguine redempta eſt! Interna hæc vox, quam ſic loquentem audis, eſt ipſe Deus, qui per gratiam ſuam vocat te; & tanta tua eſt pervicacia, ut ei reſiſtas: vocat ille, & tu ad eum ire renuis: *vocavi & renuiſtis.* Cum autem vidit Deus, te pluries vocationi ſuæ reſtitiſſe, manum ſuam ad te adhuc extendit, ut majorem tibi gratiarum copiam largiretur; & tu eas neglexiſti, nec ad eum oculos convertere dignatus es, ut illum benediceres: *extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* Internis hiſce inſpirationibus ſuperaddidit Deus conſilia, increpationes, necnon forte flagella multa, & tu hæc omnia contempſiſti: *deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Fecit tandem Deus quidquid juxta rectas infinitæ ſapientiæ ſuæ regulas debuit, ut te ad pœnitentiam adduceret. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Iſ. 5. 4. His autem omnibus ex parte Dei tam ſtudioſe peractis, credis, o N. quod cum inſenueris, vel cum lethali morbo infirmaberis, efficaces tibi ipſe largietur gratias, quarum miniſterio pœnitentiam ages, & ſalvaberis? hoc quidem agere poſſet; ſed timendum, ne tunc tibi ſit infenſus, & ne tunc te irrideat: *ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Tunc tibi aliquas haud dubie dabit gratias, cum quibus pœnitentiam agere poſſes; ſed valde dubium, & incertum eſt, an efficaces tunc tibi daturus ſit gratias, quibus adjutus, infallibiliter a peccatis ſurgas, & pœnitentiam agas; certum eſt, quod earum indignus ſis, certum eſt etiam, quod eas tibi dare non teneatur; certum eſt pariter, quod eas dare poſſit, ſi velit: ſed an eas tibi daturus ſit, valde incertum eſt; ac multum timendum, quod tunc eas non dabit, quodque tunc te irridebit: *ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.*

Hoc præclare demonſtrat Sanctus Cæſarius egregia ſimilitudine unius hominis, qui non in florenti, ſed in decrepita ſolummodo ætate domino ſuo ſervire vellet. *Numquid*, ait Arelatenſis Antiſtes, *hoc tibi vis fieri a ſervo tuo, ut quamdiu fortis, ac juvenis fueris, inimicis tuis ſervias: & cum ad ſenectam veneris, tunc ad tuum ſervitium redire velis? quod ergo non vis pati a ſervo tuo, non eſt juſtum ut facias Domino tuo.* O pulchram ſimilitudinem! quam ut ſerio ponderemus, dicite, quæſo: ſi quis ex Regno Gallico oriundus, ſua Regi obſequia offerret, dicens: Domine mi Rex, toto juventutis & florentis ætatis meæ tempore inimicis tuis fideliter obſequi intendo, ab eorum partibus conſtanter ſtabo; pro his, ſi opus fuerit, adverſum te fortiter pugnabo: cum autem inſenuero, & cum deficient vires, me totum tuis obſequiis conſecrabo. Quid huic homini putatis dictarum Regem, gratane ei eſſet ſerotina hujus famuli oblatio? velletne reliquias labentis vitæ accipere? haud dubie de hujus ſtolidi famulatu parum curaret? ei forte exprobraret; nullam ei certe gratiam conferret, illumque irrideret. Et tu, o ſtulte peccator, peccatis & ſatanæ inſervire cupis quamdiu vires ſuppetent; cum autem infirmaberis, vel inſenueris, putas, obſequia tua grata fore Deo? credis, quod te tunc gratiis multis afficiet; arbitraris, quod tunc tibi pœnitendi gratiam ex animo dabit; hanc forte dabit, forte non dabit; & timendum, ne hanc tibi tunc gratiam deneget, & ne tibi illudat: *ego quoque in interitu veſtro ridebo.*

Ex his qui pœnitentiam in futurum differunt, multi repentina rapiuntur morte, ita ut nullum pœnitendi tempus habeant. Ex his autem qui ſubitanea morte non præripiuntur, aliquos reperire eſt, qui dum infirmantur, clamant ad Dominum; & quo gravior infirmitas, eo ſtudioſius eum invocant: an bene, vel male, neſcio: an ex timore ſervili, vel ex amore, neſcio: an utiliter, vel inutiliter, neſcio: an a Deo ſint, vel non ſint audiendi, neſcio. Timendum tamen, ne tunc Deus eos non exaudiat, & gratiam, quam poſtulant, non eis concedat: *tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Prov. 1. 28. Timendum,

ne Deus pretioſas gratiæ ſuæ margaritas non projiciat ante illos porcos, qui eas toties contempſerunt: timendum, ne gratiarum ſuarum theſauros in favorem ingratorum hujuſmodi hominum non aperiat: timendum, ne cæleſtia illa dona carnalibus hiſce viris deneget. Tunc forte Deus illa dabit, & forte non dabit; ac valde metuendum, ne tunc gratiam, ſaltem efficacem, eis non det; tunc clamabunt, & Deus irridebit eos, nec illos exaudiet: *tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Quare non differenda in futurum pœnitentia, cum incertum ſit, an peccator ſit tunc habiturus gratiam; *ac etiam quia incertum eſt, an ſit tunc habiturus voluntatem pœnitendi.*

## TERTIA PARS.

*Pœnitentiam in futurum differre non debet peccator, quia incertum eſt, an tunc ſit habiturus voluntatem pœnitendi?*

QUi pœnitentiam in futurum differunt, tamquam certum ſupponunt, eo præciſe tempore quod ſibi præfigunt, ſe vere voluntatem habituros abrenuntiandi peccatis, ea confitendi, ac ea omnia, quæ veri pœnitentis ſunt, perfecte adimplendi. *Tunc*, inquit peccator, omnia injuſte detenta reſtituam, aut ſaltem reſtituendi onus hæredibus imponam: *tunc* pauperibus & Eccleſiis bona multa diſtribuam: *tunc* quidquid in corde latet, prudenti Confeſſario aperiam; *tunc* firmo non amplius peccandi propoſito omnia inveterata ſcelera a me procul pellam: *tunc* Deum offenſum, & adverſum me iratum, fuſis amatis lacrymis placabo, eumque ad mihi indulgendum alliciam. O qualem hujuſmodi hominum ſtultitiam, qui tamquam certum ſupponunt, ſe habituros non ſolum tempus & gratiam, ſed etiam voluntatem veram, ſinceram & efficacem, ea omnia perficiendi quæ ad perfectam pœnitentiam requiruntur! quo tamen nihil incertius; quia quo diutius in peccatis perſeverant, eo magis eorum obſcuratur intellectus, debilitatur liberum arbitrium, & voluntas pervertitur. Unde qui jam pœnitere nolunt, tunc minus pœnitere volent; ac haud dubie tunc pœnitentiam, & alia ſalutis remedia contemnent.

*Impius*, inquit Sapiens, *cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov.* 18. Quid contemnit impius ille homo, qui pœnitentiam in futurum differens, in profundum peccatorum venit? hic conſilia, jura, & omnia contemnit, quæ illum a malo retrahere, & ad pœnitentiam adducere poſſent: *contemnit jura & homines*, ait Janſenius Gandavenſis: *ita ut nullo vel timore, vel pudore a malo retrahatur, nulliſque bene conſulentium rationibus moveatur.* Cum hujuſmodi peccatores ſuam diu diſtulerunt converſionem; ita, Deo permittente, fieri ſolent indurati & obſtinati, ut omnia conſilia reſpuant, nec ſolum de converſione cogitare velint: *tunc* ſæpe, de ſalute ſua deſperantes, quo ſe vertant neſciunt, nec pœnitentiam agere volunt, quia ſalvari non poſſe credunt: *tunc* intra ſe dicere ſoliti ſunt, ſicut infidelis ille villicus: *quid faciam? Luc.* 16. 3. ſeu, quomodo nunc recogitabo, & rationem inibo eorum omnium quæ a pueritia peregi? Tunc dicunt: *quid faciam*, & quomodo longam omnium, quæ toto vitæ meæ tempore commiſi, ſcelerum ſeriem, ſimul cum circumſtantiis, clare & diſtincte Confeſſario per multas horas enarrare potero? *quid faciam?* & quomodo bona injuſte acquiſita jam reſtituere; cuique ſuum reddere, ac injuriam proximo illatam reſarcire valebo? *quid faciam?* & quomodo inveterata odia, ſpiritum ſuperbiæ & avaritiæ, nec non omnem amorem carnalem corde nunc evellere potero? *quid faciam?* & quomodo nunc invocare non erubeſcam Cælitum opem, quos nunquam colui? ac quomodo impetrare potero Chriſti gratiam, quam toties contempſi? hiſce cogitationibus ita conturbari ſolent qui in futurum ſuam converſionem diſtulerunt, ut in obdurationem & deſperationem ſæpe cadant, nec amplius de pœnitentia agenda cogitent. Vellent quidem tunc pœnitentiam agere; ſed voluntate languida, infirma & inefficaci, quæ ad ſalutem non ſufficit: hoc non volunt efficaciter, quia de ſalute deſperant. O ſanguineis lacrymis deplorandus ſtatus hujuſmodi hominum qui pœnitere volunt & nolunt: vellent quidem aliquo modo pœnitentiam agere; ſed cum ſe a morte vallari vident, cumque innumerabilia peccata ſua inſpiciunt, animo cadunt, de ſalute ſua diffidunt, & ideo efficaciter pœnitere nolunt. Immo, ut ait Euſebius Emiſſenus, nec volunt, nec poſſunt: *ita evenit, ut qui primo tempore emendare nolueris, incipias in ſequenti nec velle, nec poſſe. Euſeb. hom. ad Monac.*

Qui pœnitentiam in futurum differunt, tunc communiter eam agere decernunt, cum inſenuerint, vel cum gravi quadam infirmitate laborabunt: tunc ſtatuunt ſe pœnitentiam acturos, & bene vivere incepturos, cum in hoc mundo vivere deſinent. O magnam ſtultitiam! & ut ait Seneca, *quam ſerum eſt vivere incipere, cum deſinendum eſt! quæ tam ſtulta mortalitatis oblivio in quinquageſimum, & ſexageſimum annum differre ſana conſilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci pervenerunt. Seneca de brev. vitæ c.* 4. Sed advertant ſtulti hujuſmodi homines, quod cum periculoſe ægrotabunt, tot circumdabuntur animæ ſuæ hoſtibus, ut iis quaſi impoſſibile futurum ſit & pœnitere, & pœnitendi voluntatem habere; tunc, inquit Spiritus Sanctus, *circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique. Luc.* 19. 47. Tunc o peccator, tamquam fortiſſimi hoſtes, circumdabunt te dolores acutiſſimi, quibus obrueris, tunc menti tuæ ſe offeret legio enormium criminum, quæ toto vitæ tuæ tempore perpetraſti: tunc circa te volventur propinqui gementes, clamantes, bona tua habere cupientes, & de animæ tuæ ſalute parum curantes; tunc aderunt tartarei ſpiritus, animum tuum excæcantes, voluntatem indurantes, & quantum poterunt, a pœnitentia te avertentes. Ecce inimicos, qui tunc circumdabunt te; credisne, quod his impetitus hoſtibus, voluntatem tunc ſis habiturus efficacem, quæ ad facienda omnia quæ veri pœnitentis ſunt, te inducat? hoc valde dubium eſt; immo quaſi certum videtur, quod pœnitentiam tunc agere nec voles, nec poteris. Jam eam facere non vis, cum eam facere tibi facillimum eſſet; & tunc, Dei ſapientia ſic ordinante, eam facere noles, nec forte poteris; *ita evenit, ut qui primo quoque tempore emendare nolueris, incipias ſequenti nec velle, nec poſſe.*

Pec-

Digitized by Google

Peccator pœnitentiam in futuro faciendam, tamquam quid facillimum ſibi proponit: nec imaginari poteſt, ſe tunc pœnitendi voluntatem non habiturum. Tunc, inquit, me totum facile ad Deum convertam, & unico *peccavi* omnia ſcelera mea diſſlabo. O N. habebiſne tunc tempus dicendi illud *peccavi?* hoc incertum eſt: quia forte repentina morte rapieris. Dabiturne tibi tunc gratia, ſine qua efficaciter dici nequit illud *peccavi?* illud etiam incertum eſt: quia omni gratia indignus es, & valde dubium an eam Deus daturus ſit. Sed incertum adhuc, an ſis habiturus voluntatem dicendi illud *peccavi*; ſicut oportet. Antiochus dixit; *peccavi*; Pharao dixit; *peccavi*; Judas dixit, *peccavi*; ſed quia hi omnes non dixerunt, *peccavi*, ſicut oportet; ideo damnati ſunt. Eos forte imitaberis: & cum Parochus, Confeſſarius, vel alii lecto tuo effuſi, ad pœnitentiam te excitabunt, externa aliqua pœnitentiæ ſigna dabis, extremis forte labiis pronuntiabis, *peccavi*, ac veniam a Deo poſtulabis; ſed cum hoc *peccavi* ad tenebras ſempiternas, ad ergaſtulum flammarum, & ad locum tormentorum æternorum detruderis.

Ad peccati remiſſionem, & ad ſalutem non ſufficit, ut quis dicat, *peccavi*; ſed bene & pie dicere debet illud *peccavi*. Ut autem bene dicatur, *peccavi*, ſeu ut dicatur bonum *peccavi*, quod vim habeat delendi peccata; non ſolum requiritur Dei gratia, ſine qua deleri nequeunt; ſed requiritur inſuper ex parte illius qui profert illud *peccavi*, ut omnia ex corde deteſtetur ſcelera, & ut veram ac ſinceram habeat voluntatem ea confitendi, & non amplius peccandi. Dic nunc, o N. es ne certus, te in futuro habiturum Dei gratiam? hoc incertum eſt: eſne certus, te habiturum hanc voluntatem, quæ ad bene dicendum illud *peccavi* neceſſaria eſt? hoc maxime incertum. Immo quaſi certum eſt, quod eam tunc voluntatem non habebis, quodque tunc eandem tenebis viam, quam toto vitæ tempore tenuiſti: *adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Prov. 12.6.* Toto vitæ tempore in via perditionis ambulaſti: tunc eadem incedes via; & ſi actu tunc peccare non poſſis, ſaltem affectum ad peccatum habebis. Toto vitæ tempore a pœnitentia; & ſalutis via declinaſti; tunc nec de pœnitentia, nec de ſalute curabis.

Innumera ab Auctoribus adducuntur exempla hujuſmodi hominum, qui cum pluries ſtatuiſſent, ſe in futuro pœnitentiam acturos; in futuro nec pœnitentiam agere, nec de pœnitentia loquentes audire voluerint. Cuidam ex hujus farinæ viris, inquit Petrus Damianus, promiſerat dæmon, ſe mortem ei prænuntiaturum triduo antequam ex hoc mundo eſſet exiturus. *Petrus Damian. in Epiſt.* Quo promiſſo ſecurus, vitam variis in flagitiis traduxit: ſed tandem, multis perpetratis ſceleribus, in periculoſum lapſus eſt morbum; tuncque monuit illum iniquus fidejuſſor; & inſtantem poſt tres dies mortem prædixit. Triſtem hunc nuntium adſtantibus illico expoſuit infelix ille infirmus: quo audito, omnes quidem attoniti, omneſque tunc eum ad pœnitentiam prompte faciendam hortantur. Sed ipſe, cum de pœnitentia ſermo habebatur, mox dormiebat, nec expergiſci poterat: cum nullus de pœnitentia loquebatur, vel cum verba vana, jocoſa, aut ridicula proferebantur; tunc aures arrigebat infirmus, & confabulabatur: ſed rurſus audito nomine pœnitentiæ, altum obdormiſcebat, donec horrendæ morti traditus, ad tartara devolutus eſt.

Quid ſimile refert Lucas Pinelli de alio, qui cum ſummo ſtudio divitias multas congregaſſet, lethali tandem morbo correptus, de divitiis ſolummodo erat ſollicitus: Millies forte ſtatuerat, ſe in futuro pœnitentiam acturum; & tandem, cum infirmatur, nec de pœnitentia loquentes audire vult: de divitiis tunc tantum cogitat; huc, illucque in lecto volvitur, & quaſi leo rugiens, clamat: o divitiæ meæ, quid de vobis fiet? quæ tanto labore comparavi, cujus erunt? adſtat prudens Confeſſarius, qui eum de morte imminente, & de pœnitentia mox agenda monet: ipſe vero, quaſi monitorem non audiat, clamat adhuc: o divitiæ meæ, & quis vos poſſidebit? Inſtat Confeſſarius; non jam de terrenis, ſed de cæleſtibus cogitandum opibus; ſed eandem cantilenam ſemper cantat infirmus; & hæc verba proferens: *o divitiæ meæ, quibus vos relinquam?* non confeſſus, nec minimum pœnitentiæ ſignum edens, miſere expiravit.

Ecce quid accidere ſoleat his, qui pœnitentiam in futurum differunt. Credunt hi, ſe veram pœnitendi voluntatem habituros: ſed cum, iis ægrotantibus, quis de pœnitentia loquitur, vel obdormiſcunt, vel de his ſolum cogitant, quæ in vita dilexerunt. Tunc avarus de divitiis cogitat, quas mox magno cum dolore relicturus eſt: tunc impudicus mente revolvit infamem lupam, cui diu aſſueverat: tunc iracundus viperinum odium, quod tandiu fovit, in animo fixum ſervat: de pœnitentia autem ſerio ſuſcipienda hi omnes non curant, ejus non recordantur; aut ſi meminerint, pœnitendi voluntatem non habent.

O peccator, recogita nunc ſerio ea omnia quæ diximus; in memoriam revoca ea, quæ in tota hac concione agitavimus; ac tamquam certiſſimum habeas, quod ſi pœnitentiam in futurum differas, dubium & incertum eſt, an tunc ſis habiturus pœnitendi tempus, pœnitendi gratiam, pœnitendi voluntatem. Habebiſne tunc pœnitendi tempus? forſan habebis, forſan non habebis: dabiturne tunc tibi pœnitendi gratia? forte dabitur, forte non dabitur: eritne tunc tibi pœnitendi voluntas? fortaſſis erit, fortaſſis non erit. Hæc omnia dubia: hæc omnia incerta; quare, ſi ſapias, pœnitentiam, quæ tibi ad ſalutem abſolute neceſſaria eſt, ne ſupra tria hæc *fortaſſis* ſtabilias: *cum de animæ, utraque æternitate conſilium inis, ne imbecilliori huic innitaris fundamento, fortaſſis. Chryſ. hom. 23. in 2. Cor.*

Stultus cenſetur qui præclaram domum ſupra arenam mobilem, vel ſupra terram ſine fundamento ædificat. O N. quod præclarius, quodve magis tibi neceſſarium ædificium, quam ſpirituale, quam ſalus animæ tuæ? certe nullum: quare ſtultus cenſeberis, ſi hoc ædificium ſupra arenam mobilem, ſupra unum, vel tria *fortaſſe* ſtabilias. Fortaſſe habebo pœnitendi tempus, fortaſſe dabitur mihi pœnitendi gratia, fortaſſe erit mihi pœnitendi voluntas. O quam mobilia, quam ruinoſa hæc ſalutis tuæ fundamenta! quare ſolidius & firmius quære fundamentum; conſilium ſequere D. Ambroſii, dicentis: *tene incertum, dimitte incertum. Ambr. l. 7. de*



Digitized by Google

*pœnit. cap. ult.* Pœnitentia, quam in futuro faciendam proponis, incerta eſt, *dimitte hoc incertum.* Te nunc pœnitentiam agere poſſe certum eſt, *tene hoc certum.* Jam jam peccata tua deteſtare, jam aliena reſtitue, jam omnia ſedulo confitere ſcelera, jam cunctis veri pœnitentis operibus agendis te accinge; dabitque Deus tibi gratiam, qua mediante, pœnitentiæ tuæ fructus in Cœlo aliquando percipies. *Amen.*

## FERIA V.

## POST DOMINICAM PRIMAM.

# DE FILIORUM EDUCATIONE.

*Miſerere mei Domine fili David: filia mea male a dæmonio vexatur.* Matth. 15. 22.

NOn ſatis eſt, parentes filiis dediſſe quod ſint; ſi, quantum fas erit, non eis dent ut bene & recte juxta divinarum & humanarum legum præſcripta vivant; non ſatis eſt, quod eos procreaverint, ſi bonæ eorum inſtitutioni non invigilent: non ſatis eſt, quod eos homines fecerint, ſi eos per bonæ educationis præcepta ad chriſtiane & perfecte vivendum non alliciant. Verum eſt, quod eſſe, quod a parentibus filii perceperunt, ſit omnium bonorum primum & maximum; immo & quod aliorum omnium bonorum ſit radix & fundamentum: quia qui non habet eſſe, nil aliud recipere & habere poteſt; melius tamen eſſet filiis, quod eſſe nunquam habuiſſent, quam ſi mala educatione ad gravia peccata, & ad æterna inferni ſupplicia traherentur. Et ideo parentes maxime hortatur divus Paulus, ut filios bonis artibus & diſciplinis inſtituant, bonis moribus imbuant, & quam optime poterunt, educare conentur: *nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.* Epheſ. 6. 4. In quæ verba S. Chryſoſtomus ait, hanc potiſſimam eſſe debere parentum curam & ſollicitudinem: *omnia a vobis poſtponantur curæ filiorum.* Chryſoſt. hom. 21. in Epiſt. ad Epheſ.

Hæc ſit cura veſtra, o patres & matres, qui filios genuiſtis: non eos ſolummodo inſpiciatis ut ſubditos qui vobis obtemperare, voſque venerari tenentur: ſed etiam ut vitæ chriſtianæ & politicæ candidatos, qui a vobis edoceri, & bona educatione imbui debent: *educate illos in diſciplina & correptione Domini.* Videte Chananæam, quæ filiæ ſuæ curam habet, ejuſque bono maxime invigilat, cum ad Chriſtum clamat, ut illam a dæmonis poteſtate liberet: *miſerere mei Domine fili David: filia mea male a dæmonio vexatur.* Unde de cura filiorum, & de bona educatione, quam illis parentes dare tenentur, dicendi occaſionem ſumam, &c. *Ave.*

DE bona educatione filiis danda, vel procuranda, pauci ſunt ſolliciti. *Alii* enim ex parentibus, poſtquam filios genuerunt, de eorum vita, moribus, & educatione nullo modo curant; ſed ſicut ſtruthio ova quæ edidit, penitus deſerit: ita & illi filios quos pepererunt, quaſi derelinquunt, eiſque libertatem dant agendi quidquid mundus docet, quidquid ſuggerit diabolus, & quidquid natura ad malum proclivis, paſſioneſque indomitæ ſuadent. *Alii* filios docent quæ mundi, non quæ Dei ſunt: docent illos modum concinne ſaltandi, pulchre & venuſte equitandi, appoſite & eleganter in omni cœtu ſermocinandi; ſed non docent illos modum bene orandi, peccata ſua confitendi, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiendi. *Alii*, cæca ducti ambitione, filios ad altiores ſæculi dignitates, vel ad pinguiora Eccleſiæ Beneficia, omnibus viis evehere ſatagunt; ſed de iis ad ſubtimiores ſpiritualis vitæ gradus, & eminentiores cæleſtis Curiæ thronos evehendis ne quidem cogitant. *Alii* tandem ita ſtolidi ſunt & cæci, ut bonam filiorum inſtitutionem pro nihilo reputent: minuſque de filiis bene educandis, quam de equis ſuis domandis, ſint ſolliciti.

At bona filiorum educatio eſt bonum ſupra omne bonum, a quo pendet omne bonum: & ad filios ſuos recte inſtituendos tenentur parentes, ut ſuo, filiorum, & Reipublicæ bono conſulant. In educatione enim filiorum parentes debent ſeipſos, filios, & bonum publicum reſpicere; eoſque bene educare tenentur, ut conſulant: 1. bono ſuo: 2. bono filiorum: 3. bono publico.

## PRIMA PARS.

*Parentes debent filios ſuos bene educare, ut bono ſuo conſulant.*

TRito, & communi proverbio dicitur, reque ipſa & experientia conſtat eſſe veriſſimum, quod omnes paſſim, ſeu plerique commodis ſuis invigilent, ſuæ quieti conſulant, utilitati ſuæ ſtudeant, & quæ ſua ſunt, quærant: *omnes quæ ſua ſunt, quærunt.* Philip. 2. 21. Quare ut parentes ad debite inſtituendos liberos alliciamus, velim ut reſpiciant ſemetipſos, & ſerio conſiderent bona & mala, quæ ex bona & mala filiorum educatione in ipſos redundant: ac velim primo ut perpendant, & ſedulo ponderent, quantum honoris, gloriæ & utilitatis ſint percepturi, ſi filios bona educatione imbuant; & e contra quantum dedecoris & detrimenti ſint perpeſſuri, ſi illos recte non inſtituant, & bonis moribus imbuere non conentur.

1. Magna quidem parentibus gloria; decus magnum, cum data nobis bona educatione, ex his unum in Cathedra tonantem, alium in Eccleſia præſidentem, iſtum in foro lucentem, illum in Clauſtro divinis vacantem, & omnes vocatione, qua vocati ſunt, ambulantes, necnon religioſe ubique viventes vident. Hujuſmodi parentes, ob bonam filiorum inſtitutionem, ab omnibus æſtimantur, ab omnibus laudantur, & ab omnibus prudentes & pii agnoſcuntur: *in filiis ſuis agnoſcitur vir;* Eccli. 11. 10. ſeu, ut exponit Sanctus Ambroſius, *unuſquiſque in filiis ſuis æſtimatur, ſi bene filios ſuos inſtituit, & diſciplinis erudivit.* Sed contra etiam, magnum parentibus dedecus, cum effrænatis filiorum paſſionibus habenas remittunt, cum eos non corripiunt, non erudiunt, nec bonis moribus imbuunt: & ſæ-

pe

Digitized by Google

pe accidit, ut filius male moratus opprobrium, confuſionemque ſempiternam patri, matri, necnon toti familiæ inſerat.

Filius tibi eſt, quem cæco & ferino amore proſequeris; illum ut pupillam oculi diligis? & ideo non illum corripis cum corripiendus eſt, non illum mones cum monendus: pravorum conſortio illum commiſceri permittis: a ſalutis via illum declinantem vides, & taces: illum blaſphemantem audis, & non increpas: licentiori vitæ eum indulgere noſti, & diſſimulas: quid tandem fiet? haud dubie nebulonis illius inolebunt vitia, multiplicabuntur crimina; ac tandem in maximum tui, totiuſque familiæ opprobrium, omnibus illum vitiis obnoxium, plurimorum rerum ſcelerum, & forte patibulo, vel graviſſimis aliis ſuppliciis adjudicatum videbis.

Filiam habes, de cujus ſalute nulla cura tibi eſt; illam videre & videri ſinis; ſcis illam huic & illi juveni, pluſquam par eſt, & horis indebitis loqui, nec curas: immo forte placet tibi ut amet & ametur, ut oſcula minus honeſta, & alia quæ ſexum ejus dedecent, permittat: quid inde accidet? certe omnibus talia ſcientibus loquendi occaſionem dabit, actionum ejus fama undique ſe diffundet, quiſque quid de ea ſentiat dicet, & forſan! ſi ab inſtante præcipitio illam non eripias, in illud incidet, forte, cum minus cogitabis, annuntiabitur tibi gravidam eſſe, quam virginem credebas. Tunc ingemiſces plurimum: tunc omni qua poteris ſollicitudine graviditatem ejus celare contendes; mittes illam in locum ubi nota non ſit; obſtetrice uteris in arcanis continendis religioſiſſime; medicum ſolves, ut undequaque alio eam morbo laborare dicat. Sed tandem pariturit virgo tua, clamabit infans; audient vicini, aliquis ex adſtantibus myſterium revelabit, volabit undique puerperii rumor; ac tandem & filia tua, & tota familia, infamia & dedecore opprimentur. Unde hoc? ex defectu educationis. Si enim a principio filiam tuam prudenter monuiſſes, bonis moribus imbuiſſes, & debite corripuiſſes; hæc in tale ſcelus non recidiſſet, fœdis libidinibus hæc carnem ſuam non coinquinaſſet, & tu tanto nunc opprobrio non afficereris. Quare ſi tibi & bono tuo conſulas, filios bene educabis; quia ſcilicet, ſi eos bene non educaveris, in tuum totiuſque familiæ dedecus erunt: *ac etiam quia ſi eos bene non educaveris, temporalia tua bona profundent.*

2. Videmus enim quotidie filios, qui bona a parentibus multa cum ſollicitudine congregata abliguriunt, & diſſipant. Die ac nocte laboraverunt hi, ut in ſudore vultus ſui facultates filiis relinquendas compararent, plus de iis ditandis, quam de iis bene educandis ſolliciti fuerant, plus de fortunæ, quam de animæ bonis procurandis curaverant, ſed Deo ſic diſponente, vel permittente, filii illi male morati brevi profundunt, quæ multo tempore, magniſque laboribus parentes congregaverant, pauciſſimo tempore ludis, comeſſationibus, fœdis libidinibus, aliiſque prohibitis exceſſibus diſpergunt, quæ pater & mater parcimonia, vigiliis, & curis multis collegerant. Unde hoc? a mala utique educatione, quam a parentibus perceperunt. Si bonis inſtituti fuiſſent moribus, fortunæ bona a parentibus accepta non diſſipaſſent, quin potius, chriſtiane vivendo, majora comparaſſent. Sed quia non bene educati fuere, omnia profundunt, & ſe, & parentes ad egeſtatem redigunt; quare ſi ſibi ipſis, & bono ſuo parentes conſulant, filios debite educabunt, ne temporalium bonorum jacturam faciant. Sed & parentes, ſi bono ſuo conſulant, filios recte inſtituere debent: *quia ſi eos recte non inſtituant, hi filii male morati erunt quaſi parentum ſuorum carnifices, qui ob moleſtias quas eis inferent, præcocem ei mortem cauſabunt.*

3. Quot lacrymas fundunt, quot gemitus edunt parentes; cum aliquem ex filiis ſuis omni vitiorum generi deditum vident; quam magna illorum anxietas, cum ſe toto vitæ ſuæ tempore pro filio ingrato, ſceleroſo, & reprobo laboraſſe advertunt? quantus iis dolor cum iis annuntiatur, hunc perditionis filium nunc vino ſe ingurgitaſſe, nunc ſtupro vel adulterio ſe fœdaſſe, nunc homicidium, vel grave aliud ſcelus perpetraſſe? norunt parentes quanta in his caſibus ſit eis afflictio, & certum eſt eam tantam eſſe ut ſæpe eis mortem, aut ſaltem dolores ipſa morte graviores inferat. Sed quanto dolore quantoque mœrore efficiuntur parentes; cum filios habent ita impudentes, ut illos irrideant, ſubſannent, perſequantur, immo & nonnunquam percutiant? Tunc amare flent, tunc vociferantur, tunc eos pœnitet, quod filium non bene inſtituerint, tunc dicunt: ſi bonis moribus eum imbuiſſemus, jam noſter non eſſet carnifex, jam tanta non opprimeremur anxietate. Sed o quam ſera hæc parentum pœnitentia! ſi ſibi bene conſuluiſſent, filios debite educaſſent, & jam tot afflictionibus, totque anxietatibus non cruciarentur.

4. Urgentiſſimæ videntur hæ rationes, quibus parentes, ſi ſuo bono conſulant, ad filios recte educandos adduci debent. Sed aliam adhuc urgentiorem non tacebo, & dicam quod ſi parentes bono ſuo conſulant, filios bene inſtituere tenentur: quia ſi eorum educationi non vacent, omnium participes & rei fient criminum, quæ educationis defectu filii perpetrabunt, ut enim ait S. Ambroſius, *ad negligentiam patris refertur diſſolutio filiorum.*

Diogenes, ut refert Plutarchus, videns puerum intemperantius manducantem, Pœdagogo impegit colaphum, ut indicaret, magiſtrum eſſe eum & cauſam intemperantiæ diſcipuli ſui, eo quod illum non recte inſtituerit. *Plutarch. in mor. lib. de docenda virtute.* Parentes ſimiliter ſunt rei & cauſa criminum quæ filii ob malam educationem perpetrant.

Noſtis haud dubie, quod D. Bernardus & alii multi narrant de Romano quodam juvene, qui cum ob innumera flagitia extremo plectendus eſſet ſupplicio, antequam patibulo affigeretur, rogavit ut ultimum vale parenti dicere, eumque ſecreto paucis affari liceret. Acceſſit pater, quem cum filius, amoris cauſa, exoſculari velle ſimulaſſet, dentibus, naſum ejus apprehendit, & præcidit, moxque adverſus illum iratus, exclamavit: *Tu me pater ſuſpendis, tu me interficis: dum enim meam flagitioſam vitam non emendaſti, me in hanc contumelioſam mortem impuliſti. S. Bern. ſerm. 17. c. 5.* Sicut autem ſuorum criminum, ſuæque mortis patrem reum cenſuit hic juvenis, ita omnium criminum, quæ alii filii ob edu-

educationis defectum patrant, rei & cauſa cenſendi ſunt omnes parentes, qui natos recte inſtituere neglexerunt: *ad negligentiam patris refertur diſſolutio filiorum.*

Monet D. Paulus, ut ſi quis, qui matrimonio antea junctus fuerit, in Epiſcopum ſit eligendus, maxime cavendum, ut talis eligatur, qui filios probos & non criminoſos habeat, *filios habens fideles non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Ad Tit. c. 6.* Cujus rei rationem ſubdit, dicens, *oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Quæ ratio optima eſt, non enim ſine crimine eſt Epiſcopus, & quivis alius pater, qui ob ſui incuriam filios habet ſceleroſos, quia hujuſmodi parentes ſunt cauſa criminum quæ perpetrant filii, & omnia eorum ſcelera illis imputantur: *vitia filiorum parentibus imputantur. S. Hier. in cap. 6. epiſt. ad Epheſ.* O pater imprudens, audis filium tuum blaſphema verba proferentem, & non corripis? blaſphemiæ ejus tibi imputabuntur. O inſenſata mater, probe ſcis filiam tuam ſcurrilia verba non ægre audire, oſcula juvenibus non denegare, nunc cum iſto, & nunc cum illo nimis libere converſari, nec ideo illam corripere curas? ſcito, quod omnia ejus peccata tibi imputabuntur: *vitia filiorum parentibus imputantur.*

Si ſtatuæ a Phydia elaboratæ loqui potuiſſent omnia verba, ſive bona, ſive mala, quæ protuliſſent auctori, & factori earum imputata fuiſſent. O parentes! filii & filiæ veſtræ, ſunt quaſi ſtatuæ in manibus veſtris. Si ex iis faciatis Angelos, ſeu ſi bona inſtitutione eos pios & virtute præditos efficiatis, eorum merita participabitis. Sed ſi ex iis faciatis dæmones, ſeu ſi mala educatione in cauſa ſitis, quod vitiis ſe dedant, omnium participes eritis criminum, in quæ incident; quæ omnia vobis imputabuntur, ac de iis in tremendo Judicio rationem eſtis reddituri, *vitia filiorum parentibus imputantur.* Dum tu dormis, ſi debitæ educationis defectu peccent filii, tu dormiens in illis peccabis, ſi peccatis ſe inquinent, dum tu charitatis ergo Xenodochia luſtras, tunc tu in illis peccabis, & forte ob crimina quæ tunc perpetrabunt, æternis tu ſuppliciis adjudicaberis, quia filiorum peccata parentibus, qui eos non bene inſtituerunt, a Deo imputantur, & ut ait Chryſoſtomus; *ſi parentes educationis filiorum fundamenta neglexerint, graviſſimis ſuppliciis afficientur.* Quare, o parentes, filios veſtros recte educate, ut conſulatis bono veſtro, *ac etiam ut filiorum veſtrorum bono conſulatis.*

## SECUNDA PARS.

*Parentes debent filios ſuos bene educare, ut bono eorum conſulant.*

MUltiplici experientia conſtat, acceptos ab infantia mores raro immutari & plerumque uſque ad ſenectutem, & uſque ad mortem propagari. Natura enim tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, & ſicut vaſa odorem, quo primum fuerint imbuta, referunt, ſic juvenum animi quas primum formas imaginatione conceperint, nunquam aboleri ſinunt.

Quod de bonis & malis moribus, de bona & mala educatione veriſſimum eſſe comprobatur. Qui enim a pueritia bene inſtituti & bonis moribus imbuti fuere, uſque ad mortem in bonis actibus, & in chriſtianarum virtutum exercitio perſeverant, ut videre eſt in Tobia, qui *cum ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata ejus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei; ſed immobilis in Dei timore permanſit; agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ. Tob. 2. 13.* Hoc etiam adnotari poteſt in Eleazaro quodam ſene, qui cum a crudeli Tyranno, ab amicis adulantibus, & a diris quæ patiebatur ſuppliciis, ad divinam Legem violandam alliceretur, iis omnibus generoſe reſtitit, & Dei legem fideliter cuſtodivit, quia a puero bene inſtitutus fuerat: recogitans enim ſe a pueritia bonis moribus fuiſſe imbutum, reſpondit, ſe in infernum mitti malle, quam Dei legem violare. *2. Mach. 6. 23.* Sed unde tanta Suſannæ adverſus impuros ſenes conſtantia? unde tanta ejus in perferendis ſuppliciis generoſitas; niſi a bona educatione, quam a parentibus acceperat? ut enim ait ſacer Textus; *Parentes illius, cum eſſent juſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum Legem Moyſi. Dan. 13. 3.*

Quod de Tobia, de Eleazaro, & de Suſanna diximus, hoc & de aliis plurimis dici poſſet, quia ut omnes fatentur, pueri qui a prima ætate optimis diſciplinis imbuuntur, uſque ad mortem in via virtutis conſtanter incedere, & Deo ſervire ſolent. Sed etiam e contra, qui in adoleſcentia bonis moribus non imbuuntur, & in via iniquitatis incedunt, ab ea nunquam diſcedent, ſed uſque ad mortem in ea perſeverabunt, *adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Prov. 22. 6.* Verum eſt quod aliquando, ex his qui ab adoleſcentia vitiis adhæſerunt, nonnulli iis valedicant, & ad Deum convertantur; ſed communiter & fere ſemper, qui male educati & in vitiis enutriti ſunt, nunquam ab iis diſcedunt. Unde de impio dicitur: *oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Job 20. 11.*

Hoc ſerio perpendite parentes, & ſi filiorum bono conſulere velitis, eos ab adoleſcentia recte inſtituite, & bonis moribus imbuite quia ſcilicet, ſi ab infantia bonis moribus imbuantur, toto vitæ ſuæ tempore bene morati, & virtute præditi erunt; ſi autem a juventute ad vitia declinaverint, in vitiis conſeneſcent, & in vitiis morientur.

Magnum quidem & urgens hoc motivum, ut parentes ad recte inſtituendos pueros inducantur. Sed ſi filiorum bono conſulant, eos etiam bene educare debent, quia parentes qui filios male inſtituunt, & vitiis indulgere permittunt, eos: 1. interimunt: 2. dæmoni conſecrant: 3. ad infernum ducunt.

1. Parentes, qui filios bene inſtituunt, & bonis moribus imbuunt; eis alteram vitam dant, eoſque quos genuerunt, vita civili, & chriſtiana vivere faciunt, nec parum conferunt, ut a Deo illis gratiæ vita tribuatur. At cum illos male educant & vitiis adhærere ſinunt, eos interimunt, mortemque ſpiritualem animabus illorum inferunt. Unde hujuſmodi parentes ſanctus Bernardus, non parentes, ſed peremptores vocat dicens: *O patrem crudelem! o ſævam matrem! o parentes crudeles & impios; immo non parentes, ſed peremptores! D. Bern. epiſt. 3.* Credis, pater, te vero amore filium proſequi, quia multis eum

eum blanditiis permulces, eumque licentiori vitæ indulgere permittis? At ſic eum amare, non eſt amare, ſed illius animæ mortem inferre. Credis, mater, te filiam plurimum diligere, quia in omnibus ei placere ſtudes, eamque vanitatibus, & illicitis voluptatibus adhærere ſinis? At ſic filiam diligere, non eſt diligere, ſed potius ſpiritualiter interimere.

O parentes, qui ſic filios & filias amatis, non parentes, ſed peremptores eorum eſtis, quia animas illorum ſpiritualiter perimitis: *non parentes, ſed peremptores*. Quare ſi bono filiorum conſulatis, illos debite inſtituetis: quia qui filios non bene educant, eos interimunt; *ac etiam illos dæmoni conſecrant*.

2. Nonnulli olim erant idolatræ, qui filios dæmoni in ſacrificium offerre conſueverant: *immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis*. *Pſ.* 105. 37. En quid faciunt parentes, qui filios non bene inſtituunt, nec bonis moribus imbuunt. Cum eos ab infantia recte erudiunt, & debite educant, Deo illos educant; ſed cum illos nec corripiunt, nec erudiunt, nec bonis diſciplinis imbuunt, dæmoni illos conſecrant. Et ideo D. Paulus ait, eos infidelibus eſſe deteriores, qui filiorum, & omnium domeſticorum recte educandorum curam non habent: *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. 1. *Tim.* 5. 8. Hi ſunt infidelibus deteriores: quia infideles & gentiles idolis & dæmonibus bruta ſolummodo offerre ſoliti ſunt; parentes vero qui filios non recte inſtituunt, eos dæmonibus immolant: *immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis*. Videte, quantum interſit filiorum, ut a parentibus bene educentur: ſed eorum etiam plurimum intereſt, quia parentes qui filios non bene inſtituunt, *ad infernum eos ducunt*.

3. Anna, Samuelis mater, filium a primis annis bene educare, & Deo offerre ſollicita fuit: non dixit, ut præclare adnotat Chryſoſtomus, non, inquam, dixit: expectabo donec creſcat puer, ut rebus mundanis utatur, ut paululum puerili ætati immoretur: ſed relictis his omnibus, *unum dumtaxat intendis, quomodo ſtatim ab ipſis vitæ exordiis ſpiritualem imagunculam Deo figendam offerret*. *Chryſoſt. hom.* 2. *in Epiſt. ad Epiph.* Omnes ſimiliter parentes, ſuos ab infantia filios bene inſtituere, & Deo offerre debent: qui enim eos a teneris annis bene inſtituunt, gratum Deo ſacrificium offerunt, & ipſos ne in infernum cadant, tuentur: *tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis*. *Prov.* 23. 14. Sed contra etiam, parentes hi qui filios malis vitæ inſtitutis imbuunt, in infernum eos ducunt & præcipitant.

Quod præclare docuit S. Chryſoſtomus, dicens, parentes illos qui liberos male inſtituunt, parricidis eſſe ſæviores: *Hos ergo patres parricidis ipſis immaniores dixerim*. Cujus rei hanc dat rationem: *quia illi corpus ab anima ſeparant, iſti & corpus & animam æternis ignibus tradunt*. O patres & matres, qui filios genuiſtis: quamdiu parvi ſunt, cæco, ſtulto, & carnali eos amore proſequimini; omnia quæ faciunt, ſive bona illa ſint, ſive mala, approbatis, & laudatis; non eos corripitis cum in Deum blaſphemant, & alia peccata perpetrant, virga & flagellis eos a pædagogis percuti ægre patimini; inde fiunt ad vitia audaciores, & ad quæcumque peccata procliviores; deinde, peccandi conſuetudine, pravos contrahunt habitus, & ita in peccatis indurantur, ut vix emendari valeant: quia *citius frangas, quam corrigas quæ in pravum obduruerunt*. *Quintilianus lib.* 1. *Inſtit. c.* 3. Quid ergo fiet de pueris illis quos parentes male educarunt? in infernum haud dubie præcipitabuntur: & ideo æternum damnati erunt quia a parentibus male fuere inſtituti: *illi & corpus & animam filiorum æternis ignibus tradunt*.

Horrendum eſt quod narrat ſanctus Gregorius de puero quinquenni, blaſphemiis aſſueto, qui cum quadam die inter patris amplexus blaſphemias proferret, ſubito in gehennam a dæmonibus fuit abreptus. Et ut advertit ſanctus Pontifex, non ſine ſpeciali Dei providentia puer ille jamjam moriturus, & in infernum præcipitandus, blaſphemias iteravit: *quatenus reatum ſuum pater ejus agnoſceret, qui parvuli filii animam negligens, non parvulum peccatorem gehennæ ignibus nutriſſet*. *S. Greg. lib.* 4. *Dial. cap.* 18.

Ecce quo ducuntur filii, qui a parentibus male educantur: ducuntur in infernum, ubi de patre & matre, a quibus male fuere inſtituti, in æternum conquerentur: *de patre impio queruntur filii; quoniam propter illum ſunt in opprobrio*. *Eccli.* 41. 23. O quot & quantæ filiorum, in inferno patientium, ſunt querelæ adverſus parentes, a quibus non fuere bonis moribus imbuti! Si ad hanc regionem tenebrarum accedere liceret, ibi audiremus innumeros filios, qui parentes deteſtantur, & qui clamantes, ajunt: o maledicte pater, in æternum ſis maledictus, quia nimia tua indulgentia, negligentia tua, & inordinato in me amore peccavi, & inferni vias mihi aperuiſti. Ibi innumeras videremus & audiremus filias, quæ de matribus querentes, dicunt: o mater crudelis, ſeu potius ſæviſſima noverca, tu meorum es cauſa cruciatuum, & in æternum cruciabor: quia in tempore de educatione mea parum fuiſti ſollicita: docuiſti me quæ mundi & vanitatis, non quæ Dei & ſalutis meæ erant: ſuaſiſti ut domos adirem, ubi celebres choreæ fiebant, & non ut ad Templa Deo ſacra, auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium auditura, me conferrem: placebat tibi quod hominibus placerem, quod ornata ut ſimilitudo Templi incederem, quodque vanitatibus & turpi otio totum fere vitæ meæ tempus inſumerem; librorum, ad pudicitiæ corruptionem idoneorum, lectioni me incumbere facile patiebaris; cum ad mala declinabam, me non corripiebas, & tandem ad hunc locum tormentorum veni, quo me duxiſti, quia male me educaſti.

Sic ſic filii & filiæ in inferno queruntur de parentibus, a quibus male fuere inſtituti. Sic de iis conqueruntur, & jure merito, quia ſunt in cauſa quod in inferno cruciantur. Quare, o patres & matres, ne in filios veſtros ſitis crudeles, ſed ut in bona eorum conſulatis, eos bene educate. At parentes debent etiam filios bene inſtituere, *ut Reipublicæ bono conſulant*.

TER-

## TERTIA PARS.

*Parentes debent filios ſuos bene educare, ut Reipublicæ bono conſulant.*

FIlios Clemens Alexandrinus vocat *matrimonii flores. Clemen. Alexand. lib. 2. Pædag. c. 8.* eoſque D. Hieronymus roſis & liliis ſimiles eſſe dicit. Et recte quidem, quia ſicut roſæ, lilia, & alii flores diligentem cuſtodiam requirunt, ne defluant, aut marceſcant; ita & filii magna cura & ſollicitudine educandi & cuſtodiendi, ne in pravos mores dilabantur.

Hanc curam aſſumere tenentur parentes, non ſolum ob ſuum & filiorum; ſed etiam ob publicum bonum, quia omne Reipublicæ bonum ex bona, & omne malum ex mala filiorum educatione pendet & procedit.

Felix illa Civitas; felix Regnum; felix Reſpublica, in qua parentes educationi filiorum vacant, eoſque bonis inſtitutis imbuere conantur: bona enim filiorum inſtitutio dat Reipublicæ Sacerdotes pios ut illam ſanctificent, Magiſtratus prudentes ut illam regant, mercatores peritos ut illam ditent, & milites generoſos ut illam tueantur. Per bonam filiorum educationem quælibet Reſpublica viris doctrina, pietate & æquitate illuſtribus fulget; bona tandem filiorum inſtitutione familiæ & urbes viris replentur, qui convivunt ſine Dei offenſa, qui populos regere norunt ſine injuſtitia, & qui in omni caſu ſe pios, prudentes & beneficos exhibent. *Hier. ep. 9. ad Salvin.*

Eccleſia ſancta Dei, quæ eſt Reſpublica bene conſtituta, hæc & alia, quæ a debita filiorum inſtitutione manant, bona agnoſcens, omni tempore de juventute recte inſtituenda fuit ſollicita. Et ideo ante Chriſti adventum multa fuiſſe legimus Prophetarum Collegia, multaſque doctrinæ domos, in quibus bonæ ſpei juvenes ſub illuſtribus Præceptoribus, Samuele, Elia, Eliſæo, & ſimilibus proficerent ad pietatem. Ideo etiam poſt Chriſti adventum apud Catholicos, ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ordinatione, tot ad juvenum educationem Academiæ, tot Collegia, tot Seminaria eriguntur. *Barrad. tom. 1. l. 5. c. 23.* Concilium Moguntinum ſub Carolo Magno Imperatore, Toletanum primum & quartum, nec non alia plurima ex antiquis Conciliis, & noviſſime ſacrum Tridentinum Concilium, multa ad debitam juvenum educationem ordinarunt. *Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de reform.* Sua Seminaria habere ſolent ſingulæ Diœceſes, ubi educantur Clerici ad Ordines promovendi, in Religionibus nullus ſolemnia emittit vota, qui prius in novitiatu non fuerit inſtitutus, nulla tandem Urbs, nulla Reſpublica bene ordinata, quæ Scholas & Academias non erigat, & quæ præceptores ad juventutem recte educandam idoneos non advocet: quia omnibus notum eſt, omne Reipublicæ bonum ex debita puerorum educatione pendere.

Sed dicamus etiam, omne Reipublicæ malum ex defectu inſtitutionis, vel ex prava puerorum educatione manare. Si enim fiunt ſacrilegia in Templo, injuſtitiæ in foro, & fraudes in commercio, ſi tot in urbibus & pagis ſint ebrioſi, luxurioſi, blaſphemi, & aliis multis vitiis dediti, hoc ex mala puerorum educatione procedit, quia mores in pueritia nati plerumque ad ſenectutem propagantur. Unde omne fere Reipublicæ malum a mala puerorum inſtitutione procedit, & illa Reſpublica ſtare nequit, ſuæque ruinæ eſt proxima, in qua de puerorum educatione nulla eſt cura.

Quod ex Iſaiæ Prophetæ verbis inferre non erit difficile. Hic etenim integram Reipublicæ Hebrææ ruinam oſtenſurus, ait: *ubi eſt litteratus? ubi Legis verba ponderans? ubi Doctor parvulorum? Iſa. 33. 18.* Quaſi dicat; de Republica Hebræorum actum eſt, quia in ea non ſunt Doctores, & juventutis inſtructores. Quod autem de Hebræorum Republica dixit Iſaias, hoc & de qualibet alia Republica dicendum, omne enim cujuslibet Reipublicæ malum ex defectu inſtitutionis puerorum oritur: & omnis Reſpublica, in qua pueri male educantur, ruinæ ſuæ proxima eſt.

Verum eſt, quod, ut ait Ariſtoteles, pueri non ſint Reipublicæ membra: quia ad dignitates exercendas non vocantur, & ad obeunda publica munera non aſſumuntur. Sed pueri non ſemper in pueritiæ ſtatu remanent: qui enim jam ſunt pueri, futuri ſunt aliquando homines, & Reipublicæ membra: qui jam ambulant ut parvuli, & ſapiunt ut parvuli, ad provectam ætatem aliquando venient; & ex iis unus erit Prælatus, alius Parochus; iſte Judex, ille Senator, & ille Prætor. Si autem male educati fuerint, qui ad prælaturam ſublimabitur, erit otioſus vel ambitioſus; qui fiet Parochus, erit avarus aut luxurioſus: qui Judicis fungetur officio, erit crudelis aut iniquus; qui Senatorem aget, integritate & æquitate carebit; & ſic omnis perturbabitur Reipublicæ ordo, ſeu potius, in ea nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitabit.

Ex unius Juliani Apoſtatæ adhuc juvenis mala educatione, Romanæ Reipublicæ perniciem prophetavit ſanctus Gregorius Nazianzenus. Cum enim ſanctus Antiſtes, Athenis commoratus, Julianum adhuc puerum vidiſſet inconſtantem, crudelem, vitiis multis deditum & male moratum; ſtatim non ex divina revelatione, ſed ex mala pueri hujus educatione prophetavit, magnum malum Romanæ Reipublicæ imminere, *quale malum Romanorum terra nutrit! Gregor. Nazianz. orat. 2. contra Julian.* Heu! ſi ex pravis unius pueri male inſtituti moribus Romanæ Reipublicæ excidium prophetavit vir ſanctus: quid dicendum de qualibet alia Republica, in qua non unicus, ſed quamplurimi ſunt pueri male inſtituti? certe dicendum quod hujuſmodi pueri futuri ſint urbium & totius Reipublicæ peſtes; quodque magna mala hujuſmodi Reſpublicæ nutriant, a quibus ipſæ vaſtabuntur, invertentur, ac totaliter deſtruentur; quare parentes, ut bono publico conſulant, filios educare, & bonis inſtitutis imbuere debent.

O patres, o matres, *educate filios veſtros in diſciplina & correptione Domini. Epheſ. 6.* Educate illos, dando eis eximia ſanctitatis & omnium virtutum exempla: educate, erudiendo illos in doctrina ſana, & docendo eos viam ſalutis: educate, corripiendo illos cum a virtutis ſemita deficiunt, & ad peccata declinant; educate, injungendo illis aliqua opera & exercitamenta ad bonos mores fovendos & augendos apprime idonea. Sic ergo filios educare debetis ob veſtrum, illorum, & reipublicæ bonum.

Sed ut labores veſtri non ſint inutiles & ſine fructu, a teneris annis bonam hanc illorum inſtitutionem

ſuſci-

ſuſcipite. *Educatio*, inquit Moralis Philoſophus, *maximam diligentiam deſiderat; facile eſt enim teneros adhuc annos componere. Seneca l. 2. de nat.* Si pueros erudire, corripere, & bene inſtituere diſtuleris, quouſque grandiores natu erunt, correptionibus a te factis, & inſtitutis a te datis non proficient; ſed te tuaque monita & præcepta irridebunt. Quare a primis eos annis bene educare incipe; maximam ex tunc diligentiam adhibe; quia *facile eſt teneros adhuc annos componere.*

Sicut ſigillum molli ceræ facile imprimitur; Ita & puerorum ingenia ſunt veluti cera mollis, cui facile quæ voles, bonæ educationis documenta exarabis: *teneri puerorum animi ſunt inſtar ceræ, in qua facilius imagines exprimuntur. S. Baſil. in reg. fuſius diſput. inter. 5.* Quare non expectes dum hæc obdureſcat cera; non expectes donec creverint, & grandes facti ſint filii tui; ſed a tenerioribus annis, & ut primum rationis compotes eſſe incipiunt, prima eos pietatis doce elementa; ex tunc erudi illos, mone illos, & illos vel in minimo mentiri; vel minimum, te præſente, verbum charitati contrarium proferre. Argue illos cum leviſſimis quibuſque juramentis ſe dedunt; horrorem peccati eis ingere, eiſque virtutis amorem infundo. Fac ut mane & ſero precibus, tunc fieri ſolitis, ſedulo incumbant: Sacroſancto Miſſæ ſacrificio ſingulis diebus, quantum fas erit, eos adſtare cura; in templo modeſtos eſſe, ac frequenter peccata confiteri ſatage. Hæc & alia his ſimilia trade vitæ chriſtianæ inſtituta, quibus eos a vitiis avertes, tibique gratiam in hoc mundo & æternam in cælo gloriam conciliabis. *Amen.*

## FERIA VI.

## POST DOMINICAM PRIMAM.

# DE HUJUS VITÆ VANITATE.

*Jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* Joannis 5. 3.

EX omnibus hujus mundi bonis, nullum ſane ardentius amatur quam vita, quantumvis miſera, ærumnoſa, multiſque periculis referta appareat. Scimus in hoc mundo magnam jacere cæcorum, claudorum, aridorum, & omnis generis infirmorum multitudinem; nos non latent miſeriæ & pericula, quæ undique nos circumdant; mala plurima patimur, dolores multos portamus, afflictionibus quandoque obruimur; inter has tamen calamitates & miſerias, vitam prorogare, ac diutius vivere ſemper cupimus; & ut ait Sanctus Chryſoſtomus, *nihil nobis ſuavius, quam non mori. Chryſ. hom. 46. ad pop.*

In hunc mortalis vitæ affectum invehi, nunc mei non eſt animi; hæc eſt innata cuique propenſio, quæ mala eſſe non poteſt, ſi nimia, & inordinata non ſit, & ſi æternæ vitæ affectum in nobis non reſtinguat; vitam enim hanc mortalem amare malum non eſt; ſed eam nimis & inordinate amare, hoc malum eſt. Quare ut nimium vitæ amorem temperare valeam, utque homines ad hanc vitam remiſſius amandam inducam; quid ſit vita noſtra mortalis, ingenue & ſincere proponere & explicare conabor, &c. *Ave.*

QUid ſit humana vita, varii varie explicant. Multi, ut in divinæ Sapientiæ Libro legimus, eam ludum puerilem eſſe ſenſerunt; *æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram. Sap. 15. 12.* Sanctiſſimus Propheta Job eam nihil aliud eſſe ait, quam militiam continuam; quia in hoc mundo adverſus carnis illecebras, mundi fraudes, & tartareas poteſtates indeſinenter pugnare debemus; *militia eſt vita hominis ſuper terram. Job 7. 1.* Vita noſtra, inquit idem Propheta, nil aliud eſt quam ventus levis, qui velociſſime tranſit: *ventus eſt vita mea. Job 7. 7.* Si credamus S. Jacobo Apoſtolo, vita noſtra eſt vapor exiguus qui faciliime reſolvitur & diſſipatur: *Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens. Jacob 4. 15.*

Hæ omnes vitæ humanæ deſcriptiones, vanitatem ejus mirifice explicant, hominesque ad ejus contemptum non parum alliciunt. Sed ut ad eam minus amandam, magiſque contemnendam illos fortius pertraham; dicam, quod vita noſtra: 1. ſomnium eſt; 2. comœdia eſt; 3. peregrinatio eſt. Vita noſtra *ſomnium eſt*: quare non æſtimanda. Vita noſtra *comœdia eſt*: quare non amanda. Vita noſtra *peregrinatio eſt*: quare contemnenda. Vita noſtra eſt ſomnium, comœdia, & peregrinatio: en tres hujus Concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Vita noſtra ſomnium eſt.*

COrporis pulchritudinem, ſanitatem & robur, non veras res, ſed vera ſomnia eſſe aſſerit Philo Judæus; (quid, inquit, res corporis? nonne ſomnia ſunt? nonne pulchritudo momentanea? pene prius marceſcit, quam floreat? ſanitas incerta, nonne infirmitatibus obnoxia? nonne robur expugnabile per occaſiones plurimas? nonne ſenſuum integritas humoribus vitioſis facile corrumpitur? *Philo libr. de Joſeph.*) Quid ergo hæc omnia, quæ tam facile corrumpuntur, quæ tam cito tranſeunt & pereunt? *nonne ſomnia ſunt?*

Sed ſi quæ ad corpus ſpectant, ſomnia ſint, quia mutationi obnoxia; per eandem rationem, inquit præfatus Auctor, non minus ſomnia dicenda ſunt omnia bona externa, quæ tanti facimus. Scimus enim, quod ingentes opes ſæpe una dies abſtulit; multi honoratiſſimi, anteverſis rerum vicibus, in contemptum venerunt cum ignominia: Imperia Regum maxima brevi temporis momento ſubverſa ſunt. Fidem verbis meis aſtruit Dionyſius in Corintho. Crœſus Rex Lydiæ, qui non modo proprium regnum amiſit, ſed vivus in poteſtatem hoſtium redactus, minimum abfuit quin exureretur. Teſtantur de hujuſmodi ſomniis, non ſingulares tantum, ſed Civitates, Gentes, Regiones, Græcia, Barbaria, Inſularum incolæ, Europa, Aſia, Oriens, Occidens; quid enim uſque nunc permanet ſui ſimile? *Ubi ſup.*) hæc omnia quaſi ſomnia ſunt; quia non ſecus ac ſomnia, continuis mutationibus, & viciſſitudinibus obnoxia ſunt.

Sed

Sed quid de vita noſtra dicet jam laudatus Auctor? eamne ſomnium dicet? eam ſomnium & vigilantium ſomnium vocat. Somnia a dormientibus fiunt; ſomnium enim eſt phantaſma in ſomno factum, id eſt, apparitio phantaſtica in ſomno facta; vita autem noſtra, ait Philo, non dormientium, ſed vigilantium eſt ſomnium; *vigilantium, non dormientium ſomnium, ne quid mentiar, eſt vita hominum. Ibid.*

Non ſolum aſſerit, ſed etiam perfecte probat Judæus ille Auctor, ſomnium eſſe vitam noſtram; variaſque ad probandum rationes adducit; quarum prima hæc eſt. Quia ſicut *in ſomniorum viſionibus, videntes non videmus; audientes non audimus; guſtantes, aut tangentes, nec guſtamus, nec tangimus; loquentes non loquimur; deambulantes non deambulamus: Ibid.* ita & toto vitæ hujus mortalis tempore, tam imperfecte videmus, audimus, loquimur, cognoſcimus, & ratiocinamur, ut quaſi videntes non videamus, audientes non audiamus, loquentes non loquamur, cognoſcentes non cognoſcamus, & ratiocinantes non ratiocinemur. Quod ut quam verum ſit, pareat: quid, quæſo, ſunt viſiones, cognitiones, & ratiocinationes noſtræ, ſi eas cum viſionibus, cognitionibus, & ratiocinationibus Angelorum conferamus? Cæleſtes quidem illi Spiritus ita perfecte vident, cognoſcunt, ratiocinantur, ut nos, reſpectu eorum, quaſi ſomniemus, ac videntes non videamus, cognoſcentes non cognoſcamus, ratiocinantes non ratiocinemur: ac proinde vita noſtra quaſi ſomnium: *vigilantium, non dormientium ſomnium eſt vita hominum.*

Eandem rationem latius proſequitur Philo, dicens, vitam noſtram eſſe quaſi ſomnium; quia ſicut in ſomniis res perfecte non comprehendimus; ſed in iis ratio noſtra ſic turbida, ſic confuſa, ut cæcutiens caliginem patiatur, & vertiginem; ita & toto vitæ noſtræ tempore, *tamquam altum dormientes, erramus, non valentes, quidquam ratiocinatione vel penetrare, vel certo comprehendere, quando cuncta umbris ſpectriſque ſunt ſimilia. Ibid.* O qualem vitam! quæ ſomnium potius quam vita dicenda eſt.

Quod & alia ratione probat Judæus, dicens, quod, ſicut ſomnia vix inceperunt cum abeunt, ipſumque eorum incipere, eſt deſinere: ita & vita noſtra per varias ætates diſtributa, una ex his alteram interimit, ac ſemper earum eſt continua mutatio, & fit ex una in aliam continuus tranſitus; unde nil in ea firmum apprehendimus, non ſecus ac ſi ſomniaremus. *Qui eſt ætate provectior, is fuit aliquando infans, mox puer, deinde pubens, deinde adoleſcens, poſtea juvenis, poſtea vir, poſtremo ſenex; ſed non ſimul omnia; nonne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adoleſcenti, adoleſcens juveni, juvenis viro, vir ſeni, ſenex morti? & fortaſſe ſingulæ ætates decedendo præmoriuntur. ibid.* Hæc omnia tam cito tranſeunt, tamque inſtabilia ſunt, ut tota vita noſtra quaſi ſomnium ſit: *vigilantium, non dormientium ſomnium, ne quid mentiar, eſt vita hominum.*

Fabulam & ſomnium eſſe vitam noſtram aſſerit Chryſoſtomus: *fabula quædam, & ſomnium eſt vita noſtra. Chryſ. hom. 55. ad Pop.* Cur ſomnium vocat vitam hanc, quam tanti facimus, quam tanto amore proſequimur, quamque ut ſervemus, crudeles facile inciſiones patimur, & amaras quaſque potiones libenter haurimus? ſomnium, inquit, eſt vita noſtra; quia *ſicut omnia coruſcante luce avolant ſomnia; ita nunc quoque veniente morte, omnia diſſolvuntur & evaneſcunt.*

Experientia comperrum eſt, quod nonnunquam ſomniamus, multarum nos divitiarum eſſe dominos, ampliſſimo quodam nos potiri regno, magniſque honoribus perfrui. Quamdiu hoc durat ſomnium, gaudemus interius, quaſi hæc omnia veriſſima eſſent; cum autem a ſomno excitamur, hæc omnia evaneſcunt, eaque non niſi ſomnia extitiſſe cognoſcimus. En veram totius vitæ ideam, quæ nil aliud eſt quam ſomnium phantaſticum: *ſomnium eſt vita noſtra.* Qui enim ſummi Pontifices, Imperatores, Reges & Principes in hoc mundo fuerunt, cum inſtante mortis tempore, præterita inſpiciunt, & ad dignitates, quas poſſederunt, mentem & oculos convertunt, ea omnia veluti vigilantium ſomnia extitiſſe agnoſcunt; *quia ſicut omnia coruſcante luce avolant ſomnia; ita nunc quoque veniente morte, omnia diſſolvuntur, & evaneſcunt.*

Cum quis dormiens ſomniat, ſe theſaurum inveniſſe, tamdiu ſe divitem æſtimat quamdiu illud ſomnium perſeverat; ſed cum evigilat, ſtatim dives eſſe deſinit; huncque theſaurum, & has divitias, quarum ſe poſſeſſorem & dominum arbitrabatur, imaginarias, & verum ſomnium extitiſſe cognoſcit. Somnium eum divitem faciebat, & evigilatio illum pauperem efficit! *Qui videt per ſomnium inveniſſe ſe theſauros; tamdiu dives, quamdiu non evigilat. Somnium illum divitem fecit, evigilatio pauperem fecit. Auguſt. in Pſal. 35.* O jucundum ſomnium, quo durante, homo dives! O amara vigilia, qua veniente, homo ex divite pauperrimus evadit! En veram vitæ noſtræ imaginem: *ſomnium enim vita noſtra eſt*, in qua qui ſe divites & potentes eſſe arbitrantur, quaſi ſomniant. Unde cum in morte evigilant, quaſi a ſomno & ſomnio excitati, ita ſe pauperes & inopes eſſe experiuntur, ut nil in manibus ſuis inveniant: *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Pſal. 75. 6.*

Quis Salomone ſapientior? quis eo ditior? quis honoratior & potentior fuit? cum tamen Regiæ majeſtatis, qua potitus eſt, meminit, de ea veluti de ſomnio loquitur: *ego*, inquit, *Rex fui Iſrael in Jeruſalem. Eccleſ. 1. 12.* Non dicit, Rex jam ſum, ſed *Rex fui*; quaſi tunc Rex non eſſet. Latini de mortuo qui modo non eſt, dicunt, *fuit; vixit*; at Salomon, cum hæc verba protulit, Rex erat, & Rex uſque ad vitæ finem permanſit: ut quid ergo ait, *Rex fui*, quaſi tunc Rex non eſſet? reſpondet Hugo a ſancto Victore, ſic explicando hæc Salomonis verba, *Rex fui, jam non ſum; quia etſi ſum, idipſum jam nil eſſe agnoſco, quod ſum. Hugo hom. 5. in Eccl.* Quaſi dicat; *fui Rex*; quia a mundi pompis, & terrena gloria inebriatus, perſuaſi mihi, & quaſi ſomniavi in regno quid magnum, quid ſolidum, quid permanens, ac corda hominum quietans & beans inveniri; ſed jam Rex non ſum, quia cæleſti favore adjutus a ſomno meo quaſi excitatus & expergefactus agnoſco, omnia regna, omnem mundi gloriam, & ipſam hominis vitam, nil niſi ſomnia eſſe; *ſomnium eſt vita noſtra.*

Sed

Sed ut non ſolum ab extraneis teſtimonium inquiramus, unumquemque hominum qui in hoc mundo vixerunt, & qui in eo adhuc vivunt, compello. Dicant omnes, quid de vita ſua ſentiant? dicat ſummus Pontifex, dicat Imperator, dicant quotquot in hoc mundo ſunt, quid præteritum omne vitæ ſuæ tempus eſſe arbitrentur? Certe, ſi ſincere loquantur, & præteritum omne vitæ ſuæ tempus, & omnia quæ toto vitæ ſuæ tempore cogitarunt, dixerunt vel fecerunt, vera ſomnia fuiſſe, & veluti ſomnia avolaſſe fatebuntur.

Inter Reges potentiſſimus, & inter ſapientes ſapientiſſimus Salomon, cui nihil deliciarum & honoris defuiſſe conſtat, cum ad præteritum omne vitæ ſuæ tempus animum convertebat; nihil in ea niſi vanitatem, inanitatem, ſomnia, & quaſi nihilum videbat; *vanitas vanitatum*, inquit, *& omnia vanitas*; *Eccleſ. 1. 3.* vel ut alia verſio habet; *inanitas inanitatum*; vel ut alii legunt; *nihilum nihil, & omnia nihil*. Dic tu; *ſomnia ſomniorum, & omnia ſomnia*; quia ſi totum quod vitæ noſtræ præteriit, tempus ſerio inſpiciamus, nil in ea niſi ſomnia, & quaſi nihilum videbimus; *ſomnium eſt vita noſtra*.

O qualem vitam! ſeu potius, o quale ſomnium! ſed o quam imprudentes, qui phantaſticam hanc vitam tanto affectu diligunt, quam inſipientes qui eam non faſtidiunt, ut ad æternam anhelent! quam ſtulti qui ea non utuntur, ut veram, felicem & ſempiternam Beatorum vitam conſequantur! *Vileſcat mundus*, inquit S. Auguſtinus, *ametur a quo factus eſt mundus. Aug. ſerm. 3. de Pent.* Dico ſimiliter; vileſcat hæc vita, & ametur æterna vita. Vileſcat hæc vita, quia *ſomnium eſt*; ſed vileſcat etiam hæc vita, quia *comœdia eſt*.

## SECUNDA PARS.

*Vita noſtra, comœdia eſt.*

HUmana vita, magna quædam eſt comœdia, quæ a mundi primordio uſque ad ejus finem repræſentari non deſinit; *ſcena quædam eſt vita noſtra. Chryſoſt. hom. 15. in Epiſt. ad Hebr.* Hujus comœdiæ theatrum eſt totus terrarum orbis; actores vero ſunt, Imperatores, Reges, Principes, Judices, mercatores, domini & ſervi, divites, & mendici, ſenes & pueri, ſapientes & ſtulti, peccatores, & juſti, ac cuncti penitus mortales, qui omnes in hunc mundum velut in ampliſſimum theatrum ingrediuntur, & ab eo velut a theatro diſcedunt: *unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. Sap. 7. 6.* Hujus tandem comœdiæ ſpectatores ſunt Deus & Angeli, qui diebus & noctibus nos omneſque actus noſtros proſpiciunt.

In comœdia variæ induci ſolent perſonæ; alii enim Regis, alii militis, alii agricolarum, alii opificum perſonam, dum agitur fabula, ſuſtinent; qua peracta, tota illa perſonarum varietas finitur, omneſque priſtinam ſpeciem, atque habitum reſumunt; nec quiſque laudatur, vel præmiatur juxta perſonam quam geſſit, ſed juxta modum quo perſonam ſuam geſſit. Vita autem noſtra eſt ſimiliter magna comœdia; & ut loquitur Sanctus Chryſoſtomus, *non eſt theatralibus ſcenis vita noſtra diſſimilis. Nam ut illic ille Imperatoris, ille Judicis, alter militis implet officium, ubi autem nox conſecuta fuerit, nec Imperator agnoſcitur Imperator; nec Judex, qui fuerat Judex, videtur; nec miles, qui fuit miles: ita unuſquiſque noſtrum in futuro ſæculo, non de perſonis, ſed de rebus, atque de actibus competentem accipiet dignitatem. Chryſoſt. homil. 21. ad Europ.*

In comœdia perſonam ſuam non quiſque eligere, ſed eam acceptare, & ſuſtinere debet, quam magiſter dederit; experti enim magiſtri eſt agnoſcere ad quid quilibet actor ſit idoneus, & quæ cuique perſona conveniat. Unde, ut ait Epictetus, non eſt cujuslibet, perſonam quæ ipſi placuerit ſuſcipere; ſed eam, quam magiſter probaverit, accipere & gerere quiſque debet. *Si magiſter mendicum agere te voluerit, fac, eam quoque perſonam ingenioſe repræſentes; ita ſi claudum, ſi Principem, ſi plebejum, hoc enim tuum eſt, datam perſonam bene effingere; eam autem eligere, alterius. Epictet. c. 23.* In magna ſimiliter humanæ vitæ comœdia, non quiſque perſonam ſuam eligere debet, ſed eam agere, quam Deus voluerit, *obſecro vos*, inquit Divus Paulus, *ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. Epheſ. 4. 1.* Quaſi dicat, obſecro vos, ut hanc perſonam agatis, quam Deus voluerit: Vult Deus, ut in hoc mundo, viri religioſi perſonam geras, hanc gere; vult ut Judicis, Prædicatoris, vel Prælati perſonam ſuſtineas, hanc ſuſtine; vult ut partes agas Epiſcopi, Abbatis, Parochi, vel viri Conſularis, has age; ambula vocatione qua vocatus es, & perſonam gere, quam Deus voluerit. Sicut in muſica eſſet diſcordia magna, ſi baſſus vellet ſuperiorem canere, ita & in vita humana ſumma eſſet confuſio, ſi quis perſonam a Deo ſibi datam nollet agere, ſed aliam; ſumma eſſet deordinatio, ſi Religioſus, non Religioſi, ſed Ducis exercituum, ſi Prælatus, non Prælati, ſed militis; & ſi quilibet non perſonam ad quam a Deo electus eſt, ſed aliam gerere vellet. Quare ambula vocatione qua vocatus es, & in vitæ humanæ comœdia, quam tibi Deus dederit, *fac, eam quoque perſonam ingenioſe repræſentes.*

Non ſatis eſt, quod in comœdia quiſque perſonam agat, quam magiſter voluerit; ſed illam recte & perfecte agere debet; ſpectatores enim non attendunt, an quis Pontificis, Imperatoris, Legati, vel medici perſonam agat; ſed quam bene quiſque agat perſonam quam ſuſtinendam ſuſcepit: quo fit, ut qui in comœdia partes ruſtici agit, ſæpe plauſum præ Rege referat, & ut qui morionis perſonam gerit, ſæpe Imperatorem exſuperet. Quod autem in aliis comœdiis, hoc idem in humanæ vitæ comœdia accidit; in iſta enim Deus, ut ſummus & prudens magiſter, ſuas cuique partes diſtribuit; huic Regis, illi militis; huic Monachi, illi Judicis partes ſuſtinendas dat, & hoc ſolum exigit, ut quiſque ſtrenue & perfecte partes ſuas agat. Quare a Deo tibi datam perſonam ſuſtine, & hanc, quantum potueris, perfecte age. *Si Judex es*, ad munera ne reſpicias, ad dexteram vel ad ſiniſtram ne declines, ſed jus cujuſque tuere. *Si Medicus es*, diu noctuque ægrotantibus, etiam pauperibus, ex charitatis affectu ſubveni. *Si Advocatus*, cauſas pupillorum & viduarum non protrahas, non negligas, ſed omnibus patrocinare. *Si æger es, aut ſanus*, ægroti, aut ſani perſonam bene age; quia non quam perſonam agas, ſed quam bene illam agas, intereſt: *quomodo fabula,*

Digitized by Google

*la, ſit vita, non quandiu, ſed quam bene acta ſit, refert. Seneca ep. 77.*

Multum quidem intereſt, ut in humanæ vitæ comœdia quiſque non ſegniter, non deſidioſe, ſed recte & perfecte perſonam ſuam agat; quia in tremendo Judicio non quæret juſtus Judex, an in hoc mundo hanc vel illam perſonam quis egerit, ſed an bene perſonam ſuam quiſque egerit. & quemque præmiabit, vel puniet, prout bene vel male perſonam ſuam geſſerit. Petrus, Paulus, Joannes Baptiſta, Stephanus, & alii Sancti magnis in cælo afficiuntur præmiis, quia ſuam in hoc mundo perſonam perfecte egerunt: Judas vero, Cainus, Antiochus, & alii innumeri reprobi ad tarrara miſſi ſunt, quia ſuas in hoc mundo partes non recte egerunt. *Judas*, inquit Cardinalis Bellarminus, *ex theatro exploſus, in gehennæ incendium ruit; Stephanus vere totius comœdiæ plauſibus exceptus, ad cælum cum honore ſublatus fuit: Bellarminus ſerm. de S. Jac.* cujus rei cauſam aſſignat, dicens, hæc ita facta eſſe; *quia Stephanus Diſcipuli perſonam egit bene, Judas autem perſonam Apoſtoli egit male.* Quod de Sancto Stephano & de Juda dixit Bellarminus, hoc de omnibus aliis dicendum: licet enim ruſticus, ſervus, coquus aut mechanicus fueris: ſi perſonam tibi datam recte ſuſtinueris, in cælo cum Stephano æternum præmiaberis; ſed contra, quamvis Imperator, Rex, Pontifex, Juriſconſultus aut inſignis Theologus extiteris, ſi perſonam tuam male egeris, æternis cruciatibus cum Juda addiceris. Quare quantum tibi fas erit, ſedulo inquire, quam in hujus vitæ comœdia a te perſonam ſuſtineri Deus deſiderat, ac pro viribus illam perfecte ſuſtine, & ut æterna ſupplicia devites, & ut cæleſtia præmia obtineas.

Perſonam ſuam in hoc mundo ſe recte ſuſtinuiſſe dicebat Cæſar Auguſtus: moribundus enim ad circumfuſam Aulicorum turbam noviſſima hæc verba habuit, *nonne belle in hoc communi vitæ theatro partes meas egi? Steton.* O quam felices, ſi inſtante mortis hora, vere dicere poſſemus, nos partes noſtras belle & perfecte egiſſe! O quam felix hic Religioſus, qui in hora mortis dicere poſſet: nonne veri Religioſi partes egi? quam felix chriſtianus ille, qui dicere poſſet: nonne veri Chriſtiani partes ſuſtinui? ſed heu! quam pauci in hujus mundi theatro vere & perfecte perſonam ſuam agunt? quot Judices tribunalia conſcendunt, non ut æquitati conſulant, & ut cujuſque jura tueantur, ſed ut in eas declinent partes, ad quas amici, magnates, vel munera inclinant? quot mercatores pondus, & pondus menſuram & menſuram habent, ſuiſque fraudibus emptores decipiunt? quot divites uſuris vacant? quot juvenes fœdis ſe laſciviis dedunt? quot adoleſcentulæ perverſis ganeonum ſuaſionibus illectæ, omni ſe libidini proſtituunt? quot matrimonio junctæ extraneis amplexibus, famam, animam, fidemque marito juratam perdere non verentur? quot tandem Chriſtiani non chriſtiane vivunt? Certe in hujus vitæ comœdia pauci, & pauciſſimi perſonam ſuam recte gerunt. Quare inquit Tertullianus, ab hujus mundi comœdia fit tranſitus ad tremendam ultimi Judicii tragœdiam, in qua plectentur quotquot in hoc mundo partes ſuas male ſuſtinuerunt: *ſuperſunt alia ſpectacula: ille ultimus, & perpetuus Judicii dies. Tertullian. l. de ſpect.* In hac tragœdia, detracta larva, apparebunt hypocritæ, qui in hujus mundi theatro videbantur hominibus jejunantes: ibi apparebunt Reges, qui in cælum recepti nuntiabantur cum ipſo Jove: ibi Præſides perſecutores Dominici Nominis; ibi judices iniqui, mercatores fraudulenti, & omnes mali Chriſtiani; ibi tandem quotquot in hoc mundo male perſonam ſuam ſuſtinuerunt; ingemiſcentes apparebunt, non ut præmientur, ſed *ut intereant in ſæculum ſæculi.* O formidandam tragœdiam! in qua ut ſecurus appareas, tuam perfectam perſonam age in iſta vita, quæ vera comœdia eſt, & quæ etiam *peregrinatio eſt.*

## T E R T I A P A R S.

*Vita noſtra, peregrinatio eſt.*

Filii Seth, qui primi externo & ſolemni cultu Deum adorare cœperunt, vocati ſunt Hebræi, id eſt, *tranſeuntes*, quia ſe ut peregrinos & tranſitores inſpiciebant in hoc mundo, a quo ad cæleſtem patriam migrare ſperabant & exoptabant.

Peregrini illi, peregrini & omnes homines quia dum in hoc mundo vivunt, peregrinantur a Domino, & per fidem tanquam peregrini ambulant, ut tandem aliquando ad patriam ſuam, ſeu in cælum perveniant: *dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus. 2. Cerinth. 5. 6.* In hoc quidem mundo ambulamus per fidem quia quamdiu in eo peregrinamur, Deum per fidem cognoſcimus, & ad eum per fidem tendimus, ut tandem intuitivam ejus viſionem aliquando aſſequamur.

Duo contraria & oppoſita aſſerere videtur Apoſtolus; nempe quod *noſtra converſatio in cælis eſt*, & quod *dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino. Philipp. 3. 20.* Quomodo enim poteſt anima eodem tempore & in corpore peregrinari a Domino, & in cælis ſimul eſſe cum Domino? Hanc difficultatem, inquit Hugo Cardinalis, ſolvit ipſe Apoſtolus, dicens, quod *ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. 1. Cerinth. 13. 9.* In quantum enim Deum aliquo modo cognoſcimus, jam cum Domino ſumus, in quantum autem tanquam de futuris prophetamus, credentes quæ non intelligimus, ſperantes quæ non videmus, a Domino peregrinamur, & tanquam peregrini in hoc mundo vivimus; *peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus.*

Sanctorum qui in cælo ſunt, vita, non eſt peregrinatio, quia ſunt in cæleſti patria, ubi Deum vident, Deum amant, Deum poſſident; & per ejus viſionem amorem & poſſeſſionem vivunt vita beata, permanente, & æterna; ſed quandiu in hoc mundo ſumus, nec Deum intuitive videmus, nec eum amamus amore beatifico, ſed in hoc mundo quaſi errantes peregrinamur, ut ad ipſum tendamus, & ad ejus poſſeſſionem aliquando perveniamus. Et ideo vita noſtra nil niſi quædam peregrinatio eſt, omneſque vitæ noſtræ dies ſunt *dies peregrinationis: Geneſ. 47. 9.* omnis enim vita noſtra, peregrinatio eſt. Ac, ut ait Nilus Abbas, cælum, terra, & omnia clamant, nos in hoc mundo peregrinos, vitamque noſtram nil aliud eſſe, quam veram peregrinationem, *Clamat cælum, peregrinus es, dum te expecto. Clamat terra, peregrinus es, dum te detineo. Clamat elementum, peregrinus es, dum te corrumpo. Nilus Abbas.*

Pe-

[1] Peregrinus es, o homo, tu quiſquis ille ſis, peregrinus es in hoc mundo, in quo non habes civitatem permanentem, ſed undique peregrinaris, ut civitatem tuam, ſeu cæleſtem beatitudinem inquiras, & ad eam aliquando pervenias, *non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus. Hebr.* 13. 14.

Non ſolum in qualibet civitate, verum & in ipſa domo tua peregrinus es, *unuſquiſque*, ait Auguſtinus, *in domo ſua hoſpes eſt; velis, nolis, hoſpes eſt, quia inde tranſiturus eſt; Aug. ſerm.* 33. *de verb. Dom.* Nec dicas, te domum a patre habere, & ideo non hoſpitem, ſed verum ejus poſſeſſorem eſſe, quia, inquit Auguſtinus, ſicut pater tuus hanc domum dimiſit, ideo hoſpes fuit, ſic tu eam dimittes, & ideo etiam hoſpes es: *non te fallas; hoſpes es, velis nolis, ceſſit tibi locum pater tuus, ceſſurus es locum aliis. Ibid.* Credis, o homo, te immortalem eſſe, vivis, ac ſi æternum in domo tua manſurus eſſes, ſed velis, nolis, in ea hoſpitaris, & tanquam peregrinus & hoſpes ab ea brevi exibis: *non te fallas, hoſpes es.* O Princeps potentiſſime, qui tot tibi palatia conſtrui & exornari ſollicite curas, *non te fallas, hoſpes es.* O doctiſſime, & zelantiſſime Concionator, qui hominum applauſus undique excitas: *non te fallas, hoſpes es.* O mercator opulente, qui tantam pecuniarum copiam ſummo ſtudio congregaſti, *non te fallas, hoſpes es*, domuſque tua, & totus mundus, quaſi hoſpitium & diverſorium tibi eſt, in quo veluti peregrinus hoſpitaris.

Sicut in magnis civitatibus varia ſunt hoſpitia, variis nominibus, a ſignis quæ exterius ponuntur, indicata, ita totus iſte mundus eſt quaſi magna civitas, variis conferta diverſoriis & hoſpitiis, ad quæ omnes penitus homines veluti peregrini divertunt. In magnis civitatibus, a ſignis quæ extra hoſpitia oculis tranſeuntium objiciuntur, dicimus, quod aliqui hoſpitantur ad Imperatorem, alii ad caput aureum, nonnulli ad pavonem, vel leonem &c. Sic in hoc mundo, hoſpitantur multi *ad Imperatorem*, ambitioſi, ſcilicet, qui ad terrenas dignitates anhelant: *ad caput aureum* divertunt nempe avari, quorum cogitationes & deſideria ad auri divitiarum poſſeſſionem tendunt: *ad pavonem* declinant ſuperbi; *ad leonem* iracundi, *ad porcum* luxurioſi, *ad canem* guloſi, *ad pſittacum* garruli, & garrulæ, *ad mediam lunam* inſipientes, & *ad mundum inverſum*, quicumque terrena cæleſtibus, humana divinis, corpus animæ & carnem ſpiritui anteponunt. O malos hoſpites! ſed ſua etiam hoſpitia habent juſti: quia juſti & peccatores, ac omnes penitus homines peregrini & hoſpites ſunt in hoc mundo: *omnis homo peregrinus fit naſcendo: quia compellitur migrare moriendo. Aug.* Quare cum ſimus omnes peregrini, cumque tota vita noſtra nil niſi continua peregrinatio ſit, vivamus ut peregrini, & per hunc mundum, tanquam peregrini, iter habeamus: *æſtimate peregrinum*, inquit Abbas Olympius, *& ubicumque fueris, dic: peregrinus ſum ſuper terram. Apud Soph. in prat. ſpirit. cap.* 12.

Diverſorium eſt totus mundus: inquit Seneca: quare in rebus mundi contemplandis & colligendis non immorandum: ſed *quidquid circa te jacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpectans, tranſeundum eſt. Seneca lib.* 17. *epiſt.* 103.

Canes in bibendis Nili aquis non immorantur: ſed juxta flumen illud currentes lambunt, ne a Crocodilis vorentur. *Plin. lib.* 8. *c.* 11. Idem nobis faciendum; & ne a tartareis comprehendamur Crocodilis, qui in mundo latitant, neceſſaria ſolummodo e mundo ſumenda, cætera pertranſeunda. Tranſeamus ſicut Achimaas & Jonathas, de quibus legitur, quod *tranſierunt feſtinanter guſtata paululum aqua: 2. Reg.* 17. 20. ſic de aquis & de mundi bonis paululum, & ſolummodo quæ neceſſaria ſunt, guſtemus; tranſeuntem pertranſeamus; propere prætereuntem prætereamus, ut ad cæleſtem patriam properemus. Ut Jeruſalem peteret Chriſtus Dominus, Jericho pertranſivit: *Luc.* 19. 1. nos quoque qui Jeruſalem cæleſtem ut patriam noſtram agnoſcimus, Jericho, id eſt, fallacem mundum pertranſeamus: mundi rebus cor & affectum non figamus; ſed quaſi peregrini tranſeamus, ut verſus cæleſtem patriam pergamus.

*Peregrinus ad patriam ſuſpirat, ad patriam tendit; veſtitum & victum habens, non vult aliis onerari; D. Bern. de modo bene viv. c.* 7. Sic nos qui peregrini ſumus in hoc mundo, terrena contemnere, tranſitoria pertranſire, mundi bonis ad neceſſitatem uti, & ad patriam cæleſtem anhelare debemus: *Peregrinus via regia incedit, non declinat ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ſi forte jurgantes viderit, non attendit: ſi nubentes, aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus tranſit, quia peregrinus eſt, & non pertinet ad eum de talibus. Bern. ſerm.* 7. *in Quad.* Nos ſimi iter, cum in hoc mundo peregrini ſimus, mundi rebus non adhæreamus, ejus negotiis plus quam par eſt nos non immiſceamus, ac hoc mundo tanquam non utentes utamur. *Chariſſimi*, ait Princeps Apoſtolorum, *obſecro vos tanquam advenas & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis.* 1. *Petr.* 2. 11. Non immorandum in inquirendis iis quæ carni placent, non ſiſtendum in hoc mundo, ut gulæ, & libidini ſatisfaciamus; ſed a carnalibus, & perverſis omnibus mundi deſideriis abſtinendum: *abſtinere vos a carnalibus deſideriis.*

Pueri in plateis cum ſociis ludentes, obliviſcuntur ire quo miſſi erant: ſtultos ſimiliter viatores reperire eſt, qui in caupona ludentes, aut in pratis floſculos colligentes, moras nectunt, & quandoque eo obliviſcuntur ire, quo tendebant: *ſtultus viator eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens, obliviſcitur ire, quo tendebat. S. Gregor. homil.* 14. *in Evang.* Ne pueros illos, ne ſtultos hujuſmodi imitemur viatores; terrenis hiſce ne ita hæreamus, ut patriæ cæleſtis, ad quam tendimus, obliviſcamur.

Ejus non obliviſcebatur Vates Regius, dicens: *Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea. Pſ.* 136. 5. Ejus non obliviſcebatur: qui contra ad eam anhelabat Divus Paulus, & ideo exclamabat: *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Philipp.* 3. Recordemur & nos, ſuſpiremus & nos, anhelemus & nos ad cæleſtem patriam, ac cum Propheta Regio dicamus: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt; Pſ.* 119. 5. Vel cum Divo Auguſtino clamemus. *O patria noſtra, patria ſecura! a longe te videmus, ab hoc mari te ſalutamus, ab hac valle ad te ſuſpiramus: Aug. ſolil.* 35. optemus eam, ſuſpiremus ad illam, terrenis contemptis ad illam tendamus.

Vita noſtra *ſomnium eſt*, ne tanti eam faciamus: vita

vita noſtra *comœdia eſt*, ne tanto affectu eam diligamus: vita noſtra *peregrinatio eſt*, ne ei ita fortiter adhæreamus; ſed ad æternam ſuſpiremus, ad quam nos ducant Pater, Filius & Spiritus Sanctus. *Amen*.

## DOMINICA SECUNDA.

# DE PARADISI BONIS.

*Domine, bonum eſt nos hic eſſe*. Matth. 17. 4.

ERant cæci peccatores, qui in tranſitoriis mundi voluptatibus tabernaculum figentes, in iis immorari & conquieſcere cupiunt; ac cæleſtium obliti in hoc mundo diu, & quaſi in æternum vivere concupiſcunt; intra ſe dicentes: *bonum eſt nos hic eſſe*: Ut enim ait Sanctus Bernardus, (Non eſt bonum in hoc mundo eſſe: immo vero moleſtum eſt, grave eſt, periculoſum eſt. Nimirum ubi malitiæ plurimum, ſapientiæ modicum; ſi tamen vel modicum invenitur, ubi viſcoſa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obſeſſa laqueis peccatorum; ubi periclitantur animæ. ubi ſpiritus affliguntur, ubi tantum vanitas & afflictio ſpiritus eſt. *S. Bern. ſerm. 6. de Aſcenſ.*)

Non optandum quidem, diu in hoc mundo vivere, ubi tot crimina, tot miſeriæ, totque pericula; ſed ad cælum, ubi omnium eſt ubertas bonorum, cuncta noſtra dirigenda ſunt vota, cunctique ſunt affectus inclinandi.

Velim, ut in hoc mundo ſpiritualibus etiam multis fruamur deliciis: velim ut ipſum Chriſtum transfiguratum, & gloria ineffabili radiantem videamus; cum Petro tamen dicere non debemus: *bonum eſt nos hic eſſe*; hujus mundi bonis non debemus adhærere, ſed cæleſtia anhelare; quorum comparatione, cuncta quæ in hoc mundo deguſtamus bona, ſive ſpiritualia illa ſint ſive corporea, ſtilla ſunt, pulvis ſunt, nihil ſunt.

Ut ad cæleſtia bona appetenda quiſque alliciatur; quæ & qualia illa ſint, jam explicare pertentabimus, eo ſaltem modo quo explicari poſſunt ab infirmo Oratore, &c. *Ave*.

HUjus mundi bona, parva, mixta & tranſitoria ſunt. *Parva* quidem ſunt; & licet ab hominibus plurimi æſtimentur, ambiantur & ſummo affectu inquirantur; a Deo tamen, ab Angelis, a cæleſtibus civibus, necnon a multis in ſæculo viventibus, pro nihilo reputantur. *Mixta* etiam ſunt bona temporalia ac doloribus, anxietatibus, tribulationibus & innumeris anguſtiis permixta. Nec enim aliquis in hoc mundo tot bonis, tantaque felicitate gaudet, qui aliquid mali & ſiniſtri non patiatur; immo qui multa adverſa & ſiniſtra non perferat. *Tranſitoria* tandem ſunt hujus mundi bona: non enim diu poſſidentur, ſed velut umbra fugax tranſeunt, & veluti fumus evaneſcunt: ac certum eſt, quod citiſſime ea relinquimus, vel ab iis relinquimur.

O quam contemptibilia ſunt illa mundi iſtius bona! Sed o quam optabilia hæc, quibus nunc Sancti fruuntur in cælo! Amabilia quidem, & plurimum optabilia ſunt iſta bona: quia non parva ſed magna; non mixta, ſed pura; non tranſitoria, ſed æterna ſunt. Paradiſi bona: 1. magna ſunt: 2. pura ſunt: 3. æterna ſunt. En qualia ſint cæli bona; & en urgentiſſima tria motiva, quibus ad illa ardenter appetenda quiſque allici debet.

## PRIMA PARS.

*Paradiſi bona ſunt magna.*

PAradiſus eſt Dei domus, quia nulla pulchrior, nulla ditior, nulla jucundior, amplior nulla: *O Iſrael, quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus! Baruch*. 1. 14. Magna eſt domus illa, in qua Rex reſidet, cujus potentia terminos neſcit, cujus magnitudo menſuram non habet, cujus providentia ad omnia ſe extendit, cujus divitiæ ſunt inexhauſtæ, cujus vita immortalis, & cujus pulchritudo ſemper amabilis. Magna illa domus, ubi muri ex auro puriſſimo fabricati ſunt, ubi pretioſiſſimæ pedibus calcantur margaritæ, ubi columnæ ex limpidiſſimo erectæ ſunt cryſtallo, ubi continuus, iſque gratiſſimus auditur laudis, & gratiarum actionis concentus. Magna tandem illa domus: & in ea omnia magna. Magnus ibi Deus, & laudabilis nimis; magni ibi domeſtici, & cæleſtis hujus habitationis inquilini: ſed & magna ſunt bona, quæ Deus ibi Sanctis ſuis communicat.

Magna dico; & quam magna ſint hæc bona, quæ Deus in cælo amicis ſuis confert, explicare non valeo. Excedunt vires meas, excedunt facultatem eloquentiæ meæ, tranſcendunt capacitatem intelligentiæ meæ infinita illa bona quæ præparavit Deus diligentibus ſe.

Nec mirum, ſi illa non concipiam: cum nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis, etiam comprehenſoris, aſcenderit, quanta ſint bona quæ Deus Sanctis ſuis in cælo communicat: *Non ſolum cor hominis viatoris, ſed nec etiam comprehenſoris, aut alicujus Angeli, poteſt, aut poterit illud bonum infinitum, & gaudium nobis paratum, & oblatum comprehendere. Bonav. ſtimul. amor. part. 3. cap. 20.*

Licet autem quam magna ſint Paradiſi bona concipere minime valeamus; ea tamen magna, & maxima eſſe, ex Sacræ Scripturæ verbis, ex Sanctorum Patrum oraculis, & ex variis, iiſque urgentiſſimis conjecturis facile auſpicamur.

Et ut ex innumeris, quæ hac de re dici poſſent, aliqua colligam, ab Iſaiæ Prophetæ teſtimonio incipiam, a quo maximam cæleſtium bonorum deſumo ideam, cum illum audio dicentem, quod Deus in cælo ſolummodo ſit magnificus: *ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter*. Scimus, eum magnificum fuiſſe, cum in hominis gratiam, cælum, terram, mare, volucres cæli, piſces maris, & omnia creata condidit: fuit etiam magnificus, cum ut hominem ſalvum faceret, gratias ſuas, Sacramenta ſua, proprium ſanguinem, & totum ſemetipſum tradidit: fuit tandem ſupra modum magnificus, cum ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, ut cum hominibus uſque ad conſummationem ſæculi in hoc mundo maneret, ſeque illis in cibum perpetuum daret. Sed quaſi hæc omnia parva ſint, reſpectu bonorum quæ Sanctis ſuis in Paradiſo communicat, cum ſolummodo in cælo magnificum dicit

Iſaias:

*Iſaias: Solummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter. Iſaiæ 33. 21.*

Magnam hanc Dei in cælo magnificentiam, ſummaque bona quæ ibi Sanctis ſuis confert, indicat Divus Paulus, cum eos ibi Reges futuros, & cum Chriſto Salvatore regnaturos aſſerit, dicens: *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. 2. Timoth. 2. 12.* Reges quidem in cælo ſunt Sancti: quia eos Deus in regalibus ſoliis ſedere facit, regiæque ſuæ dignitatis & poteſtatis participes efficit. Reges ſunt; quia cum Chriſto glorioſe regnant & in æternum regnabunt. Reges ſunt: quia prædivitis, immenſi, æterni eos Chriſtus regni poſſeſſores facit, dicens: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi! Matth. 25.* Quam magna ergo eſſe debent bona, quibus in cælo perfruuntur hi qui in cælo Reges ſunt! Si divitiis, honoribus, omnibuſque bonis affluere ſolent Reges in hoc mundo; quanto majora ſunt bona quæ Deus Sanctis in cælo regnantibus communicat? Si terrenis Regibus, qui homines infirmi ſunt, qui peccatis multis obnoxii, & qui ad omnia mala proclives ſunt, tanta Deus in hoc mundo bona largitatur; quanta ſunt illa bona quæ in cælo communicat Sanctis, qui amici ejus ſunt, qui in ſtatu gratiæ confirmati, & qui ad cæleſtia ſolia ſunt ſublimati, ut æterno & immenſo hoc regno potiantur? Maxima certe eſſe hæc Paradiſi bona quiſque fatebitur; ac tanta quidem, ut nec eorum magnitudinem concipere valeamus.

Neſcio, an hæc ratio placeat; cum tamen magna bona, quibus in hoc mundo Reges, nonnunquam etiam impii, fruuntur, revolvo, non poſſum non intra me dicere, majora & ineffabilia eſſe bona, quibus fruuntur Sancti, qui nunc in cælo regnant, & ſine fine triumphant. Sed aliunde etiam cæleſtium bonorum magnitudinem auſpicor, ex bonis ſcilicet temporalibus, quæ non ſolum Regibus, verum & omnibus hominibus Deus in hoc mundo conferre ſolet.

Nonne propter nos homines, immenſam Univerſi molem e nihilo eduxit? nonne propter nos homines, cælos, aſtra, elementa, & omnia creata miro ordine diſpoſuit? nonne aurum, argentum, ac quidquid in orbe pretioſius & amabilius invenitur, ad noſtros uſus condidit? nonne dat nobis lucem ad videndum, ſapores ad guſtandum, aerem ad reſpirandum, ſonos ad audiendum, fontes ad refrigerandum; herbas ad morbos noſtros curandos, animalia & fructus ad ſuaviter vivendum? A Deo quidem hæc & innumera alia bona in hoc mundo habemus. Ex quo inferendum cum D. Auguſtino, quod ſi Deus tot & tantas nobis miſeris in hoc mundo bona conferat, multo majora, & in infinitum majora bona Sanctis in cælo largiatur: *Si ergo pro hoc corpore corruptibili, tam magna, & innumera beneficia præſtat; qualia, quæſo, & quam magna erunt illa bona, quæ præparavit diligentibus ſe, in cæleſti patria: S. Aug. in Solil.* Si tanta ſint bona, quæ inimicis ſuis in hoc mundo viventibus tribuit; quanta ſunt, quæ amicis ſuis in cælo triumphantibus confert? Si in hoc mundo, qui eſt tuguriolum Adami, ergaſtulum peccatorum, cavea brutorum, carcer & exilium mortalium, tantis Deus bonis homines peccatores afficiat, & recreet; quanta erunt bona, quæ Sanctis & amicis ſuis in cælo, in palatio ſuo, & in gloriæ, necnon magnificentiæ ſuæ loco impertietur: *Si tanta facit nobis in carcere, quid aget in palatio?* Haud dubie, inquit Auguſtinus, bona illis conferet majora quam dici poſſit: *procul dubio plus futurum eſt, quam dici poſſit. Aug. tract. 34. in Joann.*

Ex bonis temporalibus, quæ Deus, etiam peccatoribus, in hoc mundo confert, facile conjicimus, magna eſſe bona, quæ Sanctis ſuis in cælo largitur: ſed hoc melius, meo quidem judicio, inferri poteſt ex ſpiritualibus bonis & deliciis, quibus amicos ſuos Deus in hoc mundo ſæpe reficit, & ſatiat. Nonne ſæpe viros pietate inſignes in hoc mundo videmus, qui ita gaudio ſpirituali ſuperabundant, etiam in tribulationibus, in mediis perſecutionibus, & in ipſis ſuppliciis quæ patiuntur, ut omnia eis ſuavia, dulcia, & amabilia ſint? Nonne viros multos ſanctitate illuſtres videre eſt, qui tantis deliburi ſunt ſpiritus deliciis, ac ita Deo pleni, ut rerum temporalium obliviſcantur, proprii commodi ſemper ſint inimici, amori proprio ſint ſemper contrarii, nilque aliud cogitent quam de Dei gloria; nihil deſiderent, quam ut illi ſerviant; nec alia præterquam amoris divini flamma ardeant? ſed nonne multi tanto interius affecti fuere gaudio, tanta lætitia perfuſi, tot internis conſolationibus recreati, ut extra ſe rapti, & deliquium paſſi ſint? hoc ita factum eſſe ſcimus; hoc demiramur: ſed ſi recte ratiocinemur, ex hoc inferemus, maxima & infinita eſſe Paradiſi bona. Si etiam tantas Deus in hoc deſerto dat delicias: quantas in æternæ voluptatis loco dabit? ſi tam exquiſitas in hac lacrymarum valle dulcedines ſuggerit; quid faciet in beatitudinis ſuæ regno? ſi tot gratias, tot voluptates, totque bona ſpiritualia in hac ſolitudine; & in hac Babyloniæ fornace hominibus impertit; quæ & quanta erunt illa bona, quæ in cælo amicis ſuis tribuet? *Quid erit in patria, ſi tanta eſt copia delectationis in via? S. Bern. in Declam.*

Magna quidem, maxima, & incomprehenſibilia ſunt Paradiſi bona; eorumque magnitudinem duobus verbis mirum in modum, quantum poteſt, explicat Ezechiel Propheta, dicens, quod Deus in cælo reſideat, ibique ſe Sanctis videndum & poſſidendum præbeat: *Dominus ibidem. Ezech. 48. 35.* Cupit aliquis Romanæ civitatis glorias enarrare: ſed ne dicendo ſuccumbat, hoc tantum dicit: *Pontifex ibi eſt.* Ex quo cuique inferendum relinquit, magnam hanc eſſe civitatem, ingentes ejus eſſe divitias, omniaque ibi eſſe magna, cum ibi Pontifex reſideat. Similiter, non melius explicari poteſt & probari, maxima eſſe Paradiſi bona, quam cum dicitur: Deum ibi eſſe, ibique ſe Sanctis videndum & poſſidendum exhibere: *Dominus ibidem.* Quis enim non fateatur, magna ibi eſſe bona, ubi Deus eſt, qui eſt ſummum bonum, qui eſt omne bonum, qui eſt omnis boni bonum, cujus poſſeſſione Sancti ſatiantur, inebriantur, præmiantur, & in æternum beatificantur? In cælo ſane magna, ineffabilia, & omnia ſunt bona: quia ibi eſt omne bonum, & ibi nullum deeſſe poteſt bonum, ubi Deus eſt. *Quid ibi deeſſe poteſt, ubi Deus eſt? Auguſt. lib. 1. de ſpirit. & anim.* Quare ad cæleſtem hanc patriam aſpiremus, ad illam anhelemus, & hujus mundi incolatum deſpicientes, diſſolvi cupiamus, ut cum Chriſto regne-



Digitized by Google

mus in Paradiſo, ubi ſunt bona maxima; *ac etiam bona pura, nulloque malo permixta.*

## SECUNDA PARS.

### *Paradiſi bona ſunt pura.*

MUndi bona, miſera, caduca, & amaſitudinibus innumeris mixta ſunt: nihil hic puri & ſinceri, confuſa omnia, nulla ſine amarore voluptas; ubique luctus & gaudii, dulcis & amari mixtura reperitur. Qui abundat honoribus, nummis non abundat; qui dives eſt, ingenio & ſcientia ſæpe caret; hic ſapiens eſt, ſed puſillanimis; iſte magnanimus, ſed imprudens: ille valetudinis eſt robuſtæ, ſed famæ parum claræ; alius eſt eruditus, ſed ſemper ægrotus; & alius eſt ſanus, ſed ignarus.

Aſt, velim, hominem ſapientia, prudentia, ſcientia, magnanimitate, & aliis omnibus animi dotibus fulgere; in hoc mundo diu vivere non poterit, quin a frigore, a calore, a pluvia, a grandine, a rerum penuria, ab invidis, ab hoſtibus, ab infirmitatibus, a paſſionibus, ab intus mordente conſcientia, vel ab alio aliquo quidquam mali & ſiniſtri patiatur, quia in hoc mundo ſunt bona mixta malis, gaudia gemitibus ſunt temperata, mel felli affuſum eſt. Ibi diei nox, hyems æſtati, bono malum, probis improbi inſidiantur, mixtimque mala cum bonis fluere ſolent. In cælo autem nulla talis mixtio, non ibi mala bonis permiſcentur: ibi felicitas pura, gaudia pura, & omnia bona pura, ſine ulla doloris, triſtitiæ, & mali admixtione; ut enim ait Sanctus Joannes Evangeliſta, ibi Deus absterget omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, *& mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. Apoc. 21. 4.*

De ratione beatitudinis eſt, ut omnia in ea ſint bona, nilque mali in ea reperiatur. *Beatitudo eſt, ubi nihil ſit quod nolis, & ubi totum ſit quod velis. S. Bern.* Bona volumus, ibi ſunt omnia bona; mala nolumus, ibi nullum eſt malum; ſed omnia ibi ſunt bona pura, ſine ulla mali mixtura. In cælo non fames, non ſitis, non gelu, non æſtus cruciat: nihil laboris, nihil fatigationis, nihil mœroris, aut doloris illic eſt, curæ omnes, paupertas omnis, omnis dolor, & omnia adverſa a cælo procul eliminantur; inde calumniæ, inde inſidiæ, inde morbi, inde mortes arcentur; ibi tandem nullum eſt malum, nullumque ibi reperiri poteſt ex malis, quæ in hoc mundo averſamur, nolumus & horremus, *nihil ibi eſt quod nolis.* Quin contra, ibi ſunt omnia bona, eaque ita pura, ut nihil mali permixtum habeant, ibi enim ſcientia ſine errore, ſanitas ſine defectu, dignitas ſine timore, abundantia ſine indigentia, feſtivitas ſine mœſtitia, pax ſine diſſidio, pulchritudo ſine macula, virtus ſine vitio & ſine adverſario. Vel ut verbis utar Sancti Auguſtini, ( in cælo non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas, nemo læditur, iraſcitur nemo, nemo invidet, cupiditas nulla exardeſcit, nullum cibi deſiderium, nulla honoris pulſatio, aut poteſtatis ambitio, nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul, mors ibi neque corporis, neque animæ erit; ſed immortalitatis munere vita implenda. *S. Auguſt. ſerm. 11. de Sanctis.* ) O felicem patriam, in qua omnia bona, & in qua nulla ſunt mala! o regnum ſummis affectibus appetendum, in quo omnis felicitas, omnis proſperitas, & omnia prorſus bona reperiuntur ſine ulla vel minimi mali admixtione.

Infernus eſt quaſi ſummarium & epitome omnium malorum. Quidquid uſpiam acerbum, lacrymabile, & horrificum eſt, apud inferos ſentitur, nec inter tot dolores, totque mala, quæ ibi damnati perferunt, aliquod umquam vel minimum levamen aut ſolatium percipiunt. Plutonis portæ omnes occluſæ ſunt ſolatiis, omnes ibi aditus vel minimis levamentis ſunt intercepti, ibi damnati nihil refrigerationis, auxilii nihil, nihil ſolatii, nec e cælo, nec e terra, nec a Deo, nec a creaturis expectant, ſed omnia ibi patiuntur mala ſine ullius admixtione boni. O horrendam regionem! formidandum ſolum, in quo omnia ſunt mala, & ita pura, ut in eo nil voluptatis, nil delectationis, nilque boni inveniatur. Sed econtra, o quam amabilis & deſiderabilis Paradiſus, in quo omnia ſunt bona, & ita pura, ut nil mali permixtum ibi reperiatur! O chara & dilecta civitas, a qua omnis dolor, metus omnis, & omnia mala in æternum exterminata ſunt! o pulchra & beata patria, ubi torrentes ſunt deliciarum, qui tamen diuturno uſu nullum umquam pariunt faſtidium! ubi continua eſt mannæ celeſtis pluvia quæ numquam nauſeam parit; ibi ſumptuoſa, & regia convivia, quæ nullos umquam morbos generant; ubi ineffabilibus quiſque gaudet honoribus, nec umquam per invidiam turbatur, ibi amicos fideles quiſque habet, quorum amor eſt immutabilis, & quorum fidelitas inviolata, ibi immenſi divitiarum theſauri, qui poſſeſſores ſuos non excæcant, nec ad illicita trahunt, ibi tandem omnis beatitudinis regnum, ubi omnia bona, nullo permixta malo, reperiuntur: *O regnum beatitudinis ſempiternæ, ubi juventus numquam ſeneſcit, ubi decor numquam palleſcit, ubi amor numquam tepeſcit, ubi ſanitas numquam marceſcit, ubi gaudium numquam decreſcit, ubi gemitus numquam auditur, ubi triſte nihil videtur, ubi lætitia ſemper habetur, & malum nullum timetur, quoniam ibi ſummum bonum poſſidetur. D. Aug. Solil. c. 25.*

Nullus in Paradiſo dolor, triſtitia nulla eſt; *quoniam ibi ſummum bonum poſſidetur:* Poſſeſſio enim Dei, qui eſt ſummum bonum, omnem tollit dolorem, malum omne excludit: nec fieri poteſt, ut triſtitia aliqua afficiantur qui ſummum bonum vident, & videndo poſſident: quia ipſe a videntibus ſe abſtergit omnem lacrymam, omne malum expellit.

Qui Deum in cælo poſſident, ſumma gaudiorum & voluptatum abundantia cumulantur, ac ineffabili lætitia adimplentur: *adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Pſ. 15.* Ubi autem lætitiæ plenitudo, ibi nullus poteſt eſſe dolor, mœror nullus, triſtitia nulla, nullaque mali permixtio.

Qui Deum in cælo poſſident, tanta bonorum cæleſtium abundantia replentur, ut iis ſatientur; & quaſi inebrientur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Pſ. 35.* Hæc autem ſatietas, & hæc ebrietas nullum adferunt tædium, fatigationem, & nauſeam nullam, poſt decies, poſt centies, poſt millies annorum millia, tam recens, tamque ſuavis erit voluptas cæli, quam fuit primo om-

omnium quadrante, & ad primum Paradiſi ingreſſum. Jam a Paradiſo omne tædium; faſtidium omne, omnis dolor; omniſque corporis & animi moleſtia penitus excluditur, & in æternum excludetur, quia nullus dolor, triſtitia nulla, nullaque mali permixtio eſt, & eſſe poteſt, ubi Deus, qui eſt ſummum bonum, perfecte poſſidetur: *quoniam ibi ſummum bonum poſſidetur*.

Qui in hoc mundo feliciores cenſentur, replentur bonis & malis, dulcibus & amaris, melle & felle: gaudia eorum miſcentur lacrymis, & riſus ſuſpiriis. Sed apud Cælites omnium bonorum eſt ſatietas perfectiſſima, hi nullis vel minimis malis afficiuntur, ſed omnibus replentur bonis, ita ut nihil voluptatis, nihil divitiarum excogitari poſſit, quo non repleantur, *replebimur in bonis domus tuæ*. Unde ſi vel omnium Beatorum infimum interrogamus, ac ab eo petamus, num aliquid ſiniſtri patiatur? num cæleſtibus bonis repleatur? reſpondebit haud dubie, quod quilibet ex Sanctis Deum intuitive videat, ardenter amet, ac per viſionem & amorem, illum poſſideat, ejuſque poſſeſſione ita beatus fiat, ut omnibus quæ optare poteſt bonis repleatur, nec aliquid mali, vel adverſi pati poſſit.

O quam magna, o quam pura ſunt Paradiſi bona! quis non ambiat illuc pervenire, ubi omnia bona ſine ulla mali admixtione inveniuntur? Heu! ſi in hoc mundo, ubi fames, ubi ſitis, ubi morbi, ubi mortes, & innumera nos circumdant mala, ſi in hoc mundo, ubi ſuaviſſimæ voluptates tandem amareſcunt; & expirant, multi vivere deſiderant; quanto magis ad cæleſtem patriam anhelare debemus? quanto magis aſpirare quiſque debet ad Paradiſum, ubi omnia bona ſine defectu, & ſine ulla mali mixtura quiſque poſſidebit?

Sed quid non facere, quid non pati debemus, ut tanta, & tam pura cæli bona obtineamus? quid enim non faciunt, quid non moliuntur; quid non patiuntur homines, ut vana, ludicra, & momentanea ſæculi bona acquirant? & nos nihil agere, nil pati vellemus ad cæli bona comparanda? certe ſi ſapiamus: nihil non faciemus, nullumque laborem recuſabimus, ut Paradiſi bona obtinere valeamus.

Mediis in doloribus dicere ſolitus erat Seraphicus Pater Franciſcus: *tanta eſt gloria quæ me expectat, ut omnis pœna me delectet*. Jejunare, vigilias protrahere, aſſeri indormire, flagris & catenulis corpus domare, probra, & calumnias devorare, ac omne mortificationis genus perferre, res ei erat ſuaviſſima, cum inſpiciebat immenſa, & puriſſima cæli bona, quæ in mercedem ſibi dari expectabat. O N.N. ſtrenue ſimiliter laboremus, nullus nos labor terreat, generoſe ſuſcipiamus quidquid durum, quidquid aſperum in virtutis via reperitur, ut ad Paradiſum aliquando perveniamus, ubi magnis & puris perfruemur bonis, non ſolum ad tempus, ſed etiam in æternum: quia *hæc bona æterna ſunt*.

## TERTIA PARS.

*Paradiſi bona ſunt æterna.*

Æternitate omnia bona fiunt meliora: bonum enim, quo magis durat, eo melius cenſetur. & bonum quod in æternum durat, æterna hac duratione infinite melius efficitur. Voluptas unius diei a multis magnum bonum creditur, ſi ſit unius hebdomadæ, pluris æſtimatur, ſi unius anni, pluris adhuc penditur, & multo pluris, ſi ſit centum, vel mille annorum, quia bona fiunt duratione majora, ac proinde infinita & interminabili duratione, fiunt infinita. Ratio durationis æternæ dat eis aliquem characterem infinitatis, facitque ut bona, quæ ex ſe erant modo finito bona, infinite bona fiant. Quare ut altiorem cæleſtium bonorum fidem mentibus veſtris ingeram, ea æterna eſſe dico.

Quod aperte docet Sacra Scriptura: cum Paradiſum vocat regnum, cujus nullus erit finis quodque in æterna ſæcula durabit: *& regni ejus non erit finis. Regnum tuum omnium ſæculorum*. *Pſ.* 144. 13. Illud regnum non deſtruetur, ſicut omnia hujus mundi regna, ſed in æternum ſtabit, & in eo ſancti regnabunt, non ſolum tot annorum millibus, quot ſunt ſtellæ in cælo: non ſolum tot centenis annorum millibus & millionibus, quot ſunt in mari aquarum guttæ; ſed in æternum, ibi in æternum Deo fruentur, & in æternum omnia prorſus bona poſſidebunt: *regnum tuum, regnum omnium ſæculorum*. Hujus mundi regna ſunt aliquorum ſæculorum regna, quia perpetuæ viciſſitudini ſubjiciuntur, incipiunt ut deſinant, florent ut cito areant, naſcuntur ut brevi pereant, ſed Paradiſus eſt *regnum omnium ſæculorum*: quia perpetua ſtabilitate firmatur. Nullus ibi occaſus, nulla ruina, ibi jam Sancti immenſa poſſident bona, & ea ibi in æternum poſſidebunt.

Licet Paradiſus & infernus multis in rebus diſconveniant, conveniunt tamen ratione æternitatis, quia ſicut in inferno ſupplicia ſunt æterna, ita & in Paradiſo æterna ſunt bona & gaudia, quibus Sancti fruuntur: *ibunt hi in ſupplicium æternum, hi autem in vitam æternam*. *Matth.* 23. Felices ſe proclamarent damnati, ſi ſcirent poſt millia millium annorum finem habituras ſuas pœnas, beatos ſe cenſerent, ſi certi eſſent, poſt millia millium ac millionum annorum aliquantulum minuenda ſua ſupplicia; ſed hac nullatenus gaudent conſolatione, & felicitate, quia certi ſunt quod quamdiu Dei juſtitia perdurabit, tamdiu durabunt pœnæ, quodque æternis ſuppliciis ſine ulla diminutione cruciabuntur: *ibunt hi in ſupplicium æternum*. O quam terribile eſt, in Dei manus incidere! quam formidanda eſt hæc pœnarum æternitas! quam infelices, qui æternis his inferni ſuppliciis addicti ſunt! ſed o quam felices ſunt Sancti qui in cælo regnant: felices ſunt, quia ineffabilibus fruuntur bonis, ſed adhuc feliciores, quia iis in æternum fruentur: *hi autem in vitam æternam*.

Paradiſus eſt hæreditas, ad quam poſſidendam Sanctos ſuos Deus vocat: ſed, ut ait Sanctus Petrus, hæc hæreditas, qua Deus Sanctus ſuos ditat, eſt incontaminata, incorruptibilis, & immarceſcibilis: *in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem*. 1. *Petr.* c. 3. Hæreditas hæc eſt *incontaminata*, quia nihil admittit immundi, eſt *incorruptibilis*, quia nec deſinere, nec perdi poteſt, eſt *immarceſcibilis*, quia nec defloreſcere poteſt, nec imminui, ſed in æternum eadem perſeverabit. Hanc omnium bonorum hæreditatem in cælo Sancti poſſident; & eam in æternum poſſidebunt; *repromiſſionem*



Digitized by Google

*accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. Hebr. 9. 15.*

Paradiſum Divus Bernardinus vocat *cellarium gloriæ: D. Bernard. tom. 2. ſerm. 22. art. 1. c. 3.* non ſolum quia ibi Deus Sanctos ſuos gloria & honore coronat: verum & quia eis ibi gloriæ ſuæ divitias oſtendit, ibique eos multis gloriæ titulis inſignit, & omnis gloriæ ubertate replet. Quia enim Sancti in hoc mundo modicum quid pro Dei gloria paſſi ſunt, eos in cælo Deus omni gloria & honore afficit, & quia in hoc mundo momentaneam quamdam tribulationem pro Dei gloria pertulerunt, eos Deus in Paradiſo perpetua, & in æternum permanente gloria cumulat, *id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. 17.*

Beatitudo cæleſtis crebro in ſacra Scriptura vocatur vita, vita beata, & vita æterna. *Vita* dicitur, quia omnis beatitudo, cæleſti comparata, mors & miſeria potius eſt nuncupanda, quam vita. *Vita beata* appellatur, quia ibi jucunditas ſine mœrore, unitas ſine diviſione, ſatietas ſine faſtidio, dignitas ſine humiliatione, pax ſine perturbatione; & omne bonum ſine ulla dolorum, afflictionum, & malorum admixtione: *Vita* tandem *æterna* vocatur, quia Sancti in Paradiſo in æternum vivent, & omnibus ibidem bonis perfruentur: *juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum. Sap. 5. 16.*

Æternam eſſe cæleſtem beatitudinem, & æterna eſſe bona, quibus Sancti in Paradiſo gaudent, probat Doctor Angelicus ex communi ratione beatitudinis, *quæ eſt bonum perfectum, quod deſiderium hominis quietat. S. Thom. 1. p. q. 5. ar. 4o.* ſi autem amitti poſſet beatitudo, & ſi bona ejus non eſſent perpetua, non quietaret Sanctorum animos; quin contra timore amittendi ſuam beatitudinem, & bona quæ poſſident, continue anxiarentur: & ideo pro certo habendum, æternam eſſe beatitudinem, & æterna eſſe bona, quibus Sancti in cælo gaudent. Quare hæc bona ſunt ſummo affectu appetenda; & ad ea totis conatibus eſt anhelandum.

Sanctus Chryſoſtomus, ut nos ad appetenda æterna excitet, temporalium bonorum volubilitatem, inconſtantiam, & fugacitatem nobis proponit. *Chryſ. hom. 3. in 1. Ep. ad Cor.* Fluxa, inquit, & caduca eſt hominum natura. Juventus properat ad ſenectutem, pulchritudo ad deformitatem, vires ad imbecillitatem, honor ad contemptum; ſanitas ruit ad morbum, gloria ad vilitatem, divitiæ ad paupertatem. Res noſtræ ſunt ſimiles vehementi fluento, quod numquam vult conſiſtere, ſed fertur feſtinans ad declive.

Et alibi. Os illud aureum, aurea ſemper verba proferens, ait mundanam felicitatem nihil habere ſtabile neque firmum. Quod exemplis paſſim obviis, nec parum vulgaribus ante nominatus Sanctus Auctor egregie confirmat, dicens, ( An non videmus ſæpe, quod is quem hodie præcedunt lictores, & ſtipant ſatellites, cras in carcerem conjicitur, & cum malefactoribus verſatur? quid hac vana & inani gloria fallacius? quod ſi in hac vita viciſſitudinem illam evadit, omnino mors veniens felicitatem reſecabit. Qui hodie ſuper thronum ſedebat, & homines alios quaſi umbras deſpiciebat, is ſubito poſtea jacebit mortuus abſque ſpiritu, fœtulentus; petitus innumeris conviciis. Quid hoc miſerabilius eſſe poteſt? *Chryſ. hom. 22. in c. 6. Gen.*

Miſerabilia quidem, inania, fluxa, & tranſitoria ſunt omnia mundi bona; & tamen ea ardenter appetimus, ad ea ſuſpiramus, iis toto corde adhæremus. Sed quanto magis ad Paradiſi bona, quæ magna, pura, & æterna ſunt, anhelare debemus? quanto magis pro iſtis acquirendis laborare debemus & inſudare?

*Volun tas*, inquit D. Auguſtinus, *quanto eſt avidior temporalium bonorum, tanto eſt inanior æternorum. Aug. lib. de patient. c. 23.* non ergo temporalium bonorum ſis avidus; futilia & caduca illa bona deſpice, contemne, ac pro nihilo reputa, totiſque cordis medullis ad magna, pura, & æterna Paradiſi bona aſpira, & pro illis acquirendis ſollicite labora.

Heu! ſi arator fert pondus diei & æſtus, noctes inſomnes ducit, totoque anni circulo duris incumbit laboribus, ut tenuem tempore ſuo meſſem colligat, ſi mercator totam luſtrat Europam, ut aurum, argentum, margaritas, aromata, aliaque parvi momenti bona comparare valeat, ſi miles cum evidenti vitæ ſuæ diſcrimine ad certamen deſcendit, ut tantillum inanis gloriolæ ventum hauriat; quanto majori conatu militare, & laborare debemus, ut immenſam cæli gloriam, magnaque & æterna Paradiſi bona acquiramus? ad ea quidem anhelandum, pro iis laborandum.

Sed, heu! quam pauci pro immenſis & æternis bonis acquirendis ſedulo laborant! Dic, quæſo, quos pro cælo labores ſubis? quibus pœnitentiæ operibus incumbis? quantum inediæ & famis toleras? quid ſomno demis? a quibus abſtines deliciis? quot nocturnis horis orationi vacas? quam ſevere carnem maceras? quantis rigoribus petulantiam carnis coerces? quantum lacrymarum ad delenda peccata fundis? quid agis, quid ſuſtines, quid ſuſcipis ut Paradiſi bona obtineas? Deſcende in teipſum, & apparebit, quod pro cælo parum labores, & forte quod pro illo aſſequendo nihil facias. Erubeſce, quod tanto affectu terrena proſequaris, tamque ſis frigidus circa cæleſtia. Tuum excute torporem, caduca ſæculi contemne bona, cæleſtia appete, quidquid ab iſtis aſſequendis impedire, vel retardare poteſt, abjice, quidquid ad ea comparanda prodeſſe poteſt, amplectere, dabitque Deus gratiam, cujus auxilio illa aſſequeris. *Amen*.

F E R I A II.

POST DOMINICAM SECUNDAM.

## DE ÆTERNITATE POENARUM INFERNI.

*In peccato veſtro moriemini*. Joann. 8. 21.

Timor & amor ſunt duæ cordis humani paſſiones, quibus uti ſolet Deus, ut homines ad declinandum a peccato, & ad virtutem ſectandam excitet. Amor eſt paſſio quædam nobilis, qua ad benefaciendum, & ad proficiendum in via vir-

Digitized by Google

virtutis; ſuaviter alliciuntur generoſi, & bonæ indolis viri; timor vero eſt *paſſio* quædam vilis, qua ad declinandum a malo compelluntur, etiam obdurati & rebelles quivis peccatores. Et ideo D. Auguſtinus ait, amoris proprium eſſe, quod homines ad altiores ſublimioris perfectionis gradus evehat; timoris vero, quod homines a peccatis retrahat: *ſicut ſunt meliores quos dirigit amor: ita plures ſunt quos corrigit timor. Aug. Ep. 5. ad Bonifac.*

Amoris & timoris motiva multa hominibus præbuit Chriſtus; & licet in hunc mundum venerit, ut amoris ſacri igne totum orbem incenderet; homines tamen ſæpiſſime territavit; nunc mortem imminere nuntians; nunc terribilia eſſe Dei judicia aſſerens, nunc formidanda inferni ſupplicia objiciens.

In hodierno autem Evangelio novum nobis proponitur timoris incentivum, æternitatis ſcilicet pœnarum inferni. Cum etenim Chriſtus Judæis ait, quod in peccato ſuo morientur: *in peccato veſtro moriemini*; idem eſt, ac ſi eos in æternum morituros dicat: quia in peccato mori, & in æternum mori, æterniſque ſuppliciis addici, unum & idem eſſe videntur; aut ſaltem unum ex alio neceſſario ſequitur. De hac pœnarum inferni æternitate jam dicturi ſumus, &c. *Ave.*

ÆTernitatem pœnarum inferni qui non credit, infidelis eſt: qui non pertimeſcit, eſt induratus; & qui eam vitare non nititur, ſtupidus eſt, & inſanus. Certum quidem, quod ſi a Chriſtianis hominibus quæratur, an pœnarum æternitatem credant, timeant, & vitare intendant, non eſt qui non reſpondeat; utique ego credo, utique horrenda hæc metuo ſupplicia, utique ea pro viribus declinare peropto: ſed revera innumeros reperire eſt, qui talem tormentorum æternitatem firmiter non credunt, qui eam nequaquam reformidant, & qui eam nullo modo vitare conantur. Jam non loquor de infidelibus, & barbaris; ſed de Chriſtianis, inter quos multi indurati, qui eam non timent, multique ſtolidi & inſani, qui de illa vitanda non curant. Ad æternitatem pœnarum inferni credere, timere, & vitare debemus: *credere*, quia certa eſt, *timere*, quia terribilis, *devitare*, quia intolerabilis. Quod ut clarius probetur, tria conficio argumenta, & dico, æternitas pœnarum inferni eſt certa, terribilis, & intolerabilis: 1. *eſt certa*, ergo credenda: 2. *eſt terribilis*, ergo metuenda: 3. *eſt intolerabilis*, ergo vitanda. En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

### *Æternitas pœnarum inferni eſt certa: ergo credenda.*

1. UT homines ad peccatum, & ad inferni barathrum facilius pertrahat ſatanas, iis ſuadere conatur, levia, aut ſaltem non æterna eſſe inferni ſupplicia. Hæc tamen pœnarum inferni æternitas plus quam certo certa eſt, eamque ut principium, primumque fidei noſtræ elementum proponit ſanctus Chryſoſtomus. Cum enim e ſuggeſtu aliquando dicens, aſſueriſſet, omnes, in ſtatu peccati mortalis decedentes, pœna plecti æterna, ſuppliciiſque addici ſempiternis; adjecit, nullum hac de re eſſe ambigendi locum, quia *hæc ſunt elementa fidei noſtræ.* Hæc quidem ſunt fidei noſtræ principia, ipſiſſimis Chriſti verbis, plurimis Prophetarum oraculis, variiſque ſacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum teſtimoniis ita confirmata, ut cuique conſtare ac certiſſimum eſſe debeat; æterna eſſe ſupplicia, quibus adjudicantur quicumque in ſtatu mortalis peccati moriuntur.

Chriſtus Dominus in tremendo extremi Judicii die malos a bonis ſeparabit, & data ſententia, bonos ad cæleſtia regna, in æternum beandos, vocabit; reprobos vero in infernum, non ad tempus, ſed in ſempiternum cruciandos mittet, *ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam. Matth. 25. 46.* O quam diverſa electorum & reproborum ſors! iſtorum tamen ſupplicia, illorum præmiis ſunt ſimilia in duratione, quia ſicut præmia quæ electis dantur, ſunt æterna: ita & ſupplicia, ad quæ damnantur reprobi; æterna ſunt, *Ibunt hi in ſupplicium æternum.* Ecce quomodo loquatur Chriſtus, qui eſt ipſa veritas; *ego ſum via, & veritas. Joan. 14. 6.* ecce quid de æternitate pœnarum inferni ſentiat Chriſtus, qui cum Deus ſit, mentiri non poteſt; *impoſſibile eſt mentiri Deum; Heb. 6. 18.* quare cum verbis clariſſimis aſſerat Chriſtus, æterna eſſe inferni ſupplicia, ea æterna eſſe certiſſimum eſt.

Sicut omnes homines mori, & ita & omnes homines reſurgere oportet, *omnes quidem reſurgemus. 1. Cor. 15. 1.* Reſurgent boni, & reſurgent mali: *boni*, ut ad cælos in æternum regnaturi properent; *mali*, ut ad tartara in ſempiternum cruciandi mittantur, *evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant ſemper, Dan. 12. 2.* æternitas præmiorum bonis, malis vero pœnarum æternitas dabitur.

Hanc pœnarum æternitatem quam perpeſſuri ſunt reprobi, probe novit ſancta Mater Eccleſia, quæ reprobos ab inferno nunquam redimendos aſſerit, *in inferno nulla eſt redemptio.* Cum quis a Turcis, Mauris, & aliis quibuſque captivus detinetur, aliqua ei ſemper futuræ redemptionis ſpes remanet; ubicumque ſit in hoc mundo, ſemper redimi poteſt: ſed mox ut quis a dæmonibus ad tartara captivus ductus eſt, nulla ei ſpes redemptionis; nec Angeli, nec homines illum unquam redimere poterunt; ſed ibi in perpetuum cruciandus detinebitur. Cum avicula unico capitur laqueo, vix ab illo ſe extricare poteſt; & cum multis laqueis capta detinetur, nequaquam ab iis ſe expedire poteſt: damnati autem plurimis in inferno capiuntur laqueis: *pluet ſuper peccatores laqueos, Pſ. 10. 57.* quare ab iis liberari nequibunt, ſed in æternum iis ligati detinebuntur; nec unquam ab inferni ſuppliciis liberabuntur: *in inferno nulla eſt redemptio.* Quod ita certum credidit D. Auguſtinus, ut dixerit, quod ſi certo ſciret, patrem ſuum ad inferni ſupplicia damnatum, nequaquam pro eo oraret: *ſi ſcirem patrem meum damnatum eſſe, non magis rogarem pro eo, quam pro diabolo.* Non rogaret pro patre D. Auguſtinus: quia qui in inferno captivi detinentur, nullis precibus, nulla arte, nec quocumque modo ab eo liberantur; ſed ibi in æternum captivi remanent, ibique ſuppliciis horrendis in æternum cruciantur; *ibunt hi in ſupplicium æternum.*

De damnatis ait David: *ſicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Pſ. 46. 15.* Reprobi ſunt hœdi in Chriſti ſiniſtra ſtatuendi, & in inferno ſemper cruciandi; cur ergo non dicit Propheta, eos in inferno poſitos, tamquam hœdos, ſed veluti oves, *ſicut oves in inferno poſiti ſunt?* non negat Vates Regius, reprobos in inferno eſſe poſitos, tamquam hœdos: ſed dicit etiam, & merito dicit, eos ibi poſitos eſſe, *ſicut oves*. Ut enim docet Ariſtoteles, oves, inter cetera quadrupedia, ſtolidiora pecora ſunt; *Ariſt. l. 8. de hiſtor. animal.* quod damnatis recte competit, quia cum facile ſalvari potuiſſent, ſegnitie & malitia ſua miſere damnati ſunt, quo nihil ſtolidius. Ecce quomodo in inferno reprobi poſiti ſint *ſicut oves*. Sed addit Propheta, quod ibi *mors depaſcet eos, Pſ. 51. 7.* Non ait, quod mors eos jugulabit, vel trucidabit; ſed quod *depaſcet eos*. Quare, hoc? quia reprobi radicem ſuam non in cælo, ſed in inferno habent, *evellet te, & radicem tuam de terra viventium. Innoc. Papa III. l. 3. c. 9. de contemptu mundi*. Ab inferno autem mors eos numquam eradicabit; ſed ibi eos ſemper depaſcet, & cruciabit; ſemperque paſti denuo reviviſcent; & ſemper cruciabuntur. *Sicut herba ab ovibus paſta, ſemper renaſcitur; ita & damnati, quaſi morte paſti, ſemper reviviſcunt ad mortem, ut æternaliter crucientur & moriantur.*

A Deo poſtulat idem Propheta, ut reprobos in inferno ad modum rotæ ponat, *Deus meus pone illos ut rotam. Pſ. 82. 14.* Non petit, ut ibi ponantur tamquam læſæ majeſtatis divinæ rei; vel tamquam captivi ferreis vinculis conſtricti: ſed quod ibi ponantur ad inſtar rotæ, *pone illos ut rotam*, quare hoc? ratio eſt, quia rota eſt figura circularis, quæ nullum terminum, nullumque finem determinatum habet: verte rotam, quantum volueris, nullum unquam in ea invenies finem; ponuntur autem reprobi in inferno ad modum rotæ, quia ſupplicia eorum numquam ſunt habitura finem. Hujus mundi ſupplicia tranſeunt: *ſagittæ tuæ tranſeunt*; ſed in inferno damnatorum ſupplicia erunt quaſi rota verſatilis: quia nullum habebunt finem, numquam tranſibunt, ſed in æternum durabunt, *pone illos ut rotam*.

Dives avarus qui induebatur purpura & byſſo, & qui epulabatur quotidie ſplendide, poſt mortem *ſepultus eſt in inferno. Luc. 16.* o dignam tali homine ſepulturam! *ſepultus eſt in inferno*: o quam infelix ille epulo! *ſepultus eſt in inferno*, ecce ubi ſepeliuntur quotquot ex hoc mundo exeunt; ſepeliuntur in inferno, & dum in hoc mundo campanæ ſonant, flent propinqui, cantant Presbyteri, hi in inferno a dæmonibus ſepeliuntur. Sed ad quod tempus ibi ſepeliuntur? non ad tempus, ſed in æternum; *ſepulcra eorum domus illorum in æternum. Pſ. 48. 12.* O N. ſi ad Deum toto corde tuo non converteris, in inferno æternum cruciandus ſepelieris.

Cæco illi, de quo Marcus, manus impoſuit Chriſtus: & deinde ab illo petiit, an aliquid videret: reſpondit ille, *video homines velut arbores ambulantes. Marc. 8. 24.* Homo inverſus, ſeu, habens pedes ſurſum, & caput deorſum, eſt ſimilis arbori: ſed qui ſunt homines illi inverſi, & arboribus ſimiles? hi ſunt peccatores, qui omnia præpoſtere faciunt: ſeu, qui omnino faciunt contra quam a Deo iis præceptum eſt. Præcipit Deus inimicos diligere, & hi eos oderunt: præcipit aliena reſtituere, & hi aliena quotidie rapiunt: præcipit jejunare, & gulæ indulgent: præcipit continentiam, & fœdis libidinibus ſe dedunt, hi ſunt *homines veluti arbores ambulantes*; Quid autem fiet de hominibus his qui veluti arbores ambulant, & qui omnino faciunt contra quod iis a Deo præceptum eſt? *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Eccl. 11. 3.* Ex his hominibus inverſis, ex his peccatoribus aliqui ante mortem ad Deum convertuntur, & hi ad auſtrum Paradiſi cadunt, alii vero non convertuntur; & hi ad aquilonem inferni decidunt, ibique remanent, non ad tempus, ſed in æternum; *quocumque loco ceciderit, ibi erit immutabiliter, & irretractabiliter. D. Bern. ſer. 43. ex parvis.* O peccator, o arbor inverſa, ſi in ſtatu mortalis peccati ex hoc mundo exeas, in infernum cades, ibique in æternum cruciaberis: *pœnas dabunt in interitu æternas. 2. Theſſ. 1. 9.* Optarent peccatores in hoc mundo ſine fine vivere ut poſſent ſine fine peccare; quare cum pravo affectu velint ſine fine peccare, juſtum eſt ut pœnis æternis, nullumque finem habituris plectantur, *pœnas dabunt in interitu æternas*. Doctor Angelicus ait, juſtum eſſe ut damnatorum pœnæ tamdiu durent, quamdiu culpæ: culpæ autem eorum durabunt in æternum, quia in inferno nulla fit culpæ remiſſio: quare cum culpæ eorum ſint in æternum duraturæ, pœnæ etiam eorum in æternum durabunt. *D. Thom. in 4. d. 45. quæſt. 2.*

O peccator! hujus vitæ tempus breviſſimum eſt, voluptates quibus gaudes, & peccata quibus adhæres, cito tranſeunt; inferni vero ſupplicia æterna ſunt. Hoc certiſſimum eſt, cum id crebro dicant Scripturæ, SS. Patres aſſerant, & ipſa ratio ſuadeat. Hoc certiſſimum eſt: ergo credendum.

2. Hæc conſequentia legitima eſt, nec negari poteſt, dato antecedente. Sed, heu! licet certiſſimum ſit, æternas eſſe damnatorum pœnas; pauci tamen hoc vere credunt, immo ferre nullus hoc firmiter credit; *nemo credit*.

Refert Ludovicus Granatenſis, hominem fato functum, Deo permittente, cuidam apparuiſſe; cumque ab eo petiiſſet iſte, ut aliquid ex iis quæ in alio mundo fiunt, enarraret; reſpondit mortuus, *nemo credit*. Inſtat alius, rogatque ut dicat, quæ ſint illa, quæ nemo credit: reſpondit mortuus; *nemo credit, quam Deus ſevere puniat. Granatenſ. ſer. 3. in Dominicam 1. Adventus.* Si quæram ab hoc & illo peccatore, an æterna eſſe inferni ſupplicia credant; reſponderent haud dubie, ſe eſſe Chriſtianos; ac non ſolum illud, verum & omnia fidei dogmata firmiter credere; ſed revera *nemo credit, quam Deus ſevere puniat*. Nemo firmiter credit; quia ſi hoc vere & firmiter homines crederent, ab omnibus prorſus peccatis facile declinarent, & omni virtutum generi ſedulo incumberent. Nonne verum eſt, quod ad evitanda flagella, & alia hujus mundi ſupplicia, quæ quidem gravia non ſunt, abſtinent homines a criminibus, ac recte vivunt? quanto magis a vitiis abſtinerent, & virtuti ſtudioſe vacarent, ſi æterna eſſe tartari ſupplicia firmiter crederent? ſed *nemo credit*.

Heu! ſi verum & certiſſimum ſit, æterna eſſe inferni ſupplicia, quare non creditis? *ſi veritatem dico vobis:*

Digitized by Google

*bis: quare non creditis mihi? Joann. 7. 46.* Credite in lucem, ſi filii lucis ſitis; credite hanc veritatem, quæ ipſa luce clarior eſt, credite æterna eſſe inferni ſupplicia; credite, & ſic credite, ut hæc fides ad meliorem vitæ frugem vos excitet. Æternitas pœnarum inferni certa eſt: ergo credenda; ecce quod jam probavimus: *Æternitas pœnarum inferni terribilis eſt: ergo metuenda*; en quod jam probandum; & en ſecundam hujus concionis partem.

## SECUNDA PARS.

*Æternitas pœnarum inferni terribilis eſt: ergo metuenda.*

PRobè adnotavit S. Bernardus, quod cum peccatores ad pœnitentiam ſuſcipiendam hortamur; hoc durum & difficile eſſe reſpondeant, dicantque: *durus eſt hic ſermo. S. Bern. ſer. 3. in Pſ. Qui habitat.* Vis, inquiunt, o Pater, ut reſtituam hæc & illa, quæ a pluribus annis poſſideo? Vis ut abrenuntiem amabili hujus creaturæ conſortio, quam a multo tempore ut uxorem meam inſpicio? Vis ut ex corde diligam hominem illum, a quo male acceptus ſum? Vis jejunem, orem, ſcelera mea diſtinctè confitear, & alia omnia, quæ Chriſtiani hominis ſunt, perfectè adimpleam? hæc dura & difficilia ſunt: *durus eſt hic ſermo.* O Fratres, ſubdit Doctor melliſluus, ſi hæc dura eſſe putetis, fallimini: ſi credatis, durum eſſe aliena reſtituere, jejunare, & pœnitentiam agere, erratis: *durum vobis videtur, cum dicitur, agite pœnitentiam: erratis*; Erratis quidem, ait; quia hæc dura & difficilia non ſunt; *ſed audituri eſtis aliquando verbum aſperum, ſermonem durum: ite maledicti in ignem æternum.* Ecce quod durum: ecce quod terribile! nil hac pœnarum æternitate durius; & terribilius: *hoc durum reputate. Hom. 5. ad pop.*

S. Chryſoſtomus ait, quamplurimos homines ſimiles eſſe parvulis, qui *larvas timent, ignem non timent.* Mox ut puer larvam videt, toto corpore contremiſcit, fugit, latitat: ſed ſi illi objiciatur candela accenſa, non timet: quin contra lucem admiratur, ſubridet, gaudet; immo & digitum facile admovet: hi *larvas timent*, a quibus nihil mali ſuſpicandum; *ignem vero non timent*, a quo comburuntur. His parvulis ſimiles ſunt plerique hominum, inquit Chryſoſtomus: *ſi enim eis dicas*, ut jejunent tota Quadrageſima, trepidant: *ſi dicas*, ut aliena reſtituant, pravos eradicent habitus, & pœnitentiæ operibus inſiſtant, totis artubus contremiſcunt: *ſi dicas*, ut mundi vanitatibus, voluptatibus illicitis, & obſcœnis libidinibus abrenuntient: hæc terribilia iis videntur. Sed ſi iis loquaris de tartareo igne, & terribili æternitate pœnarum, quas in inferno patiuntur damnati, hoc non timent, *timent carcerem*, inquit D. Auguſtinus, *& non timent gehennam: timent quæſtionarios tortores; & non timent infernales angelos: timent cruciatum temporalem, & non timent pœnas ignis æterni. Aug. ſerm. 18. de verbis Apoſt.* O quam ſtolidi, qui tartareum ignem, & æternitatem pœnarum inferni non timent! o quam ſtulti, qui hoc durum & terribile non reputant! nihil enim hac pœnarum æternitate durius, nihil terribilius: *hoc durum reputate.*

Optat Regius Vates, ut homines, dum in hoc mundo vivunt, in infernum deſcendant: *deſcendant in infernum viventes. Pſ. 54. 16.* Non vult Propheta, ut deſcendamus corpore, ſed mente: vult ut formidanda, & æterna inferni ſupplicia ſæpe recogitemus, & ſerio meditemur: & revera nil utilius, nilque ad vitanda æterna tartari tormenta efficacius, quam frequens eorum cogitatio, & ſtudioſa meditatio. Sed, quæro: ſi mente deſcenderemus in infernum, aut ſi Deus, favore quodam ſpeciali, daret, ut videremus infernum, & eos qui in inferno ſunt: quos, quæſo, ibi cerneremus homines? creditis forte, quod ibi videremus ſolummodo agazones, ruſticos, mercenarios, & alios hujus furfuris viros, qui in hoc mundo omnium peripſema fuerunt? Abſit a mentibus noſtris erronea hæc cogitatio: ibi enim videremus Imperatores multos, plurimos Reges, innumeros Principes, alioſque Magnates, qui in mediis ignibus gemunt ut pueri: ibi videremus Alexandros, Cæſares, Pompejos, alioſque orbis domitores, & urbium expugnatores, qui vinculis igneis conſtricti, continue vociferantur: ibi videremus uſurarios, epulones, voluptuarios, libidinoſos, & alios omnis generis peccatores, qui indeſinenter clamant, & ululant ob graviſſima quæ patiuntur, & in æternum paſſuri ſunt tormenta. O quale ſpectaculum! o quam durum, o quam terribile hujuſmodi viris æternas has perpeti pœnas: horremus, & timemus, cum hæc tormenta recogitamus, vel cum aliquem de iis prædicantem audimus: ſed quanto terribilius eſt ea pati; & in æternum pati: *hæc ſolo auditu valde ſunt terribilia, quanto magis paſſione? S. Greg. lib. 20. Mor. c. 11.* Heu! in æternum privari Dei viſione, in æternum ſeparari a Sanctis, in æternum tetro carceri mancipari, in æternum flammis voracibus involvi, in æternum conſcientiæ verme corrodi, in æternum a dæmonibus cruciari: *hæc ſolo auditu valde ſunt terribilia; quanto magis paſſione?* O quam terribilis! o quam formidanda hæc pœnarum æternitas! Sed ſi terribilis eſt; *ergo metuenda.*

Hæc conſequentia negari non poteſt; omne enim terribile timendum: quare ſi æternitas pœnarum inferni terribilis eſt, timenda etiam eſt. Sic ratiocinabatur S. Cyrillus Alexandrinus, qui inferni timebat ſupplicia, quia æterna: *gehennam timeo, quia interminatam. S. Cyrill. in orat. de exiſt. anim.* Si cito tranſirent hæc ſupplicia, dicere forte poſſet aliquis: hæc tormenta ſunt quidem acerba, ſed cito tranſibunt: & ideo illa non timeo. Sed quis homo ſanæ mentis, æterna ſupplicia non timebit? quis homo, ſi ſtolidus non ſit, dicet, illa tormenta acerba ſunt & æterna ſunt: ergo illa non timeo? Stultus certe cenſeretur qui ſic ratiocinaretur. Quare aliter ratiocinare, & dic: hæc tormenta gravia ſunt, æterna ſunt, terribilia ſunt? ergo in illa incurrere timeo: *metuo gehennam quia æterna eſt. S. Cyrill. Ibid.*

Sic ratiocinari deberes, o peccator, & terribilem pœnarum æternitatem formidare. Si enim aliter ratiocinaris, & hanc ſuppliciorum æternitatem non metuis, non homo rationalis & Chriſtianus, ſed homo inſenſibilis, & ipſo marmore durior es: *Si horribilia illa tormenta non metuis, diſputamus cum corde lapideo. S. Baſil. ho. 7. in diteſcent. avar.* O cor lapideum! o homo obdurate! times unius diei febrim, unius hebdomadæ pœnitentiam, vel unius Quadrageſimæ jeju-

jejunium, & non times terribilem pœnarum inferni æternitatem? ſtultus es, obduratus es, & ipſis lapidibus durior: *diſputamus cum corde lapideo*.

O peccator, time quod timendum; gehennam time, time pœnarum æternitatem: quia terribilis eſt. Eam ita timebat S. Hieronymus, ut ob ſuppliciorum inferni timorem, in altam ſe receperit ſolitudinem; ibique intra horrendum antrum ſeſe clauſerit: *ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum. S. Hier. ep. 22. ad Euſtoch.* Imitare, ſaltem in aliquo, ſanctum hunc Eccleſiæ Doctorem: & ſi in antrum, pœnitentiam acturus, non te recipias: terribilis ſaltem hujus æternitatis cogitatio, a peccatis te avocet: *pro fræno metus gehennæ imponatur cordibus noſtris. Chryſ. hom. 29. in Ep. ad Epheſ.* Cum peccandi ſeſe offert occaſio, dic intra temetipſum: nolo hoc peccatum perpetrare: quia æterna ſunt inferni ſupplicia: cum quis tentator ad illicita te provocat, dic intra te: ab his abſtinere volo: quia terribilis eſt æternitas ſuppliciorum, quia reprobi in inferno plectuntur; cum dæmon, natura corrupta, vel pravus cordis tui affectus, te ad malum inclinet, confige timore carnes tuas, timor & tremor veniant ſuper te, ac intus dic, timeo terribilia & æterna inferni tormenta, quare ab hoc, & illo peccato abſtinere volo: timor ille ſit frænum, quo a peccando cohibearis: *Pro fræno metus gehennæ imponatur cordibus noſtris*.

Multi, etiam impii & Paradiſo indigni, tanta cum ſecuritate conſiſtunt, quanta ſi Deus revelaſſet, eos in libro vitæ eſſe conſcriptos. Sed in hoc mundo timere debent omnes; & beati illi quorum corda ſalubri timore ſemper configuntur; *beatus homo, qui ſemper eſt pavidus*. Timere debemus Dei judicia quæ occulta ſunt, fragilitatem cordis noſtri quod inconſtans eſt, dæmonis aſtutiam quæ magna eſt, ſenſuum noſtrorum tyrannidem quæ gravis eſt, & pericula ſalutis quæ evidentia ſunt. Timere debemus gratiæ Dei jacturam, mentis noſtræ tepiditatem, pravos habitus quibus ad peccandum allicimur, & frequentem in peccatum recidivam; quæ efficit, ut paulatim imminuantur ſpecialia auxilia, quæ Deus dare ſolitus erat. Timere debemus Deum, qui injuriæ ſibi illatæ non obliviſcitur, qui peccata hominum, infinita ſapientiæ ſuæ bilance librat, & qui ingratos peccatores tandem aliquando derelinquit, excæcat, indurat, & reprobat. Hæc quidem omnia, & alia multa timenda ſunt; ſed in primis timendus carcer ille tartareus, flammis refertiſſimus, in quo Deus ſuos in æternum recludit & punit inimicos. Timenda hæc pœnarum æternitas: quia terribilis; *ſed vitanda etiam, quia intolerabilis*.

## TERTIA PARS.

*Æternitas pœnarum inferni eſt intolerabilis: ergo vitanda.*

PUerorum more ratiocinamur, inquit D. Auguſtinus, cum per multitudinem dierum, per longitudinem temporum, & per ſæculorum durationem, æternitatem explicare ſuſcipimus: quia omnia annorum & ſæculorum ſpatia, ſi cum æternitate conferantur, exigua ſunt, momentanea ſunt, & quaſi nihilum reputanda ſunt. *Auguſt. in Pſ. 90.* Hæ noſtræ menſuræ pueriles, & riſu dignæ ſunt: quia temporis ad æternitatem nulla eſt proportio, & quidquid ad explicandam æternitatem quis dicat, eam explicare non valet, ſemperque minus dicit: *de æternitate quidquid dixeris, minus dicis. Ibidem.* Si dixeris, æternitatem tot annorum conſtare millionibus, quot in toto oceano ſunt guttæ, *minus dicis*. Si denuo omnes illas aquæ guttas ſumpſeris, eaſque multiplices per mille millionum milliones; ac dicas æternitatem tot annorum millionibus duraturam, quot eſſent ibi guttæ; *minus dicis*. Velim, adhuc cogites tantum annorum numerum, quantum cogitare poteris; annos tantum mente multiplices, quantum multiplicare fas erit, ac numerum annorum augeas, quantum augere licebit; nunquam tamen ad explicandam æternitatis durationem pervenies; ac quidquid de æternitate dicas, minus dices; quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio; *quæ finem habent, cum æternitate comparari non poſſunt. Ibid.*

Firmiſſimo autem hoc fundamento poſito, quæro nunc a te, o peccator; ſi ex ſæcularis juſtitiæ ordinatione cogereris ad immittendum brachium in ignem, vel in fervens oleum, & ad illud ibi relinquendum, donec totaliter conſumptum eſſet; qualis hæc tibi pœna? talis quidem ut eam intolerabilem diceres. Sed ſi, Deo ſic ordinante, & brachium tuum miraculoſe conſervante, cogereris ad illud intra ignis rogum uno & pluribus annis conſtanter tenendum? quale hoc tibi ſupplicium! tale ſane, ut non ſolum a te, verum & ab omnibus intolerandum cenſeretur. Sed quid dicendum de inferno, in quo reproborum brachia, pedes & corpora integra, non ſolum ad aliquos annos, ſed in æternum flammis voracibus, & terribilibus ſuppliciis addicentur? hæc certe ſuppliciorum æternitas intolerabilis erit. Heu! inquit S. Gregorius, ſi intolerandos credimus podagræ, dentium, & alios dolores, quos aliquando in hoc mundo patimur, quanto intolerabiliora inferni ſupplicia, quæ æterna ſunt: *Si ferri modo vix poteſt Dei ira, quæ purgat, quomodo feretur ira, quæ reprobat in æternum? S. Greg. lib. 21. Mor. c. 16.*

Dolores & pœnæ quæ ex ſeipſis leves ſunt, diuturnitate ſua graves & intolerabiles fieri ſolent. Febris quartana, v. g., non cenſetur malum grave; ſi tamen viginti aut triginta annis continuis hac febre quis laboraret, diuturnitas eam intolerandam efficeret. Aciculæ punctio gravem non cauſſat dolorem; ſi tamen hanc punctiunculam toto unius horæ tempore continuam pati quis compelleretur, gravis eſſet ille dolor; ſi uno, vel pluribus annis hunc dolorem, ex ſe levem, quis perferre cogeretur, ille dolor diuturnitate ſua graviſſimus & intolerandus fieret. O peccator, a levi hoc dolore ad formidanda damnatorum tormenta mentem transfer. Heu! ſi una febricula, aut unius aciculæ punctio, diuturnitate ſua tibi intolerabilis videtur, quanto intolerabilius eſt, graviſſima inferni ſupplicia pati, & in æternum pati? Hoc ſane intolerabile dicendum eſt; *ardebunt miſeri in igne æterno in æternum, ibi erit dolor intolerabilis. D. Bern. lib. de anim. c. 3.*

Ipſa experientia conſtat, non ſolum hujus mundi ſupplicia, verum & ipſas delicias, ſi diu durent, diu-

diuturnitate ſua intolerabiles fieri. Homo, v. g. de itinere feſſus, molli decumbat lecto; hoc illi ſuaviſſimum; ſed ſi ibi uno, vel plurimis annis immobilis remanere cogeretur, hoc illi durum & intolerabile videretur. Homo fame preſſus, aſſideat menſæ exquiſitis multis cibis refertæ; hoc quidem illi ſuave, hoc delectabile multum; ſed ſi ibi neceſſario manſurus eſſet decem annis continuis & integris, tæderet eum vitæ, nauſearet ſuper iis cibis, & quod erat prius in oblectamentum, verteretur tandem in ſupplicium intolerabile. Heu! ſi diuturnitas ipſas delicias in ſupplicia mutet, quid dicendum de æternis reproborum tormentis! nonne hæc diuturnitate ſua intolerabilia ſunt? nonne intolerabile, intra tetrum inferni carcerem in æternum recludi? nonne intolerabile, a diro conſcientiæ verme in æternum rodi? nonne intolerabile, in æternum ab igne voraciſſimo comburi, & alia inferni ſupplicia perpeti? intolerabilia certe hæc ſupplicia; quia perpetua. Sed ſi intolerabilia ſint, totis conatibus laborandum, ut ea devitemus: ſi æternitas pœnarum inferni eſt intolerabilis, *ergo vitanda*.

2. Sic ratiocinabitur quicumque ratione pollebit. Ipſa enim animalia bruta virgam, flagella, & alia ſupplicia, quæ ſibi imminere norunt, pro viribus vitare conantur: ſi ergo ſtulti, & beſtiis ſtolidiores non ſimus, inferni ſupplicia, quæ æterna & intolerabilia ſunt, devitare debemus. Sed, heu! inquit D. Auguſtinus, licet certum ſit, nullum, ſi ſanæ mentis ſit, pro unius diei deliciis velle centum annorum ſupplicia perferre: multi tamen ita ſtulti, ut cum voluptatibus carnis & deliciis ſæculi adhæreant, æterna & intolerabilia inferni tormenta declinare nullo modo curent: *Quis enim ſano ſenſu pro unius diei deliciis, centum annorum pœnam eligeret? Et miſeri tamen illi, qui ſine ulla ſapientia, voluptatem carnis ſequentes, non vitant vitia, non effugiunt intolerabiles pœnas, non centum annorum, non millies mille, ſed ſine fine omnium ſæculorum. Auguſt. lib. de triplic. habit. c. 3.*

Juſtinus Martyr Gentilium deflet infelicitatem, qui cunctis ſe dabant criminum generibus, quia & peccati malitiam, & æterna inferni ſupplicia ignorabant. *Apol. 2.* At quanto magis deflenda tot Chriſtianorum miſeria, qui cum noverint quam magna ſit peccati malitia, quam gravia inferni ſupplicia, & quam intolerabilis pœnarum æternitas, libere tamen omnibus ſe dedunt peccatis, nec de vitanda pœnarum æternitate fatigant. O peccator, ſi ſapias, & ſi recte ratiocineris, ab omni peccatorum genere declinabis, pravos eradicabis habitus, occaſiones peccandi fugies, ac facies, quidquid poteris, ut æterna & intolerabilia inferni ſupplicia devites: *cavendi ſunt inferiores inferi, id eſt, poſt hanc vitam pœnæ graviores S. Aug. lib. de ver. relig. c. 52.* Æternitatem ergo pœnarum inferni crede, time, cave: *crede*, quia certa eſt; *time*, quia terribilis eſt; *devita*, quia intolerabilis eſt.

Scio, quod ſi quæram ab aliquo, etiam impio, an intoleranda inferni tormenta devitare velit; non eſt qui non dicat, ac ſerius proteſtetur, ſe toto cordis affectu ea declinare velle. At, o peccator, quid agis, ut ea declines? quid facis, ut hæc ſupplicia devites? fugiſne omne peccati genus? ſervaſne fideliter Dei mandata? incumbiſne pœnitentiæ operibus? vacaſne humilitatis, patientiæ, caritatis, aliiſque criſtianarum virtutum exercitiis? Heu! innumeris forte inquinata eſt anima tua peccatorum maculis; unicum forte veræ contritionis actum numquam elicuiſti: forte peccata tua nuſquam debite confeſſus es; & forte non bonis, ſed malis continue incumbis operibus. O peccator, ſi intolerabilem hanc æternitatem devitare velis, peccata mortalia devita, quæ pœna plectuntur æterna; & pœnitentiam age, quæ æternos inferni ignes extinguere valet: *gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet. Tertul. lib. de pœnit. c. 12.*

Pro concionis iſtius concluſione, velim ſolummodo ut præclara hæc D. Auguſtini verba mente revolvas: *aut in æternum bene, aut in æternum male. S. Bern. lib. de anim. c. 13.* O peccator, nullum datur medium inter duas has æternitates: nihil mediat inter æternitatem beatam, qua in cælo fruuntur Sancti, & æternitatem pœnarum, quas in inferno reprobi patiuntur; una aut altera ex his duabus æternitatibus tibi neceſſario continget; oportet in æternum aut cæli gaudia poſſideas, aut inferni ſupplicia ſuſtineas: *aut in æternum bene, aut in æternum male.* Vide nunc quid mavis, quamque ex his duabus æternitatibus eligas: *alterum e duobus eligamus, aut ſemper cruciari cum impiis, aut perpetualiter lætari cum Sanctis.* Certe, ſi ſapias, omnibus modis tibi poſſibilibus, pœnarum æternitatem vitare conaberis: quam ſi devites, æternitatem beatam infallibiliter aſſequeris. *Amen.*

## F E R I A III.

## POST DOMINICAM SECUNDAM.

# DE SACERDOTIO.

*Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Matth. 24.

Sicut eminentiſſima eſt Sacerdotum dignitas: ita & ſanctiſſima eſſe debet eorum vita. Sicut alii eminent dignitate: ita etiam eminere debent ſanctitate; ac, ut ait Salvianus: *Tanto Sacerdotes anteſtare ceteris oportet devotione, quanto anteſtant omnibus dignitate: tantum eos excellere oportet merito, quantum gradu. Salvian. lib. 2. ad Eccl. Cath.*

Ne arbitremini, charitatem, humilitatem, puritatem, aliaſque virtutes a Sacerdotibus poſſideri debere in gradu remiſſo. Ne credatis, talem vitam, taleſque ſolummodo eſſe debere Sacerdotum virtutes, quales laicorum: quid enim eminentius, & longe perfectius in Sacerdotibus, quam in aliis deſideratur; ac ſicut portentoſa eorum eſt dignitas; ita & eorum vita, eorumque ſanctitas admiranda, nec non portentoſa eſſe debet. Et ideo Sacerdotes vocantur *viri portendentes Zach. 3. 4.* & portentoſi: quia ſcilicet per eximiam ſuam ſanctitatem reliquos homines obſtupefacere debent, non minus quam ſi eſſent cæleſtia quædam portenta, oculis omnium expoſita, ut omnes in admirationem & ſtuporem rapiant.

Eximia quidem ſanctitate pollere debent omnes Sacerdotes. Sed ſive ſancti illi ſint, ſive peccatores, erga illos religioſe nos habere, multaque eis præſta-

ſtare debemus. Quæ autem illa ſint, & quomodo reſpectu illorum nos gerere teneamur; tota hac concione explicabimus &c. *Ave*.

SCribæ & Phariſæi, de quibus in hodierno Evangelio, ſedebant, dicebant, & faciebant. *Sedebant* ſuper cathedram Moyſi, tamquam homines ceteris dignitate ſua eminentiores: *dicebant* populis, & docebant quæ juxta Legem facienda erant: *faciebant*, non quæ aliis facienda prædicabant, ſed opera multa mala. Unde Chriſtus ad facienda, non quæ illi faciebant, ſed quæ facienda dicebant, hortabatur; *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundum opera vero eorum nolite facere. Matth. 23.*

Sicut autem Moſaicæ, ita & novæ Legis Sacerdotes ſedent, dicunt, & faciunt. *Sedent* quidem in gloriæ & honoris throno; quia ratione characteris, & dignitatis ſuæ, ſuper alios homines ſublimantur. *Dicunt* etiam, & ratione miniſterii ſui, populis loquuntur, jam ut animarum Paſtores, jam ut Concionatores in Cathedra tonantes, & jam ut Judices in ſacro pœnitentiæ tribunali ſedentes. *Faciunt* tandem multa bona opera, ſed quia homines ſunt, & infirmi, nonnumquam ad gravia peccata declinant.

Si Sacerdotes noſtri ſuper thronos ſedeant; ſeu, ſi dignitate ſua aliis emineant, eos venerari debemus; ſi in miniſterii ſui exercitio loquantur, verbis eorum debemus obtemperare; ſi tandem, ex humana infirmitate, in gravia ſcelera incidant, eorum ignominiam operire, illorumque peccata occultare debemus. Ecce quid Sacerdotibus debeamus. Quod ut clarius & brevius proponam, dico, quod debeamus: 1. Sacerdotes venerari: 2. verbis eorum obtemperare; 3. peccata illorum tegere.

## PRIMA PARS.

*Sacerdotes venerari debemus.*

APud omnes mundi Nationes in magna ſemper veneratione habiti ſunt Sacerdotes. Apud Æthiopes, ad Solium regium non ſublimabantur, niſi qui Sacerdotes erant: apud Perſas, nullus Rex eſſe poterat, quin ſimul eſſet & Sacerdos: apud Ægyptios, majoris momenti controverſiæ a Sacerdotibus decidebantur: apud Athenienſes, famoſi illius Areopagi Senatus ex Sacerdotibus componebatur; antiqui tamdem Romani, & omnes alii populi, Sacerdotes ſuos ſumme venerati ſunt. Nec mirum, cum ſacerdotalis dignitas tanta ſit, ut regiæ, angelicæ, & divinæ comparetur. *Regiæ*, quam non ſolum æquat, ſed ſuperat: *Angelicæ*, quam non ſolum attingit, verum & præit: *divinæ*, quam cum antecedere nequeat, eam tamen æmulatur. Et ideo Sacerdotes venerari debemus: 1. plus quam terrenos Reges, cum eos dignitate præeant: 2. plus quam Angelos, cum dignitate ſua Angelis emineant: 3. ut Deos, cum dignitate ſua Deo ſimiles videantur.

1. Falluntur, qui cum Reges indutos purpura, aurea corona redimitos, innumeris ſtipatos militibus, & Aulicis adorantibus circumdatos videant, eos aliis omnibus hominibus eminere cenſent: regia etenim dignitas ſacerdotali ſubeſt, & minimi quique Sacerdotes, maximos quoſvis Reges & Imperatores dignitate ſua præeunt: *Imperium*, ut ait Summus Pontifex Innocentius III. *non præeſt Sacerdotio; ſed ſubeſt. Refer. in lib. 1. Decret.*

Cum Reges Magi antrum Bethlehemiticum, Chriſtum adoraturi, adierunt, Deus ſtellam in viæ ducem iis dedit: cum autem, adorato Chriſto, ad propria redire voluerant, non ſtellam iis in viæ ducem Deus dedit; ſed Angelum, qui omnibus ſtellis longe nobilior eſt. Cur eis nobilior datur dux, cum ex antro Bethlehemitico redeunt; quam cum ad illud ſe conferunt? Præclaram, noſtroque propoſito congruam hujus rei rationem adducit Sanctus Chryſoſtomus, dicens, Magos fuiſſe ſolummodo Reges, cum in Bethlehem vaderent; & fuiſſe Sacerdotes cum a Bethlehem exirent: quia a Chriſto in Sacerdotes fuerant conſecrati, & ideo nobilior iis a Bethlehem redeuntibus dux datus eſt: quia ſacerdotalis dignitas qua tunc fulgebant, regia longe eminentior eſt: *nec jam ſtella eos, ſed Angelus ſuſcipit: quia, ſcilicet, adorando facti fuerant Sacerdotes. Chryſoſt in. homil. 7. in Matth.*

Si Sanctorum Patrum dictis probare vellem ſacerdotalem dignitatem regiæ anteire, hic advocarem Sanctum Ambroſium, qui in capite ſecundo libri, quem de ſacerdotali dignitate conſcripſit, expreſſe ait, quod *dignitas ſacerdotalis multo excellentior eſt, quam Regum & Principum*. Poſſem & hic adducere Sancti Chryſoſtomi verba, dicentis, quod *Sacerdotium principatus eſt, ipſo etiam regno venerabilius ac majus. Chryſoſt. homil. 5. in cap. 5. Iſ.* Mihi tandem facillimum eſſet innumeras alias Sanctorum Patrum hic referre auctoritates, quibus conſtaret, eos omnes, nullo excepto, docere, quod ſacerdotalis dignitas regali antecellat. Sed ad quid tot verba, totque ſententias congererem, cum ipſa ratio luce clarius manifeſtet, regiæ ſacerdotalem dignitatem longe anteire?

Et revera: quid in Rege magnum, quod in Sacerdote majus non ſit? In Regibus admiramur magnam illam poteſtatem & auctoritatem qua præditi ſunt, quæ nonnumquam ad plurimas Provincias, & ad longe diſtantes terræ partes protenditur: ſed Sacerdotum poteſtas, omnes univerſæ terræ terminos prætergreditur, ac uſque ad cæleſte regnum, necnon uſque ad portas inferi dilatatur. Reges corporibus dominantur, & Sacerdotes animis. Reges politicas & civiles promulgant leges: Sacerdotes vero Canonicas & Eccleſiaſticas ad animarum regimen leges inſtituunt. Multos auri & argenti theſauros congregare ſolent Reges: ſed Sacerdotes longe præſtantiores divinæ gratiæ theſauros in manibus ſuis habent. Reges ad beneplacitum ſuum plebejos nobilitant: Sacerdotes ad filiorum Dei nobilitatem ingratos peccatores ſublimant. Adverſus terrenas poteſtates belligerare ſolent Reges. Sacerdotes vero aereas & tartareas debellare docent. Reges nonnumquam aliquos homines in captivitatem redigunt: Sacerdotes vero ipſos etiam Reges a dæmonis & peccati captivitate liberant. Regibus obediunt homines; & Sacerdotibus quaſi obtemperat ipſe Chriſtus, qui, mox ut a Sacerdote proferuntur hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, a ſummo cælo deſcendit, & Eu-

& Euchariſtico Pani ſe præſentem exhibet. O magnam Sacerdotum dignitatem! quæ quidem regiæ longe antecellit: quare cum Sacerdotes Regibus dignitate præeant, eos etiam præ omnibus terræ Regibus venerari debemus: præcipit Deus, ut Reges veneremur: *Deum timete, Regem honorificate*: 1. *Pet.* 2. 17. ſed Sacerdotes majori honore & reverentia proſequendi ſunt, quia omnes Reges dignitate ſua antecedunt. Et non ſolum terrenos Reges, *verum & ipſos Angelos*.

2. In Libro Apocalypſeos dicitur, quod cum Angelum Joannes adorare voluerit, id pati noluit Angelus, dicens: *vide ne feceris, conſervus tuus ſum. Apocal.* 19. 10. Cur ſe a Joanne adorari prohibuit Angelus? propter dignitatem utique ſacerdotalem, quæ angelica eminentior eſt: indecens enim viſum eſt Angelo, ut Joannes, qui ob ſacerdotalem dignitatem Chriſtum Angelorum Regem manibus ſuis geſtare ſolitus erat, Angeli unius pedibus ſubſterneretur.

Non ſine admiratione in ſacra Scriptura legi; Angelos in cælo coram Deo ſtare, Sacerdotes vero cum Deo ſedente ſedere. Angeli quidem in cælo, more famulantium, coram Deo ſtare dicuntur: de Seraphinis enim ait Iſaias, quod ante Deum ſtent; *Seraphim ſtabant: Iſa.* 6. 2. De aliis Angelis legitur apud Danielem, quod *centena millia aſſiſtebant ei; Dan.* 7. 10. Scimus etiam Archangelum Raphaelem declaraſſe, ſe cum nonnullis aliis ante Deum ſtare; *ego ſum Raphael Angelus unus ex ſeptem qui ſtamus ante Dominum. Tob.* 12. 15. Hi & aliis ſacræ Scripturæ locis Angelos in cælo ſtare conſtat; Sacerdotes vero ibi non ſtant, ſed ſedent; de Apoſtolis enim, qui ſacerdotali charactere erant inſigniti, dicitur, quod cum Chriſto ſedente ſedebunt; *cum ſederit Filius Hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim. Matth.* 19. Cur, quæſo, ſtantibus coram Deo Angelis, ſedent Sacerdotes, niſi quia Sacerdotes dignitate ſua eis antecellunt?

Quod ut non ſine ratione dictum credatur, Angelos cum Sacerdotibus conferamus, iſtorumque ſupra alios multas prærogativas adnotemus. Angeli omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus; qui Dei præceptis obtemperant, & faciunt verbum ejus; Sacerdotibus vero ipſe Deus quaſi obedit, & verbis ſacramentalibus a Sacerdote prolatis ipſe Chriſtus obtemperat. Stant, ut diximus, in cælo Angeli, dum Sacerdotes ſedent, ſtant illi coram Dei throno; & iſti ad Dei menſam accumbentes, pane Angelorum veſcuntur. Si Angeli cælos & elementa gubernant: Sacerdotes Eccleſiam moderantur & animas: ſi Angeli globos cæleſtes movere valeant, hominibus cæli & paradiſi portas Sacerdotes aperiunt: ſi Angeli a Deo ad homines purgandos, illuminandos, & perficiendos mittantur; iidem homines a Sacerdotibus per Sacramenta purgantur, concionibus illuminantur, & orationibus perficiuntur. Quid plura? Sacerdotes poteſtatem habent ligandi, & ſolvendi peccata, quod non poſſunt Angeli: Sacerdotibus data eſt poteſtas conſecrandi; & Chriſtum ſub ſpeciebus Euchariſticis collocandi: qua poteſtate Angeli carent. Sacerdotes tandem in die Judicii judicantes ſedebunt, dum a Sacerdotibus judicandi ſtabunt Angeli: *neſcitis quoniam Angelos judicabimus?* 1. *Corinth.* 6. 3. Videte ergo quanta præ Angelis dignitate Sacerdotes polleant: videte quantum præ illis emineant; ſed identidem eos præ Angelis veneramini, quia tanto quis majori honore dignior, quanto præ aliis eminentior: & ideo cum Sacerdotes Angelis dignitate præeant, majori honore ab hominibus proſequendi ſunt Sacerdotes quam Angeli. Sed Sacerdotes ſunt etiam maximè honorandi, *quia dignitate ſua Deo aſſimilantur*.

3. Sacerdotalem dignitatem cum divina conferre, & Sacerdotes Deos vocare pertimeſcerem, ni eos in ſacra Scriptura ſæpe Deos dici, certo ſcirem. Sacerdotes enim ſunt Dii quibus detrahere Deus prohibet: *Diis non detrahes*; *Exod.* 22. 27. ſeu, ut explicat ſummus Pontifex Innocentius III. *Sacerdotibus non detrahes*. Et revera Deus Jovi, Apollini, Mercurio, aliiſque falſis diis detrahere non vetat, ſed Sacerdotibus, qui veluti Dii ſunt in terra, quique dignitate ſua divinam æmulantur, ac ut ait S. Gregorius Taumaturgus: *Sacerdos Deus eſt, alioſque Deos efficit. S. Gregor. Taum. in cap.* 1. *Apocal.* Deus eſt non re, ſed participatione: quia divinam dignitatem aliquo modo participat.

De Sacerdotibus loquens Propheta, ait: *ego dixi, Dii eſtis*. Quæ Davidis verba exponens Innocentius Papa: *per Deos*, inquit, *Sacerdotes intelligis, qui per excellentiam ordinis, & officii dignitatem, Deorum nomine nuncupantur*. Innocentio conſentit Cardinalis Petrus Damianus, dicens: *Dii dicuntur Sacerdotes, propter accepti miniſterii Sacramentum. Pſalm.* 81. 1.

Idem Propheta, Deum in medio Deorum ſtetiſſe, ait: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*. Quomodo in medio Deorum ſtare poteſt Deus, cum ipſe ſolus Deus ſit, nec alius præter eum Deus eſſe poſſit? Verum quidem, quod Deus unicus ſit, nec plures Dii eſſe poſſint: Sacerdotes tamen vocantur Dii ratione officii, ratione poteſtatis & dignitatis ſuæ, quæ divinam æmulatur. Unde, inquit Sanctus Auguſtinus, Deus dicitur ſtetiſſe in medio Deorum, id eſt, *in medio Sacerdotum*, qui dignitate ſua quaſi Dii ſunt in terra.

Eos ut Deos inſpiciebat Conſtantinus magnus, de quo in ſacro Canone fertur, quod cum ei nonnullæ contra Sacerdotes ſcripto oblatæ fuiſſent accuſationes, libellos quidem accuſationis accepit; ſed vocatis iis, adverſus quos dati erant, in eorum conſpectu libellos quos acceperat, flammis injecit, memorabilia hæc proferens verba: *vos Dii eſtis a vero Deo conſtituti, ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite: quia dignum non eſt, ut nos judicemus Deos*. Non deſpiciebat Sacerdotes Conſtantinus, vilibus eos officiis non addicebat, ut plerique Nobilium facere ſolent: ſed eos ut Deos intuebatur & venerabatur; eos ſimiliter quiſque veſtrum plus quam Reges, plus quam Angelos, & ut Deos venerari debet: At ſi Sacerdotes ſint honorandi, *eorum etiam verbis obtemperandum eſt*.

SE-

## SECUNDA PARS.

*Sacerdotum verbis obtemperare debemus.*

SAcerdotes populo chriſtiano loquuntur, aut ut Paſtores, aut ut Concionatores, aut ut Judices. *Loquuntur ut Paſtores* in Eccleſiis ubi præſunt, cum fideles quæ facienda, & quæ vitanda ſunt, docent: *loquuntur ut Concionatores*, cum verbum Dei prædicant: & *loquuntur ut Judices*, cum in ſacro Pœnitentiæ tribunali, abſolutionis, vel condemnationis ſententias dicunt. Sacerdotum autem verbis obtemperare debemus: 1. cum loquuntur ut Paſtores: 2. cum loquuntur ut Concionatores: 3. cum loquuntur ut Judices.

1. Plus credunt homines factis, quam dictis: & error hic apud fideles invaluit, quod hæc potius faciant, quæ a Paſtoribus fiunt, quam quæ ab iis facienda eſſe audiunt. Cum Paſtor quidam, ut officio ſuo ſatisfaciat, juſtam & piam aliquam ad fidelium ſalutem legem inſtituit: mox quiſque inſpicit an Paſtor id faciat, quod aliis faciendum proponit, & an opera ejus cum verbis concordent. At cæci eſſe debent fideles, ut non videant Paſtorum ſuorum actiones, cum malæ ſunt: non aſpicere debent quid faciant, ſed quid dicant: non curioſe ſcrutanda eorum opera, ſed humiliter audienda illorum verba, iiſque religioſe obtemperandum: cum non vana, non inutilia, non mala, nec Legi Dei repugnantia, ſed ad ſalutem utilia docent.

Ex Scribis & Phariſæis multi erant Sacerdotes & Levitæ, qui peſſime vivebant: cum eſſent hypocritæ, ſuperbi, ambitioſi, dilatantes phylacteria ſua, onera importabilia aliorum humeris imponentes, & opera ſua ut ab hominibus viderentur facientes. Primævis autem Chriſtianis præcipit Chriſtus, ut peſſimorum illorum Sacerdotum verbis obedirent: *omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite, ſecundum opera vero eorum nolite facere. Matth. 23. 1.* Noluit Salvator, ut fideles Scribarum & Phariſæorum mala opera intuerentur, & imitarentur: ſed quod eorum verbis parerent. Similem in modum hujuſce ævi Chriſtiani Sacerdotum & Paſtorum ſuorum opera mala ſcrutari non debent, ſed eorum verbis accurate & religioſe obtemperare tenentur, cum quæ ſalutis ſunt præcipiunt: *quæcumque dixerint vobis, facite.*

Non veneramur crucem, quia argentea vel aurea eſt: ſed quia crux eſt, ſeu, quia Chriſti crucifixi figura eſt. Sic Sacerdotum, qui Paſtores noſtri ſunt, verbis obedire debemus, non quia Paſtores ſancti, pii, vel docti ſunt: ſed quia Paſtores noſtri ſunt, a Deo miſſi, ut viam & ſcientiam ſalutis nos doceant. Et ideo non inſpiciendum; an hi boni vel mali ſint, an bona vel mala ſint eorum opera: ſed humiliter audiendi ſunt, & verbis eorum eſt fideliter obtemperandum. Cum dicunt, aliena reſtituenda, cuique ſuum tribuendum eſſe, Deum colendum, & parentes honorandos: non inſpiciendum, an illi hoc faciant, ſed hæc accurate facienda ſunt. Cum ex Lege divina, vel Eccleſiaſtica dicunt, abſtinendum a carnibus, a furto, a rapina, & aliis quibuſque vitiis: non intuendum, an hi ab hujuſmodi abſtineant, ſed ab iis abſtinendum: ac omnia facienda ſunt, quæ ad ſalutem facienda proponunt: *quæcumque dixerint vobis, facite.*

Præclare dicebat Diogenes, Sacerdotes ſimiles eſſe citharæ. Cum ſuaviter pulſatur cithara, attento animo harmoniam ejus audis, nec inſpicis an ipſa aures habeat ad audiendum jucundum hunc ſonum, quem edit: ad hujus etiam citharæ ſonum nonnumquam ſaltas, & choreas ducis: nec curas an ipſa cithara ſaltet, vel non ſaltet. Eodem prorſus modo quiſque ſe gerere debet reſpectu Sacerdotum & Paſtorum qui viam Dei docent: hi ſunt quaſi citharæ, quæ a Deo coram nobis pulſantur: quare audiendi ſunt, eorumque verbis obediendum: non inſpiciendum an illi faciant quæ ipſi facienda dicunt: ſed ea a nobis facienda, quæ ipſi facienda proponunt: *quæcumque dixerint vobis, facite.* Non enim præcepit Deus ut ea faceremus quæ Sacerdotes faciunt, ſed ut quæ dicunt faciamus: *quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere.* Quare Sacerdotibus, qui ut Paſtores veſtri, docent vos viam ſalutis, humiliter obedite, eaque facite quæ facienda dicunt: *Sed obediendum etiam Sacerdotibus qui in Cathedra loquuntur, ut Concionatores.*

2. Certum eſt, Concionatores non tam dictis docere debere, quam factis: quia facilius quiſque ad pietatem inſtituitur per exempla, quam per documenta. Exempla enim videntur, & verba audiuntur: ſegnius autem ad pietatem animos irritant quæ dimittuntur per aures, quam quæ oculis ſubjiciuntur.

Sed velim, Sacerdotum prædicantium vitam eſſe minus rectam: velim, ut plurimis, & gravibus vitiis dediti ſint: non inſpiciendum quæ & qualis ſit eorum vita: non ſcrutanda eorum opera, ſed audienda eorum verba; idque faciendum, quod ipſi faciendum proponunt. Non enim dixit Chriſtus, beatos fore illos qui Sacerdotes malos imitantur, & qui ea faciunt quæ & ipſi faciunt: ſed eos beatos declarat, qui Sacerdotes concionantes humiliter audiunt, & eorum verbis fideliter obtemperant: *beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Luc. 21. 18.* O N. non habeas oculos ut videas malum: non intuearis, quibus imperfectionibus, quibuſque vitiis obnoxius ſit Prædicator, qui ex Cathedra verbum Dei populo annuntiat: non inſpicias, an ille bonus vel malus ſit; ſed bona quæ profert verba, attente audi, ejuſque dictis, quantum fas erit, obtempera. Cum Prædicator aliena reſtituenda dicit, propriis dominis quæcumque inique detines, cito reſtitue: cum inimico parcendum prædicat, Inimicis tuis ex corde indulge: cum a perjurio, a detractione, a murmuratione, & ab aliis vitiis abſtinendum annuntiat, ab iis abſtine: fac tandem quidquid faciendum dicunt Sacerdotes, & æternam beatitudinem aſſequeris: *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

Diverſos ſibi fines proponunt, qui ad Eccleſiam, verbum Dei audituri, ſe conferunt. *Aliqui* eo feruntur ſpiritu vanitatis, hi ſcilicet qui concioni adſunt, ut pii cenſeantur. *Alii* eo ducuntur curioſitatis ſpiritu, ut ſcilicet ſciant, an Concionator doctus ſit vel ignarus, an ingenioſus ſit vel ſtupidus, an eloquentiæ ſacræ regulas calleat vel ignoret. *Alii* Concionatores audiunt, ut verba illorum carpant

& re-

Digitized by Google

& reprehendant: *Alii* ex conſuetudine, & ut tempus terant; ſed alio fine Concionatores audiendi ſunt, nempe ut ea faciamus, & opere impleamus quæ facienda, & opere implenda eſſe docent: *Scopus Chriſtianæ Religionis eſt, ut quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere impleamus.* Si audis quæ Prædicator dicit, & non facis quæ facienda dicit, facis contra Dei intentionem; & ſic cum audire, parum, aut nihil tibi proderit: ſi autem poſtquam Prædicatorem audiviſti, ea facis quæ facienda prædicaverit, ſcopum habes prædicationis, multumque referes fructum: quia *beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Obtempera ergo Sacerdoti, cum ex Cathedra verbum Dei annunciat. *Sed obtemperandum etiam Sacerdoti, cum in ſacro Pœnitentiæ tribunali loquitur ut Judex.*

3. Sacerdos in ſacro Pœnitentiæ tribunali ſedet ut Judex conſcientiarum, ibique de negotiis cæleſtibus pronuntiandi habet auctoritatem; & ſententiæ quas in hoc tribunali dicit, in Cælo approbantur: *Sacerdos*, inquit Chryſoſtomus, *Judex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſervum, & quidquid Sacerdos in inferioribus judicat, hoc Chriſtus in ſuperioribus comprobat.* *Chryſoſt. hom. 86. in Joann. 10.*

Portentoſa duo privilegia Chriſtus Sacerdotibus dedit. Primum reſpectu ſanctiſſimi Miſſæ ſacrificii, & conſecrationis: Sacerdos enim vi verborum conſecrationis Chriſtum Salvatorem ſub ſpeciebus Euchariſticis adducit, vel producit; ita ut prolatis verbis, ſub his ſpeciebus ſit vere & realiter Chriſtus ipſe idem, qui in cælo ſedet ad dexteram Patris. Quod privilegium non ſatis admirari poteſt D. Auguſtinus, dicens: *Super hoc tam inſigni privilegio ſtupet cælum, miratur terra, veretur homo, terretur infernus, contremiſcit diabolus, & venerantur Angelorum chori. Uno eodemque modo idem Deus, qui præſidet in cælo, in manibus veſtris eſt in Sacramento altaris. Auguſt. in Pſalm. 7.*

Secundum privilegium, a Chriſto Sacerdotibus datum, reſpicit Pœnitentiæ Sacramentum & tribunal pœnitentiale, in quo a Chriſto conſtituti ſunt Judices, eiſque data eſt poteſtas ligandi & ſolvendi. In hoc enim tribunali ſedentes, poteſtatem habent ſolvendi peccatores criminum vinculis conſtrictos; & poteſtatem etiam habent ligandi eos ad faciendam pœnitentiam, quam iis imponunt, & ad agenda quæ juxta Dei & Eccleſiæ leges facienda judicant. Quare cum ad ſacrum Pœnitentiæ tribunal accedimus, eorum verbis obtemperare, illorumque judicio parere debemus.

O N. cum peccata tua Sacerdoti Confeſſario declaraſti, ejus verba humiliter audire, ejuſque conſiliis obtemperare debes. Si ſalutarem tibi injungat pœnitentiam: ſi aliena reſtituenda, eradicandos pravos habitus, vitandas peccandi occaſiones, & alia ad remiſſionem peccatorum, ad morum correctionem, & ad ſalutem neceſſaria dicat, ei fideliter obtemperare teneris. Si etenim volebat Chriſtus, ut executioni mandarentur omnia, quæ a Scribis & Phariſæis præcipiebantur, dicens: *Omnia quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite*; quanto magis vult, ut omnia faciamus, quæ ut ſaluti neceſſaria, a Sacerdotibus in Pœnitentiæ tribunali ſedentibus, præſcribuntur. Obedite ergo Sacerdotibus, quos in ſpiritualibus Deus vobis propoſuit; *obedite præpoſitis veſtris. Hebr. 13. 17.* Obedite Sacerdotibus, ſive ut Paſtores, ſive ut Concionatores, ſive ut Judices loquantur. At non ſolum obtemperandum verbis Sacerdotum; *verum & eorum occultanda ſunt peccata.*

## TERTIA PARS.

*Sacerdotum peccata tegere debemus.*

MUlti ex Scribis & Phariſæis ſacerdotali dignitate fulgebant; ſed præcelſam hanc dignitatem criminibus ſuis fœdabant. Hi Sacerdotes erant Deo conſecrati; ſed & erant homines ſceleribus pluriſmis inquinati. Hi gradus dignitatem cum vitæ indignitate in ſemetipſis ſimul jungebant; primos etenim amabant accubitus in cœnis, Rabbi vocari volebant, hominum quos decipiebant, ſectabantur applauſum, popularem auram ambiebant, non Deo, ſed hominibus placere ſtudebant; avaritia tandem, hypocriſi, aliiſque multis criminibus contaminati erant; & ideo maledictione eos crebro ferit Chriſtus, dicens; *væ vobis hypocritæ.*

Non minori quidem maledictione digni ſunt novæ Legis Sacerdotes qui in ſimilia peccata incidunt; eoſque ſæpe, etiam in hoc mundo, graviſſimis Deus plectit ſuppliciis; eorum tamen crimina ab hominibus revelari non vult, ſed ſumma cura celari, & charitatis chriſtianæ pallio velari.

Apud licentioris vitæ homines mos invaluit, ut Sacerdotum mores carpant, & vitam inſectentur; inter epulas & mundi illecebras, cum nil aliud habent quod dicant, Sacerdotis alicujus famam dilaniant. Prohibet Deus, ne quis Sacerdotibus detrahat: *Diis non detrahes*; & hi obſequium putant præſtare Deo, cum culpas Sacerdotum manifeſtant, augent, & aggravant: immo & nonnunquam ſanctiſſimos, & innoxios Sacerdotes denigrare contendunt, eoſque hypocriſis, & aliorum criminum reos eſſe dicunt. At non ſolum falſi criminis non ſunt laceſſendi Sacerdotes, verum & quæcumque ab iis commiſſa peccata, quantum fieri poteſt, ſunt occultanda, & ſub ſilentio prætereunda.

Quod præclare Deus docuit in Libro Levitici, ubi dicitur, quod cum filii Aaron alienum ignem obtuliſſent, ab igne Sanctuarii devorati ſint: *Arreptiſque Nadab & Abiu filii Aaron, thuribulis, poſuerunt ignem & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum quod eis præceptum non erat. Egreſſuſque ignis a Domino, devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino, Levit. 10. 1.* Duo in hoc facto miranda, & notatu digna mihi occurrunt: *primum*, quod Deus nunquam manifeſtavit quale fuerit Nadab, & Abiu peccatum: *ſecundum*, quod licet duo illi Aaron filii ab igne Sanctuarii cremati fuerint, lineum tamen amiculum, ſeu ſuperpelliceum quo induebantur, crematum non fuit. Cur Deus peccata eorum tacuit, & cur iis ab igne devoratis, intactum remanere voluit ſuperpelliceum. Eorum peccata Deus tacuit, ut doceat, tacenda & tegenda eſſe Sacerdotum peccata; Deus etiam voluit intactum & integrum remanere ſuperpelliceum, quo induti erant, ut oſtendat, Sacerdotum peccata charitatis velo eſſe operienda, & occultanda. Hoc ergo exemplo diſcite; non promulganda, & proclamanda eſſe Sacerdotum

Digitized by Google

rum crimina, ſed reticenda, excuſanda, & pro viribus tegenda.

Mirabile eſt, quomodo ſe geſſerit Chriſtus erga Sacerdotes illos, qui in mulierem in adulterio deprehenſam ei adduxerunt, ut ab eo ſcirent quo ſupplicio plectenda eſſet: ipſe enim, inquit ſacer Textus, coram Sacerdotibus mulierem accuſantibus, digito aliquid ſcripſit in terra; *Jeſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra. Joann.* 8. 8. Cum autem hi ſemper perſeverarent; interrogantes eum: *iterum ſe inclinans, ſcribebat in terra.* Quid in terra ſcribebat Chriſtus? Aſſerunt multi ex ſacræ Scripturæ interpretibus, eum ſcripſiſſe peccata Sacerdotum qui mulierem accuſabant: ut videntes hi, majora & graviora eſſe ſua, quam mulieris peccata, non tam ſollicite, & importune ejus condemnationem poſtularent; ſed potius ſuorum conſcii peccatorum, ejus miſererentur, illique parcerent, cum ſe majoribus ſuppliciis dignos adverterent. Poſito autem, quod Chriſtus Sacerdotum peccata ſcripſerit, cur non ea in ære, vel marmore incidere, ſed in terra ſcribere voluit? Ratio eſt, quia ſi ea marmoreo cuidam parieti, vel æreæ laminæ incidiſſet, a cunctis videri potuiſſent, & diu hominibus manifeſta fuiſſent. Quare non ea marmori, vel æri incidit, ſed in terra ſcripſit, ut cito quod ſcripſerat, deleretur, & ut doceret nos Sacerdotum peccata non eſſe manifeſtanda, ſed tegenda, & quaſi in terra ſepelienda.

In veteri teſtamento juſſit Deus, ut vitulus pro Pontificis peccato oblatus, totus cum pelle combureretur, non in altari, ſed extra caſtra, & in loco mundo; *pellem vero & omnes carnes cum capite & pedibus, & inteſtinis, & fimo, & reliquo corpore efferet, extra caſtra in locum mundum, ubi cineres effundi ſolent, incendetque ea. Levit.* 4. 11. Cur vitulus hic pro Pontificis peccato oblatus, totus comburitur? cur non in altari, ſed extra caſtra? cur, in loco mundo? Hæc omnia fiebant, ut ſignificaretur, Sacerdotum peccata non eſſe propalanda, nec in publicum jactanda; nec in locis immundis, id eſt, in detractorum conventiculis, a maledicis & profanis linguis ventilanda, ſed curandum eſſe ut taceantur, charitatis igne conſumantur, ac perpetuo ſilentio contegantur. *Ribera lib. 4. de Templo c. 7.*

Propter eandem rationem revelare noluit Chriſtus, quis eſſet ille proditor, a quo inimicis ſuis ad mortem tradendus erat. Cum enim Apoſtolis dixiſſet, ſe ab uno eorum eſſe prodendum: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, Joann.* 13. 21. ſcire voluit Petrus, qui eſſet ille proditor, & ideo Diſcipulum quem diligebat Chriſtus, rogavit, ut ab eo peteret, quis ille eſſet? a Chriſto hoc petiit Joannes: cui quidem hoc myſterium revelavit Magiſter, ſed clam, ſed in aure, ſed ſub verbis ita obſcuris, ut alii Apoſtoli non cognoverint, quis futurus eſſet ille proditor. Cur Chriſtus non manifeſtat omnibus iniquum hunc proditorem? cur non illum coram omnibus objurgat? cur ei tantam ingratitudinem, & tam immane ſcelus non exprobrat? cur ingrati Apoſtoli crimen non revelat, ut ſeipſum a morte liberet? cur tunc ſaltem Diſcipulis ſuis non aperit Judæ proditionem, quæ intra paucas horas omnibus manifeſtari, & nota fieri debet? Hoc agit Chriſtus, ut exemplo ſuo doceat non propalanda, ſed occultanda Sacerdotum ſcelera, licet nobis obnoxia ſint, licet eorum manifeſtatione a gravibus ſuppliciis, & ab ipſa morte liberari poſſimus, licet tandem illa ab aliis intra breve tempus publica, & notoria fieri debeant.

Et revera, ſi detractio grave eſt peccatum, etiamſi in laicum fiat: quanto gravius eſt, cum fit in Sacerdotem, qui Dei obſequio conſecratus eſt, qui Deo placabilia offert ſacrificia, & qui Mediatoris munere inter Deum & hominem fungitur? Si ut ait D. Paulus, *Detractores Deo odibiles, Rom.* 1. 30. etiam cum vilibus quibuſdam hominibus detrahunt; quanto majori odio proſequetur Deus eos, qui hominibus illis qui Sacerdotes ſunt, qui Dei Miniſtri ſunt, qui ſacra hominibus adminiſtrant, & qui ſupra cæteros homines dignitate ſua ſublimati ſunt, detrahere præſumunt? ſi tandem maledici, qui quorumcumque hominum famam denigrant, regnum Dei non obtinebunt: *nec rapaces, nec maledici, regnum Dei poſſidebunt; 1. Cor.* 6. 10. quanto minus illud aſſequentur, qui Sacerdotum peccata propalant, & famam dilacerant.

Propter has & alias multas rationes occultanda ſunt Sacerdotum peccata: ſed occultari potiſſimum debent, ne ex eorum manifeſtatione audientibus detur occaſio ruinæ. Cum enim quis Sacerdotum propalat peccata, dicere ſolent, qui hæc audiunt: ſi hoc & illud faciat Sacerdos, cur ego id non agam? ſi indictis ab Eccleſia diebus ille non jejunet: cur ego jejunabo? ſi ſcurrilia & mundana ille proferat, cur & ego ſimilia proferre timebo? ſi ille epulari, choreizare, & vino indulgere diligat, cur & ego eadem non amabo? Credunt, ſe jus habere ea faciendi, quæ a Sacerdotibus fieri diſcunt, licet hæc mala ſint. Quare non manifeſtanda, ſed ſollicite tegenda ſunt Sacerdotum peccata, ne aliis ſint ſcandalum & in ruinæ occaſionem.

Mementote, Sacerdotes, cum homines ſint, non eſſe impeccabiles: homines ſunt ſicut alii, & ideo peccare poſſunt ſicut alii: Heu! ſi peccaverunt Angeli in Paradiſo, & aliqui Apoſtoli in Chriſti domo, quid mirum, ſi in aliqua peccata nonnulli Sacerdotes cadant? peccant hi, ſicut alii: & longe graviora eorum, quam aliorum hominum ſunt peccata: ſed quantumvis gravia ſint, tegenda ſunt, & charitatis chriſtianæ velo obtegenda.

Imitandus eſt magnus ille Imperator Conſtantinus, de quo legitur, quod cum Sacerdotum Concilium in Eccleſia convocaſſet, primum locum occupare noluerit; ſed in noviſſimo loco ſederit. Sententias vero, quas a Sacerdotibus approbatas audivit, ita veneratus eſt, ac ſi eas de divinæ majeſtatis cenſuiſſet emanaſſe judicio. Cumque quis crimina a nonnullis Sacerdotibus perpetrata objicere voluerit, præclare reſpondit Conſtantinus: *Si forte Epiſcopum inveniſſem cum femina jacentem, purpura imperiali exutus, illum cooperirem, ne peccatum illius quoquomodo poſſet ſciri. S. Bern. tom. 2. Fer. 3. poſt Dom. 2.*

Sanctum hunc imitamini Imperatorem, vel cum Sancto Hieronymo quiſque veſtrum dicat: *non eſt humilitatis meæ, de Miniſtris Eccleſiarum ſiniſtrum quippiam dicere; habent illi ordinem ſuum & gradum. S. Hieronym. cit. in ſacro Canone 16. quæſt. 1. Si Clericatus.* Hoc dicite, & hoc facite; Sacerdotes ho-

Digitized by Google

honorate, iis obedite, nihilque finiſtrum de iis loquamini, ſed eorum tegite peccata: Deuſque veſtra occultabit, dabitque gratiam, qua æterna beatitudine digni fiatis. *Amen*.

## FERIA IV.

### POST DOMINICAM SECUNDAM.

# DE FILIORUM EDUCATIONE.

*Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Matth. 20. 21.

QUemadmodum nihil tam ferum, nihilque divinæ Legi tam æmulum, quam ſi non amandos dicamus filios, ita & nil tam exitioſum, quam ſi carnali, profano, & mortifero eos amore proſequendos aſtruamus. Talia fari non debet Chriſtianus Orator: ſed ſi ſapiat, parentibus liberos amare ſuadebit eo modo, quo Deus ipſe conſtituit, neque enim eſt ullus melior filiorum amor, quam quem ille docuit, qui ipſos filios dedit.

Parentes autem non docet Deus ita filios diligere, ut graves aureo metallo ſaccos, & ingentes pecuniarum theſauros iis congregent: non ita, ut cum animæ ſuæ diſpendio ſuperbas, ac præeminentes excelſis in urbibus domos, hæreditate poſſidendas relinquant: non ita, ut cum ſalutis ſuæ jactura, eos ad altiores ſæculi dignitates evehere, necnon temporalibus, & perituris eos bonis ditare contendant: ſed ita, ut eos e teneris annis, bonis moribus imbuant, & recte inſtituant: *educate illos in diſciplina & correptione Domini. Epheſ. 6. 4.*

Sic, o patres & matres, ſic veſtri a vobis diligendi filii. Si eos vere ametis, tanto ad eos ditandos non incumbetis affectu; ſed eorum inſtitutioni ſumma cura invigilabitis: nil enim bona educatione pretioſius, nil eis utilius præſtare valetis: *non ad conquirenda terrena & peritura diſtendaris, nil bona educatione majus præſtare filiis potes. Salvian. lib. 1 ad Eccl. Cath.*

Parentum plerique filios amant, ſicut mater illa ambitioſa, quæ filios ſuos ad altiores regni ſedes ſublimari poſtulabat: *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Aſt non tam divitiæ, honores, & dignitates, quam bona educatio eſt filiis optanda & procuranda. Quid agere debeant parentes, ut filios debite inſtituant, iſta docebit concio, &c. *Ave.*

JUvenes plerumque ſunt ad malum proclives, ignari, & ad virtutum exercitia tardi: quare ad eorum inſtitutionem parentes virgam, verba, & bona exempla adhibere debent; *virgam*, ut eos ad perverſa declinantes corrigant; *verba*, ut eos ignorantiæ tenebris involutos illuminent; *bona exempla*, ut eos ad bonis operibus vacandum excitent.

Parentes, reſpectu filiorum, habere ſe debent ut Judices, ut Præceptores, & ut Chriſtianos; *ut Judices* ſapientes, qui eos magna cum diſcretione & prudentia corripiant; *ut Præceptores* doctos & pios, qui eos fidei principia, Dei amorem, & ſalutis viam doceant; *ut Chriſtianos* pietate fulgentes, qui virtutis, innocentiæ, & ſanctitatis exempla eis exhibeant. *Diſcreta correctione*, filii ad declinandum a malo excitabuntur: documentis, *& inſtructionibus*, opera bona facere, & Deo fideliter ſervire diſcent: *bonis exemplis*, ad recte & chriſtiane vivendum allicientur. Itaque parentes, ut filios bene inſtituant, debent eos: 1. corripere: 2. erudire: 3. bonis exemplis fovere. Correptio, eruditio, & bona exempla: en tria ad debitam filiorum educationem a parentibus adhibenda.

## PRIMA PARS.

*Parentes debent filios corripere.*

MAtres, quæ plerumque ſtulto & molli filios amore proſequuntur, eos peccantes corripi & plecti ægre patiuntur: nil tamen ad debitam eorum inſtitutionem efficacius, nil utilius, quam quod corrigantur, cum ad peccata declinant. Quod aperte & expreſſe docet D. Paulus; qui poſtquam parentes de filiis bene educandis monuit; qualiter eos educare debeant, declarat, dicens, eos corripiendos eſſe, cum adverſus Deum peccant: *educate illos in diſciplina & correptione Domini. Epheſ. 6.* Filius tibi eſt, qui cum vix balbutire ſciat, blaſphemare tamen incipit: qui pravorum ſe conſortio immiſcet, qui loca adit, in quibus infelici naufragio expoſita eſt ejus innocentia; mone illum ſuaviter: ſi autem ſalutaribus tuis monitis non annuat, corripe illum acriter: & ut eum a via damnationis avertas, virgam & flagella adhibe. Filiam habes, quæ verborum lenociniis permulceri amat: quæ amaſiorum ſocietatem non fugiat: quæ cum ad Templum, pietatis cauſa, ſe conferre fingat, alio, ludendi, ridendi, vel aliud quidquam minus rectum faciendi gratia, ſe confert? corripe illam primo ſuaviter; ſed ſi ſuavi tua correptione non proficiat, corripe illam ſevere: poſt verba, ſi neceſſe ſit, adhibe verbera, ut illam a peccandi periculo retrahas, & ad ſalutis viam dirigas: *educate illos in diſciplina & correptione Domini.*

Heu! ſi divino præcepto tenentur omnes penitus homines ad corripiendos eos, qui coram ipſis peccant: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum: Matth. 18. 15.* quanto magis pater & mater peccantes filios corripere tenentur? hoc præceptum haud dubie parentes ſtrictius ligat, quam alios: & ſi filios peccantes corripere negligant, infenſiſſimi ſunt eorum hoſtes: *qui parcit virgæ, odit filium ſuum. Prov. 15. 24.* Non ſolum filios ſuos oderunt parentes hi qui nimia indulgentia eos nunquam caſtigant; ſed etiam illi qui in eis corripiendis parci, parumque aſſidui ſunt: ſegnis enim amor qui natorum culpas punire renuit, eſt verum illorum odium.

Quemadmodum filios vere amant parentes hi, qui eos per ſeveram correptionem a via iniquitatis avertere nituntur, ita & eos vere oderunt hi, qui prudentis correctionis defectu, ad iniquitatis & perditionis viam illos declinare & perſeverare permittunt: *qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* O pater crudelis, filium te plurimum diligere arbitraris, quia illi placere ſtudes, & quæcumque facit, ſive bona

na illa ſint, ſive mala, approbas & laudas: ſed talis tuus in filium amor, non amor, ſed odium eſt: amares, ſi eum corriperes: & quia eum corripere renuis, non amas, ſed eum odio habes. Quia cum parcis virgæ, & peccantem filium non corripis, ei graviora perpetrandi ſcelera, omnibus ſe vitiis addicendi, ac tandem infeliciter moriendi occaſionem præbes: eumque, quantum in te eſt, ad tartara ducis. O quam magnum illud parentum in filios odium!

Plura dicam, ut parentes ad filios prudenter corripiendos alliciam. Nempe, quod ſi eos non corripiant, cum minus recte vivunt, & ad peccata declinant, non patres dicendi ſunt, ſed potius dæmonis miniſtri, qui ſimul cum eo filios ad infernum trahunt: *qui non corripuerint filios, eorum animas ignis inextinguibili in interitum tradunt. Orig. lib. 1. in Job.* Dei miniſtros vocat D. Paulus eos qui gladium geſtant, ut peccantes corrigant: *Dei miniſter eſt vindex in iram ei qui malum agit. Rom.* 13. 4. Sicut autem miniſtri Dei ſunt qui peccantes arguunt & corripiunt: ita & dæmonis miniſtri ſunt parentes hi, qui filios ſuos corripere nolunt: quia iis tanquam miniſtris ſuis utitur dæmon, ut filios eorum ad horrenda inferni ſupplicia ducat: *Si miniſter Dei eſt, qui mala facientes in iram vindicat, diaboli proculdubio miniſter eſt, qui criminoſos filios ſegniter palpat; miniſter eſt adverſarii, qui perpetrantibus iniqua blanditur. Petr. Dam. lib. 7. ep.* Filios ergo peccantes corripiant parentes, ſi ad eorum ruinam dæmonis miniſtri eſſe nolint.

Hac quidem ratione ad corripiendos filios adduci debent parentes; ſed & parentes debent peccantes filios corripere, ut ſibimetipſis conſulant. Si enim eos non corripiant, permittet Deus ut ſuper ipſos multa veniant mala, utque miſeriis multis opprimantur. 1. *Reg.* 2. Videte, quid Heli Sacerdoti acciderit. Duos ſenex ille habebat filios, qui guloſi, libidinoſi, fures, blaſphemi, & impii erant: indulgens autem ille pater leni eos ſermone, & ſuavibus verbis monebat. O pueri, inquiebat, multa de vobis mihi dicta ſunt; plurimi de veſtra vivendi ratione conqueruntur; criminum veſtrorum fama undique diffuſa eſt: Deum in pluribus offendiſtis; quo nihil pejus, quia ſi Deum adverſum vos irritaveritis, non illum facile placabitis: quare abſtinete a peccatis, & Domino ſervite.

Nonne ſufficere videntur annoſi, & decrepiti illius ſenis monita? nonne ſatis eſt, quod filiis, quos percutere nequibat, quid vitare, quidque facere debeant ſuaviter dicat? certe non ſatis hoc fuit, nec muneri ſuo ſatisfecit ille pater: & ideo *eo quod noverat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos*, 1. *Reg.* 31. 3. ſacerdotali dignitate ſpoliatus fuit; duo ejus filii eodem die infeliciter obierunt, multaque alia mala & ſuper eum, & ſuper familiam ejus venerunt. Ecce quid accidere ſoleat ſtultis & indulgentibus illis parentibus, qui peccantes liberos non acriter corripiunt. Deo, ſuoque muneri ſatisfacere credunt, modo peccantes filios quomodocumque moneant: officio ſuo debito fungi arbitrantur, cum blando ſermone, & lenibus verbis eos ad declinandum a malo, & ad bene faciendum hortantur. Sed ſi talibus monitis & hortationibus ad bene vivendum non alliciantur, ſevere corripiendi ſunt, virgis plectendi ſunt, & ad chriſtiane vivendum compellendi ſunt.

Quod ſi parentes, quantum in ipſis eſt, hoc non faciant, malis multis & ipſi, & tota eorum familia, a Deo plectuntur. Immo timere debent, ne in negligentiæ ſuæ pœnam ſubitanea morte pereant.

Hujus rei formidandum habemus exemplum in eodem Heli Sacerdote, qui cum ſenio confectus, in ſella ſederet, *cecidit de ſella retrorſum juxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt.* 1. *Reg.* 4. 18. Si autem ab Eminentiſſimo Cardinali Petro Damiano quæras, cur tam dira morte præventus fuerit ille ſenex? Reſpondit: *idcirco cervicibus effractis occubuit, quia peccantibus filiis clementer indulſit. Petr. Dam. lib. 7. ep.* 3. Heu! ſi Heli fere centenarius, viribus expers, ac ita infirmus, ut vix incedere poſſet: ſi inquam ſenex ille tam dire punitur, quia filios non acerrime caſtigaverit; qua pœna digni ſunt parentes qui filios & filias vitam ducentes ſceleſtam, libidinoſam, & impiam, aut nullo modo corrigunt, aut blandis ſolummodo verbis affantur, & ſuaviter monent? hi certe morte digni ſunt: & forte multi ex his ſubitanea morte rapiuntur, quia filios debite corripere negligunt: *qui talia agunt, digni ſunt morte; iiſque, ſicut & Heli, peccata filiorum imputantur. D. Thom. in c. 8. Ep. ad Rom.*

O patres & matres, qui filios peccantes non corripitis, timete, ne morte ſubitanea pereatis: corripite eos, ne ſubita & repentina morte rapiamini: ſed & eos etiam corripere debetis, ut æterna morte non intereatis: ſi enim eos debite non corripueritis, æternis inferni ſuppliciis adjudicabimini. Videte, quid acciderit Sacerdoti Heli, qui non libidinoſus, non ebrioſus, non alienorum detentor, non fur, nec alicujus ſceleris erat reus; *& cujus vita erat irreprehenſibilis: tamen quia filios calcantes Dei legem non cum ſeveritate corripuit, cum ipſis etiam jure punitus eſt, & grave ſubiit ſupplicium. Cæſar. Arelat. hom.* 15. Grave quidem ſubiit ſupplicium, non ſolum quia repentina morte occubuit; ſed etiam quia, ut plurimi ex Sanctis Patribus docent, æternis inferni tormentis adjudicatus eſt. *Heli*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *pro filiorum iniquitate damnatus eſt. S. Greg. Nazianz. in lib. de Epiph.* Non quidem damnatus eſt, quia filios iniquos & ſceleroſos habuit: multi enim parentes pii & ſancti perverſos habuere filios, nec propterea damnati fuere: ſed damnatus eſt pro filiorum iniquitate: *quia cum Dei leges violarentur, ſeverius in illis ultus non eſt.* Sic loquitur S. Chryſoſtomus, qui homilia nona in caput primum Epiſtolæ ad Timotheum ait etiam damnatum fuiſſe Heli, eo quod filios non acriter reprehenderit, & ſevere non caſtigaverit: *propter filios periit: illos quippe cum acrius coercere debuiſſet, verbis tantum lenibus monuit: quocirca dum illis moleſtus eſſe ſevera increpatione recuſat, & illos & ſeipſum una perdidit. Chryſ. hom. 3. de prov.*

Filiorum Heli gravia erant ſcelera, criminibus ſuis cum pertinacia adhærebant: & ideo ut ſanarentur, non lenibus, ſed acerrimis & aſperrimis egebant medicamentis: ſi poſt unam aut alteram monitionem in nequitia ſua perſeveraſſent, a ſacris arceri, e templo expelli, ſacerdotali dignitate ſpoliari, excommu-

Google

municari, vel gravi alia pœna plecti debebant: quare cum nimis indulgens pater, eos blandis ſolummodo ſermonibus monuerit, ad æterni tartari tormenta condemnatus eſt: Heli, inquit S. Cæſarius Arelatenſis, quia filios non ſevere corripuit, *nomen ejus de libro vitæ deletum eſt. Cæſar. lib.* Et ut ait Petrus Damianus: *quis Heli Sacerdotem neſciat reprobum pro lenitate ſua?*

Heu! ſi Heli Sacerdos, qui populum Dei prudenter & laudabiliter rexerat, ex plurimorum ſanctorum Patrum ſententia, ob id ſolum damnatus eſt, quia peccantes filios debite non corripuit; nonne timere debet pater, qui filium, præcepta Dei & Eccleſiæ violantem, non corripit? nonne trepidare debet mater, quæ filiam non ſolum ab illicitis non arcet: quin contra, eam mundum amare, vanitatem ſectari, & aliis multis quæ ſaluti contraria ſunt incumbere docet? Timete patres & matres, ne negligentia, & nimia indulgentia, qua filiorum veſtrorum palpatis & fovetis peccata, temporali & æterna morte plectamini. Hoc timete, & filios juxta a Deo præſcriptæ correptionis modum corripite.

Scio, non ſemper correctionem hanc eſſe meliorem, quæ ſeverior & acerbior; ſed nunc ſuavior, & nunc dura & acerba eſſe debet: cum ſuavis correptio ad meliorem vitæ frugem filios non adducit, ſevere corripiendi & plectendi ſunt a parentibus; vel, ut ait S. Gregorius, *miſcenda eſt lenitas cum ſeveritate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum. S. Gregor. lib.* 20. *Mor. c.* 8. Sicut enim in Arca Teſtamenti erant ſimul manna, & virga; ita & parentes, ut filios a peccatis revocent, primo manna, ſeu verbis lenibus, & paternis monitis uti debent: ſed ſi hæc non proſint, virgam aſſumant, eoſque ſevere corripiant & caſtigent neceſſe eſt. Sed hoc potiſſimum facere debent parentes, dum filii ſunt adhuc parvuli; tunc ſevere corripiendi, etiam cum in minima incidunt. O patres & matres, cum auditis pueros veſtros leviſſimum quodque mendacium, vel minimum quodque juramentum proferentes, corripite illos: cum videtis illos minus modeſte & chriſtiane ſe habentes, corripite illos: cum videtis ad eorum declinare conſortium, a quibus nil boni diſcere poſſunt, corripite illos, dum parvi ſunt: quia ſi eos non corripiatis, dum parvi ſunt, inoleſcent cum eis vitia; & grandiores facti, vos, veſtraſque correptiones irridebunt. Unde fiet quod igni inextinguibili in æternum tradentur, & forte vos ſimul cum ipſis ad inferni ſupplicia condemnabimini. Corripiendi ergo a parentibus filii; *ſed & ab ipſis erudiendi.*

## SECUNDA PARS.

*Parentes debent filios erudire.*

NIl homini glorioſius, nil ei utilius, quam quod puerorum eruditioni incumbat; quodque fidei, religionis, pietatis & divini cultus documentis eos imbuat: *quid enim majus quam animos moderari? quam adoleſcentulorum mores fingere?* Zeuxis, Apelles, & famoſi alii pictores, magnam ſibi apud homines famam & gloriam conciliarunt præclaris, quas in mortua tabula effinxerunt, imaginibus; ſed, ut ſubdit S. Chryſoſtomus: *omni pictore, ac ſtatuario, cæteriſque hujuſmodi, excellentiorem eum dico, qui juvenum mores fingere non ignoret. Chryſ. hom.* 60. *in Matth.*

Glorioſum autem & excellentiſſimum hoc pueros erudiendi munus parentibus præcipue incumbit, qui eos fidei principia, Chriſtianæ Religionis myſteria, præcepta divina, & alia ad ſalutem neceſſaria docere tenentur. De quo ſi dubitent, audiant hominum ſapientiſſimum, qui cuilibet parenti ait: *filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Eccli.* 7. 23. Non vult Sapiens, ut parentes doceant filios ſaltare, potare, de inimicis vindictam ſumere, & alia quæ mundi ſunt facere: ſed ut per ſe, vel per pios magiſtros, fidei rudimenta, vitæ chriſtianæ leges, Dei cultum, modeſtiam in Templo, in pauperes miſericordiam, erga Presbyteros reverentiam, & alia quæ Dei ſunt, eos a teneris annis doceant.

Puerorum animi ſunt quaſi terra virgo, quæ projectum ſemen, ſive bonum, ſive malum, facile recipit. Vel, ut ait Ariſtoteles: puerorum animus *eſt tabula raſa* & vacua, cui facile delineabis quod volueris; quare ſumma cura invigilare debent parentes, ut nil mali filiorum animis ingeratur, & ut in eis pietatis, & virtutis lineamenta ducantur. O patres & matres, cavete ne quis in filiorum veſtrorum animis quid turpe ſceleroſum, & ſaluti eorum contrarium delineet: in hac tabula virtutis & vitæ chriſtianæ lineamenta pingite; docete eos quæ Dei ſunt, quæ ſalutis ſunt; Dei eis bonitatem & juſtitiam exponite; Dei magnalia & præclara Sanctorum exempla eis crebro proponite; judiciorum Dei terrorem, & inferni ſupplicia eis ſæpe objicite; mendacii, blaſphemiæ, impudicitiæ & omnis peccati malitiam atro eis colore depingite; judiciorum Dei, & ſuppliciorum inferni eis timorem incutite; omnia tandem quæ credenda, agenda, ſperanda, & vitanda ſunt, ut chriſtianæ vivant, eos docete ab ipſis incunabulis: *filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum.*

De urſa varii referunt Auctores, quod partus ſuos rudes, informes, & vix ulla viventium lineamenta præferentes edat: in his fœtibus e materna alvo recenter emiſſis vix adornari poſſunt oculi, aures, pedes, aut aliqua animantis figura. Sed informem hanc carnis maſſam tanta arte, & ſollicitudine lambit mater, ut eam fingat, poliat, figuret, & ad animalis formam componat. Dum autem informes illos fœtus lingit, nunc oculi, nunc aures, & nunc pedes apparent: unde urſa eos iterum parturire videtur, & ideo *bis mater* vocari ſolet. O patres & matres, a bruto hoc animali filiorum veſtrorum curam diſcite: *Urſa*, inquit S. Ambroſius, *partus ſuos ad ſui effingit ſimilitudinem: tu filios tuos inſtituere ſimiles tui non potes? S. Ambroſ. lib.* 6. *exam. c.* 4. Cum veſtros peperiſtis filios, rudes ſunt, informes ſunt, ignorantiæ tenebris involuti ſunt: ſed lingua, ſeu piis documentis ad pietatem, & ad vitam chriſtianam formandi ſunt. Hi pueri recens nati, oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt; manus habent, & non palpant. Aut, ut congruentius loquar, neſciunt quid videant, quid audiant, quid palpent: ſed parentes, cum filii rationis

compotes eſſe incipiunt, eorum debent formare oculos, aures, & manus: *oculos*, ad contemplanda Dei opera: *aures*, ad audiendum libenter Dei verbum: *manus*, ad facienda ea omnia, quæ ſalutis ſunt. Si tandem filios diligant, eos de omnibus chriſtianam vitam ſpectantibus erudire debent: *qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Prov. 13.24.*

Aliquos videmus homines, qui equos ſuos nunc circumagere, nunc ſubſultim ingredi, nunc in medio curſu gradum ſubito ſiſtere, ſumma ſollicitudine docent: ſed quanto majori cura filios docere debent parentes, quomodo virtutis via incedendum, & a peſſima peccati via declinandum? Alios videmus homines, qui canem ſollicite docent, erectum conſidere, pede porrecto reverentiæ ſigna edere, non prius cibum ſumere, quam pedes anteriores junxerit, & verſus cælum ſuſtulerit: ſed quanto accuratius parentes docere debent filios, quomodo manus jungant, flectant genua, ſigno ſe Crucis muniant, & alia Dei cultum ſpectantia faciant? Videmus alios, qui pſittacos, picas, & alias hujuſmodi aves docent, humanas aliquas voces exprimere: ut loquitur S. Joannes Chryſoſtomus, *in homines quodammodo mutantur aves, docenturque pſittaci, & picæ humanas voces: Chryſ. hom. 3. de vitiis, & virtutibus.* Sed quanto majori ſollicitudine patres & matres filios ſuos & filias ſuas, etiam adhuc balbutientes, fidei principia, & breves aliquas preces captui eorum accommodatas docere, eoſque de neceſſariis ad ſalutem erudire debent?

Hoc haud dubie facere debent parentes, & ſi hoc non agant, ſtrictiſſimam Deo de filiorum educatione rationem ſunt reddituri. Hoc agere tenentur parentes; & ſi id facere negligant, ſtolidos, turpis ignorantiæ tenebris involutos, & ad multa vitia proclives filios enutrient: hoc agere tenentur, & ſi id non faciant, filiis vitam ad infernum aptabunt. Ut enim ait Clemens Alexandrinus, pia documenta quæ parentes liberis tradunt, *ſunt breves & directæ viæ ad æternitatem. Clem. Alexandr. lib. 1. Pedag. c. 3.* Sicut autem filios ad cælum ducunt qui eos debite erudiunt; ita & eos ad tartara trahunt, qui de credendis & agendis illos erudire nolunt. Quare, o patres & matres, ſumma cura & ſollicitudine filios erudite, quos Deus vobis dedit, ac curæ veſtræ commiſit.

Pias plurimas imitamini matres, quæ hac in parte ſe toti Orbi chriſtiano mirabiles exhibuere. Nonne mirabilis extitit Gerſonis mater, quæ ut filium doctrinam chriſtianam doceret, non eum jentare, vel comedere ſinebat, quin prius flexis genibus, interrogatis ſibi factis reſpondiſſet, & a Deo omnium Parente, cibum comedendum humiliter petiiſſet? Nonne mirabilis fuit Aliſ, S. Bernardi mater, quæ filios a teneris annis Deo & beatiſſimæ Virgini conſecrabat; cumque ætate provectiores fiebant, vulgaribus & minus exquiſitis eos alebat cibis, ut illos carnis mortificationi aſſuefaceret; ac tandem tanta cum ſollicitudine & prudentia illos erudiebat, & ad virtutis amorem excitabat, ut ex iis ſex Deo in Religione ſe conſecraverint; ex quibus aliqui Sanctorum faſtis adſcribi meruerunt? Nil dicam de pia S. Edmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi matre; quæ eum ab ineunte ætate diris aſſuefaciebat jejuniis, & chriſtianæ perfectionis præceptis imbuebat. Sed ſub ſilentio præterire nequeo Blancham Reginam, S. Ludovici Francorum Regis matrem, quæ eum a puero peroptime erudivit, eique peccati horrorem incutere non deſtitit dicens, illaque crebro iterans verba: fili, prius mortem obire elige quam peccare: mallem te mortuum cernere, quam ſcire, quod mortali quodam peccato animam tuam inquinaveris: quæ verba ſancti hujus Regis cordi ita infixa ſunt, ut nunquam mortaliter peccaſſe credatur.

Has & alias multas his ſimiles imitamini matres: filios piæ & chriſtiane erudite. Quod ut melius fiat, pios etiam & eruditos habetote Magiſtros, qui curæ veſtræ participes fiant. Dixi, *pios*: nam præceptores, ſi pii non ſint, pietatem filiis veſtris non inſpirabunt. Dixi etiam, *pios*: nam ſi impii, perverſi & vitioſi ſint, filios veſtros iniquitatis & inferni viam docebunt: Nonne Leonidas, Alexandri Magni magiſter, in cauſa fuit, quod famoſus ille Princeps vino indulſerit, & ebrioſus extiterit? Nonne Germaniæ pedagogi, tempore Lutheri, innumeros homines perverterunt? Nonne plures ad Lutheranam hæreſim ſectandam adduxerunt, quam omnia Ducis Saxonici, & Ducis Brandeburgenſis edicta? ſed nonne quotidiana experientia conſtat, quod Præceptores qui pii ſunt, virtutis amorem; & qui vitiis dediti ſunt, affectum ad vitia diſcipulis infundant? Præceptores ſane ſunt quaſi canales, per quos virtutes vel vitia ad diſcipulos tranſeunt: quare ad filios erudiendos aſſumite Præceptores bene moratos, ut illos bonis moribus imbuant. Sed unum præcipue velim ut quiſque veſtrum caveat; nempe quod filias hominibus erudiendas non committat. Dicere non audeo quæ incommoda, quæ peccata, & quæ ſcandala nonnunquam eveniant, ex hoc quod filiæ magiſtris erudiendæ committantur. Hæc taceo; ſed mihi credite: per voſmetipſos, quantum fieri poterit, filios veſtros erudite, ſi autem ad hoc munus aliorum opera egeatis, pro magiſtro filios, & piæ magiſtræ filias erudiendas committite; ut recte, pie & ſancte erudiantur. At filii a parentibus non ſolum ſunt erudiendi; *verum & bonis exemplis ad bene vivendum excitandi.*

## TERTIA PARS.

*Parentes debent filios bonis exemplis fovere.*

IN morali Philoſophia tritum eſt hoc axioma, quod plus oculis, quam auribus credamus: quodque ad declinandum a malo, & ad bene faciendum plus exempla, quam verba moveant. Quod probe noverat famoſus ille Socrates, qui moralis Philoſophiæ Pater vocari ſolet: cum enim advertiſſet, Xenocratem diſcipulum ſuum, verbis & exhortationibus ſuis ad bene vivendum non allici, eum hoſpitio recepit, ut videre poſſet quæ agebat magiſter, & exemplis ejus ad bene vivendum pertraheretur.

Sed ſi quæ vis exemplis ineſt, maxime in parentibus reſpectu filiorum, pueri enim ſunt quaſi ſimiæ, quia hoc faciunt, quod a parentibus fieri vident; eorumque actiones, ſive bonas, ſive malas, imitantur,

Digitized by Google

tur, *innatum quippe a natura pueris eſt, parentes imitari.*

Hoc ipſa docet experientia, quod qualis pater, talis filius. *Ariſtot. lib. 1. polit. c. 2.* Licet enim contrarium per extraordinariam Dei providentiam aliquando contingat; licet nonnunquam pater impius filios habeat ſanctos, & mater impudica filias habeat virginitate claras; communiter tamen tales ſunt filii, quales ſunt parentes eorum. Et ideo Sanctus Ambroſius de Herodiade dixit, quod nonniſi impudica eſſe poterat, cum mater ejus impudica, & adultera eſſet, *quid potuit filia de adultera matre diſcere, niſi damnum pudoris?* Ideo etiam Ezechiel Propheta ait: *Sicut mater, ita filia ejus. Ezechiel. 16. 44.* Unde circumferri ſolet vulgare illud carmen:

*Inſequitur leviter filia matris iter.*

Sed ad quid auctoritate probare ſatagimus id quod quotidiana docet experientia? plerumque enim videmus, quod tales ſint filiorum, quales parentum mores; quodque ad eadem vitia proclives ſint filii, ad quæ propenſi ſunt parentes. Si pater blaſphemus, ebrioſus & maledicus eſt; filii etiam blaſphemi, ebrioſi & maledici ſunt; ſi mater eſt impudica, iracunda, & verboſa, impudicæ, iracundæ, & verboſæ ſunt filiæ. Quare patres & matres ſumma cura invigilare debent, ut nil mali coram filiis faciant, ſed eis virtutum exempla præbeant.

Non ſatis eſt, o patres & matres, quod filiis dicatis, ut orationi vacent, piorum librorum lectioni incumbant, coram altari Deo dicato genua flectant, concioni adſint, & alia quæ hominis Chriſtiani ſunt faciant; ſed ut eos ad hæc facienda alliciatis, hæc & vos facere debetis, quia facilius exemplis, quam verbis filii ad bene faciendum excitantur; & ut ait moralis Philoſophus, *longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla. Seneca.*

Præclare dixit S. Cyprianus, efficacius pueros parentum exemplis, quam verbis eorum inſtitui: *efficacius eſt vitæ, quam linguæ teſtimonium. S. Cyprian. lib. de duplici martyr.* Si filio dicat pater, adi Templum, non tam libenter adibit, quam ſi patrem Templum adeuntem videat; ſi filio dicat, abſtine a blaſphemia, ab ebrietate, & ab aliis vitiis, non tam facile & accurate abſtinebit, quam ſi parentem ab iis abſtinere cernat. Ut enim ſubdit S. Cyprianus: *habent & opera ſuam linguam, habent ſuam facundiam tacente lingua.*

Parentum quidem opera ſuam habent linguam, ſuamque facundiam, qua filiis ſuadetur, ut id faciant, quod & parentes agunt. Cum parentes pauperibus eleemoſynas erogant, idem eſt ac ſi filiis dicant, o filii, in pauperes vos liberales exhibete: cum parentes loca ſacra adeunt, peccata crebro confitentur, auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio reverenter interſunt, & alia bona opera coram filiis faciunt: hæc opera ſuam linguam habent, & cum parentes hæc faciunt, idem eſt ac ſi hæc eadem a filiis facienda dicant, & efficaciter dicant. Sed e contra etiam ſi parentes in filiorum conſpectu blaſphemias proferant, iraſcantur, ludant, aut aliud quoddam ſceleroſum agant: hæc opera ſuam habent linguam, quæ filiis ſuadet, ut parentes imitentur, & eadem mala faciant, quæ ab iis fieri vident.

Ob eam rem S. Hieronymus, *ad Lætam*, de filiæ ejus educatione ſcribens, illam in primis hortatur, ut coram illa nil mali faciat: *nihil in te & in patre videat, quod ſi fecerit, peccet.* Quaſi dicat: ne coram filia blaſphemes, non mentiaris, geſticulationes minus honeſtas, nec quidquam aliud facias, quo ad peccandum allici poſſit. Cujus rationem ſubdit, dicens: *memento, te magis eam exemplis docere poſſe, quam verbis.* Idem dico vobis, o patres & matres: ſi filios recte inſtituere velitis, omnium virtutum exemplis eis prælucere oportet. Si eos ſobrios eſſe cupiatis; ſobrii eſtote & vos: ſi eos modeſtos eſſe velitis; vos illi & modeſtos videant: ſi eos nec blaſphemos, nec maledicos, nec mendaces eſſe deſideretis; abſtinete & vos a blaſphemiis, detractionibus & mendaciis: eos tandem bonorum operum exemplis educate, nihilque coram ipſis faciatis, quod eos ad peccatum allicere poſſit.

Polypus, teſte Plutarcho, eſt piſcis maritimus, qui rupibus inhærere ſolet; ibique ſuos mutat colores juxta varietatem eorum quæ illi objiciuntur. *Plutarch. lib. de amicis.* Idem quodammodo dici poteſt de pueris, qui quaſi polypi, colorem mutant, fiuntque parentibus concolores, ſeu iiſdem virtutibus, iiſdemque vitiis adhærent, quibus adhærere vident parentes. Si pater ſit guloſus, libidinoſus, & vitæ licentiori deditus; tales erunt & filii; ſi mater ſit inconſtans, pertinax, moroſa aut impudica; talis erit & filia. Sed contra etiam, ſi parentes charitate, humilitate, patientia & aliis virtutibus ſint præditi; iiſdem & virtutibus filii fulgebunt.

Docent Philoſophi, materiam primam ex ſe ad quaſcumque formas eſſe indifferentem, eamque nunc ligni, nunc ferri, nunc ignis, & nunc alterius rei formam recipere juxta exigentiam agentium naturalium, vel juxta varias diſpoſitiones, quæ ab agentibus naturalibus in ſubjectis ponuntur. Pueri autem in conſpectu parentum, ſunt quaſi materia prima: quia omnes impreſſiones, omneſque formas recipiunt, quas in parentibus vident. Si parentes ſint ſuperbi, iracundi & avari; pueri ad ſuperbiam, iram, & avaritiam declinant: ſi autem e contra parentes ſint pietate & virtute clari; filii etiam pietati & virtutibus acquirendis incumbunt. Quare ſummopere tenentur parentes, nil mali coram filiis facere, iiſque bonorum operum exemplis prælucere. Sed hoc adhuc facere debent, ne in maledictionem a Chriſto in ſcandalum dantes prolatam incurrant.

*Væ homini illi, per quem ſcandalum venit, Matthæi 18.* inquit Salvator. Væ tibi, pater, qui pravo tuo exemplo filios ſcandalizas, & ad ebrietatem, libidinem, aliaque vitia allicis: væ tibi, mater, quæ quia ſuperbi, impudica, & iracunda es, pravo tuo exemplo filias ſcandalizas, & ad ſuperbiam, libidinem, & iracundiam provocas: væ vobis, parentes, qui filiis veſtris vitiorum exhibetis exempla. Scitote, quod melius, vobiſque utilius eſſet, in profundum maris projici, quam pravis exemplis filios ſcandalizare, & ad peccata pertrahere: *qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Ibid. verſ. 6.*

Plura non dicam, ut parentes ad virtutum exempla filiis exhibenda inducam: ſed per tranſennam eos monitos velim, ut filios conſortio illorum immiſceri non ſinant, quorum vita eſt ſceleroſa, & quorum exemplo ad vitia allici poſſunt. Vis ut filius tuus pius ſit & caſtus? pios & caſtos aſſume præceptores. Vis ut filius ad ebrietatem, libidinem & alia vitia non declinet? ejice famulos ebrioſos, libidinoſos, & aliis vitiis deditos. Vis ut filii licentiori vitæ non indulgeant? ne ſinas eos cum illis verſari, qui omni cum libertate variis ſe criminibus fœdare ſolent: fac tandem ut filii tui peccantium ſocietatem, tamquam peſtem contagioſam, fugiant: *pueri contagia debent fugere peccantium: Ambroſ. in Pſ. 158. ſer. 2.* Præceptor ille, qui vino ſe ingurgitare ſolet, eſt peſtis quam fugere debet filius: ſervus ille qui ſæpius in blaſphemias erumpit, peſtis eſt, a qua declinare debet. Peſtis eſt ancilla illa impudica, peſtes ſunt hi & illi nebulones. Quare cura, ut illos omnes, veluti peſtem contagioſam, fugiant filii tui; ne pravo eorum exemplo, tanquam contagio ad peccandum pertrahantur. Memento e, quod cum bonis bonus, & cum malis malus quiſque evadit: *cum bono bonus eris, & cum perverſo perverteris*; quare non ſatis eſt, quod filiis virtutum exempla præbeatis, ſed & curandum, ut cum iis verſentur, quorum exemplo ad virtutem ſectandam alliciantur.

Toti huic concioni finem faciam, adducendo præclara hæc S. Chryſoſtomi verba, dicentis: *Magnum habemus, pretioſumque depoſitum filios. Chryſ. hom. 9. in Epiſt. 1. ad Timoth.* Quaſi dicat; o patres & matres, filios Deus, tamquam depoſitum magnum ſimul & pretioſum, curæ veſtræ commiſit, hujuſque depoſiti ſtrictam ei rationem eſtis reddituri. Nil non molitur dæmon, ut hoc bonis rapiat depoſitum; omnem movet lapidem, ut filios ad peccatum & ad infernum trahat. Quare ut hujus depoſiti Deo rationem reddere valeatis, utque hoc a vobis dæmon non auferat, magna ſollicitudine cuſtodiendum eſt: *ingenti illos ſervemus cura, ne fur eos nobis aſtutus auferat. Chryſ. ibid.* Religioſe ergo hoc depoſitum cuſtodite, filios debite educate, corripite illos cum ad peccata declinant, de credendis & agendis eos erudite, boniſque eos fovete exemplis: ſicque eos Deo, & Cælo dignos facietis; ubi cum illis in æternum regnabitis. *Amen.*

## F E R I A V.

## POST DOMINICAM SECUNDAM.

# DE IGNE INFERNI.

*Crucior in hac flamma. Luc. 16.*

VIri ſancti, dum in hoc mundo viverent, mente & ſpiritu in infernum ſæpe deſcendebant, ut tartarei ignis vim, potentiam, & ardores ſerio contemplarentur. Terribilem hunc ignem in meditationum ſuarum materiam crebro aſſumebant, probe ſcientes, nihil potentius, nihilque efficacius ad præcavenda tartarei ignis ſupplicia, quam de iis ſæpe cogitare, & ea frequenter meditari. Quia, ut perbelle dixit aureus Orator: *Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidit. Chryſ. homil. 2. in c. 2. ad Theſſal.*

Aureum ſane oraculum, ſed heu! quam pauci de inferni ignibus cogitare ſatagunt; & quam multi, advenientes hujuſmodi cogitationes, a mentibus ſuis fugant; ac veluti muſcas importunas, vel ſicut urgentes tentationes a ſe expellunt. Plerique ſimiles ſunt diviti avaro, qui in hoc mundo, non de inferni flammis, ſed de conviviis, de vanitatibus, & de illicitis voluptatibus cogitabat: ſed timeo, ne hi poſt mortem ad tartara properent, ibique ſimul cum hoc epulone clamant: *crucior in hac flamma.* Quod ne eveniat, tartareos ſæpe recogitemus ignes, eos crebro in memoriam revocemus, & de iis plures meditationes inſtituamus. Tota hæc concio nil aliud erit, quam meditatio ignis illius infernalis, a quo torquentur reprobi, &c. *Ave.*

CUm epulonem audio in mediis inferni ignibus clamantem: *crucior in hac flamma*; mihi in mentem venit examinare, & inquirere quomodo hic ab igne torqueatur; an ſcilicet vere, vel imaginarie? an graviter, vel leviter? an ad tempus, vel ſemper, & in æternum?

Eum non imaginarie, ſed vere ab igne torqueri ſuadent verba ipſius, dicentis, quod in hac flamma torqueatur; non enim ait: probabiliter credo, vel imaginor, me a flamma torqueri, ſed *crucior*, inquit, *in hac flamma.* Eum etiam non leviter, ſed graviter ab hac flamma torqueri convincit modus loquendi hujus divitis, qui Patrem Abraham rogat, ut ſui miſereatur; quia ſcilicet gravia & dira ſunt ſupplicia quæ ab igne patitur: *crucior in hac flamma.* Eum tandem in hac flamma diu cruciandum patet: quia nec ab ea liberari, nec minimum in ea refrigerium habere potuit; ſed ibi clamat, & in æternum clamabit; *crucior in hac flamma.*

O miſeram avari illius ſortem, qui ab igne tartareo vere, graviter, & diu torquetur! ſed o miſeram etiam, & infelicem ſortem omnium damnatorum, qui omnes in igne inferni: 1. torquentur vere: 2. torquentur graviter: 3. torquentur ſemper.

## P R I M A P A R S.

*Damnati in igne inferni torquentur vere.*

CErtum eſt, & a Concilio Florentino definitum, *Animas illorum, qui poſt Baptiſmum ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; eas etiam animas, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel iiſdem exutæ corporibus, ſunt purgatæ, in cælum nulla mora recipi: illorum autem animas qui in actuali mortali peccato decedunt, mox in infernum deſcendere.* Sicut autem electi in cælo divini amoris igne ſufflammabuntur; ita & reprobi in inferno ab igne tartareo comburuntur, & cruciabuntur: *ſicut electos beatitudo lætificat; ita credi neceſſe eſt, quod a die exitus ſui, ignis reprobos exurat. S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 28.*

Reprobi, ſunt arbores malæ, ſteriles & infructuoſæ, quæ in morte exciduntur, & mox in tartareum ignem mittuntur: *omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Matth. 3. 10.*

Digitized by Google

10. Tria ſunt arborum genera; ait Hugo Cardinalis, de quibus Chriſtus loquitur, & de quibus mentio ſit Judicum 9. vitis ſcilicet, ficus & oliva: Per vitem, inquit, intelliguntur Prælati; qui ſunt vinea electa, quam Deus plantavit: *ego plantavi te vineam electam. Jerem. 2. 21.* Per ficum intelligendi Religioſi, qui ſuaves paupertatis, obedientiæ & continentiæ fructus producere debent. Per olivam vero, Laici, qui debent facere opera miſericordiæ. Sed timete Prælati; timete Religioſi, timete Laici, timete omnes, quia ſi fructus æternæ gloriæ dignos non feceritis, in tartareum ignem cruciandi mittemini: *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Juſtos Chriſtus vocat *triticum ſuum*; reprobos vero *paleam*. Sicut autem triticum in horrea congregatur; & paleæ igni, vel aliis vilibus uſibus addicuntur; ita & Chriſtus juſtos in horreum ſuum, ſeu in cæleſte habitaculum congregabit, reprobos vero in tartareum ignem comburendos, & cruciandos mittet: *congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Matth. 3. 12.* Fornicarii, idololatræ, adulteri, fures, avari, ebrioſi, maledici; rapaces, & alii hujuſmodi peccatores ſunt paleæ, quas Deus in horrea ſua non congregabit: hi nunquam regnum cælorum poſſidebunt; *neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. 1. Cor. 6. 9.* Quid ergo de hac palea, quid de his peccatoribus fiet? Si ante mortem non convertantur, mox ut mortui erunt, in tartareum ignem projicientur, ut ab eo comburantur; & torqueantur: *paleas autem comburet igni inextinguibili.* O avari; qui aliena detinetis; o fornicarii, qui carnis voluptatibus indulgetis; o ebrioſi; qui nimio vos ingurgitatis vino; o maledici; qui proximi famam lædere & auferre non formidatis; o peccatores inſenſati; qui vitiis veſtris ſummo affectu adhæretis, irridetis Concionatores, Confeſſarios, & alios pios monitores; pretioſum Chriſti profunditis ſanguinem, & Spiritus Sancti gratias abjicitis, hæc omnia a vobis patitur Deus; expectat ut ad ipſum convertamini; vocat vos, & venire renuitis: ſed ſi ante mortem pœnitentiam non egeritis, vos in inferni ignem cruciandos mittet: *paleas autem comburet igni inextinguibili.*

Reprobos Spiritus Sanctus non ſolum paleæ, ſed etiam ſtuppæ comparat: *ſtuppa collecta Synagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis. Eccls. 21. 10.* Dici poſſet, peccatores ſimiles eſſe ſtuppæ: quia ſicut ſtuppa quid vile & contemptibile eſt; ita & peccatores viliſſimi ſunt & omni contemptu digni: *quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! Jer. 2. 36.* Sed ad propoſitum noſtrum dicamus, peccatores ſimiles eſſe ſtuppæ: quia ſicut ſtuppa cito accenditur, ita peccatores in hoc mundo accenduntur igne concupiſcentiæ, & cito accenduntur igne gehennæ: ſi enim pœnitentiam non egerint, mox ut mortui fuerint, in tartareum ignem mittentur; *ſtuppa collecta Synagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis.* Videmus in hoc mundo Synagogam, ſeu collectionem uſurariorum, qui, veluti hirudines, ſanguinem, ſubſtantiam & facultates pauperum avide ſugunt: *ecce ſtuppam*; quam ad comburendum diabolus præparat. Videmus tot viros potentes in ſæculo, qui domeſticos fraudant, ſubditos opprimunt, & nunc iſtius vineam, nunc illius hortum, nunc alterius domum inique rapiunt; *ecce ſtuppam* in inferni ignem mittendam: Tot videmus falſarios, qui Dei, conſcientiæ, & ſalutis ſuæ immemores, iniquis contractibus, & falſis teſtimoniis proximi famam, & facultates injuſte auferunt; *ecce ſtuppam.* Tot videmus iniquos Judices, qui pro modico lucro omnia jura violant, iiſque majora offerunt munera: *ecce ſtuppam.* Sed quid dicemus de tot mercatoribus, quorum ſtateræ & menſuræ doloſæ ſunt; qui habent pondus & pondus, menſuram & menſuram, quique merces malas pro bonis, & ſupra juſtum pretium quotidie vendunt? *ecce ſtuppam.* Quid de tot libidinoſis; qui ſtupris, adulteriis, pollutionibus & obſcœnis aliis libidinibus carnem ſuam fœdant, & animam ſuam trucidant? *ecce ſtuppam:* Quid tandem de ebrioſis; maledicis, blaſphemis, perjuris, & aliis peccatoribus? *ſtuppa collecta Synagoga peccantium:* hi; ut ait Spiritus Sanctus, ſunt quaſi ſtuppa: O magnam ſtuppæ congeriem! Sed quid de hac ſtuppa fiet? quid fiet? quid fiet de his peccatoribus? hi in inferni ignem comburendi, & cruciandi projicientur: *conſummatio illorum flamma ignis.* Nec credas, quod ab igne cito conſummentur damnati, quia licet comburantur ſicut ſtuppa, non tamen cito conſummentur ut ſtuppa; ſed, ut ait S. Cyprianus, ignis carnibus eorum adhærebit, corpora eorum allambet, eoſque cremabit, & diu cruciabit, *immortales miſeri vivent inter incendia, & inconſumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, nec erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat. In proprio adipe frixa libidinis bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur.*

De Salamandra refert D. Auguſtinus, quod in mediis ignibus vivat; *Salamandra in ignibus vivit: Aug. lib. 12. de Civit. c. 4.* Reprobi ſimiliter in mediis inferni ignibus vivent, ignis eos allambet, eos comburet, eoſque ita penetrabit, ut quilibet damnatus accenſæ fornaci ſimilis futurus ſit, & ut ait Propheta, Deus illos ut clibanum ignis ponet; *pone eos ut clibanum ignis. Pſal. 20. 10.* Vidiſtis forte fornaces, in quibus coquuntur lateres, vel in quibus liquantur metalla ad tormenta bellica conficienda? Poſtquam in iis fornacibus ignis una vel altera die remanſit, muri, portæ, & omnia interiora eorum ita accenſa, & ab igne penetrata ſunt, ut fornaces hæ igneæ potius quam lapideæ vel latertiæ videantur: accenſis autem & ignitis iis fornacibus ſimiles erunt damnati, quia eos omnino penetrabit, & undequaque pervadet tartareus ignis. Quod præclare adnotavit Sanctus Gregorius Papa; qui præfata Prophetæ verba exponens, ait damnatos in inferno ponendos, *ut clibanum ignis.* Quia ſicut ignis non ſolum calefacit concavam ſuperficiem fornacis in qua eſt; ita etiam ignis inferni non ſolum ſuperficiem carnis reproborum calefaciet, ſed eos totaliter penetrabit, eoſque omni ex parte accendet; *ut oſtendat reprobos interius, exteriuſque ardere. S. Gregorius lib. 15. Moral. c. 17.* Quilibet damnatus habebit ignem in corde, ignem in pulmone, ignem in cerebro, ignem in oculis, in lingua, & in ipſis oſ-

ſium medullis, nec erit aliquis nervus, muſculus aliquis, cartilago, vel vena aliqua, quæ a tartareo igne non penetretur, quia ignis intus & foris eos inflammabit, & comburet, *ut oſtendat reprobos interius, exteriuſque ardere.*

O quam vere, immo quam dire ab igne inferni torquebuntur damnati! ſi enim ignis noſtri ſcintilla ad modicum ſupra nudam manum vel ſupra pedem remanens, non modicum cauſet dolorem; quam vere & quam dire damnatos torquebit tartareus ignis, cum non ſit ſolummodo parva quædam ignis ſcintilla, ſed fornax accenſa, ſed fluvius ignis, ſed *ſtagnum ignis;* ut ait Sanctus Joannes Evangeliſta; ſed *ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus, Tertull. Apol. cap. 47.* ut ait Tertullianus, quam vere, inquam, & quam dire reprobos torquebit ille ignis, qui non ſolum leviter, & tranſeunter manum, vel pedem attinget, ſed damnatis firmiter adhærebit eoſque omni ex parte penetrabit!

Docet Doctor Angelicus, quod ad cauſandum dolorem requiritur conjunctio alicujus mali, ut v. g. dolorem in manu mea cauſet ignis, debet ei conjungi per ſe, vel per actionem ſuam, & quo intimius ignis manui meæ unietur, eo graviorem illi dolorem inferet. *S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 1.* Ignis autem inferni damnatis ſtrictiſſime unietur, eorum carnes & oſſa penetrabit, medullas, viſcera, & omnia interiora eorum pervadet, in ipſum intellectum, & in ipſam eorum animam acriter aget; quare damnatos non ſolum vere, ſed etiam graviter torquebit. Quod in ſecunda hujus concionis parte jam latius nobis probandum eſt.

## SECUNDA PARS.

*Damnati ab igne inferni torquentur graviter.*

IGnis inferni quaſi judex a Deo inſtitutus *interrogabis oſſa, & medullas, & cogitationes noſtras,* inquit Euſebius Emiſſenus: *Euſeb. in Oct.* Hic ignis intima cordium penetrabit, ut pravas cujuſque intentiones, & illicita deſideria ſollicite inquirat, & interrogabit cujuſque memoriam, intellectum, aliaſque animæ potentias, hic ignis interrogabit ſacrilegas blaſphemorum, & impiorum linguas, interrogabit oculos, manus, & alia corporis membra per quæ quiſque peccaverit, ac tandem interrogabit, & inquiret quantam quiſque pœnam mereatur, *hic ignis erit inquiſitor meritorum omnium: Caſſian. collat. 15. c. 10.* Sed quod in primis mirabile eſt, hic ignis quemque plectet juxta ejus merita, unde alios magis & alios minus pro diverſitate meritorum torquebit, *negandum non eſt, ignem æternum pro diverſitate meritorum, aliis leviorem, aliis futurum eſſe graviorem. Auguſt. lib. 20. de Civit. c. 10.*

Licet autem tartareus ignis alios magis, & alios minus torqueat, omnes tamen graviter torquebit, quia eum Deus inſufflabit, accendet, & armabit adverſus omnes reprobos, ut eos graviter cruciet. *Armavit* olim Deus ciniſes, ranas, & alia vilia inſecta, ut cum Pharaone belligerarent; *armavit* aquas, cum eas in omnes terræ partes miſit, ut inimicos ſuos undique quærerent, & diluvio univerſali ſuffocarent; *armavit* interdum terram, cum ab ea populos multos glutiri voluit, & majori ſollicitudine, & modo extraordinario armabit & incitabit inferni ignem, ut ardeat, comburat, & graviſſime reprobos omnes torqueat. Sicut enim Nabuchodonoſor adverſus tres pueros iratus, in fornacem conmitti juſſit, *& præcepit, ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quam ſuccendi conſueverat: Daniel. 3. 16.* ita Deus tartareæ fornacis ignem ardentiſſime accendet; ac flatu, & præſentia ſua exardeſcere faciet, ut acrius agat in reprobos: *ignis in conſpectu ejus exardeſcet. Pſ. 49. 3.* Ignis tandem ille, a Deo incenſus, & ſupernaturaliter elevatus, ita damnatos cruciabit, ut quantam ab igne pœnam ſint paſſuri, explicare nequeamus: *quam ſit horrendum illud ſupplicium, oratio nequit explicare. Chryſ. tom. 3. cap. 6.*

Ut aliquam graviſſimorum ſuppliciorum, quæ ab igne perferunt reprobi, animis noſtris ideam ingerat Doctor Angelicus, ait, ignem illum eſſe ardentiſſimum, non ſolum quia a Deo adverſus damnatos irato ſuccenſus; ſed etiam quia hic ignis ſummo frigore circumdatus, per antiperiſtaſim, ſuum intendet calorem: *ignis ibi erit fortiſſimæ caliditatis; quia calor ejus erit undique congregatus, propter frigus terræ ipſum undique circumſtans. D. Thom. contra Gent.* Quæ ratio ut intelligatur, advertendum, infernum eſſe in terræ centro, quo nihil a ſole remotius; advertendum etiam, quod, quo locus aliquis magis diſtat a ſole qui luminis & caloris pater eſt, eo magis (naturaliter loquendo) in eo friget. Quare cum ignis inferni ſit in centro terræ, maximum eſt frigus quo circumdatur; & ideo calor ejus per circumſtans illud frigus magis intenditur: quantus ergo erit calor illius ignis a Deo ſuccenſi, & a circumſtante frigore intenſi, ſed quanta erit pœna, quam ab hoc igne, ſic ſuccenſo, patientur damnati? Tanta quidem, ut eam explicare non poſſit humana eloquentia: *quam ſit horrendum illud ſupplicium, oratio nequit explicare.*

Aliam rationem, qua probant ſummam illius ignis caliditatem & activitatem, nonnulli auctores deſumunt ex materia cui adhærebit, & ex qua nutrietur. Ipſa experientia conſtat, ardentiorem eſſe, & acrius urere ignem, cum ſulphuri, bitumini, vel ſimili alteri inhæret materiæ: nonnunquam enim videmus, quod ex pice, nitro, bitumine, pulvere tormentario aliiſque ſimilibus rebus componuntur ignes, quorum tanta activitas, ut facillime duriora liquent metalla, turres altiores funditus evertant, urant in medio aquarum, & alia portentoſa efficiant. Ignis autem inferni ex ſimilibus materiis conſtituetur; ut enim ait S. Scriptura, infernus eſt *ſtagnum ignis & ſulphuris: Apocal. 20. 10.* & ut docet Tertullianus, infernus eſt quaſi totius mundi cloaca, in quam defluunt omnes terræ ſordes, ex quibus fit ignis tenebroſus, fœtidus, & ardentiſſimus; quanta ergo damnatis erit pœna, in medio hujus ignis morari, vivere, & indeſinenter uri? quantum ab hoc igne patientur ſupplicium? tantum equidem, ut illud *oratio nequeat explicare. Tertull. lib. de anim. cap. 54.*

Ne credas, inquit Sanctus Chryſoſtomus, ignem inferni noſtro eſſe ſimilem, *cum ignem inferni audis, ne arbitreris huic ſimilem. Ibid.* In mentem revoca,

cas, ait aureus ille Doctor, Tyrannos omnes, qui immanius, & crudelius ſævierunt in Martyres; pone, ſi libet, ignem, ferrum, beſtias, & quæcumque alia quæ ad eos torquendos aſſumpta ſunt; imaginare graviora, quæ unquam perpeſſi ſunt ſupplicia, & certus eſto, quod hæc omnia, reſpectu eorum quæ damnati in inferno ab igne perferunt, non tormenta, ſed veluti quædam tormentorum umbra dicenda ſint, *nec umbra ſunt hæc ad illa tormenta. Chryſoſtom. homil. 49. ad Popul.* Animo verſa quidquid in hoc mundo paſſi ſunt famoſiſſimi quique rei, mentis tuæ oculis objice quidquid a barbarorum ſævitia pati poſſunt homines; & quantumvis hæc tibi gravia videantur, pro certo habeas, hæc ludicra, & quaſi nullius eſſe momenti in comparatione horrendorum ſuppliciorum, quæ a tartareo igne patiuntur damnati: *hæc omnia ludicra & riſus ſunt ad illa ſupplicia*. Ignem compone maximum, ac tantum, quantum volueris, inquit D. Auguſtinus; in illum projice ſulphur, ſalnitrum, & alia quæcumque igni ardentiſſimo conficiendo inſervire poſſunt; volo, ut hic ignis Babylonica fornace ſit ardentior; ſi tamen cum tartareo conferatur, non verus ignis, ſed ignis pictus vocandus eſt, *hic ignis depictus eſt. quantumvis intenſe accenſus ſit*. Heu! ſi ignes noſtri, quantumvis acerbi & accenſi, ſint ſolum ignes depicti, reſpectu ignium inferni; ſi etiam omnia, quæ rei, & Martyres unquam perpeſſi ſunt, umbræ & ludicra ſint in comparatione eorum, quæ ab inferni igne patiuntur damnati, quantum, quæſo, eſt iſtorum ſupplicium, quam grave eſt id quod ab hoc igne perferunt! certe quantum ab hoc igne torqueantur, humano ſermone explicari nequit, *quam ſit horrendum illud ſupplicium, oratio nequit explicare*.

Referunt Hiſtorici, quod Phalaris Tyrannus æneo ad cruciandos homines utebatur tauro, intra quem eos includi, ac ſubmiſſo igne paulatim torreri jubebat. O immane ſupplicium! ipſius ſola enarratio terrorem incutit & horrorem, & haud dubie ſi quis ex nobis tanto adſtitiſſet ſpectaculo, horruiſſet plurimum, audiens planctus, & ejulatus, quos intra tauri hujus ventrem edebant qui hoc ſupplicio afficiebantur. Sed ſi nunc reviviſceret crudelis ille tyrannus; vel ſi quis eadem tyrannica feritate jam in homines ſæviret, quantus labor, videre nunc uxorem, nunc filium, & nunc aliquem ex amicis tam diro ſupplicio addici? ſed quid ſi quis veſtrum ad tam immane ſupplicium damnaretur? quid, ſi veſtrum aliquis intra ænei tauri ventrem lento igne comburi cogeretur? quantum hoc ei tormentum? tantum quidem, ut nullum aliud ei ſimile videretur. At, quid hoc, reſpectu inferni; ubi in medio univerſæ terræ ſinu, non a lento, ſed ab ardentiſſimo & ferali igne continue cremantur reprobi? quid non patiuntur ab hoc igne, cujus comparatione, noſter hic ignis umbra eſt, pictura eſt: certe tam gravia ab hoc igne patiuntur, ut nec humano ſermone explicari queant.

Heu! quis hujus ignis vim & impetum tolerare poterit? ſi, ait Chryſoſtomus, cum ardenti laboras febri, ab interno calore te devorari credis: ſi tunc omnium fontium aqua ſitim tuam extinguere non valet; quid facies, o peccator, cum in mediis inferni flammis vivere, & remanere cogeris? ſi nunc unius febriculæ ardorem vix perferre potes, quomodo ignium infernorum inexplicabiles ardores tolerare poteris? *Si febris adeo nos affligat & terreat, quo animo erimus, quando in fluvium ignis inciderimus! Chryſoſt. t. 5. epiſt. 5.* hæc certe intolerabilia ſunt; quare emendet unuſquiſque vitam ſuam, ut nunquam per experientiam diſcamus quam gravia, & quam intolerabilia ſint quæ reprobi a tartareo igne ſupplicia patiuntur: *ut nunquam hæc per experientiam diſcamus, hic emendemur. Chryſ. hom. 49. ad Popul.*

Omnes damnati maxime contriſtabuntur, & ſummo afficientur dolore, cum recordabuntur, ſe in inferni ignem præcipitatos; quia in hoc mundo vitam emendare recuſarunt: *animas damnatorum contriſtabit, quando meminerint, quod occaſione emendandi vitam non uſi, ſe tradiderint immortalibus malis. Chryſoſt. tom. 5. epiſt. 5.* O peccator! quantus tunc tibi dolor, quanta animi amaritudo, cum in medio flammæ recogitabis, quod peccati fuga, humili confeſſione, & aliquantula pœnitentia, tam atros rogos devitare potuiſſes! tunc amare flebis, tunc dentibus fremes & tabeſces; tunc velles arduam in ſæculo ſuſcepiſſe pœnitentiam, & virtutibus chriſtianis firmiter adhæſiſſe. Inanis quidem & vana tunc erit hæc voluntas; ſed fac nunc, quod tunc feciſſe velles: jejuna, ora, peccata deteſtare, pœnitentiam age, virtutibus comparandis incumbe; & ſic declinabis inferni ignem, a quo damnati torquentur graviter, & *torquentur ſemper*.

## TERTIA PARS.

*Damnati ab igne inferni torquentur ſemper.*

IN hoc mundo nullus gravia ſupplicia diu perferre poteſt; quia corpora noſtra non ſufficiunt ad vehementiam ſimul, & ad longitudinem pœnarum perferendam: ſed *in inferno conveniunt & prolixitas, & exceſſus tormentorum*, inquit Chryſoſtomus. *Chryſoſt. hom. 49. ad Pop.* Et deo licet damnati a tartareo igne graviter torqueantur, ab eo etiam diu, immo ſemper, & in æternum torquebuntur.

De quo omnem dubitandi locum tollit Chriſtus, cum reprobos inferni ſuppliciis adjudicat: non enim eos ad tranſitorium, ſed ad æternum ignem condemnat, dicens: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Matth. 25. 41.* Et ne quis dicat eos quidem ad ignem æternum condemnandos; non tamen in hoc igne æternum torquendos; ſubdit Chriſtus, quod ab eo in æternum torquebuntur, & quod ſupplicium eorum æternum erit; *ibunt hi in ſupplicium æternum. Ibid. verſ. 46.* Prævidit Chriſtus quod dicere poſſent aliqui, æternum quidem fore ignem in quo torquebuntur reprobi; pœnam tamen & combuſtionem eorum non fore æternam; quare ut notum omnibus ſit, eos ab igne æterno in æternum comburendos, & torquendos; poſtquam illos ad æternos ignes condemnavit, ſubdit, & concludit, aſſerens, quod ibunt hi in ſupplicium, & in combuſtionem æternam. *Hic prævidens Dominus, ſententiam ſuam concluſit, dicens: ibunt illi in combuſtionem æternam. S. Aug. lib. de fide capit. 15.* Quid clarius? quid evidentius?

Idem Chriſtus Salvator de peccatore, a Deo per cri-

crimina ſua ſeparato, ait, quod *mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Joann. 15. 6.* Cur non dixit Chriſtus: in ignem mittent eum, *& ardebit?* Ipſe orationis contextus expoſtulare videbatur, ut diceret, & ardebit; non autem *& ardet*: cur ergo dixit Chriſtus, *& ardet?* ſic loquitur Chriſtus, ut per illud verbum de præſenti, ſignificet æternitatem, cui omnia ſunt præſentia. Ut enim exponit Cardinalis Toletus, cum ait Chriſtus: *& ardet*; idem eſt ac ſi dicat; *ardet jam, & ardet ſine fine, & in perpetuum.* Si petas a Chriſto, quid factum ſit de Juda, qui a tot ſæculis ad tartara damnatus eſt? reſpondebit; *& ardet.* Si quolibet momento quod fluit, & qualibet hora quæ tranſit; ſi quolibet anno, & quolibet ſæculo quod in interminabili æternitate occurret, ab eo petas, quo in ſtatu ſit proditor ille; reſpondebit Salvator: *& ardet* Judas, & omnes qui ex hoc mundo in ſtatu mortalis peccati exeunt, mox ut mortui ſunt, in tartareo igne ardent, in eo in æternum ardebunt, & in quolibet totius æternitatis puncto, de iis dici poterit, quod ardeant; *& ardet.* O quam terribilis hæc æternitas! o quam horrendum, ſemper & in ſempiternum in tartareo hoc igne ardere!

Triplex a Deo inſtitutus eſt ignis ad purganda, vel ad vindicanda hominum crimina: ignis ſcilicet Spiritus Sancti, ignis purgatorii, & ignis inferni: *Ignis Spiritus Sancti*, eſt Dei amor; qui ſi perfectius ſit, virtutem habet omnia peccata delendi; ut patet in Magdalena, cui omnia remiſſa ſunt peccata; quia hoc igne ſuccenſa fuit; *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; Luc. 7. 27.* O quam felices, qui ſacro hoc igne inflammantur! *Ignis purgatorius*, eſt ſubterraneus quidam ignis a Dei juſtitia accenſus, ut in eo viri juſti poſt mortem a levibus quibuſdam culpis purgentur, vel ut temporaneas aliquas pro peccatis pœnas luant; O quam felices etiam qui hoc igne tranſeunt; quia ſalutis ſuæ certi ſunt; *ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. 1. Corinth. 3. 15.* Sed *ignis tartareus*, qui a Deo in terræ centro accenſus eſt ad cruciandos eos qui in ſtatu lethalis peccati moriuntur, eſt ignis terribilis, & inextinguibilis, qui non ad tempus, ſed ſemper & in æternum torquebit reprobos; *non extinguetur flamma ſuccenſionis. Et videbit omnis caro, quia ego Dominus ſuccendi eam, nec extinguetur. Ezech. 20.* Timete, peccatores, contremiſcite; quia Deus ignem præparavit inextinguibilem, qui torquebit vos, non una duntaxat hora, non ad centum ſolum, vel ad mille annos, ſed in æternum.

Totus contremiſco, cum apud Iſaiam lego, Deum fornacem illam tartaream ad torquendos peccatores præparaſſe; *præparata eſt enim ab heri Tophet, a Rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna multa. Iſa. 30. 3.* Addit Evangelicus Propheta, quod Deus in æternum fornacis hujus ignem inſufflabit, quodque ſtatus ejus erit quaſi torrens ſulphuris; *flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Prophetæ huic accinit alius Propheta; Ezechiel ſcilicet dicens, quod ignis hic, a Dei flatu ſuccenſus, omne lignum, ſeu omnes peccatores, cujuſvis ſtatus, & conditionis eſſe poſſint, acriter comburet: *ecce ego ſuccendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, omne lignum aridum. Ezechielis 20. 27.* O quam vehemens, & quam terribilis ille ignis! ſed dicat quis, quamdiu durabit, & quamdiu ignis ille reprobos torquebit? forte ad menſes, vel ad annos aliquos? non ad menſes, nec ad annos, ſed in æternum; quia hic ignis, a Deo ad cruciandos reprobos accenſus, nunquam extinguetur; *non extinguetur flamma ſuccenſionis.*

O quam horrendum, incidere in manus Dei viventis! O quam formidanda vindicta, quam ſumit Deus de inimicis ſuis! o quam terribilis ille ignis, quo reprobos torquet vere, torquet graviter, torquet ſemper! ſed o quam inſenſati peccatores, qui hunc ignem evadere non ſatagunt! fateor, quod verba deſunt; nec loqui valeam, ut exprimam dementiam hominum in ſtatu lethalis peccati viventium; qui cum coram ſe accenſos tartari rogos videant, ab eis declinare non curant. Sciunt, quod ſubitanea morte rapi poſſint: norunt, quod ſi ſubito moriantur, mox in æternos inferni ignes præcipitabuntur; & tamen ſua per pœnitentiam crimina delere negligunt, & renuunt; o quantam ſtultitiam! Credunt miſeri, quod ſub eorum pedibus eſt infernus; credunt, quod ibi eſt fluvius, & quaſi mare igneum, in quod æternum cruciandi præcipitabuntur, ſi non convertantur ad Dominum; & tamen nec de converſione cogitant; o ſtulti, o inſenſati homines! Cum eis dicimus: crediti ſne æternum eſſe ignem inferni? reſpondent; *credo.* Cum ab eis petimus, an credant, omnes in ſtatu mortalis peccati morientes, in æterno hoc igne cruciandos? reſpondent: *credo.* Sed licet ſe hoc credere profiteantur, aliena non reſtituunt, inimicis parcere nolunt, pravos non eradicant habitus; pœnitentiam, & alia ad hunc ignem vitandum neceſſaria agere recuſant: o magnam, o inexplicabilem hominum hujuſmodi ſtultitiam!

O ſtulti, aliquando ſapite; a peccatis aliquando ſurgite, ut gravia & æterna hujus ignis ſupplicia declinare valeatis. Si terreat vos pœnitentia, ut vanum hunc terrorem expellatis, mementote, quod *in inferno erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amariſſima pœnitentia. In Vitis Patrum lib. 3. num. 3.* Suadet aſtutus dæmon, duriora, & acerbiora eſſe pœnitentiæ exercitia, graviſſima vero & æterna tartarei ignis ſupplicia hominum mentibus avocat; vel ea quaſi nullius momenti eſſe inſpirat; ſed duriorem in hoc mundo pœnitentiam generoſe ſuſcipite; quia *in inferno erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amariſſima pœnitentia.*

Hoc probe noverat ſenex ille Monachus, in maxima auſteritate vivens; qui rogatus quomodo rigorem illum perferre poſſet? reſpondit; *omnis labor totius temporis quo in hac ſolitudine vixi, nondum unius horæ tormentorum æternorum ſpatium adæquat.* Amabat ille hujus mundi pœnitentiam, quia timebat inferni ſupplicia; amaremus & nos pœnitentiam, ſi terribilia, & æterna ignis tartarei ſupplicia ſæpe recogitaremus.

O peccator, qui ſalutarem pœnitentiam tantopere reformidas, animo volve hoc ſtagnum ignis & ſulphuris; ſerio meditare hunc locum tormentorum,

ubi

Digitized by Google

ubi miſeri in faſciculos colligati gemunt, clamant, & ululant. Ibi conſidera innumeros avaros, libidinoſos, blaſphemos, invidos, guloſos, & alios reprobos, qui diriſſime torquentur in igne inextinguibili; quia in hoc mundo pœnitentiam agere noluerunt. Hæc ſerio perpende, & intra temetipſum dic: o quam melius eſt in hoc mundo aliena reſtituere, inimicis parcere, a blaſphemiis, fornicationibus, & aliis vitiis abſtinere, quam in inferno ardere! ſic intra temetipſum loquere, ſic ratiocinare; ac veræ pœnitentiæ operibus ſtudioſe incumbe, ut tartareos ignes devites, & æternæ felicitatis gaudia aſſequi merearis. *Amen.*

## F E R I A VI.

## P O S T

## DOMINICAM SECUNDAM.

# DE INTERNIS DAMNATORUM SUPPLICIIS.

*Crucior in hac flamma.* Luc. 16. 25.

CONſueverant olim Chriſtianæ Religionis hoſtes, fideles veſtibus, ſulphure, pice, reſina, aliaque materia, ad uſtionem idonea imbutis induere, eoſque deinde in urbium compitis alligare, & in mediis noctis tenebris, admoto igne, eos vivos comburere; *ut in noctis faces converterentur. Tacit. in Annales.* O crudele ſpectaculum! quid enim horribilius, quam quod homines innocentes, vivi comburantur, & quaſi in faces accenſas convertantur?

Immane hoc inventum ex dæmonis officina haud dubie prodiit; ſed Chriſtus, mira ſacri ſui amoris inventione, in conſpectu omnium ponit divitem avarum, tartareis ignibus circumdatum; illum veluti facem viventem & accenſam concionatorum cathedris alligat, ut tanto ſpectaculo homines ad eradicandos pravos habitus, & ad pœnitentiam agendam efficaciter alliciat.

Contemplemur adhuc hodie helluonem hunc, in mediis flammis clamantem: *Crucior in hac flamma.* Sed & mentis noſtræ oculis, interiora cordis ejus introſpiciamus, ut in eo adnotemus cogitationes varias, quibus crudeliter torquetur. Graviſſimum quidem illi, & omnibus reprobis, ignis tartarei tormentum; ſed gravius torqueri videntur cogitationibus dilaniantibus corda eorum. De inferni ignibus heri diximus; hodie de internis divitis, & aliorum reproborum pœnis, ſeu de cogitationibus corda illorum diſcerpentibus erit concio, &c. *Ave.*

DIves avarus in mediis inferni ignibus Deum, Paradiſum, & ſupplicia ſua recogitat: *Deum*, in quem toties peccavit; *Paradiſum*, quem perdidit; & *ſupplicia*, quæ in æternum paſſurus eſt. Deum animo verſat dives hic epulo, cum ab eo poſtulet, ut mittat Lazarum: *Pater Abraham mitte Lazarum. Luce 16.* Paradiſi etiam meminit avarus ille, cum ſurſum oculos tollat: *elevans autem oculos ſuos. Ibid.* Supplicia tandem quæ patitur, & perpeſſurus eſt, mente revolvit; cum ſe in loco tormentorum degere clamat; *in hunc locum tormentorum. Ibid.*

O quam beati, qui in hoc mundo perſæpe de Deo, de Paradiſo, & de inferni ſuppliciis cogitant; *de Deo*; ut illi fideliter inſerviant: *de Paradiſo*; ut ad illum aſſequendum ſtrenue laborent: & *de inferni* ſuppliciis; ut ea vitare valeant. Sed væ diviti avaro, & aliis reprobis in inferno exiſtentibus, quia de Deo, de Paradiſo, & de Inferno continue cogitant; tribus enim his cogitationibus, quaſi tribus internis tortoribus, diriſſime cruciantur. 1. Recogitant Deum, in quem toties peccaverunt; *ecce primum tortorem*: 2. Recogitant Paradiſum, quem ſua culpa perdiderunt: *ecce ſecundum*: 3. Recogitant ſupplicia quæ actu patiuntur, & in æternum perpeſſuri ſunt: *ecce tertium.* Damnati torquentur cogitatione Dei, Paradiſi, & ſuppliciorum ſuorum: En tres tortores interni, a quibus cruciantur corda eorum: & en etiam tres hujus concionis partes.

## P R I M A P A R S.

*Damnati torquentur cogitatione Dei.*

ITa acerba damnatorum ſupplicia cenſet D. Auguſtinus, ut eorum vi cogantur, ad illa ſemper recogitanda; nec alio mentem, & cogitationes ſuas traducere valeant: *nimio dolore premuntur, ut interim mentem in alia cogitationem non ferant.* Doctoris illius mentem Doctor alius, nempe Seraphicus Bonaventura, explicat, dicens, damnatos ſolummodo cogitare de ſuppliciis, vel de iis, quorum cogitatio ſupplicia & pœnas eorum augere poteſt: & ideo cum cogitant, & animo volvunt divitias quas in ſæculo poſſederunt, voluptates quibus adhæſerunt, dignitates ad quas ſublimati fuerunt, propinquos & amicos a quibus derelicti ſunt; hæ & aliæ ſimiles cogitationes, ſupplicia & dolores eorum plurimum adaugent. Et (quod mirabilius & incredibilius videtur) cum de Deo cogitant, hæc cogitatio eos diriſſime torquet. *D. Bonav. in 3. hiſt.* 1.

Sancti qui in cælo ſunt, & damnati qui cruciantur in inferno, de Deo ſemper cogitant: ſed modo longe diverſo; quia Sancti in cælo Deum facie ad faciem contemplantur, eum intuitive ſemper vident; & clara hæc Dei viſio, ſimul cum amore ejus, eſt præmium, beatitudo & merces Sanctorum: *hæc eſt ſumma merces, videre te. Auguſt.* Damnati vero Deum facie ad faciem non vident: licet enim in inferno ſit per eſſentiam, & per præſentiam, non tamen ibi eum reprobi intuitive vident; ſed eum ſolummodo norunt cognitione quadam abſtractiva, habent ſolum ſpecies & ideas quasdam acerbas & terribiles, quibus mediantibus concipiunt, quanta ſit majeſtas Dei in quem toties peccaverunt, quanta ſit bonitas Dei quem criminibus ſuis irritaverunt, quanta ſit juſtitia Dei, a qua in æternum plecti meruerunt; & hæ de Deo cogitationes plurimum cruciant reprobos, eorumque ſuppliciis maximum incrementum afferunt.

Quod præclare docet Ezechiel, cum Dei vultum ſub ſpecie cryſtalli horribilis repræſentat: *quaſi aſpectus cryſtalli horribilis. Ezech. 3.* Nonne congruentius hic

Digitized by Google

Dives avarus, oculos in cælum elevans, in ſinu Abrahæ vidit Lazarum quem contempſerat, & cui cadentes e menſa micas dare recuſaret: *elevans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in ſinu ejus. Luc. 16. 13.* Cur vult Deus, hunc epulonem videre Lazarum in ſinu Abrahæ? non quidem ut Lazari, & Paradiſi viſione aliquod in ſuppliciis ſuis levamentum percipiat; ſed ut videns, ſe modica voluptate, perdidiſſe hanc beatitudinem qua potitur Lazarus, inde gravius affligatur & torqueatur. Quod non ſoli avaro diviti, ſed & omnibus damnatis contingit, qui omnes ad cæleſte regnum, quod perdiderunt, continue conſiderandum compelluntur. Immo ait S. Gregorius, vult Deus, ut hi ab imo inferni carcere Sanctos in Paradiſo regnantes contemplentur, ad hoc ut tali conſideratione acerbius puniantur: *injuſti in requie quoſdam juſtos conſpiciunt, ut eis videntes in gaudio, non ſolum de ſuo ſupplicio, ſed etiam de illorum bono crucientur. Ibid.*

In formidando extremi judicii die binam Chriſtus proferet ſententiam: *primam* in favorem electorum: *alteram* in condemnationem reproborum. Electis dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi: Matth. 25. 44.* deinde dicet reprobis: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Ibid. v. 41.* Cur prius electos ad cæleſtia regna vocat quam ad inferni ſupplicia reprobos condemnet? cur prius cæleſtem beatitudinem electis confert, quam reprobos a facie ſua expellat, & ad tartara mittat? Ita Chriſtus, inquit ſanctus Gregorius Nyſſenus, ut reprobi, videntes gloriam quæ electis datur, ejus conſideratione torqueantur: *ut videant injuſti quæ perdiderunt: reportaturi ſecum primam pœnam alienæ beatitudinis conſcientiam. S. Greg. hom. 2. in ſymb.* Hæc eſt pœna, quam in infernum portabunt ſecum reprobi; ſemper ibi conſiderabunt gloriam, qua fruuntur Sancti; ſemper mente revolvent Paradiſum in quo regnant beati, & a quo ipſi ceciderunt: & illa pœna ita iis gravis erit, ut quiſque deſperans, linguam ſuam dentibus mordeat: *commanducaverunt linguas ſuas præ dolore. Apoc. 16.*

Heu! qualis dolor principibus damnatis, cum videbunt in cælo innumeros ruſticos, opiliones, & mendicos glorioſe regnantes? heu! quanta triſtitia uſurariis, & alienorum iniquis detentoribus, cum in cælo conſpicient Zachæum, & alios qui ablata reſtituerunt, glorioſiſſime triumphantes? quantus mœror obduratis & excæcatis peccatoribus, qui pœnitentiam in ſæculo agere noluerunt, cum in cælo intuebuntur Paulum, Magdalenam, & alios qui Paradiſi gaudia aſſecuti ſunt, quia pœnitentiæ in hoc mundo generoſe adhæſerunt? Sed, heu! quam grave & durum erit omnibus peccatoribus, cum aſſidue recogitare cogentur Paradiſi gloriam quam perdiderunt; quia a vitiis ſuis peſſimis declinare, & virtutum operibus incumbere noluerunt?

O quales fletus! o quales gemitus! o quales ululatus! tunc quilibet reprobus manducans linguam ſuam, & gemens, intra ſe dicet: O infelix ego, qui juſtiſſimo Dei judicio cælum pro terra amiſi, qui pro volatili carnis voluptate æternis privor deliciis, qui pro creatura Creatorem perdidi, & qui pro vanis ſceleribus a Paradiſo in æternum propulſor! Hei mihi, dicet etiam quilibet reprobus; hei mihi miſero cui in ſempiternum clauſa eſt Paradiſi janua! O crudelis ambitio, tu me a Paradiſo voluptatis expuliſti! o infauſtæ divitiæ, vos mihi æternas cæli divitias eripuiſtis! o effrænata peccandi libido, tu mihi cæleſtis regni fores obſeraſti! Vale æterna Paradiſi gloria, quam pro leviſſimo vanitatis fumo perdidi: valete ineffabilia regni cæleſtis gaudia, quæ pro obſcœna voluptate amiſi. Vale ampliſſima empirei magnitudo, quam pro unico terræ puncto reliqui: valete Angeli, valete Sancti, valete & in æternum valete, quia a vobis in æternum ſeparabor. Talia indeſinenter intra ſe dicent, & continue recogitabunt reprobi in inferno, *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt. Sap. 5. 14.* Hæc ſemper mente revolvent, & continue animis ſuis verſabunt Paradiſum quem perdiderunt, *ac etiam inferni ſupplicia quæ patiuntur, & æternum perpeſſuri ſunt*, & hæc cogitatio eſt tertius tortor quo interius cruciantur, ut in tertia hujuſmodi Concionis parte jam videbimus.

## TERTIA PARS.

*Damnati torquentur cogitatione ſuppliciorum inferni.*

TErribilis & incomprehenſibilis eſt æternitas pœnarum, quas patiuntur damnati. Cujus ut aliquam mentibus noſtris ideam ingerat Doctor Seraphicus, ait, quod ſi unus ex damnatis, ſingulis quibuſque annorum millibus, unicam dumtaxat funderet lacrymam; ex lacrymis ſic ab eo fuſis, & collectis, prius fieret mare oceano majus, quam pertranſiſſent ſuppiicia ejus. Ait etiam præfatus Doctor quod ſi Deo ſic ordinante, avicula quædam ex immenſa totius terræ maſſa ſingulis centenis annis tantum alio transferret, quantum ponderat unicum tritici granum; tota terræ moles prius ab illa ave alio translata eſſet, quam pertranſierint æterna ſupplicia, quæ damnati patiuntur.

Infinitam æternitatis durationem alia ſimilitudine explicare conantur nonnulli dicentes: Totius cæli ſuperficies extenſa operiatur papyro; omnes volucrum pennæ aptentur in calamos; totum mare in atramentum convertatur: omnes Angeli ſupra hanc papyrum millenos, & millenos annorum numeros continue ſcribant: ultra hos omnes numeros protenditur æternitas: quia horum annorum numeri tandem aliquando pertranſirent, æternitas vero pœnarum inferni durabit ſemper, nec umquam præteribit.

O quam formidanda pœnarum æternitas! o quam terribile damnatis, tota æternitatis duratione, ignium vim, duros vermium morſus, tetri carceris tenebras & alia inferni ſupplicia perpeti; ſed o quam acerbum reprobis in inferno, futuram hanc pœnarum æternitatem ſemper recogitare! quam dirum, & amarum, ſemper mente revolvere, & animo verſare, quod non ad centum dumtaxat, vel mille annos, ſed in æternum, *& in perpetuas æternitates, Dan. 12. 2.* horrenda tartari tormenta ſunt perpeſſuri! prævident hi perpetuam hanc pœnarum

ſe-

Digitized by Google

feriem; ſuppliciorum illorum gravitatem, & æternam durationem melius mente concipiunt, quam nos, hi perfectius norunt, quam durum ſit hæc ſupplicia in æternum pati, hi ſerio recogitant, & meditantur non ſolum ſupplicia, quæ actu perferunt, ſed etiam ea quæ in æternum paſſuri ſunt; & continua hæc præſentium, & futurarum cogitatio pœnarum, eſt crudeliſſimus tortor, a quo eorum corda diriſſime cruciantur.

Ea quæ tempore menſurantur, & quæ aliquando finem ſunt habitura, longa, & diuturna non cenſentur: *nulla longa mora ejus quod habet finem*, inquit Tertull. *Tertull. de Hel. c. 46.* & ut loquitur D. Aug. *omnis res, quæ habet finem, brevis eſt. Auguſt. in Pſal. 60.* Centum milliones annorum, nobis quidem infinitæ videntur durationis: ſi tamen cum æternitate conferantur, non diuturni, ſed breviſſimæ durationis dicendi ſunt; quia æternitas numquam tranſit, nec umquam habet finem, & centum milliones annorum finem habent, ac tandem aliquando tranſire poſſunt. Et ideo ſi Deus reprobo revelaret, eum poſt centum milliones annorum e tartari ſuppliciis liberandum, aliqua inde ei adveniret conſolatio; at cum recogitant damnati, ſe non ſolum ad annorum milliones centum, ſed in æternum paſſuros ignis tartarei ardores, dæmonum tyrannidem, ac omnia Dei adverſus illos irati flagella, hæc cogitatio corda illorum crudeliſſime diſcruciat, eoſque doloribus inexplicabilibus afficit.

Imaginare Regem, vel alium quemvis hominem, qui omnibus felicitatibus affluat. Velim, habeat omnes Cræſi divitias, omnem Salomonis ſapientiam poſſideat, omnibus fruatur Sardanapali deliciis, ſciat quidquid in hoc mundo eſt ſcibile, & obtineat quidquid ex terrenis bonis eſt deſiderabile: ſi tamen inter tot felicitates, vel minimum quoddam continue & diu patiatur incommodum: ſi inter tot bona quibus gaudet, hoc v. g. habeat incommodi, quod indeſinenter ob oculos ejus volitet muſca. Levis quidem in ſe hæc eſſet incommoditas: ſi tamen prævideret, & certe ſciret, hanc muſcam, ex Dei ordinatione, annis viginti ſemper iterum & iterum ob oculos ſuos tranſituram; nonne hæc pœna (quæ ex ſe leviſſima eſt) duratione ſua gravis fieret? nonne hæc pœna ad viginti annos protenſa, omnia hominis hujus oblectamenta, omnemque ejus felicitatem quaſi ad nihilum redigeret? certe levis hæc moleſtia, duratione viginti annorum, eum dolore, & mœrore conficeret. Sed, heu! quid hujus muſcæ importunitas, reſpectu pœnarum inferni? quid iteratus ante alicujus oculos unius muſcæ volatus, comparatione ineffabilium ſuppliciorum, quæ in inferno perferunt damnati? quid pati, quod muſca una, viginti annorum ſpatio, ob alicujus oculos indeſinenter volitet; ſi hæc pœna cum infandis tormentis comparetur? ſi grave eſſet huic homini prævidere, & continue recogitare, hanc muſcam viginti annis oculos ejus circumvolaturam; quam grave & quam acerbum ſupplicium damnatis, prævidere & ſemper cogitare, quod in æternum circumvolitantes videbunt dæmones, a quibus indeſinenter, modis inexplicabilibus, torquebuntur? hæc præviſio, & continua hæc cogitatio damnatis haud dubie ſupplicium erit graviſſimum.

Sed ut clarius & evidentius hoc pateat, familiari alia utar ſimilitudine. Dic, quæſo, dum imminente quadrageſimali tempore, bacchanalibus vacas, nonne aliquid tibi amaritudinis cauſat inſtantis quadrageſimæ cogitatio? nonne cum prævides, & recogitas, abſtinendum & jejunandum quadraginta diebus, aliquid inde doloris cordi tuo ſuboritur? nonne hæc præviſio aliquam cordi tuo pœnam ingerit? ſed quid, ſi prævideres, jejunandum quadraginta annis continuis in ſolo pane & aqua? nonne hæc præviſio cor tuum ſummopere torqueret? haud dubie hæc præviſio eſſet tortor internus, a quo plurimum torquereris. Si ergo hæc cogitatio dolorem & amaritudinem magnam tibi eſſet allatura, ratiocinare, & judica, quantus dolor, quantum ſupplicium damnatis, prævidere, & cogitare aſſidue, quod non ad quadraginta ſolum, vel ad centum annos, ſed in æternum perpeſſuri ſint famem inſatiabilem, horribilem ſitim, ignis ardores, & omnia tartari tormenta? certe hæc cogitatio, erit illis ſupplicium grave pluſquam dici, immo pluſquam excogitari poſſit.

Aliam adduco ſimilitudinem. Cum alicui reo annunciatur, eum patibulo, igni vel alteri ſupplicio fuiſſe adjudicatum, nonne durus hic nuntius eum conturbat? nonne præviſio, & imminentis mortis cogitatio illum contriſtat? Nonne interdum aliqui rei hac cogitatione, & inſtantis morris præviſione, ita affliguntur, ut in deſperationem & in inſaniam declinent? quid ergo ſentiendum de damnatis, qui duriſſima tartari ſupplicia perferunt, & qui indeſinenter cogitant, ſe in æternum ea perpeſſuros? qualem dolorem, qualem iis infert triſtitiam continua hæc cogitatio? quale hoc illis ſupplicium? tale equidem, ut nec explicari, nec concipi queat.

Sancta virgo Thereſia ineffabili affluebat gaudio, cum ſymboli verba audiebat, *cujus regni non erit finis*. O me felicem, inquiebat, quæ Domino ſervio, cujus regnum æternum, & cum quo in ſempiternum regnabo, modo ei fideliter inſerviam! non dabit hic mihi tranſitoriam mercedem, ſed regnum dabit cujus nullus erit finis. O N. N. ſi hæc æternæ mercedis præviſio, mirabilem Thereſiæ inferebat lætitiam, quantus e contra dolor homini damnato, cum recogitat, quod poſtquam mille & centum mille annis dira inferni ſupplicia pertulerit, nondum erit finis? quanta pœna reprobo ſerio cogitanti, quod poſtquam uno & centum annorum millionibus in tartari carcere clauſus manſerit, nondum ex eo egrediendi tempus erit? quantum ſupplicium impiis, in inferno gementibus, cum mente revolvunt, ſe non ſolum ad mille milliones annorum, ſed in æternum, terribilium tartari ignium vim perpeſſuros? quantus labor, quanta illis triſtitia, cum animo verſant, quod in perpetuas æternitates calicem iræ Dei bibituri, & diram dæmonum tyrannidem paſſuri ſint? hac certe cogitatione ita torquentur, ut nec mente percipi poſſit, quam grave ſit illis hoc ſupplicium.

Heu! quis non timeat tanta ſupplicia? O impie, nonne times, in tartaream mitti fornacem, ibique cogi, ad ſemper, maxima cum cordis amaritudine cogitandum de Deo, de Paradiſo, & de æternis inferni ſuppliciis? O formidandas cogitationes, o ter-

Plura non dicam, ut parentes ad virtutum exempla filiis exhibenda inducam: ſed per tranſennam eos monitos velim, ut filios conſortio illorum immiſceri non ſinant, quorum vita eſt ſceleroſa, & quorum exemplo ad vitia allici poſſunt. Vis ut filius tuus pius ſit & caſtus? pios & caſtos aſſume præceptores. Vis ut filius ad ebrietatem, libidinem & alia vitia non declinet? ejice famulos ebrioſos, libidinoſos, & aliis vitiis deditos. Vis ut filii licentiori vitæ non indulgeant? ne ſinas eos cum illis verſari, qui omni cum libertate variis ſe criminibus fœdare ſolent: fac tandem ut filii tui peccantium ſocietatem, tanquam peſtem contagioſam, fugiant: *pueri contagia debent fugere peccantium: Ambroſ. in Pſ. 118. ſer. 2.* Præceptor ille, qui vino ſe ingurgitare ſolet, eſt peſtis quam fugere debet filius: ſervus ille qui ſæpius in blaſphemias erumpit, peſtis eſt, a qua declinare debet. Peſtis eſt ancilla illa impudica, peſtes ſunt hi & illi nebulones. Quare cura, ut illos omnes, veluti peſtem contagioſam, fugiant filii tui: ne pravo eorum exemplo, tanquam contagio ad peccandum pertrahantur. Memento e, quod cum bonis bonus, & cum malis malus quiſque evadit: *cum bono bonus eris, & cum perverſo perverteris*; quare non ſatis eſt, quod filiis virtutum exempla præbeatis, ſed & curandum, ut cum iis verſentur, quorum exemplo ad virtutem ſectandam alliciantur.

Toti huic concioni finem faciam, adducendo præclara hæc S. Chryſoſtomi verba, dicentis: *Magnum habemus, pretioſumque depoſitum filios. Chryſ. hom. 9. in Epiſt. 1. ad Timoth.* Quaſi dicat; o patres & matres, filios Deus, tamquam depoſitum magnum ſimul & pretioſum, curæ veſtræ commiſit, hujuſque depoſiti ſtrictam ei rationem eſtis redditurI. Nil non molitur dæmon, ut hoc bonis rapiat depoſitum; omnem movet lapidem, ut filios ad peccatum & ad infernum trahat. Quare ut hujus depoſiti Deo rationem reddere valeatis, utque hoc a vobis dæmon non auferat, magna ſollicitudine cuſtodiendum eſt: *ingenti illos ſervemus cura, ne fur eos nobis aſtutus auferat. Chryſ. ibid.* Religioſe ergo hoc depoſitum cuſtodite, filios debite educate, corripite illos cum ad peccata declinant, de credendis & agendis eos erudite, boniſque eos fovete exemplis: ſicque eos Deo, & Cælo dignos facietis; ubi cum illis in æternum regnabitis. *Amen.*

## FERIA V.

## POST DOMINICAM SECUNDAM.

# DE IGNE INFERNI.

*Crucior in hac flamma.* Luc. 16.

VIri ſancti, dum in hoc mundo viverent, mente & ſpiritu in infernum ſæpe deſcendebant, ut tartarei ignis vim, potentiam, & ardores ſerio contemplarentur. Terribilem hunc ignem in meditationum ſuarum materiam crebro aſſumebant, probe ſcientes, nihil potentius, nihilque efficacius ad præcavenda tartarei ignis ſupplicia, quam de iis ſæpe cogitare, & ea frequenter meditari. Quia, ut perbelle dixit aureus Orator: *Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidit. Chryſ. homil. 2. in c. 2. ad Theſſal.*

Aureum ſane oraculum, ſed heu! quam pauci de inferni ignibus cogitare ſatagunt; & quam multi, advenientes hujuſmodi cogitationes, a mentibus ſuis fugant; ac veluti muſcas importunas, vel ſicut urgentes tentationes a ſe expellunt. Plerique ſimiles ſunt diviti avaro, qui in hoc mundo, non de inferni flammis, ſed de conviviis, de vanitatibus, & de illicitis voluptatibus cogitabat: ſed timeo, ne hi poſt mortem ad tartara properent, ibique ſimul cum hoc epulone clament: *crucior in hac flamma.* Quod ne eveniat, tartareos ſæpe recogitemus ignes, eos crebro in memoriam revocemus, & de iis plures meditationes inſtituamus. Tota hæc concio nil aliud erit, quam meditatio ignis illius infernalis, a quo torquentur reprobi, &c. *Ave.*

CUm epulonem audio in mediis inferni ignibus clamantem: *crucior in hac flamma*: mihi in mentem venit examinare, & inquirere quomodo hic ab igne torqueatur; an ſcilicet vere, vel imaginarie? an graviter, vel leviter? an ad tempus, vel ſemper, & in æternum?

Eum non imaginarie, ſed vere ab igne torqueri ſuadent verba ipſius, dicentis, quod in hac flamma torqueatur: non enim ait: probabiliter credo, vel imaginor, me a flamma torqueri, ſed *crucior*, inquit, *in hac flamma.* Eum etiam non leviter, ſed graviter ab hac flamma torqueri convincit modus loquendi hujus divitis, qui Patrem Abraham rogat, ut ſui miſereatur; quia ſcilicet gravia & dira ſunt ſupplicia quæ ab igne patitur: *crucior in hac flamma.* Eum tandem in hac flamma diu cruciandum patet: quia nec ab ea liberari, nec minimum in ea refrigerium habere potuit; ſed ibi clamat, & in æternum clamabit; *crucior in hac flamma.*

O miſeram avari illius ſortem, qui ab igne tartareo vere, graviter, & diu torquetur! ſed o miſeram etiam, & infelicem ſortem omnium damnatorum, qui omnes in igne inferni: 1. torquentur vere: 2. torquentur graviter: 3. torquentur ſemper.

## PRIMA PARS.

*Damnati in igne inferni torquentur vere.*

CErtum eſt, & a Concilio Florentino definitum, *Animas illorum, qui poſt Baptiſmum ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; eas etiam animas, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel iiſdem exutas corporibus, ſunt purgatæ, in cælum nulla mora recipi: illorum autem animas qui in actuali mortali peccato decedunt, mox in infernum deſcendere.* Sicut autem electi in cælo divini amoris igne ſufflammabuntur; ita & reprobi in inferno ab igne tartareo comburentur, & cruciabuntur: *ſicut electos beatitudo lætificat; ita credi neceſſe eſt, quod a die exitus ſui, ignis reprobos exurat. S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 28.*

Reprobi, ſunt arbores malæ, ſteriles & infructuoſæ, quæ in morte exciduntur, & mox in tartareum ignem mittuntur: *omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Matth. 3. 10.*

10. Tria ſunt arborum genera; ait Hugo Cardinalis, de quibus Chriſtus loquitur, & de quibus mentio fit Judicum 9. vitis ſcilicet, ficus & oliva: Per vitem, inquit, intelliguntur Prælati; qui ſunt vinea electa, quam Deus plantavit: *ego plantavi te vineam electam. Jerem.* 2. 21. Per ficum intelligendi Religioſi, qui ſuaves paupertatis, obedientiæ & continentiæ fructus producere debent. Per olivam vero, Laici, qui debent facere opera miſericordiæ. Sed timete Prælati; timete Religioſi, timete Laici, timete omnes, quia ſi fructus æternæ gloriæ dignos non feceritis, in tartareum ignem cruciandi mittemini: *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum; excidetur; & in ignem mittetur.*

Juſtos Chriſtus vocat *triticum ſuum*; reprobos vero *paleam*. Sicut autem triticum in horrea congregatur; & paleæ igni, vel aliis vilibus uſibus addicuntur: ita & Chriſtus juſtos in horreum ſuum, ſeu in cæleſte habitaculum congregabit, reprobos vero in tartareum ignem comburendos, & cruciandos mittet: *congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Matth.* 3. 12. Fornicarii, idololatræ, adulteri, fures, avari, ebrioſi, maledici; rapaces, & alii hujuſmodi peccatores ſunt paleæ, quas Deus in horrea ſua non congregabit: hi nunquam regnum cælorum poſſidebunt; *neque fornicarii, neque idolis ſervientes; neque adulteri, neque molles, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. 1. Cor.* 6. 9. Quid ergo de hac palea, quid de his peccatoribus fiet? Si ante mortem non convertantur, mox ut mortui erunt, in tartareum ignem projicientur, ut ab eo comburantur, & torqueantur: *paleas autem comburet igni inextinguibili.* O avari; qui aliena detinetis; o fornicarii, qui carnis voluptatibus indulgetis; o ebrioſi; qui nimio vos ingurgitatis vino; o maledici; qui proximi famam lædere & auferre non formidatis; o peccatores inſenſati; qui vitiis veſtris ſummo affectu adhæretis, irridetis Concionatores, Confeſſarios, & alios pios monitores; pretioſum Chriſti profunditis ſanguinem; & Spiritus Sancti gratias abjicitis; hæc omnia a vobis patitur Deus; expectat ut ad ipſum convertamini; vocat vos, & venire renuitis: ſed ſi ante mortem pœnitentiam non egeritis, vos in inferni ignem cruciandos mittet: *paleas autem comburet igni inextinguibili.*

Reprobos Spiritus Sanctus non ſolum paleæ, ſed etiam ſtuppæ comparat: *ſtuppa collecta Synagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis. Eccli.* 21. 10. Dici poſſet, peccatores ſimiles eſſe ſtuppæ: quia ſicut ſtuppa quid vile & contemptibile eſt: ita & peccatores viliſſimi ſunt & omni contemptu digni: *quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! Jer.* 2. 36. Sed ad propoſitum noſtrum dicamus, peccatores ſimiles eſſe ſtuppæ: quia ſicut ſtuppa cito accenditur, ita peccatores in hoc mundo accenduntur igne concupiſcentiæ, & cito accenduntur igne gehennæ: ſi enim pœnitentiam non egerint, mox ut mortui fuerint, in tartareum ignem mittentur; *ſtuppa collecta Synagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis.* Videmus in hoc mundo Synagogam, ſeu collectionem uſurariorum, qui, veluti hirudines, ſanguinem, ſubſtantiam & facultates pauperum avide ſugunt: *ecce ſtuppam*; quam ad comburendum diabolus præparat. Videmus tot viros potentes in ſæculo, qui domeſticos fraudant, ſubditos opprimunt, & nunc iſtius vineam, nunc illius hortum, nunc alterius domum inique rapiunt: *ecce ſtuppam* in inferni ignem mittendam. Tot videmus falſarios, qui Dei, conſcientiæ, & ſalutis ſuæ immemores, iniquis contractibus, & falſis teſtimoniis proximi famam, & facultates injuſte auferunt; *ecce ſtuppam.* Tot videmus iniquos Judices, qui pro modico lucro omnia jura violant, iiſque majora offerunt munera: *ecce ſtuppam.* Sed quid dicemus de tot mercatoribus, quorum ſtateræ & menſuræ doloſæ ſunt; qui habent pondus & pondus, menſuram & menſuram, quique merces malas pro bonis, & ſupra juſtum pretium quotidie vendunt? *ecce ſtuppam.* Quid de tot libidinoſis; qui ſtupris, adulteriis, pollutionibus & obſcœnis aliis libidinibus carnem ſuam fœdant, & animam ſuam trucidant? *ecce ſtuppam:* Quid tandem de ebrioſis; maledicis, blaſphemis, perjuris, & aliis peccatoribus? *ſtuppa collecta Synagoga peccantium:* hi; ut ait Spiritus Sanctus, ſunt quaſi ſtuppa. O magnam ſtuppæ congeriem! Sed quid de hac ſtuppa fiet? quid fiet? quid fiet de his peccatoribus? hi in inferni ignem comburendi, & cruciandi projicientur: *conſummatio illorum flamma ignis.* Nec credas, quod ab igne cito conſummentur damnati, quia licet comburantur ſicut ſtuppa, non tamen cito conſummentur ut ſtuppa; ſed, ut ait S. Cyprianus, ignis carnibus eorum adhærebit, corpora eorum allambet, eoſque cremabit, & diu cruciabit, *immortales miſeri vivent inter incendia; & inconſumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, nec erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidinis bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur.*

De Salamandra refert D. Auguſtinus, quod in mediis ignibus vivat; *Salamandra in ignibus vivit: Aug. lib.* 12. *de Civit. c.* 4. Reprobi ſimiliter in mediis inferni ignibus vivent, ignis eos allambet, eos comburet, eoſque ita penetrabit, ut quilibet damnatus accenſæ fornaci ſimilis futurus ſit, & ut ait Propheta, Deus illos ut clibanum ignis ponet: *pone eos ut clibanum ignis. Pſal.* 20. 10. Vidiſtis forte fornaces, in quibus coquuntur lateres, vel in quibus liquantur metalla ad tormenta bellica conficienda? Poſtquam in iis fornacibus ignis una vel altera die remanſit, muri, portæ, & omnia interiora eorum ita accenſa, & ab igne penetrata ſunt, ut fornaces hæ igneæ potius quam lapideæ vel latritiæ videantur: accenſis autem & ignitis iis fornacibus ſimiles erunt damnati, quia eos omnino penetrabit, & undequaque pervadet tartareus ignis. Quod præclare adnotavit Sanctus Gregorius Papa; qui præfata Prophetæ verba exponens, ait damnatos in inferno ponendos, *ut clibanum ignis.* Quia ſicut ignis non ſolum calefacit concavam ſuperficiem fornacis in qua eſt: ita etiam ignis inferni non ſolum ſuperficiem carnis reproborum calefaciet, ſed eos totaliter penetrabit, eoſque omni ex parte accendet; *ut oſtendat reprobos interius, exteriuſque ardere. S. Gregorius lib.* 15. *Moral. c.* 17. Quilibet damnatus habebit ignem in corde, ignem in pulmone, ignem in cerebro, ignem in oculis, in lingua, & in ipſis oſ-



Digitized by Google

ſium medullis, nec erit aliquis nervus, muſculus aliquis, cartilago, vel vena aliqua, quæ a tartareo igne non penetretur, quia ignis intus & foris eos inflammabit, & comburet, *ut oſtendat reprobos interius, exteriuſque ardere*.

O quam vere, immo quam dire ab igne inferni torquebuntur damnati! ſi enim ignis noſtri ſcintilla ad modicum ſupra nudam manum vel ſupra pedem remanens, non modicum cauſet dolorem; quam vere & quam dire damnatos torquebit tartareus ignis, cum non ſit ſolummodo parva quædam ignis ſcintilla, ſed fornax accenſa, ſed fluvius ignis, ſed *ſtagnum ignis*; ut ait Sanctus Joannes Evangeliſta; ſed *ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus*, *Tertull. Apol. cap.* 47. ut ait Tertullianus, quam vere, inquam, & quam dire reprobos torquebit ille ignis, qui non ſolum leviter, & tranſeunter manum, vel pedem attinget, ſed damnatis firmiter adhærebit eoſque omni ex parte penetrabit!

Docet Doctor Angelicus, quod ad cauſandum dolorem requiritur conjunctio alicujus mali, ut v. g. dolorem in manu mea cauſet ignis, debet ei conjungi per ſe, vel per actionem ſuam, & quo intimius ignis manui meæ unietur, eo graviorem illi dolorem inferet. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 26. *art.* 1. Ignis autem inferni damnatis ſtrictiſſime unietur, eorum carnes & oſſa penetrabit, medullas, viſcera, & omnia interiora eorum pervadit, in ipſum intellectum, & in ipſam eorum animam acriter aget; quare damnatos non ſolum vere, ſed etiam graviter torquebit. Quod in ſecunda hujus concionis parte jam latius nobis probandum eſt.

## SECUNDA PARS.

*Damnati ab igne inferni torquentur graviter.*

IGnis inferni quaſi judex a Deo inſtitutus *interrogabit oſſa, & medullas, & cogitationes noſtras*, inquit Euſebius Emiſſenus: *Euſeb. in Oct.* Hic ignis intima cordium penetrabit, ut pravas cujuſque intentiones, & illicita deſideria ſollicite inquirat, & interrogabit cujuſque memoriam, intellectum, aliaſque animæ potentias, hic ignis interrogabit ſacrilegas blaſphemorum, & impiorum linguas, interrogabit oculos, manus, & alia corporis membra per quæ quiſque peccaverit, ac tandem interrogabit, & inquiret quantam quiſque pœnam mereatur, *hic ignis erit inquiſitor meritorum omnium*: *Caſſian. collat.* 15. *c.* 10. Sed quod in primis mirabile eſt, hic ignis quemque plectet juxta ejus merita, unde alios magis & alios minus pro diverſitate meritorum torquebit, *negandum non eſt, ignem æternum pro diverſitate meritorum, aliis leviorem, aliis futurum eſſe graviorem*. *Auguſt. lib.* 20. *de Civit. c.* 10.

Licet autem tartareus ignis alios magis, & alios minus torqueat, omnes tamen graviter torquebit, quia cum Deus inſufflabit, accendet, & armabit adverſus omnes reprobos, ut eos graviter cruciet. *Armavit* olim Deus cimices, ranas, & alia vilia inſecta, ut cum Pharaone belligerarent; *armavit* aquas, cum eas in omnes terræ partes miſit, ut inimicos ſuos undique quærerent, & diluvio univerſali ſuffocarent; *armavit* interdum terram, cum ab ea populos multos gluttiri voluit, & majori ſollicitudine, & modo extraordinario armabit & incitabit inferni ignem, ut ardeat, comburat, & graviſſime reprobos omnes torqueat. Sicut enim Nabuchodonoſor adverſus tres pueros iratus, in fornacem eos mitti juſſit, *& præcepit, ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quam ſuccendi conſueverat*: *Daniel.* 3. 19. ita Deus tartareæ fornacis ignem ardentiſſime accendet; ac flatu, & præſentia ſua exardeſcere faciet, ut acrius agat in reprobos: *ignis in conſpectu ejus exardeſcet*. *Pſ.* 49. 3. Ignis tandem ille, a Deo incenſus, & ſupernaturaliter elevatus, ita damnatos cruciabit, ut quantam ab igne pœnam ſint paſſuri, explicare nequeamus: *quam ſit horrendum illud ſupplicium, oratio nequit explicare*. *Chryſ. tom.* 3. *cap.* 6.

Ut aliquam graviſſimorum ſuppliciorum, quæ ab igne perferunt reprobi, animis noſtris ideam ingerat Doctor Angelicus, ait, ignem illum eſſe ardentiſſimum, non ſolum quia a Deo adverſus damnatos irato ſuccenſus; ſed etiam quia hic ignis ſummo frigore circumdatus, per antiperiſtaſim, ſuum intendet calorem: *ignis ibi erit fortiſſimæ caliditatis; quia calor ejus erit undique congregatus, propter frigus terræ ipſum undique circumſtans*. *D. Thom. contra Gent.* Quæ ratio ut intelligatur, advertendum, infernum eſſe in terræ centro, quo nihil a ſole remotius; advertendum etiam, quod, quo locus aliquis magis diſtat a ſole qui luminis & caloris pater eſt, eo magis (naturaliter loquendo) in eo friget. Quare cum ignis inferni ſit in centro terræ, maximum eſt frigus quo circumdatur; & ideo calor ejus per circumſtans illud frigus magis intenditur: quantus ergo erit calor illius ignis a Deo ſuccenſi, & a circumſtante frigore intenſi, ſed quanta erit pœna, quam ab hoc igne, ſic ſuccenſo, patientur damnati? Tanta quidem, ut eam explicare non poſſit humana eloquentia: *quam ſit horrendum illud ſupplicium, oratio nequit explicare*.

Aliam rationem, qua probent ſummam illius ignis caliditatem & activitatem, nonnulli auctores deſumunt ex materia cui adhærebit, & ex qua nutrietur. Ipſa experientia conſtat, ardentiorem eſſe, & acrius urere ignem, cum ſulphuri, bitumini, vel ſimili alteri inhæret materiæ: nonnunquam enim videmus, quod ex pice, nitro, bitumine, pulvere tormentario aliiſque ſimilibus rebus componantur ignes, quorum tanta activitas, ut facillime duriora liquent metalla, turres altiores funditus evertant, urant in medio aquarum, & alia portentoſa efficiant. Ignis autem inferni ex ſimilibus materiis conſtituetur; ut enim ait S. Scriptura, infernus eſt *ſtagnum ignis & ſulphuris*: *Apocal.* 20. 10. & ut docet Tertullianus, infernus eſt quaſi totius mundi cloaca, in quam defluunt omnes terræ ſordes, ex quibus fit ignis tenebroſus, fœtidus, & ardentiſſimus; quanta ergo damnatis erit pœna, in medio hujus ignis morari, vivere, & indeſinenter uri? quantum ab hoc igne patientur ſupplicium? tantum equidem, ut illud *oratio nequeat explicare*. *Tertull. lib. de anim. cap.* 54.

Ne credas, inquit Sanctus Chryſoſtomus, ignem inferni noſtro eſſe ſimilem, *cum ignem inferni audis, ne arbitreris huic ſimilem*. *Ibid.* In mentem revoca,

Digitized by Google

ea, ait aureus ille Doctor, Tyrannos omnes, qui immanius, & crudelius ſævierunt in Martyres; pone, ſi libet, ignem, ferrum, beſtias, & quæcumque alia quæ ad eos torquendos aſſumpta ſunt; imaginare graviora, quæ unquam perpeſſi ſunt ſupplicia, & certus eſto, quod hæc omnia, reſpectu eorum quæ damnati in inferno ab igne perferunt, non tormenta, ſed veluti quædam tormentorum umbra dicenda ſint, *nec umbra ſunt hæc ad illa tormenta. Chryſoſtom. homil. 49. ad Popul.* Animo verſa quidquid in hoc mundo paſſi ſunt famoſiſſimi quique rei, mentis tuæ oculis objice quidquid a barbarorum ſævitia pati poſſunt homines; & quantumvis hæc tibi gravia videantur, pro certo habeas, hæc ludicra, & quaſi nullius eſſe momenti in comparatione horrendorum ſuppliciorum, quæ a tartareo igne patiuntur damnati: *hæc omnia ludicra & riſus ſunt ad illa ſupplicia.* ignem compone maximum, ac tantum, quantum volueris, inquit D. Auguſtinus; in illum projice ſulphur, ſalnitrum, & alia quæcumque igni ardentiſſimo conficiendo inſervire poſſunt: volo, ut hic ignis Babylonica fornace ſit ardentior; ſi tamen cum tartareo conferatur, non verus ignis, ſed ignis pictus vocandus eſt, *hic ignis depictus eſt. quantumvis intenſe accenſus ſit.* Heu! ſi ignes noſtri, quantumvis acerbi & accenſi, ſint ſolum ignes depicti, reſpectu ignium inferni; ſi etiam omnia, quæ rei, & Martyres unquam perpeſſi ſunt, umbræ & ludicra ſint in comparatione eorum, quæ ab inferni igne patiuntur damnati, quantum, quæſo, eſt iſtorum ſupplicium, quam grave eſt id quod ab hoc igne perferunt! certe quantum ab hoc igne torqueantur, humano ſermone explicari nequit, *quam ſit horrendum illud ſupplicium, oratio nequit explicare.*

Referunt Hiſtorici, quod Phalaris Tyrannus æneo ad cruciandos homines utebatur tauro, intra quem eos includi, ac ſubmiſſo igne paulatim torreri jubebat. O immane ſupplicium! ipſius ſola enarratio terrorem incutit & horrorem, & haud dubie ſi quis ex nobis tanto adſtitiſſet ſpectaculo, horruiſſet plurimum, audiens planctus, & ejulatus, quos intra tauri hujus ventrem edebant qui hoc ſupplicio afficiebantur. Sed ſi nunc reviviſceret crudelis ille tyrannus; vel ſi quis eadem tyrannica feritate jam in homines ſæviret, quantus labor, videre nunc uxorem, nunc filium, & nunc aliquem ex amicis tam diro ſupplicio addici? ſed quid ſi quis veſtrum ad tam immane ſupplicium damnaretur? quid, ſi veſtrum aliquis intra ænei tauri ventrem lento igne comburi cogeretur? quantum hoc ei tormentum? tantum quidem, ut nullum aliud ei ſimile videretur. At, quid hoc, reſpectu inferni; ubi in medio univerſæ terræ ſinu, non a lento, ſed ab ardentiſſimo & ferali igne continue cremantur reprobi? quid non patiuntur ab hoc igne, cujus comparatione, noſter hic ignis umbra eſt, pictura eſt: certe tam gravia ab hoc igne patiuntur, ut nec humano ſermone explicari queant.

Heu! quis hujus ignis vim & impetum tolerare poterit? ſi, ait Chryſoſtomus, cum ardenti laboras febri, ab interno calore te devorari credis: ſi tunc omnium fontium aqua ſitim tuam extinguere non valet; quid facies, o peccator, cum in mediis inferni flammis vivere, & remanere cogeris? ſi nunc unius febriculæ ardorem vix perferre potes, quomodo ignium infernorum inexplicabiles ardores tolerare poteris? *Si febris adeo nos affligat & terreat, quo animo erimus, quando in fluvium ignis inciderimus! Chryſoſt. t. 5. epiſt. 5.* hæc certe intolerabilia ſunt: quare emendet unuſquiſque vitam ſuam, ut nunquam per experientiam diſcamus quam gravia, & quam intolerabilia ſint quæ reprobi a tartareo igne ſupplicia patiuntur: *ut nunquam hæc per experientiam diſcamus, hic emendemur. Chryſ. hom. 49. ad Popul.*

Omnes damnati maxime contriſtabuntur, & ſummo afficientur dolore, cum recordabuntur, ſe in inferni ignem præcipitatos, quia in hoc mundo vitam emendare recuſarunt: *animas damnatorum contriſtabit, quando meminerint, quod occaſione emendandi vitam non uſi, ſe tradiderint immortalibus malis. Chryſoſt. tom. 5. epiſt. 5.* O peccator! quantus tunc tibi dolor, quanta animi amaritudo, cum in medio flammæ recogitabis, quod peccati fuga, humili confeſſione, & aliquantula pœnitentia, tartareos rogos devitare potuiſſes! tunc amare flebis, tunc dentibus fremes & rabieſces; tunc velles arduam in ſæculo ſuſcepiſſe pœnitentiam, & virtutibus chriſtianis firmiter adhæſiſſe. Inanis quidem & vana tunc erit hæc voluntas; ſed fac nunc, quod tunc feciſſe velles: jejuna, ora, peccata deteſtare, pœnitentiam age, virtutibus comparandis incumbe; & ſic declinabis inferni ignem, a quo damnati torquentur graviter, & *torquentur ſemper.*

## TERTIA PARS.

*Damnati ab igne inferni torquentur ſemper.*

IN hoc mundo nulla gravia ſupplicia diu perferre poteſt; quia corpora noſtra non ſufficiunt ad vehementiam ſimul, & ad longitudinem pœnarum perferendam: ſed *in inferno conveniunt & prolixitas, & exceſſus tormentorum*, inquit Chryſoſtomus. *Chryſoſt. hom. 49. ad Pop.* Et ideo licet damnati a tartareo igne graviter torqueantur, ab eo etiam diu, immo ſemper, & in æternum torquebuntur.

De quo omnem dubitandi locum tollit Chriſtus, cum reprobos inferni ſuppliciis adjudicat: non enim eos ad tranſitorium, ſed ad æternum ignem condemnat, dicens: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Matth. 25. 41.* Et ne quis dicat eos quidem ad ignem æternum condemnandos; non tamen in hoc igne æternum torquendos; ſubdit Chriſtus, quod ab eo in æternum torquebuntur, & quod ſupplicium eorum æternum erit; *ibunt hi in ſupplicium æternum. Ibid. verſ. 46.* Prævidit Chriſtus quod dicere poſſent aliqui, æternum quidem fore ignem in quo torquebuntur reprobi; pœnam tamen & combuſtionem eorum non fore æternam; quare ut notum omnibus fiat, eos ab igne æterno in æternum comburendos, & torquendos; poſtquam illos ad æternos ignes condemnavit, ſubdit, & concludit, aſſerens, quod ibant hi in ſupplicium, & in combuſtionem æternam. *Hic prævidens Dominus, ſententiam ſuam concluſit, dicens: ibunt illi in combuſtionem æternam. S. Aug. lib. de fide capit. 15.* Quid clarius? quid evidentius?

Idem Chriſtus Salvator de peccatore, a Deo per

cti-

crimina ſua ſeparato, ait, quod *mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Joann.* 15. 6. Cur non dixit Chriſtus: in ignem mittent eum, *& ardebit?* Ipſe orationis contextus expoſtulare videbatur, ut diceret, & ardebit; non autem *& ardet*: cur ergo dixit Chriſtus, *& ardet?* ſic loquitur Chriſtus, ut per illud verbum de præſenti, ſignificet æternitatem, cui omnia ſunt præſentia. Ut enim exponit Cardinalis Toletus, cum ait Chriſtus: *& ardet*; idem eſt ac ſi dicat; *ardet jam, & ardet ſine fine, & in perpetuum.* Si petas a Chriſto, quid factum ſit de Juda, qui a tot ſæculis ad tartara damnatus eſt? reſpondebit; *& ardet.* Si quolibet momento quod fluit, & qualibet hora quæ tranſit; ſi quolibet anno, & quolibet ſæculo quod in interminabili æternitate occurret, ab eo petas, quo in ſtatu ſit proditor ille; reſpondebit Salvator: *& ardet* Judas, & omnes qui ex hoc mundo in ſtatu mortalis peccati exeunt, mox ut mortui ſunt, in tartareo igne ardent, in eo in æternum ardebunt, & in quolibet totius æternitatis puncto, de iis dici poterit, quod ardeant; *& ardet.* O quam terribilis hæc æternitas! o quam horrendum, ſemper & in ſempiternum in tartareo hoc igne ardere!

Triplex a Deo inſtitutus eſt ignis ad purganda, vel ad vindicanda hominum crimina: ignis ſcilicet Spiritus Sancti, ignis purgatorii, & ignis inferni: *Ignis Spiritus Sancti*, eſt Dei amor; qui ſi perfectius ſit, virtutem habet omnia peccata delendi; ut patet in Magdalena, cui omnia remiſſa ſunt peccata; quia hoc igne ſuccenſa fuit; *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; Luc.* 7. 27. O quam felices, qui ſacro hoc igne inflammantur! *Ignis purgatorius*, eſt ſubterraneus quidam ignis a Dei juſtitia accenſus, ut in eo viri juſti poſt mortem a levibus quibuſdam culpis purgentur, vel ut temporaneas aliquas pro peccatis pœnas luant; O quam felices etiam qui hoc igne tranſeunt; quia ſalutis ſuæ certi ſunt; *ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. 1. Corinth.* 3. 15. Sed *ignis tartareus*, qui a Deo in terræ centro accenſus eſt ad cruciandos eos qui in ſtatu lethalis peccati moriuntur, eſt ignis terribilis, & inextinguibilis, qui non ad tempus, ſed ſemper & in æternum torquebit reprobos; *non extinguetur flamma ſuccenſionis. Et videbit omnis caro, quia ego Dominus ſuccendi eam, nec extinguetur. Ezech.* 20. Timete, peccatores, contremiſcite; quia Deus ignem præparavit inextinguibilem, qui torquebit vos, non una dumtaxat hora, non ad centum ſolum, vel ad mille annos, ſed in æternum.

Totus contremiſco, cum apud Iſaiam lego, Deum fornacem illam tartaream ad torquendos peccatores præparaſſe; *præparata eſt enim ab heri Tophet, a Rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna multa. Iſa.* 30. 3. Addit Evangelicus Propheta, quod Deus in æternum fornacis hujus ignem inſufflabit, quodque flatus ejus erit quaſi torrens ſulphuris; *flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Prophetæ huic accinit alius Propheta; Ezechiel ſcilicet dicens, quod ignis hic, a Dei flatu ſuccenſus, omne lignum, ſeu omnes peccatores, cujuſvis ſtatus, & conditionis eſſe poſſint, acriter comburet: *ecce ego ſuccendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, omne lignum aridum. Ezechielis* 20. 27. O quam vehemens, & quam terribilis ille ignis! ſed dicat quis, quamdiu durabit, & quamdiu ignis ille reprobos torquebit? forte ad menſes, vel ad annos aliquos? non ad menſes, nec ad annos, ſed in æternum; quia hic ignis, a Deo ad cruciandos reprobos accenſus, nunquam extinguetur; *non extinguetur flamma ſuccenſionis.*

O quam horrendum, incidere in manus Dei viventis! O quam formidanda vindicta, quam ſumit Deus de inimicis ſuis! o quam terribilis ille ignis, quo reprobos torquet vere, torquet graviter, torquet ſemper! ſed o quam inſenſati peccatores, qui hunc ignem evadere non ſatagunt! fateor, quod verba deſunt; nec loqui valeam, ut exprimam dementiam hominum in ſtatu lethalis peccati viventium; qui cum coram ſe accenſos tartari rogos videant, ab eis declinare non curant. Sciunt, quod ſubitanea morte rapi poſſint; norunt, quod ſi ſubito moriantur, mox in æternos inferni ignes præcipitabuntur; & tamen ſua per pœnitentiam crimina delere negligunt, & renuunt; o quantam ſtultitiam! Credunt miſeri, quod ſub eorum pedibus eſt infernus; credunt, quod ibi eſt fluvius, & quaſi mare igneum, in quod æternum cruciandi præcipitabuntur, ſi non convertantur ad Dominum; & tamen nec de converſione cogitant; o ſtulti, o inſenſati homines! Cum eis dicimus: creditiſne æternum eſſe ignem inferni? reſpondent; *credo.* Cum ab eis petimus, an credant, omnes in ſtatu mortalis peccati morientes, in æterno hoc igne cruciandos? reſpondent; *credo.* Sed licet ſe hoc credere profiteantur, aliena non reſtituunt, inimicis parcere nolunt, pravos non eradicant habitus; pœnitentiam, & alia ad hunc ignem vitandum neceſſaria agere recuſant: o magnam, o inexplicabilem hominum hujuſmodi ſtultitiam!

O ſtulti, aliquando ſapite; a peccatis aliquando ſurgite, ut gravia & æterna hujus ignis ſupplicia declinare valeatis. Si terreat vos pœnitentia, ut vanum hunc terrorem expellatis, mementote, quod *in inferno erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amariſſima pœnitentia. In Vitis Patrum lib.* 5. *num.* 3. Suadet aſtutus dæmon, duriora, & acerbiora eſſe pœnitentiæ exercitia, graviſſima vero & æterna tartarei ignis ſupplicia hominum mentibus avocat; vel ea quaſi nullius momenti eſſe inſpirat; ſed duriorem in hoc mundo pœnitentiam generoſe ſuſcipite; quia *in inferno erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amariſſima pœnitentia.*

Hoc probe noverat ſenex ille Monachus, in maxima auſteritate vivens; qui rogatus quomodo rigorem illum perferre poſſet? reſpondit; *omnis labor totius temporis quo in hac ſolitudine vixi, nondum unius horæ tormentorum æternorum ſpatium adæquat.* Amabat ille hujus mundi pœnitentiam, quia timebat inferni ſupplicia; amaremus & nos pœnitentiam, ſi terribilia, & æterna ignis tartarei ſupplicia ſæpe recogitaremus.

O peccator, qui ſalutarem pœnitentiam tantopere reformidas, animo volve hoc ſtagnum ignis & ſulphuris; ſerio meditare hunc locum tormentorum,

ubi

ubi miſeri in faſciculos colligati gemunt, clamant, & ululant. Ibi conſidera innumeros avaros, libidinoſos, blaſphemos, invidos, guloſos, & alios reprobos, qui diriſſime torquentur in igne inextinguibili; quia in hoc mundo pœnitentiam agere noluerunt. Hæc ſerio perpende, & intra temetipſum dic: o quam melius eſt in hoc mundo aliena reſtituere, inimicis parcere, a blaſphemiis, fornicationibus, & aliis vitiis abſtinere, quam in inferno ardere! ſic intra temetipſum loquere, ſic ratiocinare; ac veræ pœnitentiæ operibus ſtudioſe incumbe, ut tartareos ignes devites, & æternæ felicitatis gaudia aſſequi merearis. *Amen.*

## FERIA VI.

## POST

## DOMINICAM SECUNDAM.

# DE INTERNIS DAMNATORUM SUPPLICIIS.

*Crucior in hac flamma.* Luc. 16. 25.

CONſueverant olim Chriſtianæ Religionis hoſtes, fideles veſtibus, ſulphure, pice, reſina, aliaque materia, ad uſtionem idonea imbutis induere, eoſque deinde in urbium compitis alligare, & in mediis noctis tenebris, admoto igne, eos vivos comburere; *ut in noctis faces comburerentur. Tacit. in Annales.* O crudele ſpectaculum! quid enim horribilius, quam quod homines innocentes, vivi comburantur, & quaſi in faces accenſas convertantur?

Immane hoc inventum ex dæmonis officina haud dubie prodiit; ſed Chriſtus, mira ſacri ſui amoris inventione, in conſpectu omnium ponit divitem avarum, tartareis ignibus circumdatum: illum veluti facem viventem & accenſam concionatorum cathedris alligat, ut tanto ſpectaculo homines ad eradicandos pravos habitus, & ad pœnitentiam agendam efficaciter alliciat.

Contemplemur adhuc hodie helluonem hunc, in mediis flammis clamantem: *Crucior in hac flamma.* Sed & mentis noſtræ oculis, interiora cordis ejus introſpiciamus, ut in eo adnotemus cogitationes varias, quibus crudeliter torquetur. Graviſſimum quidem illi, & omnibus reprobis, ignis tartari tormentum; ſed gravius torqueri videntur cogitationibus dilaniantibus corda eorum. De inferni ignibus heri diximus; hodie de internis divitis, & aliorum reproborum pœnis, ſeu de cogitationibus corda illorum diſcerpentibus erit concio, &c. *Ave.*

DIves avarus in mediis inferni ignibus Deum, Paradiſum, & ſupplicia ſua recogitat: *Deum*, in quem toties peccavit; *Paradiſum*, quem perdidit; & *ſupplicia*, quæ in æternum paſſurus eſt. Deum animo verſat dives hic epulo, cum ab eo poſtulet, ut mittat Lazarum: *Pater Abraham mitte Lazarum. Lucæ 16.* Paradiſi etiam meminit avarus ille, cum ſurſum oculos tollat: *elevans autem oculos ſuos. Ibid.* Supplicia tandem quæ patitur, & perpeſſurus eſt, mente revolvit; cum ſe in loco tormentorum degere clamat; *in hunc locum tormentorum. Ibid.*

O quam beati, qui in hoc mundo perſæpe de Deo, de Paradiſo, & de inferni ſuppliciis cogitant; *de Deo*; ut illi fideliter inſerviant; *de Paradiſo*; ut ad illum aſſequendum ſtrenue laborent: & *de inferni* ſuppliciis; ut ea vitare valeant. Sed væ diviti avaro, & aliis reprobis in inferno exiſtentibus, quia de Deo, de Paradiſo, & de Inferno continue cogitant; tribus enim his cogitationibus, quaſi tribus internis tortoribus, diriſſime cruciantur. 1. Recogitant Deum, in quem toties peccaverunt; *ecce primum tortorem*; 2. Recogitant Paradiſum, quem ſua culpa perdiderunt: *ecce ſecundum*: 3. Recogitant ſupplicia quæ actu patiuntur, & in æternum perpeſſuri ſunt: *ecce tertium*. Damnati torquentur cogitatione Dei, Paradiſi, & ſuppliciorum ſuorum. En tres tortores interni, a quibus cruciantur corda eorum: & en etiam tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Damnati torquentur cogitatione Dei.*

ITa acerba damnatorum ſupplicia cenſet D. Auguſtinus, ut eorum vi cogantur, ad illa ſemper recogitanda; nec alio mentem, & cogitationes ſuas traducere valeant; *nimio dolore premuntur, ut internam mentem in alia cogitationem non ferant.* Doctoris illius mentem Doctor alius, nempe Seraphicus Bonaventura, explicat, dicens, damnatos ſolummodo cogitare de ſuppliciis, vel de iis, quorum cogitatio ſupplicia & pœnas eorum augere poteſt: & ideo cum cogitant, & animo volvunt divitias quas in ſæculo poſſederunt, voluptates quibus adhæſerunt, dignitates ad quas ſublimati fuerunt, propinquos & amicos a quibus derelicti ſunt; hæ & aliæ ſimiles cogitationes, ſupplicia & dolores eorum plurimum adaugent. Et (quod mirabilius & incredibilius videtur) cum de Deo cogitant, hæc cogitatio eos diriſſime torquet. *D. Bonav. in 3. diſt. 1.*

Sancti qui in cælo ſunt, & damnati qui cruciantur in inferno, de Deo ſemper cogitant: ſed modo longe diverſo: quia Sancti in cælo Deum facie ad faciem contemplantur, eum intuitive ſemper vident; & clara hæc Dei viſio, ſimul cum amore ejus, eſt præmium, bravium, & merces Sanctorum: *hæc eſt ſumma merces, videre te. Auguſt.* Damnati vero Deum facie ad faciem non vident: licet enim in inferno ſit per eſſentiam, & per præſentiam, non tamen ibi eum reprobi intuitive vident; ſed eum ſolummodo norunt cognitione quadam abſtractiva, habent ſolum ſpecies & ideas quaſdam acerbas & terribiles, quibus mediantibus concipiunt, quanta ſit majeſtas Dei in quem toties peccaverunt, quanta ſit bonitas Dei quem criminibus ſuis irritaverunt, quanta ſit juſtitia Dei, a qua in æternum plecti meruerunt; & hæ de Deo cogitationes piuſſimum cruciant reprobos, eorumque ſuppliciis maximum incrementum afferunt.

Quod præclare docet Ezechiel, cum Dei vultum ſub ſpecie cryſtalli horribilis repræſentat; *quaſi aſpectus cryſtalli horribilis. Ezech. 3.* Nonne congruentius hic

hic Propheta loqueretur, ſi cum Malachia diceret, Deum eſſe quaſi ignem reprobos vorantem: *ipſe enim quaſi ignis conflane?* Nonne majorem peccatoribus terrorem infligeret Ezechiel, ſi, cum Zacharia, Deum oculis impiorum objiceret, tamquam turbinem horrendum in eos irruentem; *& vadet in turbine auſtri? Zach. 9. 14.* Nonne ad pœnitentiam peccatores efficacius adduceret ſanctus ille Vates, ſi, cum Daniele, Deum induceret in throno igneo ſedentem, & adverſus illos tonantem. *Thronus ejus flamma ignis? Dan. 7. 9.* Cur ergo Deum non ſub his ſpeciebus, ſed ſub figura cryſtalli, & cryſtalli horribilis repræſentat? Ratio eſt; quia cum Deus reprobos ſuppliciis ſempiternis adjudicavit; cum eos in infernum, æternum cruciandos mittit, mentibus eorum horribile quoddam lumen & terribilem quandam ideam infigit; quæ eſt veluti cryſtallus horrenda, eis ſemper repræſentans Deum, ut bonum infinitum, quod perdiderunt; ut ens ſumme bonum, quod contempſerunt; ut judicem ſeverum, in quem peccaverunt; ut Deum ultionum, quem irritaverunt: quibus ideis reprobi, plus quam dici poteſt, cruciabuntur. Sicut enim Sanctis, in cælo regnantibus, Deus dat lumen gloriæ, elevans eorum intellectum ad claram & intuitivam ſui viſionem, qua beati fiunt: ita & Deus, ut reprobos torqueat, eorum mentibus imprimit lumen quoddam cryſtallo horribili ſimile; quo eorum intellectibus indeſinenter objicitur Deus, ut iratus, ut terribilis, & ut vindex: *quaſi aſpectus cryſtalli horribilis.*

Poſtulat a Deo David, ut *convertantur peccatores in infernum. Pſal. 9. 18.* Probe novit Propheta, peccatores in inferno converti nequire; quia nec locum, nec tempus, nec gratias ad veram converſionem neceſſarias habent: cur ergo in inferno eos converti poſtulat: *convertantur peccatores in infernum?* Non de converſione cordis, quæ eis eſt impoſſibilis; ſed de converſione mentis loquitur Propheta. Quamdiu enim in ſæculo vivunt peccatores, de Deo vix cogitant; oculos & mentem ad divinorum myſteriorum conſiderationem vix elevant; *oculos ſuos compreſſerunt, ne forte videant. Actor. 28. 27.* Quare Deum rogat Vates Regius, ut peccatorum mens in inferno convertatur: ſeu, ut peccatores in ſuæ ingratitudinis pœnam, in inferno cogantur ad continue recogitandum Deum, cujus in hoc mundo obliti ſunt: *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviſcuntur Deum.* Hæc eſt pœna, qua a Deo peccatores plecti petit Propheta; & hæc eſt graviſſima pœna, quam infligit Deus damnatis. Sicut enim in cælo ſe videndum exhibet Sanctis, ut eos beatificet; ita & ut cruciet reprobos in inferno, cogit eos ad ſemper mente revolvendum Deum optimum maximum quem ſpreverunt, Deum ſumme bonum in quem peccaverunt, & Deum iratum a quo in æternum plectentur. Hæc de Deo cogitatio, graviſſimum, & intolerabile eſt eis ſupplicium.

Optarent damnati non cogitare de Deo, illius in inferno obliviſci cuperent, ſicut ejus obliti ſunt in hoc mundo, ſed illius obliviſci non poterunt: eorum mentibus ſe ſemper offeret, ejus ſemper recordabuntur; & ut loquitur Cajetanus, *detinebitur intellectus eorum ad cogitandum, & voluntas ad deteſtandum. Cajet. in cap. 25. Matth.* Cum in ſæculo viverent, de Deo vix cogitabant, ſed in inferno, hi magni erunt contemplatores, qui continue Dei recordabuntur, ſemperque animo volvent, quam bonus erga ipſos extiterit, quot beneficiis eos affecerit, quam inique in illum inſurrexerint, quam juſte ab eo puniantur, quam crudeliter ab eo in æternum ſint ſeparandi. Et quia hæ cogitationes gravitatem ſuppliciorum, quæ perpeſſuri ſunt, plurimum, & quaſi in infinitum augebunt, adverſus ſemetipſos iraſcentur, ac malitiam & ingratitudinem ſuam deteſtabuntur, *detinebitur intellectus eorum ad cogitandum, & voluntas ad deteſtandum.*

Magno ſuccenſus zelo Iſaias Propheta, a Deo petit, ut impii in inferno ab ignibus devorentur *ignis hoſtes tuos devoret. Iſai. 26. 11.* Ecce graviſſimum ſupplicium, quo reprobos in inferno plecti optat Iſaias, nil enim intolerabilius videtur, quam quod damnati æternis inferni ignibus crucientur. Alio tamen, eoque graviori ſupplicio eos affici poſtulat Propheta, dicens, ignis hoſtes tuos devoret: *non videant, videant.* In majus reproborum ſupplicium a Deo petit, ut *non videant* ea, quorum viſio, aliquid voluptatis eis afferre poſſet, & ut ea *videant*, quorum intuitu affligi, & cruciari poſſunt. Votum autem Prophetæ adimplet Deus, quia reprobi, in mediis inferni ignibus exiſtentes, non vident, & vident. *Non vident* amicum qui ſolatium afferat, propinquum qui ſubveniat, vel aliud quodque objectum, cujus præſentia illorum ſupplicia vel minimum leniantur. Sed contra *vident* rogos immenſos, formidandos dæmones, & inviti indeſinenter recogitant, quam male dies ſalutis inſumpſerint, quam indigne oblata ipſis divina gratia uſi ſint, & quam maligne Chriſti Sacramenta profanaverint: *vident*, quomodo modico labore Deo placere, legem ejus ſervare, & propriæ ſaluti conſulere poterant; *vident* tandem, & continue cogitant, quomodo Deum ſuum, Creatorem ſuum, & benefactorem ſuum pro momentanea voluptate, pro modico lucro, pro honore volatili, toties offenderint, & continua hæc de Deo cogitatio, eſt illis ſupplicium, ipſo inferni igne gravius. Dum in ſæculo vivunt impii, turpi iniquitatum & paſſionum ſuarum velamine, ita eorum operiuntur oculi, ut vix aliquando cogitent de Deo, a quo facti ſunt, a quo redempti ſunt, & a quo innumera beneficia perceperunt; ſed poſt mortem aufertur hoc malitiæ velamen, *tunc aperiuntur oculi, tunc aufertur velamen. Chryſoſt. hom. 24. in Matth.* Tunc vident quod in mundo videre recuſabant; tunc cogitant de Deo, cujus obliti ſunt in mundo. O quam dura & acerba illis eſt hæc cogitatio! O quam grave hoc ſupplicium!

Moyſi præcepit Deus, ut quoſdam idololatras facie ad ſolem verſa ſuſpenderet, *ſuſpende eos contra ſolem in patibulis. Num. 25. 4.* Quare hoc? ut doceat, damnatos in mediis ſuppliciis faciem ſemper ad Deum juſtitiæ ſolem verſam habituros. Hi in inferno ad Dei conſiderationem ſemper erunt intenti, eum ſemper animis ſuis volvent; eum continue inſpicient ut benefactorem ſupremum a quo innumera percepere bona; & ut Deum vindicem, a quo graviſſima perpeſſuri ſunt ſupplicia. Quilibet reprobus *cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſancto-*

rum:

*rum; & ante conſpectum agni.* Quilibet quidem *cruciabitur igne & ſulphure*: quia quiſlibet ſulphureis ignibus in æternum addicetur, cruciabitur etiam *in conſpectu Angelorum ſanctorum*: quia in pœnam ſuæ ingratitudinis, ſemper recordabitur Angeli Cuſtodis, cujus monita, conſilia, & beneficia contempſit: cruciabitur tandem *ante conſpectum agni: Apoc.* 14. 10. quia in mediis cruciatibus, quos ab igne & ſulphure patietur, Chriſtum agnum ſine macula, & juſtitiæ ſolem ſemper inſpiciet, ac mente revolvet, dicens intra ſe: Hei mihi miſero! ut quid oblitus ſum Dei mei, & benefactoris mei? cur peccavi in Chriſtum qui pretioſo ſuo Sanguine me redemit? cur toties Spiritus ſancti gratias abjeci? quare toto vitæ meæ tempore Deo fideliter non inſervivi? Heu, me indignum omni gratia, & omni ſupplicio dignum! major eſt malitia mea, quam ut veniam & miſericordiam merear; quia peccavi in Deum meum, & Dominum meum.

Hæc & alia his ſimilia in inferno recogitabis peccator; ſi in hoc mundo ad Deum non converteris; mens tua ad Deum ſemper erit intenta; aſſidue cogitabis *de Deo*, quem toties offendiſti; *de Deo*, cujus plerumque oblitus es; *de Deo*, cujus beneficia conculcaſti; *de Deo*, qui de te vindictam ſumpturus eſt, & continuæ hæ cogitationes cor tuum lancinabunt, dilaniabunt, & dire torquebunt. Ecce primum cordis tui tortorem. Sed cogitabis etiam *de Paradiſo quem perdidiſti*, ecce ſecundum cordis tui tortorem, *& ſecundum hujus concionis partem.*

## SECUNDA PARS.

*Damnati torquentur cogitatione Paradiſi.*

POEna ſenſus, quam patiuntur in inferno reprobi, tanta eſt, ut reſpectu ejus acutiſſimi quique morbi quibus affliguntur mortales, omnia ſupplicia quibus a juſtitia ſæculari adjudicantur rei, & omnia tormenta quæ umquam a tyrannis perpeſſi ſunt Martyres, pro nihilo reputanda ſint. Sed ſi graviſſimam quaſi hanc ſenſus pœnam, quam perferunt damnati, cum pœna damni conferamus, non graviſſima, ſed levis cenſenda; quia omnium pœnarum maxima eſt, a Paradiſo & a cæleſti gloria excludi: *multo durius tormentum quam gehenna eſt, non aſſumptum eſſe ad tantam gloriam, & illinc elapſum eſſe: & opinor non tanto dolore lugendum de malo gehennæ, quam caſum deplorare, quod cælo excidimus; qui eſt cruciatus omnium graviſſimus. S. Bern. Epiſt. 5. ad Theod.*

Quamvis in inferno nulli eſſent dæmones, qui reprobos torquerent, quamvis nullibi ignes qui eos comburerent, nullæ tenebræ quæ eos obcæcarent, nulla vincula quæ eos ſtringerent, nulli vermes qui eos roderent: immo, licet infernus ex ſe eſſet locus amœnus, ac remotus ab omni pœna ſenſus: ita tamen grave eſt damnatis, privari a cæleſti curia, & excludi a Paradiſo, ut hæc unica pœna omnes alias longe traſcendat; & comparatione illius omnes aliæ pro nihilo habeantur: *tantum malum videtur, de tanta gloria cecidiſſe, ut gehennam pro nihilo habeam, pro hoc damno ac ruina. Chryſ. hom.* 13. *in Epiſt. ad Philipp.*

Cum amicum quemdam ſibi chariſſimum aliquando perdidiſſet D. Auguſtinus, tantas ex ejus jactura paſſus eſt afflictiones, tot per ejus privationem cruciatus eſt doloribus, & tam mœſtis cor ejus transfixus eſt cogitationibus, ut abſente amico nihil ei placeret, diſplicerent omnia: & ut ipſe de ſeipſo loquitur ( æſtuabam, ſuſpirabam, flebam, turbabar, nec requies erat, nec conſilium. Portabam enim conſciſſam & cruentam animam meam & ubi eam ponerem non inveniebam: non in amœnis nemoribus, non in ludis atque cantibus, non in ſuaveolentibus locis, nec in conviviis apparatis, nec in voluptatibus cubilis & lecti, non denique in libris atque carminibus requieſcebam. Horrebam omnia; & ipſa lux, & quidquid non erat quod ipſe erat, improbum & odioſum erat. ) *Aug. lib.* 4. *Confeſſ.* Heu! ſi tam gravia patitur Auguſtinus ob jacturam amici unius, a quo nec vitæ beneficium, nec animi ſive corporis bona, nec dona cæleſtia perceperat, quantus quæſo, dolor eſt damnatis, quantum iis ſupplicium, perdidiſſe Chriſtum amicum verum, a quo vitam & innumera beneficia acceperant; perdidiſſe Mariam Dei genitricem, omnes Sanctos, omnem curiam cæleſtem & totum Paradiſum? Hæc, ut ait idem Auguſtinus, tanta eſt pœna, ut ei nulla tormenta comparari valeant: *Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, tam grandis eſt pœna, ut ei nulla poſſint tormenta comparari. Aug. in Enchr. c.* 12.

Magnum ſane ſupplicium, & maximus dolor unigenito Regis filio, cum ob aliquod crimen quod perpetravit, privatur regno ad quod ei jus dabat Regia nativitas. At ſicut omnibus hujus mundi regnis infinite majus eſt regnum cælorum: ita & infinite gravior eſt pœna hominis reprobi excludi a cæleſti regno, ad quod jus habebat per Baptiſmi receptionem, qua Dei filius & hæres factus fuerat. Tantum hoc ei eſt ſupplicium, ut hoc cætera inferni ſupplicia facile ſuperet: *illa gravior intolerabiliorque eſt pœna, quam cætera gehennæ ſupplicia. S. Baſil. de fut. judic. c.* 14. Quod S. Baſilius explicat exemplo oculi. Sicut, inquit, maximus oculi morbus eſt privari facultate videndi, licet hic dolor non ſit ſenſibilis: ita omnium ſuppliciorum quæ in inferno perferunt reprobi, graviſſimum illud ſane eſt: quod ſcilicet, priventur viſione Dei, cæleſti gloria, & Paradiſi gaudiis: *hæc erit gravior pœna, ut oculo privato luminis, licet non adſit dolor. Idem.*

Non ultra immorabor in exaggeranda gravitate ſupplicii, quod patiuntur damnati, per privationem beatitudinis, ſed dicam, quod illud idem ſupplicium iis inde longe gravius eſt, quod continue coguntur ad cogitandum de illa beatitudine, & de æterna felicitate, quam ſua culpa perdiderunt. Semper quilibet damnatus conſiderabit titulos quibus innitebatur jus, quod habebat ad cæleſte regnum, quod ſuis criminibus amiſit: ſemper attente perpendet quam magna gloria Beatorum in cælo, quam felices hi qui in Paradiſo habitant, & quam infeliciter jus ad hoc regnum ſua culpa ac pro nihilo perdiderit. Ex qua conſideratione, cujuslibet damnati ſupplicia plurimum augebuntur: ut enim ait S. Gregorius: *ut peccatores in ſupplicio amplius puniantur, eorum vident gloriam, quos contempſerunt. S. Greg. hom.* 40. *in Evang.*

Di-

Digitized by Google

Dives avarus, oculos in cælum elevans, in ſinu Abrahæ vidit Lazarum quem contempſerat, & cui cadentes e menſa micas dare recuſaret: *elevans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in ſinu ejus. Luc. 16. 13.* Cur vult Deus, hunc epulonem videre Lazarum in ſinu Abrahæ? non quidem ut Lazari, & Paradiſi viſione aliquod in ſuppliciis ſuis levamentum percipiat; ſed ut videns, ſe modica voluptate, perdidiſſe hanc beatitudinem qua potitur Lazarus, inde gravius aſſligatus & torqueatur. Quod non ſoli avaro diviti, ſed & omnibus damnatis contingit, qui omnes ad cæleſte regnum, quod perdidesunt, continue conſiderandum compelluntur. Immo ait S. Gregorius, vult Deus, ut hi ab imo inferni carcere Sanctos in Paradiſo regnantes contemplentur, ad hoc ut tali conſideratione acerbius puniantur: *injuſti in requie quoſdam juſtos conſpiciunt, ut eis videntes in gaudio, non ſolum de ſuo ſupplicio, ſed etiam de illorum bono crucientur. Ibid.*

In formidando extremi judicii die binam Chriſtus profeset ſententiam: *primam* in favorem electorum: *alteram* in condemnationem reproborum. Electis dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratus vobis regnum a conſtitutione mundi: Matth. 25. 44.* deinde dicet seprobis: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Ibid. v. 41.* Cur prius electos ad cæleſtia regna vocat quam ad inferni ſupplicia reprobos condemnet? cur prius cæleſtem beatitudinem electis confert, quam reprobos a facie ſua expellat, & ad tartara mittat? Ita Chriſtus, inquit ſanctus Gregorius Nyſſenus, ut reprobi, videntes gloriam quæ electis datur, ejus conſideratione torqueantur: *ut videant injuſti quæ perdiderunt: reportaturi ſecum primam pœnam alienæ beatitudinis conſcientiam. S. Greg. hom. 2. in ſymb.* Hæc eſt pœna, quam in infernum portabunt ſecum seprobi; ſemper ibi conſiderabunt gloriam, qua fruuntur Sancti; ſemper mente sevolvent Paradiſum in quo regnant beati, & a quo ipſi ceoidesunt: & illa pœna ita iis gravis erit, ut quiſque deſperans, linguam ſuam dentibus mordeat: *commanducaverunt linguas ſuas præ dolore. Apoc. 26.*

Heu! qualis dolor principibus damnatis, cum videbunt in cælo innumeros ruſticos, opiliones, & mendicos glorioſe regnantes? heu! quanta triſtitia uſurariis, & alienorum iniquis detentoribus, cum in cælo conſpicient Zachæum, & alios qui ablata reſtituesunt, glorioſiſſime triumphantes? quantus mœros obduratis & excæcatis peccatoribus, qui pœnitentiam in ſæculo agere noluerunt, cum in cælo intuebuntur Paulum, Magdalenam, & alios qui Paradiſi gaudia aſſecuti ſunt, quia pœnitentiæ in hoc mundo generoſe adhæſerunt? Sed, heu! quam grave & durum erit omnibus peccatoribus, cum aſſidue recogitare cogentur Paradiſi gloriam quam perdidesunt; quia a vitiis ſuis peſſimis declinare, & virtutum operibus incumbere noluerunt?

O quales fletus! o quales gemitus! o quales ululatus! tunc quilibet seprobus manducans linguam ſuam, & gemens, intra ſe dicet: O infelix ego, qui juſtiſſimo Dei judicio cælum pro terra amiſi, qui pro volatili carnis voluptate æternis privos deliciis, qui pso creatura Creatorem perdidi, & qui pro vanis ſceleribus a Paradiſo in æternum propulſor! Hei mihi, dicet etiam quilibet seprobus; hei mihi miſero cui in ſempiternum clauſa eſt Paradiſi janua! O crudelis ambitio, tu me a Paradiſo voluptatis expuliſti! o infauſtæ divitiæ, vos mihi æternas cæli divitias eripuiſtis! o effrænata peccandi libido, tu mihi cæleſtis regni fores obſeraſti! Vale æterna Paradiſi gloria, quam pro leviſſimo vanitatis fumo perdidi: valete ineffabilia segni cæleſtis gaudia, quæ pro obſcœna voluptate amiſi. Vale ampliſſima empirei magnitudo, quam pro unico terræ puncto reliqui: valete Angeli, valete Sancti, valete & in æternum valete, quia a vobis in æternum ſeparabor. Talia indeſinenter intra ſe dicent, & continue recogitabunt reprobi in inferno, *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt. Sap. 5. 14.* Hæc ſemper mente revolvent, & continue animis ſuis verſabunt Paradiſum quem perdiderunt, *ac etiam inferni ſupplicia quæ patiuntur, & æternum perpeſſuri ſunt*, & hæc cogitatio eſt tertius tortor quo interius cruciantur, ut in tertia hujuſmodi Concionis parte jam videbimus.

## TERTIA PARS.

*Damnati torquentur cogitatione ſuppliciorum inferni.*

TErribilis & incomprehenſibilis eſt æternitas pœnarum, quas patiuntur damnati. Cujus ut aliquam mentibus noſtris ideam ingerat Doctor Seraphicus, ait, quod ſi unus ex damnatis, ſingulis quibuſque annorum millibus, unicam dumtaxat funderet lacrymam; ex lacrymis ſic ab eo fuſis, & collectis, prius fieset mare oceano majus, quam pertranſiſſent ſuppiicia ejus. Ait etiam præfatus Doctor quod ſi Deo ſic ordinante, avicula quædam ex immenſa totius terræ maſſa ſingulis centenis annis tantum alio transferret, quantum ponderat unicum tritici granum; tota terræ moles prius ab illa ave alio translata eſſet, quam pertranſierint æterna ſupplicia, quæ damnati patiuntur.

Infinitam ætesnitatis durationem alia ſimilitudine explicare conantur nonnulli dicentes: Totius cæli ſuperficies extenſa operiatur papyro; omnes volucrum pœnæ aptentus in calamos; totum mare in atramentum convertatur: omnes Angeli ſupra hanc papyrum millenos, & millenos annorum numeros continue ſcribant: ultra hos omnes numeros protenditur æternitas: quia horum annorum numeri tandem aliquando pertranſirent, æternitas vero pœnarum inferni durabit ſemper, nec umquam prætcribit.

O quam formidanda pœnarum æternitas! o quam terribile damnatis, tota æternitatis duratione, ignium vim, duros vermium morſus, tetri carceris tenebras & alia inferni ſupplicia perpeti; ſed o quam acerbum reprobis in inferno, futuram hanc pœnasum æternitatem ſemper recogitare! quam dirum, & amarum, ſemper mente revolvere, & animo verſare, quod non ad centum dumtaxat, vel mille annos, ſed in æternum, *& in perpetuas æternitates, Dan. 12. 2.* horrenda tartari tormenta ſunt perpeſſuri! prævident hi perpetuam hanc pœnarum ſe-

Digitized by Google

feriem; ſuppliciorum illorum gravitatem, & æternam durationem melius mente concipiunt, quam nos, hi perfectius norunt, quam durum ſit hæc ſupplicia in æternum pati, hi ſerio recogitant, & meditantur non ſolum ſupplicia, quæ actu perferunt, ſed etiam ea quæ in æternum paſſuri ſunt; & continua hæc præſentium, & futurarum cogitatio pœnarum, eſt crudeliſſimus tortor, a quo eorum corda diriſſime cruciantur.

Ea quæ tempore menſurantur, & quæ aliquando finem ſunt habitura, longa, & diuturna non cenſentur: *nulla longa mora ejus quod habet finem*, inquit Tertull. *Tertull. de Hel. c. 46.* & ut loquitur D. Aug. *omnis res, quæ habet finem, brevis eſt. Auguſt. in Pſal. 60.* Centum milliones annorum, nobis quidem infinitæ videntur durationis: ſi tamen cum æternitate conferantur, non diuturni, ſed breviſſimæ durationis dicendi ſunt; quia æternitas numquam tranſit, nec umquam habet finem, & centum milliones annorum finem habent, ac tandem aliquando tranſire poſſunt. Et ideo ſi Deus reprobo revelaret, eum poſt centum milliones annorum e tartari ſuppliciis liberandum, aliqua inde ei adveniret conſolatio; at cum recogitant damnati, ſe non ſolum ad annorum milliones centum, ſed in æternum paſſuros ignis tartarei ardores, dæmonum tyrannidem, ac omnia Dei adverſus illos irati flagella, hæc cogitatio corda illorum crudeliſſime diſcruciat, eoſque doloribus inexplicabilibus afficit.

Imaginare Regem, vel alium quemvis hominem, qui omnibus felicitatibus affluat. Velim, habeat omnes Crœſi divitias, omnem Salomonis ſapientiam poſſideat, omnibus fruatur Sardanapali deliciis, ſciat quidquid in hoc mundo eſt ſcibile, & obtineat quidquid ex terrenis bonis eſt deſiderabile: ſi tamen inter tot felicitates, vel minimum quoddam continue & diu patiatur incommodum: ſi inter tot bona quibus gaudet, hoc v. g. habeat incommodi, quod indeſinenter ob oculos ejus volitet muſca. Levis quidem in ſe hæc eſſet incommoditas: ſi tamen præviderct, & certe ſciret, hanc muſcam, ex Dei ordinatione, annis viginti ſemper iterum & iterum ob oculos ſuos tranſituram; nonne hæc pœna (quæ ex ſe leviſſima eſt) duratione ſua gravis fieret? nonne hæc pœna ad viginti annos protenſa, omnia hominis hujus oblectamenta, omnemque ejus felicitatem quaſi ad nihilum redigeret? certe levis hæc moleſtia, duratione viginti annorum, eum dolore, & mœrore conficeret. Sed, heu! quid hujus muſcæ importunitas, reſpectu pœnarum inferni? quid iteratus ante alicujus oculos unius muſcæ volatus, comparatione ineffabilium ſuppliciorum, quæ in inferno perferunt damnati? quid pati, quod muſca una, viginti annorum ſpatio, ob alicujus oculos indeſinenter voliter; ſi hæc pœna cum infandis tormentis comparetur? ſi grave eſſet huic homini prævidere, & continue recogitate, hanc muſcam viginti annis oculos ejus circumvolaturam; quam grave & quam acerbum ſupplicium damnatis, prævidere & ſemper cogitare, quod in æternum circumvolitantes videbunt dæmones, a quibus indeſinenter, modis inexplicabilibus, torquebuntur? hæc prævisio, & continua hæc cogitatio damnatis haud dubie ſupplicium erit graviſſimum.

Sed ut clarius & evidentius hoc pateat, familiari alia utar ſimilitudine. Dic, quæſo, dum imminente quadrageſimali tempore, bacchanalibus vacas, nonne aliquid tibi amaritudinis cauſat inſtantis quadrageſimæ cogitatio? nonne cum prævides, & recogitas, abſtinendum & jejunandum quadraginta diebus, aliquid inde doloris cordi tuo ſuboritur? nonne hæc prævisio aliquam cordi tuo pœnam ingerit? ſed quid, ſi prævideres, jejunandum quadraginta annis continuis in ſolo pane & aqua? nonne hæc prævisio cor tuum ſummopere torqueret? haud dubie hæc prævisio eſſet tortor internus, a quo plurimum torquereris. Si ergo hæc cogitatio dolorem & amaritudinem magnam tibi eſſet allatura, ratiocinare, & judica, quantus dolor, quantum ſupplicium damnatis, prævidere, & cogitare aſſidue, quod non ad quadraginta ſolum, vel ad centum annos, ſed in æternum perpeſſuri ſint famem inſatiabilem, horribilem ſitim, ignis ardores, & omnia tartari tormenta? certe hæc cogitatio, erit illis ſupplicium grave pluſquam dici, immo pluſquam excogitari poſſit.

Aliam adduco ſimilitudinem. Cum alicui reo annuntiatur, eum patibulo, igni vel alteri ſupplicio fuiſſe adjudicatum, nonne durus hic nuntius eum conturbat? nonne prævisio, & imminentis mortis cogitatio illum contriſtat? Nonne interdum aliqui rei hac cogitatione, & inſtantis mortis prævisione, ita affliguntur, ut in deſperationem & in inſaniam declinent? quid ergo ſentiendum de damnatis, qui duriſſima tartari ſupplicia perferunt, & qui indeſinenter cogitant, ſe in æternum ea perpeſſuros? qualem dolorem, qualem iis infert triſtitiam continua hæc cogitatio? quale hoc illis ſupplicium? tale equidem, ut nec explicari, nec concipi queat.

Sancta virgo Thereſia ineffabili affluebat gaudio, cum ſymboli verba audiebat, *cujus regni non erit finis*. O me felicem, inquiebat, quæ Domino ſervio, cujus regnum æternum, & cum quo in ſempiternum regnabo, modo ei fideliter inſerviam! non dabit hic mihi tranſitoriam mercedem, ſed regnum dabit cujus nullus erit finis. O N. N. ſi hæc æternæ mercedis prævisio, mirabilem Thereſiæ inferebat lætitiam, quantus e contra dolor homini damnato, cum recogitat, quod poſtquam mille & centum mille annis dira inferni ſupplicia pertulerit, nondum erit finis? quanta pœna reprobo ſerio cogitanti, quod poſtquam uno & centum annorum millionibus in tartari carcere clauſus manſerit, nondum ex eo egrediendi tempus erit? quantum ſupplicium impiis, in inferno gementibus, cum mente revolvunt, ſe non ſolum ad mille milliones annorum, ſed in æternum, terribilium tartari ignium vim perpeſſuros? quantus labor, quanta illis triſtitia, cum animo verſant, quod in perpetuas æternitates calicem iræ Dei bibituri, & diram dæmonum tyrannidem paſſuri ſint? hac certe cogitatione ita torquentur, ut nec mente percipi poſſit, quam grave ſit illis hoc ſupplicium.

Heu! quis non timeat tanta ſupplicia? O impie, nonne times, in tartaream mitti fornacem, ibique cogi, ad ſemper, maxima cum cordis amaritudine cogitandum de Deo, de Paradiſo, & de æternis inferni ſuppliciis? O formidandas cogitationes,

o ter-

Digitized by Google

o terribiles meditationes! o quam melius eſt in hoc mundo cogitare *de Deo* ut illi inſerviamus; *de Paradiſo*, ut illum aſſequi mereamur: & *de inferno*, ut ejus ſupplicia devitemus.

De Deo, & de Paradiſo ſæpe cogitabat Vates regius, ſed ſpeciali ſollicitudine æternitatem pœnarum inferni mente revolvebat; *annos æternos in mente habui*. *Pſal.* 76. 6. hanc æternitatem crebro recogitabat, ac illa cogitatione ad purgandam ab omnibus peccatis animam ſuam excitabatur; *& ſcopebam ſpiritum meum*. *Ibid.* Hanc ſimiliter in hoc mundo pœnarum æternitatem animo ſæpe revolvite, hanc ſerio & efficaciter meditamini. O impie, ſæpe intra temetipſum dic; & iterum dic: ſi nunc in lata iniquitatis via ambulem, æternis ſuppliciis in inferno plectar, ſi a viis meis peſſimis non declinem, ſempiternis addicar tormentis, ac pro modica voluptate pœnam æternam ſubire cogar.

Seraphicus Pater ſanctus Franciſcus, ut fratres ſuos ad ardua quævis pro Dei gloria ſuſcipienda excitaret, dicere iis ſolitus erat: omnia mundi oblectamenta eſſe momentanea, inferni vero pœnam eſſe æternam: *voluptas brevis, pœna perpetua*. O N. N. eadem verba ſæpiſſime repete: dic tibi ipſi, voluptas qua fruor in poſſeſſione divitiarum quas inique detineo, *brevis eſt*: voluptas quam percipio in ludis, in libidinibus, & in ebrietatibus, *brevis eſt*, voluptas quam in hujus & illius creaturæ amore deguſto, *brevis eſt*: ſi autem non convertar ad Dominum Deum meum, ſupplicia quæ in inferno patiar, non brevia, ſed perpetua erunt. Hæc recogitate, hæc ſerio meditamini, & frequenti hac meditatione excitamini ad ſcopendam & purgandam ab omnibus peccatis conſcientiam veſtram: ut mereamini, & hæc ſupplicia declinare, & æternam beatitudinem obtinere. *Amen*.

## DOMINICA TERTIA.

## DE CONFESSIONE.

*Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum*. Luc. 11. 14.

A Veritate, & a recta ratione multum aberraſſe videtur Stoicus ille Philoſophus, qui ſilentium nulli umquam nocuiſſe aſſeruit, dicens: *nam tacuiſſe nocet nulli, nocet eſſe locutum*. Scimus enim Iſaiæ Prophetæ nocuiſſe ſilentium, cum ſe infelicem dicat, eo quod tacuerit: *væ mihi, quia tacui*. *Iſai.* 6. 5. Multis aliis etiam tacere nocet: cum ſcillcet ea tacent, quæ dicere tenentur.

Certum eſt, aliquod ſilentium eſſe bonum: ſed certum eſt etiam, aliquod ſilentium malum eſſe & noxium. Si vir Religioſus ſileat, loco & tempore ſibi præſcripto; ecce bonum ſilentium: ſed ſi quis ſileat, cum tempus eſt loquendi, & tunc præcipue cum peccata ſunt in confeſſione declaranda, hoc ſilentium vere noxium, & peſſimum. Iſtud autem eſt ſilentium, ad quod homines allicere conatur Sathanas: ſi enim mutus dicatur dæmon ille, quem hodie ejicit Chriſtus, non inde hoc ſortitur nomen, quod vere mutus ſit; ſed quia homines mutos reddit, impediens ne peccata confiteantur. O quot hodie hujuſmodi muti! quot a dæmone muto poſſeſſi; qui aut nullo modo peccata ſua confitentur, aut eorum aliqua in confeſſione reticent! Ut dæmonia illa muta ejiciantur, de confeſſione ſacramentali iſta erit concio, &c. *Ave*.

COnfeſſio ſacramentalis, quam Chriſtus Dominus inſtituit, eſt *legitima accuſatio de peccatis propriis, facta Sacerdoti juriſdictionem habenti, ad veniam obtinendam virtute clavium*. Confeſſio ſacramentalis, non eſt excuſatio, ſed *accuſatio*; quia pœnitens debet in confeſſione adverſum ſe teſtificari, ſeque accuſare. Confeſſio eſt etiam accuſatio *de peccatis*: pœnitentes enim in confeſſione non debent virtutes ſuas jactanter narrare, inſtar Pharisæi, ſed debent ſe accuſare de peccatis, & cavere debent, ne Confeſſario peccata aliorum manifeſtent, quia confeſſio non eſt accuſatio de peccatis alienis, ſed *de peccatis propriis*. Hæc accuſatio debet etiam fieri *Sacerdoti juriſdictionem habenti*; & non alteri, quia ſolus Sacerdos juriſdictionem habens, poteſt valide a peccatis abſolvere. Hæc tandem accuſatio fieri debet *ad veniam a Deo obtinendam, virtute clavium*; ſi enim non ad hunc finem quis ſe accuſaret, peccatorum veniam virtute clavium non impetraret. Ecce quid ſit confeſſio ſacramentalis, cujus jam videbimus: 1. neceſſitatem: 2. virtutem: 3. qualitates.

### PRIMA PARS.

*Confeſſionis neceſſitas.*

ALiquam peccatorum confeſſionem, ſaltem in corde, & interius Deo factam, in lege naturæ fuiſſe neceſſariam ſentit ſanctus Gregorius; & ideo ait, quod Deus Adamum peccatorem quæſierit, dicens, Adam, ubi es? ut ad confitendum peccatum quod perpetraverat, illum alliceret: *hoc a Deo requiſitus eſt, ut peccatum, quod transgrediendo commiſerat, confitendo deleret*. *S. Greg. lib.* 12. *Moral. c.* 13.

In lege Moſaica, conſtituta populi Dei ſynagoga, datis Sacerdotibus & Sacramentis, exigebatur quædam confeſſio, non oris, ſed operis, quia pro diſtinctis peccatis diſtincta ſacrificia offerri debebant; quibus ſacrificiis ſe quiſque peccatorem fatebatur; *confitebantur, ſed facto, non verbo: offerebant enim hoſtiam pro peccato, & ſic oſtendebant ſe peccaſſe*. *Hugo Card. in c.* 5. *ep. S. Jacobi v.* 16.

Aliam confeſſionem, eamque perfectiorem, in lege nova inſtituit Chriſtus: cum Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, poteſtatem judicialem remittendi & retinendi peccata conceſſit, dicens: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. *Joann.* 20. In iſta confeſſione non ſoli Deo, ſed homini, pœnitens Sacerdoti confitetur; *confitemini alterutrum peccata veſtra*. *Jacobi* 5. Iſta confeſſio eſt ad ſalutem neceſſaria, pro his ſaltem, qui mortalibus peccatis ſunt inquinati: ſi enim ea confiteri poſſint, ad eorum confeſſionem teneri declaravit ſacrum Concilium Tridentinum dicens: *Si quis negaverit, confeſſionem ſacramentalem eſſe jure divino inſtitutam, vel jure divino*

ad

*ad ſalutem neceſſariam, anathema ſit. Trid. ſeſſ. 14. can. 14.*

Ut autem diſtinctius, & clarius hæc confeſſionis neceſſitas appareat, dicamus, eam neceſſariam eſſe peccatori, habenti mortalia, ut ſanetur, mundetur, & juſtificetur. Peccator, qui mortalibus ligatur, eſt infirmus, immundus, & reus: confeſſio autem eſt neceſſaria: 1. *peccatori infirmo*, ut ſanetur: 2. *peccatori immundo*, ut mundetur: *peccatori reo*, ut juſtificetur.

1. Quodlibet peccatum eſt animæ infirmitas, eſtque infirmitas ad mortem, ſi peccatum mortale ſit, & ideo quilibet peccator tot lethalibus laborat infirmitatibus, quot diverſa mortalia perpetravit; ejuſque morbi ſpirituales multiplicantur juxta multiplicationem diverſorum criminum; *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum. Pſ. 15. 4.* Deus autem contritionem ſacramentalem inſtituit, tamquam cæleſte *pharmacum*, ut eo mediante infirmitates noſtræ ſanentur. *Trid. ſeſſ.* 14. Eſtque hoc remedium, & generaliſſimum, & efficaciſſimum; quia omnes penitus animæ infirmitates ſanare valet. Ut enim ait D. Auguſtinus, peccata ſunt ſolummodo ſpirituali medico declaranda; animarum noſtrarum morbi ſunt ſolum Confeſſario manifeſtandi per confeſſionem, & ſtatim ſanabuntur: *Confitere tantummodo vulnus tuum, & ſanabit te Deus: nam omnium peccatorum vulnera ſanantur per confeſſionis medicinam. D. Aug. Hom. 21. in Evang.*

O quam efficax illud remedium! ſed eſt etiam maxime neceſſarium peccatori, ut ab animi infirmitatibus ſanetur; non enim ab iis ſanari poteſt, ſi eas medico ſpirituali, ſeu Confeſſario non detegat; *ſi operam medicantis expectas, oportet ut vulnus detegas tuum. Boet. lib. 1. de conſol. Proſ.* 4. O peccator, vis ſanari ab illa peccati lepra, quæ animam tuam fœdat & putrefacit? vis ſanari ab illa paralyſi, quæ te in bonis operibus faciendis tardum, pigrum, & inertem efficit? vis ſanari ab illa animi cæcitate, quæ tibi rerum ſpiritualium notitiam ſubducit? vis ſanari a febribus luxuriæ, avaritiæ, & iræ, & ab omnibus animi morbis, quibus laboras? manifeſta eos medico ſpirituali: ut enim ab iis ſaneris, eos Confeſſario declares neceſſe eſt: *ſi operam medicantis expectas, oportet ut vulnus detegas tuum.* Animæ tuæ morbos ſpirituali medico aperire renuis: ei horrenda, quibus laboras, infirmitates manifeſtare erubeſcis; pudet te, hoc & illud peccatum occultum ei manifeſtare: ſed ſi ab his, & omnibus animi morbis ſanari velis, inquit Divus Auguſtinus, neceſſe eſt, ut eos Confeſſario manifeſtes; *agnoſce medici manum, confitere, peccatum tuum exeat in confeſſionem. D. Auguſt. in Pſalm. 56.* Eſt ergo neceſſaria confeſſio peccatori infirmo, ut ſanetur, ſed eſt etiam *neceſſaria peccatori immundo ut mundetur.*

2. In veteri Lege immundus erat, qui mortuum tangebat: in nova vero immundus eſt, non qui tangit mortuum, ſed qui facit peccata mortalia, quæ ſunt opera mortua & mortifera; *Si quis tangebat olim mortuum, contaminabatur; & nunc ſi quis tetigerit opus mortuum, id eſt, peccatum, inquinatur per conſcientiam.* Oculis corporis non patet immunditia hominis, mortali peccato inquinati; eam etiam non facile concipiunt, qui carnis & ſanguinis ſpiritu reguntur: ſed divino Spiritu illuſtratus D. Anſelmus, ita horrendam cenſebat mortalis peccati maculam & immunditiam, ut in inferno mundus a peccato, quam in Paradiſo immundus eſſe prælegiſſet: *mallem a peccato purus infernum intrare, quam peccati ſorde pollutus, cælorum regna tenere. Anſelm. lib. de ſimilit. c.* 190. O quales & quantæ ſordes, quibus inquinatur homo peccator! ſi autem ab iis mundari velit, confiteatur neceſſe eſt; confeſſio enim eſt quaſi ſecundus Baptiſmus, ad purgandas peccatorum mortalium ſordes inſtitutus: *in confeſſione omnia lavantur. Si peccata ſunt, in confeſſione purgantur. D. Bern. ſerm. 40. de diverſis.*

In civitate Jeroſolyma plures erant januæ, variis officiis deſtinatæ. Una erat deſtinata, ut per eam in civitatem portarentur carnes: alia ut per eam piſces deferrentur: hæc lignis, illa aquis, iſta fructibus patebat. Sed ut luculenter adnotavit V. Beda, una erat, qua fluebant, & qua foras ejiciebantur omnes immunditiæ: ita ut ſordes, quæ per alias omnes portas in civitatem ingrediebantur, per iſtam ſolum foras mitterentur. Hæc non ſine myſterio facta eſſe dicit Liranus: inde enim edocemur, omnes ſcelerum noſtrorum immunditias per unam januam, per os ſcilicet, a nobis eſſe expellendas. Quot ſenſus externos habemus, tot nobis ſunt portæ patentes ſceleribus, quæ animam noſtram maculant & fœdant. Per viſum, guſtum, auditum, odoratum & tactum in cor intrant peccata: ſed unica eſt porta, per quam foras mitti debent ſcelerum noſtrorum ſordes, os ſcilicet, cujus confeſſione foras mittuntur hæ ſordes, & mundatur peccator: *Bonum animæ ornamentum confeſſio, quæ peccatorem purgat.* Sed tandem neceſſaria eſt confeſſio *peccatori reo, ut juſtificetur.*

3. Peccator eſt læſæ majeſtatis divinæ reus; cujus peccata ſcripta ſunt ſtylo ferreo in *ungue adamantino*: eſt reus qui nulla venia dignus, cum Deum ſuum, Creatorem ſuum, & Benefactorem ſuum offenderit: eſt reus, de quo conqueritur Deus, dicens, quod mala pro bonis ei retribuerit: *retribuebant mihi mala pro bonis.* Quomodo autem veniam obtinere & juſtificari poterit inſignis ille reus? ut juſtificetur, oportet ut peccata ſua confiteatur: non ea celare & occultare, ſed illa Confeſſario declarare & narrare debet: *Narra ſi quid habes, ut juſtificeris.* In juſtitiæ ſæcularis tribunalibus, ſi homo reus, ſua ſciat occultare ſcelera, veniam facile impetrabit, & coram hominibus juſtus videbitur: ſed in tribunali pœnitentiæ, ut quis juſtificetur, ſcelera ſua revelet, & confiteatur neceſſe eſt. Si enim ea confiteri poſſit, & ea non confiteatur, non juſtificabitur: *Non poteſt quis juſtificari, niſi peccata fuerit ante confeſſus.*

Cum ad Lazari ſepulchrum venit Chriſtus, ut eum a mortuis excitaret, lapidem tolli juſſit; quo ſublato, fœtidum vidit cadaver, cui imperavit, ut foras exiret; *Lazare veni foras.* Cur non ei dixit, ut reviviſceret: *reviviſce*; ſed ut foras exiret; *veni foras?* myſterium aperuit S. Gregorius ajens, Chriſtum ei dixiſſe: *veni foras*, ut doceret eos qui per peccatum mortui ſunt, a peccatis ſuis exire, & juſtificari debere per confeſſionem: *non dicitur:*

*revivisce, ſed: veni foras, ut homo in peccato mortuus foras exeat per confeſſionem. S. Greg. lib. 22. Mor. c. 13.* Eandem aliis verbis rationem adducit S. Ambroſius: *veni foras*, inquit, *hoc eſt, qui jaces in delictorum tuorum ſordibus, delictum proprium prode ut juſtificeris. S. Ambr. lib. 2. de pœn. c. 7.* Ecce quid neceſſario agere debeant peccatores, ut juſtificentur, peccata ſua Confeſſario prodere debent: *delictum proprium prode, ut juſtificeris.*

Magnum occurrit diſcrimen inter hominis creationem, & ejus juſtificationem, quia ut crearetur homo, ſolus Deus locutus eſt, ſola Dei vox adhibita eſt, nihil huic rei contulit vox humana: ſed in hominis juſtificatione requiritur vox Dei & hominis. Requiritur quidem vox Dei, ſeu, Sacerdotis vice Dei dicentis: *te abſolvo*: ſed requiritur etiam vox hominis peccatoris, ſemetipſum accuſantis; non enim juſtificaretur, ſi proprium delictum Confeſſario non proderet: *delictum proprium prode, ut juſtificeris.* Eſt ergo confeſſio neceſſaria peccatori, ut ſanetur, mandetur, & juſtificetur.

Nec dicas, hominem, in mortalia lapſum neceſſario quidem ea confiteri debere Deo, in quem peccavit; non autem homini. Ad hoc enim præclare reſpondet D. Thomas a Villanova, his verbis: Quamdiu Deus non fuit homo, non opus fuit, peccatum homini verbo confiteri. Sed poſtquam filius Dei factus eſt homo, jam Pater non judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio, quia filius hominis eſt: ex tunc ergo peccator a Deo Patre eſt hominis Chriſti foro commiſſus; & in illo reddere rationem ſuam tenetur. Sed quia Chriſtus aſcendit in cælum; & non eſt in hoc mundo præſentia corporali viſibili, ut ei homo rationem poſſit reddere de peccatis; ideo antequam aſcenderet in cælum, commiſit vices ſuas Sacerdotibus, & eos ſubdelegavit, ad audienda, & judicanda peccata; dicens: quorum remiſeritis peccata, remittentur eis. *S. Thom. ferm. in Dominic. 3. Quadr.* Ecce propter quid ex tunc homo peccata ſua Sacerdoti a Chriſto ſubrogato, confiteri tenetur. Ecce confeſſionis neceſſitatem: *videamus jam confeſſionis ſacramentalis virtutem.*

## SECUNDA PARS.

### *Confeſſionis virtus.*

POſtquam David audivit Nathan Prophetam annuntiantem ſibi peccatum, quod perpetraverat, dolens, dixit; *peccavi*: & mox deletum ejus fuit crimen: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. 2. Reg. 12. 13.* Miratur Sanctus Ambroſius virtutem trium illarum ſyllabarum: *peccavi*, ſeu, virtutem confeſſionis factæ a Davide, quæ ejus peccatum delere valuit. Sed miror magis virtutem confeſſionis Sacramentalis; quæ ad Deum, ad infernum, & ad Paradiſum extenditur: 1. *ad Deum*, quem placat: 2. *ad infernum*, cujus flammas extinguit: 3. *ad Paradiſum*, cujus portas aperit.

1. Licet Deus ſit ſummum bonum, cujus bonitas omnes penitus creaturas reſpicit: peccator tamen eum criminibus ſuis ad iracundiam provocat, & quaſi exacerbat: *exacerbavit Dominum peccator. Pſ. 9.* Sed Deum; quem ad iracundiam movet peccator, confeſſio placat; ac propitium & quaſi advocatum reddit: *illis non judex, ſed advocatus eſt Chriſtus, qui ſe propria confeſſione damnarunt. D. Aug. Tract. 14. in Joann.*

Diverſimode ſe habet Deus erga illos qui abſcondunt, & illos qui peccata ſua confitentur. De his enim qui peccata in ſua confeſſione abſcondunt, dicit Deus, quod non dirigentur: *qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: Prov. 28. 13.* ſeu, ut explicat Hugo Cardinalis, qui abſcondit ſcelera ſua *confeſſori ſuo*, non dirigetur ad Dominum; quia peccata avertunt a Deo. De his vero qui peccata ſua confitentur, ait Spiritus Sanctus, quod ad Dominum dirigentur, quod eum placabunt, ac eum ad miſericordiam flectent, *qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur*: ſeu, ut exponit præfatus Cardinalis, *qui ei qui poteſt abſolvere, peccata confeſſus fuerit vere, pure, integre, & ſpontanee, Dei miſericordiam conſequuntur.* O magnam virtutem confeſſionis, quæ uſque ad Dei thronum aſcendit, ejus iram mitigat, eum placat, & ad miſericordiam inclinat. Unde præclare dicit Chryſoſtomus, quod *confeſſio mater eſt indulgentiæ. Chryſ. hom. 20. de conf.* Eſt quidem mater indulgentiæ, & miſericordiæ; quæ licet cum dolore & cruciatu magno pariat; felix tamen illius partus: quia Deum placat, ac miſericordiam ejus peccatoribus parturit.

Quærit Michæas Propheta, an Deus adverſus peccatores iratus placari poſſit hircorum & arietum Sacrificiis: *Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum: aut in multis millibus hircorum pinguium? Mich. 7. 6.* Certe his hoſtiis non placatur nunc Deus: *holocauſtis non delectaberis. Pſ. 50. 18.* Quomodo ergo placabitur Deus in peccatores iratus? Ad illos puniendos urgent juſtitia, potentia, & omnes perfectiones divinæ, quæ a peccatoribus læſæ ſunt: quomodo ergo placari poterit? placari poteſt humili peccatorum confeſſione, inquit Petrus Bleſenſis; qui ſic Chriſtum loquentem inducit: *Si peccatum tuum aperias, ego operio: ſi agnoſcas, ignoſco: ſi accuſas, excuſo: ſi judicas & condemnes te, non judico, nec condemno. Petr. Bleſ. in c. 1. Job.* O magnam virtutem confeſſionis, quæ Deum in peccatores iratum placat! Sed magna etiam eſt virtus ejus: quia *inferni flammas extinguit.*

2. Peccatorem a peccatis ſuis confeſſario declarandis deterrent amor, timor, & pudor: *amor*, vel vindictæ, vel ſcorti, vel lucri mali male parti: *timor*, vel reconciliationis, vel reſtitutionis, vel ſeparationis a ſcorto: *pudor* tandem declarandi peccata occulta, pudenda & enormia. His ita a confeſſione removentur multi, ut toto vitæ ſuæ tempore jejunare, & alia durioris pœnitentiæ opera exercere mallent, quam peccata ſua confeſſario dicere. Multa tamen peccatorem ad triumphandum de ſeipſo, & ad omnia mortalia quæ perpetravit declaranda, movere debent: Deus, ſcilicet, qui ea confiteri jubet, gratia divina quæ mediante confeſſione obtinetur, Dei amicitia quæ per eam comparatur, conſcientiæ quies quæ acquiritur, & alia multa emolumenta, quæ per confeſſionem debite factam impetrantur: ſed magnum motivum, quo allici debet peccator ad confitenda peccata, eſt virtus, quam habet confeſſio extinguendi gehennæ incendia. Hoc mo-

motivo peccatores ad peccata ſua confitenda urgebat Pacianus Epiſcopus, dicens; ſi durum vobis eſt, peccata confeſſario declarare, ſerio perpendite, quod humili confeſſione æternas tartari flammas poteſtis extinguere; *ſi de cruciatu exomologeſis detrectatis, gehennam recordamini, quam exomologeſis extinguit. Pacian. de pæn. de conſ.* Heu! ſi qui nunc in inferno torquentur, tartari flammas ſibi quocumque modo extinguere valerent, quas lacrymas ad hunc ignem reſtinguendum, non funderent? quos gemitus non ederent? quæ ſuſpiria non emitterent? quam peccatorum confeſſionem non facere vellent? omnia quidem ſua ſcelera, quantumvis horrenda, coram Angelis & hominibus, ac in mediis plateis & foris libenter, & hilariter propalarent. O peccator, hæc gratia, quæ damnatis denegatur, tibi a Deo conceditur. Non a te exigit Deus, ut peccata tua palam declares; ſed ſolummodo ut cum humilitate, & cordis contritione clam eа confeſſario revelеs, & humilis hæc confeſſio, parata tibi inferni incendia extinguere valet; *gehennam recordamini, quam exomologeſis extinguit.*

Job, vir ſanctiſſimus, in amaritudine cordis ſui loqui ſtatuit: *loquar in amaritudine animæ. Job 10.* Poſtquam autem ſe in amaritudine animæ ſuæ locuturum dixit, audacter & fidenter ſubdit; *dicam Deo, noli me condemnare.* Cur tanta cum confidentia loquitur? cur tam audacter Deum affatur? cur non rogat eum, ut ipſum ad inferni ſupplicia non condemnet? cur non humiliter eum deprecatur, ut horrendis hiſce tormentis ipſum non adjudicet? ſed audacter ait; *dicam Deo, noli me condemnare.* Ratio cur tam libere loquitur, eſt; quia prius locutus, & in amaritudine animæ peccata propria confeſſus erat; hac enim confeſſione jus habebat petendi, ne ad inferni ſupplicia condemnaretur: quia, ut ait Sanctus Gregorius, humilis confeſſio extinguit inferni incendia: *qui peccatorem ſe in amaritudine animæ aſſerit, quid Deo aliud, quam ne condemnetur dicit? quia amaritudo præſentis pœnitentiæ extinguit ſupplicia ſequentis iræ. S. Greg. lib. 10. Mora.* O magnam confeſſionis virtutem, quæ inferni flammas extinguit *ac etiam paradiſi portas aperit!*

3. In cruce duo erant latrones: utrique clauſus erat Paradiſi aditus: æternales has portas ambo ſuis ſibi criminibus clauſerant; unus tamen illorum a Chriſto audire meruit: *hodie mecum eris in Paradiſo. Luc. 23.* Iſte ſibi Paradiſum aperuit: & qua arte? qua virtute? virtute quidem confeſſionis: quia palam peccata ſua confeſſus eſt, dicens: *nos quidem juſte; nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali geſſit. Ibid.* Alter latro Paradiſum ſibi non aperuit, ſed in æternum damnatus eſt; quia peccata ſua confiteri noluit: iſte autem per humilem peccatorum confeſſionem, januas Paradiſi ſibi aperuit. Magnam confeſſionis virtutem, quæ regni cæleſtis fores reſerat: *vides quam a res ſit confeſſio: confeſſus eſt, & Paradiſum aperuit. D. Auguſt. lib. 23. de Ci .*

De regni cæleſtis oſtio intelligi poſſunt hæc Regii Prophetæ verba: *hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam. Pſ. 117. 20.* Nemo in civitatem illam cæleſtem ingreditur, quin juſtus & ſanctus ſit: quia *non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Apoc. 21. 27.* Qua ergo ratione eo intrant latrones, adulteri, & uſurarii? qua virtute illuc ingredi valent ſacrilegi, ſimoniaci, & omnis generis peccatores? virtute confeſſionis, quæ ipſimet cælo vim infert, ac portas ejus reſerat; ita ut omnibus peccatoribus pateant, ſi debite confiteantur, & a peccatis abſolvantur; ut enim perbelle dixit Auguſtinus: *confeſſio obſtruit os inferni, portas aperit Paradiſi. S. Aug. de util. pœnit.* Homini in ſtatu peccati mortalis exiſtenti patent inferni fores, & clauſæ ſunt Paradiſi januæ: ſed ſi debite peccata ſua confiteatur, tanta eſt confeſſionis virtus, ut inferni portas claudat, & Paradiſi portas ei aperiat: *confeſſio obſtruit os inferni, portas aperit Paradiſi.*

Qui innocentiam intactam ſervant, ſine confeſſione in cælum intrare poſſunt; ſed qui mortalibus peccatis ſuam perdidere innocentiam, in cælum intrare non poſſunt, niſi per confeſſionem, aut actualem, ſi confiteri poſſint; aut in voto ſi peccata ſua confiteri non poſſint. Hæc peccatorum confeſſio eſt eis abſolute neceſſaria ad ſalutem; hæc eſt ſola porta, qua in Paradiſum intrare valent: *ut tibi cælum aperiatur, aperi os tuum Sacerdoti; hæc ſola eſt porta Paradiſi. D. Auguſt. in Pſ. 117.* Quare cum confeſſio virtutem habeat placandi Deum, extinguendi flammas inferni, & aperiendi portas Paradiſi; Dei judicia humili præveniamus confeſſione: *præoccupemus faciem ejus in confeſſione. Pſ. 94. 2.* Sed *qualitates ad veram confeſſionem requiſitæ, ſunt etiam adhibendæ.*

## TERTIA PARS.

*Confeſſionis qualitates.*

PAucas aliqui, & multas alii aſſignant confeſſionis qualitates. Non deſunt qui eas uſque ad quindecim & ſexdecim protendant: quas verſibus quibuſdam rithmicis enuntiare ſolent. Sed ex his omnibus qualitatibus, & conditionibus, tres præcipue ad bonam confeſſionem deſiderantur: immo, & hæ tres ſolummodo requiri videntur. Nempe, quod confeſſio ſit præmeditata, integra, & humilis. Confeſſio debet eſſe: 1. *Præmeditata*, ſine negligentia: 2. *Integra*, ſine diviſione: 3. *Humilis*, ſine excuſatione.

1. Divinos ſuos vocari præcepit Nabuchodonoſor; quibus, cum veniſſent, dixit: *ſomnium & interpretationem ejus indicate mihi. Dan. 2.* Qui reſponderunt illi: Rex, dic ſomnium tuum, & interpretationem ejus indicabimus. Iratus Nabuchodonoſor, ab iis ſemper petiit, ut non ſolum ſomnii, quod habuerat, interpretationem darent; ſed etiam ut ipſum ſomnium indicarent: *ſomnium & interpretationem indicate mihi.* Ecce quomodo ſe habeant multi peccatores, poſt annum ab ultima confeſſione elapſum, imparati, & abſque ullo prævio conſcientiæ ſuæ examine, ad confeſſarium accederunt; coram illo muti hærent; & cum vix unum ex peccatis, quæ perpetrarunt, declarare valeant, dicunt mox confeſſario: Pater interroga me; ſomnium & interpretationem ejus indica mihi; vaticinare; divina, quæ fecerim. O qualem negligentiam! certe timendum, ne hujuſmodi peccatores in Dei maledictionem, adverſus negligentes prolatam incurrant; *maledictus qui facit opus Do-*

*mini negligenter. Jer. 48.* Si enim umquam expellenda negligentia, tunc maxime cum examinanda conſcientia in ordine ad confeſſionem, & hoc examen non ſegniter & negligenter, ſed diligenter faciendum: *redi ad cor tuum, & diligenter diſcute teipſum, D. Bern. Tract. de inter. domo c. 6.* inquit S. Bernardus. Quod expreſſe in Concilio Tridentino declaratur, his verbis: *peccator debet ſeipſum diligenter excutere, & conſcientiæ ſinus omnes, & latebras explorare. Trid. ſeſſ. 24. can. 5. D. Auguſt. lib. de ſpir. & an. c. 51.*

Ad prævium hoc examen vocari debent omnes cogitationes iniquæ, omnia verba & opera noſtra mala; *diſcutiamus cogitationes, locutiones, atque opera noſtra.* Hæc conſcientiæ diſcuſſio tali cum diligentia & ſolertia fieri debet, qualis adhiberi ſolet in negotiis arduis; *tenetur quilibet facere inquiſitionem qualem meretur negotium arduum boni viri arbitrio, pro ratione vitæ ſuæ, & negotiorum. Trid. ſeſſ. 24.* Sic loquitur Concilium Tridentinum; & aſſerunt Theologi, quod ſi, defectu ſufficientis examinis, quis in Confeſſione non declaret mortale aliquod peccatum quod perpetravit, Confeſſio ejus nulla eſt & ſacrilega: quia ſicut nulla & ſacrilega eſt Confeſſio, cum quis voluntarie mortale quoddam reticet: ita etiam nulla & ſacrilega eſt, cum quis, defectu neceſſarii examinis, mortale aliquod in Confeſſione non declarat: quare Confeſſio debet eſſe præmeditata, ſine negligentia; ac etiam *integra, ſine diviſione.*

2. Non requiritur integritas Confeſſionis quoad peccata venialia; cum enim non ſint materia neceſſaria pœnitentiæ, ſed ſolum ſufficiens, unum declarari poteſt, & aliud reticeri. Sed aliter loquendum de peccatis mortalibus. Confeſſio enim debet neceſſario eſſe integra, ita ut pœnitens, quantum moraliter fieri poteſt, teneatur exprimere ſpecies & numerum peccatorum ſuorum, ac etiam circumſtantias ſaltem ſpeciem peccati mutantes, *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & eas circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, anathema ſit. Trid. ſeſſ. 24. can. 8.*

Hæc ſunt verba Concilii Tridentini, quibus conſtat ad integritatem confeſſionis requiri: *Primo*: quod Pœnitens numerum peccatorum declaret: ſeu; quod omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoriam habuerit, confiteatur. Quod debet intelligi etiam de numero peccatorum in eadem ſpecie: ita quod pœnitens teneatur dicere, quoties in vanum juravit, quoties fornicatus eſt, & quoties quodlibet peccatum mortale perpetravit. Quod ſi facta morali diligentia, non occurrerit pœnitenti numerus omnino certus, ſufficit quod declaret numerum veriſimilem, qui plus minuſve, a certo parum diſtare creditur. Quod ſi, facta morali diligentia, neutro ex dictis modis poteſt pœnitens declarare certum peccatorum ſuorum numerum; tunc ſufficit, quod conſuetudinem peccandi, tempus quo in illa permanſit, & modum frequentiæ per dies, vel hebdomadas, quoad fieri poterit, declaret. Ratio eorum omnium eſt, quod pœnitens non tenetur ad impoſſibile; & ideo ſufficit, ſi faciat, quod moraliter fieri poteſt. Ecce primum quod requirit Concilium ad integritatem confeſſionis: quod ſcilicet numerum peccatorum mortalium pœnitens confiteatur.

*Secundo*, ad integritatem confeſſionis requirit Concilium, ut pœnitens declaret circumſtantias ſpeciem peccati mortaliter mutantes: ita ut ſi in quolibet mortali peccato, quod quis confitetur, occurrat aliqua circumſtantia ſpeciem mutans, illa ſit explicanda; & ſic, ſi quis furatus eſt rem ſacram, non ſufficit ſi dicat ſe furatum eſſe *rem ſacram*; quia circumſtantia rei ſacræ, novam malitiam furto addit. Si quis etiam concupivit, vel peccavit cum muliere, debet exprimere, an ſit matrimonio juncta, conſanguinea, vel religioſa; quia hæ circumſtantiæ mutant ſpeciem; & earum declaratio neceſſaria eſt ad integritatem confeſſionis. Quando tamen pœnitentes neſciunt diſcernere diverſitatem ſpecierum moralium, Confeſſorum ſcientia, & diligentia debent in hoc ſupplere ignorantiam pœnitentium. Ac tandem ſi, facta morali diligentia tam ex parte confeſſarii, quam ex parte pœnitentis, aliquid ignoratum fuerit, & ea ratione prætermiſſum; illud non obſtabit ad valorem confeſſionis. Ecce integritatem, quæ requiritur in confeſſione: At confeſſio debet etiam eſſe humilis *ſine excuſatione.*

3. Poſtquam de ligno vetito comedit, & Dei præceptum violavit Adamus, excuſavit ſe, & in mulierem culpam retulit, dicens: *Mulier, quam dediſti mihi ſocium, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quæſivit ab Eva Deus, cur hoc feciſſet? excuſavit ſe etiam mulier, ajens, ſe a ſerpente deceptam: *ſerpens decepit me.* Quod primi fecere parentes, hoc & eorum filii agere ſolent: multi enim in confeſſione ſe excuſant, & in alios ita culpam transferunt, ut non tam illi, quam alii peccaſſe videantur. Aliqui vel fato, vel aſtris peccata ſua ſtulte imputant: alii peccata ſua excuſantes, eorum auctorem Deum impie faciunt, dicentes: Deus hoc voluit. Diabolum accuſant alii, dicentes: Diabolus me decepit. Multi uxorem, filios, fratres, & alios criminum ſuorum occaſionem, & cauſam fuiſſe dicunt: in vanum, inquiunt, juravi; ſed uxoris malitia compulſus ſum; ira accenſus hominem percuſſi; ſed ejus impudentia ad hoc me movit: furatus ſum; ſed urgens coegit me neceſſitas: O filii Adæ, ut quid imitamini protoparentis excuſationes in peccatis? ut quid declinatis corda veſtra in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis? Tollite iſtas excuſationes, & humiliter peccata veſtra confitemini talia, qualia ſunt, abſque ulla excuſatione, quæ eorum malitiam minuat: *Tolle iſtas excuſationes in peccatis, & memento illius verbi: D. Aug. in Pſ. 140.* (Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.)

Rogat Deum Propheta ut labiis ſuis oſtium ponat: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Pſ. 140. 3.* Cur non a Deo petit Regius Vates, ut ori ſuo ponat clauſtrum, quo ita claudatur, ut aperiri nequeat; ſed oſtium, quod nunc aperitur, & nunc clauditur? Ex ore prodeunt perjuria, blaſphemiæ, mendacia, convicia; & innumera alia verba mala: ac proinde congruum videtur, ut a Deo os ſuum totaliter claudi petat S. Propheta; cur ergo non a Deo petit, ut ſuum peni-

Digitized by Google

nitus os claudat? Reſpondet Auguſtinus, Sanctum Regem a Deo petere, ut ori ſuo ponat, non clauſtrum, ſed oſtium quod aperitur & clauditur: quia os in confeſſione aperire & claudere quiſque debet: aperire quidem, ut peccata ſua perſpicue, & integre confiteatur: claudere vero, ita ut in confeſſione nulla ex eo egrediatur excuſatio: *non dixit clauſtrum, ſed oſtium quod & aperitur, & clauditur: ergo ſi oſtium eſt, aperiatur ad confeſſionem peccati, claudatur ad excuſationem peccati. D. Auguſt. in Pſ. 40.*

Non prohibetur pœnitenti, dicere circumſtantias peccatum minuentes, quinimmo illas dicere debet, ut confeſſarius peccata ejus talia cognoſcat, qualia ſunt; ſed prohibetur ei, malitiam peccati velare, minuere vel vanis ac malignis excuſationibus mutare: non debet, cor & os ſuum inclinare ad ſic excuſanda peccata: *non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Pſ. 40. 4.* Qui enim ſic ſua excuſat peccata, peccatis præteritis nova adjungit peccata: *cum excuſamus, peccata peccatis jungimus. D. Hier. in Pſ. 40. v. 4.* Qui ſua ita excuſat peccata, ut mortale aliquod ſuis excuſationibus, tamquam non mortale, vel tamquam non peccatum declaret; mortaliter peccat, & ſacrilegium perpetrat. Quare a peſſimis his excuſationibus abſtinete, ne peccata excuſationibus tegatis vel minuatis; ſed teſtes eſtote adverſum vos; adverſum vos injuſtitias veſtras dicite. Imitamini Prophetam qui adverſum ſe loquebatur: *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino. Pſ. 31. 5.* Adverſum me, ut exponit Sanctus Bernardus: *arguens & excuſans. S. Bern. ſerm. de S. And.* Eodem modo arguite vos, accuſate vos humiliter & ſimpliciter. Sit tandem confeſſio veſtra *præmeditata* ſine negligentia; *integra* ſine diviſione; *humilis* ſine excuſatione; & hujuſmodi confeſſio vos ſanabit, mundabit, & juſtificabit: hæc etiam confeſſio Deum placabit, inferni flammas extinguet, ac Paradiſi portas vobis aperiet. *Amen.*

## F E R I A II.

## POST DOMINICAM TERTIAM.

# D E I N V I D I A.

*Duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Luc. 4. 29.

SI quis ſcire cupiat, unde ſuam trahat originem invidia, mente ſurſum feratur, & in Cælo invidiæ protoparentem inveniet diabolum qui mox a creatione ſua, prævidens, Verbum æternum non Angelicæ, ſed humanæ naturæ uniendum, homini invidit, & ideo ad æterna ſupplicia damnatus eſt. Nam ut ait D. Auguſtinus: *Invidia vitium diaboli eſt, cum quo ſolo Diabolus reus eſt. Non enim dicitur diabolo, ut damnetur: adulterium commiſiſti, furtum feciſti, villam alienam rapuiſti: ſed homini invidiſti. Auguſt. lib. de Diſ. Chriſ.*

A cælo in Paradiſum terreſtrem deſcendit invidia: ibi enim idem Diabolus, videns, hominem eſſe in ſtatu felici eumque a terreſtri ad cæleſtem Paradiſum migraturum, ejus invidit felicitati, utque illum a tanti boni aſſecutione impediret, tentavit, debellavit illum: & ſic *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, Sap. 2. 24.*

A terreſtri Paradiſo egreſſa invidia, in omnes terræ partes ſe diffudit; intravit in domos Sæcularium & Regularium, Laicorum, & Clericorum; nec aliquis inveniri poteſt locus, in quo venenum ſuum non effuderit. Sed peſſimo hoc veneno potiſſimum toxicati fuere Judæi, qui invidia in Chriſtum tabeſcentes, & ægre patientes, quod infirmos multos ſanaret, aliaque plurima miracula faceret, ejecerunt eum extra civitatem, *& duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Quam deteſtandum ſit invidiæ vitium, iſta Concio manifeſtabit, &c. *Ave.*

CUm invidia ſit dolor & triſtitia de bono alterius, quærunt Theologi, an omnis triſtitia & diſplicentia de bono alterius, pertineat ad invidiam, & an omnis qui de alterius bono triſtatur, dicendus ſit invidus, & peſſimo invidiæ vitio notatus. Pro cujus ſolutione, notandum ex D. Thoma, & aliis multis Doctoribus, quod dolor & triſtitia de alterius bono tribus modis accidere poteſt. *D. Thom. 2. 2. quæſt. 36. artic. 2.*

*Primo*, ex timore proprio: cum ſcilicet quis de alterius bono triſtatur, in quantum timet nocumentum aliquod temporale vel ſpirituale ex eo ſibi vel aliis juſtis perſonis injuſte eventurum. Et talis triſtitia ex timore juſto oriens, non eſt proprie invidia: nec mala eſt, ſed plerumque bona: & ſic non peccavit, nec invidus fuit Matathias, cum videns Regem Antiochum velle transferre ritum Judæorum ad ritum Gentilium, verumque Deum relinquere, doluit de ejus proſperitate, propter malum ſibi & populo imminens. 1. *Machab.* 2. Sic etiam lætari ſolent Chriſtiani de Turcarum jactura, & dolere de eorum proſperitate, utpote quia ſibi, totique Eccleſiæ pertimeſcenda eſt.

*Secundo*, poteſt quis triſtari de bonis proximi, non quod optet proximum iis carere; ſed quia ipſe talia, vel ſimilia bona non poſſidet. Et iſte dolor vocatur zelus, vel æmulatio; quæ bona & laudabilis eſt, cum circa bona honeſta & ſpiritualia verſatur: unde hortatur nos D. Paulus, ut æmulemur ſpiritualia: *æmulamini ſpiritualia. 1. Corinth.* 14. 1. O utinam omnes ſpiritualia quæ in aliis vident, æmulentur! Utinam doleant omnes, eo quod virtutibus careant, quibus alii emicant! Utinam triſtentur omnes, quod tantam non habeant caſtitatem, quantam Sanctus Joannes Evangeliſta: quod tales non fundant lacrymas, quales fudit Magdalena: quod non ſint ſimiles Jobo in patientia, Petro in pœnitentia, Matthæo in contemptu temporalium, & Seraphico Franciſco in humilitate, in paupertate, in Dei amore aliiſque virtutibus! O quam bonus ille dolor! quam ſalubris hæc triſtitia!

*Tertio*, poteſt quis triſtari de bonis alterius: ita ut velit, eum illis privari, quia æſtimat ea eſſe ſuæ gloriæ, ſuæ famæ, ſuæ excellentiæ, ſuoque bono contraria, & noxia. Et ſic medici medicis, patroni patronis, prædicatores prædicatoribus, ſinguli ſinguli, & ſimiles ſimilibus invidere ſolent. Ut autem

ad vitandum & deteſtandum peſſimum illud invidiæ vitium quiſque inducatur, dicamus, quod invidia eſt: 1. Vitium commune: 2. Vitium malignum: 3. Vitium exitioſum.

## PRIMA PARS.

### *Invidia eſt vitium commune.*

POſtquam e terreſtri Paradiſo egreſſa eſt invidia, ab Adamo ad poſteros ejus tranſiit, illudque vitium ita apud homines commune factum eſt, ut & in veteri & in novo Teſtamento innumeri recenſeantur, qui turpi hoc vitio contaminati ſunt.

Ut autem aliqua hujus rei exempla in veteri Teſtamento adnotemus: nonne in eo legimus quod Cain, Adæ filius, fratrem ſuum Abel occiderit, peſſimo invidiæ ſpiritu ad hoc concitatus, quando ſcilicet vidit ejus munera acceptari a Deo, non ſua? *Gen.* 4. Nonne adverſus Iſacum invidia accenſi ſunt Philiſtiim, eo quod Deus illi benedixerit, ac locuples fuerit? *Gen.* 26. nonne Rachel ſorori ſuæ Liæ invidit, eo quod fœcunda extiterit? *Gen.* 30. nonne fratres Joſeph invidebant ei, videntes, quod a patre plus, quam alii ejus filii amaretur?

Ex invidia Jacobum, fratrem ſuum, perſecutus eſt Eſau. *Gen.* 37. Joſue, quaſi invidens duobus viris qui prophetabant in caſtris, dixit Moyſi: *Domine mi Moyſes, prohibe eos*, *Num.* 11. Moyſen, miracula facientem, & audita a Deo referentem, non ſine invidia inſpexerunt Maria & Aaron, dicentes: *num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Num.* 12. Cum poſt reditum de Babylone, templum ædificarent filii Juda, gentes quæ erant in circuitu, ob invidiæ vitium quo laborabant, doluerunt, & eos multipliciter impedierunt, ac a propoſito deterrere conati ſunt. 1. *Eſdræ* 4. Sed quis dicat, quanta Principum & Satraparum in Danielem fuerit invidia? *Dan.* 6. quis enarret, quanto livore, quantave invidia in Judam & Nicanorem exarſerit Alcimus? 2. *Mach.* 14. quis tandem recenſet omnes qui in veteri Teſtamento, peſſimo invidiæ vitio contaminati ſunt? certe tunc ita apud homines commune fuit hoc vitium, ut quot homines, tot invidi fuiſſe videantur.

Sed a Chriſti tempore multos etiam invidos extitiſſe refert novum Teſtamentum. Nonne in eo legimus, quod cum viderunt Principes Sacerdotum & Scribæ, mirabilia quæ Chriſtus faciebat; & audirent pueros clamantes: *hoſanna filio David*, *Matth.* 21. invidiæ igne ſuccenſi, plurimum indignati ſint? nonne in eo narratur, quod audiente fratre filii prodigi feſtum, quod faciebat pater adoleſcentiori filio revertenti, indignatus eſt & nolebat introire? *Luc.* 15. nonne ex magna invidia qua in Chriſtum exardeſcebant Judæi, adverſus illum collegerunt concilium, eumque morti adjudicarunt? ſed quanta in Sanctos Petrum, Joannem, Barnabam, alioſque Apoſtolos fuit Judæorum & Gentilium invidia? quanta in Stephanum, in quem dentibus ſtridebant, dolentes quod non poſſent reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur? quanta perverſorum hominum in Chriſti diſcipulos, in omnibus terræ partibus diſperſos, & ubique mirabilia operantes?

Nullus quidem foret dicendi finis, ſi ſacros codices accurate luſtrare vellemus, ut adnotaremus, quam commune in utroque Teſtamento fuerit invidiæ vitium. Sed quod olim factum fuiſſe dicunt ſacræ paginæ, fit & nunc: turpe illud invidiæ vitium, quod olim commune fuiſſe aſſerunt, eſt & nunc ita commune inter Principes & Magnates, inter divites & pauperes, inter litteratos & ignaros, inter mercatores & opifices, inter ſæculares & regulares, ut nullus fere inveniatur qui hoc vitio careat.

Cum Magnates ſuperbia inflari ſoleant; aliis dominari cupiunt. Hinc fit, ut *vel æqualibus* invideant, quod ſe æquentur; *vel inferioribus*, quod creſcant, timentes ut ſibi pares fiant; *vel ſuperioribus*, quia iis coæquantur.

Ex hac invidia, quæ inter Magnates & Principes communiſſima eſt, innumera oriuntur bella: ac ſicut Cæſar & Pompejus mutua æmulatione concitati, totum conturbaverunt Imperium Romanum: ita & ſæpe Reges & Principes totum conturbant & ſanguine replent orbem terrarum: quia cum alter alteri invideat, nec unus alium præeminere patiatur, bella cient ut unus alterius potentiam deturbet, aut ſaltem perturbet.

Non ſolum inter Reges & Principes inardeſcit invidia; ſed & inter eorum aulicos, qui omnes in aulis principum moventur, & volvuntur, velut agmina & examina invidorum. Ac dici poteſt, quod quælibet principum aula ſit quaſi ſchola, & gymnaſium invidorum; quia cum ibi omnes aulici ad ſublimes honores, & ad altiores dignitates certatim contendant, unus alteri invidet: nec poteſt unus ſupra alios elevari quin omnes ei invideant. Invidia enim comes eſt gloriæ; & quo altius quis elevatur, eo magis aliorum invidiæ & æmulationi ſubjacet.

*Alta petit livor; perflant altiſſima venti Invidiæ.*

Sed quid de divitibus & pauperibus? nonne in eis reperitur invidia? certe nil communius, quam quod divites divitibus, & pauperes divitibus invideant. Commune malum eſt apud divites, quod aliis præire & ditiores eſſe cupiant; ac ægre patiantur, quod alii uberiores facultates colligant: immo frequenter ex invidia accidit, ut quidquid divites alteri vident accreſcere, totum ſibi credant deperire; unde lites, rixæ, & contentiones innumeræ inter divites oriri ſolent. At major adhuc pauperum in divites eſſe ſolet invidia; non enim pauperibus divites, ſed divitibus pauperes invident; nec poteſt quis dives fieri, quin multorum invidiæ ſubjaceat. Et ideo præclare dixit Seneca: difficillimum eſſe divitibus pauperum declinare invidiam: *Facilius eſt pauperi contemptum effugere, quam diviti invidiam.* Propter eandem rationem, cum quis ab Ariſtotele petiiſſet, quid eſſet invidia! reſpondit Philoſophus: *Invidia fortunatorum eſt antagoniſta*: quia ſcilicet, eo ipſo quo quis fit ditior, & pinguiori gaudet fortuna, omnes ei invident; & multi, invidiæ ſpiritu concitati, verbis, detractionibus, & omnibus modis eum deprimere conantur.

Peſſimum hoc invidiæ vitium, magis adhuc inter eruditos & litteratos graſſari ſolet. Heu! quot ex invidia inter eos oriuntur diſcrepantes ſententiæ? quot in-

inter eos ex invidia excitantur contentiones verboſæ? quot diſſidia? quot inſectationes? pauci ſunt, qui cum Sapiente dicere poſſint ſe ſcientiam ſuam ſine invidia propalare, & communicare: *Sapientiam ſine fictione didici, & ſine invidia communico. Sap. 7. 13.* Inter doctos enim facillime inardeſcit invidia: & ideo tot mutuæ inter eos cenſuræ; ideo non ſolum verbis, ſed & ſcriptis, magno cum legentium ſcandalo, ſeſe mutuo acerrime inſectantur; ideo conſcriptos ab aliis libros toties gravi nota conſpergunt. Cum viri docti polleant ingenio, eruditiores & eloquentiores ſunt ad alios carpendos, mordendos, & deprimendos: & ideo cum corda eorum invadit invidia, nil non dicunt, nil non faciunt, ut adverſarios ſuos carpant, mordeant & deprimant.

Nec mirum, ſi inter Magnates, divites, & litteratos graſſetur invidiæ vitium; cum eo non careant plebei, opifices & viles quique homines. Nonne communis eſt invidia inter homines ejuſdem artis & ſortis? nonne figulus figulo, faber fabro, cantor cantori, vicinus vicino invidet? nonne ſutor ſutorem, ſartorem ſartor acri inſpicit animo, eo quod quidquid lucratur unus, alter perdere credat? nonne novæ quotidie inter plebejos exſurgere ſolent æmulationes, cum uni ex illis melior fortuna contingit? Vilis plebecula non tam ratione quam paſſione & invidia regitur; ideo quæcumque proximi ſunt, cum invidia contemplatur; dolet quod iiſdem non fruatur bonis, ſe ſupra alios erigere ambit, & eos deprimere ſatagit.

Non loquar de invidia, quæ inter Clericos, inter Religioſos, & viros quoſcumque pios nonnunquam reperitur: nullus enim ſtatus ab invidia eſt ſecurus, & immunis. Nonne in Chriſti familiam olim irrepſit æmulatio, cum contentio inter Diſcipulos facta eſt, quis eorum videretur eſſe major? nonne Joannis Baptiſtæ diſcipuli Chriſto & ejus diſcipulis inviderunt: cum magiſtro ſuo Joanni dixerunt: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum? Joann. 3. 26.* Nonne Phariſæi, qui ſanctitatis ſpeciales erant profeſſores, Chriſto & diſcipulis ejus inviderunt? nonne quotidie videmus, quod inter viros aliunde pios, aliquis oriatur, & exardeſcat invidiæ ignis? Sancti quidem interdum hoc vitio aliquantulum laborant. Sed, ut ait Sanctus Ambroſius: *Si invidia Sanctos adußit, quanto magis cavendum eſt, ne inflammet peccatores? Ambroſ. lib. de Joſeph. c. 1.*

Iſtos quidem inflammat invidia eoſque ad murmurationes, ad detractiones, & ad innumera peccata impellit. Heu! ſi invidiæ labe notentur viri pii, viri religioſi, viri Deo dedicati; quanto magis peccatores, qui aliis multis criminibus ſunt dediti? certe peccatoribus, ſicut & aliis, immo plus quam aliis hominibus communis eſt invidia. Sed ſi invidia ſit vitium commune, *eſt etiam vitium malignum.*

## SECUNDA PARS.

### *Invidia eſt vitium malignum.*

INvidia poteſt eſſe peccatum veniale; *vel ex levitate materiæ*, ſeu ex parvitate rei circa quam eſt invidia, ut cum aliquis alteri invidet, quia melius ludit, ſuavius canit, clariorem vocem habet, aut in parvo quodam alio bono ſibi antecellit: *vel etiam ex imperfectione actus:* puta, cum quis, ex ſubito ſenſualitatis motu, judicium rationis præveniente, ſeu ut loquuntur alii, cum quis, quaſi ex motu primo, alteri invidet, propter bonum quod in eo apprehendit.

Si tamen invidia ſecundum ſe, & ſecundum ſuam naturam conſideretur, tanta ejus eſt malitia, ut ex genere ſuo ſit peccatum mortale, quia eſt directe contra charitatem; quæ ut ait D. Paulus, *non æmulatur*, *1. Cor. 13.* nec alterius bono invidet; quin contra omnibus benefacere appetit, ac de aliorum bonis gaudet. Ut autem ait Doctor Seraphicus, illud peccatum eſt ex genere ſuo mortale, quod directe opponitur charitati, quæ eſt omnium virtutum Regina & forma.

Inde quidem quiſque auſpicari poſſet, quanta ſit invidiæ malitia; ſed ejus malitiam adhuc longe graviorem cenſebit, qui invidiæ vitium ipſi Deo contrarium eſſe ſciet. Quod ut verum eſſe patet, ſupponendum ex D. Dionyſio, quod omne bonum eſt ſui ipſius communicativum & diffuſivum: quare cum Deus ſit ſumme bonus, creaturis ſe ſuaque bona communicare appetit, quantum ex ſe eſt, & quantum poſſibile eſt ſecundum ipſarum creaturarum capacitatem. *Dionyſ. 4. de divin. nom.* Invidus autem facit totaliter oppoſitum: non enim vult aliis ſeipſum communicare, aliquod eis præbendo auxilium, vel impertiendo beneficium: quin contra dolet, cum Deum in alios liberalem & beneficum eſſe videt; ac Dei in alios bonitatem arctare vellet ſi poſſet; optaretque, ut Deus in alios eſſet parcus, eoſque privaret bonis, quæ poſſident: Ecce quomodo invidia ſit Deo contraria; ſed eſt ei adhuc contraria, quia tam bonus eſt Deus, inquit D. Auguſtinus, ut etiam de malis bonum eliciat: invidia vero e contra de bonis malum elicit. Sed adhuc invidia Deo contrariatur, quia Deo placet bonum, & malum diſplicet, invidis vero aliorum placent mala, & diſplicent bona.

O quam magna hæc invidiæ malitia! ſed inde major adhuc videtur ejus malitia, quod nemini parcat, omnes offendat, ac in eos magis inſurgat, qui pluribus & majoribus fruuntur bonis: *inimica eſt ſemper alienis profectibus invidia. Senec. ad Paulin.* Non loquar de invidia, qua multi exarſerunt in Platonem & alios Philoſophiæ parentes, in Divum Thomam, & alios Theologiæ magiſtros, in Cæſarem, Pompejum & alios famoſos belli Duces, Orbiſque domitores. Nil dicam de invidia, quæ omnibus ſæculis concitata eſt in viros bonis naturæ, bonis corporis, & bonis fortunæ ſupra alios eminentes. Hos quidem omnes mordet invidia; ſed quod magis eſt, viros quoſcumque probos, quantavis ſanctitate & virtute præditos, pungit, offendit, & pro viribus deprimit. Nonne ex invidia Abel juſtus

& innocens, occiſus eſt? nonne ex invidia Joſeph vir Sanctus venditus eſt Iſmaelitis? nonne ex invidia Babylonii videntes, quod tres juvenes Hebræi, Ananias, Azarias & Miſael a Rege Nabuchodonoſor diligerentur, eum allexerunt, ad eos mittendos in fornacem ignis ardentis: ſed quanta olim plurimorum fuit invidia in Sanctum Benedictum, cujus fama ſanctitatis in omnes orbis partes volabat? quanta in Sanctum Athanaſium, qui columna fidei, fulgentiſſimæ Eccleſiæ lumen, & omnis erat exemplar ſanctitatis: quanta in Sanctum Chryſoſtomum, qui licet ſcientia, eloquentia & omni virtutum genere floreret; aliquorum tamen Epiſcoporum invidia, ab Eudoxia Auguſta in exilium pulſus fuit? quanta in Apoſtolos, in Martyres, & Sanctos Confeſſores? quanta in ipſum Chriſtum, omnis ſanctitatis auctorem, qui peccatum non fecit, nec facere potuit? certe tanta eſt invidiæ malitia, ut viros quantumvis pios & ſanctos aggrediatur, nec ulli parcat: & quod pejus eſt, nullum eſt opus in viris juſtis tam bonum & perfectum, quod invidi non carpant & vituperent. Si vir probus humilitatem ſectetur, eum invidi abjectum & vilem dicunt: ſi patientiam profiteatur, eum puſillanimem & ignavum proclamant: ſi pietatis operibus incumbat, hypocritam eum vocant; ſi abſtinentia & jejuniis corpus affligat, avarum eum appellant: ſi taceat, eum ſtolidum cenſent; ſi loquatur, garrulum: ſi gravitatem ſervet, ſuperbum: ſi affabilem ſe exhibeat, levem: omnia tandem Sanctorum virorum opera, quantumvis ſancta, & omnibus numeris abſoluta, ab invidis carpuntur. E ſicut Draco inſidiatur Elephantis partui, ut illum pungat & mordeat, ita & invidi bonis quibaſque juſtorum operibus inſidiantur, ut illa denigrent, murmurationis aculeo pungant & detractionis dentibus mordeant, & dilacerent, *invidi res a bonis bene geſtas in malum male interpretando corrumpunt. Opinionem bonorum mendaciis decolorant. S. Proſper lib. de vita cont. cap. 69.*

O quam malignum illud vitium; ſed inde majorem adhuc eſſe ejus malitiam quiſque judicabit, quod multa alia peccata parturiat. Cum enim ſit vitium capitale, ex eo multa alia peccata oriuntur. Et ideo a S. Gregorio Nyſſeno invidia vocatur *malorum princeps, vitiorum radix: Nyſſen. in vit. Moyſ.* ideo etiam invidia a Sancto Petro Chryſologo dicitur, *peccatorum mater, origo vitiorum: Chryſ. ſerm.* 48. Multorum quidem vitiorum & peccatorum radix eſt invidia, quorum nonnulla dinumerat Sanctus Cypsianus dicens: (invidia radix eſt omnium malorum, fons cladium, ſeminarium delictorum; Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit; avaritiam livor inflammat, dum quis non poteſt ſuo eſſe contentus, dum videt alium ditiorem: Ambitionem invidia excitat; propter invidiam timor Dei ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, judicii dies non providetur. Per invidiam dominicæ vinculum pacis rumpitur, caritas fraterna violatur, adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes atque ſchiſmata declinatur: *S. Cypr. reſl. de zelo & livore.*)

Divus Bonaventura ait ex invidia peccata multa procedere, ex quibus quinque enumerat, quæ invidiæ filias vocat: Invidia, inquit, ſecundum Gregorium, quinque filias habet. *Prima* eſt odium; quod eſt velle malum alicui, & nolle ei bonum. *Secunda* eſt exultatio in adverſis proximi; *Tertia* eſt afflictio in proſperis proximi. *Quarta*, eſt ſuſurratio, quæ eſt detractio latens. *Quinta*, eſt detractio, quæ fit in aperto; quia intendit melior apparere illo, cui detraxit. *D. Bonav. compen. Theol. verit. de corruptela peccati lib. 3. c. 16.*

Ecce infelices invidiæ partus; ecce peccata & mala quæ a malo hoc vitio procedunt: ſed ut ejus magis manifeſtetur malitia, dicam, quod ex invidia oriantur etiam homicidia; immo & Deicidium. Ab invidia quidem oriuntur homicidia: ut enim loquitur D. Chryſoſtomus: *invidia homicidii mater eſt: Chryſ. hom. 44. ad pop.* quod & atteſtatur Spiritus Sanctus, dicens: *alius alium per invidiam occidit. Sap. 14. 24.*

Non hic recenſebo innumera, quæ ex invidia orta ſunt homicidia; quid enim gravius de illa dicendum occurrit; nempe, quod ex invidia oriantur fratricidia? Taceo Remum; qui a fratre ſuo Romulo urbis Romæ conditore occiſus eſt, de quo Lucanus. *Lucan. l. 1.*

*Fraterno primum maduerunt ſanguine muri.*

Sub ſilentio prætereo alia fratricidia, quæ in prophanis hiſtoriis referuntur, ut ex memoratis in ſacra Scriptura unicum hic adducam; Abelis ſcilicet, quem ab initio mundi Cain occidit. Quare Sanctus Baſilius Cain vocat primum diaboli diſcipulum; a quo invidiam & cædem didicit: *primus diaboli diſcipulus; invidiam & cædem ab eo edoctus. Baſil. hom. de invid.* Sicut Remus urbis Romæ conditor manus ſuas germani fratris ſanguine cruentavit; ita Cain, *primus terrenæ civitatis conditor, fuit fratricida, nam ſuum fratrem civem civitatis æternæ in hac terra peregrinantem, invidentia victus, occidit. S. Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei c. 5.* O quam malignum invidiæ vitium, ex quo prodeunt homicidia, & fratricidia; *immo & Deicidium!*

Unuſquiſque veſtrum haud dubie capit, quod de Chriſto loquar; cui cum violentas manus intulerunt Judæi, Deicidium perpetrarunt. Judæi invidentes Chriſto, eo quod miracula multa faceret, dolebant, iraſcebantur, exacerbabantur, tabeſcebant, furebant, ei improperabant, calumniis eum afficiebant, ac tandem eum morti tradiderunt. Unde ingenioſe nonnulli appoſitam hanc Chriſti cruci inſcriptionem, J. N. R. J. ſic explicant; *invidiam noſtrum Regem interfecit.* Invidia quidem eum interfecit, ut enim ait S. Gregor. Nazianzenus, *per invidiam mors venit in mundum; propter ipſam Abel eſt interemptus, David cædis periculum ſubiit: & quod ſumma rei eſt, maximeque deteſtabile, invidia Judæi Chriſtum interfecerunt.*

Ecce ſummam invidiæ malitiam; quæ quidem magna eſt, quia caritati opponitur; quia Deo contrariatur; quia nemini parcit: quia innumera peccata parturit, ſed ejus malitia maxima, & ſumma eſt, quia Chriſtum cruci affixit, & occidit. Quare cum tanta ſit invidiæ malitia, eam quiſque pro viribus deteſtari & fugere debet. Et ut ait S. Cyprianus, *nibil*

*ma-*

Digitized by Google

*magis chriſtiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia & livore capiatur. S. Cypr. ſerm. de zelo & livore.*

Quanto major eſt invidiæ malitia, tanto majori ſollicitudine eam quiſque fugere debet, quare omne invidiæ venenum deponite, *deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractiones.* 1. *Petr.* 2. Væ his qui tale venenum non deponunt, væ his qui invidi Cain maligna ſectantur veſtigia, *væ illis, quia in via Cain abjerunt. Epiſt. Judæ verſ.* 11. Maledictus Eſau, quia in via Cain abiit, cum ex invidia fratrem ſuum Jacob perſecutus eſt; maledicti fratres Joſeph, quia in via Cain abjerunt, cum ex invidia eum vendiderunt. Maledicti Chore, Dathan, & Abiron, qui in via Cain abjerunt, cum ex invidia adverſus Aaronem inſurrexerunt, & ideo a terra abſorpti ſunt. Maledictus Saul, qui miſere tandem occiſus eſt, & a Deo reprobatus, quia ex invidia Davidem innocentem toties perſecutus fuerat. Maledictus Joab, qui Abner, & Amaſan ex invidia proditorie occiderat. Maledictus Aman, quia ex invidia totum Judæorum genus ſimul cum Mardochæo delere voluit. Maledicti Satrapæ, qui ex invidia Danielis vitæ inſidias pararunt; Maledicti Judæi, qui ex invidia Chriſto mortem intulerunt: Maledicti tandem omnes qui in via Cain abeunt, & qui invidiæ vitio contaminati ſunt, quia hoc vitium malignum eſt & peſſimum. *Sed invidiæ vitium eſt etiam exitioſum.*

## TERTIA PARS.

*Invidia eſt vitium exitioſum.*

Ut probem invidiam eſſe vitium exitioſum, non loquar de damnis quæ iis quibus invidetur, inferre ſolet, ſed de iis ſolum quæ ipſi homini invido infert. Quæ quidem magna ſunt, cum invidia eum intus torqueat, cruciet & dilaceret, cumque non ſolum multis cum malis in hoc mundo afficiat, verum & in alio mundo, æternis ſuppliciis addicat.

Invidus dum aliis officere cupit, ſibi ipſi noxius, infeſtus, & exitioſus eſt; quia invidia interna qua uritur, eſt quaſi tortor internus a quo torquetur, & dilaceratur, *invidia*, inquit D. Auguſtinus, *ſibi primum nocet, primum auctorem ſuum mordet, menti officit: cor quaſi peſtis depaſcit, animum urit. S. Auguſt. 21 Soliloqu.* Ob hanc cauſſam invidia tineæ ſimilis dicitur, quia ſcilicet ſicut tinea lignum ex quo oritur corrodit, ſic invidia eos in quos gignitur, pungit, mordet, & devorat: *ſicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi. Prov.* 15. 20. Ob eandem cauſſam invidus Syreni comparatur, quia ſicut Syren, tempeſtatis tempore canit, & gaudet, tempore vero ſereno, & quamdiu mare tranquillum eſt, triſtatur, dolet & anxiatur, ita invidi gaudent de aliorum adverſitate, triſtantur vero & intus cruciantur de pace, & aliorum proſperitate.

Antiqui ut exprimerent, quomodo invidus ab invidia intus torqueretur, eam delineare ſoliti erant, ut mulierem annoſam macie & pallore confectam, oculos habentem lividos, & cor ſuum edentem: *Alciat. Embl.* 71. *Primo* invidia ut femina depingitur, quia invidia, infirmi animi vitium eſt, & plerumque in feminis regnat, annoſa quoque eſt, quia a mundi primordio ætas ejus. *Secundo*, invidia proponitur, ut macie & pallore confecta, quia invidentes triſtitia ſiccat, & pallidos efficit: *Pallor in ore ſedet, & macies in corpore toto. Tertio*, invidia deſcribitur, oculos habens lividos & obſcuros, quia invidi mentis cæcitate laborant, ac lucem in tenebras convertunt dum aliorum bona opera, vel præclare geſta ſiniſtra interpretatione obſcurare conantur. *Quarto* invidia dicitur cor ſuum edere; quia hæc eſt internus tortor, quo interius cruciantur invidi, qui tortor omnibus aliis crudelior eſt; quia domeſticus eſt, quia gravia infert ſupplicia, & quia ſemper, & ſine ullo fine invidum torquet: *invidiam qui receperis, ſua ſuſtine: ſine fine ſupplicia, quia in ſe domeſticum ſemper diligis habere tortorem! Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna eſt, ubi cruciatus eſt aliena felicitas? Chryſoſt. ſerm.* 172.

Homini invido exitioſum ſane invidiæ vitium, cum ſit tortor internus a quo ipſe invidus cruciatur, & multa ſupplicia patitur, ſed invidia eſt etiam vitium homini invido exitioſum, quia per invidiam anima ejus ſpiritualiter occiditur. Licet enim omne peccatum mortale mortem animæ inferat privando eam vita gratiæ in præſenti, & vita gloriæ in futuro, peculiari tamen quodam modo invidia grande hoc malum, & ſpirituale illud homicidium perpetrat, juxta illud Job 5. *parvulum occidit invidia. Job* 5. 2. Qui enim per alia peccata mortalia ſpiritualiter interficiuntur, facile reviviſcunt, & a peccatis reſurgunt; ſed qui per invidiam occiduntur, raro & fere nunquam reviviſcunt, quia invidia eſt malum, quod non curatur: *invidia omnibus malis pejor: quos non vulneraverit, ad curam non veniunt. Chryſoſt. ſerm.* 48.

O quam exitioſum homini invido invidiæ vitium, cum ſpiritualem ei mortem inferat, ſed magis adhuc ei eſt exitioſum, quia Deus invidos dire plectit, ut enim ait Sapiens: *qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Prov.* 17. 15. Ille qui ruina alterius lætatur, eſt invidus, qui de alterius bonis triſtari, & de malis alterius lætari ſolet: ille autem non manebit impunitus, quia ſi ante mortem peccatorum ſuorum pœnitentiam non agat, duplici eum pœna Deus plectet, æternæ ſcilicet beatitudinis privatione, & inferni ſuppliciis.

Omnia quidem mortalia peccata cæleſti beatitudine privant, ſed hoc ſpecialiter invidiæ convenit; cum enim invidus de alterius bono triſtetur, quomodo eſſe & vivere poſſet in cælo, ubi nullum videret qui infinitis non potiretur bonis; ſi invidus eſſet in cælo, a cujuſque Sancti bono & felicitate cruciaretur: & ſic in medio Paradiſi infinitos pateretur cruciatus, quod a cæleſti beatitudine omnino alienum eſt: quare invidus non intrabit in regnum cælorum. Et ideo S. Baſilius invidiam vocat; *privationem regni cælorum*; Ideo etiam Sanctus Zeno Veronenſis ait, invidiam obſtare, ne invidus in Paradiſum intret: *fugiamus invidiam obicem pietatis, obſtaculum regni cæleſtis. Zeno ſerm. de livor.* Quod probe noverat Vates regius, dicens, quod invidi ſint a Deo deſtruendi, a cælo evellendi & eradicandi: o invide, inquit; *dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem ma-*

*magis quam loqui æquitatem. Dilexiſti omnia verba præcipitationis: lingua doloſa. Propterea Deus deſtruet te in finem; evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium. Pſalm.* 51. 5. O invide, alterius felicitati invidens, tanta tua eſt malitia, ut alterum felicem eſſe ægre patiaris, quare in tuæ malitiæ pœnam æterna te Deus beatitudine privabit: *ac etiam æternis te inferni ſuppliciis adjudicabit.*

Invidi in hoc mundo diriſſime cruciantur interius, dolores graviſſimos patiuntur: ſed cruciatus & dolores illi interni quos patiuntur, graviores inferni cruciatus prophetizant, ſuntque quaſi primitiæ & initia pœnarum perpetuarum, quas in inferno paſſuri ſunt. Ut enim ait Sanctus Zeno Veronenſis; invidia eſt *via gehennæ* & pœnæ quas in hoc mundo perferunt invidi, ſunt *pignus & primitiæ quadam pœnæ perpetuæ. Ibid.*

Invidiam enim inferno confert Sapiens: *dura*, inquit, *ſicut infernus æmulatio. Cant.* 8. 6. Invidia quidem inferno comparatur, quia invidi in hoc mundo, torquentur graviter, & quaſi præpropere patiuntur ſupplicia, quæ ſuſtinent in inferno reprobi. Sed invidia comparatur etiam inferno, quia refertur ad infernum, tamquam ad terminum ſuum, invidia enim eſt via ad infernum, & ut ait S. Baſilius, invidia eſt *punitionis arrhabo, via ad gehennam. S. Baſil. hom. de invid.*

Invidus in hoc mundo vivum in ſemetipſo portat infernum, & damnatorum quodammodo patitur tormenta; ſed ſi peccatorum non pœniteat, ab internis quæ hic ſuſtinet ſuppliciis, ad æterna migrabit, ac interni quos hic patitur dolores, non eum ab inferni doloribus liberabunt, ſed eum in infernum æternum cruciandum perducent: qui ut ait S. Auguſtinus: *dolores invidiæ mortem operantur, & ad infernum perducunt. S. Aug. in Pſalm.* 17.

O quam exitioſum ergo invidiæ vitium! o quot & quanta homini invido infert damna! quare invidiam deteſtari & ſumma ſollicitudine fugere quiſque debet. Sed proh dolor! invidiæ malum videtur irremedicabile, invidia enim eſt *vitium diabolicum, S. Aug. l. de Diſcip. Chriſti c.* 1. quia ſicut diabolus pertinaci voluntate ſuo adhæſit peccato, & fuit inexpiabiliter crimino ſus, ſic & hominis invidi cordi ita fortiter adhæret invidia, ut ab eo vix ſeparari queat: ita ab invidia impugnatur invidus, ut vix eam ſuperare poſſit: *invidia vitari fuga poteſt, non poteſt ſuperari conflictu. Chryſ. ſerm.* 48.

Hoc quidem propriis viribus non poteſt homo, ſed hoc poteſt cum Dei gratia, quæ numquam deeſt iis, qui eam humiliter a Deo poſtulant, hæc eſt ſpiritus bonus quem Deus petentibus libenter largitur: *pater veſter de cœli dabit ſpiritum bonum petentibus. Luc.* 11. 14. Quare Deum ſupplices rogate, ut ſpiritum ſuum bonum vobis impertiatur, ab eo humiliter petite ut det gratiam; qua invidiæ vitium e cordibus veſtris eradicare valeatis.

At cavete ne hanc in cordibus veſtris gratiam otioſam relinquatis, agite cum illa, & generoſe decertate, ut malignum & exitioſum invidiæ vitium expugnetis. Antequam corda veſtra invadat invidia, ſumma cura cavendum & providendum, ne a tam peſtifero malo capiantur. Sed ſi jam corda veſtra livor occupaverit, ſummo ſtudio vigilate, & laborate, ut tantum malum procul a vobis pellatis. Omnes homines ſicut voſmetipſos diligite, de aliorum felicitate gaudete, ut omnibus benefit, optate benefacite iis etiam qui oderunt vos, & ſic a vobis fugabitur invidiæ ſpiritus, ac Dei ſpiritu implebimini, qui vos perducat ad regna cælorum. *Amen.*

## FERIA III.

## POST DOMINICAM TERTIAM.

# DE CORRECTIONE FRATERNA.

*Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Matth. 18. 15.

TAnto Deus peccatum odio proſequitur ut adverſus illud nil non moliatur, omniaque ad ejus deſtructionem ſuſcipiat. Nonne Verbum æternum a cælo in terram deſcendit, humanam naturam aſſumpſit, cum hominibus diu converſatus eſt, dira paſſus & mortuus eſt, ut deſtrueret opera diaboli & peccato mortem inferret? nonne Apoſtolos ſuos in omnes terræ partes miſit, ut peccato bellum indicerent, illudque undequaque debellarent? Nonne innumeros in toto orbe Eccleſiaſtico concionatores & confeſſarios eſſe voluit, qui concionibus, monitis ſalutaribus, ſanctis exhortationibus, increpationibus multis, & omnibus modis poſſibilibus, peccata ex hominum cordibus ejicerent & fugarent?

Si ſupremus quidam Monarcha tanto in aliquem odio eſſet accenſus, ut omnes ſibi ſubjectos adverſus illum armaret: eum haud dubie omnium inimicorum ejus maximum quiſque cenſeret. Quantum ergo eſt Dei odium adverſus peccatum? Nonne credendum, quod hic ſit infenſiſſimus ejus hoſtis, cum illi bellum denuntiet, omneſque homines ad ejus ruinam & totalem deſtructionem aſſumat?

Peccatum quidem maxime odit Deus, tantumque ejus in illud eſt odium, ut non ſolum velit, quod illud in ſemetipſo quiſque per pœnitentiam deſtruat, verum & quod in aliis per fraternam correctionem illud deſtruere quiſque conetur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe illum.*

Peccatum ut infenſiſſimum Dei hoſtem aſpiciamus, illi bellum indicamus, in nobiſmetipſis per pœnitentiam illud deleamus: ſed & illud e proximi corde per fraternam correctionem ejiciamus, & procul pellamus. De hac correctione iſta erit concio, &c. *Ave.*

COrrectio fraterna eſt admonitio fratris de emendatione peccatorum; ex caritate fraterna procedens. Vel, eſt admonitio, qua quis proximum conatur revocare a peccato, per fratrem enim qui corripi debet, intelligitur proximus, ſeu, omnis homo, ſive æqualis, ſive minor, ſive major ille ſit, qui correctione dignus eſt, quia omnes homines fratres ſunt, cum ex uno patre Deo creati, ex uno Patre Adamo geniti, atque ex uno Patre Chriſto regenerati, & redempti ſunt. Certum eſt autem fra-

Digitized by Google

fraternam hanc correctionem præceptam eſſe, *tum* jure naturali; quo membra unius corporis ſe mutuo juvare tenentur; *tum* jure divino poſitivo, quod his verbis nobis enuntiatur. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum*; Sed poſito quod detur præceptum de correctione fraterna, tria de ea mihi occurrunt examinanda: 1. A quo facienda ſit: 2. Quando facienda ſit: 3. Quomodo facienda ſit.

## PRIMA PARS.

### *A quo facienda eſt fraterna correctio.*

FAlluntur, & graviter errant, qui de aliorum ſalute ſe nullo modo ſollicitos eſſe debere credunt. Hi dicere ſoliti ſunt, quiſque ſuo, non alterius bono invigilare tenetur, de ſua quiſque, non de alterius anima rationem eſt redditurus, non aliorum curam, ſed ſuam cuique Deus demandavit. Hi loquuntur ſicut Cain, dicentes, quod alios homines Deus illis cuſtodiendos non tradiderit. *Numquid cuſtos fratris mei ſum? Gen. 4.* Hi ſimiles etiam Phariſæi: ad quos cum veniſſet Judas, pœnitentia ductus, quod Chriſtum vendidiſſet, de illius ſalute nullo modo fuere ſolliciti, dicentes ei: *Quid ad nos? tu videris. Matth. 27.*

Sed qua ratione dicere poſſunt hujuſmodi homines, nullam iis de proximi ſalute curam incumbere? Nonne Deus *mandavit unicuique de proximo ſuo? Eccli. 12. 17.* Nonne præceptum de dilectione proximi dedit? quomodo autem diligitur proximus, ſi nulla de ejus ſalute cura habeatur? certe proximum non diligit qui de ejus ſalute nullo modo curat; quare cum omnes homines proximum diligere teneantur; omnes etiam homines ſuo modo aliorum ſalutem curare tenentur, non ſolum orando pro eis, verum & eos prudenter corripiendo, cum corripiendi ſunt. Non enim penſandum, præceptum de correctione fraterna ad ſolos Superiores reſpectu inferiorum ſpectare; eo ſiquidem ligantur omnes penitus homines, *tum* lege naturæ, *tum* lege divina.

Lex naturæ jubet, ut omni homini neceſſitatem corporalem patienti, quantum fas eſt, ſubveniamus. Sicut enim unius corporis membra ſibi mutuo ſubveniunt, ita & cum omnes homines, & præcipue Chriſtiani corpus myſticum componant, ſibi invicem ſubvenire tenentur in neceſſitatibus corporalibus, & a fortiori in ſpiritualibus. Si enim proximo ſubvenire teneamur, cum corporali, quanto magis cum ſpirituali infirmitate laborat? proximo quidem ſeu omni homini infirmo & peccatori quiſque ſubvenire tenetur, eumque juvare, ut a peccato reſurgat, ſaltem monendo & caritative eum corripiendo.

Sed ad hoc etiam quiſque tenetur jure divino poſitivo, omni enim homini dixit Chriſtus: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Non ſolum hoc dixit Chriſtus Prælatis, Principibus, Judicibus & patribus familias, reſpectu illorum, qui eis ſubſunt, ſed hoc dixit omnibus, voluitque, ut quiſque proximum peccantem in viam ſalutis corripiendo reducat. Quod ut non ſine gravi auctoritate dictum credatur, audiamus ſummum Pontificem Innocentium Tertium, præfata Chriſti verba explanantem, *Fratrem*, inquit, *in ſe peccantem, occulte corripere quiſque tenetur, juxta legem Evangelicam. Innoc. in injun. ext. de hæret.* Audiamus & alium ſummum Pontificem, Anacletum ſcilicet, dicentem: *tam Sacerdotes, quam reliqui fideles omnes ſummam curam habere debent de iis, qui pereunt: quatenus eorum redargutione corrigantur. Anacl. 24. qu. 3. can. cum Sacerdotes.*

Apoſtolos miſit Chriſtus, ut Evangelium ſuum omnibus hominibus prædicarent; eoſque ad illud prædicandum adſtrinxit ſub lethalis peccati, & damnationis æternæ pœna; & ideo D. Paulus ſe æterna maledictione dignum cenſebat, ſi Legi prædicandi Evangelium non obtemperaret, *Væ mihi ſi non evangelizavero. 1. Cor. 9.* Sicut autem Chriſtus Apoſtolos miſit, ut omnibus Gentibus ſuum Evangelium annuntiarent: ita & omnes homines miſit, ut peccantes corripiant. & correctione ſua homines peccatores ad meliorem vitæ frugem adducere conentur. Sicut Apoſtolis Chriſtus dixit: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ; Marc. 16. 15.* ita & cuivis homini dixit; *ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Sicut Apoſtolos miſit, ut omnes homines ad viam ſalutis reducerent per prædicationem Evangelii; ita & quemlibet hominem mittit, ut alios ad viam ſalutis reducere conetur per fraternam correctionem: Sicut tandem Apoſtoli Evangelium prædicare ex præcepto tenebantur: ita & quilibet ad correctionem faciendam ex præcepto obligatur: *vade, & corripe eum.*

Sed licet omnes homines ad correctionem faciendam ex hoc præcepto non tenerentur; ad eam tamen faciendam omnes moveri deberent: 1. Chriſti exemplo, 2. Caritatis præcepto, 3. Gloria Dei.

1. Chriſtus, qui omnium virtutum exemplar extitit, præclara nobis correctionis fraternæ exempla præbuit; *tum*, cum pluries ſuperbos, & hypocritas Phariſæos corripuit; *tum* cum iniquos mercatores e templo ejecit; *tum* cum ipſos Apoſtolos de primatu diſputantes in ſpiritu lenitatis monuit. Sed & tota Chriſti vita fraternæ correctionis exemplum fuiſſe videtur: nec enim ob alium finem incarnatus eſt quam ut corruptiſſimum mundum corriperet; nil aliud ſuo adventu intendit, quam vitioſiſſimi mundi hujus correctionem: ad hunc ſcopum directæ fuere ejus prædicationes & miracula, præcepta & conſilia, verba & exempla; venit ut homines corriperet, & ſalubri correctione a peccatis mundaret; *ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret. 1. Joann. 3. 5.* Quare cum Chriſtus in hunc mundum venerit, ut ſalvum faceret quod perierat, & ut mundus ab iniquitatibus ſuis purgaretur, & corriperetur; ejus exemplo ad correctionem fratribus peccantibus faciendam omnes homines excitari debent. Sed ad hoc etiam excitari debent *caritatis præcepto*.

2. Præcepto divino proximum diligere quiſque tenetur: *diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Quomodo autem proximum diligit qui ei non præſto eſt in neceſſitatibus? Quomodo hic proximum diligere dici poteſt qui ei in neceſſitatibus ſpiritualibus auxiliares manus non præbet? quæ eſt illa proximi dilectio, quæ eum in peccato jacentem ſublevare non ſatagit? certe proximum non vere diligit, qui eum peccantem

& pec-

Digitized by Google

& peccatis adhærentem ex negligentia, complacentia, vel falſa amicitia monere & corripere renuit. Si etenim ex caritatis præcepto quiſque proximo in neceſſitatibus corporalibus ſubvenire tenetur, quanto magis in ſpiritualibus? ſi quiſque proximo gravem inopiam patienti, diro carceri mancipato, vel horrendo præcipitio expoſito, ex præcepto caritatis opem dare debet; quanto magis peccatori dæmonis ſervo, per peccatum mortuo, & formidando inferni præcipitio expoſito ſubvenire tenetur; ſaltem per fraternam monitionem & correctionem? ad hoc ſane quemque inducere debet præceptum de caritate proximi. Unde qui eum non corripit, contra caritatis præceptum peccat, & ſpiritualem mortem incurrit: *Quod ſi emendare negligis, cum videas emendandum, adverſus caritatem facis. Et tamen ut recte ait Joannes: qui non diligit, manet in morte. Aug. l. 2. de orig. anim. c. 3.* Ad corripiendum ergo proximum adduci debes caritatis præcepto *ac etiam gloria Dei.*

3. Nil tam gloriæ Dei oppoſitum, quam peccatum. Cæli, terra, & omnes creaturæ Deum glorificant, ejuſque gloriam proclamant: *Cæli enarrant gloriam Dei. Pſ. 118.* Ipſi dæmones ſuis vociferationibus, immo & ſerpentes, ac dracones ſuis ſibilationibus dant gloriam Deo: *Laudate eum dracones, & omnes abyſſi. Pſ. 148.* Omnes denique creaturas ad Deum laudandum invitat Propheta, cum quælibet ſuo modo laudat: ſolum autem peccatum ad Deum laudandum non invitatur, quia Dei gloriæ totaliter eſt oppoſitum. Ut enim ait S. Ambroſius, peccatum eſt *nihilum rebelle & armatum contra Deum.* Et ut ait D. Bernardus, peccator vellet Deum deſtruere ſi poſſet, quia vellet, Deum eſſe ignarum, injuſtum aut impotentem: velle autem Deum talem eſſe, eſt velle Deum non eſſe: *vellet peccator Deum non eſſe, aut nolle, aut non poſſe crimina vindicare. Velle Deum, aut inſcientem, aut injuſtum, aut impotentem eſſe, eſt velle Deum non eſſe.* Quare cum peccatum directe Dei gloriæ adverſetur, quiſque in peccatores inſurgere debet, eoſque in ſpiritu lenitatis & caritatis corripere, cum per peccata ſua injuriam Deo irrogant. Inſurgere quiſque debet in terrenæ cujuſque majeſtatis reos: *in reos majeſtatis omnis homo miles: Tertull. c. 2. Apol.* quanto magis in peccatores, divinæ majeſtatis reos? adverſus illos quidem quiſque armari, & inſurgere debet, non ut illos interficiat, ſed ut eos per ſalutarem correctionem a peccatis revocet, & ad Deum laudandum inducat. Peccantes ergo fratres corripite, ut Chriſtum imitemini, ut Legi obtemperetis, ut Deum glorificetis.

His motivis concitatus D. Petrus, Ananiam & Saphiram duriſſime increpavit, eo quod fraudaverint de pretio agri quem vendiderant: increpavit, & Simonem magum, pecuniam pro dono Dei offerentem. *Act. 5.* His motivis ſucceſſus ſanctus Stephanus generoſe arguit Judæos eo quod Spiritui ſancto reſiſterent. *Act. 7.* His motivis accenſus D. Paulus, *nunc* corripuit Elimam magum, eo quod niteretur avertere Proconſulem a fide: *Act. 13. nunc* Galatas, eo quod poſt acceptam veritatem Evangelii, ad circumciſionem, & obſervantias legales reverti vellent; *nunc* Corinthios, eo quod in iis dividi videretur Chriſtus, dicente uno: *ego ſum Pauli, Gal. 13.* dicente alio: *ego ſum Apollo*; & alio: *Ego ſum Cephæ.*

Eodem ſane zelo concitari debent omnes fideles, quia nullus eſt, qui fratrem ſuum peccantem corripere non teneatur; nullus eſt, ad quem non dirigantur hæc Chriſti Salvatoris verba: *ſi peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum:* fraternam ergo correctionem facere tenentur omnes. *Quo autem tempore facienda ſit, jam docebimus.*

## SECUNDA PARS.

*Quando facienda eſt fraterna correptio.*

CUm præceptum de correptione fraterna ſit affirmativum, non obligat ſemper & pro ſemper; non enim ad correptionem quolibet momento facien-dam quiſque tenetur; ſed certo ſolum tempore, & in aliquibus caſibus. Quando autem ſub præcepto facienda, & non facienda ſit, varie ab auctoribus explicatur.

Cum Divo Bernardino dicunt multi, quod ut quis ex præcepto ad alium corripiendum adſtringatur, requiritur, ut culpa illius ſit mortalis, quia correptio ſit ad lucrandum fratrem amiſſum per peccatum, ut patet ex his Chriſti Salvatoris verbis; *Si autem te audierit, lucratus es fratrem tuum*; non autem amittitur anima fratris, niſi per mortalem culpam. Quare licet venialiter peccantes corripere aliquando ſub mortali teneantur Superiores, non tamen alii, qui tunc ſolum ſub mortali tenentur peccantes corripere, cum peccata illorum ſunt mortalia. immo, inquit D. Bernardinus, ut ad illos de mortalibus corripiendos quis teneatur; debet eſſe ſaltem moraliter certus, quod mortalia perpetraverint: non enim tenetur quis ad corripiendum alium de peccato, de quo non eſt certus, quod illud commiſerit. *S. Bernardin. tom. 2. ſerm. 18.* Non etiam tenetur quis ad alium corripiendum de peccato, a quo ſe emendavit; correptio enim datur in ordine ad emendationem: quare cum quis a peccato, in quod inciderat, ſe emendavit, nullus ad eum corripiendum tenetur.

Ut clarius expedeat D. Bernardinus, quando quis ad alios corripiendos teneatur, vel non teneatur, dicit, quod licet quis certo ſciat alium graviter peccaſſe, & gravi cuidam peccato addictum eſſe; non tamen ad eum corripiendum ex præcepto tenetur, cum peccatum illius ab aliis ſcitur, qui aptiores ſunt ad illum corripiendum; ſi enim, inquit, ipſum peccantem videant alii æque boni ſicut tu, vel forte meliores, & illi forte magis familiares, aut Prælatus ſuus, probabiliter ſupponere potes, quod aliquis iſtorum, in quibus eſt debitum & aptitudo corrigendi illum, corripiet eum.

Addit tandem ſanctus Bernardinus quod non teneatur quis ad corripiendum peccatorem, cum non eſt ſpes veriſimilis, & probabilis de futura ejus emendatione. Quia cum correptio inſtituta ſit, propter emendationem fratris, clarum eſt quod fieri non debeat, cum nulla eſt emendationis ſpes.

Quæ jam ex S. Bernardino attulimus, immo & alia multa congerunt varii auctores, ut explicent, quando ſit, & non ſit facienda fraterna correctio; ſed unica regula totam hanc materiam elucidat



Digitized by Google

Doctor Seraphicus, dicens quod correctio proximi ſit omnibus in præcepto, non tamen ſemper; ſed *cum ſcitur vel creditur, quod correctio peccatum impediet quod alias fieret. D. Bonav. in ſpeculo animæ, cap. 3.* Et ideo cum certo ſcis, aliquem gravi cuidam peccato addictum eſſe; ſi prævideas, te correptione tua impediturum, ne hic in peccatum, cui addictus eſt, iterum cadat, tunc ad illum corripiendum teneris; ſi autem prævideas, quod correptio tua non illum ſit impeditura, ne in peccatum, cui addictus eſt, iterum cadat, tunc ad illum corripiendum non teneris.

Eandem regulam ſub aliis verbis tradit Doctor Angelicus, dicens, quod *fraterna correptio tunc eſt in præcepto, quando evidens eſt ejus ex correptione fructus. D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2.* Cum enim correptio fraterna ad fratris emendationem ordinetur, non ſemper cadit ſub præcepto, nec ſemper facienda eſt; ſed tunc ſolum cum neceſſaria eſt ad finem præcepti obtinendum: quare dum prævidens correptionem tuam delinquenti neceſſariam, vel profuturam, tunc eum corripere teneris: cum autem judicas correptionem delinquenti non profuturam, aut plus mali, quam boni, allaturam, tunc ad eum corripiendum non teneris: immo tunc laudabilius eſt a correptione abſtinere, quam fratrem peccantem corripere.

Quod ut clarius pateat, advertendum cum D. Thom. duplicem eſſe correptionem. *Prima*, eſt actus juſtitiæ, per quam intenditur bonum commune; quod non ſolum procuratur per emendationem fratris, ſed etiam interdum per punitionem ejus; qua ſit, ut alii a peccato timentes deſiſtant: Et talis correptio pertinet ad ſolos Prælatos, qui non ſolum tenentur admonere, ſed etiam corripere puniendo. Iſta autem correptio non eſt omittenda, licet prævideatur, delinquentem, nullum ex ea fructum eliciturum; quia non ordinatur primario ad emendationem delinquentis, ſed ad bonum commune. *Secunda* eſt actus caritatis, quæ ſpecialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis, per ſimplicem admonitionem. Et iſta eſt proprie correptio, quam fraternam dicimus; quæ cum ordinetur tantum ad emendationem delinquentis, tunc ſolum ex præcepto adhibenda eſt, cum prævidetur, finem hujus præcepti, ſeu fratris emendationem ex ea ſecuturam. Cum ergo prævidet quis ex tali correptione, delinquentem, nullum fructum percepturum, vel ad pejora lapſurum, ab ea abſtinere debet, quia ea quæ data ſunt ad aliquem finem, debent regulari, ſecundum quod exigit ratio hujus finis. Et ideo ſemper attendendum, quid hoc præcepto intendat Deus; ſemper perpendendum, quis ſit finis a Deo intentus, cum præceptum de correptione fraterna inſtituit. Nec adhibenda eſt correptio, cum talis finis obtineri non poteſt, ſeu cum prævidetur, delinquentem ex correptione non meliorem, ſed pejorem evaſurum. Hæc doctrina ſumitur ex D. Auguſtino, dicente: *Si ſcirem, quod non tibi prodeſſem, non te admonerem, neque turbarem.* Sumitur etiam ex ſacra Scriptura, quæ deriſores, qui ex correptione fructum non ſunt percepturi, corripere vetat: Sapientes vero, qui ex ea fructum ſunt elicituri, corripere præcipit: *Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Argue ſapientem, & diliget te. Prov. 9. 8.* Corripe ergo fratrem, alicui peccato addictum, cum judicabis, correptione tua eum meliorem evaſurum; non autem cum eaillum ad pejora declinaturum prævidebis. Tunc enim eſt omittenda correptio, & laudabilis eſt illa omiſſio: *correptio fraterna ubi probabiliter æſtimatur, quod peccator, admonitione contempta, in pejora ſit lapſurus, laudabiliter omittitur. D. Thom. Ib. art. 2.*

Fatentur omnes, fraternam correptionem magna cum prudentia eſſe faciendam. Hæc autem prudentia in hoc conſiſtit; 1. quod quis non corripiat alium, eum certo non ſibi conſtat eum peccaſſe: imprudens enim eſt qui proximum corripit de peccato, quod forte nunquam perpetravit: 2. in hoc, quod quis proximum non corripiat de peccato, cum probabile eſt, eum jam eſſe emendatum, vel non relapſurum; quia correctio fraterna datur ſolum in ordine ad emendationem, & ideo fruſtra corriperetur, qui jam emendatus eſt: 3. in hoc, quod quis alium non corripiat, cum eum ab alio magis idoneo corripiendum ſperat; fruſtranea enim eſſet talis correctio, ſi ab alio efficacius & utilius eſſet facienda; præcepta autem Dei non dantur ad inutilia & fruſtranea. Sed prudentia corripientis in hoc potiſſimum conſiſtit, quod tunc corripiat, cum correptionem ſuam profuturam videt; non autem cum nulla eſt ſpes fructus; deſperato enim fine, fruſtra adhibentur media ad finem; & ille maxime imprudens eſt, qui judicans, ſe non obtenturum delinquentis emendationem, quæ eſt finis correptionis fraternæ, aſſumit tamen media ad hunc finem, & corripit eum, quem correptione non meliorem, ſed forte pejorem evaſurum judicat.

Videte, quomodo ſe habuerit Nathan, cum Davidem corripuit; ſciebat Nathan, eum graviter peccaſſe; non tamen mox ut ad eum ingreſſus eſt, perpetrata crimina illi objecit, non ſtatim illi dixit: tu flagitioſus es, tu profanus es, tu adulter, & homicida es; non protinus illi dixit, eum peſſime feciſſe: quia prævidebat, quod ſi tunc ſubito illum corriperet, forte ad iracundiam & ad pejora declinaret. 2. Reg. 12. Quare expectavit; aſſumpta ſimilitudine congrua illaqueavit eum verbis oris ſui, ſub fictæ narrationis involucro: cor ejus ad recipiendam correptionem diſpoſuit; cumque judicavit, eum benigne accepturum correptionem, & fructum ex ea percepturum, tunc eum corripuit: & David peccatum ſuum confeſſus eſt, ac ad Deum totaliter eſt converſus. Sic ſimiliter fratrem peccantem corripe; tunc eum corripe, quando judicabis, eum ex tua correptione fructum percepturum. Ecce quando facienda ſit fraterna correctio: videamus nunc, *quomodo ſit facienda.*

## TERTIA PARS.

*Quomodo facienda ſit fraterna correctio.*

CUm fraternæ correctionis finis ſit hominis delinquentis emendatio; facienda eſt correctio iis modis, qui ad hunc finem perducere valeant. Aptiores autem modi ad hunc finem obtinendum ſunt, quod correctio fiat *in ſpiritu caritatis, in ſpiritu lenitatis, & in ſpiritu Chriſti.*

1. De-

Digitized by Google

1. Debet fieri correctio fraterna *in ſpiritu caritatis*; ut ſcilicet fratrem tuum a viis perditionis avertas, ut eum a damnationis periculo eripias, ut illum ad recte vivendum inducas: *debemus corripere, non nocendi aviditate, ſed ſtudio corrigendi. S. Aug. ſerm. 16. de ver. Dom.*

Cum peccavit frater, ad eum quiſque ire tenetur, non in ſpiritu iræ & vindictæ, non in ſpiritu odii & invidiæ; ſed in ſpiritu caritatis & amoris, ut ſcilicet eum corripiat, & emendet, *ſi peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum*. Ad eum quiſque ire debet, inquit S. Bernardinus, in ſpiritu caritatis, inſtar boni Paſtoris, qui vadit quærere perditam ovem, ut eam ad Chriſti ovile reducat; vel inſtar medici ſpiritualis, qui infirmum peccatorem ſanare ſatagit; vel etiam inſtar Patris, qui filium arguit, & corripit ex affectu amoris, ut ſcilicet eum ad meliorem vitæ frugem adducat.

Attendite, quomodo Corinthios corripuerit D. Paulus. Anne in ſpiritu vanitatis & ſuperbiæ, ut iis ſe meliorem eſſe manifeſtaret? Anne in ſpiritu iræ & furoris, ut illos exaſperaret? anne in ſpiritu vindictæ, ut illos confunderet? nequaquam; ſed in ſpiritu caritatis, ut illos paterno affectu moneret, & ad perfectionis ſtudium accenderet: *non ut confundam vos hæc ſcribo*, inquit, *ſed ut filios meos cariſſimos moneo. 1. Cor. 4. 14.* Eodem ſpiritu fratres delinquentes corripite; nec unquam correptionis fraternæ negotium ſuſcipiatis, quin prius facto diligenti conſcientiæ veſtræ examine, certi ſitis, quod in ſpiritu dilectionis & caritatis, tali negotio vacetis: *numquam alieni peccati objurgandi ſuſcipiendum eſt negotium, niſi cum internis interrogationibus examinantes noſtram conſcientiam, liquido nobis coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere. S. Auguſt. in cap. 2. epiſt. ad Galat.* Corripite ergo etiam *in ſpiritu lenitatis*;

2. *Fratres*, inquit D. Paulus, *ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis. ad Gal. 6. 1.* Non in ſpiritu ſeveritatis & indignationis: ſed *in ſpiritu lenitatis* & manſuetudinis: ita ut verba & geſtus veſtri internam quandam lenitatem & ſuavitatem ſpirent; qua qui corripitur, ad benigne recipiendam correctionem inducatur.

Vult D. Auguſtinus, quod antequam aliquis peccantem corripiat, ſerio ſuam ſcrutetur conſcientiam, ut viſa ſua fragilitate ad correctionem in ſpiritu lenitatis & miſericordiæ faciendam alliciatur, cum aliquem reprehendere, vel objurgare neceſſitas nos coegerit, cogitemus, utrum tale ſit vitium, quod numquam habuimus, vel quod aliquando habuimus: ſi numquam habuimus, cogitemus & nos homines eſſe & habere potuiſſe; ſi vero habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, ut illam reprehenſionem aut objurgationem non odium ſed miſericordia præcedat. *S. Aug. lib. 2. de ſerm. Domin. in monte, c. 20.*

Hæc ſane lenitas & miſericordia ſemper præcedere debet: & licet aliquando ſuperiores, qui ſubditos corripiunt, ſeveritate uti cogantur, ut eorum proterviam vincant, *miſcenda eſt lenitas cum ſeveritate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum. D. Greg. lib. 20. Moral. cap. 8.* Sicut enim in arca teſtamenti erant ſimul virga, & manna, ita & in correctione; cum adhibetur virga juſtitiæ ſeveritatis, adhiberi etiam debet manna dulcedinis & lenitatis: *Si eris virga diſcretionis, ſis etiam manna dulcedinis.*

Hæc lenitas & manſuetudo in alienis vitiis corripiendis ita neceſſaria eſt, ut licet hominem graviſſimis quibuſque criminibus obnoxium, immo & jam ad inferni ſupplicia damnatum corripere vellemus, hoc faciendum eſſet in ſpiritu lenitatis. Quod patet ipſius Dei exemplo, qui divitem avarum inferni ſuppliciis jam adjudicatum, tanta cum lenitate reprehendit, ut illum filium vocet, dicens: *fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua. Luc. 16.* Non vocat eum avarum, ſuperbum, immiſericordem, & in pauperes crudelem; non ei dixit, inhumane, crudelis, ſcelera iſtinc: ſed: *fili*. O magnam Dei in divitem epulonem clementiam! o mirabilem ejus in corripiendo hoc damnato lenitatem, *o ſingularis bonitas; adhuc filium vocat quem videt inferni pœnarum ſodalem, & extremum mancipium gehennæ! Chryſol. hom. 2. de Lazaro.* Divino hoc exemplo diſcite manſuetudinem; diſcite correctionem faciendam in ſpiritu lenitatis. Non quidem laudandi peccatores; non iis adulandum; non diſſimulanda, vel pallianda eorum crimina; non iis dicendum, hoc bonum eſſe, quod malum eſt; non excuſandi, cum inexcuſabiles ſunt, ſed corripiendi in ſpiritu caritatis & lenitatis; *ac etiam in ſpiritu Chriſti, ſeu, modo quo Chriſtus correctionem faciendam eſſe docuit.*

3. Chriſtus, qui dedit correctionis præceptum, dedit & correctionis modum: Si in te, inquit, peccaverit frater tuus, vade, & corripe eum *inter te & ipſum ſolum*. Et hic eſt modus rectiſſimus corrigendi fratrem: ipſa enim caritas poſtulat, ut ſecreto corrigantur peccata, quæ clam perpetrantur, & quæ pluribus non ſunt nota: caritas vult, ut per ſecretam correctionem famæ proximi conſulatur, quantum ſalvo bono communi, & anima proximi fieri poteſt: *ipſa caritas poſtulat, ut ſecreto corrigantur, quæ peccantur ſecretius; nam ſi ſolus noſti, & vis coram omnibus arguere, non es correptor, ſed proditor. S. Aug. hom. 17. in c. 18. Matth.*

Si autem correctus ſecretam monitionem reſpuit, nec ex ea melior fiat, jubet Chriſtus, ut corripiatur coram uno, vel duobus teſtibus: *ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos*. Hoc autem ita fieri vult Salvator, inquit Chryſoſtomus, ut qui coram uno non erubuit, erubeſcat coram pluribus: utque plures teſtes eum de peccato facilius convincant; & eum efficacius ad emendationem alliciant.

Quod ſi correptus eos non audierit, tertium gradum in ordine correctionis ſervandum præſcribit Chriſtus: nempe, quod qui monitorem, nec teſtes audire vult, deferatur ad Eccleſiam: *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Matth. 18.* Præcipit autem Chriſtus quod tunc dicatur Eccleſiæ, id eſt prælato, ſeu paſtori & ſuperiori ejus; ut ille tamquam Pater ſpiritualis, æque ac judex, paterne, ſed majori auctoritate & pondere peccantem corripiens, eum efficacius ad emendationem adducat.

Ecce ſpiritum Chriſti, ecce ordinem, & modum a Chriſto præſcriptum: qui neceſſario & ex præcepto in

Digitized by Google

in correctione fraterna eſt ſervandus, ita quod ſemper delinquens ſecreto corripiatur, antequam adhibeantur teſtes, & antequam ad ſuperiorem deferatur; exceptis tamen quibuſdam caſibus. Quorum *Primus* eſt, cum peccatum eſt publicum; cum enim tunc peccator diffamatus ſit, non eſt conſulendum famæ ejus per ſecretam admonitionem: nec neceſſarium eſt, ut ſecreto moneatur, antequam ſuperiori crimen ejus ignoranti deferatur. *Secundus*, cum peccatum eſt noxium; quod licet occultum ſit, poteſt tamen multis inferre grave nocumentum, uti eſt hæreſis, quæ ut cancer ſerpit, idoque ſtatim ſumma vi per paſtorem, & ſuperiorem eſt inhibenda & recidenda; niſi quis ſciret, & firmiter æſtimaret, quod per ſecretam admonitionem poſſet eum, qui in hæreſim lapſus eſt, emendare, & malis, quæ ex hæreſi occulta venire poſſent, occurrere. *Tertius*, ſi conſtet, monitionem ſecretam, vel coram teſtibus non profuturam, nam, ut ait Adrianus; *fruſtra niti, & nihil aliud laborando, quam odium quærere, extremæ dementiæ eſt*. Quare tunc, prætermiſſa monitione, & vocatione teſtium, dici debet Eccleſiæ, & ſuperiori.

Ecce modum quo facienda eſt fraterna correctio; hunc tenete, hunc ſervate. Sed & hortor illos qui corripiuntur, ut benigne, & æquo animo correptionem ſibi factam recipiant, & inſpiciant corripientem, veluti hominem a Deo miſſum, cujus monita ſi contemnant, ditiſſime punientur: *viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus*. *Proverb.* 29. 1.

Non iraſcitur quis in ſpeculum, a quo ipſi manifeſtantur maculæ vultus ſui; ſed agnitis his maculis, eas abſtergit & lavat: non iraſcendum in corripientes, qui ſunt quaſi ſpecula quæ animarum noſtrarum maculas nobis manifeſtant: ſed agnitis peccatorum noſtrorum maculis, cito abſtergendæ ſunt, & amandi, colendive illi, a quibus nobis patefactæ ſunt hæ maculæ.

Cum Divus Auguſtinus Alipium corripuit, eo quod ludis Circenſibus frequentius adeſſet; non in Auguſtinum, ſed in ſemetipſum exarſit Alipius; & eum a quo correptus eſt, ardentius amavit. *quod alius accepiſſet ad ſuccendendum mihi*, inquit Auguſtinus, *accepit honeſtus adoleſcens ad ſuccendendum ſibi, & ad me ardentius diligendum*. *Aug. 6. Conf.* 7. Imitamini bene moratum hunc adoleſcentem: cum quis vos corripit, ne in corripientem iraſcamini; ſed potius adverſum vos, qui rei eſtis; & amate eum, a quo correpti eſtis: eum ut benefactorem diligite: ejus monitis obtemperate, ac vitam veſtram in melius mutate, ut tandem aliquando vitam æternam aſſequi valeatis. *Amen.*

## F E R I A IV.

### POST DOMINICAM TERTIAM.

# DE PECCATO VENIALI.

*Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum?* Matth. 15.

CОrruptiſſimum licet ſit præſens ſæculum; multos tamen reperire eſt, qui graviſſima quæque pœnarum genera pati, ac mori mallent, quam gravi quodam ſcelere fœdari. Sed, o quam pauci, peccatis venialibus ſe inquinare timent! Nulla jam eſt Thereſia, quæ ad nullum veniale deliberate perpetrandum, voto ſe adſtringat; nulla nunc Catharina Senenſis, quæ mori potius optet, quam vel leviſſimo veniali, animæ ſuæ ſponſum offendere; nulla Paula Romana, quæ ita minimam noxam venialem expiet, *ut illam graviſſimorum criminum crederes ream*: *S. Hieron. Ep. ad Euſt. Theod. cap.* 4. nullus Euſebius, qui unam mentis evagationem quadraginta annis lugeat. Aliquos hujuſmodi jam invenire eſſet difficillimum; plerique enim venialia ſicut aquam bibunt: ea quaſi nihilum reputant multi; immo magna complacentia plurimi ea perpetrant, ac de iis nonnumquam gloriantur.

*Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, *Cant.* 2. 15. hæ vulpeculæ, quæ Chriſti vineam, ſeu animas noſtras maculant & vaſtant, ſunt peccata venialia; & ideo a nobis abigenda, ac procul pellenda. Ad hanc materiam ventilandam movent me Scribæ & Phariſæi: qui licet Dei præcepta violarent, & mortalia multa perpetrarent, ægre tamen ferebant, & exprobrabant Chriſti Diſcipulis, quod leviter contra ſeniorum traditionem peccarent; *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum?* &c. *Ave.*

NON ſemel gravi cum ſtupore demiratus ſum, quam vana & erronea ſint plurium hominum judicia, circa malitiam, pœnam, & remedia peccati venialis. Malitia, inquiunt, peccati venialis, magna eſſe non poteſt; quid enim aliud eſt veniale peccatum, quam levis quædam offenſa Dei? quid mendacium jocoſum? quid officioſum? quid verbum otioſum? quid nugæ, recreationis gratia prolatæ? quid mali, alicui majori perſonæ aliquantulum adulari? quid, in cibo, vel potu, aliquid magis accipere, quam neceſſitas poſtulet? quid tandem omnia peccata venialia, quam leviſſima, & minutiſſima quædam delicta, ſine quibus humana conditio eſſe nequit? Errant ſane, qui peccati venialis malitiam, tam levem cenſent, & proclamant. Sed errant etiam qui pœnam qua punitur, leviſſimam eſſe dicunt.

Deum, ajunt, qui benignus, & miſericors eſt; minuta peccata gravi pœna punire quis credat? adulteria, ſacrilegia, homicidia exquiſitis quidem ſuppliciis plectit: ſed ad venialia nec reſpicere dignatur; ſepties, inquiunt, in die cadit juſtus; ſed licet millies venialiter peccaret, totque venialia committeret, quot in cælo ſtellæ, quotque arenæ ſunt in littore maris; propterea gravibus eum Deus tormentis non addiceret. Falleris tu, qui talia cogitas: falleris, qui tam imprudenter loqueris; peccatum enim veniale graviſſimis a Deo pœnis punitur. Sed tandem errant, & falluntur qui peccatum veniale quam facillime dimitti docent.

Minuta hæc peccata, inquiunt, unica aquæ benedictæ gutta lavat, levis tunſio pectoris delet, quævis ab Epiſcopo data benedictio fugat; nilque facilius, quam peccata hæc e corde tollere. O quales errores falluntur; non ſolum qui peccati venialis malitiam parvam, & pœnam levem dicunt, ſed etiam qui remedia ejus facilia eſſe arbitrantur; nam peccati venialis: 1. malitia eſt magna: 2. pœna eſt gravis; 3. remedia ſunt difficilia.



Digitized by Google

## PRIMA PARS.

*Peccati venialis malitia magna eſt.*

QUamvis peccatum veniale ex ſe leve eſſet, ab omnibus tamen ſumma cura, & ſollicitudine vitari deberet, quia ut ait Sanctus Eucherius, longe turpius eſt, a debili, & infirmo, quam a forti, & generoſo hoſte vinci; *in minimis deformius vincitur*. Sed abſit, ut quis cenſeat, veniale peccatum quid leve, & parvi momenti eſſe; eſt enim grande malum, ejuſque malitia tanta, ut aſſerat Divus Bernardus, eos in Spiritum Sanctum blaſphemare; qui hæc peccata levia eſſe dixerint: *Nemo dicat in corde ſuo, levia ſunt iſta, non curo corrigere: non eſt magnum ſi in his maneam venialibus, minimiſque peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum, blaſphemia irremiſſibilis. Sanctus Bernardus ſerm. 1. in converſ. Sancti Pauli.*

Hanc blaſphemiam non proferunt Doctores Theologi, qui licet peccatum veniale, reſpectu mortalis, leve cenſeant: illud tamen grave vocant reſpectu Dei, qui offenditur. Peccatum enim veniale, non cujuſdam ſolum hominis, vel Angeli; ſed ipſiuſmet Dei eſt offenſa, & ideo non leve, ſed grave dicendum: *Non eſt id leve reputandum, per quod offenditur Deus. S. Hieron. epiſt. ad Cteſiphont.* Quod & ipſa ratio humana ſuadet: cum enim injuria creſcat ex dignitate perſonæ offenſæ, eoque ſit gravior, quo perſona quæ offenditur, major eſt, & nobilior, quis credat levem eſſe injuriam, quæ per veniale peccatum fit Deo Optimo Maximo; cujus comparatione, omnes mundi Magnates, ſunt tamquam pulvis, & cinis? certe *non eſt id leve reputandum, per quod offenditur Deus.*

Id leve non reputabat Sanctus Bernardinus, qui minutiſſima quævis peccata venialia quæ perpetrabat, veluti convicia in Deum commiſſa expiabat: *ſinguli illiciti motus cordis mei ſunt quædam in te Deus meus convicia. Sanctus Bernardinus epiſt. 42. ad Henric. Archiep. Senon.* Plerique exiguum temporis diſpendium, riſum leviorem, verbum aliquantulum acerbius, mendacium officioſum, cœnulam tantiſper copioſiorem, cogitationem minus ferventer expugnatam, & alia hujuſmodi, veluti non peccata, & quaſi quædam ex ſe indifferentia inſpiciunt; ſed tantam in his malitiam adnotat Sanctus Bernardus, ut hæc quaſi piacula, & gravia in Deum convicia nuncupet: *ſunt quædam in te Deus meus convicia.*

In veniali peccato malitiam non parvam concipit ipſe Deus, cum eo ſe vulnerari dicat: *vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa; vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Cant. 4. 6.* Conqueritur Deus, quod animæ juſtæ cor ejus vulnerent, non gladio, non ſagitta; ſed unico ictu oculi, & unico crine colli, id eſt, peccatis venialibus, quæ tanta facilitate committuntur, quanta datur ictus oculi, & quæ veluti crines multiplicantur. Peccatorum mortalium hæc eſt malitia, quod, ut ait Divus Paulus, Chriſtum occidant, & iterum crucifigant: *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei*: At venialia Chriſto mortem non inferunt; ſed tanta eſt eorum malitia ut eum aliquando in corde vulnerent; *vulneraſti cor meum.* Quare, ut ait præfatus Hieronymus, cum peccatum veniale ſit offenſa Dei, illud leve dici non poteſt: *an poſſumus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum committitur? S. Hieron. epiſt. 4. ad Celant.*

Docent omnes Theologi, minimum malum culpæ, majus malum eſſe, quam omnia mala pœnæ: *minimum malum culpæ, toto ordine ſuperat omne malum pœnæ.* Et ratio eſt, quia minimum malum culpæ eſt offenſa Dei, & maximum quodque pœnæ malum, non eſt offenſa Dei, ſed eſt malum creaturæ: ac proinde minimum malum culpæ, ſeu minima culpa venialis, eſt majus malum, quam maximum; immo, quam omnia pœnæ mala ſimul ſumpta. Sic ratiocinantur Theologi, & ex hoc principio infert Cancellarius Pariſienſis, quod ſi omnes podagræ, calculi omnes, ac omnes penitus morbi a mundi principio uſque nunc ab ægris tolerati, in unum conſlentur, nondum tantum malum erunt, quantum minimum veniale peccatum, quodque *potius toleranda eſſent omnia mera pœnalia, & annihilatio, quam committenda eſſet quantumlibet parva offenſa in Deum. Joan. Gerſon. de vita ſelit. lect. 1.* Ex eodem principio infert Sanctus Anſelmus, quod ſi mille a Deo creati eſſent mundi, illo, qui nunc eſt, majores, & pulcriores; dareturque caſus, in quo hi omnes mundi deſtruendi eſſent, ſi quis homo veniale aliquod peccatum non committeret; potius eligenda eſſet jactura, & annihilatio tot mundorum, quam unico veniali Deum offendere. Ex hoc tandem principio inferunt alii, quod ſi Sanctis qui in cælo ſunt, proponeretur, aut veniale committere, aut cæleſti beatitudine in æternum privari, præeligerent a cælo expelli, quam in veniale cadere. Ratio quam jam adduximus, clariſſima eſt: nempe, quod veniale peccatum eſt malum Dei, ſeu quo offenditur Deus; morbi vero omnes, deſtructio totius mundi, privatio beatitudinis, & omnia mala pœnæ, ſunt ſolummodo mala creaturæ; ſeu quæ creaturam lædunt; quare cum minimum malum quo offenditur Deus, ſit majus quam omnia mala, quibus læditur creatura, evidens eſt, quod leviſſimum quodque veniale, ſit majus malum, quam omnia mala pœnæ: fatendum ergo minimum quodque veniale eſſe grave malum, ejuſque malitiam eſſe magnam, cum non creaturæ, ſed Dei ſit offenſa: *Tu ne leve dixeris, in quo offenditur Chriſtus. S. Hieron.*

Maximam jam noſti peccati venialis malitiam, quæ ſumitur ex ſuprema Dei offenſi majeſtate; ſed forte non diſplicebit, ſi malitiam ejus etiam aſpicemur ex damnis ſpiritualibus, quæ animabus noſtris infert. Aliqua hujuſmodi damna recenſet Divus Auguſtinus, dicens; *Venialia noſtrum decus exterminant, & animam inquinant: eamque velut quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentia deformem faciunt, ut eam ad complexus illius ſponſi cæleſtis, aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant. S. Auguſt. lib. 50. homil. 50. cap. 2.*

Hæc, quæ animabus noſtris damna infert veniale peccatum, Viris ſpiritualibus, & contemplativis, qui experiuntur, examinanda relinquo. Duo alia ſolummodo attingam, quæ peccati venialis malitiam parum manifeſtant: nempe quod auxiliis ſpiritualibus animas noſtras privet, quodque eas ad mortalia trahat.

Ve-

Digitized by Google

Verum eſt peccatum veniale non eſſe contrarium gratiæ ſanctificanti, nec eam in animabus noſtris deſtruere; ſed verum etiam eſt peccata venialia ſæpe Deum movere ad ſubtrahenda animabus noſtris auxilia ſpiritualia. Qui enim negligenter Deo ſervit, nec (quantum per humanam fragilitatem licet) ſollicitus eſt, ut minimas ejus offenſiunculas, ac quævis venialia vitet: meretur, ut Deus viciſſim tantam ejus curam non gerat, tantiſque eum beneficiis non afficiat. *Leſſius de perfect. div. lib. 13. c. 15.* Sicut inter homines parvæ plures offenſiunculæ amici in Regem, animum Regis tandem aliquomodo exaſperant, faciuntque ut minora beneficia, & rarius amico conferat: ita & peccatorum venialium tanta eſt malitia, ut Deum erga peccantem, minus beneficum reddant, illumque ad auxilia ſpiritualia ei ſubtrahenda ſæpe moveant.

O magnam peccati venialis malitiam! quam aliunde etiam auſpicor: nempe ex hoc, quod ad mortalia trahat. Licet enim omnia venialia, quæ unquam perpetrata ſunt, ſimul ſumpta, unum mortale non efficiant, nec uno mortali æquipolleant: venialia tamen, & ea præcipue quæ emendare negligimus, ad mortale perpetrandum maxime diſponunt: *Si parva curare negligimus*, inquit S. Gregorius, *inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus. S. Greg. lib. 10. Moral. 14.* Et ut ait S. Auguſtinus, *qui ad vitandum peccata venialia non extat ſollicitus, nequaquam diu eſſe ſine peccatis mortalibus poteſt. Aug. epiſt. 10 . ad Seleuciam.*

Verum quidem, quod venialia actum mortaliter peccaminoſum effective non cauſent; ſed ad peccatum mortale diſpoſitive perducunt, ſuntque occaſio illud committendi, & præcipue cum in ſeipſo emendare quis negligit. Nam ut dicit Auguſtinus: *Nullum peccatum eſt adeo parvum, quod non creſcat neglectum. S. Aug. lib. de vera & falſa pæn.* Et, ut docet Spiritus Sanctus: qui *ſpernit modica, paulatim decidet. Eccli. 19. 1.* Pro nihilo habes mendacia jocoſa, & officioſa, quæ crebro profers, tandem aliquando damnoſa, & pernicioſa proferes. Cum inter amicos verſaris, ſolitus es in parvis, proximi famam lædere: ſi te emendare negligas, brevi ad calumnias, & detractiones declinabis. Proximum crebro fraudas, jam uno obulo, & jam uno aſſe; ſed ſi a minimis his fraudibus non abſtineas, paulatim in magnis eum fraudabis, qui que parvus es latro, magnus latro efficieris: infallibile enim eſt hoc Spiritus Sancti oraculum: *qui ſpernit modica, paulatim decidet.*

Scitis, qui Judæ acciderit. Ingratus hic Apoſtolus horrendo ſacrilegio Magiſtrum & Dominum ſuum prodidit, & vendidit: ſi autem ſancto credamus Chryſoſtomo, hoc non primum fuit Judæ peccatum; ſed hic apoſtata a minimis inceperat, quæ tandem eum ad tam immane ſcelus traxerunt: *a parvis principiis ortum eſt ingens Judæ ſcelus. Chryſoſt. hom. 87. in Matth.* Idem dicendum de omnibus aliis famoſis peccatoribus: vides hunc qui quotidie ſe vino ingurgitat; iſtum, qui horrendas blaſphemias paſſim profert; illum qui fœdis libidinibus corpus, & animam inquinat: dic & certus ſis, quod hi a magnis criminibus non inceperint: ſed primo levia perpetraverint, quæ cum emendare non curarint, in gravia tandem lapſi ſunt, quod & de omnibus peccatoribus dicendum eſt; ut enim ait S. Bernardus, *a minimis incipiunt, qui in magna prorunnt. Bern. Tit. de ord. vit.*

Nec dicas, parva ſemper eſſe parva, quia hæc peccata quæ parva dicimus, numquam parva, ſed ſemper magna, & gravia ſunt, cum ad magna pertrahant: *parva enim, parva non ſunt, ex quibus magna proveniunt, S. Damaſc. apud Nyſſ. Dom. 5. poſt Pent. diſc. 4.* Cavete ergo, o parentes, ne filii veſtri a minimis incipiant: cavete & vos: caveant, & omnes homines ne venialibus aſſueſcant: cum eorum malitia magna ſit reſpectu Dei, qui ab iis offenditur: reſpectu animæ, quæ ab iis læditur, & reſpectu peccati mortalis, in quod facile incurrit. Sed ſi peccati venialis malitia ſit magna; *ejus etiam pœna gravis eſt.*

## SECUNDA PARS.

*Peccati venialis pœna gravis eſt.*

Miramur, & nonnumquam crudelitatis arguimus multos, eo quod ob levia aliqua delicta in reos ſeveriſſime animadverterint. Nonne indignaris quandoque in Manlium Torquatum, qui proprium filium de hoſtibus victorem, ſecuri percuti imperavit, quod contra edictum ſuum decertaſſet? nonne crudelem judicas Venceslaum Regem, qui coquum ſuum veru affixum, ad ignem torreri juſſit, eo quod caput minus bene aſſum menſæ appoſuiſſet? Nonne ſævitiæ accuſas Bajazethem, Turcarum Imperatorem, qui trium Ephœborum ventres aperiri juſſit, exploraturus, quis eorum unum decerpſiſſet, & manducaſſet pomum, quod exiguum arbuſculam a manu ejus plantatum, produxerat?

Aliquid quidem, & multum crudelitatis in his, & ſimilibus apparet ſuppliciis. Deus tamen, qui æquiſſimus juxta ac clementiſſimus eſt, quique punire ſolet circa condignum, peccata venialia, quæ leviſſima dicimus, gravioribus aliquando etiam in hoc mundo pœnis plectit. Nonne S. Hieronymus diriſſime ab Angelo flagellis exceptus eſt, eo quod Ciceronis opera ſtudioſe nimis pervolutarit? nonne, ut refert Caſſianus, incomparabilis vir Abbas Moyſes, ob unum ſermonem, quem contra Abbatem Macharium diſputans, paulo durius protulerat, diriſſimo confeſtim traditus eſt dæmoni? nonne populi Judaici Duces Moyſes, & Aaron, ob levem inobedientiæ culpam, terra promiſſionis, lacte & melle manante, excluſi ſunt? Ozam ſcimus ſubita morte mulctatum, quod fœderis Arcam, jam labentem, minus reverenter tetigiſſet. Propheta ad Jeroboam miſſus, a Leone occiſus eſt, quod tantillum panis contra Dei inhibitionem manducaſſet. *Num. 20.* Uxor Lot in ſtatuam ſalis converſa eſt, quod muliebri curioſitate verſus Sodomam ſemel caput obvertiſſet. *Lib. 3. Reg. 23.* Ananias & Saphira ad pedes Principis Apoſtolorum mortui corruerunt, in pœnam mendacii, quod veniale ſolummodo fuiſſe cenſent varii auctores.

Alia hujuſmodi multa exempla adducere non eſſet difficile, quibus clariſſime conſtaret, Deum graviſſimis pœnis minutiſſima venialia, etiam in hoc mundo, nonnumquam punire. Sed longe graviora ſunt ſupplicia, quæ ob leviſſimas quaſvis culpas, in purgatorio infligit. Ibi ſe Deus multo ſeveriorem exhibet:

ibi nec minimæ culpæ indulget; ibi nec leviſſimum quodvis peccatum impunitum ſinit; ibi ob verbum otioſum, ob levem inobedientiam filii in parentes, ob parvam incuriam, propter oblivionem leviter culpabilem; propter leve murmur in ſuperiores, aliamve minimam venialem noxam, juſtos & amicos ſuos graviſſimis ſuppliciis adjudicat. Si enim ut ait D. Auguſtinus, in hoc mundo venialia per pœnitentiam non deleverimus vel bonis operibus non redimerimus, *ipſi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu ſupradicta minuta peccata conſumantur. S. Aug. ſerm. 4. de Sanct.*

Omnium pœnarum graviſſima eſt ignis; equulei, gladii, ungulæ, & alia quævis ſupplicia, quæ a Tyrannis ad torquendos Martyres fuere adinventa, ignis pœnam non æquant, & ideo hanc pœnam, *ſummam* vocat Tertullianus; *ſummam ignium pœnam* quod potiſſimum dici debet de igne purgatorii, qui ejuſdem naturæ eſt cum tartareo, & cujus comparatione, ignis noſter ſublunaris, eſt quaſi ignis pictus. In Purgatorio autem hoc igne cruciabuntur qui in ſtatu peccati venialis ab hoc mundo exceſſerint; *per fluvium igneum, & vada ferventibus globis horrenda tranſibunt. S. Aug. hom. 16. ex 50.* Hoc igne tranſierunt nonnulli viri ſanctiſſimi; hoc igne tranſeunt omnes juſti, qui in ſtatu venialis peccati ab hoc mundo migrant, & non ſolum hoc igne tranſeunt, verum & in illo morantur, quantum exegerit culpa, & *quamdiu ſupradicta minuta peccata conſumantur.* Aliqui in eo cruciantur per unius horæ, alii per unius diei, vel etiam per unius menſis ſpatium. Immo, ſi Sancto Vincentio credamus, fuit nonnullus ad Purgatorii ignem damnatus uno anno integro ob unicam venialem noxam. O qualem pœnam! o quam horrendum ſupplicium, quo Deus venialia in purgatorio punit! o quam ſtolidi, & bardi, qui hunc ignem non timent, & qui ut eum vitent, totis niſibus non contendunt!

Timeo, ac totus contremiſco, cum in mentem venit, quod ob leves jocos, ob curioſum ſtudium, ob evagationes mentis in oratione, & ob minimum quodque veniale, cujus veniam in hoc mundo non obtinuero, diram purgatorii ignis pœnam ad tempus ſim paſſurus. Sed eſt quod magis timeant omnes, quia peccata venialia, non ſolum ad tempus in purgatorio, verum & quandoque, ut ſentiunt Doctores Seraphicus, & Angelicus, pœna perpetua in inferno puniuntur.

Verum ſane, quod nullus umquam ob ſola venialia ad infernum ſit damnandus, quia venialia per ſe non ſunt digna pœna æterna. Sed quia plerumque accidit, eos qui ad perpetuas inferni pœnas propter mortalia damnantur, eſſe etiam venialium peccatorum reos, propter illa venialia, quorum veniam non obtinuerunt in hoc mundo; per accidens, ſeu quia juncta ſunt cum mortalibus, æterna ſupplicia patientur, *ſi culpa peccati venialis non fuerit dimiſſa ante mortem*, inquit D. Bonaventura, *ejus pœna perpetua erit. D. Bonav. in 2. d. 42. art. 2.* Idem ſentit, eodemque modo loquitur D. Thomas; utriuſque Doctoris ratio fundatur in eo, quod in *inferno nulla ſit redemptio.* Ex quo inferunt, quod cum peccati venialis culpa numquam remittatur, ac proinde æterna ſit in inferno; ejus etiam pœna in inferno æterna eſſe debet. Non quod tanta ſit venialis peccati malitia, ut per ſe mereatur pœnam æternam, ſed ideo punitur pœna æterna, quia non poteſt remitti in inferno quoad culpam; *æternitas pœnæ non reſpondet quantitati culpæ; ſed irremiſſibilitati. D. Thom. 1. 2. quæſt. 87. art. 5. ad 3.*

Damnati in inferno non conteruntur de venialibus, nullum etiam charitatis actum eliciunt, quo ea delere poſſint, pro iis & Deo ſatisfacere nequeunt, quia Deus pœnas eorum in ea ſatisfactione non acceptat; Chriſtus etiam iis ſua non applicat merita, nec aliquam eis gratiam diſpertit, quia, ut ait S. Bernardus, *non deſcendit ad inferos ſanguis Chriſti.* Quare cum damnati, nec conteri, nec actum charitatis elicere, nec Deo ſatisfacere, nec ob eo aliquam gratiam impetrare poſſint, in æternum irremiſſibilia eorum erunt peccata, quoad culpam, ac proinde pœna eorum erit æterna, quia tamdiu remanet pœna, quamdiu remanet culpa: *Si culpa peccati venialis non fuerit dimiſſa ante mortem, ejus pœna perpetua erit.*

O formidandam venialis peccati pœnam! quis non timeat, vel in minimo, Deum offendere? quis non vereatur in venialia cadere, cum Deus ea gravibus in hoc mundo, gravioribus in purgatorio, & graviſſimis in inferno ſuppliciis puniat? *puſilla fugiamus mala*, inquit S. Chryſoſtomus, *nam mala magna ab iis naſcuntur. Chryſoſt. hom. 12. ad Roman.* Peccata venialia dicuntur mala puſilla, hæc puſilla mala fugienda ſunt, quia magna mala pœnas parturiunt, ſi ea non fugiamus, & delere non ſatagamus.

Sanctiſſimus Job omnia opera ſua ſcrutabatur, diſcutiebat, & verebatur, timens ne in his aliquid eſſet peccaminoſum, quia ſciebat, Deum minimos defectus qui in operibus noſtris inveniuntur, ſevere punire: *verebar omnia opera mea ſciens, quia non parceres delinquenti. Job 9. 28.* Diſcutiamus ſimiliter omnia opera noſtra, inſcrutemur anne aliquid peccaminoſum lateat; ſi in his aliquod veniale apprehendamus, illud ſedulo delere & e cordibus noſtris tollere conemur, quia ſi in morte inveniamur venialium rei, non parcet Deus, ſed ea ſevere puniet, *iniquitas hominis parva, magnaque ſit, puniatur neceſſe eſt aut ab ipſo pœnitente, aut a Deo vindicante: S. Aug. in Pſ. 50.* puniantur ergo ab homine pœnitente peccata quævis leviſſima, ne puniantur a Deo vindicante, quia ea graviſſimis pœnis punit. *Nullum bonum apud Deum eſt irremuneratum, nec aliquod malum impunitum. D. Bern. in decl.* Quare bonis operibus continue incumbamus ut a Deo remuneremur, & minima quævis peccata vitare conemur, ut non incurramus in pœnas graviſſimas, quibus Deus ea plectit. At ſi peccati venialis pœna eſt gravis: *ejus etiam remedia ſunt difficilia.*

## TERTIA PARS.

*Peccati venialis remedia ſunt difficilia.*

NOn ſolum multis rationibus conſtat, peccati venialis malitiam & pœnam eſſe graves, ſed etiam pluſquam certiſſimum eſt, quod quamdiu quis peccato quodam veniali eſt inquinatus, in cæleſtem Jeruſalem intrare nequit: *non intrabit in eam aliquid*

*coin-*

*coinquinatum*. *Apoc.* 21. Quare quærenda & adhibenda ſunt remedia, vel media efficacia ad deſtruendum in nobis vel leviſſimum quodque peccatum. Multa quidem adhiberi ſolent, ſed omnia difficilia videntur. Quod ut quam verum ſit innoteſcat, ea in medium adducamus, & ſerio examinemus.

*Primum*, & efficacius remedium, quo ad deſtruenda venialia utimur, eſt confeſſio ſacramentalis. Verum eſt, illud non eſſe abſolute ad delenda neceſſarium; quia venialia non ſunt materia neceſſaria confeſſionis; nec ad ea confitenda neceſſario tenemur. Sed advertendum, difficillime in multis caſibus dignoſci, & dijudicari poſſe, quæ ſint venialia, & quæ ſint mortalia: ipſe D. Auguſtinus, licet ſubtiliſſimus, & perſpicaciſſimus, hoc indagare nequit: *ad eorum indaginem pervenire non potui*. *S. Aug. lib.* 21. *de Civ. c. ult.* Unde aſſerit, quod hæc ſcire & cognoſcere non hominis, ſed Dei ſit: *quæ ſunt autem levia, quæ gravia peccata, non humano, ſed divino penſanda ſunt judicio*. *Aug. in Enchir. c.* 78. Hoc etiam fatentur Theologi, qui difficillimum cenſent judicare *inter lepram & lepram*: inter lepram ſcilicet peccati venialis, & lepram peccati mortalis. Tot enim circumſtantiæ ſunt, quæ peccatum, ex natura ſua veniale, faciunt mortale, ut maxime periculoſum ſit, ne mortale ſit quod veniale ſolum eſſe cenſemus; quare ad hæc omnia incommoda vitanda remedium ſecurius & efficacius ad delenda venialia eſt, ea confiteri. Sed illud *remedium eſt difficile*.

Scio, non eſſe difficile ea Confeſſario declarare; poſito, quod a pœnitente cognoſcantur, at quis omnia & ſingula venialia in quæ incidit dignoſcere valet: *delicta quis intelligit?* hoc eſt difficile. Sed velim pœnitentem venialia omnia quæ commiſit clare cognoſcere; difficile eſt per confeſſionem veniam illorum obtinere; quia ut Confeſſio ſacramentalis ſit valida, & efficax, ſupponit in pœnitente dolorem ſupernaturalem peccatorum quæ confitetur, & propoſitum ea in poſterum non perpetrandi. Quæ ita neceſſaria ſunt, ut non deſint auctores, qui dicant, pœnitentem, qui ſola venialia confitetur, ſi hunc dolorem, & hoc propoſitum non habeat, antequam confeſſarius verba abſolutionis proferat, non ſolum non impetrare peccatorum veniam; ſed etiam ſacrilegium committere. Non autem facile eſt, hunc dolorem & hoc propoſitum habere: quia *majora peccata ut averſemur, ipſa per ſe efficiunt*; *Chryſoſtomus hom.* 12. *in epiſt. ad Roman.* ſed de minoribus non ita curamus, & quo minora ſint peccata, eo minus ad ea deteſtanda, & vitanda movemur. Quare dicendum, quod licet Confeſſio ſacramentalis ſit remedium ſecurius & efficacius ad delenda venialia; eſt tamen remedium difficile.

*Alterum remedium* ad delenda venialia, eſt dolor, qui, etiam extra ſacrum pœnitentiæ tribunal, ex ſe ipſo vim habet delendi venialia; modo tamen hic dolor ſit actus attritionis, vel actus contritionis. Si enim ad venialia in Sacramento pœnitentiæ delenda, requiratur talis aliquis dolor; *vel formalis*, quo homo de iis formaliter doleat; *vel virtualis*, qui includitur in actu perfecto amoris Dei; quo homo proteſtatur, ſe ita Deum amare, ut velit ei placere, etiam in minimis quibuſque actionibus; quanto magis requiritur talis dolor ad venialia, extra pœnitentiæ Sacramentum delenda? Certe hujuſmodi dolor extra Sacramentum abſolute requiritur.

Ecce ergo aliquid remedium: ecce, inquam, remedium, quod, quam ſit difficile, quiſque judicet; quis enim credat, dolorem ſive formalem, ſive virtualem; ſive ſit contritio, ſive attritio, facile elici? hoc non credet, qui advertet, hunc dolorem debere eſſe ſupernaturalem: hoc etiam non credet, qui ſciet, quod ad remiſſionem mortalis, ſufficit diſplicentia peccati, ut eſt gravis offenſa Dei; ad remiſſionem vero venialis requiritur dolor, & diſplicentia ejus, ut eſt levis offenſa Dei: difficilius autem eſt dolere de levi, quam de gravi offenſa Dei, quare hoc remedium difficile eſt.

*Aliud remedium* habemus ad delenda venialia: nempe ſacramentalia; quæ ſunt quaſi parva quædam Sacramenta, ab Eccleſia inſtituta, ut per eorum uſum peccatorum venialium obtineatur remiſſio. Hæc autem ſacramentalia iſto verſu exprimi ſolent.

*Orans, tinctus, edens, confeſſio, dans, benedicens*.

Per *orans*, intelligitur oratio Dominica, vel ea, quæ fit in Eccleſia conſecrata; vel etiam unſio pectoris. Per *tinctus*, indicatur aqua benedicta, ac etiam unctio cæremonialis in Regem. Per *edens*, deſignatur eſus, ſeu manducatio panis benedicti. Per *confeſſio*, ſignificatur confeſſio generalis, quæ publice fieri ſolet in Miſſæ principio. Per *dans*, denotatur eleemoſyna & quodcumque aliud opus miſericordiæ, ſive ſpiritualis, ſive temporalis. Per *benedicens*, intelligitur benedictio Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati.

Ecce remedium, quo nihil facilius prima fronte videtur. Et revera nihil facilius quam dicere orationem Dominicam, recitare confeſſionem generalem, benedictionem Epiſcopi & alia ſacramentalia recipere; ſed difficile eſt mediantibus illis remiſſionem venialium obtinere. Licet enim ſint inſtituta ab Eccleſia ad delendum quodcumque veniale: hic tamen eorum effectus non eſt infallibilis, non eſt enim fundatus in ſpeciali promiſſione Chriſti; ſed in impetratione Eccleſiæ, quæ ob ſui ſanctitatem meretur exaudiri a Deo, non autem ſemper exauditur; maxime cum pro aliis orat, quia ii pro quibus orat, ob defectum diſpoſitionis ſunt ſæpe in cauſa, cur non audiatur; quare venialia per ſacramentalia deleri, non eſt ita facile, ut multi cenſent.

Quod adhuc magis clucet, ex modo, quo ſacramentalia delent venialia; ut enim docent communiter Doctores, non ea delent *ex opere operato*: quia Eccleſia, a qua ſunt inſtituta ſacramentalia, inſtituere nequit ſigna ſenſibilia, quæ remittant peccata, vel gratiam conferant *ex opere operato*: delent ergo ea *ex opere operantis*: quatenus, ſi debite ſumantur, nata ſunt a Deo, mediantibus Eccleſiæ precibus, impetrare gratias actuales, quæ nos moveant ad eliciendum actum doloris, cujus virtute tollantur venialia. Sed quia hæc ſacramentalia ſæpe ſumuntur irreverenter, tales gratiæ non dantur, ſæpe rejiciuntur; & ſic per ſacramentalia raro remittuntur venialia; per hoc ergo, ſicut & per alia remedia non facile tolluntur venialia. Quare cum non ſolum peccati

venialis offenſa ſit magna, & pœna gravis, ſed ejus etiam remedia ſint difficilia, a venialibus quiſque, quantum poterit, cavere debet.

Non dicas; mihi ſatis eſt, vitare ebrietates, fornicationes, adulteria, & alia quævis peccata gravia; de minimis autem non curat prætor. Ne ſic loquaris; quia eſt quod timeas, ne poſtquam de gravibus triumphaveris, a minimis, quæ ſicut arena maris multiplicantur, penitus obruaris; *præcaviſti magna, jam non facis adulterium, non fornicaris, non furaris: projeciſti molem, vide, ne arena obruaris. Auguſt. in Pſ. 39.* Ea vitare & cavere debes, ſi Deum diligas, & timeas: *diligis Deum*, inquis, cave ergo a venialibus, quia qui aliquem perfecte diligit, non ſolum cavet, ne in magnis, ſed etiam ne in parvis, & minimis ei diſpliceat: *times Deum*; ais, cave ergo non ſolum a mortalibus, ſed etiam a venialibus, quia *qui timet Deum, nihil negligit. Eccleſ. 7. 19.* Cave ergo ne vel minimum mendacium proferas, ne otioſe tempus teras, ne proximi famam aliquantulum lædas, & ne quantum poteris, in venialia incidas. Si ſic Deum ames & timeas, ut a venialibus abſtineas, immediate poſt mortem dabit tibi coronam gloriæ. *Amen.*

F E R I A V.

## POST DOMINICAM TERTIAM.

# DE AVARITIA.

*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Luc. 4.

AVaritiæ vitium eſt ita inter homines commune, ut nullus fere inveniatur, qui avaritiæ non ſtudeat, & qui maligno execrandi hujus vitii ſpiritu non cicatur: *a minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent. Jerem. 6. 13.* Scimus beatos eſſe illos pauperes ſpiritu, qui terrena deſpiciunt, qui poſt aurum non abeunt, nec ſperant in pecunia & theſauris; ſed qui ſunt hi: *quis eſt hic & laudabimus eum? Eccl. 3. 8.* Hi certe rari ſunt. Quia omnes fere homines, ſi ex avaritiæ ſpiritu aliena non rapiant, ſua ſaltem ſtudioſe nimis inquirunt: *omnes quæ ſua ſunt quærunt. Philipp. 2. 21.* Unde præclare dixit D. Ambroſius, avaritiam febrem eſſe, qua omnes fere mortales laborant: *febris noſtra avaritia eſt.*

O malignam febrem! quæ omnium malorum & infirmitatum ſpiritualium radix & origo eſt; *radix omnium malorum eſt cupiditas. 1. Timoth. 6. 10.* O mortiferam febrem! quæ innumeris mortem, & damnationem æternam infert; o periculoſam febrem! quæ eſt etiam peſtis inſanabilis: *avaritia eſt peſtis inſanabilis, qua totus mundus exarſit: Zeno ſerm. 1. de avar.* Ut ſanaretur ſocrus ſimonis, quæ magnis tenebatur febribus, vocatus eſt Chriſtus ab Apoſtolis, qui rogaverunt illum pro ea: ejuſdem Chriſti auxilio egent febricitantes avari, ut ab avaritia ſua ſanentur, eodem & nos indigemus auxilio ut utiliter de avaritia diſſeramus, &c. *Ave.*

ORbis terrarum Domini eſſe videntur divites avari; omnia quæcumque volunt faciunt, rebusque cunctis affluunt. Unum tamen iis deeſſe adnotavit Moralis Philoſophus, hominem ſcilicet, qui verum dicat: *monſtrabo tibi quid omnibus poſſidentibus deſit; ſcilicet hominem qui verum dicat.* Domus illorum paraſitis circumfluunt, & adulatoribus qui injuſtitias, libidines, omniaque vitia illorum approbant, laudant, & veluti tot virtutes decantant, quare deeſt illis homo, qui non eis adduletur, qui injuſtitias, & omnia illorum vitia arguat: quique eos tales, quales ſunt ſincere delineet.

Hanc hodie provinciam libens ingrediar, hoc munus ex corde obibo, hoc avaris beneficium impendam, nec in publico hoc conventu deerit qui eis verum dicat. Eorum enim ingratitudinem, inhumanitatem, & crudelitatem propalabo: ac in tota hac concione probabo, quod homo avarus, ſit ingratus, inhumanus, & exitioſus: 1. *Ingratus* in Deum: 2. *Inhumanus* in proximum: 3. *Exitioſus in ſeipſum.*

## PRIMA PARS.

*Avarus, eſt ingratus in Deum.*

PRo avaris, ſicut & pro aliis creavit Deus cælum & terram, necnon cuncta quæ eorum ambitu continentur. Sed nec his, nec ullis aliis a Deo acceptis beneficiis deliniuntur, & ad debitas ei grates reddendas adducuntur homines avari; quorum ingratitudo in Deum maxima eſt: quia: 1. De eo non cogitant: 2. eum non amant: 3. eum non adorant.

1. Avarus erat Princeps ille publicanorum, Zachæus, qui aliena ex ſpiritu avaritiæ rapuerat: ſed, ut advertit ſacer textus, ita parvus erat, ut nec Chriſtum præ turba videre poſſet: *quærebat videre Jeſum quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Luc. 13. 6.* Ecce veram hominis avari ideam: Zachæus enim ſtatura puſillus erat, & omnes avari, puſilli, & parvi ſunt in omni genere virtutum. *Parvi* ſunt in fide, cum vix in Deum credant, *parvi* ſunt in ſpe, cum in divitiis quas poſſident ſolummodo confidant: *parvi* ſunt in charitate, cum viſcera eorum ſint, reſpectu pauperum, ferrea; puſilli tandem ſunt, ſicut Zachæus. Sed ſicut ille præ turba non poterat videre Jeſum; ita & avari, tanta cogitationum turba, tanta inanium deſideriorum multitudine, tantaque terrenorum ſollicitudine occupantur, ut vix Deum videant, & de Deo cogitent. Si ſanctiſſimo altaris Sacrificio quandoque adſint, mens eorum alibi eſt; ſi aliquando prædicationibus, & divinis officiis interſint, tunc non de Deo, ſed de divitiis, & de negotiis temporalibus cogitant. Cum tandem divitiis ſaturati, & impinguati ſunt, Dei totaliter obliviſcuntur; *adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt, & obliti ſunt mei. Oſee 13. 6.*

Ingenioſe adnotavit Seneca, quod aratores, qui juxta Nili littus habitant, in cælum oculos non ſublevent, ut pluvias poſtulent, quia arva eorum, fluvii illius inundationibus ſufficienter irrigantur, nec cæleſti rore egerent; *nemo aratorum reſpicit cælum.* Aratoribus illis ſimiles ſunt avari; qui cum in theſauris ſuis confidant, in cælum oculos, & mentem non extollunt, ut Deum benefactorem ſuum videant, utque de gratiis illis exhibendis cogitent. Mente & affectu toti ſunt negotiis temporalibus, ſeque totos adimplendis marſupiis, & facultatibus aggerendis dedunt, nec ſolum de

Deo,

Digitized by Google

Deo, a quo omnia habent, religioſe cogitant, *avarus non videt, quæ Divinitatis ſunt, ſed cogitat, quæ cupiditatis ſunt. D. Ambr.* Eos Deus ratione & mente præditos creavit, ut ad ejus conſiderationem penitus intenti eſſent, & ita ingrati ſunt, ut vix cogitent de Deo factore ſuo, a quo omnia habent. O magnam ingratitudinem! *Sed avari ſunt etiam ita ingrati in Deum, ut illum non ament.*

2. Terrena amant avari, & non cœleſtia, toto corde divitias diligunt, & non Deum, cor eorum non Deo adhæret, ſed in theſauro jacet. Ut enim ait Chriſtus, ubi eſt avari theſaurus, ibi eſt cor ejus; *ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Matthæi 6. 21.* In quæ verba S. Hieronymus, ait: *cor habet guloſus in ventre, laſcivus in lubricis, amator in libidine, avarus in pecunia.*

Narrat S. Proſper de avaro quodam divite, quod cum ei, fato functo, pectus aperuerint chirurgi, nullum in eo cor, nec cordis veſtigium inventum ſit. Attoniti fuere quotquot tanto ſpectaculo aderant, nec concipere valebant quomodo *hic* homo ſine corde vivere potuiſset, ſed tam inopinati eventus cauſam manifeſtavit Deus; cum enim hæredes arcam in qua defuncti theſaurus erat, aperuerunt, in eo invenerunt cor ejus, quod a dæmone, horrendi draconis figuram gerente detinebatur. *S. Proſper. lib. de don. tim.* Ecce quid amet avarus; ecce ubi eſt cor ejus: non in Deo, ſed in theſauro; *ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.*

Deus iniquos, & induratos alloquens avaros, ait: *audite me duro corde, qui longe eſtis a juſtitia: Iſaiæ 46. 12.* vel ut vertunt Septuaginta: *audite me, qui perdidiſtis cor.* Quare dicitur avaros *perdidiſſe cor*? quia cor ſuum, quod Deo dare, & conſecrare debebant, divitiis & temporalibus bonis dederunt: non enim Deum, ſed labiles, & mox perituras opes diligunt. Præcipit Deus, ut eum tota mente, toto corde, & totis viribus diligamus: avari vero non Deum, ſed divitias *tota mente* amant, cum omnis eorum ars, omniſque cogitatio iis acquirendis, & conſervandis incumbat. Hi non Deum, ſed divitias *toto corde* diligunt, cum omnes eorum affectus, omniaque ſtudia ad bona temporalia tendant. Hi tandem non Deum, ſed divitias *totis viribus* diligunt; cum omnes eorum conatus, omneſque labores in congregandis ſæculi bonis verſentur. O quam ingrati ergo in Deum avari! dedit eis Deus cor, ut ipſum ament, & tanta eorum eſt ingratitudo, ut non Deum, ſed temporalia bona diligant. Ingrati quidem ſunt avari, quia Deum non amant, ſed ingrati ſunt etiam, *quia eum non adorant.*

Avari ſunt idololatræ, quia non verum Deum, ſed aurum & argentum, ut idolum ſuum, venerantur, & adorant, hic eſt Deus eorum, cui ſoli adolent incenſa; *ut voracium Deus venter eſt, ita quoque cupidorum Deus pecunia dici poteſt. D. Hieron. in 5. ad Epheſ.*

Non eſt novum, quod avari *idololatræ* dicantur, eo enim nomine eos vocavit Doctor Gentium; *avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus. Coloſſ. 3. 5.* Et revera avari ſunt *idololatræ*, qui idem adorant, quod adorabant antiquitus Gentiles. Iſti enim adorabant aurum & argentum; *Simulacra gentium, argentum & aurum, Pſ. 134. 15.* & avari aurum & argentum adorant, *idolorum cultor*, inquit Cajetanus, *aurum & argentum colit, avarus quoque aurum & argentum colit.* Quod & confirmat Sanctus Chryſoſtomus, dicens, quod ſicut Gentilis aurum, & argentum tamquam Deos ſuos in templo adorat; ita & homo avarus aurum & argentum in arca, veluti in templo ſuo adorat; *ita aurum adorat ut ille idolum. Chryſoſt. homil. 64. in Joann.* Addit aureus ille Orator, avaros ipſis Gentilibus magis idololatras eſse quia Gentiles idolis ſuis bruta, vel terræ fructus in ſacrificium offerebant; avari vero animam ſuam auro, & argento ſacrificant, *Gentiles idolis quidem boves ſacrificant, avarus offert auro animam.*

Duplici modo committitur idololatria. *Uno*, quando cultus ſoli Deo debitus, tribuitur creaturæ; *altero*, quando creatura Creatori præponitur. Utroque autem modo, inquit S. Anſelmus, avarus eſt idololatra; & quia cultum ſoli Deo debitum, auro tribuit; & quia divitias Deo præponit.

Quid prodeſt, inquit S. Zeno Veronenſis, quod aurum & argentum execreris in idolis, quæ Gentiles venerantur, ſi aurum & argentum in arca tua adores? Nonne cum adoras aurum & argentum in arca, æque idololatra es, ac Gentiles, qui aurum & argentum in templis adorabant? idololatræ erant illi, & idololatra es tu: eadem illis & tibi ſunt idola; cum hac ſolummodo differentia, quod majora eſsent aurea & argentea illa idola, quæ illi in templis adorabant: *in domo tua minuta ſunt, in templis majora. Zeno ubi ſup.* Falleris, o avare, ut ſubdit Zeno, ſi te idololatriam, & pecuniam tuam idolum non eſse credas. Verum eſt, quod ſi pecuniam tuam debite expendas, tunc non eſt idolum, ſed pecunia: ſi autem eam nimia ſollicitudine cuſtodias, vel ſi ea ad lucra iniqua utaris; tunc eſt idolum: & tu idololatra es, qui eam adoras, *ſi erogaveris, pecunia eſt, ſi ſervaveris, ſimulacra.*

O quot in orbe idololatræ! tot quidem, quot avari. Sicut enim Judæi ex multis monilibus aureis fecerunt vitulum aureum conflatilem, quem ut idolum ſuum adoraverunt; ita avari, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, ex auro & argento ſibi idola faciunt; cui omnes cogitationes, omneſque affectus ſuos ſacrificant: *ut Iſraelitæ ex auro, quod ex Ægypto afferebant, idolum fabricarunt; ſic avari ex auro & argento, quod ſibi comparant, veluti idola faciunt. Exod. 32.* Avari, ſicut & alii, a Deo facti & redempti ſunt; ab eo eſse, & omnia habent, & tamen non Deum, ſed pecuniam ſuam agnoſcunt, amant, & adorant. O magnam ingratitudinem! ſed ſi ſint ingrati reſpectu Dei; *ſunt etiam ingrati ergà proximum.*

## SECUNDA PARS.

*Avarus eſt inhumanus in Proximum.*

Si *unus de fratribus tuis*, inquit Spiritus Sanctus, *ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi. Deut. 15. 7.* Hoc ſuadet Spiritus Sanctus, hoc præ-



Digitized by Google

cant concionatores, hoc dictat cujuſque conſcientia: ſed avari ſunt immiſericordes, obdurati, & inhumani reſpectu pauperum: quia 1. iis ſubvenire nolunt: 2. eos audire renuunt: 3. eos videre recuſant.

1. Viri juſti, non ſolum hominibus; ſed, ſi ita loqui fas ſit, ipſis brutis compatiuntur: avari vero, ita crudeles & inhumani ſunt, ut fratribus ſuis, quantumvis gravem neceſſitatem patientibus, ſubvenire nolint: *novit juſtus jumentorum ſuorum animas: viſcera impiorum crudelia. Prov.* 12. 10. Si cadunt urbis Xenodochia, de hoc non curant avari: ſi pauper aliquis frigore, vel fame pereat, hoc illos nullo modo tangit; ſi hic, vel ille infirmetur ad mortem, hac de re nil ſolliciti ſunt: ac tanta illorum inhumanitas, ut nullo modo iis ſubveniant: quia illorum viſcera crudelia ſunt: *viſcera impiorum crudelia.* Cum de exigendis uſuris agitur, nulli quantumvis pauperi, indulgent; cum debita ſibi ſolvi volunt, nihil debitoribus, quantumvis miſeris, gratificantur: quin contra eos ad multas impenſas faciendas inique cogunt: pro modica pecuniæ ſumma, quam mutuo dederunt, magnam ſibi ſolvi petunt: & pro magna hac ſumma, nunc pratum, nunc domum, ac denique omnia debitorum ſuorum bona auferunt. Ecce quod perfecte facere norunt avari, ſed pauperibus ſubvenire neſciunt: ita inhumani ſunt, ut illis, extremam licet neceſſitatem patientibus, ſuccurrere nolint; *viſcera eorum crudelia.*

Portentoſum hujus rei exemplum habemus in divite epulone; de quo ait Chryſologus, quod *ferrea viſcera crudelis animam nutriebant.* Avarus ille induebatur purpura & byſſo, epulabatur quotidie ſplendide, divitiiſque affluebat; Deus autem ut illum ad miſericordiam flecteret, objecit ei pauperem illum Lazarum, cui obviam eunt canes, ejuſque ulcera lingunt; ſed inhumanus hic avarus, ipſis brutis durior & crudelior, manum ſuam extendere noluit ad pauperem, nec ei quomodocumque ſubvenire. Non theſauros divitis, ſed micas ſolummodo e menſa cadentes petit Lazarus, nec illa obtinere poteſt. Ulcera exhibet pauper, ut avarum ad tantillam ſibi gratiam concedendam moveat, ſed fruſtra, quia vir in pauperes inhumanus erat, qui ſub byſſinis veſtibus *ferrea viſcera nutriebat.* Ecce quomodo ſe gerere ſoleat avarus, reſpectu pauperum: ad januam ejus clament & vociferentur, quantum voluerint; ſua exhibeant ulcera quantum placuerit; ſe ad extremam redactos eſſe neceſſitatem, & fame perire dicant: iis omnibus ad miſericordiam non flectitur avarus, quia ejus viſcera ferrea ſunt, *viſcera eorum crudelia.*

Credis, inquit Sanctus Baſilius, quod avarus miſerebitur pauperum? imaginaris, quod iis ſubveniet? eorumque miſerias ſublevare conabitur? falleris; avarus enim neſcit dandi artem, pauperibus nunquam dicit: hoc vel illud tibi do; non dicit huic viduæ: do tibi viginti nummos, quos a tot annis mihi debes, & quos ſolvere tibi eſt impoſſibile; non dicit huic pauperi extrema agenti: do tibi, quo carnes, & alia neceſſaria emas. Quid ergo pauperi dicit avarus; *unam tantum novit vocem: non habeo, non dabo.* Cum avaro ſuam pauper manifeſtat egeſtatem, ac ab eo ſibi ſubveniri petit; reſpondet ille: *non habeo.* Si urgeat pauper, ut illum ad aliquid ſibi dandum cogat, reſpondet: *non dabo:* ſi pauper ulcera exhibeat, quibus ſauciatur, ſi doloribus ſe diriſſime cruciari, & fame ſe perire dicat; his & aliis ſimilibus ad dandum non movetur avarus; & *unam tantum novit vocem: non habeo; non dabo. S. Baſil. hom. deſtr. horrea.* O magnam avari inhumanitatem! Sed ſi magna avari ſit inhumanitas, quia pauperibus ſubvenire non vult; major adhuc ejus eſt inhumanitas; *quia pauperes etiam audire renuit.*

2. Non placet avaro pauperum muſica: eos clamantes, & miſerias ſuas declarantes, ægre audit; ſurdus eſt ad clamorem miſerorum, qui ab eo aliquod ſubſidium poſtulant. Et ideo ſanctiſſimus Job ait, quod egeni, qui a divitibus ſibi ſubveniri petunt, ſurdos alloquuntur, & *amplexantur lapides, Job* 24. qui clamores eorum non audiunt.

Mirabiliter deſcribit ſanctiſſimus ille vir, quomodo divites avari in pauperes pupillos & viduas ſe gerere ſoleant. Greges pauperum, inquit, inique rapiunt, a pupillis vel unicum, viliſſimum jumentum, illudque ipſi maxime neceſſarium auferunt; a viduis macilentum bovem, vertendo agello neceſſarium, loco pignoris exigunt & abripiunt; agrum non ſuum demetunt & vineam ejus, quem vi oppreſſerunt, vindemiant; nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non eſt operimentum in frigore. Si autem hi miſeri ad divites illos accedant, ut de injuria ſibi illata conquerantur; vel, ut eos ad ſibi ſubveniendum alliciant, ſurdos alloquuntur, qui eorum verbis non attendunt; & qui, veluti duri lapides, nullis vocibus & clamoribus moventur: *amplexantur lapides.*

Nonnunquam Athenis viſus eſt Diogenes, civitatem totam perambulans; ac a lapideis ſtatuis, quas in vicis & compitis inveniebat, eleemoſynam humiliter poſtulans. Cumque nonnulli dixiſſent ei: cur lapides alloqueris, qui te non audiunt, nec audire poſſunt? reſpondit: ſolitus ſum eleemoſynam petere a lapidibus. Divites enim avari ſunt, ſunt quaſi lapideæ ſtatuæ; quæ oculos habent, & pauperum miſerias non vident; quæ aures habent, & pauperum clamores audire renuunt: *aures habent, & non audiunt.*

Et revera, dic diviti avaro: Domine, in tali domo eſt quidam pauper, qui fame perit: da aliquid, quo miſeriæ ejus occurras: *aures habet & non audit.* Dic ei: Domine, huic artifici aliquid debes; ſi eum ſolveres, non ſolum juſtitiæ, ſed etiam charitatis munus obires; quia magna nunc egeſtate gravatur: *aures habet, & non audit.* Dic ei: hujus hominis, qui olim famulus tuus diu fuit, mercedem a multis annis detines; ſolve ei quod debes, ut ſibi & familiæ ſuæ conſulat: *aures habet, & non audit.* Dic ei in Xenodochio graviſſima patiuntur pauperes: non enim ſtragula habent quibus tegantur, nec cibos quibus veſcantur: da eis, & dabitur tibi; hic eſt ſurdus auditor, *qui aures habet, & non audit.* O magnam avarorum in pauperes inhumanitatem! quæ tanta eſt, ut pauperes & pauperum neceſſitates audire renuant. Sed eſt etiam tanta, *ut pauperes, & pauperum neceſſitates videre, & ſcire recuſent.*

3. Bea-

3. Beati ſunt illi, qui ſollicite inquirunt pauperum neceſſitates, ut iis obvient: *beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Pſ. 40. 1.* Non ſolum ſuperficie tenus, & per tranſennam ſpectandi ſunt pauperes; ſed examinandum, quo egeant, & ut ait D. Auguſtinus, intra pauperes legendum, quo indigeant; ac beati ſunt illi, qui ſic in pauperum interioribus legunt, ut eis neceſſaria præbeant: *beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem:* id eſt, *qui intus legit*, ut explicat D. Auguſtinus. Avarus autem, non intus legit, nec ſerio examinat, quid pauperibus deſit, & quo egeant, ut illis ſuccurrat: quin immo nec oculos habere videtur, ut eorum miſerias intueatur.

Tempore publicæ famis per vicos & plateas vagari ſolent pauperes: tunc facies gerunt macilentas & nigras; tunc a nimia fame quam patiuntur, mortui potius videntur, quam vivi; nec tamen illos aſpicere dignantur avari: *denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Thren. 4. 8.* Verum eſt, quod velint nolint, aliquando pauperes intueantur avari; ſed oculo compaſſionis eos non vident; eos ita vident, ut non videant; vel eos vident ſicut dives epulo in inferno ſepultus, Lazarum vidit: *elevans oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in ſinu ejus. Luc. 16. 23.* Vident pauperes *a longe*, & quaſi rem quæ eos non tangit; non intra pauperes legunt, quod in hoc mundo Chriſti pauperis perſonam gerant; quodque ſint a Deo miſſi, ut divites ad miſericordiam moveant: non legunt, nec ſcire volunt, quod in die judicii æternis addicentur ſuppliciis, ſi in hoc mundo pauperum neceſſitatibus non occurrerint: vident tamen pauperes a longe, & quaſi rem ſibi indifferentem; nec ad illos accedunt, ut iis ſubveniant, & largas eleemoſynas erogent.

Vel dicamus, quod divites avari eodem modo pauperes videant, quo Romanæ urbis incendium aſpiciebat Nero. Dum enim crudelis hujus Imperatoris juſſu, urbs Roma arderet, & gravi vaſtaretur incendio, citharam pulſabat ille, Homeri cantabat carmina, & expreſſam incendii imaginem in Smaragdo aſpiciebat. Sic ſane pauperes intuetur avarus: cum enim exquiſitis dapibus eſt ſaturatus, vel dum ludit, aut alia aliqua oblectatione animum relaxat, obvios pauperes caſu quandoque intuetur; ſed non videt eos oculos commiſerationis, & ut eis ſubveniat: ita durus & inhumanus eſt, ut eorum miſeriis nunquam ad miſericordiam moveatur.

O quantam avarorum inhumanitatem! ſed ſciant, quod ſi in hoc mundo in pauperes inhumani ſint, in tremendi judicii die Deus non eorum miſerebitur. Tunc cuique avaro dicet Deus; vis ut tui miſerear? ſed tui non miſerebor, quia in pauperes non fuiſti miſericors: ut enim a me miſericordiam obtineres, oportebat prius te pauperum miſereri: *nonne oportuit & te miſereri conſervi tui? Matth. 18.* Velles tunc, o avare, erga pauperes fuiſſe miſericors: tunc optares iis ſubveniſſe; ſed fac nunc, quod tunc feciſſe velles; in pauperes te miſericordem exhibe; & in eos inhumanus eſſe deſine. *Sed avari ſunt etiam in ſe ipſos exitioſi & crudeles.*

## TERTIA PARS.

*Avarus, eſt in ſeipſum exitioſus:*

Animæ & ſalutis ſuæ curam ſummo affectu ſuſcipere quiſque debet: (non circa gloriam ſtudeamus, quæ extinguitur, non circa corpus, quod ſeneſcit, neque circa pulchritudinem, quæ marceſcit; non circa delicias, quæ defluunt; neque circa pecunias, quæ pereunt; ſed circa animam omnem curam impendamus.) Sapientes quidem, & felices, qui totis conatibus, animæ & ſalutis curæ invigilant: At ſtulti, infelices, & ſibimetipſis plurimum exitioſi ſunt avari; quia animas ſuas ſalvare non curant; ſed eas: 1. vendunt: 2. criminibus multis conquinant: 3. in infernum præcipitant.

1. Anima rationalis in ſe, & ſecundum ſuam naturam conſiderata, eſt quid toto mundo corporeo pretioſius; quia eſt ſubſtantia ſpiritualis. Sed ſi eadem anima ſpectetur ſimul cum pretio quo empta eſt, adhuc longe eſt pretioſior; quia ſanguis Chriſti, qui eſt pretium ejus, eſt infiniti valoris. Avarus autem ita ſibi ipſi eſt exitioſus, ut animam ſuam, quæ ſpiritualis, & Chriſti ſanguine empta eſt, deſpiciat, parvi pendat, & pro nihilo vendat. Ut enim ait Spiritus Sanctus; homine avaro, qui inordinato, & nimio affectu pecuniam amat, nihil eſt iniquius: *nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam. Eccl. 10. 10.* Cujus rei rationem ſubdit, dicens, quod avarus qui nimis amat pecuniam, *animam ſuam venalem habet*; id eſt, ad vendendum expoſitam, ut explicat Hugo Cardinalis. Sed quo pretio vendit hanc animam, quæ infiniti valoris eſt? *etiam pro obulo.* Eam vendit pro uno beneficio quod aſſequi ambit, pro una dignitate ad quam anhelat, pro uno prædio quod pauperi cuidam rapere intendit; pro uno nummo; *etiam pro obulo*, inquit præfatus Cardinalis. O quam cæcus, ſtultus, ſibique exitioſus eſt avarus, qui aurum & argentum, quæ nil ſunt, quam terræ excrementa, animæ ſuæ, quæ ſpiritualis, immortalis & pretioſo Chriſti ſanguine redempta eſt, injuſte præfert; quippe qui eam pro obulo vendit!

Blaſphemamus nonnunquam in perfidum Judam; execramus ejus malitiam, quæ tanta fuit, ut Deum, Paradiſum, & propriam animam pro paucis denariis vendiderit; ſed ut ait Doctor Seraphicus, (ſæpe pejor eſt avarus homo, quam ipſe Judas, qui vendidit Chriſtum triginta denariis, quia interdum avarus Chriſtum & animam pro uno denario vendidit.) O quam iniqui ſunt avari, qui animam pretioſo Chriſti Sanguine redemptam diabolo vendunt, quoties mortaliter peccant! O quam ſibimetipſis exitioſi ſunt avari, qui animam, quæ infiniti valoris eſt, pro modico pretio, & quaſi pro uno obulo, ac pro uno denario vendunt! Sed avari ſunt etiam in ſe ipſos exitioſi; *quia animam ſuam criminibus multis inquinant.*

2. Avaros, qui nimio affectu terrena congregant, maledictione ſua ferit Propheta, dicens; *væ ei qui multiplicat non ſua: uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum? Habac. 6.* Lutum aggregant avari, cum aurum & argentum inique congregant: quæ, ut ait Tertullianus, nil aliud ſunt quam lutum ſpe-

quia per ſolas naturæ vires & ſine divinæ gratiæ auxilio ſanari, a fœdis peccatorum ſordibus emundari, ab animæ morte reſurgere, ad Deum converti, & juſtificari non poſſumus: *Si quis dixerit hominem ſuis operibus, abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia, poſſe juſtificari coram Deo, anathema ſit. Trid. ſeſſ. 6. can. 1.*

Adduxit Dominus Ezechielem in campum oſſibus aridis plenum; præcepitque ei, ut oſſibus his prædicaret, & vaticinaretur. Obtemperavit Propheta: oſſibus prædicavit, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam: ſuper ea nervi & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper; ſed ſpiritum nondum habebant, nec revixerant: quare ad ea vivificanda, Ezechiel, jubente Deo, imperavit ventis, ut inſufflarent ſuper interfectos illos. Quo facto ingreſſus eſt in oſſa hæc ſpiritus vitæ: *ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt. Ezech. 37.* Cur voluit Deus, ut in oſſa hæc flarent venti? Reſpondet doctiſſimus Oleaſter, hoc voluiſſe Deum: quia *oſſa erant corrupta*. O N. cum in ſtatu lethalis peccati es, infirmaris, mortuus es, & in anima tua magna eſt corruptio: *Corruptæ ſunt cicatrices meæ, Pſ. 17. 6.* quare, ut ſaneris, ut ad Deum convertaris, & ut juſtificeris, neceſſe eſt, ut flent gratiæ divinæ venti: niſi enim per gratiam ſuam flet Spiritus Sanctus, converti & juſtificari nequibis, *Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia poſſe juſtificari coram Deo, anathema ſit*. Gratia ergo eſt neceſſaria peccatori, ut convertatur, & juſtificetur; *ſed eſt etiam neceſſaria homini juſto, ut in accepta juſtitia diu perſeveret.*

2. Sicut oculus corporis, licet perfectiſſime ſanus, non poteſt cernere, niſi candore lucis adjutus: ita nec homo, quamvis juſtificatus, recte vivere, & in accepta juſtitia diu perſeverare valet, ſine actualis gratiæ auxilio. Sic Divus Auguſtinus: *Auguſt. lib. de nat. & gr. c. 2.* cui accinit Doctor Angelicus, dicens, ( perſeverantia eſt continuatio quædam boni uſque ad finem vitæ, & ad talem perſeverantiam habendam homo in gratia habituali conſtitutus, non quidem indiget alia aliqua habituali gratia, ſed divino auxilio ipſum dirigente, & protegente contra tentationum impulſus. *S. Th. 1. 2. q. 109.* ) Quod & ab ipſo Concilio Tridentino expreſſe definitum eſt, his verbis: *Si quis dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe: vel cum eo non poſſe, anathema ſit. Trid. ſeſſ. 6. can. 22.*

Ad cuſtodiam domus ſuæ unicam ancillam adhibuerat Isboſeth filius Saul: quæ obdormivit, ingreſſique ſunt domum Isboſeth hoſtes ejus, qui eum dormientem in lecto invenerunt, *& percutientes interfecerunt eum. 2. Reg. 4. 7.* Ancilla domus noſtræ eſt voluntas; quæ licet ſit libera, eſt tamen pediſſequa gratiæ, cui debet ancillari. Si homo quamvis juſtus, unicam hanc ancillam cuſtodiæ animæ ſuæ præficiat, ab hoſtibus tartareis interficietur, & ad mortalia trahetur: quare vocanda domina; petenda a Deo gratia; rogandus Deus, ut per gratiam nos cuſtodiat; niſi enim nos cuſtodierit, in accepta juſtitia diu non perſeverabimus, ſed ab animæ noſtræ hoſtibus occidemur: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Pſ. 126. 1.*

Homo, quantumvis juſtus, ex ſua natura debilis eſt & infirmus: *Memento te quia caro ſumus, & homo facile labitur in peccatum. Auguſt.* Homo juſtus variis paſſionibus agitatur ſicut & alii; tentationibus etiam, gravibus ſæpe impetibus, ſicut alii; urgentibus peccandi occaſionibus eſt expoſitus ſicut & alii: quare actualis gratiæ eget auxilio, ut eo juvante, in mortale peccatum non cadat, & in juſtitia perſeveret: niſi enim a Dei gratia adjuvetur, in mortalia peccata, & in infernum facile cadet: *niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Pſ. 93. 17.*

Et revera viros juſtos & ſanctiſſimos nonnumquam videre eſt, qui firmiſſime ſtatuunt, ſe in accepta juſtitia perſeveraturos, quique cum Regio Vate dicunt: *non movebor in æternum: Pſ. 29. 7.* & tamen, flante tentationis vento, vel occurrente gravi quadam peccandi occaſione, infeliciter cadunt. Nonne cecidit Salomon, qui cum ſapientiſſimus eſſet, ſtultiſſimus hominum factus eſt? Nonne Tertullianus, qui de pœnitentia & de Chriſtiana Religione tot protulit oracula, in Montani hæreſim lapſus eſt? Nonne Origenes, qui ſcientiarum prodigium dicebatur, in ſpiritum erroris incidit? Nonne ad hæreticam pravitatem declinavit Ozius, qui adverſus tot hæreticos pro fide Catholica decertaverat? Ceciderunt hi? quia gratiæ ſibi oblatæ non ſunt cooperati; & caderent omnes, niſi a divina gratia adjuvarentur: quia homo, quantumvis juſtus ſine divinæ gratiæ auxilio, in ſtatu gratiæ ſanctificantis diu perſeverare non poteſt; *Si quis dixerit juſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei perſeverare poſſe, anathema ſit.* Sed ſi gratia actualis eſt neceſſaria homini juſto, ut perſeveret; *eſt etiam neceſſaria omnibus, ut ſalventur.*

3. Nullum opus æternæ gloriæ meritorium ſine actuali gratia facere poſſumus: *ſine me nihil poteſtis facere, Joann. 15.* inquit Chriſtus. Quam ejus ſententiam ſic ponderat D. Auguſtinus: ( non ait Chriſtus; ſine me facere quidem poteſtis quid, ſed facilius per me. Non ait; fructum veſtrum poteſtis ſine me quidem facere; ſed uberiorem per me. Non hoc dixit; legite quid dixerit: *ſine me nihil poteſtis facere. Auguſt. ſerm. 13. de ver. Apoſt. c. 2.* ) Non dixit Chriſtus, nos non poſſe facere magna, & ardua ſine illius gratia; ſed ait, nos nihil facere poſse, quia ſine ejus gratia nihil æternæ gloriæ meritorium facere poſsumus.

Præfatam hanc Chriſti propoſitionem: *ſine me nihil poteſtis facere*, ampliat Hugo Cardinalis, dicens; quod ſine Dei gratia nihil æternæ gloriæ meritorium cogitare, loqui, & operari poſſumus. Non quidem *cogitare*, inquit; ut enim loquitur D. Paulus; *non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. Cor. 3. 5.* Non etiam *loqui*: quia ut habetur Proverb. 16. *Domini eſt gubernare linguam*. Non tandem *operari*; quia apud Jeremiam dicitur: *Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus; nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Jerem. 10. 23.* Quare cum ſine Dei gratia nihil æternæ gloriæ meritorium cogitare, loqui & operari valeamus; fatendum, gratiam ad ſalutem, & ad æternam gloriam obtinendam, eſſe maxime neceſsariam.

Quod

Digitized by Google

Quod & docent Theologi, dicentes, quod debeat eſſe proportio inter media & finem: & ideo, cum finis hominis ſit æterna gloria, quæ eſt ordinis ſupernaturalis, opera, ut ſint media ad hunc finem obtinendum idonea, debent eſſe ordinis ſupernaturalis. Non autem ſunt ordinis ſupernaturalis, niſi eleventur per gratiam; quare gratia eſt neceſſaria hominibus, ut opera digna ſalutis faciant, & ut ſalventur. De quo nullum ſupereſſe videtur dubium: ſi enim gratia neceſſaria ſit peccatoribus ut juſtificentur, & juſtis ut perſeverent, neceſſaria etiam eſt omnibus ut ſalventur; quia nullus ſalvari poteſt, niſi juſtificetur, & in accepta juſtitia perſeveret.

Videte, quam neceſſaria ſit homini gratia; hoc videte, & coram Deo humiliamini. Humiliamini peccatores, humiliamini juſti, humiliamini omnes; quia ſine Dei gratia converti, in juſtitia perſeverare, & ſalvari non poteſtis.

Unuſquiſque inſpiciat ſemetipſum tamquam infirmum cubili decumbentem, languidum, & ita debilem, ut ſe movere, vel quidquam agere non poſſit ſine aliorum auxilio: infirmi enim ſumus omnes, ac in rebus ſalutis ita debiles, ut ad converſionem & ad ſalutem nil meritorium ſine gratiæ divinæ auxilio agere valeamus. Quare humiliemus nos, & Deum ſupplices rogemus, ut nobis largiri dignetur gratiarum ſuarum abundantiam: quarum auxilio perſeverare, & ſalvari poſſimus. Dicamus Deo cum Apoſtolis: *Domine, ſalva nos, perimus. Matth.* 8. Dicamus ei; Domine, da nobis gratiam tuam, quam ſi deneges, infallibiliter peribimus: da nobis gratiam, quæ nobis abſolute neceſſaria eſt, ut non peccemus, & ut ſalutem æternam conſequamur. Ecce gratiæ divinæ neceſſitatem, quæ maxima eſt: *videamus ejus operationes, quæ ſunt admirabiles.*

## SECUNDA PARS.

*Gratiæ divinæ operationes.*

SI quam mirabilis in ſeipſa ſit divina gratia, explicare, mei nunc eſſet muneris; dicere poſſem, eam eſſe Divinitatis radium, ac donum pretioſiſſimum, & ſupernaturale, deſcendens a Patre luminum, quo ditantur, & nobilitantur homines, quodque a Deo iis offertur ut pignus hæreditatis æternæ, & ut medium ad eam aſſequendam maxime neceſſarium. Sed jam gratiæ divinæ operationes ſolummodo inquiro; quas quidem eſſe mirabiles fatebitur quicumque adverterit, quod gratia ſuadeat, alliciat, & trahat. Gratia; 1. *Suadet*; ſic tamen, quod non adulctur; 2. *Allicit*; ſic tamen quod non neceſſitet; 3. *Trahit*; ſic tamen, quod non cogat.

1. Non ſolum Doctoris nos intus erudientis, & cæleſtia myſteria aperientis, munere fungitur divina gratia. Verum & inſtar oratoris, vel patroni erudititiſſimi, in cordibus noſtris verba dicit; ac declinare a malo, & bonum operari continue ſuadet. Hæc eſt, quæ ſalutaribus ſuis ſuaſionibus ad vanos mundi honores deſpiciendos, ad abjiciendas terrenas opes, & ad carnis voluptatibus abrenuntiandum quamplurimos induxit; hæc perſuaſu ſuo innumeros ad inſiſtendum mortificationi, ad arduas quaſque virtutes ſectandas, & ad perfectionis apicem generoſe conſcendendum ſtimulavit, hæc peccatoribus multis ſuaſit, ut a miſero ſtatu ſuo deſciſcerent, ut totaliter mundo valedicerent, ſeque totos Deo conſecrarent. Interrogate Paulum, Antonium, Hilationem, Simeonem Stilitam, alioſque portentoſæ pœnitentiæ ſectatores, ab iis quærite, cur tam diram, tamque auſteram vivendi formam ſuſceperint? reſpondebunt ſe gratiæ divinæ miniſterio, & efficacibus ejus ſuaſionibus ad hoc fuiſſe concitatos. Rogate peccatores ad Deum recens converſos, ut dicant, a quo a vitiis & concupiſcentiis ſuis abrenuntiandum fuerint impulſi? Reſpondebunt haud dubie, ſe ad hoc gratiæ divinæ perſuaſu adductos. Sed tandem tu quiſquis ille ſis, interroga teipſum, a teipſo rationem poſtula, ac ſerio auſcultare, a quo factum ſit, te hoc & illud peccandi periculum evaſiſſe, te in hoc & illo caſu de gravibus tentationibus triumphaſſe, teque ad peccati odium & virtutis amorem adductum fuiſſe. Fateberis, ſuadente intus divina gratia, te ad hæc fuiſſe incitatum. O quam mirabiliter ergo ſuadet Dei gratia! ſed quod mirabilius eſt, *ſuadet Dei gratia, quod non aduletur.*

Oratores profani, ſunt ſimul & adulatores, qui in corde & ore loquuntur, & qui aliud in corde credunt, & aliud ore proferunt. Blandiri & adulari iis familiare eſt, tunc maxime, cum affantur Magnates, quorum virtutes ſimul, & vitia laudant, ut eorum ſibi benevolentiam conciliare valeant. *Adulator*, inquit Caſſiodorus, *blande omnibus applaudit, omnibus ſalve dicit: prodigos vocat liberales, avaros parcos, & ſapientes laſcivos, vel prodigos vocat curiales, garrulos affabiles, obſtinatos conſtantes, pigros maturos, & graves.* Aſt Dei gratia eſt ſacer orator, qui in cujuſque corde libere loquitur, qui veritatem non adulterat, qui res ſicut in ſe ſunt, annunciat, quique hoc eſſe quod eſt, & hoc non eſſe quod non eſt, ſincere dicit, *eſt eſt, non non.* Gratia non eſt iis ſimilis, qui dicunt malum bonum, *væ qui dicitis malum bonum*, vel ut alia verſio habet, *væ qui dicunt malo, bonus es, qui dicunt impio, juſtus es. Iſaiæ* 5. 20. Gratia enim non ait, bonum eſſe quod malum eſt, nec homini malo & impio eum bonum & juſtum eſſe dicit, ſed veritatem puram, & integram ſine ulla adulationis ſpecie profert. Et ideo in Scriptura, gratia & veritas ſæpe copulantur, dicitur enim de Chriſto, *plenum gratiæ, & veritatis. Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum. Joann.* 1. Veritas enim & gratia ſimul junguntur, quia gratia non loquitur niſi vera; & veritatem pure, & ſimpliciter ſine ullo fœdæ adulationis fuco declarat.

Gratia, ſicut alter Joannes Baptiſta, Principum & Regum palatia ingreditur: hæc Magnatum, & aliorum quorumcumque corda ſubit, ibique vitare vitia, & virtutes amplecti ſine ulla adulatione ſuadet. Ibi ſicut Chriſtus viam Dei in veritate docet: ibique ait fornicariis, idololatris, furibus, avaris, aliiſque peccatoribus, quod ni convertantur, nunquam Dei regnum obtinebunt: *neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.* 1. *Corinth.* 6. 9. Heu! O N. quoties in corde tuo locuta es de Dei gratia? quoties tibi ſuadere conata es, ut hoc & illud vitares, hoc & illud faceres? quoties tibi veritatem, libere prædicavit?

Sed

Digitized by Google

ibi nec minimæ culpæ indulget; ibi nec leviſſimum quodvis peccatum impunitum ſinit; ibi ob verbum otioſum, ob levem inobedientiam filii in parentes, ob parvam incuriam, propter oblivionem leviter culpabilem; propter leve murmur in ſuperiores, aliamve minimam venialem noxam, juſtos & amicos ſuos graviſſimis ſuppliciis adjudicat. Si enim ut ait D. Auguſtinus, in hoc mundo venialia per pœnitentiam non deleverimus vel bonis operibus non redimerimus, *ipſi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu ſupradicta minuta peccata conſumantur. S. Aug. ſerm. 4. de Sanct.*

Omnium pœnarum graviſſima eſt ignis; equulei, gladii, ungulæ, & alia quævis ſupplicia, quæ a Tyrannis ad torquendos Martyres fuere adinventa, ignis pœnam non æquant, & ideo hanc pœnam, *ſummam* vocat Tertullianus; *ſummam ignium pœnam* quod potiſſimum dici debet de igne purgatorii, qui ejuſdem naturæ eſt cum tartareo, & cujus comparatione, ignis noſter ſublunaris, eſt quaſi ignis pictus. In Purgatorio autem hoc igne cruciabuntur qui in ſtatu peccati venialis ab hoc mundo exceſſerint; *per fluvium igneum, & vada ferventibus globis horrenda tranſibunt. S. Aug. hom. 16. ex 50.* Hoc igne tranſierunt nonnulli viri ſanctiſſimi; hoc igne tranſeunt omnes juſti, qui in ſtatu venialis peccati ab hoc mundo migrant, & non ſolum hoc igne tranſeunt, verum & in illo morantur, quantum exegerit culpa, & *quamdiu ſupradicta minuta peccata conſumantur.* Aliqui in eo cruciantur per unius horæ, alii per unius diei, vel etiam per unius menſis ſpatium. Immo, ſi Sancto Vincentio credamus, fuit nonnullus ad Purgatorii ignem damnatus uno anno integro ob unicam venialem noxam. O qualem pœnam! o quam horrendum ſupplicium, quo Deus venialia in purgatorio punit! o quam ſtolidi, & bardi, qui hunc ignem non timent, & qui ut eum vitent, totis niſibus non contendunt!

Timeo, ac totus contremiſco, cum in mentem venit, quod ob leves jocos, ob curioſum ſtudium, ob evagationes mentis in oratione, & ob minimum quodque veniale, cujus veniam in hoc mundo non obtinuero, diram purgatorii ignis pœnam ad tempus ſim paſſurus. Sed eſt quod magis timeant omnes, quia peccata venialia, non ſolum ad tempus in purgatorio, verum & quandoque, ut ſentiunt Doctores Seraphicus, & Angelicus, pœna perpetua in inferno puniuntur.

Verum ſane, quod nullus umquam ob ſola venialia ad infernum ſit damnandus, quia venialia per ſe non ſunt digna pœna æterna. Sed quia plerumque accidit, eos qui ad perpetuas inferni pœnas propter mortalia damnantur, eſse etiam venialium peccatorum reos, propter illa venialia, quorum veniam non obtinuerunt in hoc mundo; per accidens, ſeu quia juncta ſunt cum mortalibus, æterna ſupplicia patientur, *ſi culpa peccati venialis non fuerit dimiſſa ante mortem*, inquit D. Bonaventura, *ejus pœna perpetua erit. D. Bonav. in 2. d. 42. art. 2.* Idem ſentit, eodemque modo loquitur D. Thomas; utriuſque Doctoris ratio fundatur in eo, quod in *inferno nulla ſit redemptio.* Ex quo inferunt, quod cum peccati venialis culpa numquam remittatur, ac proinde æterna ſit in inferno; ejus etiam pœna in inferno æterna eſse debet. Non quod tanta ſit venialis peccati malitia, ut per ſe mereatur pœnam æternam, ſed ideo punitur pœna æterna, quia non poteſt remitti in inferno quoad culpam; *æternitas pœnæ non reſpondet quantitati culpæ; ſed irremiſſibilitati. D. Thom. 1. 2. quæſt. 87. art. 5. ad 3.*

Damnati in inferno non conteruntur de venialibus, nullum etiam charitatis actum eliciunt, quo ea delere poſſint, pro iis & Deo ſatisfacere nequeunt, quia Deus pœnas eorum in ea ſatisfactione non acceptat; Chriſtus etiam iis ſua non applicat merita, nec aliquam eis gratiam diſpertit, quia, ut ait S. Bernardus, *non deſcendit ad inferos ſanguis Chriſti.* Quare cum damnati, nec conteri, nec actum charitatis elicere, nec Deo ſatisfacere, nec ob eo aliquam gratiam impetrare poſſint, in æternum irremiſſibilia eorum erunt peccata, quoad culpam, ac proinde pœna eorum erit æterna, quia tamdiu remanet pœna, quamdiu remanet culpa: *Si culpa peccati venialis non fuerit dimiſſa ante mortem, ejus pœna perpetua erit.*

O formidandam venialis peccati pœnam! quis non timeat, vel in minimo, Deum offendere? quis non vereatur in venialia cadere, cum Deus ea gravibus in hoc mundo, gravioribus in purgatorio, & graviſſimis in inferno ſuppliciis puniat? *puſilla fugiamus mala*, inquit S. Chryſoſtomus, *nam mala magna ab eis naſcuntur. Chryſoſt. hom. 12. ad Roman.* Peccata venialia dicuntur mala puſilla, hæc puſilla mala fugienda ſunt, quia magna mala pœnas parturiunt, ſi ea non fugiamus, & delere non ſatagamus.

Sanctiſſimus Job omnia opera ſua ſcrutabatur, diſcutiebat, & verebatur, timens ne in his aliquid eſset peccaminoſum, quia ſciebat, Deum minimos defectus qui in operibus noſtris inveniuntur, ſevere punire: *verebar omnia opera mea ſciens, quia non parceres delinquenti. Job 9. 28.* Diſcutiamus ſimiliter omnia opera noſtra, inſcrutemur anne aliquid peccaminoſum lateat; ſi in his aliquod veniale apprehendamus, illud ſedulo delere & e cordibus noſtris tollere conemur, quia ſi in morte inveniamur venialium rei, non parcet Deus, ſed ea ſevere puniet, *iniquitas hominis parva, magnaque ſit, puniatur neceſſe eſt aut ab ipſo pœnitente, aut a Deo vindicante: S. Aug. in Pſ. 50.* puniantur ergo ab homine pœnitente peccata quævis leviſſima, ne puniantur a Deo vindicante, quia ea graviſſimis pœnis punit. *Nullum bonum apud Deum eſt irremuneratum, nec aliquod malum impunitum. D. Bern. in decl.* Quare bonis operibus continue incumbamus ut a Deo remuneremur, & minima quævis peccata vitare conemur, ut non incurramus in pœnas graviſſimas, quibus Deus ea plectit. At ſi peccati venialis pœna eſt gravis: *ejus etiam remedia ſunt difficilia.*

## TERTIA PARS.

*Peccati venialis remedia ſunt difficilia.*

NOn ſolum multis rationibus conſtat, peccati venialis malitiam & pœnam eſse graves, ſed etiam pluſquam certiſſimum eſt, quod quamdiu quis peccato quodam veniali eſt inquinatus, in cæleſtem Jeruſalem intrare nequit: *non intrabis in eam aliquid*

coin-

Digitized by Google

*coinquinatum. Apoc. 21.* Quare quærenda & adhibenda ſunt remedia, vel media efficacia ad deſtruendum in nobis vel leviſſimum quodque peccatum. Multa quidem adhiberi ſolent, ſed omnia difficilia videntur. Quod ut quam verum ſit innoteſcat, ea in medium adducamus, & ſerio examinemus.

*Primum*, & efficacius remedium, quo ad deſtruenda venialia utimur, eſt confeſſio ſacramentalis. Verum eſt, illud non eſſe abſolute ad delenda neceſſarium; quia venialia non ſunt materia neceſſaria confeſſionis: nec ad ea confitenda neceſſario tenemur. Sed advertendum, difficillime in multis caſibus dignoſci, & dijudicari poſſe, quæ ſint venialia, & quæ ſint mortalia: ipſe D. Auguſtinus, licet ſubtiliſſimus, & perſpicaciſſimus, hoc indagare nequit: *ad eorum indaginem pervenire non potui. S. Aug. lib. 21. de Civ. c. ult.* Unde aſſerit, quod hæc ſcire & cognoſcere non hominis, ſed Dei ſit: *quæ ſint autem levia, quæ gravia peccata, non humano, ſed divino penſanda ſunt judicio. Aug. in Enchir. c. 78.* Hoc etiam fatentur Theologi, qui difficillimum cenſent judicare *inter lepram & lepram*: inter lepram ſcilicet peccati venialis, & lepram peccati mortalis. Tot enim circumſtantiæ ſunt, quæ peccatum, ex natura ſua veniale, faciunt mortale, ut maxime periculoſum ſit, ne mortale ſit quod veniale ſolum eſſe cenſemus; quare ad hæc omnia incommoda vitanda remedium ſecurius & efficacius ad delenda venialia eſt, ea confiteri. Sed illud *remedium eſt difficile*.

Scio, non eſſe difficile ea Confeſſario declarare; poſito, quod a pœnitente cognoſcantur, at quis omnia & ſingula venialia in quæ incidit dignoſcere valet: *delicta quis intelligit?* hoc eſt difficile. Sed velim pœnitentem venialia omnia quæ commiſit clare cognoſcere; difficile eſt per confeſſionem veniam illorum obtinere; quia ut Confeſſio ſacramentalis ſit valida, & efficax, ſupponit in pœnitente dolorem ſupernaturalem peccatorum quæ confitetur, & propoſitum ea in poſterum non perpetrandi. Quæ ita neceſſaria ſunt, ut non deſint auctores, qui dicant, pœnitentem, qui ſola venialia confitetur, ſi hunc dolorem, & hoc propoſitum non habeat, antequam confeſſarius verba abſolutionis proferat, non ſolum non impetrare peccatorum veniam; ſed etiam ſacrilegium committere. Non autem facile eſt, hunc dolorem & hoc propoſitum habere: quia *majora peccata ut averſemur, ipſa per ſe efficiunt; Chryſoſtomus hom. 12. in epiſt. ad Roman.* ſed de minoribus non ita curamus, & quo minora ſint peccata, eo minùs ad ea deteſtanda, & vitanda movemur. Quare dicendum, quod licet Confeſſio ſacramentalis ſit remedium ſecurius & efficacius ad delenda venialia; eſt tamen remedium difficile.

*Alterum remedium* ad delenda venialia, eſt dolor, qui, etiam extra ſacrum pœnitentiæ tribunal, ex ſe ipſo vim habet delendi venialia; modo tamen hic dolor ſit actus attritionis, vel actus contritionis. Si enim ad venialia in Sacramento pœnitentiæ delenda, requiratur talis aliquis dolor; *vel formalis*, quo homo de iis formaliter doleat; *vel virtualis*, qui includitur in actu perfecto amoris Dei; quo homo proteſtatur, ſe ita Deum amare, ut velit ei placere, etiam in minimis quibuſque actionibus; quanto magis requiritur talis dolor ad venialia, extra pœnitentiæ Sacramentum delenda? Certe hujuſmodi dolor extra Sacramentum abſolute requiritur.

Ecce ergo aliquid remedium: ecce, inquam, remedium, quod, quam ſit difficile, quiſque judicet: quis enim credat, dolorem ſive formalem, ſive virtualem; ſive ſit contritio, ſive attritio, facile elici? hoc non credet, qui advertet, hunc dolorem debere eſſe ſupernaturalem; hoc etiam non credet, qui ſciet, quod ad remiſſionem mortalis, ſufficit diſplicentia peccati, ut eſt gravis offenſa Dei; ad remiſſionem vero venialis requiritur dolor, & diſplicentia ejus, ut eſt levis offenſa Dei: difficilius autem eſt dolere de levi, quam de gravi offenſa Dei, quare hoc remedium difficile eſt.

*Aliud remedium* habemus ad delenda venialia: nempe ſacramentalia: quæ ſunt quaſi parva quædam Sacramenta, ab Eccleſia inſtituta, ut per eorum uſum peccatorum venialium obtineatur remiſſio. Hæc autem ſacramentalia iſto verſu exprimi ſolent.

*Orans, tinctus, edens, confeſſo, dans, benedicens.*

Per *orans*, intelligitur oratio Dominica, vel ea, quæ fit in Eccleſia conſecrata; vel etiam tunſio pectoris. Per *tinctus*, indicatur aqua benedicta, ac etiam unctio cæremonialis in Regem. Per *edens*, deſignatur eſus, ſeu manducatio panis benedicti. Per *confeſſo*, ſignificatur confeſſio generalis, quæ publice fieri ſolet in Miſſæ principio. Per *dans*, denotatur eleemoſyna & quodcumque aliud opus miſericordiæ, ſive ſpiritualis, ſive temporalis. Per *benedicens*, intelligitur benedictio Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati.

Ecce remedium, quo nihil facilius prima fronte videtur. Et revera nihil facilius quam dicere orationem Dominicam, recitare confeſſionem generalem, benedictionem Epiſcopi & alia ſacramentalia recipere; ſed difficile eſt mediantibus illis remiſſionem venialium obtinere. Licet enim ſint inſtituta ab Eccleſia ad delendum quodcumque veniale: hic tamen eorum effectus non eſt infallibilis, non eſt enim fundatus in ſpeciali promiſſione Chriſti; ſed in impetratione Eccleſiæ, quæ ob ſui ſanctitatem meretur exaudiri a Deo, non autem ſemper exauditur; maxime cum pro aliis orat, quia ii pro quibus orat, ob defectum diſpoſitionis ſunt ſæpe in cauſa, cur non audiatur; quare venialia per ſacramentalia deleri, non eſt ita facile, ut multi cenſent.

Quod adhuc magis elucet, ex modo, quo ſacramentalia delent venialia; ut enim docent communiter Doctores, non ea delent *ex opere operato*: quia Eccleſia, a qua ſunt inſtituta ſacramentalia, inſtituere nequit ſigna ſenſibilia, quæ remittant peccata, vel gratiam conferant *ex opere operato*: delent ergo ea *ex opere operantis*: quatenus, ſi debite ſumantur, nata ſunt a Deo, mediantibus Eccleſiæ precibus, impetrare gratias actuales, quæ nos moveant ad eliciendum actum doloris, cujus virtute tollantur venialia. Sed quia hæc ſacramentalia ſæpe ſumuntur irreverenter, tales gratiæ non dantur, ſæpe rejiciuntur; & ſic per ſacramentalia raro remittuntur venialia; per hoc ergo, ſicut & per alia remedia non facile tolluntur venialia. Quare cum non ſolum peccati

venialis offenſa ſit magna, & pœna gravis, ſed ejus etiam remedia ſint difficilia, a venialibus quiſque, quantum poterit, cavere debet.

Non dicas; mihi ſatis eſt, vitare ebrietates, fornicationes, adulteria, & alia quævis peccata gravia; do minimis autem non curat prætor. Ne ſic loquaris; quia eſt quod timeas, ne poſtquam de gravibus triumphaveris, a minimis, quæ ſicut arena maris multiplicantur, penitus obruaris; *præcaviſti magna, jam non facis adulterium, non fornicaris, non furaris: projeciſti molem, vide, ne arena obruaris. Auguſt. in Pſ. 39.* Ea vitare & cavere debes, ſi Deum diligas, & timeas: *diligis Deum*, inquis, cave ergo a venialibus, quia qui aliquem perfecte diligit, non ſolum cavet, ne in magnis, ſed etiam ne in parvis, & minimis ei diſpliceat: *times Deum*; ais, cave ergo non ſolum a mortalibus, ſed etiam a venialibus, quia *qui timet Deum, nihil negligit. Eccleſ. 7. 19.* Cave ergo ne vel minimum mendacium proferas, ne otioſe tempus teras, ne proximi famam aliquantulum lædas, & ne quantum poteris, in venialia incidas. Si ſic Deum ames & timeas, ut a venialibus abſtineas, immediate poſt mortem dabit tibi coronam gloriæ. *Amen.*

FERIA V.

POST DOMINICAM TERTIAM.

# DE AVARITIA.

*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Luc. 4.

AVaritiæ vitium eſt ita inter homines commune, ut nullus fere inveniatur, qui avaritiæ non ſtudeat, & qui maligno execrandi hujus vitii ſpiritu non ciceatur: *a minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent. Jerem. 6. 13.* Scimus beatos eſſe illos pauperes ſpiritu, qui terrena deſpiciunt, qui poſt aurum non abeunt, nec ſperant in pecunia & theſauris; ſed qui ſunt hi: *quis eſt hic & laudabimus eum? Eccl. 3. 8.* Hi certe rari ſunt. Quia omnes fere homines, ſi ex avaritiæ ſpiritu aliena non rapiant, ſua ſaltem ſtudioſe nimis inquirunt: *omnes quæ ſua ſunt quærunt. Philipp. 2. 21.* Unde præclare dixit D. Ambroſius, avaritiam febrem eſſe, qua omnes fere mortales laborant: *febris noſtra avaritia eſt.*

O malignam febrem! quæ omnium malorum & infirmitatum ſpiritualium radix & origo eſt; *radix omnium malorum eſt cupiditas. 1. Timoth. 6. 10.* O mortiferam febrem! quæ innumeris mortem, & damnationem æternam infert; o periculoſam febrem! quæ eſt etiam peſtis inſanabilis: *avaritia eſt peſtis inſanabilis, qua totus mundus exarſit: Zeno ſerm. 1. de avar.* Ut ſanaretur ſocrus ſimonis, quæ magnis tenebatur febribus, vocatus eſt Chriſtus ab Apoſtolis, qui rogaverunt illum pro ea: ejuſdem Chriſti auxilio egent febricitantes avari, ut ab avaritia ſua ſanentur, eodem & nos indigemus auxilio ut utiliter de avaritia diſſeramus, &c. *Ave.*

ORbis terrarum Domini eſſe videntur divites avari; omnia quæcumque volunt faciunt, rebuſque cunctis affluunt. Unum tamen iis deeſſe adnotavit Moralis Philoſophus, hominem ſcilicet, qui verum dicat: *monſtrabo tibi quid omnibus poſſidentibus deſit; ſcilicet hominem qui verum dicat.* Domus illorum paraſitis circumfluunt, & adulatoribus qui injuſtitias, libidines, omniaque vitia illorum approbant, laudant, & veluti tot virtutes decantant, quare deeſt illis homo, qui non eis aduletur, qui injuſtitias, & omnia illorum vitia arguat; quique eos tales, quales ſunt ſincere delineet.

Hanc hodie provinciam libens ingrediar, hoc munus ex corde obibo, hoc avaris beneficium impendam, nec in publico hoc conventu deerit qui eis verum dicat. Eorum enim ingratitudinem, inhumanitatem, & crudelitatem propalabo: ac in tota hac concione probabo, quod homo avarus, ſit ingratus, inhumanus, & exitioſus: 1. *Ingratus* in Deum: 2. *Inhumanus* in proximum: 3. *Exitioſus in ſeipſum.*

PRIMA PARS.

*Avarus, eſt ingratus in Deum.*

PRo avaris, ſicut & pro aliis creavit Deus cælum & terram, necnon cuncta quæ eorum ambitu continentur. Sed nec his, nec ullis aliis a Deo acceptis beneficiis deliniuntur, & ad debitas ei grates reddendas adducuntur homines avari; quorum ingratitudo in Deum maxima eſt: quia 1. De eo non cogitant: 2. eum non amant: 3. eum non adorant.

1. Avarus erat Princeps ille publicanorum Zachæus, qui aliena ex ſpiritu avaritiæ rapuerat; ſed, ut advertit ſacer textus, ita parvus erat, ut nec Chriſtum præ turba videre poſſet: *quærebat videre Jeſum quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Luc. 13. 6.* Ecce veram hominis avari ideam: Zachæus enim ſtatura puſillus erat, & omnes avari, puſilli, & parvi ſunt in omni genere virtutum. *Parvi* ſunt in fide, cum vix in Deum credant, *parvi* ſunt in ſpe, cum in divitiis quas poſſident ſolummodo confidant: *parvi* ſunt in charitate, cum viſcera eorum ſint, reſpectu pauperum, ferrea; puſilli tandem ſunt, ſicut Zachæus. Sed ſicut ille præ turba non poterat videre Jeſum; ita & avari, tanta cogitationum turba, tanta inanium deſideriorum multitudine, tantaque terrenorum ſollicitudine occupantur, ut vix Deum videant, & de Deo cogitent. Si ſanctiſſimo altaris Sacrificio quandoque adſint, mens eorum alibi eſt; ſi aliquando prædicationibus, & divinis officiis interſint, tunc non de Deo, ſed de divitiis, & de negotiis temporalibus cogitant. Cum tandem divitiis ſaturati, & impinguati ſunt, Dei totaliter obliviſcuntur; *adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt, & obliti ſunt mei. Oſee 13. 6.*

Ingenioſe adnotavit Seneca, quod aratores, qui juxta Nili littus habitant, in cælum oculos non ſublevent, ut pluvias poſtulent, quia arva eorum, fluvii illius inundationibus ſufficienter irrigantur, nec cæleſti rore egerent; *nemo aratorum reſpicit cælum*: Aratoribus illis ſimiles ſunt avari; qui cum in theſauris ſuis confidant, in cælum oculos, & mentem non extollunt, ut Deum benefactorem ſuum videant, neque de gratiis illis exhibendis cogitent. Mente & affectu toti ſunt negotiis temporalibus, ſeque totos adimplendis marſupiis, & facultatibus aggerendis dedunt, nec ſolum de

D.o,

Digitized by Google

Deo, a quo omnia habent, religioſe cogitant, *avarus non videt, quæ Divinitatis ſunt, ſed cogitat, quæ cupiditatis ſunt. D. Ambr.* Eos Deus ratione & mente præditos creavit, ut ad ejus conſiderationem penitus intenti eſſent, & ita ingrati ſunt, ut vix cogitent de Deo factore ſuo, a quo omnia habent. O magnam ingratitudinem! *Sed avari ſunt etiam ita ingrati in Deum, ut illum non ament.*

2. Terrena amant avari, & non cæleſtia, toto corde divitias diligunt, & non Deum, cor eorum non Deo adhæret, ſed in theſauro jacet. Ut enim ait Chriſtus, ubi eſt avari theſaurus, ibi eſt cor ejus; *ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Matthæi 6. 21.* In quæ verba S. Hieronymus, ait: *cor habet guloſus in ventre, laſcivus in lubricis, amator in libidine, avarus in pecunia.*

Narrat S. Proſper de avaro quodam divite, quod cum ei, fato functo, pectus aperuerint chirurgi, nullum in eo cor, nec cordis veſtigium inventum ſit. Attoniti fuere quotquot tanto ſpectaculo aderant, nec concipere valebant quomodo *hic* homo ſine corde vivere potuiſſet, ſed tam inopinati eventus cauſam manifeſtavit Deus; cum enim hæredes arcam in qua defuncti theſaurus erat, aperuerunt, in eo invenerunt cor ejus, quod a dæmone, horrendi draconis figuram gerente detinebatur. *S. Proſper. lib. de don. tim.* Ecce quid amet avarus; ecce ubi eſt cor ejus: non in Deo, ſed in theſauro; *ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.*

Deus iniquos, & induratos alloquens avaros, ait: *audite me duro corde, qui longe eſtis a juſtitia: Iſaiæ 46. 12.* vel ut vertunt Septuaginta: *audite me, qui perdidiſtis cor.* Quare dicitur avaros *perdidiſſe cor*? quia cor ſuum, quod Deo dare, & conſecrare debebant, divitiis & temporalibus bonis dederunt; non enim Deum, ſed labiles, & mox perituras opes diligunt. Præcipit Deus, ut eum tota mente, toto corde, & totis viribus diligamus: avari vero non Deum, ſed divitias *tota mente* amant, cum omnis eorum ars, omniſque cogitatio iis acquirendis, & conſervandis incumbat. Hi non Deum, ſed divitias *toto corde* diligunt, cum omnes eorum affectus, omniaque ſtudia ad bona temporalia tendant. Hi tandem non Deum, ſed divitias *totis viribus* diligunt; cum omnes eorum conatus, omneſque labores in congregandis ſæculi bonis verſentur. O quam ingrati ergo in Deum avari! dedit eis Deus cor, ut ipſum ament, & tanta eorum eſt ingratitudo, ut non Deum, ſed temporalia bona diligant. Ingrati quidem ſunt avari, quia Deum non amant, ſed ingrati ſunt etiam, *quia eum non adorant.*

Avari ſunt idololatræ, quia non verum Deum, ſed aurum & argentum, ut idolum ſuum, venerantur, & adorant, hic eſt Deus eorum, cui ſoli adolent incenſa; *ut voracium Deus venter eſt, ita quoque cupidorum Deus pecunia dici poteſt. D. Hieron. in 5. ad Epheſ.*

Non eſt novum, quod avari *idololatræ* dicantur, eo enim nomine eos vocavit Doctor Gentium; *avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus. Coloſſ. 3. 5.* Et revera avari ſunt *idololatræ*, qui idem adorant, quod adorabant antiquitus Gentiles. Iſti enim adorabant aurum & argentum; *Simulacra gentium, argentum & aurum, Pſ. 134. 15.* & avari aurum & argentum adorant; *idolorum cultor*, inquit Cajetanus, *aurum & argentum colit, avarus quoque aurum & argentum colit.* Quod & confirmat Sanctus Chryſoſtomus, dicens, quod ſicut Gentilis aurum, & argentum tamquam Deos ſuos in templo adorat; ita & homo avarus aurum & argentum in arca, veluti in templo ſuo adorat; *ita aurum adorat ut ille idolum. Chryſoſt. homil. 64. in Joann.* Addit aureus ille Orator, avaros ipſis Gentilibus magis idololatras eſse quia Gentiles idolis ſuis bruta, vel terræ fructus in ſacrificium offerebant; avari vero animam ſuam auro, & argento ſacrificant, *Gentiles idolis quidem boves ſacrificant, avarus offert auro animam.*

Duplici modo committitur idololatria. *Uno*, quando cultus ſoli Deo debitus, tribuitur creaturæ; *altero*, quando creatura Creatori præponitur. Utroque autem modo, inquit S. Anſelmus, avarus eſt idololatra; & quia cultum ſoli Deo debitum, auro tribuit; & quia divitias Deo præponit.

Quid prodeſt, inquit S. Zeno Veronenſis, quod aurum & argentum execreris in idolis, quæ Gentiles venerantur, ſi aurum & argentum in arca tua adores? Nonne cum adoras aurum & argentum in arca, æque idololatra es, ac Gentiles, qui aurum & argentum in templis adorabant? idololatræ erant illi, & idololatra es tu: eadem illis & tibi ſunt idola; cum hac ſolummodo differentia, quod majora eſsent aurea & argentea illa idola, quæ illi in templis adorabant: *in domo tua minuta ſunt, in templis majora. Zeno ubi ſup.* Falleris, o avare, ut ſubdit Zeno, ſi te idololatram, & pecuniam tuam idolum non eſse credas. Verum eſt, quod ſi pecuniam tuam debite expendas, tunc non eſt idolum, ſed pecunia: ſi autem eam nimia ſollicitudine cuſtodias, vel ſi ea ad lucra iniqua utaris; tunc eſt idolum: & tu idololatra es, qui eam adoras, *ſi erogaveris, pecunia eſt, ſi ſervaveris, ſimulacra.*

O quot in orbe idololatræ! tot quidem, quot avari. Sicut enim Judæi ex multis monilibus aureis fecerunt vitulum aureum conflatilem, quem ut idolum ſuum adoraverunt; ita avari, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, ex auro & argento ſibi idola faciunt; cui omnes cogitationes, omneſque affectus ſuos ſacrificant: *ut Iſraelitæ ex auro, quod ex Ægypto afferebant, idolum fabricarunt; ſic avari ex auro & argento, quod ſibi comparant, veluti idola faciunt. Exod. 32.* Avari, ſicut & alii, a Deo facti & redempti ſunt; ab eo eſse, & omnia habent, & tamen non Deum, ſed pecuniam ſuam agnoſcunt, amant, & adorant. O magnam ingratitudinem! ſed ſi ſint ingrati reſpectu Dei; *ſunt etiam ingrati erga proximum.*

## SECUNDA PARS.

### *Avarus eſt inhumanus in Proximum.*

SI *unus de fratribus tuis*, inquit Spiritus Sanctus, *ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi. Deut. 15. 7.* Hoc ſuadet Spiritus Sanctus, hoc prædicant

cant concionatores, hoc dictat cujuſque conſcientia: ſed avari ſunt immiſericordes, obdurati, & inhumani reſpectu pauperum: quia 1. iis ſubvenire nolunt: 2. eos audire renuunt: 3. eos videre recuſant.

1. Viri juſti, non ſolum hominibus; ſed, ſi ita loqui fas ſit, ipſis brutis compatiuntur: avari vero, ita crudeles & inhumani ſunt, ut fratribus ſuis, quantumvis gravem neceſſitatem patientibus, ſubvenire nolint: *novit juſtus jumentorum ſuorum animas: viſcera impiorum crudelia. Prov. 12. 10.* Si cadunt urbis Xenodochia, de hoc non curant avari: ſi pauper aliquis frigore, vel fame pereat, hoc illos nullo modo tangit; ſi hic, vel ille infirmetur ad mortem, hac de re nil ſollliciti ſunt: ac tanta illorum inhumanitas, ut nullo modo iis ſubveniant: quia illorum viſcera crudelia ſunt: *viſcera impiorum crudelia.* Cum de exigendis uſuris agitur, nulli quantumvis pauperi, indulgent; cum debita ſibi ſolvi volunt, nihil debitoribus, quantumvis miſeris, gratificantur: quin contra eos ad multas impenſas faciendas inique cogunt: pro modica pecuniæ ſumma, quam mutuo dederunt, magnam ſibi ſolvi petunt; & pro magna hac ſumma, nunc pratum, nunc domum, ac denique omnia debitorum ſuorum bona auferunt. Ecce quod perfecte facere norunt avari, ſed pauperibus ſubvenire neſciunt: ita inhumani ſunt, ut illis, extremam licet neceſſitatem patientibus, ſuccurrere nolint; *viſcera eorum crudelia.*

Portentoſum hujus rei exemplum habemus in divite epulone; de quo ait Chryſologus, quod *ferrea viſcera crudelis animam nutriebant.* Avarus ille induebantur purpura & byſſo, epulabatur quotidie ſplendide, divitiiſque affluebat; Deus autem ut illum ad miſericordiam flecteret, objecit ei pauperem illum Lazarum, cui obviam eunt canes, ejuſque ulcera lingunt; ſed inhumanus hic avarus, ipſis brutis durior & crudelior, manum ſuam extendere noluit ad pauperem, nec ei quomodocumque ſubvenire. Non theſauros divitis, ſed micas ſolummodo e menſa cadentes petit Lazarus, nec illa obtinere poteſt. Ulcera exhibet pauper, ut avarum ad tantillam ſibi gratiam concedendam moveat, ſed fruſtra, quia vir in pauperes inhumanus erat, qui ſub byſſinis veſtibus *ferrea viſcera nutriebat.* Ecce quomodo ſe gerere ſoleat avarus, reſpectu pauperum: ad januam ejus clament & vociferentur, quantum voluerint; ſua exhibeant ulcera quantum placuerit; ſe ad extremam redactos eſſe neceſſitatem, & fame perire dicant: iis omnibus ad miſericordiam non flectitur avarus, quia ejus viſcera ferrea ſunt, *viſcera eorum crudelia.*

Credis, inquit Sanctus Baſilius, quod avarus miſerebitur pauperum? imaginaris, quod iis ſubveniet? eorumque miſerias ſublevare conabitur? falleris; avarus enim neſcit dandi artem, pauperibus nunquam dicit: hoc vel illud tibi do; non dicit huic viduæ: do tibi viginti nummos, quos a tot annis mihi debes, & quos ſolvere tibi eſt impoſſibile; non dicit huic pauperi extrema egenti: do tibi, quo carnes, & alia neceſſaria emas. Quid ergo pauperi dicit avarus; *unam tantum novit vocem: non habeo, non dabo.* Cum avaro ſuam pauper manifeſtat egeſtatem, ac ab eo ſibi ſubveniri petit; reſpondet ille: *non habeo.* Si urgeat pauper, ut illum ad aliquid ſibi dandum cogat, reſpondet: *non dabo*; ſi pauper ulcera exhibeat, quibus ſauciatur, ſi doloribus ſe diriſſime cruciari, & fame ſe perire dicat; his & aliis ſimilibus ad dandum non movetur avarus; & *unam tantum novit vocem: non habeo; non dabo. S. Baſil. hom. deſtr. horrea.* O magnam avari inhumanitatem! Sed ſi magna avari ſit inhumanitas, quia pauperibus ſubvenire non vult; major adhuc ejus eſt inhumanitas; *quia pauperes etiam audire renuit.*

2. Non placet avaro pauperum muſica; eos clamantes, & miſerias ſuas declarantes, ægre audit; ſurdus eſt ad clamorem miſerorum, qui ab eo aliquod ſubſidium poſtulant. Et ideo ſanctiſſimus Job ait, quod egeni, qui a divitibus ſibi ſubveniri petunt, ſurdos alloquuntur, & *amplexantur lapides, Job 24.* qui clamores eorum non audiunt.

Mirabiliter deſcribit ſanctiſſimus ille vir, quomodo divites avari in pauperes pupillos & viduas ſe gerere ſoleant. Greges pauperum, inquit, inique rapiunt, a pupillis vel unicum, viliſſimum jumentum, illudque ipſi maxime neceſſarium auferunt; a viduis macilentum bovem, vertendo agello neceſſarium, loco pignoris exigunt & abripiunt; agrum non ſuum demetunt & vineam ejus, quem vi oppreſſerunt, vindemiant; nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non eſt operimentum in frigore. Si autem hi miſeri ad divites illos accedant, ut de injuria ſibi illata conquerantur; vel, ut eos ad ſibi ſubveniendum alliciant, ſurdos alloquuntur, qui eorum verbis non attendunt; & qui, veluti duri lapides, nullis vocibus & clamoribus moventur: *amplexantur lapides.*

Nonnunquam Athenis viſus eſt Diogenes, civitatem totam perambulans; ac a lapideis ſtatuis, quas in vicis & compitis inveniebat, eleemoſynam humiliter poſtulans. Cumque nonnulli dixiſſent ei: cur lapides alloqueris, qui te non audiunt, nec audire poſſunt? reſpondit: ſolitus ſum eleemoſynam petere a lapidibus. Divites enim avari ſunt, ſunt quaſi lapideæ ſtatuæ; quæ oculos habent, & pauperum miſerias non vident; quæ aures habent, & pauperum clamores audire renuunt: *aures habent, & non audiunt.*

Et revera, dic diviti avaro: Domine, in tali domo eſt quidam pauper, qui fame perit; da aliquid, quo miſeriæ ejus occurras: *aures habet & non audit.* Dic ei: Domine, huic artifici aliquid debes; ſi eum ſolveres, non ſolum juſtitiæ, ſed etiam charitatis munus obires; quia magna nunc egeſtate gravatur; *aures habet, & non audit.* Dic ei: hujus hominis, qui olim famulus tuus diu fuit, mercedem a multis annis detines; ſolve ei quod debes, ut ſibi & familiæ ſuæ conſulat: *aures habet, & non audit.* Dic ei in Xenodochio graviſſima patiuntur pauperes: non enim ſtragula habent quibus tegantur, nec cibos quibus veſcantur: da eis, & dabitur tibi; hic eſt ſurdus auditor, *qui aures habet, & non audit.* O magnam avarorum in pauperes inhumanitatem! quæ tanta eſt, ut pauperes & pauperum neceſſitates audire renuant. Sed eſt etiam tanta, *ut pauperes, & pauperum neceſſitates videre, & ſcire recuſent.*

3. Bea-

Digitized by Google

3. Beati ſunt illi, qui ſollicite inquirunt pauperum neceſſitates, ut iis obvient: *beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Pſ. 40. 1.* Non ſolum ſuperficie tenus, & per tranſennam ſpectandi ſunt pauperes; ſed examinandum, quo egeant, & ut ait D. Auguſtinus, intra pauperes legendum, quo indigeant; ac beati ſunt illi, qui ſic in pauperum interioribus legunt, ut eis neceſſaria præbeant: *beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem*: id eſt, *qui intus legit*, ut explicat D. Auguſtinus. Avarus autem, non intus legit, nec ſerio examinat, quid pauperibus deſit, & quo egeant, ut illis ſuccurrat: quin immo nec oculos habere videtur, ut eorum miſerias intueatur.

Tempore publicæ famis per vicos & plateas vagari ſolent pauperes: tunc facies gerunt macilentas & nigras; tunc a nimia fame quam patiuntur, mortui potius videntur, quam vivi; nec tamen illos aſpicere dignantur avari: *denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Thren. 4. 8.* Verum eſt, quod velint nolint, aliquando pauperes intueantur avari; ſed oculo compaſſionis eos non vident; eos ita vident, ut non videant; vel eos vident ſicut dives epulo in inferno ſepultus, Lazarum vidit: *elevans oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in ſinu ejus. Luc. 16. 23.* Vident pauperes *a longe*, & quaſi rem quæ eos non tangit; non intra pauperes legunt, quod in hoc mundo Chriſti pauperis perſonam gerant; quodque ſint a Deo miſſi, ut divites ad miſericordiam moveant: non legunt, nec ſcire volunt, quod in die judicii æternis addicentur ſuppliciis, ſi in hoc mundo pauperum neceſſitatibus non occurrerint: vident tamen pauperes a longe, & quaſi rem ſibi indifferentem; nec ad illos accedunt, ut iis ſubveniant, & largas eleemoſynas erogent.

Vel dicamus, quod divites avari eodem modo pauperes videant, quo Romanæ urbis incendium aſpiciebat Nero. Dum enim crudelis hujus Imperatoris juſſu, urbs Roma arderet, & gravi vaſtaretur incendio, citharam pulſabat ille, Homeri cantabat carmina, & expreſſam incendii imaginem in Smaragdo aſpiciebat. Sic ſane pauperes intuetur avarus; cum enim exquiſitis dapibus eſt ſaturatus, vel dum ludit, aut alia aliqua oblectatione animum relaxat, obvios pauperes caſu quandoque intuetur; ſed non videt eos oculos commiſerationis, & ut eis ſubveniat: ita durus & inhumanus eſt, ut eorum miſeriis nunquam ad miſericordiam moveatur.

O quantam avarorum inhumanitatem! ſed ſciant, quod ſi in hoc mundo in pauperes inhumani ſint, in tremendi judicii die Deus non eorum miſerebitur. Tunc cuique avaro dicet Deus; vis ut tui miſerear? ſed tui non miſerebor, quia in pauperes non fuiſti miſericors; ut enim a me miſericordiam obtineres, oportebat prius te pauperum miſereri: *nonne oportuit & te miſereri conſervi tui? Matth. 18.* Velles tunc, o avare, erga pauperes fuiſſe miſericors: tunc optares iis ſubveniſſe; ſed fac nunc, quod tunc feciſſe velles; in pauperes te miſericordem exhibe; & in eos inhumanus eſſe deſine. *Sed avari ſunt etiam in ſe ipſos exitioſi & crudeles.*

TERTIA PARS.

*Avarus, eſt in ſeipſum exitioſus:*

ANimæ & ſalutis ſuæ curam ſummo affectu ſuſcipere quiſque debet: ( non circa gloriam ſtudeamus, quæ extinguitur, non circa corpus, quod ſeneſcit, neque circa pulchritudinem, quæ marceſcit; non circa delicias, quæ defluunt; neque circa pecunias, quæ pereunt; ſed circa animam omnem curam impendamus. ) Sapientes quidem, & felices, qui totis conatibus, animæ & ſalutis curæ invigilant: At ſtulti, infelices, & ſibimetipſis plurimum exitioſi ſunt avari; quia animas ſuas ſalvare non curant; ſed eas: 1. vendunt: 2. criminibus multis conquinant: 3. in infernum præcipitant.

1. Anima rationalis in ſe, & ſecundum ſuam naturam conſiderata, eſt quid toto mundo corporeo pretioſius; quia eſt ſubſtantia ſpiritualis. Sed ſi eadem anima ſpectetur ſimul cum pretio quo empta eſt, adhuc longe eſt pretioſior; quia ſanguis Chriſti, qui eſt pretium ejus, eſt infiniti valoris. Avarus autem ita ſibi ipſi eſt exitioſus, ut animam ſuam, quæ ſpiritualis, & Chriſti ſanguine empta eſt, deſpiciat, parvi pendat, & pro nihilo vendat. Ut enim ait Spiritus Sanctus; homine avaro, qui inordinato, & nimio affectu pecuniam amat, nihil eſt iniquius: *nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam. Eccl. 10. 10.* Cujus rei rationem ſubdit, dicens, quod avarus qui nimis amat pecuniam, *animam ſuam venalem habet*; id eſt, ad vendendum expoſitam, ut explicat Hugo Cardinalis. Sed quo pretio vendit hanc animam, quæ infiniti valoris eſt? *etiam pro obulo*. Eam vendit pro uno beneficio quod aſſequi ambit, pro una dignitate ad quam anhelat, pro uno prædio quod pauperi cuidam rapere intendit; pro uno nummo; *etiam pro obulo*, inquit præfatus Cardinalis. O quam cæcus, ſtultus, ſibique exitioſus eſt avarus, qui aurum & argentum, quæ nil ſunt, quam terræ excrementa, animæ ſuæ, quæ ſpiritualis, immortalis & pretioſo Chriſti ſanguine redempta eſt, injuſte præfert; quippe qui eam pro obulo vendit!

Blaſphemamus nonnunquam in perfidum Judam; execramus ejus malitiam, quæ tanta fuit, ut Deum, Paradiſum, & propriam animam pro paucis denariis vendiderit; ſed ut ait Doctor Seraphicus, ( ſæpe pejor eſt avarus homo, quam ipſe Judas, qui vendidit Chriſtum triginta denariis, quia interdum avarus Chriſtum & animam pro uno denario vendidit. ) O quam iniqui ſunt avari, qui animam pretioſo Chriſti Sanguine redemptam diabolo vendunt, quoties mortaliter peccant! O quam ſibimetipſis exitioſi ſunt avari, qui animam, quæ infiniti valoris eſt, pro modico pretio, & quaſi pro uno obulo, ac pro uno denario vendunt! Sed avari ſunt etiam in ſe ipſos exitioſi; *quia animam ſuam criminibus multis inquinant.*

2. Avaros, qui nimio affectu terrena congregant, maledictione ſua ferit Propheta, dicens; *væ ei qui multiplicat non ſua: uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum? Habac. 6.* Lutum aggregant avari, cum aurum & argentum inique congregant; quæ, ut ait Tertullianus, nil aliud ſunt quam lutum ſpe-

quia per ſolas naturæ vires & ſine divinæ gratiæ auxilio ſanari, a fœdis peccatorum ſordibus emundari, ab animæ morte reſurgere, ad Deum converti, & juſtificari non poſſumus: *Si quis dixerit hominem ſuis operibus, abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia, poſſe juſtificari coram Deo, anathema ſit. Trid. ſeſſ. 6. can. 1.*

Adduxit Dominus Ezechielem in campum oſſibus aridis plenum; præcepitque ei, ut oſſibus his prædicaret, & vaticinaretur. Obtemperavit Propheta: oſſibus prædicavit, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam: ſuper ea nervi & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper; ſed ſpiritum nondum habebant, nec revixerant: quare ad ea vivificanda, Ezechiel, jubente Deo, imperavit ventis, ut inſufflarent ſuper interfectos illos. Quo facto ingreſſus eſt in oſſa hæc ſpiritus vitæ: *ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt. Ezech. 37.* Cur voluit Deus, ut in oſſa hæc flarent venti? Reſpondet doctiſſimus Oleaſter, hoc voluiſſe Deum; quia *oſſa erant corrupta*. O N. cum in ſtatu lethalis peccati es, infirmaris, mortuus es, & in anima tua magna eſt corruptio: *Corruptæ ſunt cicatrices meæ, Pſ. 17. 6.* quare, ut ſaneris, ut ad Deum convertaris, & ut juſtificeris, neceſſe eſt, ut flent gratiæ divinæ venti: niſi enim per gratiam ſuam flet Spiritus Sanctus, converti & juſtificari nequibis, *Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia poſſe juſtificari coram Deo, anathema ſit.* Gratia ergo eſt neceſſaria peccatori, ut convertatur, & juſtificetur; *ſed eſt etiam neceſſaria homini juſto, ut in accepta juſtitia diu perſeveret.*

2. Sicut oculus corporis, licet perfectiſſime ſanus, non poteſt cernere, niſi candore lucis adjutus: ita nec homo, quamvis juſtificatus, recte vivere, & in accepta juſtitia diu perſeverare valet, ſine actualis gratiæ auxilio. Sic Divus Auguſtinus: *Auguſt. lib. de nat. & gr. c. 2.* cui accinit Doctor Angelicus, dicens, (perſeverantia eſt continuatio quædam boni uſque ad finem vitæ, & ad talem perſeverantiam habendam homo in gratia habituali conſtitutus, non quidem indiget alia aliqua habituali gratia, ſed divino auxilio ipſum dirigente, & protegente contra tentationum impulſus. *S. Th. 1. 2. q. 109.*) Quod & ab ipſo Concilio Tridentino expreſſe definitum eſt, his verbis: *Si quis dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe; vel cum eo non poſſe, anathema ſit. Trid. ſeſſ. 6. can. 22.*

Ad cuſtodiam domus ſuæ unicam ancillam adhibuerat Isboſeth filius Saul: quæ obdormivit, ingreſſique ſunt domum Isboſeth hoſtes ejus, qui eum dormientem in lecto interemerunt, *& percutientes interfecerunt eum. 2. Reg. 4. 7.* Ancilla domus noſtræ eſt voluntas; quæ licet ſit libera, eſt tamen pediſſequa gratiæ, cui debet ancillari. Si homo quamvis juſtus, unicam hanc ancillam cuſtodiæ animæ ſuæ præficiat, ab hoſtibus tartareis interficietur, & ad mortalia trahetur: quare vocanda domina; petenda a Deo gratia; rogandus Deus, ut per gratiam nos cuſtodiat; niſi enim nos cuſtodierit, in accepta juſtitia diu non perſeverabimus, ſed ab animæ noſtræ hoſtibus occidemur: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Pſ. 126. 1.*

Homo, quantumvis juſtus, ex ſua natura debilis eſt & infirmus: *Mementote quia caro ſumus, & homo facile labitur in peccatum. Auguſt.* Homo juſtus variis paſſionibus agitatur ſicut & alii; tentationibus etiam, gravibus ſæpe impetibus, ſicut alii; urgentibus peccandi occaſionibus eſt expoſitus ſicut & alii: quare actualis gratiæ eget auxilio, ut eo juvante, in mortale peccatum non cadat, & in juſtitia perſeveret: niſi enim a Dei gratia adjuvetur, in mortalia peccata, & in infernum facile cadet: *niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Pſ. 93. 17.*

Et revera viros juſtos & ſanctiſſimos nonnumquam videre eſt, qui firmiſſime ſtatuunt, ſe in accepta juſtitia perſeveraturos, quique cum Regio Vate dicunt: *non movebor in æternum: Pſ. 29. 7.* & tamen, flante tentationis vento, vel occurrente gravi quadam peccandi occaſione, infeliciter cadunt. Nonne cecidit Salomon, qui cum ſapientiſſimus eſſet, ſtultiſſimus hominum factus eſt? Nonne Tertullianus, qui de pœnitentia & de Chriſtiana Religione tot protulit oracula, in Montani hæreſim lapſus eſt? Nonne Origenes, qui ſcientiarum prodigium dicebatur, in ſpiritum erroris incidit? Nonne ad hereticam pravitatem declinavit Ozius, qui adverſus tot hæreticos pro fide Catholica decertaverat? Ceciderunt hi? quia gratiæ ſibi oblatæ non ſunt cooperati; & caderent omnes, niſi a divina gratia adjuvarentur: quia homo, quantumvis juſtus ſine divinæ gratiæ auxilio, in ſtatu gratiæ ſanctificantis diu perſeverare non poteſt; *Si quis dixerit juſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei perſeverare poſſe, anathema ſit.* Sed ſi gratia actualis eſt neceſſaria homini juſto, ut perſeveret; *eſt etiam neceſſaria omnibus, ut ſalventur.*

3. Nullum opus æternæ gloriæ meritorium ſine actuali gratia facere poſſumus: *ſine me nihil poteſtis facere, Joann. 15.* inquit Chriſtus. Quam ejus ſententiam ſic ponderat D. Auguſtinus: (non ait Chriſtus: ſine me facere quidem poteſtis quid, ſed facilius per me. Non ait; fructum veſtrum poteſtis ſine me quidem facere; ſed uberiorem per me. Non hoc dixit; legite quid dixerit: *ſine me nihil poteſtis facere. Auguſt. ſerm. 13. de ver. Apoſt. c. 2.*) Non dixit Chriſtus, nos non poſſe facere magna, & ardua ſine illius gratia; ſed ait, nos nihil facere poſſe, quia ſine ejus gratia nihil æternæ gloriæ meritorium facere poſſumus.

Prælatam hanc Chriſti propoſitionem: *ſine me nihil poteſtis facere*, ampliat Hugo Cardinalis, dicens; quod ſine Dei gratia nihil æternæ gloriæ meritorium cogitare, loqui, & operari poſſumus. Non quidem *cogitare*, inquit; ut enim loquitur D. Paulus: *non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. Cor. 3. 5.* Non etiam *loqui*: quia ut habetur Proverb. 16. *Domini eſt gubernare linguam*. Nec tandem *operari*; quia apud Jeremiam dicitur: *Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus: nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Jerem. 10. 23.* Quare cum ſine Dei gratia nihil æternæ gloriæ meritorium cogitare, loqui & operari valeamus; fatendam, gratiam ad ſalutem, & ad æternam gloriam obtinendam, eſſe maxime neceſſariam.

Quod

Digitized by Google

Quod & docent Theologi, dicentes, quod debeat eſſe proportio inter media & finem: & ideo, cum finis hominis ſit æterna gloria, quæ eſt ordinis ſupernaturalis, opera, ut ſint media ad hunc finem obtinendum idonea, debent eſſe ordinis ſupernaturalis. Non autem ſunt ordinis ſupernaturalis, niſi eleventur per gratiam; quare gratia eſt neceſſaria hominibus, ut opera digna ſalutis faciant, & ut ſalventur. De quo nullum ſupereſſe videtur dubium: ſi enim gratia neceſſaria ſit peccatoribus ut juſtificentur, & juſtis ut perſeverent, neceſſaria etiam eſt omnibus ut ſalventur; quia nullus ſalvari poteſt, niſi juſtificetur, & in accepta juſtitia perſeveret.

Videte, quam neceſſaria ſit homini gratia; hoc videte, & coram Deo humiliamini. Humiliamini peccatores, humiliamini juſti, humiliamini omnes; quia ſine Dei gratia converti, in juſtitia perſeverare, & ſalvari non poteſtis.

Unuſquiſque inſpiciat ſemetipſum tamquam infirmum cubili decumbentem, languidum, & ita debilem, ut ſe movere, vel quidquam agere non poſſit ſine aliorum auxilio: infirmi enim ſumus omnes, ac in rebus ſalutis ita debiles, ut ad converſionem & ad ſalutem nil meritorium ſine gratiæ divinæ auxilio agere valeamus. Quare humiliemus nos, & Deum ſupplices rogemus, ut nobis largiri dignetur gratiarum ſuarum abundantiam: quarum auxilio perſeverare, & ſalvari poſſimus. Dicamus Deo cum Apoſtolis: *Domine, ſalva nos, perimus. Matth. 8.* Dicamus ei: Domine, da nobis gratiam tuam, quam ſi deneges, infallibiliter peribimus: da nobis gratiam, quæ nobis abſolute neceſſaria eſt, ut non pereamus, & ut ſalutem æternam conſequamur. Ecce gratiæ divinæ neceſſitatem, quæ maxima eſt: *videamus ejus operationes, quæ ſunt admirabiles.*

## SECUNDA PARS.

### *Gratiæ divinæ operationes.*

Si quam mirabilis in ſeipſa ſit divina gratia, explicare, mei nunc eſſet muneris; dicere poſſem, eam eſſe Divinitatis radium, ac donum pretioſiſſimum, & ſupernaturale, deſcendens a Patre luminum, quo ditantur, & nobilitantur homines, quodque a Deo iis offertur ut pignus hæreditatis æternæ, & ut medium ad eam aſſequendam maxime neceſſarium. Sed jam gratiæ divinæ operationes ſolummodo inquiro; quas quidem eſſe mirabiles fatebitur quicumque adverterit, quod gratia ſuadeat, alliciat, & trahat. Gratia; 1. *Suadet*: ſic tamen, quod non aduletur; 2. *Allicit*; ſic tamen quod non neceſſitet; 3. *Trahit*; ſic tamen, quod non cogat.

1. Non ſolum Doctoris nos intus erudientis, & cæleſtia myſteria aperientis, munere fungitur divina gratia. Verum & inſtar oratoris, vel patroni eruditiſſimi, in cordibus noſtris verba dicit; ac declinare a malo, & bonum operari continue ſuadet. Hæc eſt, quæ ſalutaribus ſuis ſuaſionibus ad vanos mundi honores deſpiciendos, ad abjiciendas terrenas opes, & ad carnis voluptatibus abrenuntiandum quamplurimos induxit; hæc perſuaſu ſuo innumeros ad inſiſtendum mortificationi, ad arduas quaſque virtutes ſectandas, & ad perfectionis apicem generoſe conſcendendum ſtimulavit, hæc peccatoribus multis ſuaſit, ut a miſero ſtatu ſuo deſciſcerent, ut totaliter mundo valedicerent, ſeque totos Deo conſecrarent. Interrogate Paulum, Antonium, Hilationem, Simeonem Stilitam, alioſque portentoſæ pœnitentiæ ſectatores, ab iis quærite, cur tam diram, tamque auſteram vivendi formam ſuſceperint? reſpondebunt ſe gratiæ divinæ miniſterio, & efficacibus ejus ſuaſionibus ad hoc fuiſſe concitatos. Rogate peccatores ad Deum recens converſos, ut dicant, a quo a vitiis & concupiſcentiis ſuis abrenuntiandum fuerint impulſi? Reſpondebunt haud dubie, ſe ad hoc gratiæ divinæ perſuaſu adductos. Sed tandem tu quiſquis ille ſis, interroga teipſum, a teipſo rationem poſtula, ac ſerio auſcultare, a quo factum ſit, te hoc & illud peccandi periculum evaſiſſe, te in hoc & illo caſu de gravibus tentationibus triumphaſſe, teque ad peccati odium & virtutis amorem adductum fuiſſe. Fateberis, ſuadente intus divina gratia, te ad hæc fuiſſe incitatum. O quam mirabiliter ergo ſuadet Dei gratia! ſed quod mirabilius eſt, *ſuadet Dei gratia, quod non aduletur.*

Oratores profani, ſunt ſimul & adulatores, qui in corde & ore loquuntur, & qui aliud in corde credunt, & aliud ore proferunt. Blandiri & adulari iis familiare eſt, tunc maxime, cum affantur Magnates, quorum virtutes ſimul, & vitia laudant, ut eorum ſibi benevolentiam conciliare valeant. *Adulator*, inquit Caſſiodorus, *blande omnibus applaudit, omnibus ſalve dicit: prodigos vocat liberales, avaros parcos, & ſapientes laſcivos, vel prodigos vocat curiales, garrulos affabiles, obſtinatos conſtantes, pigros maturos, & graves.* Aſt Dei gratia eſt ſacer orator, qui in cujuſque corde libere loquitur, qui veritatem non adulterat, qui res ſicut in ſe ſunt, annuntiat, quique hoc eſſe quod eſt, & hoc non eſſe quod non eſt, ſincere dicit, *eſt eſt, non non.* Gratia non eſt iis ſimilis, qui dicunt malum bonum, *væ qui dicitis malum bonum*, vel ut alia verſio habet, *væ qui dicunt malo, bonus es, qui dicunt impio, juſtus es. Iſaiæ 5. 20.* Gratia enim non ait, bonum eſſe quod malum eſt, nec homini malo & impio eum bonum & juſtum eſſe dicit, ſed veritatem puram, & integram ſine ulla adulationis ſpecie profert. Et ideo in Scriptura, gratia & veritas ſæpe copulantur, dicitur enim de Chriſto, *plenum gratiæ, & veritatis. Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum. Joann. 1.* Veritas enim & gratia ſimul junguntur, quia gratia non loquitur niſi vera; & veritatem pure, & ſimpliciter ſine ullo fœdæ adulationis fuco declarat.

Gratia, ſicut alter Joannes Baptiſta, Principum & Regum palatia ingreditur: hæc Magnatum, & aliorum quorumcumque corda ſubit, ibique vitare vitia, & virtutes amplecti ſine ulla adulatione ſuadet. Ibi ſicut Chriſtus viam Dei in veritate docet: ibique ait fornicariis, idololatris, furibus, avaris, aliiſque peccatoribus, quod ni convertantur, nunquam Dei regnum obtinebunt: *neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt, 1. Corinth. 6, 9.* Heu! O N. quoties in corde tuo locuta es de Dei gratia? quoties tibi ſuadere conata es, ut hoc & illud vitares, hoc & illud faceres? quoties tibi veritatem, libere prædicavit?

Sed

Digitized by Google

Sed tu interno huic concionatori reſtitiſti. O homo, audi hunc concionatorem: obtempera gratiæ, cujus operationes mirabiles ſunt: quia ita ſuadet quod non aduletur; & *quia ita allicit, quod non neceſſitet*.

2. Allicit nos divina gratia; modumque ſuavem, quo nos allicit, eleganti ſimilitudine exponit D. Auguſtinus dicens: *Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam; nuces puero demonſtrantur & trahitur, amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. S. Auguſt. Tract. 3. in Joann.* Sic Deus, ut nos alliciat, non nuces ſolum, non virides arborum; ſed aureos gratiæ ſuæ ramos, ipſis margaritis pretioſiores, nobis proponit; *Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos, Eccli.* 24. 22. inquit Deus; qui ſunt hi rami, quos Deus extendit? *rami mei honoris & gratiæ:* hi ſunt pulcherrimi & glorioſiſſimi gratiæ ſuæ rami, quibus peccatores, qui ſunt veluti oves errantes, ad ſe adducit. Pellicit eos Deus per internas inſpirationes, per monita & exempla, per ſacros cordis motus. Hi ſunt rami gratiæ; hæ nuces, quibus homines ad ſe adducit. Sed quod mirum eſt, ita eos per gratiam ſuam allicit, *ut illos non neceſſitet*.

Verum eſt, Deum ſuas aliquando nobis dare gratias, cum nec de iis cogitamus, nec eas volumus; *gratia datur aliquando non cognoſcenti, non diligenti, non deſideranti. S. Fulg. l. 1. de Præd. cap.* 16. Unde dicere ſolent Theologi, gratiam excitantem eſſe *in nobis ſine nobis*; quia nobis etiam nolentibus, ad nos venit, nos interius illuminat, & ad bene faciendum excitat. Sed licet Deus ſpiret ubi vult, detque gratiam ſuam quando vult, & quibus vult, inconſulto eorum libero arbitrio: ejus tamen gratia nullum neceſſitat, ac liberum cuique eſt, datam a Deo gratiam accipere, vel repudiare: *ſitum eſt in hominis voluntate*, ait Concilium Colonienſe, *ut gratiam Dei oblatam accipiat, vel reſpuat:* Quod antea expreſſe docuerat D. Auguſtinus, dicens; gratiam Dei prævenire quidem nos, non tamen neceſſitare; quia movente quacumque Dei gratia, conſentire, vel diſſentire, nobis liberum eſt: *miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel diſſentire ab ea, propriæ voluntatis eſt. S. Auguſt. lib. de ſpirit. & litt. cap.* 34.

A Deo ad benefaciendum, & a dæmone ad peccandum allicimur: ſed nec a Dei gratia ad bene faciendum, nec a Dæmonis tentatione ad peccandum neceſſitamur: *inſtigare forte poſſunt aliquæ virtutes Diabolicæ ad peccatum; & aliæ juvare ad ſalutem; non tamen neceſſitate cogimur, vel agere recte, vel male. Origenes. 1. Periarch. cap.* 1. Et revera, ſi a Dei gratia neceſſitaremur: qui bene agerent, æternam non mererentur gloriam, quia non eſt meritum, ubi libertas non eſt: qui etiam male agerent, æternis digni non eſſent ſuppliciis, quia hi dicere poſſent; ſi peccavimus, hoc ita factum eſt, quia deerat gratia ad bonum neceſſitans, ſine qua peccatum vitare, & bene agere nobis erat impoſſibile; & ideo plecti non debemus. Hæc ratio ſumpta eſt a D. Hieronymo, dicente: *Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt. D. Hieron.* 12. *adverſ. Jovin.* Mirabiles ergo divinæ gratiæ operationes, quia ita nos allicit, quod non neceſſitet: *ac etiam quia nos trahit, quod non cogat*.

3. Tanta eſt peccatoris infirmitas, ut ſine divinæ gratiæ auxilio, a peccato ſurgere, opera vitæ æternæ digna facere, & ad Deum ire nequeat; peccator enim eſt quaſi ovis errabunda, quæ ad animarum Paſtorem Chriſtum, & ad Patrem æternum ire non poteſt, niſi per gratiam ſuam eum Deus trahat, *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum; Jo:* 6. 44. id eſt, ut explicat Hugo Cardinalis. *Niſi gratia Dei eum prævenerit, & adjuverit*. Trahit nos Deus flagellis, trahit promiſſis, trahit gratia ſua: trahit Deus *flagellis*; cum enim homines percutit & affligit, ad eum properant, eumque quærunt, *cum occideret eos, quærebant eum. Pſ.* 77. 34. Trahit Deus *promiſſis*, ut enim homines ad ſe trahat, æternam iis beatitudinem pollicetur; & ſic trahi petebat ſponſa, dicens, *trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant.* 1. 3. Trahit tandem Deus *ſua gratia*, nec enim flagellis & promiſſis homines trahit; niſi gratia ſua eos ſimul trahat. Et ideo ait, *attraxi miſerans; Jer.* 31. 3. id eſt, ut exponit præfatus Cardinalis; *attraxi te, dans miſericordiam & gratiam*. O quam mirabiliter trahit nos Deus! Sed quod majori admiratione dignum; *ita nos trahit Deus, quod nos non cogat*.

Cum enim dicitur, neminem venire, niſi Pater traxerit eum, non ita debet intelligi, quod vi & coactione, veluti bruta animantia trahamur: quia tractus hic, non eſt violentiæ, ſed amoris, & miſericordiæ. Unde Auguſtinus: (ſi Poetæ licuit dicere, *trahit ſua quemque voluptas*; non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio: quanto magis nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur virtute, delectatur beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur vita æterna? *Auguſt. tract.* 26. *in Joann. c.* 6. Sic ad Deum trahit nos gratia, ita tamen, quod non cogat, nec vim inferat, quia ea trahente, voluntarie, libere & non coacte ad Deum imus, & ad illum ire, vel non ire, nobis liberum eſt, *qui trahuntur, ita veniunt, ut ſi vellent, poſſent non venire. D. Proſ. l.* 3. *de voc. gent. c.* 27.

Deus qui nos pie vivere, virtutem ſectari, & æternam beatitudinem conſequi cupit, per gratiam ſuam ad pie vivendum, & ad virtutem ſectandam nos movet, allicit & trahit, non tamen cogit; nos bonos & ſanctos eſſe deſiderat, non tamen vi & coactione nos bonos & ſanctos efficit, ſed dat gratiam ad pie vivendum neceſſariam, cui cooperari, vel non cooperari, nobis liberum eſt, *Dei vocatio nullum cogit, nec mentem eorum, qui virtutem volunt contemnere, ullo modo violentat; ſed hortatur quidem ac conſulit, & omnibus modis bonos eſſe perſuadet; ſi vero aliqui reluctantur, nullo modo cogit, ut boni eſſe velint. D. Chryſ. hom.* 8. *in cap.* 6. *Matth.*

O quam ridiculi ergo, qui ſe a Deo ad benefaciendum cogi expectant! Cum trahit eos Deus variis afflictionibus, quas patiuntur: prædicationibus, quas audiunt: ſalutaribus monitis quæ ipſis fiunt, & internis gratiæ auxiliis quæ ipſis dantur, Deum trahentem ſequi renuunt, & ea ad quæ trahi facere no-

noſunt: quaſi expectant, ut Deus ad abrenuntiandum vitiis, ad pœnitendum, & ad recte vivendum eos cogat. Sed ſciant, inquit D. Auguſtinus, Deum trahere, non tamen cogere, *certum eſt Patris tractionem non inferre coactionem. Auguſt. ſerm. 2. de verb. Apoſt.* Quare non a Deo ad benefaciendum cogi expecteris, ſed trahenti ejus gratiæ obtemperare, trahit vos Deus ad valedicendum mundo & pompis ejus; eis generoſe valedicite: tradit vos ad pœnitentiam ſerio amplectendam, eam ſerio amplectimini; trahit ad ardua virtum opera: arduis virtutum operibus incumbite, ac in omnibus cooperamini gratiæ Dei: cujus ita mirabiles ſunt operationes, ut *ſuadens*, non adulctur, *alliciens*, non neceſſitet, & *trahens*, non cogat. Ecce gratiæ operationes, *videamus nunc ejus triumphos*.

## TERTIA PARS.

*Gratiæ divinæ triumphi.*

VIctrices & triumphantes non ſunt gratiæ omnes, quæ a Deo hominibus impenduntur, non omnes de cordibus noſtris triumphant; *ſive*, quia non omnes æqualiter trahunt; *ſive*, quia non omnibus æqualiter obtemperamus & cooperamur. Fatendum tamen, maximos, ac glorioſiſſimos eſſe gratiæ divinæ triumphos, quia ſæpe de hominibus triumphat, 1. qui indurati ſunt, 2. qui perditi ſunt, 3. qui rebelles ſunt.

1. Mollia, flexibilia, & tractabilia ſunt hominum aliquorum corda, quæ flante divinæ gratiæ aura, veluti cera liqueſcunt, emolliuntur, & in varias figuras facillime finguntur. Sed aliorum multorum corda ſunt dura, adamantina, & quaſi marmorea: quæ emolliire & flectere quaſi impoſſibile videtur: Deus tamen de illis ſæpe triumphat cordibus, datque gratias ita validas, ut corda quantumvis dura & inflexibilia conterat, & quo voluerit, flectat. *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, Pſal. 77. 20.* petrina hæc corda ſæpe Deus ita per gratiam ſuam percutit, ut de iis glorioſe triumphet, & ex his amaras pœnitentiæ lacrymas eliciat.

Hujuſmodi erat cor Auguſtini, adhuc juvenis, ita induratum erat cor ejus, ut a venereis abſtinere, ſibi impoſſibile arbitraretur; ſed adveniens Dei gratia, ita de corde ejus triumphavit, ut quod antea impoſſibile, mox facillimum ei viſum ſit. Guillelmus, Aquitaniæ Dux, in omni fere vitiorum genere induratus erat; prædicatoribus, monitoribus, ac ipſi Deo vocanti & excitanti ſæpe reſtiterat, ſed tandem ita de eo triumphavit gratia, ut ex peccatore famoſo, in auſterioris pœnitentiæ virum ſit immutatus. Sed quis Matthæum a telonio avocavit, ac graves pecuniarum ſarcinas abjicere compulit? nonne Dei gratia? Quis Saulum, iræ vas iniquiſſimum; quis, inquam, Saulum adhuc ſpirantem minarum & cædis in Diſcipulos Domini, a ſuſcepto facinore complendo compeſcuit, & ad Apoſtolica munera vocavit, nonne triumphans Dei gratia? Taceo Melanias, Pelagias, & alios quamplurimos utriuſque ſexus, induratos peccatores, de quibus gratia ita glorioſe triumphavit, ut eos ad pœnitendum adduxerit, ac lapidea eorum corda in uberrimos lacrymarum fontes immutarit, *convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Pſal. 113. 8.* Verum eſt quod non omnis gratia de induratis peccatoribus triumphet, ſed ſpecialis quædam eſt Dei gratia quæ ita de iis triumphat, ut a nullo duro corde reſpuatur. *hæc gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur. D. Aug. l. 8. de Prædeſt. Sanct. c. 8.* At non ſolum ſæpe triumphat divina gratia de hominibus qui indurati ſunt: *verum & de iis qui perditi ſunt; ſub multorum vitiorum cœno immerſi.*

2. Nonnullos reperire eſt, ita abdomini, veneri, & aliis vitiis addictos, ut omni prorſus gratia indigni ſint: Deus tamen per miſericordiam ſuam eos benigne reſpicit, fugiunt illi, & per gratiam ſuam eos Deus ſequitur, *miſericordia tua ſubſequetur me. Pſal. 22. 6.* Deſcendunt hi uſque ad peccatorum abyſſum, ita ut omnino perditi videantur, ſed Deus non dereliquit eos: illos enim per gratiam ſuam benigne vocat, allicit & ita trahit, ut ſi pereant, non defectu gratiæ, ſed ſua culpa pereant. *non ideo mali pereunt, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia noluerunt. Concil. Valentin. 3. cap. 2.* Licet autem de perditis hiſce hominibus non ſemper, ſæpe tamen triumphavit divina gratia, cujus rei aliqua hic exempla adducere non pigebit.

Noſtis perditiſſimam, ac omnibus plane vitiis deditam fuiſſe Magdalenam: hæc erat mulier in Civitate peccatrix, e qua ſeptem Chriſtus ejecit dæmonia, hoc eſt, ſeptem peccata capitalia, ut nonnulli explicant. Quis autem de ovicula hac errante, & perdita triumphabit? hoc opus dexteræ Excelſi, hic triumphus adſcribendus divinæ gratiæ, quæ ita Magdalenæ cor immutat, ut ex magna peccatrice, pœnitentiæ prodigium ſubito facta ſit.

Ejuſdem fere ſortis erat Maria Ægyptiaca; neminem latet, quam perdita, ac fœdæ libidini addicta fuerit: hæc Jeroſolymam pergens, navigantibus ſe adjungit, ut luxuriæ indulgeat, alioſque ad peccandum alliciat. Nec ſtipendium illa petit uſuræ libidinoſæ corporis ſui, quæ contra dona & ipſa largitur, ut libidinem expleat, & ad libidinem illos pelliceat. O quam miſera, o quam perdita hæc mulier! quis eam a via hac peſſima revocare, & Dei obſequio mancipare valebit? quis hanc peccatricem mundare & ſanctificare poterit? hoc poteſt Deus; per gratiam ſuam ita de ea triumphat, ut illam ad ſolitudinem adducat, ubi inauditæ pœnitentiæ ſpecimen, & mirabile omnium virtutum exemplar extitit.

Pelagiam ſub ſilentio præterire ſtatueram, ſed non ſine admiratione in ea videre quiſque poterit glorioſum divinæ gratiæ triumphum. Si quis ſcire cupiat, quæ & quam perdita fuerit hæc mulier, dicit ipſamet: *Ego ſum illa Pelagia, pelagus iniquitatis, exundans fluctibus peccatorum, perditionis abyſſus, loquens animarum, ego Pelagia, diſcipula diaboli.* Hæc Antiochiam perambulabat, gemmis reſplendens, & procorum circumcincta caterva, quibus luxuriæ venena miniſtrabat: cum ecce ducente Dei Spiritu ædem ſacram ingreſſa, ſanctum Epiſcopum Nonnum audit, & dum e ſuggeſtu loquitur Præſul, ad peccatricis cor loquitur Deus, qui per gratiam ſuam eam ad pœnitentiam excitat, eamque ad montem Oliveti vocat, ubi omnium mortificationum genere corpus ſuum cruciat, ac tam pie, tam religioſe,

tam-

Digitized by Google

tamque mirabiliter vivit, ut Sanctorum faſtis adſcribi mereatur. Miramini hos, & innumeros alios hujuſmodi divinæ gratiæ triumphos, quæ non ſolum triumphat de his, qui perditi, *ſed etiam de his qui rebelles ſunt.*

Per gratiam ſuam Deus *attrahit & nolentes*, inquit Sanctus Petrus Chryſologus. Verum quidem, quod ſi quis gratiæ divinæ motibus, quantumvis vehementibus, pertinaciter obtemperare nollet, eis vere reſiſtere poſſet, inſtar Judæorum, qui gratiæ ſemper reſiſtebant, *vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtites. Act. 7. 51.* Quare non ita intelligendum, quod gratia trahat, & rapiat *nolentes*, & reſiſtentes, ipſis invitis, ſed gratia *attrahit & nolentes*, ac de nolentibus & rebellibus triumphat, quia ex nolentibus & rebellibus eos volentes conſentientes, & libere cooperantes efficit, *non reſiſtentem, invitumque compellit, ſed ex invito volentem facit. S. Proſper lib. contr. collat. c. 6.*

*Ego murus*, inquit Deus, *& ubera mea ſicut turris. Cant. 5. 10.* Eſt quidem Deus quaſi murus, quem peccatores ingrati, ac voluntati ejus rebelles, innumeris criminibus impetunt; ſed cum adverſus Deum factorem & benefactorem ſuum majori cum impudentia inſurgunt, producit ipſe miſericordiæ ſuæ ubera; ex quibus nonnunquam tantam gratiarum effundit copiam, ut de iis triumphet, eoſque etiam nolentes, & rebelles ad ſe trahat, ſeu volentes efficiat, *ex invito volentem facit.*

Ita de peccatoribus quibuſvis, etiam rebellibus & protervis, Deus per gratiam ſuam triumphat, ut cum aliquem ad ſe trahere & ſalvare ſtatuit, nullus ei reſiſtat, *Dei volenti ſalvum facere, nullum humanum reſiſtit arbitrium. S. Auguſt. l. de corrept. & grat. c. 30.* Certum eſt, gratiam non tollere, ſed ſanare, juvare, & perficere liberum hominis arbitrium, *gratia Dei humanum ſanatur, non aufertur arbitrium. S. Fulg. lib. de grat. c. 120.* Certum eſt etiam Deum, qui hominem liberum condidit, per gratiam ſuam ejus libertatem non auferre, *auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur*, inquit Cæleſtinus Pontifex Maximus. *Cæleſt. Epiſt. ad Epiſc. Gall. cap. 13.* Licet autem Deus per gratiam ſuam humanæ non officiat libertati; mirabiles tamen, & nobis ignotos novit modos, quibus dura, ingrata, ac rebellantia corda flectat, vincat & expugnet, ac ita de hominibus triumphat, ut eos ex nolentibus & rebellibus, volentes, & ejus voluntati obtemperantes efficiat, *ex invito volentem facit.*

Ecce mirabiles, & extraordinarios gratiæ divinæ triumphos, extraordinarios dico, quia non ſemper, ſed aliquando dumtaxat, ſic de hominibus induratis, perditis, & rebellibus triumphat. Nec humani ingenii eſt, inveſtigare: cur & quomodo de hoc, & non de illo triumphet, *quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli judicare ſi non vis errare.* Quid ergo faciendum? *non traheris? ora ut traharis*, ſubdit D. Auguſtinus. *S. Auguſt. Tract. 26. in Joann.* Certiſſimum eſt, quod Deus per gratiam ſuam ita omnes trahat, ut omnes converti poſſint, ſi velint; ſed ſi quis ita induratus ac protervus ſit, ut pluries divinæ gratiæ reſtiterit, a Deo ſupplex potentiorem poſtulet gratiam, cujus virtute a vita ſua peſſima trahatur, & evellatur, *non traheris? ora ut traharis.* Dicat Deo cum Mellifluo Bernardo. *O Domine, voluntatem meam trahe quodammodo invitam, ut facias voluntariam; trahe torpentem, ut facias currentem. Bern. ſerm. 21. in Cant.* A Deo trahens illa gratia enixe petenda eſt, ſed & gratiæ fideliter obtemperandum. Audite Paulum clamantem, & hortantem omnes, ut in vacuum Dei gratiam non recipiant, *exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. Cor. 6. 1.* Non ergo eam in vacuum recipiatis, ſed ei ita obtemperate, ut ea auxiliante fructus pœnitentiæ, & æternæ gloriæ dignos faciatis. *Amen.*

## DOMINICA QUARTA.

### *DE*

# DIVINA PROVIDENTIA.

DEi providentia, quæ creata omnia mirabiliter ordinat & gubernat, tres dicit & includit Dei perfectiones, ſcientiam ſcilicet, bonitatem, & omnipotentiam, quarum ſingula officia diſtinguit Hugo a Sancto Victore, dicens: *Scientia diſponit, voluntas movet, poteſtas exequitur. Hugo l. de Sacr. c. 6.*

*Infinita Dei ſcientia*, eſt quaſi oculus divinæ providentiæ, quo omnes omnino creaturas, & omnia quæ ad illas in fines ſuos dirigendas neceſſaria ſunt, clariſſime cognoſcit. *Infinita Dei bonitas*, eſt cor divinæ providentiæ, quo ea ſingulis creaturis dare decernit, quæ ad fines ad quos conditæ ſunt aſſequendos, neceſſaria ſunt. *Infinita Dei potentia*, eſt quaſi manus divinæ providentiæ, quæ executioni mandat, quæ bonitas, ſeu Dei voluntas facienda decrevit.

Brevis quædam divinæ providentiæ idea in hodierno proponitur Evangelio, in quo dicitur quod Chriſtus turbam quæ eum ſequebatur, & quæ fame gravabatur, inſpexerit; *cum vidiſſet, quia multitudo maxima veniſſet ad eum.* Ecce oculum divinæ providentiæ. In hoc Evangelio deinde dicitur, quod populi famem patientis, Chriſtus miſertus ſit, *miſertus eſt ſuper eos. Marc. 6. 34.* Ecce cor divinæ providentiæ. In hoc tandem Evangelio dicitur, quod Chriſtus panes multiplicaverit, dederitque populis ad manducandum; *diſtribuit diſcumbentibus:* Ecce divinæ Providentiæ manum. A ſpeciali hac Chriſti in populum, qui eum ſequebatur, ad univerſalem Dei in omnes creaturas providentiam tranſeamus, de qua &c. *Ave.*

NOn jam nobis colluctatio adverſus Democriti & Epicuri diſcipulos, quorum olim tanta erat cæcitas, ut in Deo circa res creatas providentiam eſſe negarent. Sed eos ſolum alloquor, qui ſe Chriſtianos profitentur, quorum aliqui de Dei providentia dubitant, aliqui de ea murmurant, & aliqui de ea diffidunt. Qui de Dei providentia dubitant, increduli ſunt; qui de ea murmurant, impii ſunt; & qui de ea diffidunt, ſunt timidi, & meticuloſi, qui omnia ſibi defutura pertimeſcunt.

O *homo incredule*, ne dubites de divina providentia, ſed hoc crede, quod fides docet, quod ratio

ſua-

Digitized by Google

ſuadet, quod ipſi ſenſus apprehendunt. *O homo impie*, ne in Dei murmures providentiam, ſed ejus myſteria adora, ejuſque circa creaturas ſollicitudinem admirare. O *homo meticuloſe*, ne de Dei providentia diffidas, ſed jacta cogitatum tuum in Domino, ejuſque providentiam nunquam tibi defuturam firmiſſime confide.

Videt quiſque veſtrum, mihi jam certamen incundum adverſus illos incredulos, impios, & meticuloſos, qui omnes in Dei providentiam contumelioſi ſunt. Diſſertationes tamen ſtylo ſcholaſtico non inſtituam, ſed ſolito meo diſſerendi modo dicam: 1. *adverſus incredulos*, quod de Dei providentia non eſt dubitandum; 2. *adverſus impios*, quod de Dei providentia non eſt murmurandum; 3. *adverſus timidos & meticuloſos*, quod de Dei providentia non eſt diffidendum. De Dei providentia *non eſt dubitandum*, *non eſt murmurandum*, *non eſt diffidendum*: En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*De Dei providentia non eſt dubitandum.*

CONcipiebant plerique Gentilium, aliquam eſſe providentiam, qua creata cuncta conſervabantur & regebantur: ſed quia vix capere poterant, mundum, in quo tanta eſt creaturarum diverſitas, ab uno ſolo poſſe dirigi: ideo totum fere mundum diis repleverant, inter quos curam providendi rebus creatis diviſam eſſe cenſebant. *Marti* exercituum omnium curam adſcribebant, eumque iis præeſſe arbitrabantur. *Neptuno* curam maris dabant, committentes ei navium gubernacula. *Æolum* velis præponebant, ut ſub ejus regimine a vento recte dirigerentur. *Jovi* curam cæli, *Cereri* curam terræ, *Junoni* curam aeris, *Deæ Veſtæ* curam ignis, & *Plutoni* curam inferorum committebant: Immo cuilibet monti, cuilibet civitati, & cuilibet domui Deum quemdam ſpecialem attribuebant. Et ideo de filiis Iſrael dicebant milites Regis Syriæ, quod dii montium eos regerent & protegerent: *Dii montium ſunt dii eorum, ideo ſuperaverunt nos. 3. Reg. 10. 23.*

Maxima quidem eis inerat cæcitas; ſi enim totaliter cæci non fuiſſent, & ſi rationis uſu polluiſſent, haud dubie cognoviſſent, unum dumtaxat omnium eſſe principium, unum ſolum eſſe Deum; qui ſicut omnium eſt creator, ita & adminiſtrator; & qui ſicut per omnipotentiam ſuam omnia creavit, ita per eamdem omnipotentiam & providentiam omnia conſervat & regit. Non enim credibile, Deum creaturas, quas fecit, dereliquiſſe, earumque curam neglexiſſe: quia quiſque operum ſuorum curam habere ſolet; &, ut præclare ait S. Ambroſius, *quis operator negligat operis ſui curam?* nullus equidem, inquit, nam *non curare quod feceris, ſumma inclementia eſt. Ambr. l. 1. de off. cap. 13.* Immo non ſolum non eſt credibile, Deum neglexiſſe operum ſuorum curam: ſed & fieri non poteſt, ut creaturarum ſuarum curam non habeat; qua idem neceſſario debet eſſe creaturarum conditor, & creaturarum gubernator. Si enim unus eſſet creator, & alius creaturarum gubernator, nullus ex his eſſet infinite potens, ſed uterque imbecillitati ſubjaceret, *Neceſſe eſt eumdem eſſe eorum quæ ſunt, & factorem, & proviſorem: nam neque decet, neque conſequens eſt, alium factorem eſſe eorum quæ ſunt, & alium proviſorem: ſic enim imbecillitati, & debilitati uterque ſubjaceret: Damaſc. l. 2. de fide c. 29.* quare cum Deus omnium ſit creator, omnium & gubernator eſſe, omnibuſque providere neceſſario debet.

Hac quidem ratione, & gentiles, & fideles adduci deberent ad firmiter credendum, & ad nullo modo dubitandum de Dei providentia. Sed aliam, eamque clariorem, & urgentiorem deſumo rationem ex Dei ſapientia, potentia & bonitate. Si enim in Deo non eſſet providentia circa omnia creata, aut quia Deus ea non cognoſceret, aut quia iis providere non poſſet, aut quia iis providere nollet; Deus autem omnia creata cognoſcit, cum ſit ſcientia infinita præditus: iis etiam providere poteſt, cum ſit omnipotens: iis tandem providere vult, cum ſit ſumme bonus, & alienum a bonitate opificis ſit, non curare ſuum opus; quare cum Deus ſit omniſcius, omnipotens, & ſumme bonus, fatendum etiam, quod ei ſit cura de omnibus, quodque omnibus provideat. Quæ ratio deſumpta videtur ex libro Sapientiæ, ubi dicit Sapiens, Deo imputari non poſſe, ſi aliquæ creaturæ pereant; *quis tibi imputabit, ſi perierint nationes quas tu feciſti? Sap. 24. 13.* cujus rei rationem ſubdit, dicens; *non enim eſt alius Deus, quam tu, cui cura eſt de omnibus.* Quaſi dicat; non poteſt tibi imputari, ſi aliquæ ex creaturis quas feciſti pereant; quia *tu Deus omniſcius*, qui earum neceſſitates noſti; *tu Deus omnipotens*, qui eis providere potes; *tu Deus ſumme bonus*, qui iis, quantum ex te eſt, provides, earumque curam habes; nec eſt alius, quam tu, qui earum curam geras. Nec de aliquibus ſolummodo, ſed de omnibus curam geris: *non enim alius eſt Deus, quam tu, cui cura eſt de omnibus.* Credite ergo, nec quocumque modo de Dei providentia dubitetis. Sed ut clarius hæc Dei in creaturas providentia pateat, eam in quolibet creaturarum ordine inſpiciamus, & admiremur.

Triplex creaturarum ordo diſtingui poteſt, quarum aliæ pure ſpirituales, aliæ pure corporales, & aliæ partim ſpirituales, & partim corporales.

Deus autem omnes omnino creaturas, ſive pure ſpirituales, ſive pure corporales, ſive partim ſpirituales, & partim corporales, providentia ſua regit, earumque omnium curam gerit.

*Quantum ad creaturas pure ſpirituales*, ſeu Angelos; nonne ipſe Deus eſt, qui ſicut illos creavit, ita & illos conſervat, & providentia ſua regit? Nonne nobiliſſimos illos ſpiritus vivificat, protegit, & ſui viſione velut pane cæleſti nutrit? nonne ipſe eſt, qui eos, non quidem purpura, & byſſo, ſed immortalitate, gloria & incorruptione veſtit? nonne ipſe Deus mirabilem hunc ordinem inter Angelos ſtatuit; quo fit, ut unus alteri præſit, unus alteri ſubſit, unus alterum illuminet, unus alterum perficiat, & omnes ei, tamquam creatori ſuo, ſine ulla renitentia, immo maxima cum complacentia ſerviant, & in omnibus obtemperent? nonne mirabili providentia ſua eos mittit, ut homines cuſtodiant, protegant, defendant? & ut ait D. Paulus: *nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſte-*

ſte-

Digitized by Google

*ſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Hebr.* 11. 34.

*Quantum ad creaturas pure corporales*: ſeu, quantum ad totum mundum cum omnibus creaturis mere corporeis quas continet; quis, quæſo, eum regere, & gubernare poteſt, niſi divina providentia? Reſpice innumerabilitatem ſtellarum, ſuos motus, ſuoſque influxus habentium: reſpice tot germina ſeminum, tantas diverſitates animalium: quidquid natat in aquis, repit in terra, volitat in aere, circumit in cælo: omnia iſta, quæ magna, quæ pulchra, quæ ſtupenda ſunt, a quo dirigi, ac quoad motus, productiones, & propenſiones ſuas regi poſſunt, quam a Dei providentia? Sed quis videre, & mente revolvere poteſt mirabilem cælorum ordinem, ordinatiſſimum eorum motum, ſiderum pulchritudinem, varietatem creaturarum, elementorum ſymmetriam, temporum certas viciſſitudines, diverſas viventium propenſiones, ac innumeros effectus qui in mundo producuntur, & ad fines ſuos diriguntur, qui non clamet; *omnia Dei providentia & juſtitia gubernantur? S. Hier. in cap. 9. Jer.* Quis tandem veſtit terram floribus, flores coloribus, colores pulchritudine? quis veſtit & paſcit lilia agri, qui neque metunt, neque nent? quis legem ponit aquis, ut non tranſeant fines ſuos? quis omnibus volucribus cæli, piſcibus maris, animalibus terræ dat quo vivant, quo ad delicias paſcantur, ciboſque habeant guſtui ſuo placidos? quis Soli, qui eſt velut *imago Dei, oculus mundi, lampas univerſi, menſura temporum, vigor naſcentium, decor ſtellarum? S. Ambr. in Hexam.* quis, inquam, globo illo aureo dat quo luceat, quo ſingulis diebus oriatur ſicut ſponſus e thalamo ſuo; ac quo, infallibili lege & menſura, curſum ſuum ita ſervet, ut nec unico momento erret? certe hæc omnia prædicant divinam providentiam. Nec poteſt quis illa videre, & ſerio meditari, quin fateatur, totum mundum Dei providentia dirigi, & quin ſaltem in corde ſuo dicat; *tu autem, Pater, providentia ab initio cuncta gubernas. Sap.* 14. 3.

*Quantum ad creaturas partim ſpirituales, & partim corporales*, ſeu quantum ad homines, manifeſta eſt Dei providentia. Deus enim hominem non fecit, ut eum derelinquat: ſed ut eum demulceat, utque eum beneficiorum ſuorum ſcopum conſtituat: cum Deus ex puro amoris impulſu creavit, & ex ejuſdem amoris impulſu, illius, ut creaturæ omnium ſibi chariſſimæ, ſpecialem curam gerit; ſi eum Deus non rogatus condidit, inquit D. Auguſtinus, quis credat, quod illum derelinquat, poſtquam illum fecit, cumque jam orationum ſacrificio ab illo honoratur: *qui hominem fecit antequam rogaretur; deſerit, cum rogatur? S. Aug. ſerm. 1, de verb. Apoſt.* Hominem quidem non deſerit Deus; ſed mirabili ſua providentia innumera ei beneficia impendit. Unde ipſa Dei in homines providentia dicitur *mater pia & ſtudioſa*, quæ eos velut utero, & viſceribus ſuis gerit; *nutrix ſollicita*, quæ eos lactat, nutrit, ſuſtentat, & inter brachia, velut infantes portat! *viæ dux*, cum iis continuo ingedens, eoſque in omnibus viis dirigens: *ſapiens conſiliarius*, eos docens quæ ignorant, iiſque in dubiis facienda manifeſtans: *protector fidelis*, eos in periculis protegens: *conſolator benevolus*, eis in afflictionibus, & neceſſitatibus ſolatium præbens: *paſtor vigilans*, qui ſumma cura cujuſque bono invigilat; & qui ſic unumquemque hominum curat, quaſi illius ſolum curam gerat: *ſic curat unumquemque noſtrum, tamquam ſolum curet; & ſic omnes, tamquam ſingulos. D. Auguſt. Conf. lib. 3. cap.* 15. Non ergo dubitandum, ſed firmiter credendum, dari in Deo providentiam, quæ creaturas omnes, ſive pure ſpirituales, ſive pure corporales, ſive partim ſpirituales, & partim corporales, ſumma cura gubernat & dirigit: ac fatendum quod *nihil eſt prorſus, quod ſub providentiam Dei non cadat: nihil eſt omnino, quod a Deo neglectum ſit: omnia explorat, omnia conſpicit, oculus ille pervigil omnibus adeſt. S. Baſil. ſerm. in Hexam. hom.* 7.

Verum enim vero quid neceſſum eſt, cæleſtes inſpicere machinas, ſpirituales intelligentias mente revolvere, univerſum luſtrare terrarum orbem, & præſtantiorum creaturarum naturam ſcrutari, ut ex iis ad providentiæ divinæ notitiam deveniamus: cum nec ulla ſit creatura quantumvis parva, quæ Dei majeſtatem & providentiam non prædicet: *omnia profitentur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majeſtatem ſui loquuntur auctoris. Ambr. l.* 2. *de vocat. gent. c.* 1. Vide, ſi velis, unam aliquam arborem. Quis, quæſo, dat ei, quod ſuo tempore jam folia, jam flores, jamque fructus illos edat, qui hujus ſint ſpeciei, & non alterius, qui ita palato ſapiant, & non aliter? Nonne hæc habet a divina providentia? Conſidera, ſi libeat, lilia agri, a quo habent, quod ineunte vere naſcantur, deinde creſcant, poſtea floreant & tandem ad ſuam perfectionem perducantur? nonne a Dei providentia, quæ hoc ita fieri ordinavit? Contemplare, ſi placet, unam aliquam aviculam, quis eam formavit? quis caput, pectuſculum, pedes, innumeraque ejus membra condidit, & tam perfecte diſpoſuit? quis eam induit, ejuſque pennas ita ordinavit, ut veſtem componant, qua ad ornatum nulla pulchrior, & ad frigus expellendum nulla aptior fieri poteſt? Sed quis huic animalculo oculos dedit, ut obvia quæque videat; aures, ut ſonos quoslibet audiat; os, ut ſibi ad victum neceſſaria comedat? Quis hanc docuit aviculam ſuaviter canere, ut hominum oblectet animos? a quo didicit, cibum ſibi congruum quærere, res ſibi noxas averſari, devitare laqueos, advenientes venatores fugere, aera volatibus ſuis penetrare? nonne hæc omnia a Dei manant providentia? *quis diſpoſuit iſta? nonne Deus? Auguſt. in Pſal.* 148. Certe hæc omnia a Dei providentia procedant. Nec eſt aliqua planta, arbor aliqua, vel minimum quodque animal, quod non prædicet, & in quo mirum in modum non eluceat divina providentia. Et ideo præclare dixit Clemens Alexandrinus, ipſis oculis manifeſtam eſſe Dei in creaturas providentiam: quia inſpiciendæ ſunt ſolummodo creaturæ, ut clare cognoſcatur, eas a ſupremo proviſore regi. Unde eos ſuppliciis dignos cenſet, qui Dei in creaturas providentiam rationibus ſibi probari petant; cum hæc ipſis oculis pateat: *Sunt*, inquit, *quæſtiones quædam dignæ quæ puniantur, cujuſmodi eſt quærere, an ſit providentia; cum ſit manifeſta divina providentia ex aſpectu omnium*

quæ

Digitized by Google

*quæ videntur effectorum. Clement. Alex. lib. 5. Strom.* Non ergo dubitandum de Dei providentia: *ſed de ea non eſt murmurandum.*

## SECUNDA PARS.

*De Dei providentia non eſt murmurandum.*

Licet ordinatiſſimus ſit mundus iſte ſenſibilis, in eoque, velut in horologio temperatiſſimo, conditoris, & moderatoris ars, & ſapientia, quoad cælorum motus, temporum ſucceſſiones, fructuum productionem, & omnium animantium ſuſtentationem mirabiliter eluceat; quia tamen cuique in hoc mundo non omnia proſpere eveniunt, de Dei providentia conqueruntur plurimi, & de ea imprudenter murmurant.

De ea murmurare non ſolent qui proſperitate gaudent ſaltem proſperitatis tempore: Sed quia Deus omnes cruce & tribulationibus ſalvare ſtatuit, plurimi, qui cur a Deo affligantur ignorant, aut ignorare ſimulant, vel etiam quia patientia & humilitate carent, de ejus providentia inique murmurant, cum paupertate gravantur, doloribus lancinantur, morbis affliguntur, vel aliis quibuſque adverſitatibus quatiuntur.

Abſint ab ore chriſtiano hujuſmodi murmura, Deus enim qui univerſalis Dominus & gubernator eſt omnium, ſpeciali & majori ſollicitudine hominem curat, quem ad ſui imaginem condidit. Et ideo ſi homines affligi, & tribulationibus concuti ſinat, hoc facit ſupremo ſapientiæ & bonitatis ſuæ conſilio, non ut illos perdat, ſed ut eos probet, ſanctificet, & ad cæleſtis regni poſſeſſionem perducat. Deus *omnes homines vult ſalvos fieri*, 1. *Tim.* 2. 4. nullumque a regno cæleſti excludit, ſed dat omnibus, ut illud obtinere poſſint, ſi velint. Quid autem mirum (inquit S. Thomas a Villanova) ſi illi quibus paratum eſt gaudium ſempiternum, hic ad momentum tribulantur? Immo hoc eis expedit ad majorem jucunditatem in cælo percipiendam. *Thom. a Villan. ſerm. de SS. Coſm. & Dam.* Solemus namque cum magnum & præclarum convivium amicis paravimus, eos aliquamdiu ante prandium detinere, ut eſuriant; meliuſque eis pretioſa cibaria ſapiant. Sicut in vulgari proverbio dicitur: quies, quæ laborem ſequitur, gratior eſt: hoc enim boni habet malum, ut bonum ipſum juxta poſitum magis illuſtret. Sic Deus qui æternum hominibus convivium in cælo præparavit, hic eos ad modicum prius eſurire, & indigere permittit, ut poſtea exultantes dicant: *lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala. Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Non ergo murmures in Dei providentiam quæ te affligit, quia hoc agit Deus, non in tui odium, ſed ut te ſalvet, utque majori gaudio afficiaris; cum a mundi iſtius miſeriis ad immenſa Paradiſi gaudia migrabis.

En optimam, meo quidem judicio, rationem, quæ omnium ora occludere debet, ne in cælum & in divinam providentiam aperiantur. Sed nec ad murmurandum de Dei providentia aperientur ora eorum, qui adverſitatibus affliguntur; ſi ſerio conſiderent, quæ ſit naturæ humanæ ſors. Nonne enim infirma, miſera, calamitatibus circumdata, milleque periculis, & tribulationibus obnoxia eſt noſtra natura? nonne a protoparente ad nos migravit infelix illa naturæ noſtræ conditio? Sed nonne in hujus mundi exilio, ab hoſtibus, ab infirmitatibus, vel ab aliis adverſitatibus nos premi Deus voluit, ut ad cæleſtem patriam anhelemus? Cur ergo ob tribulationes, quas pateris, in Dei providentiam murmuras? Vis ne, ut erga te benignius ſe gerat Deus, quam erga Jeſum, Mariam, omnes Sanctos, omneſque penitus homines, qui hoc in mundo non vivunt ſine aliqua, & ſæpe ſine multis tribulationibus, quibus obnoxia eſt natura humana? Sed nonne vides, Deum te affligere, ut terrenis iſtis cor non affigas, & ut ad cæleſtem patriam ſuſpires? Non ergo in Dei providentiam murmures, cum affligeris; ſed gratias age factori, & benefactori tuo qui non tecum durius agit, quam cum cæteris hominibus, & qui te percutit, ut in tribulationibus cor tuum a terrenis avellat, & ad cæleſtia te totis affectibus aſpirare compellat.

Hæc qui ſerio ponderaret, a murmurationibus in Dei providentiam profecto abſtineret; ſed ſi hæc a murmurationibus afflictos coercere non valeant, rogo, ut quiſque conſideret quibus ipſe ſuppliciis plecti meruerit. Dic, O N. nonne aliquod mortale peccatum ab infantia perpetraſti? forte centum; millia forte, & plura; immo innumeris forte inquinata eſt jam conſcientia tua criminibus. Sed licet vel unicum mortale peccatum uſquam commiſeris; dic, quæſo, quibus & quantis ſuppliciis unicum hoc peccatum te dignum fecit? nonne unico hoc lethali crimine horrenda, & æterna inferni meruiſti ſupplicia? nonne unico hoc ſcelere dignus factus es, qui ſempiternis addicereris tormentis? cur ergo triſtaris, cur tribularis, cur conquereris, cur de Dei providentia murmuras, cum levibus, & tranſitoriis quibuſdam hujus mundi adverſitatibus te plectit? non murmurare, ſed Deo immortales gratias referre deberes, ac in tribulatione tua Deum benedicere, & intus dicere: Ad æterna ſupplicia condemnari merui, cur ergo æquo animo non perferam leviſſimas, quibus nunc affligor, tribulationes, quæ reſpectu pœnarum inferni nihil ſunt, conſolationes ſunt, refrigeria ſunt? non murmurare, ſed intra temetipſum dicere debes: In inferno nunc cruciantur innumeri, qui tanta, quanta ego, peccata non fecerunt, cur ergo de Dei in me providentia conquerar? vel potius, cur non continue laudabo Altiſſimum, eo quod, ne in tam acerba inferni ſupplicia incurrerem, me ad præſens uſque tempus ſervaverit?

Sic ſic loquere, o peccator: in divinam providentiam ne murmures, ſed Deum indeſinenter lauda & benedic: eo quod te, mortalis criminis reum, in infernum præcipitari non eſt paſſus. Sed & in Deum, te affligentem, murmurare non deberes, licet nullum toto vitæ tuæ tempore mortale peccatum perpetraſſes. Heu! ſi ſcires quam acerbis, quam horrendis in purgatorio plectuntur ſuppliciis, qui venialia in hoc mundo commiſerunt, nec ea expiaverunt! certe, ſi hoc probe noſſes, hujus mundi adverſitates amares, ambires, Deumque millies lau-

dares, quod non diris purgatorii ſuppliciis, ſed leviſſimis hujus mundi tribulationibus venialia, quæ commiſiſti, purgare dignetur. O quam melius, quam utilius, hujus mundi adverſitatibus a peccatis venialibus purgari, quam diriſſima in mediis purgatorii flammis ſupplicia perpeti?

Scio, aliis viis, etiam in hoc mundo, venialia purgari poſſe peccata. Sed licet nullum unquam mortale peccatum perpetraveris, licet etiam nullum veniale in tua conſcientia purgandum ſuperſit, non ideo tamen de Dei providentia, te adverſitatibus afficiente, conqueri, & murmurare debes. Quia homines Deus in hoc mundo plectit, non ſolum ut de peccatis eorum vindictam ſumat, ſed etiam: 1. *ut eos a terrenis affectibus purificet*: 2. *ut eos ad bona opera excitet*: 3. *ut eos perficiat*.

1. Tribulatio eſt quaſi ignis purificans juſtos, ab eis omnium terrenorum affectum auferens, atque ab eis omnem terreni pulveris ſcoriam tollens, & excoquens; ſicut per Iſaiam dicitur: *convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam & auferam ſtannum tuum. Iſai. 1.25.* (O quam nitidos, claros, puros, perlucidos, terſos & ſplendidos reddit Sanctos tribulatio!) inquit S. Thomas a Villanova. Sicut igne purificantur vaſa aurea & argentea, ita & igne a terrenis affectibus purificantur juſti. *S. Thom. a Villan. ib.* Quare non murmures contra Deum, qui te tribulationibus concutit, ſed ei potius gratias age, quia te affligit, ut purificet. Nonne vaſa aurea & argentea, ſi ſenſu & ratione eſſent prædita, artifici gratias agerent a quo tunderentur, & incenderentur, ad dandum eis majorem decorem, majoremque puritatem? ſic tu non adverſus Dei providentiam murmures; ſed Deo gratias age, eo quod tribulationes immittat, ut te purificet. Sed ei etiam gratiæ in tribulationibus agendæ, eo quod te percutiat, *ut ad bona opera te excitet.*

2. Cum omnia proſpere eveniunt, remiſſi eſſe, & nimio torpore diſſolvi ſolemus: in proſperitate enim non eſt devotio, non oratio, neque fervor, neque lacryma: at vero cum advenit tribulatio, ſtatim excitamur, clamamus, oramus, in lacrymas prorumpimus, obſecrantes Dominum ut liberet nos. Tribulationes ſunt veluti calcaria, quæ ad bona opera nos excitant, & ad eum nos ire cogunt: ut enim ait S. Gregorius, *mala, quæ hic nos premunt, nos ad Deum ire compellunt*, cum ergo a Deo flagellaris & pungeris, ne in ejus providentiam murmures; ſed ei gratias age, quia te percutit, ut te ad bona opera excitat. Ac etiam, *quia te percutit, ut perficiat.*

3. Tribulatio enim perficit bonos in omni genere virtutum, quia præbet materiam exercendæ virtutis. Si tollas tribulationem, ubi patientia? ubi manſuetudo? ubi humilitas? ubi fortitudo? ubi fiducia? ubi multæ aliæ virtutes? certe ſine tribulatione latent, & quaſi nullæ ſunt. Et ut ait S. Bernardinus: *ſicut ſtellæ nocte fulgent, & non in die, ita virtutes in adverſitate, & non in proſperitate ſplendent.* Non ergo in Dei providentiam murmures; ſed in adverſitatibus tuis eam adora, eam lauda, eique gratias age: quia flagellat te pius Pater, non quod te odio habeat, ſed ut innumeris te bonis afficiat.

Hæc quidem motiva mihi urgentiſſima videntur, ad arcendos vos a murmurationibus in divinam providentiam: ſed ſi hæc non ſufficiant, rogo ut attendatis ad murmurantium ſupplicia, quæ gravia ſunt in hoc mundo, & æterna in alio. Scitis, quod perierint, & exterminati ſunt innumeri Iſraelitæ, quia in Deum murmuraverant: ne in Dei providentiam murmureris, ſi ſimul cum illis perire nolitis. Murmurantibus Iſraelitis dixit Deus, *non intrabitis terram, ſuper quam levavi manum meam. Num. 16.*

Timete ſimiliter, o murmuratores, ne in vos iratus Dominus, cæleſtis Jeruſalem ingreſſu vos privet, voſque æternis ſuppliciis plectat. Quod ut vitare valeatis, ne murmuretis in Dei providentiam. At de Dei providentia non ſolum non eſt murmurandum: *ſed etiam non eſt diffidendum.*

## TERTIA PARS.

*De Dei providentia non eſt diffidendum.*

VIri ſapientes & prudentes in ſæculo, non divinæ providentiæ, ſed ſibimetipſis, ſed divitiis, ſed amicis, ſed filiis, ſed ſuæ curæ & ſollicitudini totaliter confidunt: *qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur. Pſal. 48.7.* Sed ſi recte ſaperent, *non ſibi ipſis* confiderent; cum nil ſint niſi pulvis & cinis: *non amicis*: qui ubi ſublimati ſunt, & proſperitate gaudent, quos antea amaverant, deſpiciunt, & derelinquunt. *Non filiis*: qui parentum bona plus ſæpe diligunt, quam eorum perſonas; & qui ſæpe mortem eorum deſiderant, ut hæreditate fruantur: *non principibus*, & filiis hominum, in quibus non eſt ſalus, nec certi auxilii ſpes: *non fortunæ*: quæ in rota verſatili ſedet: *non opibus*: quæ citiſſime avolant, & breviſſimo tempore poſſidentur: *non mundi ſapientiæ*: quæ in ſtultitiam ſæpiſſime vertitur, & apud Deum mera ſtultitia eſt: *non honoribus*: qui veluti fumus, & umbra tranſeunt: *non cuilibet mundi rei*: quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Cui ergo confidere debent homines? Dei ſane providentiæ; quæ in mundi gubernatione non fallitur, nec fallit: in ea ſperare, illi tamquam ſolido fundamento adhærere, ei ſe totaliter committere, & in eam omnes cogitationes ſuas, omnemque ſpem jactare quiſque debet: *jacta ſuper Dominum curam tuam. Pſ. 54.23.*

Verum eſt, homines, præ nimia in Deum fiducia, non debere opes projicere, amicos abjicere, & turpi otio indulgere: ſed non debent etiam ita opibus, amicis, & ſuæ ſollicitudini confidere ut Dei obliviſcantur, & in ejus providentia magis, quam in cæteris omnibus, non confidant. Laborent enim, quantum placebit; arte, opibus, amicis, & ſudoribus multis domos ſuas ædificare, & amplificare conentur; inutiles eorum erunt labores, niſi Deus juverit; *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Pſ. 126.* Vigilent quantum volunt: cuſtodiant domum, vineam, vel civitatem, quantum fas erit; vanæ erunt eorum vigiliæ, & inutiles conatus, niſi Dominus, ſimul cum ipſis, cuſtodierit: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Ibidem.* Congregare ſatagant immenſos pecuniarum theſauros:

rori ſi contra Dei voluntatem hoc faciant, non congregabunt, ſed potius diſpergent: ut enim ait Dominus: *qui non congregat mecum, ſpargit. Matth.* 12. 30. Excolant quanto ſtudio, & labore poterunt, hortos, agros, vineas, & viridaria: hæc omnia ſterilia erunt, nulloſque producent fructus, niſi Dominus rorem ſuum immiſerit. Litterarum ſtudiis die, noctéque vacent; ſacros & profanos omnes volvant codices, ignari ſemper erunt & ſtolidi, niſi Deus ab alto, ſcientiæ & ſapientiæ ſpiritum dederit. Niſi tandem divinæ providentiæ manus nobiſcum ſit, & nobiſcum laboret, nihil ſumus, & nihil poſſumus: quare Dei providentiæ magis, quam arti noſtræ, magis, quam laboribus & operibus noſtris confidendum: immo, tota ſpes & fiducia noſtra in Deo eſt ponenda: *jacta ſuper Dominum curam tuam*.

De Dei providentia plerique mortalium in negotiis ſuis nec curant, nec cogitant: immo ſæpiſſime contra Dei ordinationem & voluntatem, necnon per vias iniquas ditari, in ſæculo ſublimari, potentum gratiam aſſequi, aliiſque dominari, ſummo labore quærunt. Hi quidem ſimiles videntur araneæ, quæ e propriis viſceribus materiam, qua telas ſuas faciat, elicit, eaſque multo labore, & mirabili arte texit: ſed flante vento valido, vel, dato quodam ſcopulæ ictu, dejiciuntur labiles omnes illæ telæ, omniſque aranearum labor inutilis & vanus evadit. Similem in modum omnis Magnatum favor, tota mundi amicitia, divitiæ omnes, omneſque ſæculi dignitates, ſunt quaſi aranearum telæ, quæ adverſi cujuſque venti flatu dejiciuntur: & qui in hujuſmodi rebus fidunt, aranearum telæ confidunt: *ſicut tela aranearum fiducia ejus. Job* 8. 14. Vides hominem, qui omnibus aliis eminere, ſupra cælos ſolium ſuum extollere, & cæteris omnibus dominari ambit. Dum hic talia cogitat, advenit ſæpe mors principis illius cui innitebatur; vertitur fortunæ rota, & ipſe quaſi ad nihilum redigitur; quia aranearum telæ innitebatur: *ſicut tela aranearum fiducia ejus*. Vides alium, qui in infirmitate, plus Phyſicorum arti & medicamentis, quam Dei miſericordiæ & Eccleſiæ Sacramentis confidit: hic telæ aranearum innititur, & ideo confundetur ſicut Ochozias, qui in infirmitate, non Deum, ſed idola ad auxilium ſuum vocavit; 4. *Reg.* 1. 17. *ſicut tela aranearum fiducia ejus*. Alium vides, qui alicui ex viciniis litem intendit, ut eum agro, vinea, vel domo ſpoliet; plus emendicato Judicum favori, quam æquitati, & juri ſuo fidens: in judicio forte hic vincet, & adverſarium opprimet, ſed hic aranearum telam texit; quia dire punietur ſicut Achab & Jezabel, qui Naboth vineam iniquo judicio abſtulerunt: *ſicut tela aranearum fiducia ejus*. Alium cernis, qui teſtamento ſuo nihil dat pauperibus & Eccleſiis, filioſque bonorum multorum hæredes efficit; confidens, quod largas pauperibus diſtribuent eleemoſynas, quodque multas pro animæ requie Miſſas dici curabunt; ſed hic telæ aranearum confidit; quia filii & hæredes, eo mortuo, de hæreditate gaudebunt, nec de liberando a purgatoriis pœnis parente ſatagent; *ſicut tela aranearum fiducia ejus*. Quare non in divitiis, non in filiis, non in amicis; ſed in Dei providentia, quæ omnibus præſto eſt, confide; & beatus eris; *beati omnes qui confidunt in eo. Pſ.* 2. 13.

Sed velim conſideres, quid ſis, quid facere, & quid habere poſſis, ſi a Dei providentia deſtituaris? Nonne exiſtis per miſericordiam Dei, qui tibi eſſe dedit? Nonne etiam conſervaris a Deo, qui ſupponit manum ſuam, & qui ſi vel unico momento, concurſu ſuo te privaret; mox ad nihilum redigeteris? ſed poteſne aliquid agere vel cogitare, niſi Deus adjuvet? poteſne aliqua bona ſive ſpiritualia, ſive temporalia comparare, niſi Deus det? Ad tui auxilium veniant omnes mundi homines, properent peritiſſimi quique medici, accedant exercitus copioſiſſimi, de cælo deſcendant Angeli, omnis denique creatura conſervationi tuæ invigilet; quid proderunt hæc omnia, ſi a Deo non fovearis? poſſuntne omnes creaturæ, niſi adveniente Dei auxilio, ad ſtaturam tuam cubitum unum adjicere? poſſuntne vel ad unicum momentum, vitam tuam prorogare? poſſuntne aliquid felicitati tuæ addere? hæc omnia nequeunt, niſi Deus velit, & faveat; quare non in temetipſo, nec in aliis creaturis, ſed in Dei bonitate & providentiæ confide.

Ne imiteris meticuloſos hujuſmodi viros, qui de Dei providentia diffiſi, continue timent, ne quæ ad victum & veſtitum neceſſaria ſunt, ſibi deſint. Ideoque indeſinenter anxiantur & laborant pro comparandis ſibi temporaneis bonis, tantaque eſt eis rerum temporalium ſollicitudo; ut eorum quæ ſalutis ſunt, ſæpe obliviſcantur. O quam vanus & inanis ille timor! O homo, non eſt quod Deum in neceſſariis tibi defuturum diffidas. Nonne enim Deus Pater tuus eſt, qui tuas novit neceſſitates? nonne tui ſollicitus eſt, ut pius Pater? nonne ut Pater beneficus tuis providebit neceſſitatibus; modo in eo confidas, ejuſque bonæ voluntati non te opponas? certe neceſſaria filiis non denegabit, qui Pater eſt.

Vide, quomodo ſe gerat pius ille Pater erga Hæreticos, Turcas, Barbaros, alioſque ingratos filios, qui toties in illum peccant: nonne illis neceſſaria impertiri ſolet? quanto magis ea tibi conferet, ſi ei fideliter ſervias, & in ejus providentia confidas?

Si hæc non ſufficiant ad pacandam tuam anxietatem; reſpice volatilia cæli, terræ animantia, & piſces maris, quorum cuilibet ſumma providentiæ ſuæ ordinatione Deus neceſſaria diſtribuit: quanto abundantius tibi, qui ratione præditus, & ad ejus ſimilitudinem factus es, quæ ad victum & veſtitum neceſſaria ſunt, dabit; & præcipue ſi ejus providentiæ confidas, & ea humiliter poſtules?

Rationibus illis, quæ efficaciſſime ſuadent, quod Deo, quoad vitæ neceſſaria, fidere debeas, adde, ſi vis, evidentiſſimum argumentum, quo utitur D. Paulus, dicens, ſi Deus *proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Roman.* 8. 32. Eodem modo ratiocinare; dic intra temetipſum: ſi Deus proprium nobis Filium tradidit; quomodo, ad victum & veſtitum neceſſaria, nobis denegabit; ſi proprium Filium, & cum eo Sacramenta, gratias ſuas, & alia bona ſpiritualia, quæ maximi momenti ſunt, nobis conceſſit; quanto magis corporalia, nobis neceſſaria, quæ parvi momenti ſunt, ſubminiſtrabit? certiſſimum eſt, quod iſta nobis largietur, maxime ſi ea debite poſtulaverimus.

Non ergo de Dei providentia diffidas; ſed in in-

firmitatibus, & neceſſitatibus, tam ſpiritualibus, quam corporalibus, magna cum fiducia ad Dei tribunal advola: ſupplex poſtula quæ tibi ſunt neceſſaria; Deuſque ut plus Pater tibi providebit. Quod ſi aliquando ſanitatem, ciborum abundantiam, aliaque neceſſaria denegет, certus eſto, quod id ad bonum finem faciat. Videlicet vel ut ea ferventius poſtules, vel ut te probet, vel ut te convertat, vel ut te perficiat & ſalvet: quare, quidquid accidat, Dei ſemper providentiam adora; quidquid ex ejus ordinatione fiat, approba: bonis ab illa acceptis ad ſpiritualem profectum utere, dabitque plura in hoc mundo, & æterna in cælo. *Amen.*

## FERIA II.

## POST DOMINICAM QUARTAM.

# DE TEMPLORUM PROFANATORIBUS.

*Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Joann. 2.

INter omnia ſigna, & prodigia, quæ Chriſtus in hoc mundo fecit, illud Sancto Hieronymo mirabilius viſum eſt; quod hic, quem omnes humili loco, & ex parentibus pauperibus natum ſciebant, ſolus ſine ſatellitio, in conſpectu Sacerdotum & Scribarum, quibus maxime exoſus erat, & ad quorum utilitatem negotiatio in Templo fiebat, homines lucri cupidos, eoſque plurimos, ſine tumultu, & ſine ulla contradictione, unico quaſi flagello ex funibus compoſito armatus ejecerit: *Inter omnia ſigna quæ fecit Chriſtus, hoc videtur mirabilius. S. Hieron.*

At ſi res ſerio perpendatur, non unicum ibi, ſed plurima elucent miracula, quæ omnia fecit Chriſtus, ut doceat nos, Templa Deo ſacra non eſſe profananda. Chriſtus enim quaſi ſolitæ manſuetudinis oblitus, flagello armatur, menſas ſubvertit, æs effundit, e Templo expellit, ac judicium per ſeipſum, & manu propria exercet: *ecce unum miraculum.* Chriſtus hæc omnia facit in conſpectu Scribarum, & Sacerdotum, qui eum infenſiſſimo proſequebantur odio, & quorum utilitati commercia in Templo fiebant; nec tamen hi vel unicum proferunt verbum, vel aliud quidquam faciunt, ut Chriſti zelo ſe opponant; *ecce aliud miraculum.* Chriſtus ſolus, unicum quaſi flagellum manu gerens, mercatores plurimos e Templo, in quo mercaturam licite exercere poſſe credebant, nemine adverſante, expellit: *ecce aliud miraculum.* O quot in unica hac actione miracula! quæ omnia operatur Chriſtus, ut doceat nos, Templa eſſe Dei domos, quæ profanari, & in quibus temporalia, & turpia negotia exerceri non debent. *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Adverſus Templorum profanatores iſta erit concio, &c. *Ave.*

IN Chriſtum peccaverunt, Chriſtum ad iracundiam provocaverunt, & Chriſtum vindicem experti ſunt mercatores hi, de quibus hodiernum Evangelium. *In Chriſtum quidem peccaverunt* cum Templum ejus in turpis & iniquæ negotiationis domum converterint. *Chriſtum etiam ad iracundiam provocaverunt*: eorum enim videns impudentiam, ſancto ſucceſſus zelo, in eos exarſit; & quaſi manſuetudinis ſuæ immemor, adverſus illos iratus eſt. *Chriſtum tandem vindicem experti ſunt*; ipſe enim, facto ex funiculis flagello, illos e Templo generoſe ejecit.

Sicut autem Templi profanatores erant mercatores hi; ita & Templorum profanatores ſunt innumeri Chriſtiani, qui iniqua in Eccleſiis quotidie perpetrant. Ibi enim non ſolum garriunt, fabulantur, & rident; verum turpia, probroſa, & ſæpe ſcandaloſa commercia ineunt; Ibi cachinnis, impudicis colloquiis, & inordinatis geſticulationibus, Sacerdotum interturbant Sacrificium, adſtantium devotionem impediunt, & proximum ſcandalizant: Eorum ibi nulla devotio, diſcretio nulla, nullaque in Deum reverentia; ſed ibi, veluti in locis profanis, ſed non clamant, ac ſæpe iniqua meditantur, auſpicantur, & faciunt. Quid de iſtis dicam Templorum profanatoribus? Idem ſane, quod & de mercatoribus, quos Chriſtus e Templo ejecit: quicumque enim Templa profanant: 1. in Deum graviter peccant: 2. Deum ad iracundiam provocant: 3. A Deo ſevere puniuntur. Templorum profanatores, in Deum peccant, Deum irritant, & a Deo puniuntur. En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Templorum profanatores, in Deum graviter peccant.*

PRæclare dixit Philo Hebræus, totum terrarum orbem eſſe *Dei Templum*: quia ubique terrarum eſt Deus, & ubique orari poteſt. Sicut in omni tempore, ita & in omni loco Deum orare bonum eſt. Et ideo homines ad ubique orandum hortatur D. Paulus, dicens, *volo, viros orare in omni loco. 1. Tim. 2. 8.*

Bonum quidem, juſtum, & chriſtiana pietate dignum, quod ubique Deum oremus, cum ubique ſit, ubique nos audiat; & ubique nobis benefacere, nobiſque petita largiri poſſit: ſpecialiter tamen eum orare tenemur in Eccleſiis, ubi modo ſpeciali habitat, ubi ſe magis liberalem exhibet, & ubi gratias ſuas hominibus majori cum abundantia impertiri ſolet: *In Eccleſiis benedicite Domino.*

Cum Abrahamo præcepit Deus, ut in holocauſtum ſibi filium offerret, noluit Deus, ut Abraham ipſi ſacrificaret filium in quocumque loco vellet; ſed in loco, quem illi oſtenſurus erat: *Offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi. Geneſ. 22. 2.* Noſtræ autem orationes, ubicumque fiant, modo debite fiant, ſunt Sacrificia Deo gratiſſima: *Sacrificium laudis.* Sed hujuſmodi Sacrificia ei longe gratiora, & acceptabiliora ſunt, cum fiunt in loco quem monſtravit nobis Deus, ſeu in Eccleſia, quæ eſt domus orationis, *domus mea, domus orationis eſt. Luc. c. 46.* Sicut autem in Eccleſiis orare, Deo gratiſſimum eſt, ita & Eccleſias profanare, Deo eſt exoſum, & graviter peccant qui Eccleſias Deo ſacras profanant. Si enim peccaverunt mercatores hi, qui domum oratio-

tionis converterunt in domum negotiationis, quanto gravius peccant qui in Eccleſiis noſtris nunc ſtantes, nunc ſedentes, nunc genuflexi, *horis integris*, immo pluribus horis, de rebus politicis, de ſæculi negotiis, de ſecretis familiarum, de proximi defectibus, & nonnunquam de rebus peſſimis confabulantur; quanto gravius peccant, qui Eccleſiam, quæ eſt *domus orationis*, vertunt in domum fuſiſſimæ loquacitatis, in domum detractionis, vanitatis, luxuriæ & ſcandali? Iſti ſane graviſſime peccant, quia profanant Eccleſiam, quæ eſt domus orationis; *ac etiam, quia profanant Eccleſiam, quæ eſt domus Dei.*

Eccleſia non ſolum eſt domus orationis, ſed etiam domus Dei, *domus mea*. Eccleſia eſt domus Dei, quia in ea Deus ſpeciali quodam modo habitat. Certum eſt, Deum ubique eſſe, ratione ſuæ immenſitatis; nec poteſt aliquis reperiri locus, in quo Deus non ſit. Unde ſicut Jovem ſuum ubique eſſe, fabuloſe dicebant gentiles, *Jovis omnia plena*; ita Deum noſtrum, non fabuloſe, ſed vere & realiter ubique eſſe dicimus. Sed Deus qui ubique eſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam ſuam, modo quodam ſpeciali in cælo, & in Templo habitat; in cælo, in quo veluti in throno ſuo ſedere dicitur, *cælum mihi ſedes eſt*; & in Templo, quod majeſtate ſua replet, *& majeſtas Domini ingreſſa eſt Templum. Act. 8. Ezechiel. 43.*

Anima rationalis, quæ omnes humani corporis partes informat, & quæ omnibus ejus membris præſens eſt; ſpecialiter in corde, & in capite eſſe dicitur, *in corde*, ubi ſpiritus illos efficit, quos vitales dicimus, quia totum corpus vivificant, *in capite*, ubi ſpiritus animales qui viſionis, & aliis operationibus ſenſitivis inſerviunt, mirabiliter producit. Eodem autem modo Deus, qui ubique eſt, ſpecialiter eſſe dicitur in cælo, & in Templo, *Dominus in Templo ſancto ſuo, Dominus in cælo. Pſ. 10. 5.* Deus eſt ſpecialiter in cælo, quia ibi Sanctos beatificat, & glorificat: eſt etiam ſpecialiter in Templo, quia ibi peccatores juſtificat, & juſtos innumeris bonis afficit. Vel dicamus, Deum ſpecialiter eſſe in cælo, & in Templo; quia Deus Homo factus, ſeu Chriſtus, vere, realiter, & corporaliter eſt in cælo, & in Templo: *eſt in Cælo*, ubi ſedet ad dexteram Patris: *eſt in Templo*, ubi ſub ſpeciebus Euchariſtiæ latet, ſeque nobis manducandum præbet.

Nec de hoc eſt aliquis ambigendi locus: fides enim docet, quod ipſemet Chriſtus, Mariæ Virginis Filius, qui in hunc mundum venit, ut homines redimeret; quod ipſemet Chriſtus Dominus, qui natus eſt in Bethlehem, qui tot prodigia operatus eſt in terra, & qui omnes Sanctos in cælo beatificat; quod ipſe Chriſtus, qui terram veſtigiis ſuis ſanctificavit, & coram quo adorantes in cælo procidunt Angeli; quod, inquam, ipſe Chriſtus ita ſit præſens in Templo, ſicut præſens adfuit *præſepio* in die nativitatis; *monti*, in die qua prædicavit; *& Calvario*, in die qua paſſus eſt. Templum ergo eſt domus Dei; quia Deus in Templo modo quodam ſpeciali habitat; & quia Chriſtus Dominus in Templo vere, realiter, & corporaliter eſt; quare cum Templum ſit domus Dei, quis non credat, eos graviter peccare, qui commerciis illicitis, avaritia, ſuperbia, luxuria, ſcurriloquio, detractionibus, & ſacrilegiis, & aliis criminibus Templa profanant? peccant quidem, qui hæc crimina extra Templum perpetrant, ſed gravius, & graviſſime peccant, qui ea in Eccleſia committunt; quia Templum eſt domus Dei, quam his criminibus profanant: Graviter ergo peccant, qui Templum Dei profanant, quia Templum eſt domus Dei: *Ac etiam, quia Templum eſt quaſi Paradiſus in terra. S. Bernard. Tom. 1. ſerm. 20.*

Eccleſia, inquit S. Bernardinus, *eſt quaſi parvulus Paradiſus in terra.* Dici poteſt, quod Eccleſia eſt parvulus Paradiſus in terra, quia ſicut in cælo, ita & in Eccleſia Deus eſt modo quodam ſpeciali: ibi etiam Chriſtus vere, & realiter; ibi Angeli, & Archangeli; ibique eſt aula cæleſtis. Dici etiam poteſt, quod Eccleſia ſit Paradiſus in terra, quia ſicut in Paradiſo omnia ſancta ſunt; ita & in Eccleſia; in qua Deus, Chriſtus, Angeli, Sacramenta, Sacrificia, Cruces, altaria & omnia ſancta ſunt. Cum ergo quælibet Eccleſia ſit quaſi parvulus Paradiſus in terra, graviter haud dubie peccant qui Eccleſias profanant; & peccata quæ in Eccleſia perpetrant, graviora ſiunt, ratione loci, in quo peccant.

Licet Angeli, & Adami peccata ejuſdem fuerint ſpeciei, quia uterque ſuperbia, & inobedientia peccavit: Angeli tamen peccatum, Adami peccato gravius exiſtiſſe judicamus ex hoc, quod Adami remiſſibile, & Angeli irremiſſibile peccatum fuerit. Sed unde ſumitur major illa gravitas peccati Angelorum? A quo habent ſuperbia, & inobedientia Angelorum, quod graviores ſint, quam inobedientia & ſuperbia Adami? Major gravitas peccati, quod perpetravit Angelus, ſumitur ex loco in quo peccavit, quia ſcilicet peccavit in cælo, & in Palatio Domini, quod crimine ſuo contaminavit, & quaſi profanavit: *deſperatus diabolus pœnam incurrit, quia in ipſis oculis divinitatis offendit, & Palatium Domini profanavit. Chryſol. ſerm. 16.* Si peccaſſet in terra ſicut Adamus, minus grave fuiſſet ejus peccatum; ſed longe gravius eſt ejus peccatum, quia peccavit in cælo, & in Palatio Domini, quod crimine ſuo profanavit. Idem autem dicendum de peccatis, quæ intra, & quæ extra Eccleſiam perpetrantur: cæteris enim paribus, longe graviora ſunt crimina eorum, qui in Eccleſia peccant, quia criminibus ſuis profanant Eccleſiam, quæ eſt domus Dei, & quaſi parvulus Paradiſus in terra.

Dices forte, quod in Eccleſia non pecces, quia in ea ſolummodo interdum garris, & confabularis, quod non malum eſt, ſed indifferens. At falloris, quia quæ indifferentia arbitraris, non indifferentia, ſed peccata ſunt. Verum eſt, quod extra Eccleſiam garrire, & confabulari, ſit quid indifferens; ſed in Eccleſia abſque neceſſitate aliqua loqui & confabulari, peccatum eſt, ob irreverentiam, quæ committitur, reſpectu loci: & ob ſcandalum quod cauſatur, reſpectu proximi. Heu! inquit Chryſoſtomus, ſi garrire cupitis, nonne domo habetis ad garriendum? *quid, domos ad nugandum non habetis? Eccleſiam Dei contemnitis. Si quis eſt qui modeſtus, qui tacitus eſſe velit, corrumpetis? Chryſoſt. ibid.* Qui ergo in Eccleſia garriunt, peccant reſpectu Eccleſiæ, quam contemnunt & profanant. *Eccleſiam Dei*

*Dei contemnitis*, peccant etiam contra proximum, quem ſcandalizant & corrumpunt. *Si quis eſt, qui modeſtus, qui tacitus eſſe velis, corrumpitis.* Unde D. Ambroſius de his qui in Eccleſia garrire, & confabulari ſolent, ait, quod *cum parvo peccato ad Eccleſiam veniunt, & cum peccatis multis de Eccleſia recedunt. S. Ambroſ. ſer. 33.* Quare pro certo habete, quod qui in Eccleſia ſine cauſa legitima garriunt, & confabulantur, peccant: & ſi garriant tempore Sacrificii, gravius peccant. Sed longe adhuc gravius peccant, qui Eccleſias profanant commerciis iniquis, impudicis tactibus, ſcandaloſis geſticulationibus, furtis, & aliis criminibus. Iſta enim peccata, quæ in ſe gravia ſunt, graviora, & graviſſima fiunt ex circumſtantia loci, in quo perpetrantur: & maxime ex hoc aggravantur, quod committantur in Eccleſia, quæ eſt domus orationis, domus Dei, & aliqualis Paradiſus in terra. Templorum ergo profanatores graviter in Deum peccant; *ſed Deum etiam ad iracundiam provocant.*

## SECUNDA PARS.

*Templorum profanatores, Deum ad iracundiam provocant.*

IN Chriſto omnes mirum in modum illuxere virtutes; ſed præcipue miranda manſuetudo; quam tunc maxime manifeſtavit, cum illi injuriam homines irrogarunt. Contemplamini eum in cunis jacentem & vagientem: nonne ibi eum Herodes quæſivit ad necem? Quid autem tunc Chriſtus? Anne impium hunc Principem ab Angelis ſuis dire feriri ordinavit? Anne ignem de cælo deſcendere juſſit, ut illum abſumeret? forte terræ imperavit, ut illum deglutiret, vel omnes adverſus illum creaturas armavit? Nequaquam. Quid ergo Chriſtus? Tanta ejus extitit manſuetudo, ut nec quidquam mali illi fecerit; ſed tacitus in Ægyptum ſeceſſerit: *ſeceſſit in Ægyptum. Matth. 2. 14.*

Hanc demiror Chriſti, adhuc pueri, manſuetudinem: ſed major factus, majora edidit manſuetudinis ſuæ ſigna, reſpectu obſtinatorum Judæorum, qui ei ſemper infenſiſſimi fuerunt. Hi conviciis, contumeliis, & improperiis multis illum affecerunt, ac illum non ſolum populi ſeductorem, falſum Prophetam, & Samaritanum, ſed etiam dæmoniacum vocaverunt: *nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu; & dæmonium habes? Joann. 8. 48.* Ipſe autem, in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis, ſolummodo reſpondit: *ego dæmonium non habeo.* Hæc tunc fuit Chriſti manſuetudo, reſpectu Judæorum: ſed quomodo ſe habet Salvator, reſpectu eorumdem, cum ab iis flagellatur, conſpuitur, ſpinis coronatur, alapis impetitur, morti adjudicatur, & cruci affigitur? In his omnibus nil niſi clementiæ & manſuetudinis ſigna edidit; ac ſemper, *ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Act. 8. 32.*

O miram, & numquam ſatis commendatam Salvatoris manſuetudinem! Chriſtus tamen, cujus tanta erat manſuetudo, Jeroſolymitanum ingreſſus Templum, ibique reperiens vendentes boves, & oves, adeo adverſus iniquos illos mercatores iraſcitur, ut *cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, oves quoque, & boves, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit. Joann. 2. 15.* Unde tam inſolita manſuetiſſimi Salvatoris iracundia? Unde hæc ejus ira? A Templi utique profanatoribus; qui illum ad iracundiam provocant: quia Templum ſibi ſacrum, iniquis negotiationibus, & multis criminibus profanant.

Nihil tam Principum magnanimitatem oſtendit, commendat dignitatem, & majeſtatem illuſtrat, quam clementia, & manſuetudo. Hæ virtutes in iis plerumque elucent, ſive ex innata propenſione, ſive ex data iis educatione: & iis virtutibus ſupra alios homines maxime extolluntur, necnon a vili ſecernuntur populo, qui ad iram & ad vindictam pronus eſſe ſolet. Unde ſicut plebeii ſimiles ſunt Apibus, quæ quocumque modo nocentibus, mox ſpicula figunt: ita, inquit S. Ambroſius, principes ſimiles ſunt Apum Regi, qui nulli ſpicula figere novit. Sed licet manſuetudinem ament & curent Principes, ac de ea quaſi glorientur; quædam tamen ſunt crimina, quæ illos ad iracundiam provocare ſolent; qualia ſunt crimina eorum, qui illis in proprio Palatio injurias irrogant, & contumeliam faciunt. Et ſic ad iracundiam concitatus eſt Rex Aſſuerus, quia credidit, quod Reginam in proprio Palatio ſuperbus Aman opprimere voluerit; ſic etiam de Auguſto Imperatore legimus, quod a ſolita deſciverit manſuetudine, & ad iracundiam provocatus ſit, videns, quod ab impudentibus quibuſdam viris, etiam in proprio cubiculo, ſibi injuria irrogaretur. Sicut autem Chriſtus dignitate, ita & manſuetudine omnes terræ Principes ſuperat, ſed ſicut etiam terreni Principes ſolitæ ſuæ obliviſcuntur manſuetudinis, cum quis eis in proprio Palatio injuriam aliquam infert; ita Chriſtus ad iracundiam provocatur, cum in Palatio ſuo, ſeu in Templo ei injuria irrogatur. Unde Chriſtus ſimul dicitur agnus & leo: eſt enim agnus manſuetiſſimus, reſpectu illorum, qui ei extra Templum injuriam irrogant; ſed eſt leo ferociſſimus, reſpectu illorum, qui Templa profanant. Iſti enim eum ad iram excitant, quia illum in proprio Palatio aggrediuntur: ſeu in Eccleſia, quæ eſt ejus Palatium, & quæ, ut loquitur S. Chryſoſtomus: *locus eſt Angelorum, locus Archangelorum, regia domus Dei, & cælum ipſum. Chryſoſt. hom. in Geneſ.*

Jure Gentium quiſque in domo ſua, quaſi in loco tuto verſatur: nec aliqua eſt natio, quæ cujuſque domum non inſpiciat, tamquam locum refugii, in quo nullus eum aggredi, nulluſque illi injuriam facere debet: *domus ſua unicuique tutiſſimum refugium, ac receptaculum eſt*, unde graviſſima eſt injuria, quam quis alteri infert, cum illum in propria domo perſequitur. Hæc autem eſt injuria, quam Chriſto irrogant Templorum profanatores: illum aggrediuntur, illum perſequuntur, illique contumeliam faciunt in propria domo, & in proprio Palatio: quare adverſus illos iraſcitur. Eo tempore quo Chriſtus ejecit mercatores de Templo, innumeri erant in urbe Jeroſolyma omnis generis peccatores, qui, ut ait Joſephus, in foro, in platea, in caupona, & ubique in Deum peccabant. Chriſtus tamen in ſolos mercatores iratus eſt: quia illi eum in propria domo perſecuti ſunt, eumque profanationibus ſuis ad iracundiam provocaverunt. Sed heu! ſi iraſca-

Digitized by Google

ſcatur Chriſtus in mercatores illos, qui Dei Templum profanaſſe videntur, quoad hoc ſolum, quod animalia ad Sacrificia peragenda, in eo vendant, quanto magis iraſcetur in male moratos juvenes, qui in Eccleſia, ſicut in comœdia, ſe gerunt; & qui oculos ibi continuo volvunt, ut intrantium, & adſtantium juvencularum greſſum, habitum, mores, atque faciei decorem attente contemplentur? Quanto magis iraſcetur in frontoſas illas adoleſcentulas, quæ in Templo ſuis arrident procis, ac ſignis, nutibus, ſuiſque geſticulationibus circumſtantes ſcandalizant? Quanto magis in eos iraſcetur, qui in Dei domo de granorum pretio, de meſſe, de fructuum abundantia, de temporalibus negotiis, de bonis & de malis loquuntur, non ſecus ac ſi in foro, vel platea eſſent? Sed quanto magis in eos iraſcetur, qui in Eccleſia iniquas meditantur actiones: immo, & ſæpe ad prava, pudenda, & horrenda declinant? Hi ſane omnes Chriſtum profanationibus ſuis ad iracundiam provocant, & ſi ante mortem pœnitentiam non egerint; in tremendo Judicii die, modo extraordinario; & terribili in illos iraſcetur, & ſæviet. In omnes quidem Inimicos ſuos tunc iraſcetur Chriſtus: *iraſcens ipſe inimicis ſuis: Nahum* 1.2: ſed præcipue adverſus Templorum profanatores, qui in domo ſua, in Palatio & Sanctuario ſuo eum aggreſſi & perſecuti ſunt.

De Platone narrat Seneca quod cum unus aliquis ex ſervis grave aliquod perpetraſſet crimen, alteri ex famulis, cui nomen erat Euſippus, correptionem & punitionem illius demandarit dicens: *hunc tu ipſe, Euſippe, hunc punias; ego enim nimium iraſcor*. Cum tamen elapſis quibuſdam diebus, in longe gravius crimen incidiſſet idem ſervus, iraſci non timuit Plato; quin contra tunc iraſci voluit, & hunc ſervum ira ſua dignum tunc judicavit; quare ejus correptionem ſibi reſervavit; dixitque Euſippo: *ſiſte tu, dignus es nunc ira mea.* Haud diſſimiliter benignus Chriſtus alia crimina quaſi diſſimulat, & in peccatores qui illa perpetrant, minus iraſcitur: ſed Templorum profanatores, digni ſunt ira ejus, & in tremendo Judicii die adverſus illos ſupra modum iraſcetur.

Videtis ſæpe juvenem hunc impium, qui in Templo, dum venerandum illud, & Angelicis ſpiritibus formidandum ſacrificium offertur, nunc garrit, nunc clamat, nunc ridet, & nunc pejora facit. Miramini, quod Deus taceat, quod Deus diſſimulet, quodque Deus non mittat ignem de cælo, ut illum abſumat: ſed ſi nunc adverſus illum non iraſcatur Deus, in illum modo terribili iraſcetur, cum ad judicandum veniet. Tunc de illo dicet: *dignus eſt nunc ira mea*.

Videtis nonnumquam adoleſcentulas, quæ in Templo, & in medio populi, impudentioris ſuperbiæ ſigna edunt, quæ luxuriæ ſcintillas emittunt; quæ plus ad amaſium, quam ad altare in quo offertur Chriſtus, reſpiciunt; & in quibus nulla devotio, nulluſque divinæ majeſtatis reſpectus elucet. Stupeſcitis, quod Deus tam indigna patiatur: ſed expectate dum veniat ad judicandum Dominus. Tunc enim dicet: *hæ dignæ ſunt ira mea*: & adverſus illas, ſicut & adverſus omnes Templorum noſtrorum profanatores, horrendum in modum iraſcetur. Si enim, inquit S. Thomas a Villanova, iratus eſt Chriſtus in profanatores Templi Salomonis, quanto magis iraſcetur in profanatores Templorum noſtrorum, *quæ longe ſanctiora ſunt: in illo enim animalia comburebantur: & in iſtis Corpus Chriſti immaculatum, & pretioſus Sanguis offertur.* Certe in illos plus, quam dici poſſit, iraſcetur: quare ab hujuſmodi abſtinete profanationibus. At non ſolum ab iis abſtinendum, quia Templorum profanatores Deum ad iracundiam provocant, ſed etiam; *quia a Deo ſevere puniuntur.*

## TERTIA PARS.

*Templorum profanatores a Deo ſevere puniuntur.*

UT Ezechieli prophetæ magnas, quæ in Templis fieri ſolent, abominationes Deus manifeſtaret, dixit ei, ut Templum ingrederetur: *Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic. Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium, abominatio, & univerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael ... & unuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua: Ezechiel.* 8: ut, ſcilicet, idolis incenſa adoleret. Jam a tot abominationibus attonitus erat Propheta: cum ecce dixit ei Deus, majores adhuc in Templo fieri abominationes, quod ut illi oſtenderet, introduxit eum per oſtium Templi, quod reſpiciebat ad Aquilonem: *& ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* O quales abominationes! ſed majores adhuc in Templo fiebant, quas ut Prophetæ Deus patefaceret, introduxit illum in interius Templi atrium, *& ecce in oſtio Templi Domini inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quinque viri, dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis.* Cum autem Judæorum iniquitatem & abominationes Ezechieli Deus manifeſtaſſet, declaravit ei, quod illis nullo modo parceret; ſed eos ſevere puniret: *non parcet oculus meus, nec miſerebor.*

Ecce ideam, & quaſi Prophetiam abominationum, quæ in Eccleſiis noſtris fieri ſolent: quam multi enim ibi adoleſcentulas, tamquam idola ſua, venerantur! Quot prava in cordibus eorum irrepunt deſideria! quot juvenes, ut bruta animantia, ferinis & obſcœnis ibi cientur affectibus! quot ibi filiæ ad ſuos anhelant Adonides! quot ibi [illegible]ines, altari, Sacramentis, & ipſi Deo terga vertunt; ſeu, ſpiritualia, & divina contemnunt! At in Eccleſiis noſtris majores adhuc videntur abominationes: ibi enim idololatriæ, ibi ſacrilegia, ibi impudicitiæ multæ perpetrantur: illucque accedunt multi *ad adulteria componenda, ad lenocinia tractanda. Tertull. Apolog.* 5. Taceo alias multas abominationes, quæ in Eccleſiis noſtris fiunt; ſed ſciant hi templorum profanatores, quod illos ſevere puniet Deus, nec illis quocumque modo miſerebitur, ſi in hoc mundo pœnitentiam non egerint, *non parcet oculus meus, nec miſerebor.*

In Eccleſiis noſtris baptizamur, ab originali noxa abluimur, & Confirmationis Sacramento ad conſtanter pro fide decertandum roboramur, ibi per pœniten-



Digitized by Google

tentiam Deo reconciliamur, & de lapſu & relapſu a Deo miſericordiam impetramus, ibi ad Eccleſiaſtica munia rite decenterque obeunda ordinamur, ibi Chriſti corpore & ſanguine paſcimur & ſaginamur; aliiſque multis, & maximis a Deo beneficiis afficimur: quare ſi poſt tot accepta in Eccleſiis noſtris beneficia, eas violamus, & profanamus, Deus nos ſevere puniet, nec quomodocumque ad nobis indulgendum flecti poterit, *non parcet oculus meus, nec miſerebor.*

De gentilibus refert Moralis Philoſophus, quod idolorum ſuorum Templa ingrederentur in omne modeſtiæ argumentum compoſiti; quodque ibi Sacrificia offerentes, magna Deos ſuos reverentia colerent, *intramus Templa compoſiti: ad ſacrificandum acceſſuri, vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omne argumentum modeſtiæ fingimur. Seneca lib. 7. nat. quæſt. c. 30.* Ad hanc in Templis modeſtiam, & ad hanc, reſpectu Deorum ſuorum, reverentiam adducebantur ex hoc maxime, quod firmiter crederent, omnia mala, omnia ipſis evenire damna, eo quod minus reverenter Templa, & idola ſua tractarent. Quod experimento ſe didiciſſe dicebant. Sed, heu! inquit Auguſtinus, ſi hi idololatræ ſe puniri cenſebant, & revera puniebantur, quia in Templis ſuis minus reverenter ſe habebant, quanto gravius punientur Chriſtiani, qui Eccleſias, in quibus non idola, ſed verum Deum colere profitentur, criminibus ſuis violant, & profanant, *ſi gentiles illi putabant ipſis tot mala peſſima eveniſſe, eo quod irreverenter Deorum ſuorum profana Templa tractaſſent, quid nos promerebimur, ſi veri Dei noſtri Eccleſiam profanaverimus? Auguſt.* Certe graviter, etiam in hoc mundo, ſæpe punit Deus Templorum profanatores, & facile crediderim, quod ſæpe moriatur filius, quem pater diligebat, langueat filia quam mater adorat, depopulentur ſegetes, ignis de cælo cadat, & aliis innumeris flagellis Deus homines plectat; quia hi Templa criminibus, & irreverentiis ſuis profanant. Sed majora adhuc ſunt ſupplicia, quibus Deus Templorum profanatores punit; *quia illos æterna beatitudine privat, & inferni ſuppliciis adjudicat.*

Aſſerit D. Paulus, quod Deus illum diſperdet, qui Templum profanaverit, *ſi quis Templum Dei violaverit; diſperdet illum Dominus. 1. Cor. 3.* Quomodo illum diſperdet? Ita ſane, ut illum æterna beatitudine privet, *in terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini. Iſa. 26. 10.* Ecce pœnam, qua Deus Templorum profanatores plectit. O impie ad Templum te confers, ut ibi ſicut in platea, in foro, vel in comœdia te geras; o inverecunde peccator, ad Eccleſiam venis, ut illam verbis obſcœnis, impudicis aſpectibus, & iniquis actionibus violes. O impudens adoleſcentule, tu inquam meretricula, Templo adſtantes, profani amoris igne inflammare ſatagis: o ſceleroſi quique, in conſpectu Dominici Sacramenti, & dum divina myſteria celebrantur, jocis, iniquis geſticulationibus, & pudendis commerciis Eccleſiam profanatis; Dei judicia pertimeſcite, Deum timete, qui in profanationum veſtrarum pœnam, æterna vos privabit beatitudine: *in terra Sanctorum iniqua geſſit; & non videbit gloriam Domini.* O terribilem comminationem! *Durus eſt hic ſermo, & comminatio valde terribilis,* inquit Sanctus Bernardus, quare ne Templa profanetis, cum Deus Templorum profanatores tam ſevere puniat. Sed eos adhuc ſevere punit; *quia æternis illos inferni ſuppliciis adjudicat. S. Bernard. in declam.*

Nadab & Abiu, & Aaronis filii, unicum inadvertentiæ & inconſiderationis peccatum in Templo perpetrarunt, cum ignem alienum Deo obtulerunt: *inconſiderate peccaverunt,* inquit Salvianus; *Salvian. lib. 1. de prov.* hi tamen ob unicum illud inconſiderationis delictum, in Templo commiſſum, ab igne conſumpti ſunt. Grave quidem illud ſupplicium; ſed gravioribus plectentur pœnis, qui in Eccleſiis noſtris iniqua gerunt: qui Templa noſtra violant, Deique domum profanant; iſti enim ad ultrices tartari flammas in æternum condemnabuntur: *qui iſtic precibus non inſiſtitis, sed fabulis, jocis, & aliis peccatis, cum ipſo dæmone ad æterna pergit tormenta. Aug. ſerm. 155. de temp.*

Turcæ, homines cæterum barbari, coram Imperatore ſuo velut ſtatuæ conſiſtunt, & in conſpectu ejus, non ſolum confabulari, ſed nec unicum verbum in alicujus ex adſtantibus aurem inſuſurrare audent. Philoſophis prohibuit Julianus Imperator, ne in Lycæo confabularentur; immo, & ne quidem reſpirarent: *in Lycæo ac gymnaſio, ne reſpirandum quidem.* Gentiles etiam in profanis Templis ſuis, & coram idolis, nec loqui, nec reſpirare audebant. Multi autem Chriſtiani ita impudentes ſunt, ut in Eccleſia, in qua Chriſtus Rex, & Imperator noſter reſidet; ut in Eccleſia, quæ veneranda & auguſta eſt omnium virtutum ſchola: ut, inquam, in Eccleſia Deo ſacra, coram Chriſto, & Angelis ejus, non ſolum loquantur, & rideant, ſed etiam de negotiis ſæcularibus, & quandoque iniquis pertractent, quo nil indignius, nihil pejus videtur: *an quidquam indignius eſt, quam oracula divina circumſtrepi, circumſonari Sacramenta confuſis vocibus, dum gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo referunt. Ambroſ. lib. 3. de Virg.* Certe nil Chriſtiano nomine indignius: quare ſi Chriſtiani illi, qui Templa profanant, pœnitentiam non agant, & a ſuis non abſtineant profanationibus, eos Deus ad inferni ſupplicia condemnabit, eoſque ibi diutiſſime plectet: *perdet illos Dominus,* inquit S. Antoninus, *animas eorum inferno adjudicando.* Abſtinete ergo ab Eccleſiarum profanationibus, ut in Deum non peccetis, ut Deum ad iracundiam non provocetis, & ut a Deo ſevere non plectamini.

Ab his ſane abſtinebant primævi Chriſtiani; de quibus ait Philo, quod tantum eorum in Eccleſia eſſet ſilentium, *ut ne mutire quidem cuiquam liceat, aut reſpirare vehementius. Philo lib. de vera Conſtant.* Quod, ut refert Caſſianus, a multis Chriſtianorum millibus, qui ſub ejus cura vivebant, religioſe ſervatum eſt: *Hi,* inquit, *cum ſolemnitates, quas ſynaxes vocant, celebraturi conveniunt, tantum a cunctis ſilentium præbetur, ut cum in unum tam numeroſa fratrum multitudo conveniat præter illum, qui conſurgens Pſalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adeſſe credatur. Ac præcipue cum conſummatur oratio, in qua non ſputum emittitur, non excreatio obſtrepit, non tuſſis interſonat;*

Digitized by Google

*rat, nulla vox ante Sacerdotis pacem concludentis auditur. Caſſian. l. 2. c.* 10. Heu! quantum ab omni Templorum profanatione alieni erant hujuſmodi Chriſtiani! eos imitamini, ac in Templo religioſum ſervate ſilentium. Vel etiam in Templo eodem modo vos habete, quo Angeli in cælo, ubi Deum laudant, adorant, & timent: *laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates.* Angeli in cælo Deum laudant: eum in Eccleſia laudate, & toto cordis affectu invocate: Deum Angeli in cælo adorant, & ſumme venerantur: eum in Templo adorate, & reverenter colite: Deum in cælo timent Angeli: eum in Templo timete: ac ibi cum metu & timore, debite officia perſolvite, vel iis adſtate.

O quam præclarum, quam religioſum, & utile eſſet, ſi quiſque in Templo Deum oraret, honoraret, & timeret! Si Catholici ad nugas, ad garrulitatem, ad immodeſtiam, & ad pejora in Templo non declinarent, ſed ibi Deum ferventer orarent, & Sanctos cum timore venerarentur: id ſane in Templo facerent, quod in cælo faciunt Angeli: & quævis Eccleſia eſſet quaſi Paradiſus in terra. Si Catholici Eccleſias non profanarent, ſed in iis Deum debite colerent, innumeras a Deo gratias impetrarent, & gravia, quibus plectuntur Templorum profanatores, ſupplicia devitarent. Quare ſi quocumque modo Templa umquam profanaſtis, veniam a Deo ſupplices poſtulate, ac firmiter ſtatuite, ſic in poſterum vos habere in Templo, ſicut Angeli in cælo. Quod ſi feceritis, cæli januas vobis aperiet Dominus, ut ibi ſimul cum Angelis in æternum eum laudetis. *Amen.*

F E R I A III.

POST DOMINICAM QUARTAM.

# DE DEI MANDATIS.

*Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Joann. 7. 19.

IN Eccleſiæ Chriſti primordio, magno cum ſpiritus fervore legem Dei ſervabant Chriſtiani, & inter eos multi non mandata ſolum, verum & ipſa conſilia Evangelica perfectiſſime cuſtodiebant: ſed jam longo temporis tractu, primævo hoc fervore ceſſante, vix in mundo reperitur qui fideliter & perfecte Dei legem cuſtodiat. Unde merito hujus ævi Chriſtianis exprobrare poſſemus, quod a lege Dei devient, ac eis dicere: *Nonne Chriſtus dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?*

O N. N. ſi Dei jugum fregiſtis; ſi legem ejus violaſtis; ſi mandata ejus non cuſtodiſtis, in poſterum æquiſſima hæc Dei lex eſt fideliter ſervanda, & mandata ejus ſunt perfecte cuſtodienda. Omni quidem tempore Dei legem quiſque ſervare debet; ſed nunc maxime ejus obſervationi eſt ſtudendum; cum tot homines eam impudenter violant. Nunc cum plerique legem Dei diſſipant, eam alii majori cum fidelitate ſervare debent, ut majorem ſui erga Deum amorem oſtendant: *tempus faciendi, Domine: diſſipaverunt legem tuam. Pſal.* 118. 126. Ad hanc mandatorum Dei obſervantiam vos adducere conabor: ſed quia ſine Dei gratia perfecte ſervari nequeunt, ad cælos prius extollamus mentem, preces ad Deum fundamus, & Spiritus Sancti gratiam humiliter poſtulemus, mediante Dei Genitricis interceſſione, &c. *Ave.*

HÆretici deſides, & impii mandata Dei ſervare renuunt. *Hæretici* hujus temporis de eorum obſervatione non curant; quia ea impoſſibilia eſſe dicunt: docentque, juſtis etiam volentibus, & conantibus deeſſe gratiam, qua poſſibilia fiant. *Deſides* & pigri ea ſervare non ſatagunt; quia ea, non quidem impoſſibilia, ſervatu difficilia credunt: eaque eſſe onera graviſſima & importabilia imaginantur. *Impii* ea impudenter violant; quia ea ſervare vel non ſervare, tamquam quid indifferens inſpiciunt; iiſque perinde eſt, quod bene vel male faciant.

*Mandata Dei ſervare eſt impoſſibile:* ecce quid dicant hæretici: *Mandata Dei ſervare eſt difficile:* ecce quid ſentiant pigri, & deſides. *Mandata Dei ſervare eſt indifferens:* ecce quomodo loquantur impii.

At falluntur & graviter hallucinantur hi omnes: quia Dei mandata ſervare non impoſſibile, ſed poſſibile; non difficile, ſed facile; non indifferens, ſed abſolute neceſſarium eſt. Mandata Dei ſervare, eſt; 1. poſſibile; 2. facile; 3. neceſſarium.

PRIMA PARS.

*Dei mandata ſervare eſt poſſibile.*

DEI mandata non eſſe obſervatu impoſſibilia, ipſe omnis veritatis auctor teſtatur, & aſſerit, dicens; *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non ſupra te eſt. Deuter.* 30. 11. Quod veriſſimum eſſe comprobarunt illuſtres multi utriuſque teſtamenti heroes, qui Dei legem adamuſſim ſervarunt. De Joſue enim dicitur, quod *ſicut præceperat Dominus Moyſi ſervo ſuo: ita præcepit Moyſes Joſue, & ille univerſa complevit: non præteriit de univerſis mandatis, nec unum quidem verbum quod juſſerat Dominus Moyſi. Joſue* 11. 15. De Davide loquens Deus, ait *non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo.* 3. *Regum* 14. De Sanctis Zacharia, & Eliſabetha legimus, quod *erant juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela. Luc.* 1. 6. In ſancto etiam Evangelio habetur, quod cum Chriſtus adoleſcenti cuidam dixiſſet, Dei mandata eſſe ſervanda: reſpondit ille: *omnia hæc cuſtodivi a juventute mea. Matth.* 17. 20.

His & aliis ſacræ Scripturæ locis conſtat, Dei mandata eſſe poſſibilia, eaque a multis fuiſſe ſervata; cum ergo hoc dicat Deus, nonne ei magis credendum, quam hæreticis, qui mandata Dei ab hominibus ſervari non poſſe dicunt? certe Deo qui prima veritas eſt, & qui mentiri non poteſt, firmiter credendum; ac dicendum, quod mandata ſervare ſit poſſibile. Quo argumento uſus eſt Divus Auguſtinus, dicens; *In omnibus Scripturis Deus tibi dicit: quia poteſt tu vero e contrario*

*reſ-*

Digitized by Google

*reſpondes, non poſſe: conſidera nunc utrum Deo, an tibi debeas credi. Et ideo quia veritas mentiri non poteſt, nunc vanas ſuas excuſationes relinques humana fragilitas. Auguſt. in Pſal. 118. ſerm. 7.*

Alia ratione utitur Divus Auguſtinus, ut probet, Dei mandata eſſe poſſibilia, dum dicit, blaſphemos eſſe illos, qui illa impoſſibilia eſſe docent: *execramur eorum blaſphemias, qui dicunt aliquid impoſſibile homini a Deo eſſe præceptum. Auguſtinus ſerm. 19. de Tempore.* Blaſphemi quidem ſunt, & in Dei ſapientiam blaſphemant, qui Deum impoſſibilia juſſiſſe dicunt, quia Deum ſtultum, & inſanum faciunt.

*Quis non clamat*, inquit Divus Auguſtinus, *ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui non eſt liberum, quod præcipitur, facere? Auguſtinus lib. de duabus anim. capit.* 12. Sic loquitur Lib. de fide contra Manichæos cap. 19. Et alibi ait; *ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt, aliquem tenere reum, quando id non facit, quod facere non poteſt:* Qui ergo dicunt, quod Deus impoſſibilia jubeat, blaſphemant contra infinitam ejus ſapientiam; quia eum ita ſtultum faciunt, ut ea præcipiat hominibus, quæ facere eſt eis impoſſibile; & quia illum ita iniquum & inſanum proclamant, ut illos reos teneat, qui illa non faciunt quæ facere nequeunt.

Nonne merito ſtultus cenſendus eſſet ille Rex, qui ſubditis ſuis præciperet, ut uſque ad nubes volarent, ut corpora ſolidiora penetrarent, ut lutum in aurum converterent, vel alia eis impoſſibilia facerent? inſipiens quidem & ſtultus cuique videretur ille Princeps; nec ullus eſt, qui eum ſtultum non diceret; *Quis non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui non eſt liberum, quod præcipitur, facere?* Hæc autem eſt ſtultitia, qua Deum accuſant, qui mandata impoſſibilia eſſe docent: hæc eſt blaſphemia, quam contra infinitam Dei ſapientiam evomunt: quare cum Deus non ſtultus, ſed infinite ſapiens ſit, fatendum quod impoſſibilia non jubeat, & quod mandata ejus ſervare poſſibile ſit.

Non ſolum in infinitam Dei ſapientiam blaſphemant, qui Deum impoſſibilia juſſiſſe dicunt; ſed etiam in infinitam ejus juſtitiam, dum eum ita iniquum faciunt, ut hominibus impoſſibilia præcipiat, eoſque æternis ſuppliciis adjudicet; quia quæ eis impoſſibilia erant, non adimpleverunt; *Quis non clamet, iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere? & has injuſtitias & iniquitates miſeri non intelligunt, Deo ſe adſcribere. Auguſt. lib. de fide cont. Manich. cap.* 19. Nonne injuſtus eſſet ille Judex, qui hominem ad furcas damnaret, eo quod uſque ad nubes non volaverit, vel aliud aliquid ſibi impoſſibile non fecerit? magna quidem hæc ejus eſſet injuſtitia; ſed ecce identidem injuſtitiam qua Deum accuſant, qui eum impoſſibilia juſſiſſe dicunt; ecce execrandam blaſphemiam, quam in eum evomunt: *execramur eorum blaſphemias, qui dicunt aliquid impoſſibile homini a Deo eſſe præceptum.*

Aliam rationem, eamque urgentiſſimam, deſumo ex Div. Auguſtino, dicente, quod ſi Dei mandata eſſent impoſſibilia, nullus peccaret, cum illa violaret; quia nemo peccat, cum facit id, a quo faciendo ſe non poteſt abſtinere; vel, cum non facit id, quod facere ei eſt impoſſibile. *Quis peccat*, inquit Div. Auguſtinus, *in hoc quod nullo modo caveri poteſt? Aug. l. de lib. arb. cap.* 18. quaſi dicat; nullus. Et ut ait Doctor Seraphicus: *nemo, etiam venialiter peccat in eo, quod nullo modo prohibere poteſt, nec etiam potuit præcavere: D. Bon. in 2. D. 41. art. 2. q. 1.* Quare ſi impoſſibilia eſſent Dei mandata, nullus peccaret, cum ea violaret. Et ſic omnia licerent; poſſetque quilibet occidere, fornicari, furari, & graviſſima quævis crimina perpetrare: ac deinde dicere: non peccavi, cum hæc feci; quia non potui non occidere, non fornicari, non furari, & alia crimina non committere. O execrandam doctrinam, qua ad omnia crimina aperitur janua! O errorem intolerabilem, quo omnia licere ſtatuitur, cum Dei legem ſervare, impoſſibile dicitur!

Huic ſimilem aliam rationem adducunt Sanctus Hieronymus, & Tertullianus, dicentes, quod ſi impoſſibilia eſſent Dei præcepta, Deus punire, & ad æternas inferni pœnas damnare non poſſet illos, qui ea violant. *S. Hier. lib. 2. contra Jovin.* Si enim Dei mandata impoſſibilia ſint, qui ea tranſgrediuntur, non libere, ſed neceſſario ea tranſgrediuntur: quia ſcilicet ea ſervare non poſſunt: ut autem ait Sanctus Hieronymus, ubi neceſſitas eſt, nec corona, nec damnatio eſt. Et ut loquitur Tertullianus: *Nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate inventus fuiſſet. Tert. l. 2. contra Marc.* O quam exitioſa ergo doctrina eorum, qui dicunt, Dei mandata eſſe impoſſibilia! Si enim quis credat impoſſibilia eſſe Dei mandata, ac proinde puniri non debere, quantumvis ea violet, omnibus facile ſe dabit criminibus, omnia ſibi licere putabit: nec Dei juſtitiam magis timebit, cum blaſphemabit contra Deum quam cum illum laudabit, cum libidinibus ſe fœdabit quam cum jejunabit, & cum furabitur quam cum facultates ſuas pauperibus erogabit: quo nil magis abſurdum, nil magis ridiculum, nilque pejus excogitari poteſt.

Sed ſi Dei mandata eſſent impoſſibilia, ad quid, quæſo, omnia ſalutis motiva, quæ toties in ſacra Scriptura nobis dantur? Deus jam Chriſti & Sanctorum exemplis, jam ſalutaribus monitis; nunc pœnis inferni, & nunc Paradiſi gaudiis quæ nobis proponit, nos movet & excitat ad præcepta ſervanda, ad ſerio incumbendum operi noſtræ ſalutis: ſed ad quid hæ exhortationes; ad quid tot monita hominibus fierent, totque ſalutis motiva eis proponerentur, ſi mandata ſervare eſſet impoſſibile? certe hæc omnia vana eſſent & inutilia. Si quis hominem cæcum ſic alloqueretur: moneo te ut videas, hortor te ut videas, jubeo ut videas; ſi videris, grande tibi dabo præmium, & ſi non videris, grave tibi imminet ſupplicium: nonne vanæ, & ridiculæ eſſent omnes hæ exhortationes, monitiones, promiſſiones, & minæ factæ homini illi, cui videre eſſet impoſſibile? ſic a pari, ſi homini mandata ſervare eſſet impoſſibile, vanæ & inutiles eſſent omnes, quæ in ſacris paginis reperiuntur exhortationes, monitiones & promiſſiones; vana eſſent omnia conſilia & exempla; vana tandem eſſent omnia motiva quæ illis proponi poſſent, ut excitarentur ad ſervanda mandata, & ad vacandum ſuæ ſaluti;

quia

quia ab iis peteretur, ut facerent, quod facere eſt eis impoſſibile.

Potentiſſima quidem hæc ratio: quia Deus nil inutile, nilque vanum facit. Sed ut magis pateat, quam ridicula, & quam pernicioſa ſit doctrina dicentium, Dei mandata eſſe impoſſibilia; velim, advertant, quod ſi præcepta non furandi, non occidendi, non adulterandi, & non mentiendi ſint impoſſibilia, optime ſequitur, quod omnes qui hæc præcepta impoſſibilia eſſe docent, ſe fures, homicidas, adulteros & falſarios fateantur. Sequitur etiam, *Apoſtolos*, qui omnia ſua propter Deum reliquerunt, fuiſſe fures; *Evangeliſtas*, qui a Deo ad teſtandam veritatem ſunt vocati, & qui eam uſque ad ſanguinis effuſionem teſtati ſunt, fuiſſe falſos teſtes; *Joſephum & Suſannam*, qui tam fortiter pro caſtitate decertarunt, adulterio ſe inquinaſſe.

Hæc & alia multa abſurda, & ridicula ex perverſa hac doctrina ſequuntur: quare Concilium Tridentinum eos condemnavit, qui dicunt impoſſibilia eſſe Dei mandata: Seſſione enim ſexta cap. 11. ait, *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. Et Canone octavo ejuſdem Seſſionis rem totam expreſſe determinat his verbis: *ſi quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit*. Mandata ergo Dei ſervare, eſt poſſibile.

Hoc certiſſimum eſt: hoc de fide eſt; & vix reperitur, qui hoc in corde ſuo non credat; ſed quia multi mandata ſervare nolunt, id impoſſibile dicunt, quod facere nolunt. Error illorum non tam eſt in intellectu, quam in perverſa eorum voluntate; quæ inclinari non vult ad id faciendum, quod Deus præcipit; ideo dicunt, ſe mandata ſervare non poſſe, quia ea ſervare nolunt; ſeu, quia voluntas illorum ea ſervare renuit. O peccator! velis ſolummodo, & mandata ſervare poteris; firmiter ſolummodo ea ſervare velis, & illa facile ſervabis; quia Dei mandata ſervare, non ſolum eſt poſſibile; *ſed etiam facile*.

## SECUNDA PARS.

*Mandata Dei ſervare, eſt facile.*

TAnta in veteri lege præceptorum multitudo Judæis erat impoſita, ut ea ſervare difficillimum eſſet. Nonnulli auctores aſſerunt, præcepta affirmativa in lege veteri fuiſſe ducenta & octodecim: tot ſcilicet, quot ſunt membra in humano corpore: præcepta vero negativa fuiſſe trecenta ſexaginta quinque, ſeu tot, quot ſunt dies in unius anni curriculo. Unde merito Divus Auguſtinus veterem legem vocat *ſarcinam innumerabilium obſervationum*. *Auguſt. ſerm. 9. de ver. Dom.*

At nunc in lege gratiæ, in qua *benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei*, *ad Tit. 3. 4.* omnia judicialia & cæremonialia veteris Teſtamenti præcepta ablata ſunt; & alia pauca nobis ſervanda remanent: eaque non gravia, nec difficilia, ſed levia, & ad ſervandum facilia ſunt: Joanne enim Apoſtolo teſte, mandata Dei non gravia, ſed facilia ſunt, *mandata ejus gravia non ſunt*. 1. *Joann.* 5. 3. Unde Chriſtus Dominus omnes penitus homines ad ſervanda mandata invitat, utpote quia levia & ad obſervandum facilia ſunt, (Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*. *Matth.* 11. 19.

Jugum quidem Chriſti leve & ſuave nobis eſſe debet, cum ipſe primus illud portaverit. Chriſtus non ex illis eſt, qui dicunt & non faciunt: ipſe enim facit, quod dicit, & id ad quod faciendum nos adſtringit. Si divitiarum contemptum ſuadet, ipſe, cum dives eſſet, ita pro nobis egenus factus eſt, ut non haberet ubi caput ſuum reclinaret. Si ad patientiam nos hortatur, ipſe labores plurimos & ipſam mortem tanta patientia pertulit, ut tanquam agnus innocens ad occiſionem ductus, nec aperuerit os ſuum. Si inimicos diligere, pro iis orare, iiſque benefacere præcipiat, ipſe nos dilexit, cum adhuc inimici eſſemus; ipſe pro crucifixoribus in cruce oravit, & peccatores ſibi inimicos innumeris beneficiis affecit. Quare Chriſti jugum leve nobis videri debet, cum ipſe primus illud portaverit; cumque id ſolum nobis præcipiat, & a nobis fieri poſtulet, quod & ipſe modo perfectiſſimo facit.

Alia ratione jugum Dei eſſe leve, ait Hugo Cardinalis: nempe quia etſi ſumus ſub onere; Dominus tamen per gratiam ſuam onus noſtrum levat. *Hug. in 1. Joann. 5.* Sicut mater onus quod portat, aliquando ſuper caput filii parvuli ponens, ſuperius idem onus levat, & portat; quoniam alias ſubſterneretur puer; & tamen dicitur puer portare: ſic Dominus onus legis, quod nobis impoſuit, nobiſcum portat; nihilominus totum homini tribuit, ipſumque remunerat, ac ſi totum portaſſet.

Levia quidem & facilia nobis videri debent Dei mandata, cum ea levia eſſe aſſerat Chriſtus; cum ſint jugum, quod portat ipſe Chriſtus, & cum ſint onus, quod Deus per gratiam ſuam nobis leve efficit. Sed leviſſima & ad obſervandum facillima cuique videbuntur Dei mandata, ſi ſpectetur ſpes præmii, & ſi attendatur beatitudo æterna, quam obtinebunt, qui Dei mandata perfecte ſervabunt.

Verum eſt, quod Dei mandata ſervare nonnunquam ex ſe eſt difficile, & durum; ſed ſi attendatur merces æterna & infinita quam Deus dabit iis, qui mandata ſervaverint, ea ſervare ſuaviſſimum & facillimum eſt; *quæ enim natura ſua dura ſunt & aſpera, ſpes præmii facit levia*. *Hug. ibid.* Quam magna eſt merces, quam in cælo præparavit Deus iis, qui præcepta ejus ſervaverint! Sed o quam levia & ſuavia ſunt quæcumque ad hanc mercedem obtinendam homines in hoc mundo pati poſſent! certe, ut ait Divus Paulus, *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. *Rom.* 8. 18. Si vellet Deus, ut ad hanc beatitudinem obtinendam, quilibet homo pateretur quidquid uſquam in hoc mundo paſſi ſunt Apoſtoli, Martyres, & Confeſſores, hoc leve eſſet reſpectu æternæ beatitudinis. Et ratio eſt: quia omnes hujus mundi labores, omniaque tormenta finita ſunt & tranſitoria;

Digitized by Google

ria; beatitudo vero eſt infinita & æterna: quare cum omne finitum & tranſitorium leve ſit, reſpectu ejus quod eſt infinitum & æternum; leve & quaſi nihilum cenſendum eſt quidquid homines in hoc mundo perferre poſſunt, reſpectu æternæ beatitudinis: *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.*

Leviſſima quidem; & ad obſervandum facillima nobis viderentur Dei mandata, ſi beatitudinem æternam, quæ mandatorum obſervatione obtinetur, ſerio contemplaremur. Sed ut ait Div. Auguſtinus, ea ſervare dulce etiam, & facillimum nobis eſſet, ſi Deum, qui hæc præcepta tulit, ardenter amaremus: quia *quidquid durum eſt in præceptis, ut ſit leve charitas facit. Auguſt. in Manual.* c. 24.

Multi in Dei mandatis aliquid durum, & grave experiuntur: grave illis eſt parentes honorare, caſtitatem ſectari, aliena propriis dominis reſtituere, inimicis parcere, & alia divinæ legis mandata adimplere: unde hoc? ex defectu utique charitatis. Gravia illis ſunt Dei præcepta, quia non amant: ſi enim Deum amarent, omnia mandata levia, & ad obſervandum facilia illis eſſent: quia *quidquid durum eſt in præceptis, ut ſit leve charitas facit.*

Lex Dei, lex amoris eſt: qui non amant, illam gravem putant; ſed ſi amemus Deum, ſuavis eſt, facilis eſt, dulcis eſt; *& nihil dulcius, quam reſpicere in mandatis Domini. Eccli.* 23. 37. Amore omnia dulceſcunt, & ut ait D. Auguſtinus, ita ingenioſus eſt amor, ut amanti *in deliciis etiam laborioſa verſantur. Auguſt. lib. de bono viduit.* O homo! laborioſum & durum tibi eſt, injurias condonare, male parta propriis dominis reddere, & alia Dei præcepta ſervare; ſed ſi Deum ardenter amares, nil in hoc mundo dulcius, nil tibi ſuavius eſſet, quam Deo jubenti obtemperare, omniaque ejus præcepta perfecte adimplere: *nihil dulcius, quam reſpicere in mandatis Domini.*

Quis enarrare, aut mente complecti queat, quot labores, quot ſudores, quot moleſtias, quot vigilias, quot curas Jacob pro Rachele ſua, integro quatuordecim annorum curriculo exantlaverit? *Die noctuque, Gen.* 31. 40. inquit ipſe de ſeipſo, *æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*: hæc tamen omnia ei erant dulcia; & quatuordecim anni quibus laboravit, ad obtinendam Rachelem in ſponſam, *videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine. Gen.* 29. 20. Omnia hæc ei dulcia erant; quia, ut ait Bernardus, *ubi amor eſt, labor non eſt*; & ut loquitur Sanctus Auguſtinus, *omnia ſæva & immania prorſus facilia & prope nulla efficit amor. S. Auguſt. ſerm.* 48. *de temp.* Ama ergo Deum, & nullo modo grave & durum, ſed ſuave tibi, & facile erit, Dei mandata ſervare. Si Deum non amas, tibi gravia erunt; ſed ſi Deum amas, non gravia, ſed levia tibi erunt: *aut enim quiſquam non diligit, & grave eſt; aut diligit, & grave non eſt. Ibid.* Quare Deum ex toto corde ama, & mandata ejus ſervare, tibi facillimum erit.

Regio Prophetæ ita levia & tam ſuavia videbantur Dei mandata, ut in iis ſervandis non minoribus potiretur deliciis, quam in divitiarum multarum poſſeſſione; *in via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis. Pſalm.* 118. 14. In eorum obſervatione nil amarum, nil durum, ſed omnia facilia, ſuavia, & ipſo melle dulciora ei videbantur. Dulce ei erat, Deum adorare, Deum amare, nomen Dei in vanum non aſſumere, parentes colere, aliena non furari, & alia Dei præcepta ſervare, nil ipſi ſuavius, nil dulcius erat, quam Dei legi obtemperare. Et ideo clamabat, Dei præcepta eſſe *deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum. Pſalm.* 18. 11. David ſuave, & facile erat, Dei præcepta ſervare; quia Deum ardenter diligebat; diligite ſimiliter Deum, & mandata ejus ſervare, non durum, amarum & difficile, ſed ſuaviſſimum vobis erit.

Hæc capere nequeunt, qui carnis & mundi legibus, traditionibuſque reguntur; hi nil in hoc mundo ſuave eſſe ſentiunt, quam bonis frui præſentibus, ad libitum ſuum creaturis uti, ſenſualibus ſatiari voluptatibus, altiores ſæculi venari dignitates, nullumque comparandis divitiis modum, finemque ponere. Sed, o utinam guſtarent hi, quam ſuavis ſit Dominus! O utinam Dei amore tantillum accenderentur! Si enim Deum amarent, hæc omnia faſtidirent; nilque illis dulcius foret, quam Deum amare, & legem ejus ſervare. Si Deum amarent, nil laboris in legis divinæ obſervantia experirentur; immo & in ea ſervanda, aliquid eſſe difficultatis, dicere erubeſcerent; quia *difficultatis nomen amor erubeſcit.* Non quidem illam, duram & gravem dicerent; ſed nil ſuavius illis eſſet, quam Dei legem perfectiſſime ſervare; quia amanti nil dulcius, ſuavius nihil, quam Dei mandata ſervare. At ſi Dei mandata ſervare, poſſibile, & facile eſt; *ea ſervare, eſt etiam neceſſarium.*

## TERTIA PARS.

*Dei mandata ſervare, eſt neceſſarium.*

INterrogavit quidam adoleſcens Chriſtum, & ab eo petiit, qua via ad cælum pergere, & quibus bonis operibus Paradiſum obtinere poſſet; *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Matth.* 19. 16. O præclaram quæſtionem! o dignam homine Chriſtiano interrogationem! ſed o magnam etiam, & miltes ponderandam Chriſti reſponſionem, qui adoleſcenti reſpondit; *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Non dixit ei Chriſtus; ad obtinendam vitam æternam neceſſarium eſt, ut cæcos illumines, ut montes ex uno in alium locum transferas, ut ſurdis auditum, & mutis loquelæ uſum conferas; ſed ſolummodo ut mandata ſerves: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ecce quod neceſſario faciendum ad aſſequendam æternam beatitudinem.

Tota dæmonis malitia, totaque ejus ars & cura in hoc ſita eſt, quod a mandatorum obſervatione homines avertat. Jubet Deus, ut non Deos alienos, ſed Deum verum, unum & trinum adoremus; & ſuadet dæmon, ut corda & affectus noſtros, non Deo, ſed vili cuidam creaturæ impendamus. Imperat Deus, ut non in vanum juremus; & dæmon ad jurandum, pejerandum, & blaſphemandum allicit; præcipit Deus, ut Dominicis diebus divino cultui ſpecialiter vacemus: & dæmon his diebus homines ad ludos, choreas & comeſſationes excitat;

proſti-

prohibet Deus; ne aliena auferamus; & dæmon homines ad aliena rapienda inſtigat: alterius uxorem concupiſcere Deus vetat, & dæmon fœdæ libidinis flammas in hominum cordibus accendit. O quam magna malitia dæmonis, qui tanto ſtudio homines ad violanda Dei mandata incitat! ſed, o quam miſeri plerique hominum, qui non Deo, ſed dæmoni obtemperant! miſeri quidem; quia qui Dei mandata tranſgrediuntur, nunquam vitam æternam obtinebunt, ſi peccati ſui pœnitentiam non agant. Ut enim declaravit Chriſtus, ad vitam æternam promerendam mandata ſunt neceſſario ſervanda; *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

Audiamus adhuc Chriſtum hac de re diſſerentem; *Non omnis*, inquit, *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Matth. 7. 21.* Impiiſſimi quique peccatores habent interdum lucida intervalla; interdum alta ex imo corde emittunt ſuſpiria; interdum judiciorum Dei timore concutiuntur; interdum pectora tundunt; & cum concionatorem de inferni ſuppliciis, vel de Paradiſi gaudiis dicentem audiunt, tot interius commoventur affectibus: immo nonnunquam ad Deum clamant: *Domine*, miſerere mei: *Domine*, tuus ſum ego, ſalvum me fac: *Domine*, propitius eſto mihi peccatori: *Domine*, ne derelinquas me. At, *non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*; ſed qui facit voluntatem Dei; ſeu, qui mandatis ejus obtemperat; *ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.*

Illos Propheta maledictos vocat, qui Dei mandata violant: *maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Qui legi Dei fideliter obtemperant, & mandata ejus cuſtodiunt, benedicti erunt a Domino: quia in die Judicii ad cæleſtia regna poſſidenda vocabuntur; audientque Chriſtum dicentem: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Matth. 25.* Sed qui Dei mandata impudenter violant, ſi pœnitentiam non agant, maledicti ſunt, & a Deo in die Judicii maledicentur; quia, ut ait Doctor Seraphicus, dicetur eis: *ite maledicti in ignem æternum, D. Bon. Tom. 7. opuſ. de præceptis divinis.*

In die Judicii, cum Chriſtus, homines judicaturus, in formidando juſtitiæ ſuæ throno ſedebit, ab hominibus ſolummodo quæret, an mandata ſervaverint; & unumquemque ſalvabit vel damnabit, prout mandata ſervaverit, vel non ſervaverit. A Regibus & Principibus tunc non petet Chriſtus, an ſumma cum pompa & majeſtate in mundo vixerint, an populos multos armis ſubegerint, vel an de hoſtibus glorioſe triumphaverint; ſed an mandata cuſtodierint. Ab aulicis non quæret, an Principum amicitiam ſibi conciliaverint, an ad altiores ſæculi dignitates aſcenderint; vel, an multas facultates congregarint; ſed an Dei præcepta perfecte ſervaverint: Ab omnibus tandem hominibus, cujuſvis ſtatus & conditionis illi ſint, poſtulabit, an mandata fideliter cuſtodierint; & iis qui illa ſervaverint, dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi*; illos vero qui mandata violaverint, ſi ante mortem pœnitentiam non egerint, æternis ſuppliciis adjudicabit, dicens: *ite maledicti in ignem æternum.* Si Rex aliquis ea non ſervaverit, & e contra vilis ruſticus illa ſervaverit, ruſticus ſalvabitur, & Rex damnabitur: ſi ea non ſervaverit Pontifex, & ea ſervaverit Sacerdos, æternam beatitudinem obtinebit Sacerdos, & Pontifex ad æterna ſupplicia condemnabitur. Si ſervus & ancilla, Dei mandatis obtemperaverint, & non iis obtemperaverint eorum domini, ſervus & ancilla ad cæleſtia regna æternum beandi mittentur, & eorum domini ad ſempiterna tartari tormenta, æternum cruciandi, præcipitabuntur. Non ergo indifferens eſt Dei mandata ſervare, vel non ſervare; ſed ea ſervare, eſt abſolute neceſſarium ad ſalutem, cum ſalventur ii, qui ea ſervant, & damnentur illi, qui ea non ſervant.

Quod de omnibus omnino mandatis intelligendum eſt: ad ſalutem enim non aliqua ſolum, ſed omnia omnino mandata ſervare neceſſarium eſt: quia quicumque vel unicum ex Dei præceptis in materia gravi voluntarie violaverit, non ſalvabitur, ſed in æternum damnabitur, ſi ante mortem illum peccati non pœnituerit. *Quicumque totam legem ſervaverit*, inquit Sanctus Jacobus, *offendat autem in uno, factus eſt omnium reus: Jacob. 2. 10.* quomodo eſt omnium reus? *quia*, inquit Doctor Angelicus, *æque pro uno, ac pro omnibus peribit.* Verum eſt, quod qui plurima præcepta violaverit, gravius plectetur in inferno, quam qui unicum ſolum tranſgreſſus fuerit: ſed æque vere damnabitur, qui unicum violaverit, quam qui omnia: *æque pro uno, ac pro omnibus peribit.*

Hujus rei ratio eſt: quia omnis qui in ſtatu lethalis peccati moritur, ad æterna ſupplicia damnatur: omnis autem qui vel unicum, in materia gravi præceptum violavit (niſi pœnitentiam egerit) in ſtatu lethalis peccati moritur, ac proinde qui vel unicum præceptum violavit, ad æterna ſupplicia damnatur æque vere ac qui omnia violavit: *æque pro uno, ac pro omnibus peribit.*

Falluntur nonnulli, qui ſuæ ſalutis ſatis conſulere arbitrantur, quia in uno ſolum peccant, & unicum Dei præceptum violant. Jejunant, altiſſimo altaris ſacrificio religioſe intereſſunt, aliaque omnia Dei & Eccleſiæ præcepta, uno excepto, fideliter ſervant: & quia in unico peccant, hoc pro nihilo reputant; ſed ſciant, quod ad æternas inferni pœnas pro unico mortali æque vere damnabuntur, ac pro mille: *æque pro uno, ac pro omnibus peribunt.*

O N. *Ne dicas*: non ſum blaſphemus, nec fur, nec uſurarius; ſed voluptatibus illicitis indulgeo. *Ne dicas*: non ſum luxurioſus, nec ebrioſus, nec maledicus; ſed aliena detineo. *Ne dicas*: omnia Dei & Eccleſiæ mandata (uno dempto) perfecte ſervo: quia qui peccat in uno, factus eſt omnium reus, & *æque pro uno, ac pro omnibus peribis.* Ne ergo ſic loquaris; ſed tuam ſeriò conſcientiam examina, intimos ejus receſſus explora; & vide, an aliquod Dei, vel Eccleſiæ mandatum violaveris; & ſi te vel unicum ſemel violaſſe repereris, perpetrati peccati pœnitentiam age, & impoſterum omnia penitus mandata ſtudioſe ſerva.

Imitare Zachariam & Eliſabetham, qui non aliqua ſo-

Digitized by Google

ſolum, ſed omnia penitus mandata cuſtodiebant: *erant juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini. Luc.* 1. 6. Imitare Prophetam, qui non aliqua tantum, ſed omnia Dei mandata ſervare ſtatuerat: *juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Pſalm.* 118. 106. Omnia ſimiliter Dei mandata cuſtodi; nec eorum unicum violes, ſed omnia fideliter ſerva. Ea omnia ſervare eſt poſſibile, eſt facile, eſt neceſſarium: fac quod tibi poſſibile, quod tibi facile, quod tibi neceſſarium, & poſtquam Dei mandatis in hoc mundo obtemperaveris, a Deo in cælo coronaberis. *Amen.*

## FERIA IV.

## POST DOMINICAM QUARTAM,

# DE CÆCITATE SPIRITUALI.

*Præteriens Jeſus vidit hominem cæcum a nativitate.* Joann. 9.

CUM cæcum illum a Chriſto ſanatum mente revolvo, divini hujus medici peritiam demiror; & mox ad hujuſmodi peccatores, qui ſpirituali cæcitate feriuntur, & qui in hoc mundo ambulant ut cæci, animum transfero.

Non me latet, omnes penitus peccatores eſſe quodammodo cæcos: quia juxta commune Philoſophorum & Theologorum axioma, *omnis peccans eſt ignorans.* Sed inter eos multi inveniuntur, quorum tanta eſt cæcitas, ut videntes non videant, criminumque ſuorum gravitatem, & ſuppliciorum inferni acerbitatem non agnoſcant; ſaltem eo modo, quo apta ſunt affectum movere ad bene faciendum. Et ideo peccatis ſuis adhærent, in iis immorantur, nec ab iis ſurgere quocumque modo curant.

Similes hi ſunt Harpaſti famulæ cææ, quæ ſe cæcam neſciebat: Et ideo ſolum ſe non videre credebat, quia totam domum tenebris oppletam cenſebat. *Senec. Epiſt.* 50. *ad Lucilium.* Sic tanta eſt quorumdam peccatorum cæcitas, ut gratiæ cæli, & ſalutis lumen non videant; & tamen ſe cæcos eſſe ignorant. Ideoque cum filios lucis ſe eſſe exiſtiment, peccatis ſuis pertinaciter adhærent, nec ab iis ſurgere vel minimum ſatagunt.

O peſſimum cæcorum genus, o quam difficile, hujuſmodi cæcos curare, & veritatis lumine illuſtrare! Quis mihi det, ut miſeros peccatores, gravi hac cæcitate laborantes, curare valeam? hoc dare poteſt Spiritus Dei: ſi enim præſto nobis ſit, in fine hujus concionis dicere poterimus: *cæci vident.* Quare hujus auxilium ſupplices poſtulemus, &. *Ave.*

CUM medicæ artis periti, morbi cujuſdam curationem ſuſcipiunt; *primo*, cauſas & principia, a quo procedit, ſollicite inquirunt: *ſecundo*, acerbitatem & malignitatem ejus ſedulo ſcrutantur: *Tertio*, remedia opportuna, & ad ſanandum idonea apponunt, vel apponi curant.

*Hi cauſas morbi inquirunt*, ut eas præcidant, utque ipſam mali radicem evellent, & tollant: *morbi etiam acerbitatem ſcrutantur, & ſerio examinant*; ut pro ratione mali, congrua remedia præſcribant, *medicamenta tandem opportuna & idonea apponunt*; ut morbum procul pellant, & infirmo perfectam ſanitatem tribuant.

Quod medici, reſpectu eorum qui corporali infirmitate gravantur, facere ſolent; hoc ego hodie facere intendo, reſpectu hominum peccatorum, qui ſpirituali cæcitate laborant: Et ideo quæ ſint cæcitatis ſpiritualis cauſæ, quæ malignitas, & quæ remedia, jam explanabo. Videbimus: 1. Cæcitatis ſpiritualis cauſas, ut eas præcidamus: 2. Cæcitatis ſpiritualis malignitatem, ut ei occurramus: 3. Cæcitatis ſpiritualis remedia, ut ea admoveamus.

## PRIMA PARS.

*Cæcitatis ſpiritualis cauſæ.*

SIcut medici, ut morborum cauſas & principia agnoſcere valeant, peritiores artis medicæ magiſtros hac de re conſulant: ita, & ut cæcitatis ſpiritualis cauſas inveſtigare poſſem, ſacræ ſcripturæ Interpretum, & Doctorum Theologiæ libros pervolutavi, triplicemque hujus cæcitatis cauſam eſſe inveni, peccatum ſcilicet, dæmonem, & Deum: 1. *Peccatum*, malitia ſua: 2. *Dæmonem*, arte ſua: 3. *Deum*, juſtitia ſua.

1. Credebant Phariſæi, cæcum natum a Deo cæcitate fuiſſe percuſſum, quia parentes ejus grave quoddam peccatum perpetraverant, vel quia præviderat Deus grave quoddam peccatum, quod ipſe cæcus poſt nativitatem perpetraturus erat. Sed fallebantur, quia nec peccata a parentibus perpetrata, nec peccata ab ipſo cæco perpetranda, cæcitatis ejus cauſa fuerant: *neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus naſceretur.*

Verum eſt, quod originale peccatum generalis, & remota fuerit cauſa hujus cæcitatis corporeæ, ſicut & omnium malorum quæ in mundo ſunt: ſi enim Adam non peccaſſet, filii ejus nec cæcitate, nec alio quovis morbo laborarent. Sed mendici hujus cæcitas non fuit a peccato ejus proprio & ſpeciali, vel a peccato parentum, non ideo hic homo privatus fuit oculorum lumine, quod vel ipſe, vel parentes peccaverint, ſed voluit Deus ſic illum naſci, ut curatione ejus ſuam manifeſtaret potentiam; *neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus naſceretur, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.*

De cæcitate ſpirituali aliter ratiocinandum, quam de corporea: licet enim cæcitas corporea non ſemper oriatur a peccatis, quæ quis committit; cæcitatis tamen ſpiritualis origo & cauſa ſunt ſemper peccata, quæ quis perpetravit. Et ideo ſpirituali cæcitate percutiuntur homines, quia adverſus Deum peccaverunt: *ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. Soph.* 1. 17. Hæc eſt vera & proxima cauſa cæcitatis eorum.

Sicut oculus corporeus a fumo, vel noxio quodam humore obſcuratur & excæcatur, ita oculus animi, ſeu intellectus, avaritiæ, odii, ſuperbiæ aliorumque peccatorum fumo ſemper excæcatur

tan-

tantaque a peccatis oritur cæcitas, ut qui in peccata facile labuntur, & in iis perſeverant, jumentis, animi oculo carentibus, ſimiles fiant: *comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Pſalm.* 48.

Samſon a Dalila traditus eſt Philiſtæis hoſtibus ſuis: *quem cum apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, Jud.* 16. Similem in modum Dalila, ſeu caro infima & rebellis, ſi ejus non comprimantur impetus, quemque tradit libidini, gulæ, amori flagitioſo, aliiſque vitiis, quæ velut hoſtes infenſiſſimi, illum excæcant, illumque in tantam cæcitatem adducunt, ut vix cognoſcat, quid faciendum, quidve vitandum, ſaltem cognitione practica, quæ eum ad declinandum a malo, & ad faciendum bonum inducat.

Certum eſt, quod cæcitate ſpirituali percuti non ſoleat homo prima vice, qua in peccatum aliquod incidit, ſed tunc excæcatur, cum ſua multiplicavit & pluries iteravit peccata, aut cum ſæpe divino reſtitit lumini, & in peccato diu perſeveraverit. Tunc enim Deo permittente, a peccatis in quibus jacet, ita excæcatur, ut vix eorum gravitatem agnoſcat: homo ergo excæcatur a proprio peccato; *ſed excæcatur etiam a dæmone.*

2. Diabolus quidem homines excæcat, non quoſcumque, ſed eos qui gravibus, a multo tempore, adhærent peccatis: Deus enim dæmoni remittit habenas, & ſæpe permittit, ut hujuſmodi homines deludat, ſeducat, & in cæcitatem adducat.

Colligitur id manifeſte ex ſacra Scriptura ubi habetur, quod cum puniendus eſſet Achab ob plurima ſcelera ſua, permiſit Deus diabolo, qui eſt ſpiritus mendacii, ut deciperet Prophetas ipſius, & prophetarent illi proſpera, quibus ille fidem adhibens, periit, occiſus a Syris, *dedit*, inquit Michæas, *Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum*; 3. *Reg.* 22. nimirum ut ipſi decepti te decipiant, & inducant ad bellum, in quo pereas.

Quod fecit Diabolus reſpectu Achab, hoc facit quotidie reſpectu hominum peccatorum, & præcipue infidelium, quos ita excæcat, ut vix Evangelii lumen videant: *Deus hujus ſæculi*, inquit D. Paulus, *excæcavit mentes infidelium; ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii.* 2. *Cor.* 4.

*Deus hujus ſæculi*, ut exponit Doctor Angelicus, eſt diabolus, qui eſt Deus ſæculariter viventium, non quidem creatione, ſed ſua perverſitate, exemplo, & ſuggeſtione, quibus mediantibus, ita hominibus juxta ſæculi leges viventibus dominatur, ut eorum Deus videatur. Malignus autem ille Deus, malitiæ ſuæ arte infideles, & innumeros peccatores, Deo permittente, in errorem adducit, & ita excæcat, ut vix agnoſcant peccatorum ſuorum gravitatem, Dei bonitatem, gratiæ divinæ dignitatem, pericula inferni quibus circumdantur, & cæleſtia bona quæ Deus ipſum diligentibus præparavit.

Non facile concipitur, quomodo diabolus intellectus hominum excæcet, judicia eorum pervertat, eoſque in errorem inducat. *Hoc facere poteſt*, interius concitando humores & ſpiritus, unde fiat, ut imaginatio longe aliter res apprehendat, quam revera ſint: Sicut fit in phreneticis & melancholiæ morbo affectis. *Hoc facere poteſt*, avertendo mentem a lectione librorum piorum, vel a conſideratione Paradiſi, inferni, & aliorum per quæ poſſet erudiri, & ad bene faciendum excitari. *Hoc facere poteſt*, concitando in homine varias paſſiones, præſertim odii, cupiditatis, & ambitionis, quæ rationis judicium perturbare ſolent. *Hoc agere poteſt* per varia viſa, aut phantaſmata interius phantaſiæ objecta, quæ videantur eſſe revelationes: vel etiam per exteriores appaℓitiones. *Hoc tandem agere poteſt* per præſtigias, & falſa miracula, quibus homines ultimis potiſſimum temporibus ſeducentur. Sed quocumque modo hæc faciat, certum eſt, quod permittente Deo, homines diabolus excæcet, & in errorem inducat. Non tamen ita illos excæcat, quod uſus rationis totaliter impediatur; ſeu ita, quod qui a dæmone excæcantur, non poſſint advertere, ſe parum ſolide procedere; alioquin nec in ipſa excæcatione, nec in iis quæ per mentis cæcitatem faciunt, peccarent: quod aperte falſum videtur. Sed dæmon ita ſolum illos excæcat, ut non ſine magna difficultate recte & prudenter in eo negotio, in quo excæcati dicuntur, rationis lumine uti poſſint. Sic peccatores excæcat diabolus; *ſed eos etiam Deus excæcat.*

3. Hoc facit Deus, non ſolum permiſſive, quatenus permittit diabolo, ut per ſe, ſuoſque Angelos homines decipiat, eorumque mentes pervertat & excæcet: ſed hoc etiam facit, & negative, & per occaſionem.

Hoc facit Deus *negative*; quatenus propter peccata ab hominibus commiſſa, gratiæ ſuæ auxilia, quibus homo illuminaretur, juſte ſubtrahit, & denegat. Juſto enim judicio, peccatis hominum id exigentibus, divinum illud lumen ſubducit, quo mentem humanam, ad ea quæ ſalutis ſunt cognoſcenda, illuſtrare ſolet; parcius ac rarius illud tribuens propter eorum indignitatem. Peccatores ſiquidem illi, qui a Deo juſtitiæ Sole aſſidue ſe avertunt per peccata, quæ perpetrant, indigni ſunt, ut divini hujus ſolis lumine, necnon divinæ gratiæ radiis illuſtrentur; præſertim cum mens humana per peccata fiat terrena, tenebricoſa, & ad tantum lumen excipiendum inepta: quare in pœnam Deus illos negative excæcat, dum gratiam ſuam illis denegat, ſeu parcius gratiæ ſuæ lumine illos illuſtrat.

Sed tandem homines nonnumquam excæcat Deus *per occaſionem*: quatenus ſcilicet poſitive vel permiſſive eſt cauſa aliquarum rerum, ex quibus homines occaſionem errandi, vel in concepto jam errore ſe firmandi, & in eo perſeverandi ſumunt. Sic hæretici excæcantur ipſis Scripturis, dum ex quibuſdam ſententiis, apparenter eorum errori faventibus, putant manifeſtare verbum Dei. Sic etiam excæcantur alii divitiis, & alii proſperitate; ex quibus occaſionem ſumunt credendi, Deum ipſis favere ipſoſque diligere; & ideo in ſtatu peccati pertinaciores permanent.

Ex præfatis conſtat, triplicem ſpiritualis cæcitatis eſſe cauſam; Deum, ſcilicet, diabolum, & hominem: numquam tamen a Deo excæcatur homo, niſi prius eum homo criminibus ſuis ad hoc coegerit: numquam etiam a dæmone efficaciter excæcatur, niſi ipſe conſentiat. Diabolus enim hominem ad cæcitatem quidem diſponit, eſtque cæcitatis cauſa diſpoſi-

poſitiva; ſed homo ſuo conſenſu eam perficit, dum veritatis dilectione & conſideratione abjecta, eligit errorem, ſuis paſſionibus praviſque ſuis affectibus, & imaginationibus conſentaneum. Unde homo cæcitatis ſuæ eſt ultima cauſa: nec a Deo, vel a dæmone excæcaretur, ſi quæ ex parte ſua ſunt, ad cæcitatem vitandam faceret. Quare caveat quiſque ne in ſpiritualem cæcitatem incidat. Hoc ſane faciet, qui *cæcitatis ſpiritualis malignitatem ſerio ponderabit.*

## SECUNDA PARS.

### *Cæcitatis ſpiritualis malignitas.*

SIcut corporei morbi gravitas, ita & cæcitatis ſpiritualis malignitas per effectus cognoſcitur. Sicut enim manifeſtum eſt, corporeum hunc morbum eſſe gravem, a quo dolores intolerabiles, phreneſis, mors, vel exitioſi alii effectus cauſantur: ita & cæcitatis ſpiritualis malignitatem magnam eſſe quiſque judicabit, ſi advertat, obſtinationem, innumera crimina, & æternam hominis damnationem eſſe hujus cæcitatis effectus. Cæcitas enim ſpiritualis eſt: 1. obſtinationis cauſa: 2. criminum multorum origo: 3. ad æternam damnationem diſpoſitio.

1. Conſiſtit obſtinatio, ſeu obduratio, in firma, & conſtanti affectus ad aliquod malum adhæſione, propter ſpeciem quamdam boni, quod in hoc malo apprehenditur. Unde fit, ut qui ſic obduratus eſt, neque internis inſpirationibus, neque externis monitis, neque flagellis, neque minis, neque promiſſis, a malo dimoveri poſſit: ſed veluti ſaxum marmoreum ad omnia ſe obduret, & impenetrabilem præſtet, niſi majore quadam vi divinitus impellatur.

Grande malum eſt hæc obſtinatio, quæ a cæcitate ſpirituali, tamquam a ſua cauſa manare ſolet: ideo enim pravus hominum peccatorum affectus malo immobiliter adhæret, quia eorum intellectus, cæcitate percuſſus, & ignorantiæ tenebris involutus, eis malum ut bonum objicit. Hæc eſt cauſa, cur qui obſtinati ſunt peccatis ſuis mordicus adhærent, in iis cum obſtinatione perſeverant, quia cæcitatis & ignorantiæ ſuæ tenebris, veluti catenis ferreis conſtricti, a peccatis ſe extricare non valent.

Cum de Ægyptiacis tenebris loquitur Salomon, eas ait veluti tetra & dira fuiſſe vincula, quibus alligati ita detinebantur, ut nulla eis inde exeundi remaneret libertas: *vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. Sap.* 17. 2. En quis ſit effectus cæcitatis ſpiritualis, & tenebrarum quibus involvuntur nonnulli peccatores: hæ in iis cauſant obſtinationem in malo, ſuntque quaſi vincula, quibus compediti, in peccatis ſuis ita detinentur, ut vix ab eis exire poſſint.

Priſci quondam ſapientes pertinaciam, filiam noctis eſſe dixerunt, ſiquidem ex nocte, & obſcuritate intellectus tamquam ex cauſa, & iniqua matre, oritur pertinacia, & obſtinatio in culpa. *Cic. de nat. Deor.* Ideo enim impii obſtinantur in peccato, quia cæci ſunt, ſeu quia cæcus & errans eorum intellectus id ut bonum apprehendit, quod malum eſt: Cæcitas illa, qua obtenebrantur mentes eorum, eſt cauſa obſtinationis, qua corda eorum in malo obdurantur, & peccatis ita adhærent, ut vix ab iis avelli poſſint. Magna ergo eſt cæcitatis ſpiritualis malignitas, cum ſit obſtinationis cauſa, ſed magna etiam ejus eſt malignitas, *cum ſit peccatorum multorum origo.*

2. Dum ſol lucet, beſtiæ ſilvæ in antris, in dumetis, & in aliis locis obſcuris latent; ſed mox ut ſol occidit cælumque tenebris opertum eſt, e receſſibus ſuis egrediuntur, undequaque vagantur, omniaque vaſtant, diripiunt, & depopulantur: *poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ. Pſalm.* 103. 20.

Similem in modum, quamdiu homo Chriſtianus, fidei & gratiæ lumine illuſtratur, ab omni peccato facile declinat; ſed cum intellectus ejus ignorantiæ tenebris obvolvitur, cum mens illius cæcitate percutitur, mox dæmones, paſſiones, vitia, pravi habitus, & omnia quæ ad peccatum inclinare valent, quaſi ſolvuntur, & miſerum hunc peccatorem, ſpirituali cæcitate percuſſum, cruciant, a virtutis ſemita abſtrahunt, ad male faciendum alliciunt, & ad innumera peccata pertrahunt. Ex ipſo tempore, quo peccatores hujuſmodi, cæcitatis ſpiritualis tenebris obvoluti ſunt, religionis, charitatis, pietatis, & juſtitiæ operibus non vacant: ſed vindictæ, invidiæ, iræ, avaritiæ, aliiſque vitiis ſe dedunt, ac in omne peccatum currunt, & præcipites ruunt: *pedes eorum ad malum currunt. Prov.* 1. 16. Ecce unde oriantur innumera peccata, quibus nonnulli inquinantur homines, hæc a ſpirituali cæcitate, qua laborant, ortum habent: Cæcitas illa eſt maligna mater innumerorum criminum, in quibus jacent, adhærent, & perſeverant.

Cæcitas ſpiritualis eſt a peccato, & ad peccatum. Eſt a *peccato*, quia ob plurima peccata, quæ quis perpetravit, Deus eum animi cæcitate ferit: *percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris. Deuter.* 28. 29. Eſt etiam *ad peccatum*, quia poſtquam a peccato genita, & cauſata eſt, ipſa peccatum parturit, & ad innumera peccata trahit; mox enim ut cujuſdam hominis intellectus cæcitate ſpirituali obſcuratus & obtenebratus eſt, in immunditiam, avaritiam, aliaque peccata facile trahitur, *obſcuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Epheſ.* 4. 18. Magna ergo eſt cæcitatis animi malignitas, cum ſit criminum multorum origo, ſed magna etiam ejus eſt malignitas, *quia ad æternam damnationem eſt diſpoſitio.*

3. Hoc expreſſe docet Doctor Angelicus dicens, cæcitatem ſpiritualem eſſe diſpoſitionem proximam, ex ſua natura ad inferni ſupplicia trahentem eos, qui cæcitate hac percuſſi ſunt. Unde licet cæcitas animi ſit pœna peccati, magnaque ſit pœna, ad aliam tamen majorem ordinatur & diſponit, nempe ad inferni pœnam, quæ intolerabilis, & æterna eſt: *Excæcatio ex ſui natura ordinatur ad damnationem ejus qui excæcatur, propter quod ponitur inter reprobationis effectus. Divus Thomas* 1. 2. *quæſt.* 7.

Ve-

Digitized by Google

Verum eſt, quod qui a Deo excæcantur, non neceſſario damnentur, poſſintque damnationis æternæ pœnas devitare; communiter tamen omnis qui animi cæcitate in hoc mundo feritur, in opprobrium æternæ damnationis incurrit, & cæcitatem fere ſemper ſequitur damnatio; tamquam cæcitatis effectus; *ſequitur eum ignominia & opprobrium*, inquit Sapiens; ſeu, ut exponit D. Hieronymus, *opprobrium æternæ damnationis nulla ratione evadit. Prov.* 18. 3.

Et revera damnati, qui nunc in inferno cruciantur, cæcitatem animi, qua in hoc mundo percuſſi fuerant, damnationis ſuæ cauſam eſſe fatentur. *Erravimus*, inquiunt, *a via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis: & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Prov.* 5. 6. Ob cæcitatem ſuam viam Dei ignoraverunt, & hæc fuit cauſa damnationis eorum.

Non poſſes, inquit S. Cyrillus, ullum hominis os damnatorum metum, terroremque declarare, nulla hominis labia ſatis magna vim habent ad dicendum illorum ſtatum atque ploratum. *S. Cyrill. orat. de exitu animi.* Gemunt continenter, & ſine intermiſſione, ſed nullus eſt qui miſereatur; vociferantur ex profundo, ſed nullus eſt qui exaudiat; lamentantur, ſed nullus eſt qui liberet; exclamant & plangunt, ſed nullus eſt qui commoveatur. Ibi lacrymantes, ejulanteſque dicunt: ubi nunc hujus mundi jactantia? ubi inanis gloria? ubi deliciæ? ubi ornatus? ubi divitiæ? ubi requies? ubi nobilitas? ubi corporis virilitas? ubi falſa illa & inutilis mulierum pulchritudo? ubi imprudens & effrænata audacia? ubi veſtimentorum comptus? ubi peccandi ſinpura & frivola delectatio? tranſierunt hæc omnia ſicut umbra: tranſierunt, & nihil nobis manet niſi cruciatus æternus, & formidanda ſupplicia, quæ merito patimur, quia ob perpetrata a nobis ſcelera, tanta cæcitate percuſſi ſumus, ut cæli viam ignoraverimus: *viam autem Domini ignoravimus.* Hæc cæcitas, eſt damnationis noſtræ cauſa: Ecce cæcitatis ſpiritualis malitiam. *Videamus nunc remedia ad hanc cæcitatem curandam idonea.*

## TERTIA PARS.

### *Cæcitatis ſpiritualis remedia.*

QUi mente cæci ſunt, de remediis ad cæcitatem ſuam curandam ſumendis parum ſolliciti ſunt: non enim de remedio cogitant, qui mala ſua virtutum loco numerant, & uti dicebat S. Hieronymus, *qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Qui dolorem vulneris non ſentit, ſalutis remedia non requirit. S. Hier. cont. Vigil.* Si tamen qui cæci ſunt, ſanari velint, gratia, verbum Dei, & pœnitentia, ſunt remedia ad cæcitatis ſpiritualis curationem maxime idonea: 1. *gratia* eſt remedium ſupernaturale, quod humiliter a Deo eſt petendum: 2. *verbum Dei* eſt remedium a Deo datum quod non eſt abjiciendum: 3. *Pœnitentia* eſt remedium ſalubre, & efficax, quod eſt generoſe ſumendum.

1. Apud Matthæum narratur, quod egrediente Chriſto ab Jericho, ſecuta eſt eum turba multa, & ecce duo cæci, ſedentes ſecus viam, audierunt quia Jeſus tranſiret, & clamaverunt dicentes: Domine miſerere noſtri, filii David. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine miſerere noſtri, fili David. Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos & ait: quid vultis, ut faciam vobis? dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri. Miſertus autem eorum Jeſus, *tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt. Matth.* 20. 29. Tactus Chriſti fuit illis in remedium: ideo ſanati ſunt, quia tetigit eos Chriſtus, voluitque Salvator tactu eos ſanare, ut doceret nos, mentis cæcitatem tactu Chriſti curari; neque aliquem mente cæcum, ſanari poſſe, niſi eum Chriſtus per gratiam ſuam tangat, *Tactus Chriſti*, inquit Doctor Seraphicus, *eſt tactus gratiæ, quo Deus tangit cor per contritionem. D. Bonav. ſerm. 4. in Dom. Quinquag.*

Hoc gratiæ divinæ tactus ſanatus eſt Paulus, ſanatus Petrus, ſanatus Auguſtinus, & eo ſanantur alii peccatores: hi enim a cæcitate ſua ſanari non poſſunt, niſi gratiæ divinæ tactu, quia ut variis in Conciliis definitum eſt, gratia Dei eſt remedium ad animi infirmitates curandas, & ad peccatoris converſionem neceſſarium. Sed quia hoc remedium a Dei arbitrio pendet, qui cui, & quando placuerit, illud dare poteſt, ab eo humiliter, & ferventer eſt poſtulandum.

Cæci quos ſanavit Chriſtus, ab eo petierunt, ut ipſos ſanaret, & quo magis populus eos increpabat, eo ardentius ab eo ſanari petebant, clamantes, & dicentes: *Domine miſerere noſtri.* Sic qui animi cæcitate laborant, a Deo ſupplices petere debent gratiam, quæ eſt remedium ad cæcitatem ſpiritualem curandam neceſſarium. Hujuſmodi cæci, ut ſanari valeant, non debent attendere quid ſuadeat caro, quid inſpiret diabolus, quid dicat mundus; ſed ad loca ſacra, ad orationis domos crebro ſe conferre debent; ibique quo majori fervore poterunt, humiliter, & conſtanter a Deo petere, ut eos illuminet per gratiam ſuam; ibi clamare debent: *Domine miſerere noſtri.* Domine, gratiæ tuæ auxilia nobis concede. Hoc eſt primum cæcitatis ſpiritualis remedium, quod a Deo poſtulandum.

Aliud cæcitatis ſpiritualis remedium eſt verbum Dei, illud enim verbum eſt quaſi collyrium, quo mentis cæcitas ſanatur, & a quo cæci peccatores illuminantur: *declaratio ſermonum tuorum illuminat. Pſ.* 118. 130.

Videte quomodo ſanaverit Chriſtus cæcum illum, de quo S. Lucas ait, quod ad eum clamaverit, quodque ſupplex ab eo petierit illuminari, dicens: *Domine, ut videam. Luc.* 18. 41. Et Chriſtus dixit: *reſpice*: & confeſtim ſanatus eſt. Hoc Chriſti verbum, *reſpice*, fuit remedium, quo cæcum illum ſanavit, inquit Doctor Seraphicus: ut doceret nos, verbo Dei cæcos peccatores illuminari, & ad viam veritatis adduci. Cum cæcus peccator concioni intereſt, prædicatorem audit dicentem: *reſpice* mandata Dei quæ violaſti, paradiſi gaudia, quibus non frueris, & inferni ſupplicia quibus adjudicaberis: *reſpice*, quomodo Dei voluntati rebellis fuiſti, quomodo ſalutaria ejus monita ſprevisti, quomodo Sacramenta ejus profanaſti, ac quomodo te totum mundo, vanitati, & voluptati dediſti: *reſpice* animam tuam

criminibus quæ perpetraſti deformatam, diris conſcientiæ morſibus laceratam, variis paſſionibus agitatam, & evidenti ſalutis ſuæ jacturæ expoſitam; *reſpice* quæ intra te ſunt, & humiliare, quæ ſupra te ſunt, & ſpera; quæ infra te ſunt, & time: hæc & alia his ſimilia verba a prædicatoribus proferri ſolent, quæ cæcos peccatores illuminant, ſi dato rebelles non ſint lumini: hæc ſunt remedium a Deo datum, ut illos illuminet, utque cæcitatem illorum tollat: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat*. Quare cæci peccatores crebro adire debent conciones, ut a verbo Dei illuminentur, & cum divino hoc verbo illuminantur, ſuperno huic lumini rebelles eſſe non debent.

Maxima ſollicitudine impedire conatur dæmon, ne peccatores verbum Dei a concionatoribus prolatum audiant, vel in ſacris Libris ſcriptum legant: eis ſuadet ſatanas, non ut ad conciones, ſed ut ad comœdias ſe conferant; non ut ſacros, ſed ut profanos libros perlegant: quia probe ſcit infenſiſſimus ille hominum hoſtis, quod ſi Dei verbum audirent vel legerent, ab eo illuminarentur, & ad meliorem vitæ frugem adducerentur. Quare, o peccator, quantumvis cæcus ſis, ad conciones propera, piorum librorum lectioni incumbe; verbumque Dei, ſive auditum, ſive lectum, erit tibi in magnum cæcitatis remedium, quia dum audies, vel leges Dei verbum, dabit tibi Deus internas inſpirationes, interius te illuminabit, & ſi ejus non ſis rebellis lumini, cæcitatem a mente tua tollet.

3. Aliud cæcitatis ſpiritualis remedium eſt pœnitentia, ut enim ait D. Auguſtinus: *Pænitentia cæcis viſum reſtituit, vitia fugat. D. Auguſt. cit. a D. Bonav. ubi ſup.* Sicut Paulus viſum recepit, poſtquam per triduum neque comedens, neque bibens, ſed orans fuit: ita, inquit Doctor Seraphicus, *cæcus peccator per triduum pænitentiæ recipit viſum animæ*.

Efficaciſſimum hoc eſt remedium ad ſanandos peccatores, ſpirituali cæcitate laborantes. Sed ut hoc ſanentur medicamine, aſſumendum, & applicandum eſt: hujuſmodi peccatores non ſanat pœnitentia, ſi eam fugiant, abhorreant & deteſtentur, ſed tunc ſanat, cum eam in cæcitatis ſuæ remedium adhibent.

Refert Sacer textus, quod cæcum Chriſtus ſanaverit luto, quod oculis ejus appoſuit, *lutum poſuit mihi ſuper oculos, & lavi, & video. Joh. 9. 15.* Vili luto eum ſanavit, ut ei indicaret, nil vilius peccato, quo excæcatur homo. Lutum illud oculis ejus admovit, ut cæcum illum doceret, non ſanari hominem, cæcitate ſpirituali percuſſum, niſi lutum ex cinere & lacrymis pœnitentiæ compoſitum ſumat.

Hoc remedio uſi ſunt David, Paulus, Auguſtinus, & alii quotquot a peccatis ſurrexerunt, & a ſpirituali cæcitate ſanati ſunt. Eodem & vos utimini remedio, ut a mentis cæcitate liberemini. Gratiam a Deo ſupplices petite, verbum Dei frequenter, & humiliter audite; ſed in primis ſalubre pœnitentiæ medicamentum adhibete. Contritio, Confeſſio, & Satisfactio ſunt *triduum pænitentiæ, per quod cæcus peccator recipit viſum animæ*: quare ſummo dolore conteratur cor veſtrum: ad confitenda omnia & ſingula peccata os veſtrum aperiatur, & ad Deo, proximoque ſatisfaciendum, quidquid poterit manus veſtra, generoſe efficiat.

O cæci peccatores! vidiſtis quæ ſint veſtræ cæcitatis cauſæ, quæ malitia, quæ remedia. *Noſtis*, potiſſimam cæcitatis veſtræ vos eſſe cauſam, quare humiliamini, & adverſus voſmetipſos iraſcimini. Ne dicatis, hic, vel ille eſt in cauſa, cur tot & tanta perpetravi peccata, ob quæ in mentis cæcitatem incidi, ſed dicite, ego ſum qui feci, ego potiſſimum, ultima, & quaſi unica ſum cauſa cæcitatis qua laboro. *Noſtis*, quanta ſit cæcitatis ſpiritualis malitia, qua nulla videtur major, cum in obſtinationem, in peccata plurima, & in infernum trahere ſoleat, quare a tanto malo liberari ſatagite, & contendite. *Noſtis*, quæ ſint remedia tanto malo adhibenda; & ad illud ſanandum idonea, hujuſmodi adhibete remedia. Sine Dei gratia tantum malum ſanari nequit, eam ſupplices petite. Dei verbum eſt efficax remedium ad cæcitatem hanc curandam, Dei verbum frequenter, attente & humiliter audite, ac tandem pœnitentia, tamquam optimo remedio, utimini. Pœnitentiam agite, & aperientur oculi veſtri, ut Dei lumen videatis in hoc mundo, & in cælo. *Amen*.

## F E R I A V.

## POST DOMINICAM QUARTAM.

# D E M O R T E.

*Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* Luc. 7. 12.

QUamvis in hoc mundo nil communius morte, quæ ad omnes venit, rapit omnes, & omnes cum eminus cogitant ad ſepulchrum trahit; nil tamen facilius obliviſcuntur homines, quam mortis, cujus imaginem, & ipſas ideas a mentibus ſuis multa nunquam importuna phantaſmata fugant: *nihil ita quotidie homines ut mortem vident, nihil ita obliviſcuntur, ut mortem. S. Eucher. Epiſc. in paræn.*

Si ſupra terram ambulemus, ipſa nos monere videtur, quo nil niſi pulvis, & cinis ſumus: *pulvis es, & in pulverem reverteris. Gen. 3. 19.* Si aerem inſpiciamus, hic ſuo modo cuique hominum dicit, nil niſi ventum eſſe vitam ejus: *memento, quia ventus eſt vita mea. Job 7. 7.* Si mare & flumina intueamur; hæc nos admonent, quod *omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur. 2. Reg. 14. 14.* Omnia tandem quæ in hoc mundo cernimus, ad mortis memoriam nos revocare videntur; & tamen nil ita a memoria noſtra excidit, ut mortis recordatio: *homines nihil ita obliviſcuntur, ut mortem*.

Ut hanc mortis oblivionem damnet Chriſtus Dominus, & ut ejus memoriam mentibus noſtris ingerat, proponit in hodierno Evangelio filium unicum, & ipſum juvenem, qui mortuus eſt, & qui palam ad tumulum, multis comitantibus, defertur: *ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ*. Ut altius mentibus veſtris hæc mortis memoria infigatur, hæc de morte erit concio, &c. *Ave*.

CUm ad puerum hunc mortuum, qui ad ſepulchrum hodie defertur, mentis meæ oculos con- ver-

Digitized by Google

verto, non ejus miſereri non poſſum, ſed & identidem intus moveor ad ſcrutandum, quid, a quo, & qualis fuerit illa mors, quæ adoleſcentem hunc ex hoc mundo abſtulit. Si, quid ſit ejus mors, inquiram, reſpondebunt Philoſophi, hanc nil aliud eſſe quam vitæ privationem, quæ per ſeparationem animæ a corpore facta eſt; ſi a quo ſit ejus mors, rimari ſuſcipiam, dicent haud dubie medici, eam eſſe a gravi morbo, qui eam præceſſit, & cauſavit; ſi tandem qualis ejus mors fuerit, ſcire pertentem, clamabunt omnes, eam fuiſſe terribilem filio, qui juvenis erat; & amaram matri, quæ unicum ſuum perdidit, *ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ*.

Hæc quidem omnia veriſſima, ſed ut altius mortis memoriam mentibus veſtris ingeram, quas de hujus pueri morte quæſtiones per tranſennam attigi, eaſdem de morte in genere agitabo, ac inveſtigabo, 1. *Quid ſit mors*, quod ut explicem, varias a variis auctoribus allatas mortis deſcriptiones referam. 2. *A quo ſit mors*, inquiram, & eam a protoparentum peccato venire dicam. 3. *Qualis futura ſit cujuſque mors*, indagabo, & aſſeram, talem fore cujuſque mortem, qualis extiterit vita, quæ eam præceſſit. Quid eſt mors? a quo eſt mors? qualis erit cujuſque mors? en tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

### *Quid eſt mors.*

Titum hortatur Paulus, ut vanas, inutiles, & ſtultas quæſtiones, ex quibus oriuntur rixæ, contentiones, & invidiæ, quantum poterit, devitet, *ſtultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita, ſunt enim inutiles & vanæ*. *Ad Tit.* 3.9. Non ſolum vanas, & inutiles, verum & exitioſas quæſtiones hoc ævo ventilant multi: non tam ut ſciant, vel ut bene facere diſcant, quam ut docti videantur, vel ut pravæ doctrinæ virus effundant. Quas quidem quæſtiones quiſque ſummo ſtudio devitare deberet.

Quæſtio de mortis natura, nec vana eſt, nec inutilis, ſed omnibus plurimum utilis, & fructuoſa: eamque a multis ſæculis agitarunt Philoſophi, in quorum ſcholis diu, & ſtudioſe diſceptatum, quid eſſet mors, variæque hac de re factæ ſententiæ.

Sophocles ad propoſitam quæſtionem reſpondit: *mors, ultimus eſt morborum medicus*. Et quidem recte: omnes enim morbi ſimul cum vita finiuntur, nec in alio mundo ægritudine quadam laborant homines, ſive beati illi ſint, ſive reprobi, non quidem beati qui in cælo ſunt, quia ibi, *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*. *Apoc.* 21, 4. non etiam reprobi, quia licet in inferno diriſſima patiantur, non tamen ibi proprie ægrotant, & morbis afficiuntur.

Socrates mortem dixit eſſe *ſomnum, aut longinquam peregrinationem*. Eſt quidem ſomnus ita altus, ut qui hoc ſomno dormiunt, ab eo nunquam, niſi adveniente miraculo, excitentur. Sed mors eſt etiam longinqua peregrinatio: quia qui moriuntur, ad cælum, vel ad infernum migrant: *ad cælum* juſti, qui in Domino moriuntur: *ad infernum* impii, qui lethalis cujuſdam noxæ rei, ex hoc mundo diſcedunt. *Peregrinantur* illi, ut ad cælum vadant, ubi in perpetuum vivent; & beabuntur: *Peregrinantur*, ut pergant ad *terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*. *Job* 10. 21.

Philoſophorum Princeps, mortis naturam ſufficienter delineaſſe arbitratus eſt, cum ait, quod *omnium terribilium terribiliſſima eſt mors*. *Ariſt.* 3. *Eth. c.* 6. Seu de omni morte hoc dici nequit, quia juxta probatam, & veriſſimam Auguſtini ſententiam, terribilis, & *mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſit*. *Aug. lib. de Civit. c.* 11.

Alii nonnulli Philoſophi mortem, *mortalium omnium portum* eſſe dixerunt. Crediderunt hi, nos in hoc mundo veluti in procelloſo mari verſari, in quo variis afflictionum fluctibus jactamur, multis adverſitatum tempeſtatibus concutimur, & pluribus naufragiis obruimur, a quibus omnibus tunc ſolum liberamur, cum ad vitæ portum, ſeu ad mortem appulimus. Quod quidem verum eſt de juſtis, quibus mors portus eſt feliciſſimus, ad quem cum pervenerint, requieſcunt in pace. Sed reprobi in morte ſua, ab hujus mundi fluctibus ad formidandum trahuntur inferni abyſſum, in qua dolorum ſuppliciorumque omnium procellis jactantur, & obruuntur. O qualem portum! Certe, ſi hic portus ſit, hi in portu naufragium faciunt.

De inſigni quodam Philoſopho, morti jam proximo, fertur, quod cum nonnulli ex aſtantibus Diſcipulis eum rogaſſent, ut antequam diem extremum clauderet, ſalubre quid eos doceret. Reſpondit ille: date calamum, quo accepto, in papyro ſcripſit o, o, & nihil aliud ſcribere, vel dicere voluit. Diſputarunt poſtea Diſcipuli, quid ſignificaret ænigma illud duplicis o, o, ac omnibus penſatis, judicarunt, Magiſtrum duplici, o, o, indicare voluiſſe, quod mors eſſet duplex o, o, ſeu, quod nil aliud eſſet, quam *oblivio*. Quod quidem verum eſſe patet, nam mortuorum obliviſcuntur homines, ac *periit memoria eorum cum ſonitu*. *Pſ.* 9. 8. Cum quis moritur, ſimul cum vita pereunt divitiæ, deliciæ, & dignitates, pereunt amici, & proximi, pereunt ludi, convivia, & omnia. Quod ſi ex mundi bonis aliquod non perire videatur, maxime fama, ſed illa ſimul cum vita perire ſolet, & mox ut ſepulti ſunt mortui, mox ut tintinnabula pro defunctis pulſari deſinunt, eorum obliviſcuntur viventes, peritque fama, & memoria eorum ſimul cum campanarum ſonitu: *periit memoria eorum cum ſonitu*.

Ingenioſæ plurimum hæ omnes, a Philoſophis dictæ, mortis deſcriptiones, ſed his omnibus ingenioſior Tertullianus, mortem ait eſſe *ultimam quæſtionum omnium*. *Tertull. lib. dum: c.* 50. Dixerunt nonnulli, *mortem eſſe ultimam vitæ lineam*, quia omnes in hoc mundo, quaſi pictores ſumus, qui ſingulis diebus aliquam ducere debemus lineam, ut vitæ noſtræ tabellam perficiamus: mors autem eſt *ultima vitæ linea*; quia ab inſtanti mortis nil amplius agere poſſumus, quod æternæ vitæ ſit meritorium. Non diſplicet hæc mortis deſcriptio, ſed ingenioſior Tertullianus, mortem, non ultimam vitæ lineam, ſed *ultimam quæſtionem omnium* vocat. Digna certe tanto viro ſententia, qui exiſtimavit totum mundum, quaſi lycæum, & ſcholam eſſe, in qua variæ de

quolibet homine proponi ſolent quæſtiones; de quolibet enim homine vivente ſæpe quæritur, divesne ſit an pauper? doctus, an ignarus? nobilis, an ruſticus? ſanus, an infirmus? ſed adveniente morte ceſſant hæ omnes, & aliæ hujuſmodi quæſtiones, quia mortuus homo, nec eſt homo dives nec pauper, nec eſt nobilis, nec ruſticus, nec doctus, nec ignarus, ſed eſt homo mortuus, *& mortuus eſt*. Unde mors eſt quæſtionum ultima: quia ea adveniente omnes de mortuo quæſtiones quaſi finiunt.

De mortis natura inter ſe non diſcrepant Theologi, cum enim quid ſit mors, inquiunt, unanimi conſenſu dicunt, quod mors eſt *ſeparatio animæ a corpore. D. Bonav. in 3. diſt.* 18. Anima enim hominis nunquam moritur, annihilari quidem poteſt, ſed ipſa manens, mori non poteſt, quia ſeipſa vivit eſſentialiter. Unde ita impoſſibile eſt, animam eſſe, & non vivere; ſicut impoſſibile eſt, animam eſſe, & non eſſe animam. Et ideo mors hominis, non eſt mors animæ hominis, ſed eſt ſeparatio animæ hominis a corpore ejus: hac enim animæ a corpore ſeparatione, caro moritur; quia privatur forma, quæ eſſentialiter eſt vita, totum etiam compoſitum, ſeu homo, moritur, quia tunc deſinit eſſe compoſitum; & qui antea erat homo, non amplius eſt homo. Vis ergo ſcire, o homo, quid ſit mors? certus eſto, quod nihil aliud eſt: quam *ſeparatio animæ a corpore*, tunc morieris, cum anima a corpore tuo ſeparabitur. Hancque ſeparationem aliæ comitabuntur ſeparationes; tunc enim ab amicis, a conſanguineis, a divitiis, a conviviis, a creatura hac quam plus, quam par eſt, dilexiſti, & ab omnibus hujus vitæ bonis ſeparaberis.

Plus quam ſatis ex jam dictis explicata videtur mortis natura; non diſplicebit tamen audire unum ex Prophetis, nempe Jobum, qui mortem nunc umbram, nunc inundationem vocitat. Eam *umbram* nuncupat: *umbram mortis. Job* 10. 21. Eam etiam *inundationem* vocat: *superveniet ei inundatio. Job* 27. 17. Mors quidem eſt *umbra*: quia ſicut umbra ſequitur corpus, a quo producitur, ita & mors eſt quaſi umbra, quæ neceſſario ſequitur vitam, a quo producitur: nullus enim in hoc mundo vivit, cujus vitam non ſequitur mors; *quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem? Pſ.* 88. 49. Mors eſt etiam *inundatio*: quia ſicut a torrente vehementi obvia cuncta rapi ſolent, ita adveniens mors rapit cuique vitam, fortunæ bona, dignitates ſæculi, vitæ commoda, ac omnia quæ in hoc mundo poſſidebat. O portentoſam inundationem! ſed o quam formidanda peccatoribus mors, ſi, quid ſit, ſerio meditentur! meditare, ergo, o peccator, quod mors erit *umbra*, quæ tuam infallibiliter ſequetur vitam: *inundatio*, quæ omnia tua rapido curſu diripiet; *ſeparatio* animæ a corpore tuo; *peregrinatio* in regionem longinquam, a qua in hunc mundum nunquam reverteris; & *oblivio* tui; cujus obliviſcuntur pater & mater, uxor & filii, ac omnes fere homines.

O præclaram meditationem! ſed antequam primæ hujus concionis parti finem faciam: adhuc profundioris meditationis materiam ſubminiſtrabo, dicens, quod mors eſt *momentum, a quo pendet æternitas*. In hoc enim mundo, quaſi inter duas æternitates ſumus poſiti, & ut ait D. Auguſtinus adveniente morte *aut in æternum bene, aut in æternum male erimus*; tunc aut æternum beabimur in cælo, aut æternum cruciabimur in inferno, mors autem eſt momentum a quo pendet æternitas: quia ſi in inſtanti mortis a lethali culpa ſimus liberi, ad Paradiſum migrabimus, ut ibi æterna felicitate fruamur: & contra, ſi in inſtanti mortis aliquo mortalis peccati vinculo ligati ſimus, ad tartara, æternum cruciandi, detrahemur. Meditare ergo, o homo, & ſerio recogita, quod mors eſt momentum, unde pendet æternitas; hæc meditare ſæpe, & pia hæc meditatio te ad valedicendum peccatis, & ad pie vivendum alliciet. Sed poſtquam quid ſit mors explicuimus, *a quo ſit mors, inquiramus*.

## SECUNDA PARS.

*A quo eſt mors.*

MOx ut protoparentes formati, & in paradiſo terreſtri fuere conſtituti, ut eorum obedientiam Deus probaret, legem eis indixit, de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali. Adamum enim alloquens, dixit: *ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris. Gen.* 2. 16.

Hanc legem Tertullianus primordialem vocat, & omnium legum quaſi matricem, cujus violatione Adam & Eva a Dei gratia, a juſtitia originali, & ab immortalitate exciderunt: *Primordialis lex eſt data Adæ, & Evæ in Paradiſo, quaſi matrix omnium præceptorum Dei; ſi enim Deum ſuum dilexiſſent, contra præceptum ejus non feciſſent; ſi proximum dilexiſſent, id eſt, ſemetipſos, perſuaſioni ſerpentis non credidiſſent, atque ita in ſemetipſos homicidium non commiſiſſent, excidendo de immortalitate. Tert. lib. adverſ. Jud. c.* 1.

De immortalitate protoparentes excidiſse ait Tertullianus. Verum eſt, quod per juſtitiam originalem, quæ eis ab ipſo ortu data eſt, facti erant immortales, ſeu potius non mortales, nec enim unquam mortui eſsent, ſi eam non perdidiſsent; ſed quia Dei legem violaverunt, juſtitiam originalem, & immortalitatem perdiderunt. Ex quo clariſſime patet, quod mors, non ab alio, quam a primi parentis peccato ſuam ducat originem, per ejus enim peccatum mors in hoc mundo intravit, & ad omnes homines tranſiit: *per unum hominem*, ait Apoſtolus, *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit. Rom.* 5. 12.

*Deus*, inquit Salomon, *creavit hominem inexterminabilem, Sap.* 2. 23. ſeu, creavit illum, ut eſset immortalis, modo ſcilicet vellet ipſi obſequi; & in ſtatu innocentiæ perſeverare. Sed quia ab innocentia deſcivit, Deoque obſequi noluit, in Deum peccavit, & per peccatum obnoxius morti factus eſt, non ipſe ſolus, verum & omnes qui ab eo ſunt procreati, ad quos omnes mors pertranſiit. Sicut enim Chriſti gratia in omnes penitus homines redundat, omneſque erigit in ſpem vitæ æternæ: ita protoparentis peccatum mundum univerſum occupavit, ejuſque peccati noxam ſubſecuta eſt mors: quæ idcirco omnes ho-

hominės perimit, quia nemo eſt liber a culpa, ſed cuncti mortales ejuſdem ſunt ſceleris cum primo parente participes. Et ideo a peccato, & per peccatum eſt mors; *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.*

Erga Adamum habuit ſe Deus, ſicut habere ſe ſolent prudentes medici erga infirmos. Videmus nonnunquam medicos, qui infirmis ſanitatem pollicentur, modo ab hoc & illo cibo abſtineant. Et revera ſi a talibus abſtinerent cibis, melius ſe haberent, & mortem vitarent, ſed quia medicorum præſcripto non obtemperant, in mortem incurrunt. Sic Deus Adamo, in ſtatu innocentiæ conſtituto, immortalitatem pollicitus eſt, ea conditione, ut de fructu vetito non comederet, ſed quia ex eo comedit, in Deum medicum ſuum peccavit, & ideo in mortem incurrit ipſe cum omnibus ſuis poſteris: *Adamus*, inquit Tertullianus, *acceperat a Domino ſuo, ut a medico, ſatis utilem diſciplinam ſecundum legem vivendi, ut omnia quidem ederet, ab una ſolummodo arbuſcula temperaret, quam ipſe medicus importunam interim noverat, audit ille medicum ſuum, ſed abſtinentiam rupit, edis illicitum, & tranſgeeſſione ſaturatus, in mortem cruditavit. Tertull. ſcorp. 5.* O fatalem inobedientiam! o exitioſam tranſgreſſionem! o enorme ſcelus, per quod mors intravit in hunc mundum, & ad omnes Adami poſteros tranſit: *Adamus in mortem datus, exinde totum genus humanum de ſuo ſemine infectum, ſuæ etiam damnationis traducem fecit. Tertull. lib. 3. de teſt. an.*

Sicut morbi, quos hæreditarios vocamus a parentibus in filios declinare ſolent; ſicuti etiam ſententia, qua nobilis quidam reus ex ordine nobilium depellitur, filios quoque reddit ignobiles, ita mortis pœna, cui addictus fuit ſceleroſus Adam, tranſit in ejus poſteros. Propter peccatum ipſe in mortem incurrit, & propter idem peccatum omnes Adami poſteri pœnas mortis luunt: *homo damnatus in mortem ob unius arbuſculæ delibationem, & exinde proficiunt delicta cum pœnis, & pereunt jam omnes, qui Paradiſi nullum ceſpitem norunt. Tertull. lib. 1. adv. Marc. 23.* Quare ſi mortuus ſit Adamus, & ſi jam moriantur homines, Adami & aliorum hominum mors a peccato eſt: *per peccatum mors.*

*Deus mortem non fecit*, inquit Sapiens: *Sap. 1. 10.* quis ergo illam fecit? duo ad illam faciendam concurrerunt, diabolus, ſcilicet, & Adamus. Diabolus quidem, qui invidia adverſus hominem exardeſcens, Adamum ad violandum Dei præceptum induxit, & ideo dicitur, quod *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Sap. 2. 24.* Adamus vero, quia Dei præceptum violavit, & ideo in ſui criminis pœnam, morti adjudicatus eſt. Quomodo autem diabolus & Adamus fuerint cauſa mortis, præclare explicat Hugo Cardinalis, dicens: (Invidia diaboli, qui invidet homini beatitudinem, quam ipſe perdidit, mors introivit in orbem terrarum, ſeu in omnes homines diffuſos per omnes partes orbis terrarum. Nec ſola invidia diaboli introduxit mortem, ſed coadjuvit conſenſus hominis, quia niſi homo voluntatie conſenſiſſet ſuggeſtioni diaboli, non haberet mors poteſtatem in eo. *Hugo in c. 2. Sap.*) Eſt ergo mors a diabolo, & ab Adamo: *a diabolo* in quantum induxit Adamum ad peccandum, & *ab Adamo*, in quantum contra Dei mandatum peccavit. Et ſi mors eſt a peccato quod perpetravit Adamus, pravæ dæmonis ſuggeſtioni conſentiens, *per peccatum mors*, inquit Apoſtolus, & ut ait D. Auguſtinus: *mors corporis de peccato eſt, ſi enim non peccaſſet Adam, nec corpore mortuus eſſet. Aug. lib. 2. de Gen. ad litt.*

Corpus Adami, ante peccatum, mortale erat, & immortale, inquit Auguſtinus: *erat mortale, quia poterat mori, immortale quia poterat non mori. Aug. l. 6. de Gen. c. 5.* Unde in Adamo erat potentia moriendi, & potentia non moriendi: in eo erat potentia moriendi *ex conditione naturæ*, inquit Hugo Cardinalis, & in eo erat potentia non moriendi: *ex beneficio gratiæ, qui conceſſum erat ei comedere de ligno vitæ: quo adjutus, ſemper viveret. Hugo in c. 8. ad Rom. v. 10.* Qui ergo factum eſt, ut hic homo, qui immortalis erat, in quantum poterat non mori, mortalis factus ſit, & morti obnoxius? a quo ei ablatum eſt donum immortalitatis? a peccato utique quod commiſit, cum de ligno vetito comedit: *corpus quidem mortuum eſt propter peccatum.* Unde ajunt nonnulli, quod mors a *morſu* dicitur; quia ſcilicet Adamus fructum vetitum momordit, & mordendo peccavit, quo peccato ipſe, ſimul cum omnibus poſteris, in mortis pœnam incurrit.

O quam formidandum, & deteſtandum peccatum, a quo mors in hunc mundum intravit, & ad omnes homines pertranſiit! horremus ſicarium, qui alicui homini mortem intulit; ægre patimur carnifices, qui ut ſæcularis juſtitiæ miniſtri, homines enormium criminum reos, morte afficiunt: ſed quanto magis deteſtandum peccatum, a quo omnibus penitus hominibus mors infertur? Horreamus illum ſicarium, deteſtemur illum carnificem, ac ſi mortem nobis inferat, inferamus & nos ei mortem, nec permittamus vel unicum mortale peccatum vivere & regnare in nobis: *non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Rom. 6. 12.* O N. a multis annis regnavit in te luxuria, dic ei jam: *mors tua ero*; a diuturno tempore vivit in te ſpiritus gulæ, vel ſuperbiæ, dic ei: *mors tua ero*; cum tandem peccatum tibi mortem inferat, mortem & tu omnibus peccatis, & vitiis tuis infer. Sed poſtquam vidimus a quo ſit mors, inquiramus nunc, *qualis futura ſit cujuſque mors.*

## TERTIA PARS.

*Qualis futura eſt cujuſque mors.*

BAlaam, licet impius, morte tamen juſtorum mori ſperabat, & optabat: cum enim filios Iſrael ex montis cujuſdam cacumine ſpectaret, & illos populum Dei eſſe conſideraret, in hæc verba prorupit: *moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia. Num. 23. 10.* Hujus vita mala fuerat, & mortem bonam concupiſcebat: hic vitam impiorum vivere, & morte juſtorum mori deſiderabat. Sic multos reperire eſt, qui vivere volunt ut porci, & mori cuperent ut Sancti; multos, qui toto vitæ ſuæ tempore avaritia, luxuria, aliiſque vitiis abſtinere recuſant, & nihilominus mortem Martyrum, Virginum, & ſanctorum Chriſti Confeſſorum exoptant.



Digitized by Google

Hi utique ſimiles huic, qui interrogatus uter eſſe mallet Cræſus, an Socrates? reſpondit: *in vita Cræſus, in morte Socrates.* Sic enim hi, in vita eſſe vellent potatores, ſcortatores, uſurarii, nec non omnibus vitiis dediti: optarent vero mori morte juſtorum, ac Dei amicorum, qui recta ad cælos pergunt: ſed o quam vana hæc deſideria, quam inutilia illa vota! Verum quidem, fieri poſſet, ut qui bene vixerit, tandem in fine pereat, & in portu naufragium faciat, fieri etiam poſſet, ut qui male vixerit, in fine tandem ad Deum convertatur, & ſalvus fiat, ſicut de bono latrone conſtat. Sed plerumque, & fere ſemper, qualis eſt cujuſque vita, talis eſt ejus mors: vita enim & mors ſunt correlativa, & ideo vitæ reſpondet mors, taliſque eſt mors, qualis extitit vita, quæ eam præivit; ſi vita fuit bona, mors eſt bona, ſi vita mala, mors eſt mala: Unde ſi quis ſcire cupiat, qualis futura ſit ſua mors, vitam inſpiciat: ſi vita bona, certus ſit mortem fore bonam, ſed vita mala, certus ſit mortem fore malam. Ut enim ait D. Hieronymus, *Ei non bonus eſt finis, cui mala ſemper fuerit vita, e contrario vero, qui bene vixit, bene moritur. D. Hier. epiſt. ad Damaſc.*

Mors vulgo dicitur, *Echo vitæ:* ut enim Echo voci, ita mors vitæ reſpondet. Cum inter concavas rupes, vel in domo quadam reſonat Echo, illam ſolummodo reddit vocem, quam edit clamans; ſi enim vox clamantis dicat, *bonum:* Echo reſpondet; *bonum*, ſi malum, malum, ſi Paradiſus, Paradiſus, ſi infernus, infernus. Mors autem eſt quaſi Echo vitæ: ſi vita dicat; *bonum*, quia ſcilicet bona eſt; mors etiam dicit; *bonum*, quia ipſa quoque bona erit: ſi vero vita dicat, *malum*, quia ipſa mala eſt: mors etiam dicit, *malum*, quia ipſa quoque mala erit: talis tandem mors, qualis vita, quæ eam anteceſſit; *qualis vita; mors eſt ita. Auguſt.*

Vita & mors hominum, non male ab aliquibus conferuntur cum ſyllogiſmo, cujus præmiſſæ vita, concluſio vero mors. In ſyllogiſmo recte compoſito, cum præmiſſæ ſunt falſæ, concluſio etiam falſa eſſe ſolet, & cum præmiſſæ ſunt veræ, concluſio ſemper eſt vera, quia cum argumentum eſt in forma, ex præmiſſis veri ſequitur; ſemper concluſio vera, *ex vero non niſi verum.* Idem ſane dicendum de cujuſque vita, & morte. Scire cupis, qualis tua futura ſit mors? vide præmiſſas, vide qualis fuerit vita; ſi enim vita fuerit bona, mors quoque bona erit, ſi mala fuerit vita, mors etiam mala erit; *qualis vita, mors eſt ita.*

*Si ambulavero, in medio umbræ mortis, non timebo mala, Pſ. 22. 4.* inquit Propheta. Quæ eſt illa mortis umbra? mortis umbra, ut ait D. Auguſtinus, eſt ipſa vita, *in medio umbræ mortis, id eſt, in medio hujus vitæ, quæ eſt umbra mortis. Aug. in Pſ. 22.* Corpus eſt ſimile umbræ ſuæ, & umbra ſimilis corpori a quo fit: corpus enim hominis non facit umbram equi, & corpus equi non facit umbram hominis. Idem dicendum de cujuſque vita & morte; una enim eſt quaſi umbra, alia vero quaſi corpus; & ideo una alteri ſimilis. Si vita ſancta, mors quoque ſancta erit: ſi vita mala, mors quoque mala. Si vivas ut jumentum indomitum, ut jumentum morieris; ſed ſi vivas ut homo Chriſtianus & juſtus, morieris ut homo Chriſtianus & juſtus; taliſque tua erit mors, qualis vita extiterit: *qualis vita, mors eſt ita.*

Hoc præclare docet Gentium Apoſtolus, cum vitam noſtram tempori ſementis, & mortem tempori meſſis comparans, ait, nos in morte meſſuros quæ in vita ſeminaverimus: *quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Gal. 6. 7.* Ut quia in agro ſuo frumentum metat, in eo ſeminare debet frumentum; ut metat triticum, vel hordeum, oportet, ut triticum, vel hordeum ſeminet: quia *quæ ſeminaverit homo, hæc & metet.* Similiter, ſi quis toto vitæ ſuæ tempore ſeminaverit opera ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, & aliorum vitiorum, in morte peſſimos ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, & aliorum vitiorum fructus metet. Sed contra, ſi quis toto vitæ ſuæ tempore actiones humilitatis, patientiæ, charitatis, & aliarum virtutum ſeminaverit, in morte earumdem virtutum fructus metet, quia *quæ ſeminaverit homo, hæc & metet.*

Videte, quomodo ſe habuerint Apoſtoli, quos S. Hilarius vocat *ſatores æternitatis.* Hi dum in hoc mundo viverent, *euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua. Pſ. 125. 6.* Jejunia, orationes, prædicationes, mortificationes, & alia pia opera quæ faciebant, erant ſemina, quæ mittebant; in morte autem ſua, ea meſſuerunt, quæ ſeminaverant: *venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Si ſeminaſſent opera iniquitatis, fructus conſimiles in morte meſſuiſſent; ſed quia ſeminarunt opera virtutis, in morte fructus virtutis meſſuerunt. Vis, o homo, metere in benedictionibus? ſemina in benedictionibus: quia, *qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 2. Cor. 9. 6.* Vis in morte metere fructus virtutis? dum vivis, mitte ſemina virtutis: quia quæ in vita ſeminaveris, in morte metes: aut, ut clarius loquar, ſi male vixeris, male morieris, & ſi pie vixeris, pie & religioſe morieris.

Princeps quidam hæreticus, rogatus quid de Catholicis, & Calviniſtis ſentiret? ingenue reſpondit: velle vivere cum Calviniſtis, & mori cum Catholicis, quia vita illorum eſt voluptuoſior; ſed mors iſtorum eſt lætior, & ſecurior. Sic multi, Romanæ etiam Eccleſiæ filii, vivere vellent voluptuoſe, & mori pie: in vita ſua mittere vellent ſemina avaritiæ, luxuriæ, gulæ, & aliorum vitiorum; in morte vero fructus virtutum metere. Vivere optarent ut impii, & mori ut ſancti: ſed mors, vitæ ſimilis eſſe ſolet, & ut ait D. Auguſtinus: *vix bene moritur qui male vixerit. Aug. de doctrin. Chriſt.* Vis bene mori? bene vive: ſi enim male vivas, male morieris: quia qualis vita, talis mors, & *vix bene moritur qui male vixerit.*

De Philoſopho quodam refert Joannca Torres, quod cum die quadam in nundinarum foro deambularet, in quo equi multi, multi aſini, & alia multa bruta animantia erant; quæritare cœpit inter aſinos, & nunc illum, nunc alium inſpiciebat, ſicque per forum diſcurrebat; quouſque interrogatus, quid tam ſollicite quæreret? reſpondit: aſinum quæro. Cui adſtantes dixerunt: plurimos coram habes. Quibus ille, non hujuſmodi quæro, ſed unum qui pulchram pavonis caudam habeat. Caudam pavoninam

in

Digitized by Google

in aſino quæris, dixerunt hi? ſtulta ſane inquiſitio tua. Sed ad illos Philoſophus: hæc non mea, ſed veſtra ſtultitia eſt: non ego ſtultus, ſed vos; quia poſt aſininam, & beſtialem vitam, pavoninam, ſeu pulchram & ſanctam mortem quæritis. Hæc ſane magna multorum ſtultitia; quia cum vivant ut bruta pecora, præclaram juſtorum mortem exoptant; non enim brutis illis animantibus, ſed juſtis hominibus juſtorum mors competit; quia *Dominus non conſuevit dare mortem juſtorum, niſi juſtis. Oleaſt.* Vis mori, ut juſti? vive, ut juſti: qualis enim vita, talis mors. Sed, ut ait D. Paulus, qualia ſunt opera, quæ in vita facimus; talis eſt mors, quam obimus; *quorum finis erit ſecundum opera ipſorum. 2. Cor. 11. 15.*

Ecce qualis cujuſque futura ſit mors; talis, ſcilicet, qualis vita, quæ eam præceſſit; ſi vita ſit bona, mors erit bona: ſi vita mala, mors erit mala. Quare, inquit D. Auguſtinus, *conſcende tribunal mentis tuæ; & eſto judex;* conſcende tribunal, non paſſionum tuarum, ſed mentis tuæ, & ſerio recogita, qualis tua fuerit vita; quomodo vixeris in adoleſcentia tua, quomodo in juventute, & quomodo a toto tempore, quo rationis uſum habes. Vixiſtine inſtar hominum juſtorum, vel inſtar impiorum, ſervaſtine omnia Dei mandata? fuiſtine fidelis in Dei obſequio? *conſcende tribunal mentis tuæ*, & hæc ſerio ſcrutare: ſi autem vitam pravam fuiſſe, & jam talem eſſe invenias, timendum valde, ne prava, & peſſima futura ſit tua mors: quia qualis vita, talis mors, & ut ait Doctor Seraphicus, eorum mors ſancta & pretioſa in conſpectu Domini eſſe non poteſt, quorum vita ſordida, & mala fuit: *hoc taceo, hoc verum puto, quod ei non bonus finis eſt, cui ſemper mala fuerit vita. D. Bonav. de contemptu ſæc.*

De nobili quodam, ex Sabaudia oriundo, legitur, quod cum extrema ageret, dum ei adſtantes de æterna ſalute loquerentur, ipſe amaſiam, quam deperierat, compellabat, dicens, *o meum corculum! o animulam meam! ſiccine ſeparat amara mors? Barri ſolil.* Alii non pauci reperti ſunt, quibus mox morituris cum Sacerdos de æternis loqueretur, ipſi de terrenis ſolummodo erant ſolliciti: dicebat Sacerdos, ut animam Deo commendarent, ut beatam Virginem alioſque Sanctos ad ſui auxilium invocarent, & hi vel filiis, vel concubinæ, vel uſuris, vel nummis, vel mercibus, vel aliis, quæ in vita dilexerant, toto corde & animo erant intenti; quia quales in vita fuimus, tales & in morte ſumus: ut ergo bona & pretioſa in conſpectu Domini ſit mors veſtra; bona, chriſtiana, & pia ſit vita veſtra. Penes quemque eſt, mortem ſuam bonam facere: ut enim quis bonam faciat mortem ſuam, oportet ſolummodo ut Dei & Eccleſiæ ſervet mandata; oportet ſolum ut bene & chriſtiane vivat; quia qui bene vivit, bene moritur; taliſque mors, qualis vita. Vivite ergo bene, ut bene moriamini. Aliena reſtituite, injurias condonate, parcite inimicis, pœnitentiam agite, pravos eradicate habitus, proximas peccandi occaſiones fugite, chriſtianas ſectamini virtutes; pie tandem vivite: ſicque & pretioſa erit in conſpectu Domini mors veſtra; quæ etiam erit tranſitus ad vitam æternam. *Amen.*

## FERIA VI.

## POST DOMINICAM QUARTAM.

# DE CONVERSIONE NON DIFFERENDA.

*Voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus.* Joann. 11. 43.

CUm Lazarum intueor mortuum, in ſepulchrum jacentem, fœtidum, & inſtitis ligatum, non poſſum non mente revolvere miſerum hominis peccatoris ſtatum: peccator enim ſpiritualiter mortuus eſt, in vitiorum ſuorum ſepulchro jacet, horrendum in modum fœtet, ac tetris ſcelerum ſuorum funibus conſtringitur. Sed, proh dolor! Lazarus, Chriſto vocante, protinus e ſepulchro exit, *& ſtatim prodiit qui fuerat mortuus*; plurimi vero peccatores ita miſeri ſunt & inſenſibiles, ut a peccato prompte ſurgere, & ad Deum cito converti nolint. Clamat Deus: *Convertimini ad me in toto corde veſtro. Joel 2. 12.* clamant concionatores, clamant confeſſarii, aliique pii monitores; & hi, tamquam ſurdi auditores, non ſtatim de peccatorum ſuorum ſepulchro exeunt; ſed converſionem in futurum differunt.

Deus, cujus infinita bonitas, in cujuslibet peccatoris corde clamat: o miſer! o peccator! o Lazare, per peccatum mortue! *veni foras*, exi de pravo illo habitu, quo tot ab annis ligatus es: *exi* a domo illa, in qua toties in gravia crimina lapſus es; *exi* ab hujus impii conſortio, quo pluries ad peccandum adductus es; *exi* a volutabro, cui infixus es: *exi*, & egredere nunc a pravo illo ſtatu, in quo diu moratus es: hi autem non ſtatim, ſed in futuro; non jam, ſed poſt aliquot annos, ſed cum gravis quidam eos morbus invaſerit, vel cum eos imminens mortis periculum terruerit, & conturbaverit, ad Deum converti ſtatuunt. O quam miſeri hujuſmodi peccatores! quibus ut meliora, & ſalubriora ſuadeam, de converſione uſque ad vitæ finem non differenda, iſta inſtituetur concio, &c. *Ave.*

PEccator, qui converſionem ad vitæ finem differre vult, quique ſe tunc ſolummodo pœnitentiam acturum decernit, cum ex hoc mundo migrandi tempus advenerit: haud dubie peccat mortaliter; *tum*, ob evidentiſſimum damnationis periculum cui ſe exponit; *tum*, quia prava hac voluntate gravem infert injuriam Deo; cujus amicitiam ita parvipendit, ut eam in vitæ fine, & non antea, ſibi conciliare intendat. In grave tamen hoc peccatum cadere non timent multi, qui converſionem ſuam ad ſenectam, ad ultimum morbum, aut ad imminentem ex hoc mundo exitum differunt; quique tunc ſolum ſe pœnitentiam acturos ſtatuunt, cum nihil agere poterunt.

Quo nomine hujuſmodi homines vocem; quo caractere eos inſigniam, neſcio. Eos ſane dicere poſſem viros in Deum ingratos, viros protervos, & contumaces, viros rebelles lumini, & propriæ ſalutis parum ſollicitos. Sed relictis turpibus his & aliis no-



Digitized by Google

nominibus, quibus illos appellare poſſem, nulla eos afficiam injuria, ſi eos incredulos, ſtultos, & reprobos appellem. Qui enim converſionem ad vitæ finem differunt; ſunt: 1. Increduli, & infideles: 2. Stulti, & amentes: 3. Reprobi, & damnati.

## PRIMA PARS.

*Qui converſionem ad vitæ finem differunt, increduli ſunt.*

CHriſtiani, qui converſionem ad vitæ finem differunt, fideles vere ſunt, ratione fidei infuſæ, quam in Baptiſmo perceperunt, eos tamen incredulos, infideles & fide alienos vocare licet: *ſatis alienus es a fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus ſenectutis expectas. Alcuin. lib. de virt. & vitiis.* A fide quidem alieni ſunt & increduli, quia non credunt: 1. ſacræ Scripturæ verbis: 2. ſanctæ Eccleſiæ decretis: 3. ſanctorum Patrum dictis, & ſententiis.

1. Communis impiorum hic eſt error, quod confeſſio, & converſio ſunt in futurum remittendæ, quodque in ultimo morbo, & inſtante morte contexi, peccata confiteri, Deo ſatisfacere, & omnia veri pœnitentis munia obire eſt facillimum; ſed monet Sapiens, in hoc errore non eſſe demorandum, & converſionem uſque ad mortem non eſſe differendam: *non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. Confiteberis vivens, vivus, & ſanus.* Non debet quis ſuam differre converſionem quouſque infirmabitur ad mortem, ſed converti debet, dum perfecta gaudet ſanitate; immo nec quocumque modo tardare debet converti ad Dominum: *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Eccli. 5. 9.*

Sic loquitur Iſraelitici populi Rex Salomon: ſed verum audiamus Salomonem, Chriſtum ſcilicet, qui pœnitentiam differendam non eſſe docet: *niſi pœnitentiam habueritis*, inquit, *omnes ſimiliter peribitis: Luc. 13.* quæ verba, aut æquipollentia mox repetit, dicens. *ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Non dicit Chriſtus, pœnitentiam eſſe differendam, ſed eſſe habendam, ſed eſſe agendam: *niſi habueritis, ſi non egeritis.* Quod confirmat parabola hominis, qui cum ficulneam, non habentem fructum, in vinea ſua inveniſſet, dixit procuratori vineæ, ut illam cæderet: *ſuccide illam, ut quid terram occupat?* Eodem enim modo, qui non agunt pœnitentiam, ſed eam ſemper in futurum dimittunt, ſuccidentur, & in ignem mittentur: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Eximius pœnitentiæ præco, ac Chriſti Domini præcurſor Joannes Baptiſta, converſionem eſſe prompte faciendam variis in locis ſuadere conatur; *pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Non ait, converſionem in tempus futurum remittite; *Sed pœnitentiam agite nunc, agite prompte, quia appropinquavit regnum cœlorum. Matth. 32.* Chriſti præcurſor, ut pœnitentiam cito agendam ſuadeat, ait: *facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Non dicit: expectate uſque ad mortem, vel uſque ad ætatem decrepitam, ut tunc fructus pœnitentiæ dignos faciatis: ſed nunc, ſed jam *facite fructus dignos pœnitentiæ. Luce 3. 8.*

Alium audiamus præconem, ac omnium gentium Doctorem, Paulum, qui ait: *hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Rom. 13. 11.* Dicere ſolent peccatores: tunc a gravi peccatorum meorum ſomno ſurgam, & ad Deum me totum convertam, cum ſenectus advenerit, vel mortis tempus appropinquaverit, ſed aliter loquitur D. Paulus: non ait: *tunc* tempus erit; *tunc* hora erit: *tunc me* convertam, & a peccati ſomno ſurgam. Sed ait: *hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*: non in futuro, ſed nunc, ſed jam tempus eſt ſurgendi a peccato, & ad Deum nos convertendi. Fratres, inquit idem Paulus: *dum tempus habemus, operemur bonum. Gal. 6. 10.* Quaſi dicat: neſcitis, an tempus futurum ſitis habituri; quare converſionem veſtram, & bona opera ne in futurum differatis, ſed jam, & abſque ulla mora iis ſedulo incumbite. Ecce quomodo Chriſtus, quomodo Salomon, quomodo ſanctus Joannes Baptiſta, quomodo Paulus, ac tota pene ſacra Scriptura, converſionem in futurum non eſſe differendam doceat: quare, qui converſionem in futurum differunt, increduli ſunt & infideles quia non credunt S. Scripturæ. Sed increduli ſunt etiam, & infideles, *quia non credunt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Decretis.*

2. In naſcentis Eccleſiæ primordiis, converſio, quæ a peccatoribus graviter ægrotantibus fiebat, ita inutilis, & illegitima cenſebatur, ut, teſte ſancto Cypriano, iis qui illam ad hoc uſque tempus diſtulerant, abſolutio denegaretur, quia hi non ſufficienter ad abſolutionem recipiendam diſpoſiti, & ea indigni credebantur. *C. Cypr. Epiſt. 32. ad Ant.* Aliquo tamen elapſo tempore, in Concilio Arelatenſi, Eccleſiæ claves tenente Silveſtro ſummo Pontifice, declaratum eſt, iis qui converſionem ſuam diu diſtulerant, poſſe dari abſolutionem, ſed illis denegandam communionem; *De his qui apoſtatant, & antequam ſe ad Eccleſiam repræſentent, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ. Conc. Arelat. Apol. 1. c. 23.*

Non multo poſt tempore, hujuſmodi pœnitentibus abſolutionem dari, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrari conceſſum eſt; ne Eccleſia favere videretur errori Novatianorum, qui lapſis poſt Baptiſmum, nullum ſupereſſe ſalutis remedium docebant. Et revera a multo tempore iis dantur abſolutio, & communio, quando veræ converſionis ſigna edunt. Converſiones tamen ab Eccleſia ſemper inſpiciuntur ut dubiæ, ut ſuſpectæ, & ut coactæ: nam ut habetur in Decreto, qui pœnitentiam ſic differunt, non cenſentur voluntarie converti, & non creduntur peccata dimittere, ſed a peccatis dimitti; *Si vis agere pœnitentiam quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. De pœnit. diſt. 7.*

Baptiſmum recipere olim differebant multi, quouſque ad provectam ætatem perveniſſent, vel gravi aliqua infirmitate laborarent. Concilium autem Neoceſarienſe hos qui in infirmitate conſtituti baptizabantur, irregulares declarat, eoſque ad Sacerdotium promoveri prohibet, quia eorum fides dubia, ſuſpecta, & non voluntaria creditur: *Si quis in ægritudine conſtitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari*

nari

Digitized by Google

*nari non debet; non enim fides illius eſt voluntaria, ſed ex neceſſitate. Cap. 1. & 57.*

Quod autem de Baptiſmo dilato, hoc & de pœnitentia, ad vitæ finem dilata, ſentit Eccleſia: ſicut enim hunc Baptiſmum non voluntarie, ſed ex neceſſitate receptum decernit; ita & pœnitentiam dilatam, non voluntariam, & ſuſpectam judicat; eoſque qui in vitæ fine pœnitentiam agunt, peccata non voluntarie dimittere, ſed ab iis dimitti credit; *Si vis agere pœnitentiam quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Ecce varia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ decreta, quæ pœnitentiam non eſſe differendam ſtatuunt; quare increduli, & infideles dicendi, qui pœnitentiam differunt, quia Eccleſiæ decretis non credunt; ac etiam, *quia non credunt ſanctorum Patrum dictis, & ſententiis.*

3. Qui converſionem ad vitæ finem differunt, ſe tunc vere pœnitentiam acturos ſperant. Sed, inquit D. Auguſtinus, ſicut nullus vult diu ægrotare ſub ſpe ſanitatis futuræ, ita & nullus in peccatis diu perſeverare debet ſub ſpe miſericordiæ Dei. Quia qui pœnitere differunt, repentino ſæpe corripiuntur morbo, & ſine pœnitentia ex hoc mundo exeunt; *Nullus hominum debet ſub ſpe miſericordiæ Dei, diutius in ſuis remanere peccatis, cum etiam nemo in ipſo tempore vellit ſub ſpe ſalutis futuræ diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus ſuis recedere negligunt, & ſibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec converſionis tempus, nec beneficium remiſſionis inveniant. D. Auguſt. lib. de fid. ad Pet. cap. 3.* Innumera alia ex D. Auguſtino adduci poſſent loca, converſionem non eſſe differendam probantia; ſed aliis ſanctis Patribus demus locum.

Hujus vitæ tempus breviſſimum cenſent omnes; eſt enim veluti vapor ad modicum durans; ut fulgur in momento diſparens; ut umbra velociſſime tranſiens; quare, inquit Sanctus Gregorius, peccatores converſionem diu differre non debent, ſed cito ad Deum converti, *quoniam tempus breve eſt & finis peccatorum mors eſt, erubeſcant ſe peccaſſe, erubeſcant converſionem diſtuliſſe, convertantur, & erubeſcant valde velociter. S. Greg. in 7. Pſ. Pœn.*

Severum Dei judicium imminere, ait S. Petrus Chryſologus; in quo duriſſima a Chriſto Domino proferetur ſententia adverſus illos, qui peccatorum ſuorum pœnitentiam non egerunt: quare, inquit, pœnitentia acceleranda, nec in futurum differenda; ne ſupremi Judicis ſententia pœnitentiam præveniat: *currat pœnitentia, ſententia ne præcurrat. Chryſoſt. ſerm. 167.*

Eorum qui pœnitentiam in futurum differunt, errorem manifeſtat D. Baſilius, dicens, quod tunc converti volunt, cum neque loqui, neque audire, nec doceri, nec peccata confiteri poterunt: *an expectas, ut te tum febris ad pœnitentiam vocet, cum nec ſalutaria verba amplius proloqui, neque quidquam auribus accipere poteris, cum in ipſo capite morbus inhabitabit: cum non manus amplius ad cælum tollere, non commode doceri, non certo confiteri, non in Dei gratiam redire valebis? S. Baſil. ſerm. 4. de pœnis.* O qualem errorem!

Sanctus Ambroſius, qui pœnitentiam in futurum non eſſe differendam, pluries ſuadere conatus eſt; ait tandem, pœnitentiæ eſſe ferventer inſiſtendum; ac ad pœnitentiam cito currendum, ſicut naufragus currit ad tabulam, ut ejus interventu a naufragio ſalvari poſſit: *inſiſte fortiter, pœnitentiæ inhære, tanquam naufragus tabulæ. Ambr. in Tract. ad Virg. lapſ.* Quod, & Tertullianus iiſdem fere verbis antea dixerat, *pœnitentiam*, inquit, *tu peccator ita invade, ita amplexare, ut naufragus aliquam tabulam. Tertul. lib. de pœn.* Sed quid immoror in colligendis aliquorum ſanctorum Patrum dictis? non aliqui ſolum, ſed omnes penitus ſancti Patres, qui de pœnitentia locuti ſunt, eam non eſſe differendam docuerunt. Quare increduli, & infideles pœnitentiam in futurum differunt, cum ſacræ Scripturæ verbis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ decretis, ac ſanctorum Patrum dictis non credant. Si enim hi corde credant; ſaltem operibus ſuis, ſe non credere ſuadent, cum cito pœnitentiam non agant, ſed eam in futurum differant.

*Si quis ſuorum*, inquit D. Paulus, *maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. 1. Tim. 5. 8.* Quare hic infidelis eſt: quia licet domeſticorum curam habendam credat ſpeculative; hoc tamen non credit practice, & fide efficaci, quæ illum ad curam de domeſticis habendam alliciat: vel, hic eſt infidelis, quia quod corde, & verbis credit, factis & operibus ſuis negat, dum hoc non facit, quod præcipit Sacra Scriptura. Sic qui converſionem in futurum differunt, increduli, & infideles ſunt ſuis operibus; quia hoc faciunt, quod ſacra Scriptura, quod Eccleſia, & quod Sancti Patres prohibent; ac factis negant, quod corde, & verbis forte profitentur. Sed ſi qui ſuam in futurum converſionem differunt, ſunt increduli, & infideles, *ſunt etiam ſtulti & amentes.*

## SECUNDA PARS.

*Qui converſionem ad vitæ finem differunt, ſtulti ſunt.*

OMnes quidem peccatores, juxta divinum ſacræ Scripturæ loquendi modum, ſtulti ſunt, & hujuſmodi *ſtultorum infinitus eſt numerus. Eccleſ. 1. 15.* Sed inter ſtultos peccatores, hi ſtultiſſimi cenſendi ſunt, qui converſionem ad vitæ ſuæ finem differunt, *ſtultiſſimum eſt, ut cauſa, in qua de neceſſitatibus agitur æternis, vitæ deficientis committatur extremis. Aug. ſerm. 120. de tempore.* Hi certo ſtultiſſimi: 1. quia in volutabro jacent, & nolunt ab eo exire: 2. quia in ſervitute ſunt, & nolunt ab ea liberari: 3. quia quaſi in putei margine dormiunt, & nolunt inde amoveri.

1. Cum Naas Ammonites pugnare cœpit adverſum Jabes Galaad: dixerunt ei omnes viri Jabes: *habeto nos confœderatos, & ſerviemus tibi.* Reſpondit arroganter Naas: *in hoc feriam vobiſcum fœdus: ut eruam omnium veſtrum oculos dextros. 1. Reg. 11.* Ecce fœdus, quod init dæmon cum peccatoribus, qui pœnitentiam in futurum differunt; iis mentis oculos ita eruit, illoſque eo ſtultitiæ ducit, ut cum jaceant in fœtido ſcelerum ſuorum volutabro, inde exire nolint, niſi in vitæ ſuæ fine, & inſtante morte.

Dic, quæſo, nonne ſtultus ab omnibus cenſetur ho-

homo, qui cum in volutabro decumberet, inde nullo modo exire vellet, niſi poſt viginti annos, vel in ultimis vitæ ſuæ diebus? hunc certe ſtultiſſimum dicerent omnes; ac ipſi pueri eum ut ſtultum circuirent, & irriderent. Eodem prorſus modo ſtulti cenſendi peccatores, qui ad Deum converti differunt: ipſi enim ſunt veluti immunda animantia in ſcelerum ſuorum volutabro jacentia, *ſus lota in volutabro luti*. 2. *Pet.* 2. Deus autem, Angeli, & homines, eos ad inde ſurgendum hortantur; & tamen inde exire nolunt, donec inſenuerint, vel lethali quodam morbo correpti fuerint. O magnam ſtultitiam!

Jucundum eſt quod narratur de Judæo quodam; qui cum die ſabbati, in volutabrum incidiſſet, inde ſurgere noluit, ne legem hanc violaret, quæ in die ſabbati omne opus prohibebat. Errabat, qui ſurgere eſſe opus a lege prohibitum credebat: quare qui eum ſic in luto jacentem videbant, hortabantur illum ut ſurgeret; eique manus, & auxilium offerebant, ut eum inde extraherent; ipſe vero renuens, ſtylo poetico reſpondebat.

*Sabbata ſancta colo, de ſtercore ſurgere nolo.*

Non legis obſervantiſſimum, ſed ſtultiſſimum eum judicavere, quotquot illum in hoc volutabro pertinaciter manere volentem viderunt; ac in primis eum ſtultum cenſuit nonnullus, qui illum profundius in volutabrum immerſit, illumque hinc inde volvit, dicens: Quia in hoc volutabro, ſabbati legem ſervaturus delectaris, volo, ut in eo ſabbatum perfecte celebres.

*Sabbata ſancta quidem Salamon celebrabis ibidem.*

O magnam Judæi hujus ſtultitiam! ſed o quam ſtulti etiam impii, qui converſionem differunt! iſti namque in volutabro peccati, ac in turpi ſcelerum ſuorum luto & limo infixi ſunt: *infixus ſum in limo profundi*. Clamant Deus & Angeli, clamant concionatores & Confeſſarii, clamant parentes & amici, eoſque hortantur, ut a volutabro hoc cito ſurgant; ipſi vero, ut mundi & carnis leges ſervent inde uſque ad ſenectutem, vel uſque ad mortem ſurgere differunt. Tunc, inquiunt, ſurgam cum ſenuero, cum graviter infirmabor, cum mortis hora appropinquaverit, o qualem ſtultitiam! ſed ſi hi ſtulti ſunt, quia in volutabro jacent, & nolunt ab eo exire; hi etiam ſtulti, *quia ſervi ſunt, & nolunt a ſervitute liberari*.

2. Tot ſunt ſervi, quot peccatores; illius enim peccati ſunt ſervi, in quod inciderunt, *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. *Joann.* 8. 34. Quid avarus, niſi divitiarum, & dæmonis ſervus? *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*. 1. *Tim.* 6. 9. Quid ambitioſus, niſi mancipium, & ſervus propriæ excellentiæ, qui ſub gravi ambitionis jugo ingemiſcit, & prius ſervit, quam dominetur? *grave ambitionis jugum, quia ut dominetur aliis, prius ſervit. S. Bernard.* Quid luxurioſus, quam turpitudinis ſuæ, & fœdæ libidinis mancipium? Quid tandem omnes peccatores, quam ſervi ſcelerum, quibus addicti ſunt? *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*.

Impiorum ſervitutem graviſſimam cenſet D. Auguſtinus, quia non uni ſolum, ſed tot dominis ſerviunt, quot vitiis adhærent. Quamvis Reges hi ſint, & Imperatores; gravi tamen ſcelerum ſuorum jugo ſubduntur, totque dominorum ſunt ſervi, quot variis vitiorum generibus indulgent; *malus etiamſi regnet, ſervus eſt, nec unius domini, ſed quod gravius eſt, tot dominorum, quot vitiorum. Aug.*

O duram ſervitutem! quam adhuc duriorem & graviorem judicabit, qui advertet, ſervos peccati, ſervos etiam eſſe dæmonis, quia ab eo victi, & ſuperati ſunt; *a quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt*. 2. *Pet.* 2. 19. Tentat homines dæmon, impugnat viros etiam ſanctiſſimos: omnibus bellum indicit, omneſque dejicere, & ad peccandum pertrahere conatur; cum autem in mortale aliquod peccatum illos trahit, tunc ab illo ſuperantur, & ideo tunc diro illius jugo ſubduntur, ejuſque fiunt mancipia, & ſervi: *a quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt*. O importabile jugum! o duram ſervitutem! & tamen ita ſtulti ſunt, qui pœnitere differunt, ut jugum illud excutere, & ab hac ſervitute liberari nolunt.

Stultos aliquos vidit Job, quorum ſtultitia altas radices habebat: *ego vidi ſtultum firma radice. Job* 5. 7. Stulti hi, ſunt ipſimet peccatores, qui a peccatis ſurgere, & pœnitentiam agere differunt: ſtulti quidem hi ſunt *firma radice*, quia nulla major, nulla magis radicata videtur ſtultitia, quam quod quis a dura, & horrenda dæmonis, ſcelerumque ſuorum ſervitute uſque ad ultimam ſenectutem, & ad vitæ ſuæ exitum liberari nolit.

Quod ut clarius pateat, dic, quæſo, ſi quis ſub dura Turcarum, vel aliorum infidelium ſervitute gemens, ab ea liberari jam jam facile poſſet, & tamen ab ea liberari nollet, donec inſenuerit, vel propinquæ mortis tempus advenerit, nonne cenſeretur hic ſtultus, & in ſtultitia quam maxime radicatus? non eſt qui non eum ſtultum, & ſtultiſſimum proclamet. Sed ſtulti magis, qui pœnitentiam in futurum differunt, quia cum a peccati, & dæmonis ſervitute mox liberari poſſint, ab ea tunc liberari expectant, cum gravi morbo laborabunt, vel cum mortis hora appropinquaverit. O portentoſam hujuſmodi hominum ſtultitiam! ſed hi ſunt etiam ſtulti, *quia in putei margine dormiunt, & inde amoveri nolunt*.

3. Infernus eſt locus profundiſſimus, in terræ centro conſtitutus, in quo umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Hic locus, eſt ſimul carcer, lacus, & puteus. Eſt carcer, & omnium carcerum teterrimus, omni horrore, & fœtore plenus, in quo detinentur, & torquentur damnati; ac *omnes labes mundalium ſordium exhalant. Tertull. lib. de an. cap.* 74. Eſt locus horrendus, in quem deſcendunt, & præcipitantur reprobi, æternum cruciandi: *deſcendunt in lacum ad populum ſempiternum. Ezech.* 26. 20. Eſt puteus, & a dilecto Diſcipulo, in Libro Apocalypſeos, vocatur *puteus abyſſi*, *Apoc.* 9. quia hic puteus eſt ſtupendæ profunditatis; nec ab eo damnati quocumque modo exire poſſunt. A Regio vero Vate dicitur *puteus interitus*; *Pſalm.* 54. tum quia in illum impii, in ipſo ſui interitus inſtanti, præcipitantur; tum quia miſeri in eo vi-

ver-

Digitized by Google

ventes, ſemper morientur; & interitu ſempiterno cruciabuntur.

Quam horribilis, & formidandus ſit ille puteus, deſcribit Euſebius Emiſſenus, dicens, *hic puteus cum ſuſceperit reus, claudetur ſurſum, & dilatabitur in profundum: nullum ſpiramen, nullus liber anhelitus, clauſtris deſuper urgentibus, relinquetur; detrudentur illuc, valedicentes rerum naturæ: ultra neſcientur a Deo, qui Deum ſcire noluerunt. Euſeb. hom. 5. de Epiph.* O quam horrendus ille puteus! & tamen peccatores, qui converſionem differunt, ita ſtulti ſunt, ut quaſi in margine hujus putei dormiant, nec inde amoveri velint.

Quaſi in margine, & ad oram inferni dormiunt peccatores; quia ſi repentina corripiantur morte, mox in infernum cadunt; *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Job* 21. 13. Clamat Spiritus Sanctus, ut eos a lethali hoc peccati ſomno excitet: *ſurge qui dormis, & exurge a mortuis. Eph.* 5. 14. Clamat, quod a peſſimo hoc ſomno ſurgendi hora jam advenerit: *hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Rom.* 13. 11. Clamat, & ſtulti hi peccatores, ſomno peccati dormire, quaſi in inferni margine dormire, ac uſque ad vitæ finem dormire volunt. O magnam hujuſmodi peccatorum ſtultitiam!

Stulti ergo peccatores, qui ad vitæ ſuæ finem pœnitere differunt: *ſtulti*, quia in volutabro jacent, & nolunt inde exire; *ſtulti*, quia ſervi ſunt, & nolunt liberari: *ſtulti*, quia in margine putei infernalis dormiunt, & nolunt inde amoveri. O N. deſine eſſe ſtultus; ne ſis ita ſtultus, ut converſionem ad vitæ tuæ finem differas; quia forte morte ſubitanea præoccupatus, in infernum cadenes: *noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. Eccl.* 7. 18. At peccatores, qui pœnitentiam differunt, non ſolum ſtulti ſunt & amentes, *ſed ſunt etiam damnati & reprobi.*

## TERTIA PARS.

*Qui converſionem ad vitæ finem differunt, reprobi ſunt.*

QUi converſionem ad vitæ finem differunt, de ſalute ſua non diffidunt: quin contra tunc ſe pœnitentiam acturos, ac æternam beatitudinem conſecuturos ſperant & confidunt. Latronem, inquiunt, tunc ſalvavit Chriſtus; ſalvabit & nos tunc; erga latronem tunc ita miſericors extitit, ut ei Paradiſum aperuerit; erga nos ſimiliter ſe ita miſericordem exhibebit, ut a Paradiſo nos non excludat. Sed falluntur miſeri: quia latronem quidem tunc ſalvavit Chriſtus, ut nobis demonſtraret, nec in ultimo vitæ termino a miſericordia Dei eſſe deſperandum: *Sed non niſi unum ſic ſalvavit*, inquit S. Bernardus, *ut raram eſſe hujuſmodi ſalvationem manifeſtaret*. Ita rara, & difficilis eſt ſalvatio eorum, qui ad vitæ finem converſionem differunt, ut eos veluti reprobos & damnatos inſpicere poſſimus. Quod ut non a meipſo dictum videatur; trium omni exceptione majorum teſtimonium adducam; Salomonis ſcilicet, Auguſtini, & Scoti: 1. *Salomonis*, qui inter ſapientes ſapientiſſimus: 2. *Sancti Auguſtini*, qui inter Patres perſpicaciſſimus: 3. *Scoti*, qui inter Theologos ſubtiliſſimus.

1. Impii qui converſionem ad vitæ finem differunt, tam diris pravæ conſcientiæ ſtimulis dilaniantur, tanto timore concutiuntur, totque calamitatibus ſæpe opprimuntur, ut vere ambulent vias difficiles, & in via iniquitatis laſſentur: *laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis. Sap.* 5. 9. Viæ quibus incedunt hujuſmodi viri, duræ, aſperæ, difficiles, & doloribus plenæ: *delicati mei ambulaverunt vias aſperas. Baruch* 4. 26. Via & vita illorum in lubrico verſatur, ac multis complanata eſt lapidibus; ſeu occaſionibus ad peccandum allicientibus; *via peccantium complanata lapidibus.* Sed quid tandem fit de his hominibus, qui ambulant vias difficiles, aſperas & lapidibus complanatas? quis eſt finis eorum. *Via peccantium complanata lapidibus*, inquit Salomon: *& in fine illorum inferi, tenebræ & pœnæ. Eccli.* 21. 11. Dicunt hi: in fine vitæ meæ omnia confitebor peccata; ea lacrymis multis delebo; Dei miſericordiam impetrabo, & æternam beatitudinem obtinebo. Sic loquuntur qui converſionem ſuam differunt: ſed non ſic loquitur Salomon; non iis beatitudinem æternam pollicetur: quin contra, eos damnandos, ac ad tartara mittendos prædicit: *in fine illorum inferi, tenebræ, & pœnæ.*

Deus per ſeipſum, per Prophetas, per Apoſtolos, ac per Concionatores, ad promptam morum mutationem, & converſionem peccatores ſæpe hortatur; ipſi vero ita ſtulti ſunt, ut omnes inſpirationes internas, conſilia omnia, omnes prædicationes, ac ſapientum quorumcumque monita ſpernant: *non recipit ſtultus verba prudentiæ. Prov.* 18. 2. Stultorum hujuſmodi corda ita dura ſunt, ut nec minis, nec promiſſis, nec conſiliis, nec Dei gratia flecti poſſint; ſed tandem in fine vitæ quid funeſtum eis eveniet: *cor durum male habebit in noviſſimo. Eccl.* 3. 27. Quid eſt funeſtum hoc, quod eis tunc accidet? nonne tunc convertentur ad Dominum? nonne tunc morientur morte juſtorum? nonne æternam felicitatem aſſequentur? Nequaquam, inquit Salomon; ſed hi miſeri, qui in continuo damnationis periculo vivere voluerunt, infeliciter peribunt, & æternum damnabuntur: *cor durum habebit male in noviſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit.* Ecce quid de his qui converſionem ad vitæ finem differunt, ſentiat Salomon, inter ſapientes ſapientiſſimus; audiamus hac de re diſſerentem Auguſtinum, qui inter ſanctos Eccleſiæ Patres perſpicaciſſimus & doctiſſimus eſt.

2. Non differenda converſio, inquit Auguſtinus; quia non ſumus ſecuri an diu ſimus victuri; ac valde timendum, ne qui ad Deum converti differunt, morte ſubitanea rapiantur, & ad infernum præcipitentur; *time, ne mors ſuperveniens te rapiat & pereat dilatio, & ſuccedat æterna damnatio. Auguſt. lib. 9. de inhoneſta muliere.* Quod & confirmat ex Sacra Scriptura, in qua dicitur, non quod ſalvi fient; ſed quod diſperdentur, quia ad Deum converti differunt; (Audiant, inquit, omnes; verba recito Scripturæ divinæ. O male dilator, & craſtini male appetitor! audi Dominum dicentem, audi Scripturam prædicantem *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſper-*

det

*det te. S. Auguſt. ſerm. 152. de ver. Apoſt.*) Dic o male dilator, dic quantum volueris, quod Deus ſalvabit te; ſed ſcito quod fallieris, qui ſic loqueris; quia non dicit Deus; quod ſalvabit te; ſed quod *in tempore vindictæ differdet te.*

De his qui ad vitæ finem converti differunt, variis aliis in locis loquitur Hipponenſis Antiſtes; ſed eos ſemper ut viros interitui vicinos, & reprobos reſpicit. Innumeri, ait, a mundi primordio converſionem ad vitæ ſuæ exitum diſtulerunt; ſed, inquit, *non inveni in quinque millibus annis ſalvatum, niſi ſolum latronem. Aug. in tract. de obit. Hier.* Dic ergo, o Præſul ſanctiſſime, quid de aliis factum ſit? Alii haud dubie damnati: quia, inquit, *ex centum millibus hominum, quorum mala fuerit vita, in morte divinam indulgentiam vix obtinebit unus.* O formidanda Auguſtini verba! o terribilem ſancti hujus Doctoris ſententiam! Salvari credis, o peccator, qui converſionem ad mortem differs? Sed erras, miſer: quia ex innumeris, qui converſionem ſic diſtulerunt, latro ſolus converſus eſt: erras, quia ex centum millibus qui converſionem differunt, vix ſalvatur unus; quare ſi converſionem ad mortem differas, conclude & quaſi certus ſis, non quod ſalvaberis cum latrone; ſed quod cum innumeris aliis damnaberis. De quo ſi adhuc dubites, dicet tibi Auguſtinus, eos qui converſionem differunt uſque ad mortem, in periculoſiſſimo æternæ damnationis periculo verſari, ac interitui eſſe proximos: *periculoſum eſt, & interitui vicinum, uſque ad mortem procraſtinare pœnitentiæ remedium. De Pœnitent. diſſ.* 7. Aliis ſuperſedeo, quæ ex D. Auguſtini libris deſumi poſſent, ut audiamus Scotum, inter Theologos Subtiliſſimum; qui de his qui converſionem ad mortem differunt, loquitur, veluti de viris reprobis, & quaſi de viris, qui ſalvari nequeunt.

3. Quærit Doctor Subtilis: *utrum pœnitentia in extremis, valeat ad ſalutem. In* 4. *diſt.* 20. Supponit, eum qui converſionem ad mortem differt, non rapiendum repentina morte, & habiturum pœnitendi tempus; quod an ita futurum ſit, eſt valde dubium. Sed poſito, quod is pœnitendi tempus habeat, quodque pœnitentiam aliquam in extremis agat; quærit Doctor, an hæc pœnitentia quæ a peccatore in extremis fit, valeat ad ſalutem? reſpondet quod, *videtur difficile vel impoſſibile tali bene pœnitere: In* 4. *diſt.* 20. *ad Prim.* ac per conſequens hunc ſalvari difficile, & mortaliter impoſſibile eſt.

Quatuor adducit rationes Doctor Subtilis, quibus ſententiam ſuam probat. *Prima* eſt: quia ad veram pœnitentiam requiritur liber uſus rationis & voluntatis; cum autem quis gravi morbo laborat, vel eſt in extremis, impeditur uſus liberi arbitrii, vel uſus liber rationis & voluntatis, ex dolore vel timore inhærentibus. *Secunda*, quia diſplicentia de peccato, quam tunc habet, eſt ob mortem imminentem; quæ ſi remota eſſet, ſicut prius, præſumitur, quod non haberet hanc diſplicentiam, ſicut prius; ac proinde hæc diſplicentia non eſt ſimpliciter voluntaria, nec ſufficiens ad delenda peccata. *Tertia:* quia habitus mali uſque tunc continuati, multum retrahunt ab actu pœnitentiæ: multum enim inclinant ad ea inordinate amanda, quæ ad hoc uſque tempus inordinate amata ſunt; & per conſequens magnam faciunt difficultatem, ad habendum diſplicentiam de eis, & ad habendum talem diſplicentiam, quæ ſit diſpoſitio ſufficiens ad deletionem culpæ. *Quarta:* quia homo in extremis poſitus, non ita libere ſua dimittit peccata, ſicut homo ſanus: & ideo quantum in eo deficit de libertate, tantum requiritur in eo conatus voluntatis intenſior, quem vix, vel nunquam quis in extremis poſitus poterit habere. Unde concludit Doctor, quod *videtur difficile, vel impoſſibile tali bene pœnitere; propter rationes dictas.* Quid ergo de hoc, & aliis hujuſmodi fiet, ſi pœnitentiam in extremis non faciant? hi certe damnabuntur, quia, ut ait Spiritus Sanctus, peribunt quicumque vere pœnitentiam non egerint: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Luc.* 13. 5. Quare, o N. converſionem ad vitæ finem non differas; cum hi qui eam ſic differunt, increduli ſint & infideles, ſtulti ſint & amentes, reprobi ſint & damnati.

Dices forte: converſionem ad mortem differre non intendo; ſed ſolummodo ad feſta Paſchalia, vel ad annum. O N. quis tibi pollicitus eſt, te uſque ad Paſchalia feſta victurum? a quo habes, Deum tibi tunc gratiam converſionis operatricem daturum? quis tibi promiſit, te tunc veram converſionis voluntatem habiturum? nullam de his omnibus habes certitudinem; quare ne in futurum tuam differas converſionem. O N. adverte quam prava tua ſit voluntas; volo, inquis, ad Paſchalia feſta meam differre converſionem: id eſt, volo uſque ad feſta Paſchalia in ſtatu peccati mortalis perſeverare, uſque ad feſta Paſchalia nullum actum meritorium elicere, uſque ad feſta Paſchalia eſſe Dei inimicus, uſque ad feſta Paſchalia in continuo damnationis æternæ periculo vivere. O perverſam voluntatem! quare nec ad mortem, nec ad feſta Paſchalia tuam differas converſionem, ſed jam; ſed abſque ulla mora convertere ad Dominum Deum tuum. Hodie Deus per gratiam ſuam te intus monet, te hodie ad converſionem vocat; noli ergo tuum obdurare cor, ac gratiæ Dei reſiſtere; ſed prompte ad Deum convertere: *hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Pſal.* 94. 1. Cum Chriſtus Zachæum vocavit, dicens; *Zachæe feſtinans deſcende*, prompte & feſtinans Chriſto vocanti obtemperavit, *& feſtinans deſcendit. Luc.* 19. 5. O. N. millies te Chriſtus ad converſionem vocavit, & tu ei reſtitiſti; ne amplius ejus vocationi reſiſtas: ſed ejus vocationi prompte & feſtinanter obtempera; feſtinans ad Deum vade, feſtinans convertere.

O quam utilius eſt, inquit Auguſtinus, Deo ad converſionem vocanti hodie obedire, quam in die judicii audire eum ſævientem & condemnantem, *utilius namque & multo ſalubrius eſt; hodie audire eum conſulentem, admonentem, docentem, quam in die illa tam amara audire illum judicantem; ſævientem, condemnantem. Auguſt. ſerm. de verb. Habachuc.* Quare ut eum aliquando non audias tonantem, & condemnantem; audi eum, te hodie ad pœnitendum vocantem; audi eum, & vocationi ejus obtempera: audi eum, & velociter ad eum convertere. *Convertantur*, inquit Propheta, *& erubeſcant valde velociter; Pſ.* 6. 11. peccatores erubeſcere debent, ſe peccaſſe,

eru-

Digitized by Google

erubeſcere debent, ſe converſionem diſtuliſſe; erubeſcere debent, & converti, non ſolum velociter, ſed etiam *valde velociter*; debent cito, quamprimum poterunt, & valde velociter, de peccatis converti, ea omnia confiteri, Deo & proximo ſatisfacere. Quod ſi faciant, gratiam & gloriam dabit Dominus. *Amen*.

## DOMINICA PASSIONIS.

## DE MENDACIO.

*Si dixero, quia non ſcio, ero ſimilis vobis mendax*. Joann. 8. 55.

MEndacium facilius fugi, quam pingi & explicari poteſt. Si tamen ſacræ Theologiæ Magiſtris fidem adhibeamus, mentiri, eſt *contra mentem ire*, vel, ut loquitur Doctor Angelicus, eſt *contra mentem dicere, ſive verbis, ſive nutu, ſive alia ratione. D. Thom.* . 2. q. 110. Unde ille vere mentitur, qui aliud ſentit, & aliud dicit: *ille mentitur*, inquit D. Auguſtinus, *qui aliud habet in animo, & aliud in verbis. Auguſt. lib. de mend. cap. 3.*

Videmus quandoque horologium aliquod perturbatum, quod aliud ſonat, & aliud ſignat; ſonat v. g. quartam, dum ſignat primam: huic horologio ſimiles ſunt mendaces; quia aliud mente ſignant, & aliud ore ſonant; aliud ſentiunt, & aliud dicunt. His horologiis ſimilis non fuit Chriſtus, qui erat veritas primordialis & eſſentialis, *ego ſum veritas*. Hominibus mendacibus ſimilis non extitit Chriſtus, qui nil unquam veritati contrarium protulit: *ſi dixero, quia non ſcio, ero ſimilis vobis mendax*. Ut Chriſtum imitemur, & ut omne mendacium pro viribus fugere conemur, de mendacio iſta inſtituetur concio, &c. *A. e.*

DÆmon, Eva, & Adamus ab ipſo mundi primordio in Paradiſo voluptatis mentiti ſunt, & locum hunc feliciſſimum mendaciis ſuis polluerunt. Ibi mentitus eſt diabolus, cum Evæ dixit, quod ipſa & Adamus non morientur, licet de fructu vetito comedant: *nequaquam moriemini. Gen.* 3. Ibi etiam mentita eſt Eva, dicens, Adamo & ſibi eſſe prohibitum, ne fructum ſcientiæ boni & mali manu contrectarent; *præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus. Gen.* 3. Adæ enim ſolummodo prohibuerat Deus, ne de hoc fructu comederet: *de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. Gen.* 2. Ibi tandem mentitus eſt Adamus, cum Deum criminis ſui auctorem facere voluit, dicens, mulierem, quam ipſi Deus dederat, peccati ſui fuiſſe cauſam: *mulier, quam dediſti mihi ſocium, dedit mihi de ligno, & comedi. Gen.* 3.

Mendaces quidem fuere in Paradiſo terreſtri, diabolus, Adamus, & Eva: ibique mendacium fuit commune, probroſum & malum. *Commune*: cum non unus ſolum, ſed omnes ibi mentiti ſint. *Probroſum*: cum turpiſſimum ſit, quod diabolus & primi parentes, qui tam perfecti jam jam a Deo creati fuerant, ad vilia mendacia declinarent: *Malum*: cum omne mendacium ſit ex natura ſua malum, nec poſſit quis voluntarie mentiri, quin non peccet.

A terreſtri Paradiſo exiit mendacium, & in alias mundi partes ſe diffudit: ubi, non ſecus ac in illo voluptatis loco, mendacium eſt commune, probroſum, & malum. Quod plenius conſtabit, cum probavero: 1. Quod mentiri eſt commune: 2. Quod mentiri eſt probroſum: 3. Quod mentiri eſt malum.

### PRIMA PARS.

*Mentiri eſt commune.*

DE Auguſto Imperatore refert Svetonius, quod devicto Antonio, ſecum ex Ægypto in triumphum duxerit Sacerdotem ſexaginta annorum, de quo illi conſtabat, quod nunquam in vita ſua mentitus eſſet. Simili prærogativa gaviſus eſt Ferdinandus, Luſitaniæ Princeps, de quo Spondanus ait, quod *nunquam mentitus ſit. Spondan. tom. 2. ann. Chr.* 1537. Sanctiſſimus Anachoreta Arnulphus, morti proximus, in adſtantium ædificationem dixit; nihil magnum me feciſſe memini; in eo tamen ſollicitus laboravi, *ne ullum proferrem mendacium*. Quid ſimile in Abbatis Beni laudem circumfertur; de quo breve illud extat elogium: *nunquam iratus, nunquam mentiens*. Alii nonnulli, pauciſſimi tamen, reperientur, qui nullo unquam mendacio linguam ſuam deturparint; quia nil in mundo communius mendacio: plerique enim hominum *docuerunt linguas ſuas loqui mendacium; Jerem.* 9. eo que in mundo mendaciis proferendis aſſueti inveniuntur homines, ut flens dicat D. Thomas a Villanova: (non eſt veritas in mundo, non eſt qui loquatur verum cum proximo ſuo; quidquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio eſt: *docuerunt enim linguas ſuas loqui mendacium*. In hac Schola exercitati ſunt, in hac edocti ut diſcerent fallere & mentiri; hæc civilitas, hæc affabilitas: & barbarus creditur quiſquis fallere, & mentiri non novit.) *D. Thom. conc. 3. Advent.*

*Diabolus eſt mendax & pater ejus; Joann.* 8. 44. ſcilicet mendacii: ipſe enim in Paradiſo terreſtri mentitus eſt, & mendacio ſuo primos parentes tentavit de eſu fructus vetiti, dicens: *nequaquam moriemini*. Ad quem Bernardus; *O nequam, ubi eſt tuum nequaquam*? Certe illud *nequaquam*, fuit mendacium, & tanquam peſſimum ſemen ſerpentis, a quo mendacium in omnes hominum ſtatus & conditiones manavit; ac ita factum eſt inter homines commune, ut undequaque mendacium inundaſſe dicat Oſeas Propheta, his verbis: *non eſt veritas in terra, ſed maledictum & mendacium inundaverunt. Oſee* 4. Inſpice ſingulos hominum ſtatus, a Principibus, Magiſtratibus, & Judicibus, uſque ad minimos quoſque Plebejos; a ſenioribus uſque ad juniores quoslibet, invenies, omnes fere homines infectos eſſe mendaciis. Unde quodammodo dici poteſt cum Licoſthene: *ſicut non eſt piſcis ſine ſpinis, ſic nec homo ſine mendacio*. Scio, Lucianum in mediis tormentis, ſemper dixiſſe: *mentiri non eſt meum*; ſed interrogentur Judices, mercatores, artifices, pauperes & divites: certe ſi ſincere reſpondeant, non dicit eorum quilibet: *mentiri non eſt meum*. Quin potius reſpondebunt omnes: *mentiri eſt noſtrum*; quia mendacium ita eſt commune, ut in omnes ſtatus inundaverit: *maledictum & mendacium inundaverunt*.

Digitized by Google

De Anthimo, Nicomedienſi Epiſcopo, narrat Surius, quod cum a ſatellitibus, ipſum non agnoſcentibus, ad necem quæreretur, ipſos ſatellites hoſpitio exceperit, promittens, quod brevi Anthimum in eorum conſpectum produceret; ſtetitque promiſſis. Poſtquam enim erga illos ſe liberalem & beneficum exhibuit, circa finem convivii quod illis parari curaverat, dixit: Anthimum quæritis, Anthimum videtis; ego ſum ille Anthimus, quem ad mortem quæritis. Tunc illi attoniti, & munificentia tam digni hoſpitis delibuti, una ſpoponderunt, ſe dicturos Imperatori, quod Anthimum diu quæſitum nuſquam reperiſſent. At ille graviſſime hoc cavit; & ne mentirentur ſatellites, ultro ſe captivum illis adjunxit, maluitque mori, quam mendacio vitam ſervare. Ille vere dixit: *mentiri non eſt meum*; ſed da mihi, qui Anthimum imitentur; da, qui ſint parati mori potius, quam mentiri. *Surius 27. April.* Heu! non ſolum pro ſervanda vita, verum & pro modico lucro, pro uno obolo, & quaſi pro nihilo plerique hominum crebra proferunt mendacia. Quot mendacia in Regum curiis? Quot mendacia in Judicum palatiis? quot in cauponis, in plateis, & undique proferuntur; non pro vita tuenda, ſed pro aſſe lucrando, & quaſi pro nihilo? certe nil jam communius mendaciis, quæ undequaque inundaverunt.

Dixit Propheta Regius in exceſſu mentis ſuæ, omnem hominem eſſe mendacem: *omnis homo mendax*. Omnes quidem homines, qui originale peccatum contraxerunt, mendaces ſunt, ſeu ad mentiendum proni; omnes tamen non ſunt mentientes, quia reipſa omnes non mentiuntur. Nihilominus mentientium maximus eſt numerus; multoſque reperire eſt, qui indeſinenter mentiuntur, & quorum tot mendacia, quot verba. Hos ſimiles dicam huic civi Florentino; qui ſummo Pontifici Leoni, Florentiam adeunti, multa locutus eſt verba mendacii. Cum enim, neſcio quo caſu, proximus Pontifici, equitaret, miſceretque cum eo ſermones; interrogatus de obviis multis domibus & palatiis, quorum eſſent, & an magnos præberent proventus; quæ licet ignoraret civis, ſecuriſſime tamen de ſingulis percontanti reſpondit; jam dominorum nomina & jam prædiorum cenſus confingens, ita ut ſemper fingendo & mentiendo reſponderet. Aderat Florentinus alius, qui tantam mentiendi procaciam in concive advertens, continere ſe non potuit, quin tandem ab eo peteret, qua fronte auſus fuiſſet, Eccleſiæ capiti tam falſa imponere? cui ille: talia locutus ſum, ne verba deficerent. O quot in mundo Florentini & Florentinæ reperiuntur; qui ne verba deficiant, ut tempus fallant, ut audientibus placeant, vel ut aliquid lucri nundinentur, innumera mendacia eructant? quot inveniuntur viri mendaces, qui undequaque falſa effutire non deſinunt? Certe ſicut ſtultorum, ita & hominum mendacium infinitus eſt numerus. Ac inter homines mentiri ita eſt commune, ut merito conqueratur Jeremias, quod undique invaluerit mendacium; etiam inter Prophetas & Sacerdotes, qui veritatem ſpecialius profiteri, docere & tueri debent: *a Propheta uſque ad Sacerdotem, cuncti faciunt mendacium. Jerem. 8.*

Chriſtum interrogat Pilatus, dicens: *quid eſt veritas? Joann. 18.* Valde mirum, quod ille qui pro tribunali ſtans, omnium jura dicebat, omniumque cauſas diſcernebat, tamquam veritatis ignarus, a Chriſto diſcere cupiat, quid ſit veritas: *quid eſt veritas?* Unde in Præſide, ac Judice, tanta ignorantia? ex hoc quidem quod apud homines mundi ita commune ſit mendacium, ut apud illos abolita ſit veritas: *interrogat Pilatus, quid ſit veritas? fere inter homines abolita erat. Theophylact.* Ab aulis Principum, a palatiis Prælatorum, a tribunalibus Judicum, & ab officinis mercatorum exulat veritas; ubique viget, ubique regnat, ubique triumphat, & inundat mendacium. Quod non ſolum inter mercatores, propolas, caupones, ac alias vilis plebeculæ perſonas, verum & inter Sacerdotes, ac alios perfectioris ſtatus viros eſt commune: *a Propheta uſque ad Sacerdotem, cuncti faciunt mendacium.*

Optime adnotavit Philoſophorum Princeps, ſenes eſſe ſuſpicioſos & incredulos: ſemper enim ſuſpicantur, falſa eſſe quæ iis ut vera proponuntur; nec facile credunt iis, quæ ipſis dicuntur. Rationem autem adducit Ariſtoteles, cur ſenes increduli ſint: quia ſcilicet pluries in vita ſua fuere decepti, & experientia ſua norunt, homines eſſe fallaces & mendaces. Unde ſicut Salomon probe ſciebat, omnia bona mundi eſſe vana & futilia: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; ita & ſenes experientia ſciunt, mendacia ita eſſe in mundo communia, ut omnes fere homines mendaces eſſe cenſeant, aut ſaltem ſuſpicentur. *Ariſt. 2. Reth.* Et revera de omnibus fere hominibus dici poteſt, quod *non eſt in ore eorum veritas. Pſalm. 5. 10.*

Quod ut non ſine fundamento dictum credatur; vos omnes interpello, & vobis ipſis peto, an non verum ſit, mendacium in omnibus hominum ſtatibus eſſe commune, & veritatem vix apud homines reperiri? Dicite, quæſo: eſt ne veritas apud Poëtas? Heu! omnibus notum eſt, quod inſtituti eorum ſit, fingere, & fallere. Eſt ne veritas apud Hiſtoriographos? Heu! fabulas fœdiſſime, tamquam res fide certas, enarrant. Eſt ne veritas apud Philoſophos? Heu! veritatem illi continue quærunt, & raro inveniunt. Eſt ne veritas apud prophanos Scriptores? Heu! quot mendacia in octavo, in quarto, & in folio, publici juris faciunt? Eſt ne veritas apud mercatores, artifices, mercenarios & ruſticos? Heu! illi pro modico lucro, multa facile proferunt mendacia. Ubi ergo veritas? Eſt forte in aulis Principum, ubi aulici, ob Principis reverentiam, ab omni mendacio abſtinent? Heu! quot aulici, tot adulatores: ac quilibet Princeps cum Cæſare Auguſto dicere poteſt: *qui mihi veritatem dicat, non habeo.*

Ubi ergo reperietur veritas? In Juſtitiæ ſæcularis foro illam forte inveniemus? ſed heu! quot ibi iniqui Judices, qui veritatem, & juſtitiam opprimunt? quot ibi Advocati, qui litigantium jura palliant, & falſitatis larva veritatem obtegunt? quot ibi Procuratores, quot Notarii publici, qui auro corrupti, teſtamenta, aliaque ſcripta falſificant? Ubi ergo veritas? Certe ſi omnes hominum ſtatus luſtrare fas eſſet, ubique inveniretur mendacium: quia *ſuavis eſt homini panis mendacii*: *Prov. 20. 17.* nihilque apud homines magis commune, quam mentiri.

Sed

Digitized by Google

Sed ſi mentiri ſit quid commune; *eſt etiam quid indecens & probroſum.*

## SECUNDA PARS.

### *Mentiri eſt probroſum.*

BAſilius Imperator filium ſuum optimis præceptis imbuens, hoc imprimis ab illo ſervari voluit, quod nec mentiretur, nec homines mendaces in conſuetudinem adduceret: *fili*, inquit, *maximi pendito, veracem te eſſe in ſermone debere, & veraces in conſuetudinem adducere.* Trajanus ita ab omni ſimulatione, & mentiendi ſpiritu erat alienus, ut teſte Plinio, *quæ vellet velle, quæ nollet nolle ſcirent omnes. Plin. in Trajan. Panormit. l. 1. de dict. Alph.* Alphonſus Aragoniæ Rex dicere ſolitus erat: *ſimplex verbum Principum tantum valere ad fidem debere, quantum privatorum hominum juramentum.* De Carolo V. Imperatore fertur, quod cum quid tamquam certiſſimum aſſerere vellet, hoc *fide viri nobilis* aſtrueret, atque hanc aſſertionem a Principe factam, omni juramento firmiorem eſſe affirmabat. Alii multi Imperatores, Reges & Principes enumerari poſſent, qui a mendacio penitus abhorruerunt, cenſentes cum Salomone, probroſum eſſe Principi, quod mentiatur: *non decet Principem labium mentiens. Prov. 17. 7.* Certe hoc Principes non decet: immo, ut exponit Hugo Cardinalis, *hoc illos maxime dedecet, ſive in judicio, ſive in conſilio, ſive in ſimplici locutione.* Quo enim propius ad Deum Principes dignitate & imperio accedunt, eo verba illorum ab omni mendacio remotiora, veriora, & divinis ſimiliora eſſe debent; eoſque potiſſimum dedecet, ſi mendacia proferant.

At mentiri, non ſolis Principibus, verum & omnibus turpe, & probroſum eſt. Ut enim ait Spiritus Sanctus: quicumque mentiuntur, non honorem, ſed perpetuum dedecus & æternam confuſionem ſibi conciliant: *mendacium ſine honore: & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione. Eccli. 20. 26.* Quod, & ipſi novere, & confeſſi ſunt Gentiles, dicentes, quod mentiri vile eſt, ſordidum eſt, abjectum, & femineum eſt: *vilis, ſordidi, abjecti, ac muliebris pectoris eſt mentiri: Plin. in Traj.* quare fatendum, quod non ſolis Magnatibus, verum & plebeiis, ac cunctis probroſum eſt mentiri: *opprobrium nequam in homine mendacium, Eccli. 20.*

Quam probroſum, & turpe ſit mentiri, ſatis ſuperque docuiſſe videtur Chriſtus, cum homines mendaces, diaboli filios eſſe declaravit, dicens: *vos ex patre diabolo eſtis, quia non eſt veritas in eo. Joann. 8. 44.* Ex patre Deo ſunt omnes homines, per creationem; ſed ex patre diabolo ſunt omnes homines, per imitationem: quia non Deum, qui eſt ſumma veritas, ſed diabolum, qui mendax eſt a principio, mendaciis ſuis imitantur. Unde homines mendaces, filios alienos vocat Propheta: *filii alieni mentiti ſunt mihi*; vel ut legit Genebrardus, *filii adulterini.* Homines enim mendaces, ſunt filii alieni, adulterini & extranei, qui alienum & extraneum patrem habent; dæmonem ſcilicet, cujus ſunt filii, *non utique ſucceſſione carnis: ſed criminis*; & quia eos dæmon genuit, non ut homines, ſed ut mendaces. *D. Ambr. l. 4. in Luc.*

Deus eſt unus omnium hominum pater: *unum patrem habemus Deum? Joann. 8. 41.* mendaces autem duplicem habent patrem, Deum & diabolum, Deum, a quo conditi ſunt, & diabolum, a quo eruditi ſunt. Sicut enim pater ſpiritualis vocatur, qui aliquem ſpiritualia docet: ita & dæmon eſt pater infamis hominum mendacium; quia eos docet mentiri. Videturque quod Deus hujuſmodi homines mendaces, veluti filios ſpurios, & adulterinos abjiciat, necnon eos tamquam non ſuos repudiet, dicens; quod ſint filii diaboli: *vos ex patre diabolo eſtis.* O quam turpe, indecorum, & probroſum eſt homini mentiri, cum mendaciis ſuis filius diaboli fiat; certe hoc magnum eſt ei opprobrium: *opprobrium nequam in homine mendacium.*

Hoc opprobrio hominem mendacem affici adnotavit S. Ambroſius, dicens: *cavete, o filii, mendacium: quia omnes qui loquuntur & amant mendacium, filii ſunt diaboli*: ſed grave aliud eſt hominis, mendaciis aſſueti, opprobrium: quod ſcilicet non ei credatur, nullaque fides verbis ejus adhibeatur, etiam cum vera dicit: *hoc lucrum mendaces conſequuntur, ut nec cum vera dixerint, fidem inveniant. D. Hieron. ep. 34.* Rogatus Ariſtoteles, quid lucri faceret mendax? hoc unum reſpondit, *ut cum vera dixerit, nemo credat.* Id experimento didicit Carbo, homo mendax; qui cum, juramento etiam addito, ſe aliquid facturum polliceretur; reſpondit ei, & viciſſim juravit Publius Romanus ſe illi non crediturum. Hoc lucrum fecit Carbo, & idem lucrum faciunt omnes, qui agnoſcuntur ut mendaces: jurent, pejurent, nulla eis fides adhibetur. O quale dedecus homini! o quantum ei eſt opprobrium, quod inter homines omnem fidem amiſerit, quodque omnia ejus verba pro mendaciis exſibilentur! certe hoc maxime illi probroſum eſt; & hæc eſt macula, qua quidquid in eo boni ineſt, penitus deturpatur: *mala eſt macula in homine mendacium.* Hæc ſane macula; quia ita vilificantur viri mendaces, ut nullus cum iis ſocietatem ineat, nullus cum illis negotia ſuſcipiat, omnes ab illis decipi timeant, omneſque illos veluti viros probroſos, omniſque honoris expertes inſpiciant. O magnum opprobrium! o gravem maculam!

Hanc maculam, gloriæ ſuæ inurere timebat Salomon, ac a ſuis mendax haberi pertimeſcebat. Unde enixe Deum rogabat, ut ipſum mentiri non pateretur: *duo rogavi te, ne deneges, antequam moriar: vanitatem & verba mendacii longe fac a me. Proverb. 30.* Innumeri ſimiliter mendaces æſtimari nolunt: eos mentiri non pudet; & mendaces dici pudet; non erubeſcunt mendaces fieri, & mendaces vocari ut ſummum probrum audiunt. Vocetur quis aleator, potator, ſcortator; hoc mitius, & æquanimius audiet, quam ſi de mendacio arguatur; omniaque alia convicia pacatiori feret animo, quam ſi quis ei dicat: *mentiris.* Heu! quot diſſidia, quot alapas, quot duella, quot vulnera, quot cædes concitavit hoc verbum: *mentiris*! hoc verbum; *mentiris*, ſtatim homines, etiam alioquin pios, ad iram, & ad vindictam movet; quia mentiri ita probroſum eſt, ut nullus mendax æſtimari, & dici, niſi ægre, patiatur. Quare cum mentiri ita probroſum ſit, ab omni prorſus mendacio quiſque abſtineat: *nolle velle mentiri*

omne

Digitized by Google

*omne mendacium*. *Eccli.* ℣. 14. At ab omni penitus mendacio abſtinendum, non ſolum quia mentiri eſt probroſum: *ſed etiam quia mentiri eſt malum.*

## TERTIA PARS.

### *Mentiri eſt malum.*

MUlta mendacia, ſunt mortaliter mala. *Mentiris* v. g. rem falſam juramento confirmans; peccas mortaliter: *mentiris*, ut proximum a fide catholica, & a recta vivendi regula avertas; peccas mortaliter: *mentiris*, ut graviter noceas proximo; peccas mortaliter. Omne enim mendacium perniciofum eſt mortale, ſi ſit in materia gravi: & quicunque hujuſmodi proferunt mendacia, ſuas ſpiritualiter occidunt animas: *os quod mentitur, occidit animam*. *Sap.* 1. Unde aſſerit Spiritus Sanctus, quod quicumque ſic mentiuntur, in ſtagnum tartareum projicientur, in quo æternum cruciabuntur, ſi in hoc mundo peccati ſui pœnitentiam non egerint: *omnibus mendacibus, pars illorum in ſtagno, igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Apoc.* 2.

De præfatis mendaciis nulla eſt dubitandi ratio, nec eſt aliquis, qui ea eſſe graviter mala non afferat. Sed quid de aliis mendaciis, quæ levia æſtimari ſolent, & quæ a viris, etiam piis, interdum dicuntur? quid de mendaciis, quæ nullam proximo injuriam inferunt, & quæ, non nocendi, ſed potius delectandi animo proferuntur? iſtiuſmodi mendacia ſuntne mala, ac inter peccata recenſenda? ſunt equidem. Omne enim mendacium, ſi voluntarie proferatur, peccatum eſt: & ut docet D. Auguſtinus, falluntur, quicumque cenſent aliquod repetiri mendacii genus, quod non ſit peccatum: *quiſquis eſſe aliquod mendacii genus, quod non ſit peccatum, putaverit: decipiet ſeipſum turpiter. D. Aug. lib. contr. mend. cap. ult.*

Non defuere qui ſenſerint licitum eſſe mendacium, cum videtur neceſſarium ad vitandum grave aliquod damnum, vel ad obtinendum majus bonum. Sic Plato docuit (Deo quidem indecens & inutile eſſe mendacium, hominibus vero quandoque utile & neceſſarium; ac proinde illis licere mentiri, vel contra hoſtes, vel pro patria & civibus. *Plato l. 3. de repub.*) Idem fuſe tradit Abbas Joſeph apud Caſſianum; ubi inter cætera dicit, *mendacio utendum tamquam elleboro, quod ſumitur imminente aliquo exitiali morbo. Caſſian. collat. 17. c. 8.* Idem ſenſiſſe Galenum circumfertur: ſed fallitur Plato, fallitur Abbas Joſeph, fallitur Galenus, & falluntur quotquot auctores, aliquando licet mentiri, ſentiunt: ac quicumque dicunt, dari aliquod mendacium, voluntarie prolatum, quod non ſit malum, & peccatum: *quiſque eſſe aliquod mendacii genus quod non ſit peccatum, putaverit, decipiet ſeipſum turpiter.*

Falluntur quidem qui ſic ſentiunt, nec mendacii naturam & malitiam bene norunt: mendacium enim eſt ex ſua natura & intrinſece malum: ac proinde numquam licitum eſt: quia quod ex ſua natura malum eſt, nullo caſu bonum ac licitum eſſe poteſt: Dicam inſuper, illos falli: quia ſi quandoque mentiri liceret, omnis convictus humanus tolleretur, ac reſpublica funditus everteretur. Si enim aliquando mentiri liceret, quæ fides prædicatoribus adhiberetur, quæ fides judicibus ſententiam dicentibus, quæ hominibus juramento publico aliquid confirmantibus? certe his & aliis nulla fides præſtaretur: quia ſemper illos mentiri quiſque facile ſibi ſuaderet, cum mentiri licitum illis eſſe quiſque crederet. Quare firmiter tenendum, quod nullo caſu mentiri liceat, quod omne mendacium malum ſit & ſceleroſum: *nullum juſtum mendacium*, inquit S. Bernardus, *omne mendacium in omnibus peccatum eſt. Bern. lib. de Grat. & lib. arbitr.* Quod & Ariſtoteles, licet Ethnicus, probe adnotavit, dicens, omne mendacium ut malum, & recte rationi repugnans, eſſe fugiendum: *omne mendacium per ſe pravum, & fugiendum eſt. Ariſt. lib. 4. Ethic. c. 7.*

Verba ad exprimendos conceptus internos ſunt inſtituta: & jure naturæ quiſque conceptus internos cum verbis quæ profert, conformare tenetur: quare quotieſcumque inter conceptum internum & verba non eſt talis conformitas, toties dicitur mendacium, & committitur peccatum. Ut enim ait D. Auguſtinus: *verbis uti ad falſum, non ad quod ſunt inſtituta, peccatum eſt. In Ench. c. 22.* Si mentiaris, ut adſtantes delectes, *peccatum eſt*: ſi mentiaris jocandi, & videndi gratia, *peccatum eſt*: ſi mentiaris ex humilitate, *peccatum eſt*: ſi mentiaris, non ut noceas, ſed ut proſis, *peccatum eſt*: quotieſcumque tandem mentiris: ſeu, quotieſcumque *uteris verbis ad falſum, non ad quod ſunt inſtituta, peccatum eſt.*

Ita ſentit D. Auguſtinus, ita Bernardus, ita alii Sancti Patres, ac omnes Doctores Scholaſtici: ſed non ita mulierculæ, non ita caupones, mercatores, & alii multi hujus farinæ viri: qui pro modico lucro centies & mentiuntur, & jurant, & perjurant. Utque ſua mendacia non ſine ratione proferri ſuadeant, dicere ſolent: merces certe vix ullæ extrudi poſſunt, niſi mendacio veſtiantur: ſi non mentiremur, nil lucri faceremus, nullas merces diſtraheremus, ac fame nobis percundum eſſet. O lepidum argumentum! o gravem rationem, ad propugnandum pro mendacio! o vos inſenſati, qui neceſſario mentiendum eſſe dicitis, ad hoc ut lucremini! an neſcitis irrefragabile magni Auguſtini teſtimonium, dicentis, quod *non licet mentiri pro ullius ſalute æterna, nec pro toto mundo*. Juxta tritum ex Divi Pauli doctrina ſumptum axioma, *non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona*. Quare cum omne mendacium ſit malum: nec unicum, quantumvis leve, mendacium dicere licet; nec pro quocumque bono fortunæ, nec pro quocumque bono corporali, nec pro quocumque bono ſpirituali: *non licet mentiri pro ullius boni cauſa, nec pro ullius ſalute æterna, nec pro toto mundo*. Penſate, quanto minus licitum ſit, mentiri pro uno aſſe lucrando, vel pro uno obulo.

Quærunt Canoniſtæ, an mentiri liceat pro ſalvanda alicujus hominis vita? an v. g. mihi mentiri liceat ad liberandum hominem, mox a Judice ad mortem damnandum? vel, an ſi infirmus, gravi morbo laborans, & qui certo morietur, ſi ei filium ejus mortuum eſſe nuntietur, interroget, an vivat filius? liceat mentiri; ac ei dicere vivit filius, vel, neſcio an vivat. Quæſtionem hanc ſolvit Auguſtinus, aſſereas, nequaquam licere mentiri ad ſalvandam alte-

te-

Digitized by Google

tertius vitam: *ſi quis*, inquit, *ad te confugiat, qui mendacio tuo poſſit morte liberari, non es mentiturus. Aug. lib. de Mend. cap. 6.* Idem aſſerit ſummus Pontifex Innocentius tertius, qui e Petri Cathedra ſolemne hoc protulit oraculum: *non mentiendum pro alterius vita ſervanda: multo minus pro triobolari negotio. Innocent. 3. Epiſt. dec. tit. de uſuris.* Hoc ſerio advertite, hoc mente recogitate, ac in vobismetipſis ſæpe dicite: mentiri non licet pro alterius vita ſervanda; multo minus pro modico lucro.

Sed quid de propria vita? anne mentiri licet pro ſervanda ſui ipſius vita? licetne v. g. reo, a Judice debite, & ſecundum ordinem juris interrogato, mentiri, ut propriam vitam ſalvet? Doctor Angelicus, in hoc & ſimilibus caſibus mentiri non licere: (ex debito, inquit, tenetur accuſatus, judici veritatem exponere, quam ab eo ſecundum formam juris exigit. Et ideo ſi confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur; vel ſi eam mendaciter negaverit, peccat mortaliter. Si vero Judex hoc exquirat, quod non poteſt ſecundum ordinem juris, non tenetur ei accuſatus reſpondere. Sed poteſt vel per appellationem, vel aliter ſubterfugere: mendacium tamen dicere non licet. *D. Thomas. 2. 2. quaſt. 69. artic. 10.*) Ecce quid dicant Scholæ, & Eccleſiæ lumen D. Thomas; ecce quid de mendacio ſentiat. Ex quo quiſque facile inferet, mentiri ſemper eſſe malum: ſi enim mentiri non liceat pro totius mundi conſervatione, & pro alterius aut propria vita ſervanda; quis credat dari aliquod mendacium, quod bonum ſit, ac licitum? Quis non dicet cum D. Auguſtino, omne mendacium eſſe malum, nec aliquando eſſe mentiendum? certe hoc tamquam certum & indubitatum eſt ſupponendum, quod mentiri ſemper eſt malum: *inconcuſſe teneas, & defendas in divina religione, numquam omnino eſſe mentiendum. Aug. l. cont. Mend. c. 21.*

Quare, o homo, *verbum mendacii longe fac a te.* Certiſſimum eſt, quod omne verbum mendacii, ſi voluntarie proferatur, peccatum ſit mortale, vel veniale; ſi ſit peccatum mortale, qui illud profert, pœnæ inferni reus eſt; ſi ſit veniale, qui illud profert, pœna Purgatorii dignus eſt: quare ut inferni, vel Purgatorii ſupplicia evadere valeas, ab omni prorſus mendacio abſtineas: *verbum mendacii longe fac a te. Prov. 30. 8.*

Facile mentiuntur nonnulli, ſibi ſuadentes, mendacia quæ proferunt, levia & venialia duntaxat eſſe peccata: ſed advertant, quod forte mortalia ſint, quæ venialia eſſe arbitrantur. Advertant, quod licet levia & venialia ſint, non levia tamen, ſed duriſſima erunt Purgatorii tormenta quibus punientur. Advertant, quod licet venialia ſint, ad mortalia facile pertrahent: a levibus enim mendaciis, ad gravia facile itur: & qui ſpernunt modica, paulatim ad gravia decidunt: quia peccatum, quod non deletur, ad aliud peccatum ſuo pondere facile trahit. Quare ſive levia, ſive gravia ſint mendacia, ſemper vitanda ſunt: *Verbum mendacii longe fac a te.*

Non ſolum vitanda, ſed etiam longe facienda, & procul pulſanda ſunt mendacia, ut ait Sapiens. O patres, o matres, ita procul omne mendacium expellite, ut non ſolum ad vos, ſed nec etiam ad pueros veſtros accedat. Sunt enim pueri ad mendacia proclives, ut de ſeipſo teſtatur Auguſtinus; *fallebam*, inquit, *innumerabilibus mendaciis & pædagogum, & parentes amore ludendi, ſtudio ſpectandi nugatoria. Lib. Confeſſ.* Auguſtinum puerum alii in hoc plerumque imitantur pueri, niſi ad meliora monitis acrioribus ſtimulentur. Quare eos monete, iis mendacii malitiam exaggerate, eos mentientes corripite; procul tandem a vobis & a domibus veſtris, omne mendacium pellite: & Deus qui veritas & vita eſt, ad vitam vos perducet æternam. *Amen.*

## FERIA II.

## POST DOMINICAM PASSIONIS.

# DE AVARIS USURARIIS.

*Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.*
Joann. 7. 37.

CHriſtus Dominus in cruce ſitivit ſalutem humani generis; omnes juſti in hoc mundo eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam: avari vero uſurarii nec ſalutem, nec juſtitiam, ſed divitias ſolum & bona temporalia, tamquam felicitatis ſuæ ſummam & perfectionem, ardentiſſime ſitiunt, magnoque affectu deſiderant. *Si quis ſitit*, inquit Chriſtus, *veniat ad me*: o paternam invitationem, quæ duriſſima quævis flecti deberent corda! o vocem ſuaviſſimam, quam cuncti penitus audire deberent homines! ſed tanta hominis uſurarii eſt malitia, tanta ejus obſtinatio, ut Chriſti vocem audire, eique obtemperare recuſet. Non enim ad Chriſtum, ſed ad aurum, & ad divitias currit, ut ſitim ſuam extinguere valeat; ſeque felicem auſpicatur, ſi marſupium implere, magnamque auri, & argenti copiam coacervare queat. Errant ſane, & ſtolide falluntur uſurarii, qui in temporaneis ſuam ſtatuunt felicitatem: felices enim ſunt pauperes ſpiritu, quorum cor a terrenorum affectu vacuum eſt, *beati pauperes ſpiritu.* Hi vere felices ſunt; non autem uſurarii, qui & in hoc, & in alio mundo infelices ſunt, ut jam videbimus, &c. *Ave.*

DIvites uſurarios, in vita, in morte, & poſt mortem felices eſſe arbitrantur multi. Heu! inquiunt (cum uſurarium bonis omnibus affluentem vident) heu quam feliciter vivit ille homo! divitiis abundat, deliciis ſuperaffluit, florentiſſimam dedit ei Deus familiam; omnes ei applaudunt, omnia ei ſunt proſpera, & nulla adverſa; ac proinde quis illo felicior eſſe poteſt?

Non ſolum in vita, verum & in morte, uſurarium felicem cenſent multi: & tunc maxime, cum eum res ſuas temporales recte diſponentem vident: Heu, ajunt, quam feliciter moritur ille homo! Teſtamentum prudenter compoſuit, pinguem inſtituit hæredem, filias ſuas copioſe dotavit, filiis & domeſticis bona multa legavit, ac proinde quis illo felicius mori poteſt?

Eum tandem poſt mortem felicem eſſe credunt plu-

plurimi, eo quod antequam efflaret animam, extrema quædam pœnitentiæ, & pietatis ſigna ediderit. Heu, dicunt, quam pie mortuus eſt ille homo! fieri nequit, quin cæleſti potiatur beatitudine: antequam enim moreretur, omnibus pepercit inimicis, pauperibus multa teſtamento reliquit, actuſque doloris & pietatis ita heroicos elicuit, ut omnes adſtantes ad lacrymas moveret: & ideo in cælo cum aliis Sanctis haud dubie beatur.

Ecce hominem ſemper felicem in ſenſu illorum, qui de rebus ſecundum faciem, & ſpeciem externam ſolummodo judicant: At revera uſurarius, qui artificioſis ſuis contractibus ditatus eſt, infelix cenſendus eſt, tam in vita, quam in morte & poſt mortem. *Eſt infelix in vita*: quia licet terrenis bonis affluat, iis numquam ſatiatur, nec ſatiari poteſt: *eſt infelix in morte*: quia licet externa quædam pietatis ſigna edat, revera tamen tunc nec ſanctificatur, nec ſanctificari poteſt: *eſt infelix poſt mortem*: quia licet aliqua futuræ ſalutis indicia dederit, non ideo tamen ſalvatus eſt, nec ſalvari potuit. Hæc clarius patebunt, cum probaverimus, quod avarus uſurarius: 1. *in vita*, non poteſt ſatiari: 2. *in morte*, non poteſt ſanctificari: 3. *poſt mortem*, non poteſt ſalvari.

## PRIMA PARS.

*Avarus uſurarius in vita non poteſt ſatiari.*

OMnium quidem judicio infeliciſſimus cenſeretur homo ille, qui continua ſiti laboraret, quique ſemper ſitiret & eſuriret, nec umquam ſatiari & impleri poſſet. Sed identidem infelices dicendi ſunt avari uſurarii; quia continua cupidine divitias appetunt, nec iis umquam ſatiari poſſunt: ut enim ait Sapiens, avarus impleri, & ſatiari nequit pecuniis, quas acquirit: *avarus non implebitur pecunia. Eccl. 5. 9.* Et ut ait D. Auguſtinus, avari fames eſt inſatiabilis, nullumque terminum habet: (O avaritia abyſſus inſatiabilis, quæ numquam dicis, ſufficit: ſemper fameſcis, ſemper doles, ſemper triſtaris in cunctis! O peſtis interminabilis! o famelica rabies! nam omnia ſuis terminis clauduntur, ſola avaritia nullo clauditur fine: terra ſuis finibus limitatur, aer ſuo fine clauditur, cælum ſuis terminis arctatur, ſola avaritia terminum neſcit.) *D. Aug. ſer. 48. ad fratr. in Erem.*

A mundi primordio omnia flumina intrant in mare, nec tamen iis repletur, ſed undique accurrentes aquas facillime deglutit, & ad alias ſemper quaſi anhelat. Idem plane de avaro uſurario dicendum eſt: divitiis enim undique affluentibus non ſatiatur; ſed novas ſemper, & ampliores peroptat: *nec multitudine fluminum mare, nec divitiarum copia avari animus expletur: pecuniam duplicaſti, & eam rurſus ſtudes duplicare; nec a duplicandi, augendique ſtudio deſiſtis. S. Nilus orat. 3. de avar.*

Os patens & ventrem capaciſſimum habet infernus: a mundi enim principio, damnatorum animas ſuſcipit; nec tamen iis repletur: ſed quanto plures ſuſcipit, tanto plures deſiderat. Inferno autem aſſimilatur avarus uſurarius: quia divitiis quas recipit, numquam ſatiatur: ſed alias & alias in infinitum ſemper concupiſcit: *Avarus*, inquit D. Auguſtinus, *inferno eſt ſimilis: infernus enim quantoſcumque devoraverit, numquam dicit, ſatis eſt: ſic ſi omnes theſauri confluxerint in avarum, numquam ſatiabitur. Aug. l. de ſalut. docum. c. 30.* Et eminentiſſimus Cardinalis Hugo ait: *Fœnerator comparatur inferno: unde de eo Habac. 2. dicitur: dilatavit quaſi infernus animam ſuam; & ipſe non adimplebitur.*

Amor divitiarum ſemper creſcit: deſideratis enim opibus non extinguitur, ſed augetur; & quanto plures ab avaris obtinentur, tanto ampliores ultra deſiderantur: *creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.* Unde avari uſurarii, qui ad divitias anhelant, merito comparantur igni. Sicut enim ignis, injectis in eum lignis, non extinguitur, ſed magis accenditur, ac tanto magis inardeſcit, & augetur, quanto plura in eum ligna jaciuntur: ita avarus ſatiari nequit, quia avaritia eſt quaſi ignis, qui non extinguitur divitiis, ſed magis augetur. Ut enim ait S. Ambroſius: *Inflammatur lucro avaritia, non reſtringitur. Amb. l. de Nab. c. 2.* Et ut habet S. Gregorius, *Avaritia deſideratis rebus non extinguitur, ſed augetur; nam more ignis cum ligna quæ conſumat acceperit, accreſcit, & unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo poſt cernitur dilatari. S. Gregor. l. 15. Mor. c. 2.*

Sanctus Auguſtinus, & S. Joannes Chryſoſtomus, avarum uſurarium, divitias ambientem & ſitientem, comparant hydropico, dicentes, quod ſicut hydropicus numquam ſatiatur aqua, ſed quo plus bibit, eo ardentius ſitit: ſic etiam dives avarus numquam ſatiatur pecunia, ſed quanto plus lucratur, tanto amplius lucrari deſiderat. *Avarus*, inquit D. Auguſtinus, *recte comparatur hydropico, ſicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto ardentius ſitit: ſic iſte quanto eſt copioſior divitiis, quibus non bene utitur, tanto magis talia concupiſcit. D. Aug. l. 2. q. Evang. q. 29.* Et S. Joannes Chryſoſtomus ait: *recte quidem dixit avaros eſſe hydropicos; quomodo enim illi multam aquam ferentes in corpore, magis uruntur: ita etiam avari, multas circumferentes pecunias plures concupiſcunt. S. Chryſoſt. hom. 15. in ep. 1. ad Corinth.*

Refert Pierius, quod in littore Africano, inter Lybiam & Ægyptum, olim viſebatur columna, in qua vir erat cælatus, cui ſerpens diro morſu ſitim, quæ nulla aqua extingui poterat, afferebat. Aderant quidem feminæ, quæ indeſinenter aquam propinabant ſitienti; ſed ejus ſitis numquam extinguebatur. *Pier. lib. 16.* Et avari hominis imaginem: ſerpentino enim avaritiæ morſu exulceratus, ita ſitit, ut expleri ſitis non valeat; ſed quo magis potat, eo magis fit potandi avidus, & quo plures acquirit divitias, eo plures acquirere cupiat.

Moralem miror Philoſophorum, qui divitem avarum ad divitias anhelantem, cani famelico comparant. Cum cani, fame preſſo, projicitur aliquod panis fruſtum, ſtatim illud deglutit: & quaſi nihil comederit, ad projicientem attendit, a quo aliud quidquam ſibi dari eodem ardore appetit: *quidquid excipit, protinus integrum devorat, & ſemper ad ſpem futuri inhiat. Senec. epiſt. 75.* Simili fame premi videtur avarus: cum enim occaſio aliquid rapiendi ſe offert, mox oblata rapit, & ſtatim ad alia auferenda aſpirat; ſi hodie uſuris ſuis centum nummos

mos ab aliquo auferat, iis non ſatiatur, ſed ad alias pecunias coacervandas anhelat: hodie unius pauperis exſorbet vineam, & quaſi nil acquiſierit, ad agros & domos devorandas inhiat; ac ut loquitur Boetius, *nihil jam parta videntur: ſed quæſita vorans ſæva rapacitas, altos pandit hiatus. Boetius l. 2. de conſol. Phil.* Numquam ſatiatur avarus, ſed ſemper aliena rapit, ac ſemper plura rapere, & acquirere concupiſcit.

De Balæna ait Spiritus Sanctus, quod *faciem ejus præcedit egeſtas. Job 41. 13.* Faciem quidem ejus præcedit egeſtas: quia circumſtantes piſces ita glutit, ut nullus circumquaque remaneat. Eodem prorſus modo avarus domos, agros & vineas ſibi confines devorat: hodie iſtius vineam, & cras illius agrum rapit; hodie viduam facultatibus ſuis ſpoliat, & cras orphanum ad extremam pauperiem redigit: nec tamen unquam ſatiatur, nec ſatiari poteſt: *venter autem impiorum inſaturabilis. Prov. 13:25.*

Videte, *3. Reg. 11.* quomodo ſe geſſerit Achab, Samariæ Rex, reſpectu Nabothi: Achab Rex erat, ac proinde divitiis omnibus affluebat nec ei quidquam deeſſe videbatur; vineam tamen Nabothi concupivit, & rapuit, quia ipſi conveniebat, & quia juxta Palatium ſuum erat. Naboth vinea ſua contentus erat, nec ad aliena rapienda anhelabat; Achab vero ſummis opibus quas poſſidebat, non ſatiabatur; ſed adhuc pauperis vineam deſiderabat; *Naboth ſuo contentus erat palmite: Achab regali fulchro divitiarum præditus, inexplebilis, inſatiabiliſque opibus ſuis, exiguam pauperis vineam deſideravit. S. Ambr. l. 3. ep. 10.* Ecce quomodo ſe habere ſoleant divites avari, reſpectu pauperum: licet hi ampla palatia, licet vineas, domos & prædia ſine numero poſſideant, iis tamen non explentur: quare unius ex vicinis vineam, alterius pratum concupiſcunt: quibus acquiſitis, aliis adhuc acquirendis inhiant, nec unquam tot acquirunt, quin plura acquirere optent, quia inſatiabiles ſunt; *non eſt finis acquiſitionis eorum. Baruch. 3. 17.* Quamvis totum terrarum orbem ſibi compararent, nondum ſatiarentur, ſed inſtar Alexandri Magni, ad alia acquirenda anhelarent; *æſtuat infelix anguſto limine mundi.*

Ratio autem cur avarus uſurarius divitiis ſatiari nequeat, ejuſque concupiſcentia extingui non valeat, hæc eſt, quod ſcilicet, cor humanum ſolo Deo repleri & ſatiari poteſt, ut ait D. Auguſtinus. Aliam rationem adducit S. Bernardus, dicens, quod *potius pecunia non ibi ponitur, nec ibi eſt, ubi ſitis avari. Unde ſicut vinum in dolio remanens, non ſedat corporalem ſitim; ſic pecunia in arca ſitim mentis ſedare non poteſt. S. Bernard. Ibid.* Aliam adhuc afferam rationem, cur avarus uſurarius divitiis ſatiari non poſſit, quam deſumo ex juſtitia Dei: qui ut puniat eos, qui nimio affectu divitias appetunt, permittit ut hi, in ſui delicti pœnam, perpetua divitiarum fame & ſiti continue agitentur: *judicium enim eſt, ut in eo quo quis deliquit, puniatur: ut ſemper indigeat, qui ſemper indigentiam timet. Chryſol. ſerm. 48.*

O quam infelices in hoc mundo ſunt avari, qui ipſis pauperibus pauperiores ſunt, quia ſemper indigent: & cum inſatiabiles ſint, ad alia acquirenda ſemper aſpirant, perpetuamque famem patiuntur ut canes. Hi ſane ſimiles videntur infelici huic homini, quem Poetæ in inferno aquis circumdatum, & aquas ſemper appetentem fingunt: avari enim divitiis multis circumdantur, & affluunt, ſemper tamen ſitiunt, aliaſque divitias comparare ambiunt. O magnam infelicitatem! ſed ſi avarus uſurarius infelix ſit in vita, quia non poteſt ſatiari; *infelix etiam eſt in morte, quia tunc non poteſt ſanctificari.*

## SECUNDA PARS.

*Avarus uſurarius in morte non poteſt ſanctificari.*

INſtante mortis periculo, deſperatiſſimi quique peccatores de ſalute ſua ſolliciti eſſe ſolent: Tunc quiſque ſanctificari curat, & vix ullus ita obcæcatus & obduratus, qui in ultimis vitæ ſuæ momentis, a quibus pendet æternitas, aliquomodo a peccatis reſurgere, & ſanctitatem adipiſci nolit. At uſurarii illi, qui a multo tempore aliena per uſuras rapere ſoliti ſunt, inſtante morte, ita infelices, & miſeri eſſe ſolent, ut licet phyſice, & abſolute loquendo, tunc ſanctificari poſſint; moraliter tamen loquendo, tunc aut vix, aut nullo modo ſanctificari queant. Qui tunc aut non habent pœnitendi tempus, aut juſto Dei judicio obduratiores fiunt; aut ita a dæmone in peccatis ſuis detinentur, ut iis tunc a viis ſuis peſſimis declinare, & ad ſtatum ſanctificationis tranſire quaſi impoſſibile ſit.

Uſurarii, ſicut & alii mali peccatores, ad vitæ ſuæ finem pœnitere differunt, & quilibet uſurarius in ſemetipſo dicere ſolet: cum inſenuero, vel cum inſtabit mors, peccatorum me pœnitebit, ſua cuique reſtituam, & Sacramentis, quæ tunc religioſe recipiam, totus ſanctificabor. Supponit uſurarius, quod tunc dabit ei Deus, & tempus, & gratiam pœnitendi; ſed fallitur miſer: quia enim tempore, a Deo ſibi ad pœnitentiam dato, uti noluit; juſto Dei judicio fiet, ut in vitæ fine tempus pœnitendi non habeat; (uſurarius, inquit Sanctus Bernardinus, credit ſe pœnitere in fine, & reſtituere aliena; ſed ignorat miſer, quod Dominus comminatus eſt, dicens: *qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Matth. 13.* Habet nempe ille theſaurum magnum, qui tempus ei conceſſum virtuoſe expendit; & ideo multa merita cumulat; huic quidem dabitur, ſcilicet in vitæ ſuæ fine tempus, ſe etiam melius diſponendi, & præparandi, unde tunc etiam majori gratia abundabit. *Qui autem non habet*, ſcilicet, in præterito tempore merita cumulata, quia ſemper male vixit; id quod videtur habere, ſcilicet pœnitentiæ tempus, in fine, juſto Dei judicio, auferetur ab eo, eo quod in illo præſumptuoſe confiſus eſt. *S. Bernard. de uſur. ſerm. 45.* Quod evenisſe dicitur cuidam uſurario, qui in puncto mortis clamavit alte, dicens: *O pœnitentia, ubi es?* Quo verbo dicto, ſpiritum exhalavit; ut ex ejus verbo aperte clareſceret, quod quia quando pœnitentiam reperire poterat, illam non quæſivit, merito eam reperire non potuit cum voluit, eo quod non debito modo vellet. Si autem uſurarius in fine gratiam, & tempus pœnitentiæ non habeat, impoſſibile eſt, quod tunc ſanctificetur.

Juſto quidem Dei judicio, in vitæ fine ſanctificari



Digitized by Google

non poteſt uſurarius: quia ei ſæpe non datur pœnitentiæ tempus; ſed tunc etiam ſanctificari & juſtus fieri non poteſt, quia juſto Dei judicio in fine vitæ, uſurarii obduratiores eſſe ſolent; eoque obduratiores ſunt, quo & ſeniores. In fine enim vitæ, inquit S. Bernardinus, (cum uſurarius conſiderat, ſe ad ſtatum ſalutis non poſſe venire, niſi pro poſſe ſuo reſtituat aliena: ac per conſequens, niſi ſe, & filios, & filias, & alios hæredes ſuos in multa paupertate & inhonorabilitate relinquat; propterea hoc abhorrens, & per fidem non intelligens ſtatum ſuum periculoſum, potius deliberat in peccato ſuo perſeverare, quam debito modo ſe emendare: & ſic diu perſeverando, induratur cor ejus. Et licet hujus vitii prædicationes aliquando audiat; licet eum aliquis timens Deum ad pœnitentiam inducat; licet etiam exhortationes ad hoc, & objurgationes de hoc frequenter intus ſentiat: nihilominus ſemper cor ejus amplius induratur; ſicut de eo Job 41. 15. dicitur; *cor ejus indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus*, quæ quanto plus malleo feritur, tanto durior fieri ſolet. *S. Bern. Ibid.*) Cum ergo uſurarius ſemper magis & magis induratus fieri ſoleat, moraliter loquendo impoſſibile eſt, ut in fine vitæ convertatur & ſanctificetur.

Aliam rationem huic ſimilem adducit S. Bernardinus, quam deſumit ex obſtinatione uſurariorum; quæ tanta eſſe ſolet, inſtante eorum morte, ut eam obſtinatione proditoris Judæ majorem eſſe dicat. (Mira, inquit, eſt obſtinatio uſurarii, & quodammodo excedere videtur obſtinationem Judæ. *Primo*, enim, Judam pœnituit de ſcelere perpetrato, licet non debito modo; ideo ait: peccavi. *Secundo*, peccatum ſuum confeſſus eſt, dicens: peccavi tradens ſanguinem juſtum. *Tertio*, ſatisfecit, ſeu reſtituit pretium quod acceperat pro Chriſti proditione; veniam tamen non meruit, quia illam non requiſivit. Sed quid dicere poſſumus de uſurario obſtinato? quem *Primo*, non pœnitet de uſura, niſi forte quod modicum lucratus ſit. *Secundo*, ſi pœnitet aliqualiter, non confitetur, ne a Confeſſore ad ſatisfactionem cogatur. *Tertio*, quoque, ſi confitetur, quærit aliquem Confeſſorem, qui non habet conſcientiam, neque ſcientiam; ne per cautionem debitam ſatisfacere cogatur; ſed ſimplici verbo promittit Confeſſori ignaro reſtituere aliena. *Quarto*, etiamſi hoc in confeſſione promittat, promiſſum non ſervat: & tamen ut dicitur extra de Reg. Jur. lib. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Ibid.*) Quomodo ergo ſanctificabitur uſurarius imminente mortis articulo, cum tunc ipſo Juda obſtinatior eſſe ſoleat? certe, moraliter loquendo, tunc ſanctificari nequit.

Velim, quod uſurarii illi, qui uſuras diu exercuerant, inſtante morte, de converſione cogitent; & quod, inſpirante Patre luminum, miſerum animæ ſuæ ſtatum, ac periculum damnationis in quo verſantur, agnoſcant: tunc tamen non convertentur ad Dominum, tunc non ſanctificabuntur, nec ſanctificari poterunt: quia a dæmonis retibus ſe extricare non valebant. Cum uſurarius vacare uſuris incipit, in diaboli retia cadit; ut enim ait D. Paulus: *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli: 1. Tim. 6. 9.* Et ut experientia conſtat, quo magis uſuris vacat, eo magis his retibus ſe intricat. Unde D. Bernardinus uſurarium avi comparat, quæ in venatorum retibus capitur. (Cum avis, inquit, volando in rete ceciderit, tanto amplius ſe intricat, quanto amplius ſe extricare contendit: ſic uſurario ſæpe contingit, quod dum per aliquod tempus, ut dicitur, intendit vacare uſuris, & demum ceſſare ab eis: omni die, menſe, & anno amplius ſe reperit intricatum, atque a propoſito ceſſandi ab uſuris magis elongatum. Hinc dicitur Proverb. 5. 22. *iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Unde Jerem. 50. ad animam uſurarii a diabolo dictum eſt: *illaqueavi te, & capta es Babilon, & neſciebas. Ibid.*) Si ergo uſurarius magis, & magis laqueis diaboli intricetur, ab eis in morte ſe extricare non valebit, & per conſequens nec ſanctificari poterit; ſed miſere peribit, juxta illud Job 6. *Involutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum, ambulabunt in vacuum & peribunt. Job 6. 18.*

His omnibus rationibus ſuperaddamus, quod ut convertantur uſurarii, magna Dei indigent gratia. Et ideo hi ſimiles dicentur navibus Tharſis, quæ auro onuſtæ erant, & quæ conteri non poterant, niſi validis ventis agitarentur: *in ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis: Pſ. 47. 8.* uſurarii enim, qui auro & aliis bonis temporalibus onerati ſunt, moveri, ad Deum converti, & ſanctificari nequeunt, niſi validis efficacioris gratiæ ventis cieantur. Quis autem credat, Deum uſurariis, extrema agentibus, gratias extraordinarias daturum? Quis cenſeat, Deum tunc efficaciores gratias conceſſurum uſurariis, qui pauperum facultates rapuerunt, qui tam gravia peccata perpetrarunt, ac qui divinæ gratiæ dona toties contempſerant, & abjecerunt? Certe timendum quod tunc eas non dabit Dominus; ac ideo hi tunc converti, & ſanctificari non poterunt. Infeliciſſimi ergo ſunt uſurarii in morte, cum tunc ſanctificari nequeant: *ſed ſunt etiam infeliciſſimi poſt mortem, cum tunc ſalvari non valeant.*

## TERTIA PARS.

*Avarus uſurarius poſt mortem ſalvari non poteſt.*

SI uſurarius ante mortem non poſſit ſanctificari, optime infertur, quod & poſt mortem ſalvari nequeat: quia nullus ſalvatur, ſi prius in hac vita ſanctificatus non fuerit. Sed ut latius, & fortius probetur hominem uſurarium, qui diu in viis ſuis peſſimis perſeveravit, ſalvari non poſſe, alias adducam rationes, quarum aliquas deſumam ex Sancto Bernardino, qui plurimis iiſque fortiſſimis rationibus, & prædicationibus uſurarios impugnat, eorumque damnationem, quaſi inevitabilem eſſe probat.

Ut autem adverſus uſurarios ratiocinari incipiam, eoſque non ſalvandos probem, dico, quod Deus eadem menſura eos metietur, qua alios menſi ſunt. Noſtis uſurariorum menſuram hanc eſſe, quod ſemper plus exigant, quam dent; cum dant v. g. centum nummos, centum & quinque exigunt. Deus autem eadem eos menſura remetietur; illiſque Paradiſum dare nolet, quin aliquid Paradiſo melius ipſi reddant; unde cum nihil Paradiſo melius dare poſſint,

Digitized by Google

ſint, Paradiſum a Deo obtinere nequibunt. Hanc rationem affert S. Bernardinus, dicens; ( Dominus ait Lucæ 6.38. *eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*: cum vero uſurarius non det aliquid niſi recipiat amplius; ex hoc certificat ſemetipſum de damnatione æterna. Quia ſi vellet acquirere Paradiſum a Juſto Judice, qui præſcriptam conſtituit legem; non dabitur ei, niſi det aliquid amplius & melius Paradiſo. Sed quia hoc nunquam poterit obſervare, neceſſario ſequitur, quod nunquam poterit acquirere gloriam ſempiternam. *S. Bernard. ſerm. 45. de uſur.*)

Uſurarium non obtenturum gloriam æternam, & ſalvari non poſſe, alia ratione probat S. Bernardinus: quia, ſcilicet, in fine vitæ ſuæ a Deo & omnibus Sanctis derelinquetur. ( Cum, inquit, uſurario lucra non ceſſent in quolibet ſacro die; non diei Paſchæ parcit, non diei Dominico, non diei ſanctiſſimæ Chriſti Paſſionis. In qualibet ſolemnitate Sacratiſſimæ Virginis non ceſſat a tali lucro, nec in diebus Apoſtolorum, nec in diebus Martyrum & Confeſſorum, Virginum & Angelorum. Inſuper non eximit a lucro uſuræ diem omnium Sanctorum; merito ergo non ſolum a Deo, verum etiam a Beata Virgine, ab Angelis univerſis, & ab omni multitudine Beatorum, Juſto Dei judicio, in ultimo fine vitæ ſuæ ita derelinqui meretur, quod nec Deum habeat donatorem gratiæ, nec aliquem Beatum inveniat gratiæ a Deo impetratorem, ſeu etiam pro illo miſero aliquem Sanctum de cælo ſupplicatorem. Unde Michææ 3.4. de talibus ſcriptum eſt: *Abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo*; ſcilicet extremo. *Ibid.*) Cum ergo uſurarii, in fine vitæ ſuæ, a Deo & ab omnibus Sanctis relinqui ſoleant, moraliter loquendo, impoſſibile eſt, ut poſt mortem ſalventur.

Uſurarios poſt mortem ſalvari non poſſe, jam ſatis conſtat; ſed hoc mihi magis adhuc ſuadet defectus reſtitutionis; quia ſcilicet hi ante mortem inique ablata non reſtituunt. Certum eſt, uſurarios ſub damnationis æternæ pœna teneri ad reſtituenda ea omnia, quæ per uſuras extorſerunt, ſi ſaltem ea reſtituere poſſint. In hoc conveniunt omnes Canoniſtæ & Theologi; & in ſacro Canone excommunicantur docentes, quod lucrum uſurarium reſtitui non debeat, *quicumque deinceps ſcribere, dictare, vel judicare præſumpſerint, quod uſuræ ſolvantur; aut non plene reſtituantur, ſententiam excommunicationis incurrant. Clem. extr. tit. de uſu c. ſtatuit.* Uſurarii non ſolum reſtituere debent id quod per uſuram extorſerunt; ſed etiam fructus ex tali re perceptos; cum, ſcilicet, talis res eſt ager, domus, vel aliud aliquid de ſe frugiferum: tunc enim non ſolum rem frugiferam, quam inique abſtulerunt; verum & fructus inde perceptos reſtituere tenentur, ut probat, & explicat Doctor Angelicus. *D. Thom. 2. 2. quæſt. 78. art. 3.* Qui etiam docet, quod uſurarius reſarcire debeat damna, quæ ſolventi uſuras cauſavit: quando ſcilicet illa per ſe directe & efficaciter cauſavit, per lucrum uſurarium quod ab aliquo accepit. Ubi autem ſunt uſurarii, qui ablata reſtituant? Ubi ſunt, qui fructus ex re ablata perceptos propriis dominis reddant? Ubi, qui damna illata reſarciant? Ubi, qui dicant cum Zachæo: *ſi quid defraudavi, reddo quadruplum? Luc. 19. 8.* Certe nullus fere uſurarius ablata reſtituit. Quamdiu enim uſurarii bene ſe habent, de reſtitutione non cogitant; & inſtante morte, aut nihil, aut parum reſtituunt; ſibique ſatis eſſe credunt, ſi aliqua pia legata faciant, ut ab hominibus pii videantur. Quare cum debite non reſtituant, eos ſalvari impoſſibile eſt.

Non ſalvabuntur quidem uſurarii, qui aliena non reſtituunt: quin contra Chriſtus in die Judicii duriſſimam mortis æternæ ſententiam in illos feret. Si enim damnationis ſententiam laturus eſt contra eos, qui de propriis bonis neceſſitates pauperum non ſublevarunt, quam dura erit ſententia, quam dicet adverſus uſurarios, qui aliena abſtulerunt, nec reſtituere voluerunt! Si in die Judicii, inquit S. Bernardinus, ut dicitur *Matth.* 24. Chriſtus his qui pauperum neceſſitatibus non occurrerunt, dicturus eſt: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me*, quid obſecro uſurariis dicturus eſt, qui tam impia pietate, & ſimulata nequitia rapuerunt aliena? Iis certe non dicet: *venite benedicti Patris mei, percipite regnum*; ſed eos ad æterna ſupplicia condemnabit. *S. Bernard. ſerm. 44. de uſur. art. 4.*

Quod ita certum cenſet D. Bernardinus ut aſſerat, ex omnibus peccatoribus nullos ita evidenter laturos litteras ſuæ condemnationis, ut uſurarios: *nullum crimen eſt, quod tam patenter, & aperte deferat litteras æternæ mortis, ſicut facit uſura. S. Bernard. ſerm. 45. art. 3. c. 1.* Et revera quilibet contractus uſurarius ab uſurario factus, eſt quaſi littera, & inſtrumentum publicum damnationis ejus. Uſurarius contractum mutui init cum aliquo, ligantem eum ad reddendum ſibi ſupra decem vel duodecim pro centum: *ecce litteram ſuæ damnationis.* Cum alio paciſcitur, quod pro auctario pecuniæ mutuatæ dabit ipſi aliquos tritici, vel frumenti modios: *ecce litteras damnationis!* Alteri vendit oves, boves, equos, vel alias merces, & quia mutuo vendit, pro his retributionem nimiam, & immoderatam exigit: *ecce litteras damnationis.* Unde cum uſurarii, dum in hoc mundo vivunt, hæc omnia inſtrumenta non conſcindant, & hæc quæ talibus contractibus inique acquiſierunt, non reſtituant; hæ erunt litteræ damnationis illorum, quibus viſis, ad æternas pœnas condemnabuntur, & nequaquam ſalvari poterunt.

O quam infelices ergo uſurarii in vita, in morte, & poſt mortem! O miſeri, quid proderit vobis, multas coacervaſſe divitias: ſi iis relictis, æternis ſuppliciis ſitis adjudicandi? velim, o uſurarie, quod neminem occideris, blaſphemias nullas protuleris, nullumque aliud ſcelus perpetraveris; velim etiam, quod virtutibus plurimis acquirendis ſtudioſe incubueris: nil, aut parum tibi proderunt hæc omnia, ſi per uſuras acquiſita non reſtituas, *quid proderit non occidere, non mæchari, non rapere, non denique perjurare, immunemque te prorſus a cunctis criminibus cuſtodire: ſi a te avaritia non expellitur? Petr. Dam. lib. 2. epiſt. 2.* Certe hæc omnia parum proderunt, quia propter ſola uſuraria lucra



Digitized by Google

quæ accepiſti, & non reſtituiſti, in æternum damnaberis.

Quare o N. ſi pecuniam mutuo dederis fratri tuo, *ne accipias uſuras ab eo, non amplius, quam dediſti. Lev. 25. 26.* Si per uſuras multa comparaveris, agros, vineas, frumentum, vinum, oleum, & ea omnia quæ inique lucratus es, propriis dominis reſtitue: immo, ex propriis, quantum ſtatus, & conditio tua deſiderabunt, pauperibus eroga. Hoc ſi feceris, felix eris in hoc ſæculo, & æternam felicitatem poſt mortem obtinebis in cælo. *Amen.*

## F E R I A III.

## POST DOMINICAM PASSIONIS.

# DE FESTIS DIEBUS RITE CELEBRANDIS.

*Vos aſcendite ad diem feſtum.* Joann. 7.

TAnta dæmonum eſt nequitia, tanta perverſitas, ut in Chriſtianæ Religionis opprobrium, & in ſalutis humanæ detrimentum vertere conentur quidquid ad Dei gloriam, hominumque ſalutem fuit inſtitutum. Quod in multis verum eſſe patet, & præcipue in feſtis diebus ſacriſque ſolemnitatibus, quæ in Eccleſia celebrari conſueverunt. Inſtitutæ enim ſunt, ut tunc majori cum ſollicitudine a vitiis abſtineamus, vacemus ab operibus ſervilibus, & divinis inſiſtamus. Inſidiante tamen generis humani inimico, quod ad Dei gloriam, hominumque ſalutem inſtitutum fuerat, jam multis in locis ad Dei ignominiam, plurimorumque damnationem converſum eſt, quia homines multi, perverſis ſatanæ ſuggeſtionibus illecti, feſtis diebus iniqua gerunt, multaque in Dei contemptum & Chriſtianæ Religionis detrimentum operantur. Quod ita Deo diſplicet, ut Evangelici Vatis ore declaret ſe hominum ſolemnitates, & feſta odio habere; *ſolemnitates veſtras odivit anima mea. Iſa. 1. 14.* Non odit Deus quod ipſe inſtituit: non odit feſta, quæ ipſe celebrari præcipit; ſed odit modum quo a plurimis celebrantur, qui ita ridiculus, & a Dei mente alienus eſt, ut ipſis dæmonibus Sabbata, & feſta noſtra irridendi præbrant occaſionem; *deriſerunt Sabbata ejus. Thren. 1. 7.* Ut tanto malo occurramus, dies feſtos celebrandi modum jam docebimus, &c. *Ave.*

FEſtis diebus nonnulli vitiis indulgent, operibus ſervilibus incumbunt multi, & cultum divinum plerique negligunt.

Vitio feſtis diebus nonnulli indulgent, & licet præcipiat Deus, ut feſta ſanctificentur; hi tamen comeſſationibus, ebrietatibus, fœdis libidinibus, aliiſque infandis vitiis ea polluunt: *Dominus mandat ſanctificari Sabbatum, & alii polluunt Sabbatum. D. Bonavent. in Diæta ſalut. tom. 3. c. 2.*

Operibus ſervilibus alii multi diebus feſtivis incumbunt, & præcipue plebei, & ruſtici, qui cum ſpiritualia vix capiant, de temporaneis tantum curant, ac labori non ſolum profeſtis, verum & feſtis diebus totos ſe dedunt. Et iſtos dæmonibus, & damnatis comparat Doctor Seraphicus; quia ſicut qui ad ea tara damnatus eſt, ſemper laborat, & *laborabit in æternum*; ita & iſti in hoc mundo omnibus diebus tam feſtivis, quam non feſtivis laborant, & in inferno æternum laborabunt; *ſunt ſimiles diabolo, & damnatis, qui nunquam requieſcunt, ſed ſemper laborant, & laborabunt in inferno.*

Plerique tandem Dei cultum feſtis diebus negligunt: ac licet ſceleribus, & ſervilibus operibus non vacent; ita tamen ſegnes ſunt, & deſides, ita in Dei obſequio ſunt negligentes, ut vix auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio aſſiſtant, & iſti, ut ait S. Bonaventura, *in die feſto dant animam ſuam diabolo.*

En tria in diebus feſtis contra Dei, & Eccleſiæ leges fieri ſolita, quibus ut occurramus, & ut feſta rite celebrandi modum doceamus, vellem, ut quiſque advertat, dies feſtos eſſe dies ſanctificationis, requiei, & devotionis: *in his autem ſanctificationis diebus*, abſtinendum a vitiis; *in his requiei diebus*, ceſſandum ab operibus ſervilibus; *in his diebus devotionis*, inſiſtendum pietatis operibus. Feſtis tandem diebus: 1. abſtinendum a vitiis: 2. ceſſandum ab operibus ſervilibus: 3. inſiſtendum pietatis operibus. Ecce quomodo celebrandi ſint dies feſti.

## P R I M A P A R S.

*Feſtis diebus abſtinendum a peccatis.*

SIcut in omni loco, ita & in omni tempore a peccatis abſtinendum: cum enim omne peccatum Deo injuriam irroget, nullum inveniri poteſt temporis inſtans, in quo peccare liceat, ac in quo quiſque a peccatis abſtinere non teneatur. Verum eſt, quod non omni tempore quiſque jejunare, orare, & alia bona opera facere teneatur; omni tamen tempore quiſque a peccatis abſtinere debet, & eo præcipue tempore, quo feſta celebrantur, quia peccata quæ feſtis diebus perpetrantur, graviora ſunt ratione temporis. Immo, & juxta Alexandri Alenſis ſententiam, circumſtantia temporis ſacri, facit novum peccatum, ac ut ipſe loquitur, *qui fornicatur die Dominico, duobus peccatis peccat. Alenſis 2. in 3. Sent.*

Eadem fuit Lirani, & Toſtati ſententia, dicentium, omne peccatum in die feſto perpetratum, eſſe ſacrilegium, ratione circumſtantiæ temporis ſacri, quod profanatur. De tempore ratiocinantur hi Doctores, ſicut & de loco; dicuntque, quod ſicut furari, & occidere in loco ſacro, ſunt ſacrilegia, ratione loci ſacri, in quo furta, & homicidia committuntur; ita furari, & occidere die feſto, ſunt ſacrilegia, ratione diei feſti, in quo homicidia, & furta perpetrantur, ac proinde in unico furto, quod in die feſto fit, duplicem eſſe malitiam, duplexque peccatum, furti ſcilicet, & ſacrilegii.

Aliam viam tenet Doctor Angelicus, docetque magnam eſſe differentiam inter circumſtantiam temporis, & circumſtantiam loci; nec circumſtantiam temporis inducere malitiam ſacrilegii, ſicut circumſtantiam loci. Tempus, inquit, non eſt quid permanens, ſicut locus, ac proinde cum tempus non ſit quid permanens, aptum non eſt ad recipiendam ſpecialem conſecrationem ſicut locus: quare cum tempus ſpecialem conſecrationem non recipiat, tempus diei feſti non poteſt proprie dici tempus ſacrum,

nec

Digitized by Google

nec peccata die feſto perpetrata dici poſſunt ſacrilegia, ratione diei feſti, & ideo quodlibet peccatum in die feſto commiſſum, præter propriam malitiam, non habet malitiam ſacrilegii, ratione temporis. Et reveſa, ſi quodlibet peccatum in die feſto factum, præter propriam malitiam, haberet & ſacrilegii malitiam, maximum hoc onus eſſet fidelibus: & cum Eccleſia feſtos dies multiplicaret, onus importabile fidelibus imponeret, ac eorum ſaluti quaſi inſidias pararet.

At licet circumſtantia temporis non mutet ſpeciem peccati, in die feſto commiſſi; majorem tamen gravitatem ei tribuit. Hæc circumſtantia non facit novum peccatum, ſed facit gravius eſſe peccatum, quod in die feſto, quam quod in alio die committitur: *circumſtantia temporis ſemper aggravat peccatum. Bellarmin. in contr. de cultu Sanct. c. 10.*

Multis rationibus gravius eſt peccatum, quod in die feſto, quam quod aliis diebus perpetratur, quarum prima quæ menti meæ occurrit, ſumitur ex D. Bernardino Senenſi, qui docet, feſtis diebus quemque de peccatis mortalibus debere conteri, ac propoſitum, loco & tempore opportunis confitendi, & Deo ſatisfaciendi, elicere: quare ſi peccet quis his diebus, in quibus ſpecialiter ad peccata ſua delenda tenetur, haud dubie peccata quæ his diebus perpetrat, ratione hujus circumſtantiæ, ſunt graviora, quam quæ aliis diebus committit. *D. Bernard. tom. 1. ſerm. de obſerv. Sabbati.*

Hac quidem ratione graviora ſunt peccata, quæ in diebus feſtis perpetrantur, ſed & graviora ſunt, ratione alterius circumſtantiæ: nempe ratione injuriæ quæ fit dici feſto. Et iſtam rationem adducit S. Chryſoſtomus, dicens, quod multi feſtos dies vocant illos, in quibus abdomini, & libidini indulgent; nec feſtum aliquod vere feſtum eſſe credunt, ni his vitiis ſe dedant: *nonnulli feſtivos ſe eſſe dubitant, niſi gulæ, niſi ventri, niſi luxuriæ ſatisfecerint.* Ritus celebrandi feſta apud hujuſmodi perſonas, non eſt, orare, Miſſæ Sacrificio intereſſe, peccata confiteri, concionem audire, & aliis piis operibus vacare; ſed ludere, choreizare, epulari, gulæ, & libidini fræna laxare: at, inquit Chryſoſtomus, hi feſta a Deo inſtituta non colunt, ſed coinquinant: *non eſt hæc, fratres, feſtivitatem colere Dei, ſed coinquinare. Chryſoſt. tom. 3. ſerm. 8. de reſurrect.* Ac proinde peccata in die feſto perpetrata, ſunt graviora, quam quæ aliis diebus committuntur, ratione injuriæ quæ feſtis diebus per hæc peccata fit.

Alia etiam ratione graviora mihi videntur peccata in diebus feſtis commiſſa; ratione ſcilicet ſcandali, quod per ea cauſatur. Quid enim dicere, quid ſentire poſſunt, qui vident homines Chriſtianos, ſua celebrantes feſta eo prorſus modo, quo Bacchi, Cereris, Veneris, & aliorum Deorum feſta Gentiles celebrare ſoliti erant? Quid cogitare, & judicare poſſunt, qui diebus feſtis vident Chriſtianos, non in Templis ut orent, ſed in caupona, ut vino ſe ingurgitent; non in loco ſacro ut cum Deo, & Sanctis converſentur, ſed in platea, vel in loco profano, ut cum licentioſis vitæ perſonis licentius vivant; non in ſacro pœnitentiæ tribunali, ut peccata ſua deleant, ſed in locis ſuſpectis & exitioſis, ut ea multiplicent? certe qui talia vident, non poſſunt niſi iniqua de his perſonis ſentire: taleſque earum actiones malæ, diebus feſtis factæ, ſunt iis haud dubie in malum exemplum, & ſcandalum: quare peccata diebus feſtis facta, graviora ſunt, ratione mali exempli quod per ea datur, & ſcandali quod per ea cauſatur.

Hæ rationes ſatis ſuperque ſuadere videntur, ut majori cum ſollicitudine diebus feſtis quiſque a peccatis abſtineat. Sed alia, eaque graviori ratione, diebus feſtis, a peccatis quiſque abſtinere debet; nempe quia peccata his diebus perpetrata, Deum maxime irritant. Ut enim ait D. Chryſoſtomus, licet feſtivitates a Deo, & Eccleſia ad Deum placandum ſint inſtitutæ; licet his diebus Deus ſe magis placabilem exhibere ſoleat; qui tamen diebus feſtis ſe criminibus fœdant: *non placant Deum, ſed exacerbant.* Peccata quidem his diebus perpetrata, ita Deum irritant, ut proteſtetur, ſe hujuſmodi feſtivitates in quibus homines peccatis ſe coinquinant, odio habere, & projicere: *odi, & projeci feſtivitates veſtras. Amos 5. 21.* Ita etiam Deum irritant, ut eos qui in diebus feſtis ſe peccatis dedunt, graviter puniat, & feſtivitates eorum in luctum convertat: *convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum. Amos 8. 10.* Quare cum peccata, diebus feſtis perpetrata, Deum magis irritent; his præcipue diebus a peccatis abſtinendum.

Antequam primæ hujus concionis parti finem faciam, aliam quæ nunc menti meæ occurrit, rationem adducam, qua non parum excitari debent homines ad declinandum a peccatis, diebus feſtis: Quæ ratio ſumitur ex Dei bonitate, & liberalitate; cui ſe opponunt, & quaſi metas dant peccata his diebus perpetrata. Deus enim, qui omni tempore in homines liberalis eſt, in eos liberalior eſſe ſolet diebus feſtis; *tum*, quia dies feſti ſunt dies gratiarum: *tum*, quia Sancti, quorum feſta celebrantur, Deum ſuis orationibus ad majora hominibus beneficia impendenda inclinant; ſed peccata quæ his diebus committuntur, liberalitati divinæ obſtant, & impediunt, ne in homines Deus ſe liberalem præbeat. Sancti quorum his diebus ſolemnia colimus, precibus ſuis Deum nobis propitium, & in nos liberalem reddere conantur; ſed ſi his diebus in Deum peccemus, peccata quæ committimus, bonitati & liberalitati ejus ſeſe opponunt. Precibus ſuis Sancti cor Dei ad nobis benefaciendum inclinant; & peccata noſtra eum a beneficiis nobis impendendis avertunt: Sancti ſuis ſollicitationibus Deum ad magnam gratiarum copiam nobis diſtribuendam excitant: & peccata quæ his diebus perpetramus, eum ad omnem nobis gratiam denegandam compellunt. Unde his diebus ad Deum clamant Sancti, clamant & peccata noſtra; ſed diverſimode. Clamant ad Deum Sancti, ut hominibus gratiam ſalutis, aliaque iis neceſſaria beneficia largiatur; peccata vero his diebus perpetrata, ad Deum clamant, ut talia eis beneficia non impertiatur. Sanctorum clamor Deum ad hominibus benefaciendum flectit, & peccatorum clamor ita Deum a beneficiis hominibus impendendis avertit, ut Sancti vix aliquid ab eo impetrare queant in gratiam eorum qui diebus feſtis ſe peccatorum labe inquinant. Et ideo dixit D. Auguſtinus, quod *tunc*

*pro nobis Sanctus Joannes quidquid petierimus, poterit obtinere, ſi nos feſtivitatem ſuam ſobrios, caſtos, abſque ullo turpiloquio cognoverit celebrare. S. Aug. ſerm. 2. de Joann. Baptiſt.* Sed ſi e contra Sancti Joannis & aliorum Sanctorum feſta peccatis noſtris polluamus, Sancti nullum nobis a Deo beneficium impetrabunt: quia peccata quæ feſtis diebus committuntur, Dei liberalitati ſe opponunt, ejuſque beneficiis nos privant: Quare, feſtis præſertim diebus, quiſque ſumma ſollicitudine vigilare debet, ut a peccatis caveat. Adveniente die Dominica, vel alio quolibet feſto ſumma cura ſuam quiſque ſcrutari debet conſcientiam, eamque ab omnibus peccatis mundare ſi poſſit, ſed præſertim curare debet, ut in nova peccata his diebus non incidat, & ut a quibuſque peccatis, quantum fas erit, abſtineat; *tum*, quia peccata feſtis diebus commiſſa, ſunt graviora; *tum*, quia Deum magis irritant; *tum*, quia ejus in nos liberalitati obſtant. At diebus feſtis non ſolum abſtinendum a peccatis, *ſed etiam ceſſandum ab operibus ſervilibus.*

## SECUNDA PARS.

*Feſtis diebus ceſſandum ab operibus ſervilibus.*

FEſtis diebus, forenſibus negotiis vacare non licet: hoc enim expreſſe prohibet Matiſconenſe Concilium, cap. 1. dicens: *nullus veſtrum feſtis diebus litium fomitibus vacet, nullus cauſarum actiones exerceat.* Hoc idem alia nonnulla vetant Concilia; & in ſacro Canone habetur, quod *debet judicialis ſtrepitus diebus conquieſcere feriatis, qui ob Dei reverentiam noſcuntur eſſe ſtatuti. Extra de feriis c. ult.* Cum jure canonico concordat civile, in quo dicitur: *ferias dare vacationem a forenſibus negotiis, ff. de feriis.* Et non ſine ratione hæc ita inſtituta ſunt; quid enim æquitati, & rationi magis conſonum, quam quod, diebus a Deo & Eccleſia ad pietatis operibus vacandum ſtatutis, Chriſtianis litibus non vacent, quæ contentiones multas generare, & a pietatis ſpiritu avertere ſolent?

Quod de fori, hoc & de commercii negotiis dicendum eſt, dies enim feſti ſunt inſtituti, non ut homines ad mercatus & nundinas, negotiationis cauſa, ſe conferant: ſed ut *ab omni negotio ſequeſtrati, ſoli divino cultui vacent. S. Auguſt. tom. 10. ſerm. 51.* Et ut in ſacro Canone legitur: feſtis diebus, neque negotiationi, neque litibus vacare licet: *in eis mercatum minime fiat, neque placitum. De feriis c. 1.*

Præfata quidem opera feſtis diebus prohibentur: ſed ſtrictius adhuc prohibentur opera ſervilia. Si enim in veteri lege nullum opus ſervile diebus Sabbati facere liceret: *nullumque ſervile opus facietis in eo, Levit. 2. 38.* quanto minus diebus Dominicis & aliis novæ legis feſtis diebus, operibus ſervilibus incumbere licet? Hoc quidem non licet: cum pluribus in Conciliis id prohibeatur; cumque univerſali ſanctæ Romanæ Eccleſiæ præcepto id vetitum ſit: cum enim præcipit ſancta Eccleſia, ut dies feſti ſanctificentur, præcipit identidem, ut his diebus nullus ſervilibus operibus vacet. Et ideo qui ſine legitima cauſa diebus feſtis arat terram, domos ædificat, fabrilibus & aliis ſervilibus operibus incumbit, Eccleſiæ præceptum violat, mortaliter peccat, & in hoc mundo infernum inchoat.

Multos reperire eſt, inquit Sanctus Bernardinus, *ubi ſup.* quod in tantam inſaniam avaritiæ diabolus dementavit, ut quaſi nullum æſtiment lucrum, niſi quod in feſtivitatibus cumulant; immo ad paupertatem extremam devenire ſe credunt, niſi lucrentur diebus feſtis. Sæpe enim videbis hominem jam decrepitum, jamque nutantem greſſum, & capite tremulum, divitiis plenum, filiis & conſanguineis carentem, pene in habitaculo ſuo ſolum: & tamen in his diebus feſtis tanta anxietate, tantaque ſollicitudine laborare, quaſi videretur ſibi deficere mundus. De tali homine dicitur: *unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat: nec ſatiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat: dicens: cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Eccleſ. 4. 8.* Hujuſmodi quidem homines, qui diebus feſtis operibus ſervilibus vacant, animas ſuas plurimis & æternis privant bonis, ac ut ait S. Bernardinus, *in præſenti vita infernum inchoant.*

Scio, quod mortaliter non peccent, nec æterna inferni pœna digni fiant, qui feſtis diebus modico tempore laborant; nec etiam qui operibus ſervilibus, pietatis cauſa vacant, & ſic qui his diebus in Xenodochiis, in Eccleſiis & in aliis locis ex ſolo pietatis, & miſericordiæ motivo laborant, non peccant, quia ut habetur in ſacro Canone, *in operibus miſericordiæ dierum diſtinctio non eſt habenda. D. 76. utinam.* Non etiam peccant qui ex gravi aliqua neceſſitate ad laborandum coguntur, ut nonnunquam tempore vindemiarum & ſegetum accidit; ſed tunc ſi fieri poteſt, exponenda Paſtoribus ſuis urgens illa neceſſitas, petenda ab iis laborandi licentia, & eorum judicio adhærendum. Sed quis exceptis his caſibus, ſervili labori diebus feſtis multo tempore vacant, peccant mortaliter, & æterna plectuntur pœna, niſi in hoc mundo peccata ſua ſacro pœnitentiæ lavacro abluerint.

Timete avari formidanda tartari ſupplicia; & ut iis non adjudicemini, feſtis diebus a ſervilibus abſtinete operibus. Sed & ab iis abſtinere debetis, ut gravia vitetis ſupplicia, quibus in hoc etiam mundo Deus plectit eos qui feſtis diebus laborant.

Scitis, quid acciderit miſero illi homini, quem filii Iſrael invenerunt colligentem ligna in die Sabbati. Noſtis, quomodo carceri mancipatus, & ex Dei ordinatione ad mortem damnatus fuerit. Qua ſententia audita, eduxerunt eum foras, *obruerunt lapidibus, & mortuus eſt, ſicut præceperat Dominus. Num. 15. 36.*

Facile crediderim, Deum multos ſimili pœna plectere; ſeu celeri morte punire, quia feſtos dies vilibus & ſervilibus operibus violant. Sed & aliis pœnis multos hujus farinæ viros Deus plectit; cumque plerique diebus feſtis laborent, ut laboribus ſuis ditentur, ſæpe Deus in avaritiæ eorum pœnam bonis temporalibus illos privat. Unde quo laboribus prohibitis ditiores fieri conantur, eo pauperiores fieri ſolent.

Fa-

Digitized by Google

Familiare eſt exemplum de duobus ſutoribus; quorum unus, licet plurimos haberet filios, & numquam diebus feſtis laboraret, ſemper tamen magis & magis diteſcebat: alter vero, licet nullum haberet filium, & feſtivis etiam diebus laboraret, pauper tamen ſemper & egenus erat. Attonitus iſte, & myſterium ignorans, ab illo ſutore petiit, quid fieri poſſet, quod temporalibus affluerer, ipſe vero egeſtate premeretur? reſpondit ille, ſi mecum venire velis, docebo te unde meæ veniant divitiæ, & quomodo dives fieri poſſis. Annuit iſte, & ſecutus eſt alium ſutorem, a quo ductus eſt in Eccleſiam, ubi audita miſſa, dixit iſti, vade jam ad laborem tuum. Ad illum ſecundo & tertio rediit iſte, qui ſemper ab eo in Eccleſiam ductus eſt, ibique audita miſſa, ſemper dixit iſti ut rediret ad laborem ſuum. Cui tandem iſte; chariſſime, ſi vellem ire ad Eccleſiam, non ignoro viam, qua ad illam itur, hoc a te non peto; ſed ſupplex poſtulo, ut doceas me modum, quo ditari poſſim, ſicut tu. Tunc ille dixit; ſcito, quod modus quo ditari poteris, eſt, quod feſtis diebus non labores, quod facias quæ Deus præcipit, & potiſſimum incumbas iis quæ Dei ſunt; qui enim ſpiritualibus ſedulo vacat, temporalia etiam obtinet, juxta hæc Chriſti verba, *quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Math. 6. 33.* His auditis, iſte ad ſe reverſus, tactus dolore cordis intrinſecus, diebus feſtis laborare deſtitit, pietatis operibus ſedulo vacavit, & dives factus eſt. *Diſcipul. ſerm.* 117.

O vos omnes, qui diebus feſtis laboratis, ut ditiores efficiamini; timete, ne inde pauperiores evadatis, timete, ne in avaritiæ veſtræ pœnam, ſpiritualibus & temporalibus bonis Deus vos privet. *Permittit* ſæpe Deus, ut hi, qui Eccleſiæ præcepta contemnentes, feſtis diebus laborant, a furibus, a raptoribus, ab iniquis judicibus, vel ab inimicis, facultatibus ſuis ſpolientur, *permittit* etiam nonnumquam Deus, ut boves, equi, & alia eorum pecora lædantur, vel moriantur, *permittit* aliquando, ut domus, & facultates eorum comburantur, *permittit*, ut hi, vel eorum filii diu infirmentur, & diuturnis infirmitatibus bona, laboribus prohibitis comparata, conſumantur, quare timete, ne laboribus feſtivo tempore ſuſceptis, pauperiores, miſeriores, & infeliciores efficiamini.

Hac ratione quiſque feſtivis diebus, a ſervilibus operibus abſtinere deberet, ſed & ab iis abſtinere quiſque debet, ne aliis ſit in ſcandalum; piæ enim animæ plurimum ſcandalizantur, cum vident, vel ſciunt, ſartores, ſutores, aratores, fabros, & alios hujuſmodi opifices feſtis diebus laborare, quare quiſque, ut aliis occaſionem ſcandali non præbeat, a præfatis operibus abſtinere tenetur.

Videte, quomodo ſe habuerit Chriſtus, cum die Sabbati ſanare voluit hominem habentem manum aridam: clarum erat & evidens, curam ægri non eſſe contra legem Sabbati: ne tamen Judæis ſcandalum qualicumque modo præberet, antequam hunc hominem curaret, Judæis probavit, non eſſe prohibitum ſanare infirmum, & benefacere in Sabbato, dicens, *quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior eſt homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere. Matthæi* 12. 11. Tali diſcite exemplo, nulla diebus feſtis facere opera, quæ non ſint evidenter licita. Quod ſi licita non ſint, vel dubitari poſſit, an licita ſint: ab iis abſtinete, ne aliis occaſionem admirationis & ſcandali præbeatis. At diebus feſtis non ſolum abſtinendum ab operibus ſervilibus; *ſed etiam pietatis operibus ſedulo vacandum.*

## TERTIA PARS.

*Feſtis diebus inſiſtendum pietatis operibus.*

Dixit Chriſtus Diſcipulis: *vos aſcendite ad diem feſtum hunc.* Omnes ſimiliter Chriſtiani diebus feſtis aſcendere debent, non deſcendere: deſcendunt hi, qui illis diebus vanitati, laſciviæ, gulæ, & aliis peccatis indulgent: aſcendunt vero, qui hiſce diebus orationi, meditationi, pœnitentiæ, aliiſque piis operibus vacant. Non eſt autem his diebus deſcendendum & declinandum ad peccata; ſed ad Deum per hæc, & alia pietatis opera aſcendendum; *Dominico die ab omni peccato, & a labore terreno ceſſandum, atque omni modo orationibus, aliiſque piis operibus inſiſtendum. Ut ſi quid negligentia per ſex dies agitur, die Dominico, precibus, aliiſque piis operibus expietur. S. Gregor. Mor. lib. 11. Epiſt. 3.*

*Multi* tota ſeptimana a Deo & rebus ſalutis quaſi peregrinantur: *Multi* omnibus diebus non feſtivis ad aliena a ſalute vagantur; ac cum filio prodigo vadunt ad regionem longinquam, vadunt ad vanitates, ad curioſitates, ad iniquitates, & ad ea quæ longe a rebus ſalutis aberrant. *Multi*, præfatis diebus, totos ſe dedunt lucro, deliciis, curis, ſollicitudinibus, filiis, conjugi, carni, mundo. Quare, ſaltem diebus feſtis, ad ſe redire debent, & cogitare ubi ſint, quam longe a Deo receſſerint; a quo, & in quem finem creati ſint; quantum ab eo deviaverint, & quomodo in gratiam a Deo patre ſuo recipi poſſint: ſaltem feſtis diebus, ut ad Deum redeant, peccata ſua deteſtari, auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio intereſſe, & aliis piis operibus vacare debent.

Jacob, cum ſerviſſet ſocero ſuo Laban annis quatuordecim, facultatem adeundi ſua ab eo petiit, his verbis. *Tu noſti, quocumque ſervierim tibi, juſtum eſt igitur, ut aliquando provideam domui meæ. Geneſ.* 30. 29. Cui, quæſo, plerique ſerviunt profeſtis diebus? mundo ſane, ac etiam carni, & ipſi dæmoni. Nonne ergo juſtum eſt, ut ſaltem die ſeptimo, vel quocumque alio feſtivo die ad ſua, ſeu ad ea quæ animæ ſuæ ſunt, redeant? nonne æquitati conſonum, ut iſtis ſaltem diebus totos ſe pietatis operibus dedant?

Mulierem inclinatam, quæ ſurſum aſpicere nullo modo poterat, erexit Chriſtus die Sabbati. Præclare adnotavit S. Gregorius, hanc mulierem inclinatam, eſſe figuram hominum peccatorum, qui *dum deſideria inferiora ſequuntur, a mentis ſuæ rectitudine curvantur. S. Gregorius homil. 31. in Evang.* Hujuſmodi homines curis, & negotiis ſæcularibus gravati, eoque pondere quaſi incurvati, tota ſeptimana terram dumtaxat aſpiciunt, & terrena pro victu, veſtitu, familia, conjuge, ac liberis ſollicite quærunt: quare ſaltem Sabbati noſtri die, ſeu die Dominica, aliiſque diebus feſtis erigere ſe debent, cælum

& di-

& divina his diebus ſedulo debent contemplari, pietatiſque operibus totaliter incumbere.

Hoc quidem debent hujuſmodi homines; ſed & hoc debent omnes penitus Chriſtiani: omnes etenim tenentur ad ſanctificanda feſta; & ſicut in veteri lege cuilibet Judæo dicebatur: *memento, ut diem Sabbati ſanctifices: Exod. 20.* ita & in nova cuilibet Chriſtiano dicitur: memento, ut diem Dominicam & alia feſta ab Eccleſia inſtituta ſanctifices: Quomodo autem ſanctificantur feſta, niſi per opera pia quæ in iis fiunt? hic eſt modus quo ſanctificantur feſta; quia ut ait Doctor Angelicus: *in lege Domini ea dicuntur ſanctificari, quæ cultui divino mancipantur. Divus Thom. 2. 2. quæſt. 122.* Unde in Jure Canonico habetur, quod *die Dominico nihil aliud agendum, niſi Deo vacandum.* Quod autem ibi de die Dominico dicitur, de omnibus feſtis ab Eccleſia inſtitutis eſt etiam intelligendum: in iis enim ſicut in die Dominico, ſoli Deo vacandum & bonis operibus incumbendum. Opera autem pia, quibus his diebus inſiſtendum eſt, multa ſunt, quorum aliqua hic recenſebo.

*Primum, eſt auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium, De conſecr. Diſt. 3. cap. jejunia:* cui ex Eccleſiæ præcepto & ſub mortali adeſſe tenentur fideles; ita ut ſi quis vel ſemel in die feſto Miſſam non audierit, peccat mortaliter, niſi neceſſitas, vel alia legitima cauſa excuſet. Et in hoc plerumque peccant ruſtici, qui negotia in profeſtis diebus advenientia, in proximam Dominicam, vel in immediate ſequens feſtum differunt; & tunc, non ad Eccleſiam, ut Miſſam audiant, ſed ad temporalia ſua negotia properant. In hoc etiam peccant multi ex pigritia, ex negligentia; vel quia tarde e cubiculis ſurgunt, vel quia ad Eccleſiam aliquantulum diſtantem ire renuunt. In hoc tandem peccant patres familias, qui filios & domeſticos ad Eccleſiam non mittunt, ut ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio feſtis diebus interſint. Primum ergo pietatis opus, cui diebus feſtis vacandum, eſt Miſſæ auditio.

*Secundum, eſt dolor de peccatis:* quem quiſque ſingulis diebus elicere quidem debet, ſed præcipue in diebus feſtis: in iis enim quiſque accuratius ſuam luſtrare debet conſcientiam, adnotare peccata, quibus inquinata eſt, & de iis dolere. Judæis præceptum erat, ut diebus ſabbati ſuas per dolorem de peccatis affligerent animas: *Sabbatum requietionis eſt, & affligetis animas veſtras: Levit. 16. 31.* cur hoc etiam non faciant feſtis diebus Chriſtiani? cur tunc actum doloris de peccatis non elicient? certe ad id tenentur Chriſtiani. Immo, ſi ſapiant, ſua his diebus peccata per pœnitentiam delebunt, & ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento reficientur. Hoc regulariter faciunt nonnulli Chriſtiani; & hoc facere debent omnes, quantum fas erit, ut horum Sacramentorum receptione ſanctificatur, & cæleſtis gratiæ theſauros colligant.

*Tertium, eſt meditatio;* iis enim præcipue diebus meditationi inſiſtere debent, qui meditationis callent regulas. Iis diebus mente revolvenda Dei in nos beneficia, formidanda ejus judicia, terribilia inferni ſupplicia, deſideranda Paradiſi gaudia, & alia myſteria, quorum meditatio ad rectius vivendum adducere ſolet. His præcipue diebus,

*Mors tua, mors Chriſti, fraus mundi, gloria cœli,*
*Et dolor inferni, ſunt meditanda tibi.*

Sicut in veteri lege animalia, quæ non ruminabant, cenſebantur immunda, ita in nova qui fervent meditatione, Religionis Chriſtianæ myſteria non ruminant, in horrendas criminum immunditias facile labuntur: quare ſaltem feſtis diebus meditationi eſt vacandum.

*Quartum, eſt oratio vocalis:* Ut enim ait Sanctus Bernardinus Senenſis: (talibus diebus communiter ad aliquas orationes vocales fundendas adſtricti ſumus per præceptum de Sabbato ſanctificando, & per præceptum de Deo colendo, & honorando; quia ſine tali ratione non poteſt debite Deo mens feſtare, nec ipſum debite colere, debitaſque ei gratias agere. Proinde debet populus convenire ad Eccleſiam, quæ proprie locus orationis eſt; & ibi orare ſine omni ſtrepitu, etiam labiorum, quantum fas eſt, ne vox vicinum orantem, vel Presbyterum celebrantem lædat; quia Deus plus affectu, quam voce pulſandus eſt. *Ibid.*) His diebus non audiendi cantus vani & theatrales; ſed *Hymnis, Pſalmis, & ſpiritualibus Canticis eſt inſiſtendum.*

*Quintum, eſt auditio verbi Dei. De conſecrat. Diſt. 3. cap. jejunium.* Hic eſt panis, quo paſcuntur animæ: quare ſaltem ſumendus diebus feſtis, in quibus a Paſtoribus diſtribui ſolet: Certum eſt, quod ignari his diebus verbum Dei audire, & prædicationi aſſiſtere debent, ut de credendis, faciendis, & ſperandis erudiantur. Sed & aſſiſtere debent alii, ut excitentur ad declinandum a peccatis, ad recte vivendum, & ad ſaluti invigilandum; hoc etiam debent, ut beatitudinem æternam obtineant; quia *beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

Ecce quibus operibus inſiſtendum diebus feſtis. Tunc non vacandum pompis & vanitatibus, non conviviis & comeſſationibus, non choreis & ſaltationibus, non cupiditis & libidinibus, non contentioni & litibus, non temporalium rerum commercio, nec aliis ſæculi vitiis & negotiis; ſed his diebus altiſſimo altaris Sacrificio reverenter aſſiſtendum: his diebus dolor de peccatis eſt eliciendus; his diebus divinorum meditationi eſt ferventer adhærendum, vocali oratione cœlum eſt pulſandum, verbum Dei humiliter audiendum, pauperes cibandi, viſitandi qui in carceribus clauſi detinentur, afflicti conſolandi, & alia pietatis & charitatis opera facienda.

Hæc ſunt opera, quibus incumbere ſoliti erant primi naſcentis Eccleſiæ Chriſtiani, ut docet Origenes; *Orig. hom. 6. in Exod.* hæc ſunt opera, quibus ſelecti quidam hujuſce temporis Chriſtiani omni tempore vacant, & hæc ſunt opera, quibus omnes penitus Chriſtiani, ſaltem feſtis diebus, inſiſtere debent. Sed, heu! in his diebus ſanctificationis plerique operibus non ſanctis ſe dedunt.

Dicite, quæſo, quid agere ſoleant homines his diebus? nonne plus vino indulgent, quam aliis diebus? nonne tunc frequentius cauponam adeunt? nonne in iis magis effrænatus eſt gulæ, vindictæ, & libidinis affectus? certe in his ſanctificationis diebus, majori conatu ad illicita properant. Sed quid in his diebus agere ſolent mulieres? Tunc incedunt ornatæ,

tæ,

Digitized by Google

tæ, ut ſimilitudo templi, vel potius ut ſimilitudo Veneris. Tunc altera alteram in vanitatibus ſuperare contendit; tunc profana ſumunt veſtimenta, & ampliori cultu adverſus Chriſtum inſurgunt: tunc choreis, ſaltationibus, & vanis, maliſque hominum concentibus interſunt; tunc videre & videri, amare & amari quærunt; tunc tandem non piis, ſed vanis, iniquis, & ſæpe peſſimis rebus vacant.

O viri, o mulieres, ſiccine feſtos dies ſanctificatis? ſiccine cultum Deo, his diebus debitum exhibetis? Timete, ne iraſcatur furor illius: timete, ne exardeſcat ira ejus: timete, ne temporalibus & ſpiritualibus bonis vos privet: timete, ne temporanea & æterna pœna vos plectat: Ut tot malis occurratis, feſta ſanctificate; feſtis diebus a peccatis abſtinete, ab opere ſervili ceſſate, bonis operibus inſiſtite; dabitque Deus vobis gratiam in hoc mundo, & gloriam in alio. *Amen.*

## F E R I A IV.

## POST DOMINICAM PASSIONIS.

# DE DETRACTIONE.

*De bono opere non lapidamus te; ſed de blaſphemia.* Joann. 10.

IN præſenti ſæculo nequam, ita hominibus placere ſolet detractio, ut pleriſque urbanitas & verborum lepor videatur. Tanta hoc ævo mentis humanæ eſt perverſitas, ut plerumque ſtolidi & ſtupidi cenſeantur viri illi pii, qui in hominum converſatione ſilere malunt, quam proximi famam dilaniare; illi vero eleganti, peracuto, & quaſi divino pollere dicantur ingenio, qui verbis ſelectis, & exquiſitis, quidquid mali, & ſiniſtri in regnis, in provinciis, in urbibus, in familiis, immo & in ipſis cordibus hominum reperitur, aperire, delineare, & aggravare ſciunt: ac etiam qui actiones ſanctiſſimas, linguæ veneno inficere, & ibi malum fingere norunt, ubi nulla mali ratio, ſed omnis virtutis ſpecies elucet.

Exitioſum hunc de aliis detrahendi morem damnavit Chriſtus, ſed non extirpavit; cum etiam adverſus illum linguas ſuas hodie ſolvant nonnulli maledici, detractores, & calumniatores, qui eum blaſphemiæ accuſant: *de bono opere non lapidamus te; ſed de blaſphemia.*

O quantum malum detractio, quæ Chriſtum, qui de nullo argui poteſt peccato, hodie temere aggreditur! ſed o quam neceſſarium de ea palam diſſerere, ac vitii hujus malitiam propalare; ut quiſque linguæ ſuæ frænum, & ori ſuo cuſtodiam ponat, ne declinet in verba proximi famam denigrantia. O Domine, aperi os meum, ignita da mihi verba, ut utilem de detractione ſermonem inſtituam, &c. *Ave.*

NON immorabor in explicanda detractionis natura: norunt enim omnes, quod detractio nihil aliud ſit, quam alienæ famæ injuſta imminutio. Unde ille detrahere dicitur, qui alterius famam quomodocumque minuit, ſive hoc faciat imponendo ei crimen falſum; ſive exaggerando crimen verum, vel falſum; ſive manifeſtando crimen occultum; ſive opus rectum ſiniſtre interpretando, ſive alterius dotes extenuando, ſive etiam frigide, & ſimulate laudando: quia, ut præclare dixit Gellius: *Turpius eſt exigue, atque frigide laudari, quam inſectanter, & graviter vituperari. Gell. lib. 19. A. 1.*

Nec ſemper lingua & verbis opus eſt, ut alteri detrahamus, ejuſque famam imminuamus, & auferamus: quia detractor ſæpe proximum plus denigrat maligno ſuo ſilentio, uno capitis nutu, ictu uno oculi, unico geſtu malitioſe elaborato, leni riſu, vel etiam ſola ſcapularum elevatione; quam ſi aſperà multorum verborum inſectatione, illius famam minuere contenderet. Sed quocumque modo fiat detractio, ſive verbis, ſive nutibus, ſive palam, ſive clam, eſt ſemper peccatum; & ut ait Sanctus Laurentius Juſtinianus, *eſt peccatum commune, grande, & exitioſum.* Detractio, *eſt peccatum commune*; cum vix reperiatur qui a detractione ſit liber: *eſt peccatum grande*; cum ex natura ſua ſit mortale, & inter mortalia grave: *eſt peccatum pernicioſum; Laurent. Juſtin. de vita ſolit. cap.* 4. cum ex eo innumera mala oriantur.

Placet hoc præfati Patriarchæ oraculum, ejuſquè verbis ad recte diſtribuendam hujus concionis materiam utar; ac dicam, detractionem eſſe: 1. Peccatum commune: 2. Peccatum grande: 3. Peccatum pernicioſum. Detractio, eſt peccatum *commune, grande, & pernicioſum.* En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Detractio eſt peccatum commune.*

SIcut loqui eſt homini naturale: ita & homini, de aliis loqui, dulce & jucundum eſt: *nihil dulcius, quam de aliis loqui. Sanctus Gregorius Nazianzenus.* Neſcio, an maligna, & quaſi innata nobis hæc de aliorum vitiis loquendi voluptas a ſuperbia, vel ab invidia originem ducat: *a ſuperbia*, quæ nos tunc ſublimari ſuadet, cum deprimuntur alii: *vel ab invidia*, quæ ex ingenita ſua indole aliorum felicitati inſidias parare delectatur. Sed quocumque ex loco oriatur illa de aliorum vitiis loquendi libido & voluptas, cum omnibus fere hominibus quaſi innatam eſſe conſtat; omneſque ex nativa propenſione ad detrahendum proclives eſſe, certum eſt: quare cum difficile naturæ propenſioni reſiſtatur, ea omnes fere homines ad detrahendum alliciuntur. Quod & in nobis ſæpe experimur: innata enim hac propenſione ducti, *jam* cum impetu, & in ſermonis fervore innumera proferimus verba, quorum malignitatem tunc ſolummodo percipimus, cum prolata ſunt, & damna irreparabilia intulerunt: *jam* cum ſpiritus impetu; ſed magna cum cordis malitia & arte venena ſuaviter infundimus, & prius laudamus, quorum deinde vitia manifeſtamus. Atque ut nos ſine ratione loqui non credatur, prætextus & ſpecioſas adducimus rationes, ſumptas ex zelo ſalutis, ex juſtitiæ amore, ex mera compaſſione, vel ex dolore quo angimur, ob crimen in Deum perpetratum: nunquam tandem deſunt rationes apparenter piæ & juſtæ, quæ innatæ

tæ noſtræ faveant propenſioni. Quare & rationibus hujuſmodi, & naturali inclinatione ducti, omnes fere homines detractioni ſe dedunt, hocque vitium ita inter homines fit commune, ut, teſte Angelico Doctore, hoc unico vitio totum genus humanum in magno ruinæ & damnationis periculo verſetur: *hoc ſpecialiter vitio periclitatur totum genus humanum. D. Thom. 2. 2. quæſt. 73. artic. 2.*

Non ſolum ex innata nobis propenſione, & ſpecioſis rationibus, quibus detractionum noſtrarum apologiam facimus, ad detrahendum ducimur; verum & ex maxima facilitate, qua detractio fieri ſolet. Non facile occiditur Inimicus, inquit Sanctus Chryſoſtomus; *tum*, quia ſæpe is longe diſtat; *tum*, quia opportunum non adeſt tempus; *tum*, quia omnia loca ad tantum facinus perpetrandum non ſunt apta; *tum*, quia cautiones ſunt adhibendæ; *tum*, quia omnia arma ad mortem inferendam non ſunt idonea; *tum*, quia omnia vulnera non ſunt lethalia. Sed ad auferendam proximi famam unicum proferendum eſt verbum, quo nihil facilius: quantumvis enim diſtet is de quo detrahis, fama ejus eſt ubicumque ſunt perſonæ, quæ illum noverunt; & ideo nullus eſt fere locus, in quo eam facile dilaniare non valeas. Ad illud faciendum diuturno non eges tempore, unum momentum ſufficit; & mox ut de aliquo detrahere voluntas noſtra decrevit, ejus decretum lingua executioni mandat: præceptum etiam non ſpectat lingua, quin ſæpe ſæpius plura dicit quam velimus, & a nimia loquendi, & de aliis detrahendi facilitate quam habet, nemini parcit, omnes denigrat, ac omnium famam verbis iniquis minuit, & ſæpe penitus aufert. Quare cum omnibus fere hominibus innata quædam ſit ad detrahendum propenſio, tantaque ſit detrahendi facilitas; hinc fit, quod detractio ſit peccatum maxime commune, quodque plerique hominum detractioni vacent, & in ſalutis periculum veniant: *hoc ſpecialiter vitio periclitatur totum genus humanum.*

Alia mihi occurrit ratio, qua detractionem apud homines eſſe communem quiſque fatebitur, camque deſumo ex benigno auditu, qui detractoribus præberi ſolet. Certum eſt, detractionibus jucundius nihil audiri; non ſolum ab impiis, qui cum aliorum aperiuntur vitia, ſua quodammodo fulciri, & aliorum exemplo minus pudenda fieri credunt: ſed etiam ſæpe a viris aliunde bonis, qui, cum de aliis detrahitur, probitatis ſuæ elogium fieri arbitrantur. Quare cum detractor certus ſit, quod detractionibus ſuis facilis & benignus præbebitur auditus, facile etiam in verba prorumpit, ac aliena quævis crimina, quamvis occulta, facile revelat. Et ob hanc cauſam, inquit Sanctus Paulinus in quadam ex præclaris quas conſcripſit epiſtolis, detractio eſt peccatum apud homines maxime commune; *hoc ideo malum celebre: idcircò in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur.* Si cenſerent detractores, ſe ægre audiendos, ſe objurgandos, vel charitate ab adſtantibus corripiendos; pauciſſimi de proximo detraherent: ſed quia certi ſunt, verba detractionis benigne & jucunde audienda: quia experientia norunt, quod eo ipſo quo aliquid proximi famæ noxium narratur, excitantur omnes a ſomno, plauſum dant plerique & arrident; multi ideo facillime aliis detrahunt; & ideo detractionis peccatum fit maxime commune: *hoc ideo malum celebre: idcircò in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur.*

Dici poſſet, pravum hunc detrahendi morem a malo etiam detractorum oriri exemplo, quo ad detrahendum trahuntur & ipſi veri juſti: ſed undequaque oriatur, certum eſt, nil in mundo detractione communius. Quæ enim urbs a qua exulet? ſeu potius, quæ urbs, quæ domus, quæ ſocietas in qua non regnet? nonne omnes urbes replentur viris turpi otio indulgentibus, quibus maledicere vivere eſt; & qui vicos & domos circumeunt, ut detrahendi materiam colligant, & mala quæ didicerunt, diſſeminent? nonne in qualibet domo & ſocietate reperitur aliquis homo mordax, cui ſemper aliquid ſiniſtri enarrandum in promptu eſt? nonne in ſocietatibus hi ſoli adſtantium captant benevolentiam, qui acute de aliorum defectibus loquuntur? certe hæc omnia fere hominum ſunt hodie colloquia: unde in hominum converſatione aut tacere, aut proximi famam lædere quaſi neceſſe eſt. Hinc fit, quod viri etiam pii, cum detractoribus nonnunquam detrahant, & detractionibus linguas ſuas ſolvant. Non loquor de hypocritis, qui pietatis ſpeciem habent, rem non habent: non loquor de viris illis, qui ſimulata pietate detractionum ſuarum malitiam contegunt; & qui, ut ait Sanctus Bernardus, cum de aliis maledicere volunt, alta præmittunt ſuſpiria, ac demiſſis ſuperciliis, vel voce plangenti ſuam emittunt detractionem, dicentes, *doleo vehementer, eo quod diligo eum ſatis, & nunquam potui hac de re corrigere eum. Et alias mihi quidem bene compertum fuerat iſtud, ſed per me nunquam innotuiſſet: & quoniam per alterum patefacta eſt res, veritatem negare non poſſum, revera ita eſt. S. Bernardus ſerm. 31. in Cant.* Non loquor, inquam, de viris illis, pietate ficta micantibus: ſed de viris illis, qui veræ & ſolidæ pietati operam dare profitentur: detractionis enim peccatum ita commune factum eſt, ut ad iſtos etiam pervenerit: & licet de aliis vitiis, non tamen de iſto triumphaverint: *tanta detrahendi libido mentes hominum invaſit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen quaſi in extremum diaboli laqueum incidant. S. Hieron. Epiſt. 14. ad Celant.*

Crediderim, quod viri qui pietatem chriſtianam profitentur, nolint aliorum virtutes in vitia convertere, nec crimina falſa viris innocentibus affingere. Iſti, ſi quomodocumque pii ſint, gravioribus detractionibus non ſe dedunt. Iſti non ſunt ſimiles peſſimis his detractoribus, qui, ut ait Sanctus Baſilius (fortitudinem audaciam appellant: modeſtum vero, ſine ſenſu hominem; juſtum, immitem & nimium ſeverum; prudentem, aſtutum; magnificum, vaſtum; liberalem, ut prodigum taxant; domeſtice frugalem, avarum dicunt; denique omnis virtutis ſpecies in vicina vitiorum nomina convertunt, nuſquam calumnia rebus laudatis deficiente. *Sanctus Baſilius homil. de invidia.*) ſed licet viri pii graves hujuſmodi detractiones & calumnias non proferant; tot tamen ſunt varii detractionum modi, ut difficillimum ſit, viros etiam aliunde vere pios, de aliis non detrahere. *Detrahimus* enim, cum crimen alicujus,

ſue, quod rumore dubio & incerto didicimus, tanquam certum referimus; *detrahimus*, cum crimen aliquod ſecretum revelamus, *detrahimus*, cum aliis manifeſtamus, quod nobis revelatum eſt, *detrahimus*, cum notorium facimus crimen, quod a paucis ſciebatur, *detrahimus*, cum occultum alicujus crimen, vel uni ex intimis familiaribus cum fiducia aperimus, *detrahimus*, cum alicujus ſcelus, quantumvis notorium, aliqua cum exaggeratione refferimus; vel cum aliquam gravem circumſtantiam, quæ ab adſtantibus ignorabatur, addimus; vel etiam cum circumſtantiam, ſcelus minuentem reticemus, *detrahimus*, cum aliorum dotes, facinora, & præclara geſta in quibuſdam caſibus tacemus, minuimus, vel ita tepide laudamus, ut occaſionem ea minus faciendi præbeamus: tot tandem varii ſunt detrahendi modi, ut vix fieri poſſit, homines, etiam piæ & ſpiritualis vitæ ſectatores, aliquo ex his modis non detrahere, & proximi famam non minuere: *tanta detrahendi libido mentes hominum invaſit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen quaſi in extremum diaboli laqueum incidant*.

O quam commune eſt detractionis peccatum! ad quod ex nativa propenſione trahimur, quod facillime, & aliqua cum voluptate perpetramus; quod in omni loco, in omni tempore, & in omni caſu committi poteſt; & quod non ſolum a viris deſidioſis, ab iracundis, & ab invidis; verum & a perſonis chriſtianam pietatem profitentibus ſæpe admittitur. Maxime quidem in hoc ſæculo communis eſt detractio; & ideo ſummo ſtudio quiſque vigilare debet, ut in hunc diaboli laqueum non incidat. Heu! quid prodeſſet, te avaritiæ eſſe expertem; a gulæ ſpiritu te eſſe liberum; te de ſuperbia, de acedia, & de aliis vitiis triumphaſſe; ſi ultimo ſuo laqueo te caperet diabolus, & ad tartara traheret? cave ab hoc laqueo: ſumma cura & ſollicitudine vigila, ne in detractionis verba lingua tua declinet. Non ſatis tibi ſit, toto quadrageſimali tempore accurate jejunare, aliena non retinere, proprias facultates pauperibus erogare, & piis multis operibus incumbere; ſed & extremum laqueum, quo innumeros homines diabolus capit, ſedulo devita: cave, ne de aliis detrahas. Ut enim ait Sanctus Chryſoſtomus: quid tibi prodeſſet vigilare, jejunare, & alia pia opera facere; ſi lingua tua fratrum tuorum ſanguine inebriaretur; & ſi eorum carnibus veſceretis, eos detractionibus tuis dilaniando? certe hoc parum tibi prodeſſet. Fuge ergo a detractionis peccato, quod commune eſt, *& quod etiam grande eſt*.

## SECUNDA PARS.

*Detractio eſt peccatum grande.*

QUamvis Dei odium, hæreſis, blaſphemia, & alia nonnulla crimina ſint detractione graviora: detractio tamen eſt peccatum ex natura ſua mortale, eſtque ſemper peccatum inter mortalia grave, niſi materiæ levitas, inadvertentia, aut nimia mentis & ipſius linguæ præcipitatio excuſet, illudque leve efficiat.

Ut detractionis gravitatem aliqui exprimant, eam cum homicidio conferunt; quia ille de quo detrahitur, in mente illius qui detractionem audit, occiditur, in qua prius vivebat per bonam famam. Nonnulli dicunt, detractione perpetrari homicidium, quod aliquando corporali eſt gravius: quia homines aliquando reperire eſt, qui vitam corporalem perdidiſſe mallent; quam famam, quæ detractione ipſis ablata eſt: & hujuſmodi erat Divus Paulus, qui mori malebat, quam famam perdere, dicens, *bonum eſt enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*. 1. *Cor*. 9. 15. Dicunt alii, detractione fieri homicidia corporalibus graviora, & periculoſiora: quia unius detractione, multorum animæ nonnunquam interficiuntur: *unus eſt detractor qui loquitur, & unum verbum tantum loquitur: & tamen unum verbum in eodem momento; multitudinis audientium dum aures transfigit, animas interficit*. *S. Bernard. in Epiſt. S. Joann.*

Non auſim aſſerere detractionem, per ſe loquendo, eſſe malum homicidio corporali gravius, certum tamen eſt, eam eſſe ex genere ſuo peccatum mortale, furto gravius. Ut enim Sanctus Ambroſius: *tolerabiliores ſunt fures qui veſtes & alia bona diripiunt, quam fures, qui famam noſtram bonam dilaniant*. Cujus rei ratio hæc eſt; quia, ut ait Salomon: *melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*: *Proverb*. 22. 1. quare qui nomen bonum alicui aufert, magis ei nocet quam ſi multas ei divitias furaretur. Vel, ut ratiocinatur Doctor Angelicus, tanto peccatum majus eſt, quanto majore bono injuſte privat: detractio autem majori bono privat, quam furtum; quia detractio privat fama, quæ majus eſt bonum, quam divitiæ temporales quibus privat furtum: quare fatendum detractionem ex genere ſuo eſſe malum furto gravius. *D. Thom*. 2. 2. *quæſt*. 83. *art*. 3. Quod autem fama ſit majus bonum, quam divitiæ temporales, conſtat ex Salomone, qui in Proverbiis ait: *melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*. Et in libro Eccleſiaſtici dicit. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi & magni*. *Eccli*. 41. 15. Ex hoc infert Sanctus Bernardinus, quod detractio, per ſe loquendo, *eſt mortaliſſimum peccatum*. *S. Bernard. ſerm. de detr. tom*. 2.

Ex jam dictis conſtat, detractionem eſſe grande peccatum; cum privet illa fama quæ tanti fit ab hominibus, & quam deperditam multi non ſolum divitiis ſuis, verum & pretio ſanguinis ſui redimere ambirent. Sed detractionis gravitas magis adhuc elucebit, ſi inſpiciamus perſonas quam aggreditur: ut enim docet Divus Thomas, *ex perſona ejus contra quem aliquis loquitur, aggravatur peccatum*; *Div. Thom. in Pſalm*. 49. detractores autem variis ſuis linguis aggrediuntur, & dilaniant famam non ſolum ruſticorum, ſed etiam Magiſtratuum, Nobilium, Principum & Regum; linguas ſuas acuunt, & laxant adverſus Sacerdotes, Religioſos, Epiſcopos, & viros quoſque pietate inſignes. Quid dico Epiſcopos, & Reges? Ipſum etiam Chriſtum, Deum ſimul & hominem, denigrare conantur. Quis enim neſciat, eum a Judæis inique fuiſſe calumniatum, velut vini potatorem, peccatorem, Samaritanum, & dæmoniacum? Nec ſolum in Chriſtum adhuc mortalem, & cum hominibus in terra verſantem, igneas detractionis ſagittas

tas

tes vibrarunt, ſed & illum in cælo jam immortalem calumniis & detractionibus perſequuntur: *iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Poſuerunt in cælum os ſuum. Pſalm. 72. 8.* O quantum malum eſt detractio, qua tot & tantæ perſonæ feriuntur! Sed ejus malitia mihi adhuc maxima videtur ex hoc, quod directe opponi videatur charitati.

Noſtis, charitatis ingenium & characterem hunc eſſe, quod aliorum crimina operiat: *univerſa delicta operit charitas. Proverb. 10. 12.* Charitas peccata operit eorum, quos amat; & quia omnes amat, omnium peccata operire conatur: cum autem ea operire non poteſt, illa excuſat, illa minuit; & ſi actiones excuſare nequeat, excuſat ſaltem intentionem. Sed detractio totaliter opponitur charitati; iſta aliorum peccata operit, & illa ea aperit; iſta excuſat, illa accuſat; iſta ea minuit, & illa ea auget, ac omnibus ea nota facere contendit; quandoque verbis communibus, ut ait Sanctus Bernardinus; *ibid.* quandoque verbis apertis, quandoque deriſionibus, quandoque nocturnis ſibilis; quandoque ſimulatis, atque mutatis vocibus & loquelis; quandoque nutibus & ſignis; quandoque libellis famoſis & ſcriptis, hinc inde diſperſis; quandoque canticulis, quandoque libris aut epiſtolis; & ſicut charitas omnibus modis ſibi poſſibilibus aliorum peccata occultat; ita detractio omnibus modis ea manifeſtare pertentat. O quam grave illud detractionis peccatum; cum charitati omnium virtutum Reginæ, ita opponatur.

Charitatis hoc proprium eſt, quod non judicet quemquam, quod in nullo advertat malum, quodque nullus ei proponatur ita malus, de quo aliquid boni non dicat, & cujus peccata non excuſet. Detractores vero ſunt homines perverſi, ſimiles Phariſæis, qui de omni quod vident, male judicant; qui omnia ſiniſtre interpretantur; qui de omnibus viris, quantumvis piis, aliquid mali dicunt, & virtutes in vitia convertunt. Quod præclare adnotavit Sanctus Chryſoſtomus, dicens: (detractores, de omni quod vident, malum judicant: ſi quis vacat humilitati, hypocrita eſt: ſi recreationi, guloſus eſt: ſi patientiæ, timidus eſt: ſi juſtitiæ, impatiens eſt: ſi ſimplicitati, fatuus eſt: ſi prudentiæ, malitioſus eſt: ſi maturitati, flegmaticus eſt, ſeu fantaſticus: ſi jucunditati, diſſolutus eſt: ſi Religioni, ſingularis eſt: ſi ſocietati, ſecularis eſt: ſi ſilentio & paci, diſſimulator eſt: ſi aliorum correptioni, præſumptuoſus eſt: ſi vigiliis & orationibus, indiſcretus eſt: ſi communi dormitioni, ſomnolentus eſt: ſi prædicationi & aliorum ſaluti, appetitor laudis eſt: ſi deſiſtat, negligens & remiſſus eſt: ſi habeat gratiam hominum, adulator eſt: ſi adulari renuit, ſuperbus eſt. *Apud S. Bernard. ubi ſup.*) O quam grande detractionis vitium! ſupra modum grande eſt: cum tantopere opponatur charitati, ſine qua omnis alia virtus eſt inutilis, & ſine qua nullus ſalvari poteſt. Sed hujus peccati gravitatem maximam eſſe, quiſque etiam dignoſcere poterit ex ſpeciali pœna, qua punitur in inferno.

Dives epulo ultra pœnam damni, qua ſumme affligitur, & ultra pœnam ignis, qua graviſſime cruciatur, ſpecialem in lingua ſua pœnam patitur: quia lingua ſpecialiter in Lazarum peccaverat: *in lingua majus ſenſit incendium; quæ maledixit pauperi, miſericordiam contradixit. Chryſolog. ſerm. 66.* Avaro diviti ſimilis detractor, triplici pœna plectitur in inferno: ibi enim pœnam damni ſuſtinet; quia Dei viſione in æternum privabitur: ibi etiam pœnam ſenſus patitur, ſimul cum aliis reprobis. Sed ibi tandem ſpecialiter in lingua cruciatur; nam *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur; Sap. 11. 17.* & ideo cum lingua detractor peccaverit, in lingua gravius torquebitur.

De quodam viro, detractionibus ſumme dedito, narratur, *Cantipr. lib. 2. cap. 37.* quod ante mortem in furias inciderit, & propriam linguam dentibus dilaniaverit; palamque dilaceraverit. Horrebant & tremebant omnes ſtantes, ac dicebant, hoc juſto Dei judicio fieri, quia hic lingua ſua peccaverat. Sed o quam majorem in lingua ſua pœnam ille & alii detractores patientur in inferno! ſi enim detractionum ſuarum pœnitentiam non egerint, & proximo, cujus famam læſerunt, in hoc mundo non ſatisfecerint, non ſolum communibus omnium damnatorum, ſed etiam ſpeciali in lingua ſua plectentur pœna. Quare o N. N. *a detractione parcite linguæ: Sap. 1. 11.* cavete a detractionibus; veſtras ſedulo frænate linguas, ne detractionibus ſe dedant; ac ſummo affectu detractionis peccatum fugite; quia grande eſt, *tum*, quia mortale eſt ex ſua natura: *tum*, quia eſt contra juſtitiam & furto gravius: *tum*, quia charitati maxime adverſatur: *tum*, quia graviſſime in inferno punitur. Sed ſi vitanda detractio, quia grande peccatum eſt: vitanda etiam, *quia peccatum eſt exitioſum*.

## TERTIA PARS.

*Detractio eſt peccatum pernicioſum.*

DEtractio non ſolum eſt malum ex ſe & in ſe grave; ſed eſt etiam malum exitioſum reſpectu aliorum: quia proximo infert: 1. damna multa: 2. damna irreparabilia.

1. Quis dinumerare poſſet damna quæ ab initio mundi intulit, & quæ quotidie infert detractio? quis dicat, quot audientes illam nimia cum complacentia, ad tartara traxit? quot inſontes denigravit? quot familias perturbavit? quot diſcordias ſeminavit? quot lites, quot jurgia, quot bella, quot homicidia cauſavit? Quis enarret, quot mala, & quot alia damna mundo inferat? certe qui hæc omnia enarrare ſuſciperet, nunquam dicendi finem attingeret. Aliqua tamen ex innumeris damnis quæ infert detractor, recenſet Sanctus Bernardinus his verbis:

(Omnia mundi ſcelera, omnes iniquitates, & quaſi omnes hæreſes, ſchiſmata & impietates ex lingua tetra habent originem. O igitur lingua nequam, lingua tetra detractoris! o furia infernalis! o impia odii & invidiæ proles! o peſtifera lepra! Tu es quæ diſcordias ſeminas, tu ſola conculcas bonos, diffamas juſtos, paris ſcandala, perjuria, & falſa teſtimonia; tu accuſationes iniquas multiplicare non ceſſas; tu, lingua ſæva, punis inſontes, inter conjuges ſcandala ponis, infamas viduas, fallis & defloras virgines, tu pias & ſacras religiones confundis, ſimplices conſcientias turbas: tu rancores, tu jurgia, tu livores, iras & contentiones, rixas, contu-

Digitized by Google

tumelias & ſciſſuras ſuſcitare non ceſſas; tu diviſiones & partialitates nutris & lactas; tu ſola proditiones generas, incendia foves, homicidia patras; tu fratricidia, parricidia, matricidia, & cæteras crudelitates virulenta impietate committis: tu ſola, fœdera frangis, in conjurationibus occuparis, ſeparas amicos, multiplicas inimicos: tu ſola diſſipas civitates, & deſtruis regna; tu confoves tyrannos, tu charitatem extinguis, deprimis juſtos, magnificas impios, fidem deſtruis, ſpem quoque conſtringis, cæteras virtutes impia crudelitate perſequeris: in omnia ſcelera vivificas & extollis. Quid plura? tu Angelos in dæmones convertiſti, tu primos parentes noſtros, ac cum eis totum genus humanum de Paradiſo deliciarum ad temporales & æternas miſerias deſtinaſti. Demum Dei Filium tu ſola in crucis patibulo confixiſti. *Ibid.*) O Domine Deus, quot & quanta mala parturit detractoris lingua! Vel, ut loquitur Sanctus Chryſoſtomus: *Quodnam mali genus eſt, quod non a detractione oriatur? ex ea odia pullulant; ex ea diſſidia ortum trahunt; ſuſpiciones malæ hinc procreantur, quæ innumeris malis cauſam præbent. Denique quæcumque mala quiſquam cogitatione complecti poſſit, omnia ea a detractione proficiſci reperiet. S. Chryſoſtom. homil. 3. ad pop.* O quam perniciosa eſt detractio, quæ tot damna cauſat! ſed eſt etiam pernicioſa, *quia damna cauſat irreparabilia.*

1. Omnibus Chriſtianis, ſi ſui muneris penitus ignari non ſint, notum eſt, detractores qui alterius famam minuerunt, ad illius reparationem teneri nec criminis ſui veniam obtinere poſſe, niſi ablatam aliorum famam, quantum fas erit, reſtituant; quia *non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. S. Auguſt. Epiſt. 54. ad Maced.* Non ſufficit, quod quis Confeſſario fateatur, ſe dixiſſe hanc adoleſcentulam non eſſe ita caſtam ut æſtimatur, hunc mercatorem eſſe fraudulentum, hunc advocatum eſſe ignarum, & hunc concionatorem eſſe diſſolutum; ſed inſuper reſarcienda damna, quæ huic adoleſcentulæ, huic mercatori, huic patrono, & huic concionatori intulit. Nec aliquis confeſſarius, quantalibet auctoritate polleat, ne quidem Summus Pontifex detractorem a reſtitutione famæ diſpenſare valet.

Sed quomodo deperditam famam quis reſtituet! *hoc opus, hic labor eſt.* Difficile, & quaſi impoſſibile eſt, ablatam alterius famam totaliter reparare; lingua enim vulnera facit, quæ difficillime ſanantur; & licet ſanentur, remanet tamen cicatrix: quia ſemel deperdita nunquam ita reparatur fama, quin aliquid fulgoris ſui perdat.

Quod ut indicarent antiqui, apologum, ſeu fabellam adducere ſoliti erant, dicentes: aquam, ignem, & famam longum iter aliquando ſimul ſuſcepiſſe; cumque timerent ne errantes, ab invicem ſepararentur, aquam & ignem dediſſe ſigna indicantia ubi eſſent, & ubi inveniri poſſent. Dixit enim aqua: ibi me ſemper invenietis, ubi juncos videbitis. Dixit ignis: ibi ſemper ero, ubi apparebit fumus. Sed fama igni & aquæ dixit: ſumma cura invigilate, ne a vobis diſcedam; quia ſi ſemel me amiſeritis, nuſquam amplius a vobis inveniar: qui enim famam ſuam perdidit, nunquam illam totaliter invenit & recuperat.

Velim, quod ablatam alterius famam ſummo affectu reparare ſatagas; quomodo, quæſo, in mente eorum qui te detrahentem audierunt, deſtrues fidem quam verbis tuis adhibuerunt? quomodo in cordibus eorum totaliter delebis opinionem malam, quam de eo quem infamaſti, conceperunt? excuſationibus & laudibus quibuſcumque eam non penitus delebis, quia, ut ait Sanctus Bernardinus, *Amplius lingua detrahentis nocet, quam excuſativa, ſeu laudatoria poſſit proficere; maxime cum homines proniores ſint ad credendum, & ad memoriæ commendandum mala, quam bona.*

Sed demus, te a mentibus eorum qui te audierunt, totaliter deleviſſe quidquid de proximi fama detraxeris; nondum tamen opus tuum conſummaſti, nondum ablatam alterius famam totaliter reparaſti: detractio enim tua longum perfecit iter, in regiones abiit longinquas: ab iis qui te audierant, ad eorum propinquos, ad amicos, & ad alienigenas tranſiit; quomodo autem iis omnibus innocentiam læſi demonſtrabis? Eſto ut illos omnes adeas, cunctiſque te calumniatorem, aut imprudentem fatearis; incertum eſt, an qui detractionibus tuis fidem adhibuerunt, ablatam famam reparare cupienti tibi credant; aut ſi credant, aliqua in mentibus eorum malæ ſuſpicionis opinio ſemper remanebit. Ut enim præclare dixit jam laudatus Sanctus Bernardinus, *remedium nunquam tantum proficit, quantum detractionis malitia officit.*

O quam difficile eſt ablatam alterius famam reſtituere! ſed quomodo reparabit detractor aliena damna quæ cauſavit? quomodo reparabit damna quæ in bonis fortunæ huic mercatori, huic patrono & aliis intulit, quia illos infamia adſperſit? quomodo reſarciet damnum, quod attulit vitæ ſpirituali tot audientium, quorum animas gladio linguæ interemit? quomodo reparabit damnum, quod intulit vitæ civili eorum, quos diffamavit? quomodo præteritis, futuris, longe diſtantibus, & omnibus apud quos vita quadam honoris & gloriæ antea vixerant, eos eſſe innocuos probabit, & ſuadebit? certe damna a detractione illata totaliter ſarcire, quaſi impoſſibile eſt; ſed ea detractor reparare debet, quantum & quomodo poterit, adhibito prudentis confeſſarii conſilio.

Hoc quidem agere tenetur detractor. Sed ubi ſunt, qui damna detractionibus ſuis cauſata reſarcire conentur? quotidie detractores audimus, famam proximi dilaniantes; & nullum videmus, qui damna illata reparare curet. Tantus labor, totque difficultates in reparatione damni per detractiones illati reperiuntur, ut vix inveniatur qui de tali damno reſarciendo curet: & ideo quamplurimi ob peccatum detractionis damnantur. O quam pernicioſum ergo detractionis peccatum! cum damna irreparabilia aufert: quare a ſermonibus, proximi famam vel minimum lædentibus, ſumma ſollicitudine cavete. Non ſufficit vitare ſermones quibus violatur juſtitia, & lethaliter proximi fama læditur; ſed abſtinendum etiam a verbis, & ab omnibus colloquiis, quæ vel in minimo charitati adverſantur.

Quicumque libenter de minimis aliorum defectibus loquitur, tandem aliquando graves aperiet, & magnis detractionibus proximum lædet. Statuat, quan-

quantum voluerit, frænare linguam, & illam a gravibus detractionibus cohibere: ſi tandem levibus ſeſe dedat, a levibus & minimis in graves paulatim incidet. Adde difficillimum eſſe, quod inter detractiones leves, gravis aliqua, aut ex ignorantia, aut ex inadvertentia non miſceatur; quæ licet non ſit peccatum mortale ob defectum conſiderationis & advertentiæ, detrahenti tamen reſtitutionis obligationem relinquit. Quare ſequimini conſilium ab hominum ſapientiſſimo datum, dicente, in ore ſeram, & in manu ſtateram ſemper eſſe habendam: *Ori tuo*, loquit, *facito oſtia & ſeras; verbis tuis facito ſtateram. Eccli.* 28. 29. Prudentia & circumſpectio, quaſi januæ & ſeræ eſſe debent, quibus ora noſtra omnibus verbis, detractionem tantillum redolentibus, claudantur: recta ratio debet eſſe ſtatera, qua omnia ponderentur verba, antequam ex ore exeant, ne aliquod proferatur, quod proximi famam minuat, & quod apud Deum debiti ponderis non inveniatur. Ponite hanc ſeram ori veſtro, hancque ſtateram in manibus ſemper habete; ſumma cura vigilate, ut nullus ex ore veſtro exeat ſermo, qui vel in minimo proximi famæ officiat: firmiter ſtatuite, aut tacere, aut nihil contra Deum & proximum dicere.

*Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ.* O Domine, quia tanta mea eſt infirmitas, ut mihi difficillimum, ac etiam impoſſibile ſit cavere ab omnibus detractionibus, ſi tuo non foveat auxilio; pone cuſtodiam & oſtium circumſtantiæ labiis meis, ut nunquam in detractionis verba declinent. O Domine, linguam mihi dediſti, ut laudarem te, benedicerem te, aliosque ad te benedicendum adducerem; da ut lingua mea te laudet, ac te benedicat nunc, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

## FERIA V.
## POST
## DOMINICAM PASSIONIS.

# DE MAGDALENA PECCATRICE.

*Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.*
Lucæ 7. 37.

Concionatores, qui Sanctorum peccata diſſimulant, & propalare renuunt, profanis ſimiles videntur Oratoribus; qui tunc Magnates denigraſſe credunt, cum vel minimos eorum defectus detexerunt. At longe aliter ſe habet Rhetorica Chriſtiana; quæ cum ab omni adulationis nævo ſit aliena, non minus peccata a Sanctis perpetrata, quam virtutes ab iis acquiſitas expandit. Nec ideo aliquam his Dei amicis injuriam irrogat, quin contra, tanto eorum auget gloriam, quanto peccata ab iis quondam perpetrata, & per pœnitentiam deinde deleta, clarius manifeſtat.

Nunquam procul dubio apertius patebunt crimina Sanctorum, qui aliquando peccatis obnoxii fuerant, quam in die judicii, in quo omnibus videnda exhibebuntur: nec tamen ideo tunc Sancti aliqua confundentur verecundia. Quin contra, tanto major tunc eorum erit gloria, quanto notiora & evidentiora erunt peccata, de quibus tandem generoſe triumpharunt, & quæ per pœnitentiam ſalutarem penitus extirparunt. Non ergo devotioni, & pio noſtro erga Magdalenam affectui repugnabit, ſi crimina ejus expendamus, & propalemus; ſed hoc in ejus potius honorem redundabit. Immo & hoc in majorem cedet gloriam Dei: qui tanto clementior, & benignior apparet, quanto graviora ſunt crimina, a quibus hanc mulierem, mediantibus divinæ gratiæ ſuæ auxiliis, liberavit. Magdalenæ ergo manifeſtemus peccata, & cum Evangeliſta dicamus, quod hæc fuerit *mulier in civitate peccatrix*. Sed prius, &c. *Ave.*

Vidiſtis nonnunquam apes, in horto variis floribus conſito volitantes; quæ nunc in uno, nunc in altero flore aliquantulum conquieſcunt; quæ nunc iſtum, nunc illum florem ſugunt; & quæ, ſive dulce, ſive amarum ſit, quod in floribus inveniunt, ex eo ſemper mel ſuaviſſimum conficiunt; quo nil dulcius in rerum natura invenitur.

Illas apes imitantur qui Sanctorum acta debito modo inſpiciunt, & ſcrutantur: hi enim vitam illorum, tanquam hortum, variarum virtutum floribus confertum contemplantur; atque jam humilitati, jam patientiæ, jam charitati illorum conſiderandæ quieſcunt, ut ex iis mel ſuum conficiant, ſeu ut ad eaſdem virtutes, quas in iis vident, ſectandas excitentur. Immo ſi aliquid turpe, & amarum in Sanctorum vita adnotent, ſeu ſi advertant, eos aliqua perpetraſſe peccata, quæ per pœnitentiam deleverunt; inde etiam mel ſuum conficiunt: quia inde magna, pœnitentiam ſuſcipiendi, motiva ſumunt.

Si totam Magdalenæ vitam hodie luſtrare liceret; in ea quiſque arduæ pœnitentiæ, humilitatis profundæ, & charitatis ardentiſſimæ videret exempla: quibus ad eaſdem virtutes ſectandas non parum concitaretur. Sed quia de iis alibi; vos nunc ſolum advoco ad perpendenda peccata quæ perpetravit, & quæ per pœnitentiam delevit: quorum contemplatione quiſque ad mel ſuum conficiendum; ſeu ad bene faciendum, non parum allici poterit. Videamus ergo peccatorum Magdalenæ naturam, cauſas, & remedia: videamus: 1. *Eorum naturam*, & ſperemus; 2. *eorum cauſas*, & timeamus; 3. *eorum remedia*, & iiſdem utamur.

## PRIMA PARS.

*Peccatorum beatæ Magdalenæ natura.*

Sicut in damnatis peccata, quæ per pœnitentiam non abluerunt, ſunt maculæ perpetuæ, quibus fœdantur, & denigrantur: ita in beatis peccata, quæ ſalutaris pœnitentiæ lavacro expiarunt, ſunt velut ornamenta, quibus in perpetuum decorantur & nobilitantur. Et ideo peccatorum Magdalenæ naturam & malitiam aperire non verebor: dicamque, quod peccatricis illius crimina fuerint: 1. gravia: 2. pudenda. 3. ſcandaloſa.

1. Magda-

1. Magdalena, *peccatrix* dicitur, non a verbis otioſis, mendaciis jocoſis, & aliis levibus in quæ incidit delictis: ſed a multis & gravibus peccatis quæ perpetravit, & quibus dedita fuit. Sicut enim Iſaias Propheta, ut uno verbo explicet multitudinem, & gravitatem peccatorum quibus obnoxia erat Synagoga, vocat eam peccatricem: *væ genti peccatrici: Iſaiæ* 1. 4. ita & Magdalena a ſancto Luca Evangeliſta vocatur *peccatrix*, quaſi dicatur peccatricem primiceria, & criminum habitaculum; quæ non in unum ſolum crimen, ſed in multorum, etiam graviſſimorum peccatorum abyſſum corruerat, & miſere lapſa erat.

De famoſa & notoria illa peccatrice, teſte Sancto Marco Evangeliſta, Chriſtus *ſeptem ejecerat dæmonia; Marc.* 16. 9. ſeu omnis generis vitia. Ut enim ait S. Gregorius: *Quid per ſeptem dæmonia, niſi univerſa vitia deſignantur? quia enim ſeptem diebus omne tempus comprehenditur, recte ſeptenario numero univerſitas figuratur: ſeptem ergo dæmonia Maria habuit, quæ univerſis vitiis plena fuit. S. Gregor. hom.* 33. *in Evang.*

Sicut ſunt ſeptem peccata capitalia: ita ſeptem ſunt dæmoniorum ſpecies, quæ nos ad illa peccata inſtigant, & provocant. Quidam enim dæmones ad ſuperbiam alliciunt; & hi vocantur *ſpiritus ſuperbiæ*. Quidam ad fraudes & dolos homines excitant; & hi dicuntur *ſpiritus mendaces*. Alii ad luxuriam, & impudicitiam trahunt; & appellantur *ſpiritus fornicationis*, vel *ſpiritus immundi*. Alii ad gulam impellunt; & nominantur *ſpiritus gaſtrimargiæ*. Alii ad acediam, & alii ad avaritiam homines movent; & iſti nuncupantur *ſpiritus acediæ, & ſpiritus avaritiæ*. Magdalena autem his omnibus malignis agitabatur ſpiritibus: peccatrix illa mulier his omnibus replebatur dæmoniis, quæ ad omnia vitia illam trahebant, & quæ illam gravibus quibuſque vitiis alligatam detinebant. O quam gravia perpetravit peccata infelix illa mulier! At peccata in quæ incidit, *fuere etiam pudenda, & turpiſſima*.

2. Licet Magdalena omnibus fuerit obnoxia peccatis, quibus aliqua mulier addicta eſſe poteſt; iis tamen præcipue incubuit, quæ luxuriam ſpectant: horrendis, pudendis, & infamibus illis adhæſit criminibus, quæ nec nominari deberent in nobis. Et certe illa nominare non auderem, niſi Sanctorum Patrum verbis uterer; qui Magdalenam vocare non verentur, mulierem laſcivam, impudicam, adulteram & meretricem.

Rupertus Abbas illam cognominat *famoſam peccatricem*, figuratam in illa, quam Oſeas Propheta vocitat, *uxorem fornicationum*: id eſt, mulierem venditam, ut luxuriæ vacaret. D. Ephrem Syrus eam vocat mulierem *fornicationibus pollutam*. D. Hieronymus, in prologo ſuper Oſeam, illam *meretricem, & adulteram* appellare non erubeſcit. *Apud Sylveir. in Evang.* Et Sanctus Chryſoſtomus eam dicit fuiſſe *laſcivam, impudicam, & meretricem, proſtitutam in lupanari*. Quod quidem non ſtricte intelligendum eſt, ut ſonat: cum enim dives eſſet Magdalena, non eſt credibile, quod pretio temporali, corporis venderet elegantiam: cum etiam eſſet nobilis ſimul & dives, vix credi poteſt, quod publice adiret lupanaria. Sed ideo eam ſic vocat Chryſoſtomus, ut eam in multa horrenda, & pudenda incidiſſe peccata doceat. Hoc & docuit S. Cyprianus, qui Magdalenam vocat *victimam caſtitatis*: non quod honeſtatem & pudicitiam ſuam Deo ſacrificaſſet; ſed quia pudendis multis addicta erat criminibus, ſuamque pudicitiam dæmoni quaſi in ſacrificium obtulerat.

Dæmonibus & non Deo olim ſacrificabant Gentiles: iis vitulos, arietes, oves, aves, immo & nonnumquam proprios filios immolabant. Sed, ut advertit S. Auguſtinus, omnium ſacrificiorum ſupremum, & dæmoni gratiſſimum, fuit ſacrificium pudoris: quod tunc a mulieribus offerebatur, cum impudicitiæ vacabant; quodque, inquit Auguſtinus, offerri ſolebat *Deæ Floræ*, quæ vitam omnium impudiciſſimam duxerat. Turpe autem & infandum hoc ſacrificium obtulit Magdalena, quæ ita laſciviæ indulſit, ut non ſolum mulier impudica, laſciva, & luxuriæ dedita dicatur; ſed etiam *victimam honeſtatis* vocetur: quia ſe totam peccatis horrendis, & inhoneſtis conſecraverat. Sed, quod pejus eſt, *Magdalenæ peccata fuere ſcandaloſa*.

3. Erat quippe petra ſcandali, quæ aliis cadendi, & peccandi occaſionem præbebat: non ſolum erat impudica, ſed alios etiam ad impudicitiam trahebat; non ſolum in ſeipſa immunda & luxurioſa erat, ſed & alios ad immunditiam, & luxuriam alliciebat. *Fuit*, inquit S. Ephrem Syrus, *fornicationibus polluta, & alios ad eamdem immunditiam alliciens, & ineſcans. S. Ephrem ſerm. in mulier. peccat.* Unde S. Bonaventura Magdalenam vocat laqueum & ſagenam: *illa mulier laqueus venatorum eſt, & ſagena cor ejus. D. Bonav. in c. 7. Luc.* Sicut enim aves capiuntur laqueo, & piſces ſagena; ita & Magdalena erat quaſi laqueus, & ſagena, qua homines capiebantur, & ad impudica inducebantur. Immo verba, monilia, pulchritudo, veſtes pretioſæ, & omnia corporis ſui ornamenta erant quaſi laquei, quibus homines decipiebat, nec non ad nefanda, & infanda trahebat.

Quod præclare docuit S. Evangeliſta, cum de Magdalena dixit, non ſolum quod fuerit *peccatrix*: ſed etiam, quod fuerit peccatrix *in civitate*. Non in pago, vel in ſolitario quodam loco fuit peccatrix; ſed *in civitate*, & civitate populoſa; ubi juvenes multi, plures nobiles, pluresque primæ notæ optimates; *in civitate*; ubi opulenti mercatores, & Magnates plurimi obſcœnis voluptatibus inhiantes; *in civitate* tandem, in qua frequentes erant recreationes, epulæ, choreæ, & otia incentiva peccatorum. In hac civitate Magdalena fuit mulier *peccatrix*; & ita peccatrix, ut ab omnibus magnæ illius civitatis incolis ut talis agnoſceretur. Sciebant omnes, Magdalenam eſſe juvenem, pulchram, divitem, & obſcœnis libidinibus deditam; quare ejus pulchritudine, ejuſque illecebris, tanquam laqueis, innumeri capiebantur, & ad peccandum alliciebantur. Et ideo dixit Doctor Seraphicus, quod mulier illa *totam læſerat civitatem. Bonavent. ibid.* Et Sanctus Petrus Chryſologus ait, quod *a Magdalena ipſa civitas dicta erat peccatrix, Chryſolog. ſerm.* 93. quia ſcilicet Magdalena multos ad laſciviam inducebat, innumeros ad prava deſideria provocabat, omnibus fere hujus civitatis incolis erat in ſcan-

ſcandalum, & ab hac peccatrice omnes peccatores ſiebant.

Cum ergo tot, tanta, & tam ſcandaloſa fuerint Magdalena peccata, laudandus Deus, qui per ſuam clementiam & miſericordiam, hanc peccatricem a ſceleribus liberavit. Extollenda etiam & laudanda hæc mulier, quæ de tot peccatis, & de tot animæ ſuæ hoſtibus glorioſe triumphavit. Sed inſuper ſicut Magdalena a tam gravibus peccatis liberata eſt; ita & peccatores quique debent vires reſumere, arduum adverſus vitia ſua certamen inire, & ſperare, quod mediante divina gratia, quæ nulli deeſt, vincula peccatorum ſuorum ſolvere, & in libertatem filiorum Dei redire poterunt; modo, inſtar Magdalenæ, pœnitentiam agant.

Hæc mulier, quæ ſe totam voluptatibus ſacrificaverat, poſtmodum Deo obtulit ſacrificium juſtitiæ; corpus enim ſuum, animam ſuam, ac ſe totam pœnitentiæ durioris operibus conſecravit; & mediante juſto hoc ſacrificio, in Deo ſperavit, Deum placavit, & ſalva facta eſt. O peccatores, quantumvis gravia, & enormia ſint veſtra crimina, ne diffidatis, ne deſperetis de Dei bonitate & miſericordia; ſed *ſacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino; Pſ. 4. 6.* offerte Deo juſtum pœnitentiæ, bonorumque operum ſacrificium. Quo oblato, ſperate in eo, & ipſe per ſuam piiſſimam miſericordiam ab omnibus vos peccatis liberabit, ſicut Magdalenam a peccatis, in quæ inciderat, liberavit. Sed poſtquam peccatorum Magdalenæ naturam expendimus, *eorum principia, & cauſas inquiramus.*

## SECUNDA PARS.

### *Peccatorum Beatæ Magdalenæ cauſæ.*

UNica peccatorum Magdalenæ phyſica, & immediata fuit cauſa, prava ſcilicet ejus voluntas: peccavit, quia voluit; & peccata ejus vere peccata non fuiſſent, ſi voluntaria non extitiſſent. Jam autem de prava hac Magdalenæ voluntate, a qua ejus peccata immediate proceſſerunt, non loquimur; ſed de aliis cauſis, quæ voluntati hujus mulieris peccandi anſam præbuerunt. Et hæ cauſæ, meo quidem judicio, tres fuerunt; 1. juventus, otio dedita: 2. pulchritudo, arte elaborata: 3. libertas, occaſionibus expoſita.

1. Juventus, quæ gratiæ abundantioris, & efficacioris auxiliis eſt deſtinata, in multa & magna facile incidit peccata. Et ideo Doctorum aquila, D. Auguſtinus, juventutem vocat *florem ætatis.* Sicut enim flores calore nimio exſiccantur, minima conteruntur grandine, auferuntur ſæpe a nebulonibus, & ex ſua natura cito tranſeunt, decidunt & areſcunt: ita juventus, leviſſimæ tentationis impulſu, improviſo malæ occaſionis occurſu, internarum paſſionum motu, aut etiam propria inclinatione ad peccatum, & ad ruinam facile trahitur. Quæ omnia mirabiliter explicat novus quidam Sacræ Scripturæ interpres; cum juventutem *Hevam ætatum* vocat. Sicut enim Heva, unica veternoſi ſerpentis ſuggeſtione, levique dæmonis tentatione in peccatum lapſa eſt: ita juventus, quæ a potenti Dei manu, ſpeciali quodam modo non ſuſtentatur, in peccatum facillime ruit, & in malorum omnium barathrum ſe præcipitat. Et hoc præcipue accidit, cum juventus eſt otio dedita: otium etenim, teſte Spiritu Sancto, eſt quaſi Doctor & Pædagogus multam docens iniquitatem: *multam malitiam docuit otioſitas. Eccli. 33. 29.* Unde ſi mulieres ſint ſimul juvenes, & otioſæ, in multa haud dubie peccata incident.

Ecce primam peccatorum Magdalenæ cauſam: peccavit, & in gravia peccata cecidit, quia juvenis ſimul, & otioſa fuit. Magdalena etenim erat juvenis quædam mulier, quæ cum divitiis affueret, laboribus non adſtringebatur; omneque ejus ſtudium erat, non orationi & meditationi vacare, non librorum ſpiritualium lectioni incumbere, non pauperes alere, non viſitare infirmos, vel nudos operire & veſtire; ſed poſtquam monilibus, pigmentis, ſericis, byſſo, & omni mundo muliebri ſe ornaverat, videri & videre, amari & amare quærebat; vel, turpi indulgens otio, diverticulis terendo tempori aptiſſimis incumbebat. Quare cum eſſet juvenis, & otio vacaret; ex ejus juventute, ſimul cum otioſitate, tot orta ſunt peccata, ut dicta ſit *mulier in civitate peccatrix.* Sed alia etiam fuit peccatorum ejus cauſa: nempe *pulchritudo, arte elaborata.*

2. Nihil mulieres ita optare ſolent; ut corporis pulchritudinem, & vultus elegantiam. Cum enim non ſint creatæ in Duces, ut exercitibus præſint: nec in Prælatos, ut mitris præfulgeant; nec in Doctores, ut humerale circumferant; ad talia non aſpirant: ſed aliunde hominum æſtimationem & amorem ſibi conciliare contendunt: per corporis ſcilicet pulchritudinem: & ideo eam maxime expetunt, & in ea plurimum confidunt, *habens fiduciam in pulchritudine ſua. Ezech. 16. 15.* At ſi ſerio ponderetur, quæ & qualis ſit illa pulchritudo, eam labilem & fallacem eſſe quiſque fatebitur, *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Prov. 31. 30.* Fallax quidem eſt, quia homines, illam ſpectantes decipit, & ad peccandum inducit. Sed fallax etiam eſt, quia ipſas mulieres, quæ pulchræ ſunt, ſuperbas, audaces, loquaces, & ad plurima peccata proclives efficere ſolet. Et hoc potiſſimum accidit pulchris his mulieribus, quæ ſtudioſe ſuam excolunt pulchritudinem, & quæ ornatæ incedunt, ut ſimilitudo templi. Hæc enim pulchritudo, arte elaborata, ſimilis eſſe videtur materiæ primæ, quia ſicut ex materia prima fiunt leones, lupi, ſerpentes, bufones, & omnis generis animantia, ita & per pulchritudinem, pluſquam par eſt, arte excultam, mulieres fiunt ſuperbæ, libidinoſæ, & ad omnia vitia propenſæ.

Quod præcipue verum fuiſſe comprobatur in Magdalena, quæ erat mulier juvenis, & pulchra nimis, & quæ nativam pulchritudinem ceruſſa, nardo, aromatibus, unguentis pretioſis, exquiſitis veſtibus, & omni quo poterat artificio, excolere ſatagebat. Hæc enim pulchritudo a natura Magdalenæ indita, arteque ejus elaborata, peccatorum illius origo fuit, & cauſa. Hac pulchritudine multos ſibi amaſios, & ſervos faciebat; ſed & ſeipſam identidem multorum criminum ſervam efficiebat. Elaborata hac pulchritudine capiebat, & capiebatur; homines capiebat, quos ad peccata multa trahebat: & a peccatis capiebatur, quibus ſe illaqueabat.

Regina Jezabel, quæ pulchritudinis, & formoſita-

ta-

Digitized by Google

matis erat, exemplar, ſpectans ad feneſtram, ceruſſa depicta, mundoque muliebri compoſita, ſolis inſtar rutilans, cunctos intuentium recreabat oculos: cumque alios contagioſa ſua pulchritudine ad peccatum traheret, ipſa prior ad illud trahebatur: 4. *Reg.* 9. unde de illa dici poterat, quod pulchritudo illam deceperat: *ſpecies decepit te. Daniel.* 13. 56. Sic beata Magdalena mirabili pulchritudine ſua alios decipiebat, & ad peccatum alliciebat: ſed ipſa etiam pulchritudine ſua decipiebatur, quia per illam ad peccata multa alliciebatur; & per illam facta eſt *mulier in civitate peccatrix*. Sed & alia fuit peccatorum Magdalenæ cauſſa: *nimia ſcilicet libertas, occaſionibus expoſita*.

3. Nimia diſcurrendi, & licentioſe vivendi libertas, eſt quidem puellis evidens ruinæ, & peccati cauſſa: & ideo omnes Reſpublicæ, in quibus veræ prudentiæ leges viguerunt, hanc a mulieribus libertatem, ad honeſtatis earum conſervationem, ſuſtulerunt. Cur enim Romani tam arcte concluſas Virgines Veſtales detinuerunt? Cur ſancta Romana Eccleſia Virgines ſuas Deo ſacras, votoque caſtitatis alligatas, tot clavibus, tot ferreis cratibus, totque muris, & propugnaculis detineri jubet? cur tandem matres, quibus vel tantillum prudentiæ, & pietatis ineſt, filias ſuas ita cuſtodiunt, ut nec uno momento ab ipſis eas diſcedere ſinant? hoc ſane, quia probe ſciunt, nimiam libertatem eſſe filiabus peccatorum multorum occaſionem, & cauſſam. Quod tunc maxime accidit, cum talis earum libertas pravis occaſionibus eſt expoſita. Ipſæ etenim peccandi occaſiones homines quoſque, etiam fortiores, & ſanctiores perſæpe dejiciunt: quanto magis puellam juvenem, & formoſam, quæ omni timore ſepoſito, libere uſquequaque divagatur; quæ libere per fora, plateaſque diſcurrit; quæ ab hoc, & ab illo litteras recipit; quæ cum laſcivientibus viris converſatur; quæ arridet illi, blanditur iſti; quæ ab uno recreationes poſtulat, & ab alio ad epulas invitatur. Talis ſane libertas, ſimul cum peccandi occaſionibus, puellam indubie in multa trahet peccata, & in apertiſſimum merget naufragium.

Quod revera Magdalenæ accidit; quæ cum eſſet ætate juvenis, opibus dives, & parentibus orphana: ita facta eſt ſui juris, ut ſumpta infelici libertate, nec ſororem natu majorem ſequeretur, nec Lazarum audiret, nec monitorem quemquam habere vellet, ſed Dei, propriæ conſcientiæ proprii que honoris oblita, fræna ſuæ totaliter laxavit libertati. Quare per domos diſcurrebat, per plateas vagabatur: tantumque abeſt quod peccandi occaſiones vitaret; quin illas *frontoſe quærebat. S. Ephrem. Ib.* Et ſic nimia ejus libertas, nimiaque vivendi licentia, occaſionibus expoſita, eam in criminum omnium abyſſum pertraxit.

Præſentibus parentibus modeſtæ plerumque ſunt filiæ, & a peccatis abſtinere ſolent: *inter parentum lumina, non poſſunt delicta ſpectari*, inquit D. Hieronymus. Sed Magdalena carebat patre, & matre a quibus ſpectaretur, & a peccatis cohiberetur: quare cum ſui eſſet domina, quo ferebat eam voluntas, progrediebatur: iniquorum ſocietati ſe facile adjungebat, peccandi occaſiones quærebat, & amplectebatur. Ex quo factum eſt, quod tot, & tantis ſe immerſerit peccatis, ut facta & dicta ſit *mulier in civitate peccatrix*. Ecce quales fuerint cauſſæ peccatorum Magdalenæ.

*Prima*, fuit juventus otio dedita. O patres, o matres, mementote, quod ipſa juventus impudicos ex ſe motus germinet, ignemque efflet impurum; unde, ſi talis juventus otio langueſcat, fortiores fient hujuſmodi motus, taliſque ignis ardentior evadet. Quare ut puellæ veſtræ his non cieantur motibus, talique igne non exardeſcant, curate, ut otium neſciant, & continuis occupationibus exerceantur. Illuſtris illa femina, quam Spiritus Sanctus a fortitudine plurimum commendat, otio nuſquam vacabat; *panem otioſa non comedit. Prov.* 31. 27. Vultis, filias veſtras fortes fieri ad vitanda quævis peccata? facite, ut intra domos veſtras operibus, ſtatui earum congruentibus, ſedulo incumbat: nec ſinatis, ut otioſæ huc & illuc vagentur.

*Secunda* peccatorum Magdalenæ cauſſa fuit pulchritudo, arte elaborata. O parentes, ſi pulchras, & ſpecioſas vobis Deus puellas dederit; laudate Deum, qui aliquantulum pulchritudinis ſuæ radium in iis depingere voluit. Sed cavete, ne ſuperfluis, vanis, pretioſis, & profanis ornamentis hanc a Deo datam pulchritudinem, ſcandaloſam, veneream, & impudicam faciatis. Scitote, quod elaborata hæc pulchritudo, ſit *invitatorium libidinis*; *Tert. l. de cult.* quia illa viri ad libidinem invitantur, & provocantur. Immo, & hanc pulchritudinem, ſtudioſe excultam, *perituræ virginitatis argumentum* vocat S. Hieronymus: quia cum puella quædam innatam pulchritudinem nimio ſtudio excolit, ex hoc inferri poteſt, quod in luxuriam, & alia peccata facile decidet. Quare ſi in puellis veſtris a Deo efformata quædam effulgeat pulchritudo; ars non deturpet, nec malum, & peſtiferam reddat quod ſupremus artifex ſancte efformavit, & delineavit.

*Tertia* peccatorum Magdalenæ cauſſa fuit nimia libertas occaſionibus expoſita. O quam grande malum eſt in puellis illa diſcurrendi per plateas, vagandi per domos, & cum hominibus frequenter diſcurrendi libertas! Hinc etenim oriuntur nimia curioſitas, mollis otioſitas, in loquendo & agendo inverecundia, religionis contemptus, virtutum neglectus, amoris profani exercitium, & omnium peccatorum abyſſus. Quare, o parentes, ſi recta ſapitis, hanc a filiabus veſtris auferte libertatem, ab his peccandi occaſionibus eas amovete; intra domos veſtras, quantum fas erit, eas detinete. De Juditha dicitur, quod *in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ præter ſabbata. Judith* 8. 5. O matres, ſanctam hanc imitamini mulierem: ſimul cum filiabus veſtris intra proprias domos clauſæ remanete. Ibi jejuniis, & orationibus vacate: ibi labori manuum, & pietatis exercitiis incumbite, & hoc modo vos, & filiæ veſtræ non declinabitis in peccata, in quæ propter nimiam vagandi licentiam incidit Magdalena. Sed viſis peccatis, & cauſis peccatorum Magdalenæ; inquiramus, *quæ remedia ad delenda peccata ſua adhibuerit*.



Digitized by Google

## TERTIA PARS.

*Peccatorum beatæ Magdalenæ remedia.*

SI Magdalena in peccatis perſeveraſſet, a cælo in æternum exulaſſet, & ſempiternis inferni ſupplicils adjudicata fuiſſet. Sed inſpirante Patre luminum, ad ſe reverſa, tria ad deſtructionem ſuorum criminum efficaciſſima adhibuit remedia: lacrymas ſcilicet, amorem, & pœnitentiam, 1. *lacrymas* contritionis, 2. *amorem* Creatoris, 3. *pœnitentiam*, & mortificationem corporis.

1. Primum remedium, quo Magdalena peccata ſua lavit, & ſanavit, fuerunt lacrymæ doloris, & compunctionis, quibus pedes Chriſti ſimul & animam ſuam lavit: *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Hæ lacrymæ fuerunt quaſi ſacer baptiſmus, quo ab omnibus criminibus lota, & ſanata fuit ejus anima: *fletibus ſe abluit*, inquit S. Cyprianus: *lacrymis ſe baptizat.*

Olim populus Iſraeliticus, mare tranſiens, in Moyſo baptizatus eſt, & in nube. Oculi pariter Magdalenæ fuerunt quaſi mare, & nubes, ex quibus inundantes fluxerunt lacrymarum aquæ, quibus tamquam baptiſmo ſalutati, ab omnibus luis lota eſt criminibus.

Duplex fuit lacrymarum Magdalenæ effectus: exterior unus, & alter interior. Effectus exterior lacrymarum ejus fuit, reſpectu pedum Chriſti, quos irrigarunt, *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Effectus interior lacrymarum Magdalenæ, fuit reſpectu animæ hujus peccatricis, quam ab omnibus peccatorum ſordibus abluerunt. Sicut enim cum miniſtratur baptiſmi Sacramentum, aqua luſtralis quæ corpus tangit, animam ab originali, & actuali labe abluit, ita Magdalenæ lacrymæ, dum ſupra Chriſti corpus cadunt, ſunt quaſi aquæ luſtrales, quæ peccatricis illius animam ab omni criminum labe abluunt. Has tu peccator funde lacrymas, hoc baptiſmo tua dele crimina, inſtar Magdalenæ: quæ, ut ait S. Cyprianus, *uſa eſt capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptiſmo.*

2. Secundum remedium, quo uſa eſt Magdalena ad delenda peccata ſua, fuit amor Chriſti. Dilectio, ſeu ſacer amor, eſt in rebus ſpiritualibus, ſicut ignis in corporalibus, nam ſicut ignis habet virtutem rubiginis abſterſivam, & delectivam, ita dilectio, velut animarum ignis, dum in animam agit, omnem culpæ rubiginem ab ea abſtergit, & delet: *quid eſſe dilectionem credimus*, inquit S. Gregorius, *niſi ignem? quid culpam, niſi rubiginem? et o tanto amplius culpæ rubigo conſumitur, quanto peccator charitatis igne concrematur. S. Greg. homil. 15. in Evang.*

Magnam quidem fuit rubigo peccatorum Magdalenæ, cum multa & magna patraverit crimina, ſed igne charitatis quo exarſit, ea penitus abſumpſit, & delevit. Ut enim Chriſtus palam teſtatus eſt, amor ſacer quo ſuccendebatur Magdalena, fuit ignis quo conſumpta, & remedium a quo ſanata, & deleta ſunt ejus crimina, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Lucæ 7. 47.* Sicut martyrium eſt actus perfectiſſimæ charitatis, a quo omnia Martyrum delentur peccata: ſic Magdalena ita pie, & perfecte Chriſtum dilexit, ut ſacer amor, quo exarſit, habuerit virtutem martyrii, omniaque hujus peccatricis crimina penitus deleverit.

3. Tertium remedium, quod ad delenda peccata adhibuit Magdalena, fuit pœnitentia: quæ ita dura, & acerba extitit, ut eam recogitare non poſſet Sanctus Gregorius, quin in fletus exiret, *conſideranti*, inquit, *mihi de Magdalenæ pœnitentiam, flere magis libet, quam aliquid dicere. S. Gregor. homil. 13. in Evang.*

Et revera, ſicut horrenda Magdalenæ fuerant crimina, ita & portentoſa fuit ejus pœnitentia. Heu! quis non miretur pœnitentiam hujus mulieris, quæ cum eſſet nobilis, dives, & illicitis voluptatibus addicta: ſubito, ſacro pœnitentiæ ſpiritu excitata, quaſi impudens, publico irruit convivio, humi ſe abjicit, alta imo de pectore promit ſuſpiria, rivos lacrymarum ſupra Chriſti pedes profundit, capillis, olim criſpantibus, ſordes eorum tergit, crebra eis oſcula figit: ac deinde triginta annis in deſerto, auſteram jugibus lacrymis, orationibus, & jejuniis agit vitam: ſeque totam ad ultimum uſque vitæ terminum gravioris pœnitentiæ operibus conſecrat.

O quam mirabilis fuit hæc pœnitentia! O quam ſalubris fuit hæc medicina, qua Magdalena peccatorum ſuorum plagas ſanavit! Verum eſt, quod Magdalena lacrymis, amore, & pœnitentia in cœnaculo ſua laverat crimina: ſed illam pœnitentiam, quam tunc inceperat, uſque ad ultimum vitæ terminum protegavit: ut criminum reliquias, ſeu pœnas peccatis debitas, ſi quæ eſſent, penitus exolveſet, Deoque, toto vitæ ſuæ tempore pro commiſſis peccatis ſatisfaceret.

Ecce mulierem, quæ vere peccatrix fuerat, ſed quæ etiam ſalutaria, & efficacia adhibuit remedia, ad ſananda criminum ſuorum vulnera, flevit enim, amavit, & pœnituit. Heu! quam multæ mulieres cum Magdalena ſunt peccatrices! ſed, o quam paucæ apta delendis criminibus remedia applicant!

Magdalena in remedium lacrymas adhibet: quæ, ait ut S. Petrus Chryſologus, *rigant cælum, diluunt terram, extinguunt gehennam, & delent in omnes facinus latam divina promulgatione ſententiam. Chryſol. ſer. 93.* Sed ubi aliæ invenientur mulieres peccatrices, quæ peccatorum ſuorum ſordes ubertimo lacrymarum ſuarum imbre expurgent? invenientur potius, quæ in vano ornatu, in luxu, in conviviis & deliciis uſque ad vitæ ſuæ finem perſeverant.

Sed o quam paucæ ſunt etiam, quæ ut propria deleant peccata, Deum toto corde diligant! Peccant ſicut Magdalena: ſed caritatis igne peccatorum rubiginem e cordibus ſuis non auferunt. Verum eſt, quod ſicut de Magdalena dicitur, quod dilexit multum, ita & de pluribus peccatricibus dici poteſt, quod diligant multum, & nimium: ſed inutilis vanus, & exitioſus eſt earum amor: quia non Chriſtum amore ſacro, ſed mundum, & amaſios ſuos amore profano, & impudico proſequuntur.

Sed

Sed ubi tandem peccatrices, quæ duris pœnitentiæ operibus vacent? Ubi quæ vigiliis, jejuniis, & orationibus ſedulo incumbant? ubi quæ ſuam flagellis, ciliciis, & aliis mortificationibus carnem affligant? paucas quidem tales reperire eſt: ſed paucæ etiam ſunt, quæ cum Magdalena audire mereantur hæc verba: *remittuntur ei peccata multa*; & paucæ, quæ cum illa æternam beatitudinem conſequantur.

O mulieres! o viri! o vos cujuſcumque ſtatus, & conditionis ſitis! ſi tartarei venatoris fraudibus a Dei gratia defeciſtis, & in grave aliquod peccatum cecidiſtis, ſperate in Domino, qui erga omnes benignus & miſericors eſt; veſtriſque peccatis apta adhibete remedia. Exitus aquarum deducant oculi veſtri, corda veſtra amoris ſacri ardeant incendio, veſtra mortificationibus, & pœnitentiis corpora affligantur. Hæc ſi faciatis, in cælo coronam gloriæ cum Magdalena obtinebitis. *Amen.*

## FERIA VI.

## POST DOMINICAM PASSIONIS.

# DE MAGDALENA POENITENTE.

*Lacrymis cœpit rigare pedes ejus*, Luc. 7.

Magdalenæ, quæ naturæ ſuæ infirmitate, & maligna dæmonis ſuggeſtione allecta, in varia, & gravia inciderat peccata: divino favente auxilio, arduæ ſe accinxit pœnitentiæ, & ſpeculum facta eſt, in quod peccatores omnes aſpicere debent, ut peccata ſua delendi, & pœnitentiam agendi modum addiſcant: *Magdalena eſt ſpeculum peccatorum. S. Bern. ſerm. de S. Magd.*

Sicut in ſpeculo aliquid eſt a tergo opacum, cui ſplendidiſſima ſuperponitur cryſtallus; ita Magdalena fuit quaſi hominum peccatorum ſpeculum, habens in ſe aliquid atrum, & opacum; videlicet nigra & horrenda quæ perpetravit crimina: ſed obſcuro huic vitæ ſuæ primordio ſupervenit cryſtallus ſplendidiſſima: ultimum ſacra ejus pœnitentia. Quæ tanta, & ita famoſa extitit, ut ſicut S. Petrus dicitur Apoſtolorum Princeps, ſicut D. Paulus vocatur ſol Doctorum, & beatus Stephanus Martyrum primus appellatur; ita Magdalena pœnitentium ſpeculum proclamanda ſit.

En, peccatores, ſpeculum, quod vobis hodie auſcultandum propono. Si peccaſtis, pœnitentiam agite: utque diſcatis, quæ & qualis veſtra debeat eſſe pœnitentia, mirandam Magdalenæ pœnitentiam ſedulo inſpicite. Hanc ejus pœnitentiam in tota hac concione delineare conabor, ſed ut digne de Maria pœnitente loqui valeamus, ad innocentis Mariæ patrocinium confugiamus, & mediante ejus interceſſione, Spiritus ſancti gratiam ſupplices poſtulemus. *Ave.*

Cum probe cognoſcant peccatores, pœnitentiam ipſis ad ſalutem eſſe abſolute neceſſariam; vix eorum eſt unus, qui aliquam pœnitendi voluntatem non habeat. Pœnitere quidem volunt omnes, ſed quia pœnitentiam ut quid aſperrimum, & importabile inſpiciunt; ex his aliqui pœnitere volunt non jam, ſed in futuro; alii pœnitere volunt, non vere & ſincere, ſed ficte, & apparenter; alii pœnitere volunt, non conſtanter, & uſque ad extremum vitæ ſuæ terminum, ſed ſolum ad aliquod breve tempus.

Qui non nunc, ſed in futuro ſolum pœnitere volunt, inſipientes ſunt, & ſtulti; quia futuri temporis ſe dominos & arbitros eſſe imaginantur. Qui ficte ſolum pœnitere volunt, ſunt hypocritæ; quia non ut Deum placare valeant, ſed ut coram hominibus juſti videantur, pœnitentiam ſuſcipiunt. Qui ſolum ad aliquod tempus pœnitere volunt, ſunt viri inconſtantes; quia pœnitentiam ſuſcipere intendunt, ut cito ab illa deſciſcant & ad priſtina peccata relabantur.

O quam infelices omnes hujuſmodi pœnitentes! ſed o quam felix, & admirabilis eſt Magdalena, quæ non tarde, ficte, & ad aliquod ſolum tempus; ſed promptè, ſincere, & conſtanter pœnitentiam egit. Pœnitentia enim illius fuit prompta, ſincera, & conſtans; fuit 1. *prompta*, ſine dilatione: 2. *ſincera*, ſine fictione: 3. *conſtans*, ſine ulla mutatione.

## PRIMA PARS.

*Magdalenæ pœnitentia fuit prompta.*

Cum quis in grave aliquod incidit peccatum, ſuam procraſtinare, & in futurum tempus differre non debet pœnitentiam; ſed tanta celeritate ad pœnitentiam feſtinare debet, quanta naufragus tabulam arripit, qua ſalvari poſſit; *pœnitentiam tu peccator invade; ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Tertul. de pœn.* Talis autem fuit celeritas, & promptitudo, qua Magdalena pœnitentiam ſuſcepit, pœnitentia enim ejus fuit promptiſſima; quia eam amplexata eſt, 1. mox ut audivit Chriſtum prædicantem, 2. mox ut ſenſit Chriſtum intus ſibi loquentem, 3. mox ut cognovit Chriſtum in domo Phariſæi exiſtentem.

1. Cum concionum & miraculorum Chriſti fama undique volaret, uni ex ejus concionibus intereſſe voluit Magdalena, non ut inde converſionis ſuæ occaſionem ſumeret; ſed ut Salvatoris miraretur pulchritudinem, utque verborum ejus dulcedinem, leporem, & elegantiam audiret. Chriſtus autem qui errantem, & perditam hanc ovem ſalvare intendebat, efficaciſſimum ſermonem habuit, in quo de ineffabili Dei in peccatores miſericordia, de mortalis peccati gravitate, de Paradiſi gaudiis, & de inferni ſuppliciis mirabiliter diſſeruit. Eo autem audito, confeſtim, & abſque ulla mora præteritam vitam deteſtata eſt Magdalena; ex tunc arctam ſuſcepit pœnitentiam, & ad Deum totaliter converſa eſt, *ſermone completo*, inquit S. Bernardinus Senenſis, *mutato propoſito, toto alienata revertitur domum: quæ audierat, mente revolvens, ac de præterita vita ſua dolens & plorans. S. Bernard. ſerm. 5. poſt Dom. Paſſ.* Non dixit Magdalena, tunc pœnitentiam agam, cum juventutis flos emarcuerit, cum faciei pulchritudo evanuerit, vel cum propinquæ mortis tempus advenerit; ſed ſtatim ut completa fuit Chriſti concio; eo ipſo quo Chriſtum præ-



Digitized by Google

dicantem audivit, in amaras pœnitentiæ prorupit lacrymas, & ad Deum penitus converſa eſt.

O peccator, quoties audiviſti Chriſtum per prædicatores ſuos tua redarguentem vitia, ad morum converſionem te vocantem, & miſericordiæ ſuæ beneficia tibi offerentem? quoties a Chriſto miſſi concionatores, dixerunt tibi, Deum eſſe paratum ad tibi indulgendum, ſi ad eum in corde contrito reverteris, & ſi criminibus tuis penitus abrenuntiare velis? quoties dixerunt, quod hora eſſet jam de ſomno ſurgere, quouſque ſi in futurum converſionem differas, evidenti te damnationis periculo exponas? & tamen Chriſto, per prædicatores monenti, teque ad converſionem vocanti, nondum obtemperaſti. Erubeſce, o peccator, quod converſionem tuam usque ad præſens tempus diſtuleris: erubeſce, quod nondum ad Chriſtum converſus ſis; & ſaltem nunc ad eum convertere. Ne amplius tardes converti ad Dominum; ſed jam ad ipſum convertere; jam imitare Magdalenam, cujus pœnitentia fuit promptiſſima, quia ad Deum converſa eſt, mox ut audivit Chriſtum prædicantem: *ac etiam mox ut ſenſit illum, intus ſibi loquentem.*

2. Dum Chriſtus palam concionabatur, intus ad cor Magdalenæ per gratiam ſuam loquebatur. Intus ei dicebat: o dilecta mea quid tibi, & huic vano & labili mundo? cur tot deliciis diſſolveris? cur os & linguam tuam in tot Creatoris tui offenſiones inquinas? cur tam vano capillorum ornatu deciperis? cur tot animas, a Deo tuo pro cæleſti regno creatas, oculorum tuorum jaculis interficis? cur tanto faſtu & pompa corpus tuum vermibus corrodendum, Deo tuo infinite bono præponis? cur tu miſera, & miſerabilis valde, ex nobili proſapia nata, corpore tam formoſa, naturali ſapientia illuſtrata, in tantam turpitudinem demerſa es, & tamquam ſus in volutabro luti, in omnem carnis ſpurcitiam abſque rubore delapſa es? quid fruſtra deciperis, ſtatuens, has tuas delicias, atque laſcivias ſine termino poſſidere? Bona quæ negligis, ſunt æterna; bona quæ diligis, ſunt tranſitoria: illa ſunt communia beſtiis; iſta vero ſunt communia Angelis: illa ſunt terrena; iſta vero divina: illa ſunt moleſta; iſta vero tranquilla: illa ſunt prava, iſta vero ſunt magna: illa ſunt dubia; iſta ſunt certa: illa ad æternam damnationem conducunt; iſta ad æternam felicitatem perducunt. Revertere igitur, dilecta mea: revertere, quia jam longiſſimo tempore te expecto, dulciſſime te invito, ulciſci diſſimulo, a multis periculis te præſervo: revertere, & te amplector cum gaudio, omneſque tibi offenſas dimitto.) Sic, inquit S. Bernardinus, in corde Magdalenæ per gratiam ſuam locutus eſt Chriſtus: ſic intus affatus eſt illam peccatricem; quæ mox ut Chriſti, intus loquentis, vocem audivit, abſque ulla mora corde contrita eſt, amare flevit, & aſperam pœnitentiam generoſe ſuſcepit.

Miror, quanta patientia, quanta benignitate, & quibus artibus uſus ſit Deus ad convertendum Pharaonem. Quid non egit Deus, ut illum a peccato averteret? Quot vocibus, quot minis, quot flagellis, quot vulneribus eum Deus a peccati ſomno excitare non eſt conatus? Sed obduratum penitus fuit cor illius impii, & ut ait D. Auguſtinus. Pharao maledictus erat corvus, *qui habebat vocem corvinam. Exod.* 8. Cum ad converſionem, & ad meliorem vitæ frugem eum Deus vocabat: voce corvina reſpondebat ille: *cras, cras.* Cum Moyſes, ex Dei nomine, illum ad dimittendum populum ſollicitabat; reſpondebat ille: *cras, cras* dimittam.

Sic reſpondebat Pharao, & ſic reſpondere ſolent peccatores. Cum illos Deus intus monet, & ad pœnitentiam vocat, reſpondent: *cras, cras.* Cum inſpirat, & intus ſuadere conatur Deus, ut aliena reſtituant; reſpondent: *cras, cras.* Cum ad procam inhoneſtam dimittendam, ad pravos habitus eradicandos, & ad pie vivendum illos Deus internis inſpirationibus ſollicitat, ſemper reſpondent: *cras, cras*: vel intra aliquod tempus hæc omnia fient. O maledicti Corvi, qui cum ſua voce corvina æternam ſibi parant ruinam! *cum facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina. Aug. ſerm. 16. de temp.* Hanc ſane vocem non fecit Magdalena: hæc non dixit: *cras, cras* convertar ad Dominum, non dixit intra aliquod tempus mea deflebo peccata; ſed cum audivit Chriſtum prædicantem, eumque intus loquentem ſenſit, mox ingemuit, & corde contrito pœnitentiam egit. O quam prompta fuit hæc Magdalenæ pœnitentia! ſed adhuc promptiſſima extitit: quia pœnitentiam amplexata eſt, *mox ut Chriſtum in Phariſæi domo exiſtere cognovit.*

3. Magdalena, cujus publica & ſcandaloſa fuerant peccata, publicam & ſolemnem prompte ſuſcepit pœnitentiam. Parum ei viſum eſt, quod, audito Chriſto, ſtatim ingemuerit, & intra domeſticos parietes de peccatis doluerit: quare voluit inſuper, palam doloris, & pœnitentiæ ſuæ ſigna exhibere. Et ideo ſciens, quod Chriſtus in Simonis Phariſæi domo accumberet, illum feſtina adivit, ad pedes illius humiliter ſe inclinavit, inundantibus eos lacrymis lavit, pretioſis capitis ſui crinibus eos terſit, unguento illos unxit, aliaque pœnitentiæ ſuæ ſigna palam edidit: *ut cognovit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti; & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat. Luc. 7.* Magdalena pœnitentiam non diſtulit uſque ad mortem, nec uſque ad ſenectutem: immo neque in craſtinum: ſed confeſtim, ſeu eo ipſo quo ſcivit, & cognovit ubi eſſet Chriſtus, absque ulla mora illum adiit; ac in multorum adſtantium conſpectu, præterita flevit peccata, & arduis pœnitentiæ operibus incubuit: *ut cognovit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi.*

Magdalenam a tam promptæ & extraordinariæ pœnitentiæ propoſito multa avertere poterant; multaque actioni tam arduæ & tam generoſæ ſe opponere videbantur: generis ſcilicet nobilitas, Phariſæorum illuſiones, adſtantium calumniæ, honoris proprii jactura, convivantium multitudo, ac etiam timor, ne a Chriſto, ſanctiſſimo & æquiſſimo Judice, repulſam pateretur. Sed Magdalenam nec hæc, nec alia quævis, a publicæ pœnitentiæ propoſito deterrere potuerunt: abſque ulla enim dilatione, mox ut cognovit ubi eſſet Chriſtus, protinus ad illum ſe contulit, & quæ antea ſe palam peccatricem exhibuerat, illico ſe pœnitentem palam profeſſa eſt: *ut cognovit.*

Generoſam hanc mulierem a ſancto hoc propoſito haud dubie avertere conatus eſt ſatanas: intus

haud

haud dubie illam allocutus eſt ille doli artifex, objiciens ei omnia, quæ illam a pœnitendi propoſito amovere poterant. Intus dixit ei: o mulier, juvenis es, pulchra es, nobilis es, & dives; quare vive ut vixiſti, boniſque tibi a Deo & natura conceſſis pacifice fruere. Quod ſi pœnitentiam agere intendas, ne feſtines: Deus enim qui uſque ad præſens tempus te expectavit, patientiam adhuc habebit in te; nec minus erga te bonus erit, elapſis aliquibus annis quam nunc: quare ne tam properes; ſatis enim erit, quod tunc pœnitentiæ te accingas, cum provectioris ætatis eris. In corde etiam ejus dicebat ſatanas: o mulier, ſi ſcires, quam dura ſit pœnitentia, ad eam tam cito, tamque ardenter non advolares: quare in tanti momenti negotio conſilium adhibe; expecta, dum probe noveris quantus ſit pœnitentiæ rigor, & quantæ ſint tuæ vires: quando autem hæc & alia aliquamdiu examinaveris, tunc de ſuſcipienda pœnitentia cogitare poteris. His & aliis artibus dæmon Magdalenam a pœnitentia prompte ſuſcipienda avertere pertentavit; ſed hæc tentanti diabolo fortiter reſtitit; ac mox ut cognovit quod Chriſtus eſſet in domo Phariſæi, ad eum properavit, ut gravem & auſteram palam ampleteretur pœnitentiam: *ut cognovit*. Tanta hæc Magdalenæ fuit promptitudo, & celeritas, ut Chryſologus eam ad Chriſtum, pœnitentiæ cauſſa, non ſolum properaſſe, ſed quaſi volaſſe dicat: *ipſum convivii pervolat ad ſecretum, & domum lætitiæ facit domum lamentationis & planctus*.

O quam prompta fuit Magdalenæ pœnitentia, quæ ut audivit Chriſtum prædicantem, ut ſenſit illum intus loquentem, & ut cognovit illum in Phariſæi domo accumbere; mox, & abſque ulla mora ad Deum converſa eſt. O peccatores, Magdalenam imitamini; ne tardetis converti ad Dominum: ne dicatis: convertar ad Dominum, cum mors appropinquabit, cum inſenuero, vel cum negotiis, quibus obruor, finem fecero; ne dicatis: intra aliquod tempus; vel paucis elapſis diebus, totum me pœnitentiæ operibus addicam: ſed jam, ſed nunc, ſed hodie veſtra abjicite crimina, & ex toto corde pœnitentiam ſuſcipite. *Hora eſt jam de ſomno ſurgere:* non in futuro: ſed jam hora eſt a peccati ſomno ſurgendi, & pœnitentiam ſuſcipiendi. Jam ergo prompte, & ſine ulla mora pœnitentiam ſuſcipite, inſtar Magdalenæ, cujus pœnitentia fuit prompta, ſine dilatione; *ac etiam ſincera, ſine ulla fictione*.

## SECUNDA PARS.

*Magdalenæ pœnitentia fuit ſincera.*

POEnitentiam Tertullianus, monetæ probe comparat. Sicut enim alia bona, & alia falſa eſt moneta; ita pœnitentia alia ficta, & alia ſincera eſt. Ficta fuit Saulis, Antiochi, Judæ, & aliorum multorum pœnitentia; ſed Magdalenæ pœnitentia vera fuit, & ſincera; quia non ficte, ſed vere, & ſincere: 1. de peccatis doluit: 2. peccata delevit: 3. pro peccatis ſatisfecit.

1. Pœnitentia vera, & ſincera eſſe non poteſt, ſi homo pœnitens de commiſſis peccatis intus, & in corde non doleat. Ploret, pectus tundat, & externa quævis alia doloris ſigna edat, quantum voluerit; ſi externus ille dolor ab interno cordis dolore non procedit, ficta hæc & inutilis eſt pœnitentia: nec quomodocumque vera & ſincera eſſe poteſt, ſi de perpetratis criminibus cor vere non doleat. Sicut enim omne peccatum a cordis pravitate manat: ita & vera pœnitentia a corde oriri debet; nec umquam vera eſſe poteſt, ſi cor commiſſa peccata non deteſtetur, & de iis non doleat.

Magdalena autem, quæ peccatrix fuerat, ut ſua per pœnitentiam deleret crimina, flevit, ingemuit, aliaque externa doloris ſigna edidit; ſed externus ejus dolor ab interno procedebat. Magna & portentoſa fuere externa doloris ſigna, quæ exhibuit Magdalena: ſed magnus etiam & inexplicabilis fuit dolor internus, quo cor illius conficiebatur. Quis enim dicet, quanto dolore cor ejus augebatur, cum coram Chriſto & convivis, humi proſtrata, uberrimas fudit lacrymas, ſuiſque capillis pedes Salvatoris humiliter, & ſtudioſe terſit: *quo dolore ardet, quæ flere etiam inter epulas non erubeſcit? S. Greg.* Tunc ſane tantus ejus extitit dolor, ut quantus fuerit, humano eloquio explicari nequeat.

Magdalena ex peccatrice ſubito facta eſt contemplatrix: in medio enim convivii & convivarum, ſua mente revolvebat crimina, utque ad ea deteſtanda excitaretur, urgentiſſima doloris incentiva meditabatur. Tunc, inquit S. Bernardinus, Magdalena recolebat quæ fecerat, conſiderabat cur fecerat: videbat peccatorum ſuorum multitudinem, cernebat turpitudinem, ponderabat magnitudinem, ſentiebat ingratitudinem, & his omnibus conſiderationibus ad dolendum de peccatis ita alliciebatur, ut explicari, & concipi non poſſit, quanto dolore tunc cor ejus afficeretur: *quis*, ait S. Bernardinus, *exprimere queas cordis ſui dolorem?* Vera ergo & ſincera fuit Magdalenæ pœnitentia: quia vere & ſincere de peccatis doluit; *ac etiam quia peccata delevit*.

2. Hæc eſt differentia inter fictam & veram pœnitentiam: quod pœnitentia quæ ficta eſt, peccata numquam deleat; ſed ea potius aggravet, & multiplicet; pœnitentia vero quæ vera & ſincera eſt, peccata deleat. Unde Petrus Cellenſis pœnitentiam appellat *naufragium vitiorum: Petr. Cell. de quinque pan.* quia ſi vera ſit, per illam omnia naufragantur, & tolluntur crimina. Ideo etiam S. Gregorius Nazianzenus pœnitentiam vocat *diluvium peccatorum: Nazianz. orat. 1.* quia ſcilicet, ſicut diluvium generale ad purganda omnia mundi inquinamenta factum eſt: ita pœnitentia, ſi vera & ſincera ſit, omnia perſonæ pœnitentis peccata tollit, & delet.

O quam ficta, falſa, & inutilis multorum pœnitentia! quam multi veram illam non habent pœnitentiam, cujus virtute omnia delentur crimina! At Magdalenæ pœnitentia, non fuit ficta, ſterilis, & inefficax: ita enim vera, ſincera, & efficax fuit ejus pœnitentia, ut per eam omnia ejus deleta ſint crimina; & ideo Chriſtum audire meruerit dicentem, remiſſa ejus eſſe peccata: *pœnituit, & flevit Magdalena; ideo audire meruit: remittuntur tibi peccata tua. S. Leo ſerm. de paſſ.*

Hæc eſt Martyrii virtus, quod omnia penitus de-

leat crimina. Martyrium enim vocatur Baptiſmus ſanguinis: quia ſicut per Baptiſmum omnia hominis baptizati lavantur peccata; ita & per Martyrium omnia Martyris delentur crimina. Magdalenæ autem pœnitentia fuit quaſi Martyrium; licet enim hæc mulier vere Martyr non fuerit, quia revera ſuum pro Chriſto ſanguinem non fudit: per pœnitentiam tamen facta eſt quaſi Martyr. Quia ſicut Martyres proprio ſanguine ſua lavant crimina: ita & lacrymæ pœnitentis Magdalenæ, non ſecus ac ſanguis Martyrum, omnia ejus peccata laverunt, & penitus deleverunt: *meretrix illa non fudit ſanguinem, ſed fontes lacrymarum profudit, diluit & peccata. Chryſol. in Pſ. 50.* Multa & magna ejus erant peccata; ſed pœnitentia quam iniit, fuit quaſi Baptiſmus, a quo omnia ejus deleta ſunt peccata: *a maximis peccatorum ſordibus, largiſſimo lacrymarum fonte purgata eſt. Chryſol. ſerm. 93.* Magdalenæ ergo pœnitentia fuit vera & ſincera, cum omnia ejus peccata deleverit: ſed pœnitentia ejus fuit etiam ſincera: *cum per illam pro peccatis ſatisfecerit.*

3. Ut vera, integra, & perfecta ſit pœnitentia, Deo offenſo ſatisfacere debet: quantumvis enim bonus, & miſericors ſit Deus; ejus tamen juſtitiæ per pœnitentiam quodammodo ſatisfacere tenetur peccator: *in pœnitentiæ quoque cauſſa, juſtitia Dei præſtanda eſt. Tert. lib. de pœnit. c. 3.* Hæc quidem Deo facienda ſatisfactio; tuncque vere & perfecte Deo per pœnitentiam ſatisfaciunt peccatores, cum ad ei ſatisfaciendum, eadem aſſumunt, quibus ad eum offendendum uſi fuerant; ac faciunt ſervire juſtitiæ in ſatisfactionem quæ prius iniquitati ſerviſſe fecerant: *ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſatisfactionem. Heb. 6. 19.*

En quomodo per pœnitentiam Deo ſatisfacere debeat peccator: ſed en identidem quomodo per pœnitentiam Deo Magdalena ſatisfecerit. En qualis debeat eſſe ſatisfactio, ut pœnitentia ſit vera & ſincera; ſed en etiam qualis fuerit Magdalenæ ſatisfactio. Ipſa enim, omnia criminum ſuorum inſtrumenta, in virtutum & ſatisfactionum inſtrumenta convertit. Ac ut ait S. Bernardinus Senenſis: *In ſeptem offenderat iſta peccatrix, & ſeptem oppoſitas adducit ſatisfactiones; ac quot in ſe habebat oblectamenta culparum, tot obtulit ſacrificia ſatisfactionum. Ibid.*

Magdalena fuerat frontoſa ad peccatum; in domo autem Phariſæi, nec palam ſe manifeſtare audet; ſed ſtat retro: *ſtans retro. Luc. 7.* Magdalena faſtu, & ſuperbia ſua omnibus dominari ambiebat: in domo autem Phariſæi, Chriſti pedibus ſe provolvit: *ſecus pedes ejus.* Hæc oculis uſa erat ad allicienda ſibi juvenum corda, & in Phariſæi domo iis utitur ad lavandos Chriſti pedes: *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Capillos ad vanum corporis ſui ornamentum exhibuerat, & in domo Phariſæi, eos ad abſtergendos Chriſti pedes inſumit, *& capillis capitis ſui tergebat.* Ore impudica dederat oſcula, & in Phariſæi domo, pedes Domini oſculans, os in Redemptoris ſui veſtigia figit: *& oſculabatur pedes ejus.* Unguentis pretioſis proprium corpus deliniverat; & in domo Phariſæi, ea ad ungendos Chriſti pedes profudit: *& unguento ungebat.* Magdalena tandem, ut Deo per pœnitentiam perfecte ſatisfaciat, omnia quibus antea abuſa erat, ad bonum uſum, & in pietatis inſtrumenta convertit. Hæc, ut ait S. Gregorius, *convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum Deo ſerviret in pœnitentia, quod ante ſervierat in culpa. S. Greg. 1. hom. 33. in Evang.*

O mirabilem Magdalenæ ſatisfactionem! Sed o quam vera ſincera extitit ejus pœnitentia! vera quidem fuit; cum vere de peccatis doluerit, peccata deleverit, & pro peccatis ſatisfecerit.

O N. N. ſi cum Magdalena peccaſtis, cum illa pœnitentiam agite; ſi illam peccantem imitati eſtis, imitamini illam pœnitentem: *ſi te deliquiſſe meminiſti, ſuadeo, ut Mariæ Magdalenæ converſionis recorderis. Aug. ſerm. 1. de Aſſumpt.* Si peccaſtis, Magdalenæ recordamini, & pœnitentiam ejus imitamini; ſit pœnitentia veſtra vera & ſincera, quæ a dolore interno oriatur, quæ cuncta veſtra deleat peccata, & quæ Deo perfecte ſatisfaciat. *Pœnitentiam agite*, ut Deum iratum placare valeatis: *pœnitentiam agite*, ut veſtra deleatis crimina: *pœnitentiam agite*, ut gratiam deperditam recuperetis: *pœnitentiam agite*, ut inferni ſupplicia devitare, & Paradiſi gaudia obtinere poſſitis: ſed inſtar Magdalenæ, pœnitentiam agite prompte & ſincere: *ac etiam conſtanter.*

## TERTIA PARS.

*Magdalenæ pœnitentia fuit conſtans.*

MAgdalena non fuit ſimilis iis pœnitentibus, qui continua mobilitate, a peccato ad pœnitentiam, & a pœnitentia ad peccatum migrant; poſtquam enim duram aſſumpſit pœnitentiam, in ea conſtanter perſeveravit: ejuſque pœnitentia ita conſtans fuit, ut comparari poſſit pœnitentiæ Davidis, Jobi, & Sancti Joannis Baptiſtæ: 1. *Davidis*, qui ſemper flevit: 2. *Jobi*, qui cilicium ſuper carnem ſuam conſuit: 3. *Sancti Joannis Baptiſtæ*, qui in arctioris pœnitentiæ operibus uſque ad mortem perſeveravit.

1. Peccavit quidem David; ſed ut ſua deleret crimina, amaras pœnitentiæ lacrymas fudit: ejuſque pœnitentia ita conſtans fuit, ut toto vitæ ſuæ tempore fleverit: Unde lacrymas ſuas, panes vocat, dicens: *lacrymæ meæ fuerunt mihi panes die ac nocte. Pſal. 41. 4.* Panes erant ejus lacrymæ, quia ſicut toto vitæ ſuæ tempore uſus eſt pane ad victum: ita & toto vitæ tempore uſus eſt lacrymis, ut Deo per pœnitentiam ſatisfaceret. Certum eſt, juſtificatum eſſe Prophetam; cum tactus dolore cordis intrinſecus, ſuum confeſſus eſt peccatum, dicens: *peccavi*, ſed qui juſtus factus erat, voluit ſemper eſſe pœnitens. Et ideo ita conſtanter pœnitentiæ adhæſit, ut reliquo vitæ ſuæ tempore fleverit; ac tamdiu lacrymis ad pœnitendum, quamdiu pane ad victum uſus ſit: *lacrymæ tuæ fuerunt mihi panes die, ac nocte.*

Prophetam pœnitentem perfectiſſime imitata eſt Magdalena. Peccaverat ille, & peccaverat illa: juſtificatus fuerat ille, & juſtificata fuerat illa: ſicut autem Propheta, licet jam juſtificatus, toto tamen vitæ ſuæ tempore flevit: ita Magdalena, licet

jam

Digitized by Google

Jam juſtificata, toto tamen vitæ ſuæ tempore pœnitentiæ adhæſit; tamque conſtans fuit ejus pœnitentia, ut uſque ad mortem fleverit, ſuaque ſemper peccata deteſtata ſit: *Magdalena ſemper dolebat, ſemper in vita ſua flebat quæ fecerat. Aug. ſerm. 2. ad fratr.*

De Magdalena refert Sanctus Evangeliſta, quod aliquando flere cœperit: *lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Lucæ 7.* ſed non legimus, quod illa plorare aliquando deſierit: quia ita conſtans fuit ejus pœnitentia, ut uſque ad mortem in fletu & lacrymis perſeveraverit; *mulier flevit, & in fletu perſeveravit. Auguſt. in mel. cap. 36.* Lacrymæ quas ad lavanda crimina fundere cœpit, fuere quaſi margaritæ, quibus uſque ad mortem continue ornata fuit: *Quidnam*, inquit Chryſoſtomus, *illis oculis formoſius, perpetuo lacrymarum imbre, quaſi margaritarum decore ornatis. Chryſ. homil. 40. in Geneſ.* Ita ergo conſtans fuit Magdalenæ pœnitentia, ut ſimilis fuerit pœnitentiæ Davidis, qui ſemper flevit; ſed fuit etiam ita conſtans, ut ſimilis fuerit pœnitentiæ Jobi, *qui ſe cilicio ſemper induit.*

2. Licet Job eſſet vir juſtus & ſanctiſſimus, duram tamen & auſteram ſuſcepit pœnitentiam; quam ipſe his verbis delineat: *ſaccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam, facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligaverunt. Job 16. 9.* Dura, & acerba fuit hæc Jobi pœnitentia; cum cilicio ſe induerit, cinere ſe operuerit, a fletu facies ejus intumuerit, & palpebræ ejus caligaverint. Sed hæc ejus pœnitentia, fuit etiam diuturna & conſtans: quia ſaccum, & cilicium, non brevi ſolum aliquo tempore portavit; ſed illud ſuper cutem conſuiſſe dicit, ut oſtendat, quod toto vitæ tempore, illo opertus fuerit, quodque uſque ad mortem pœnitentiam prorogavit: *ſaccum conſui ſuper cutem meam.*

O vere aſperam & conſtantem Jobi pœnitentiam! At non minus acerba, nec minus conſtans fuit Magdalenæ pœnitentia; ipſa enim, abjecto omni muliebri ornatu, ablegatis cunctis mundi & carnis deliciis, in vaſtam ſolitudinem & horrendam receſſit ſpeluncam; ubi triginta annis, ſeu uſque ad mortem corpus ſuum duris & variis pœnitentiæ exercitiis cruciavit. Ibi fletibus ſæpe facies ejus intumuit; ibi arctioribus jejuniis carnem ſuam afflixit; ibique ita pertinaciter & conſtanter pœnitentiæ adhæſit, ut ſaccus, quem cuti quaſi aſſuerat, totaliter putruerit. Unde eum humano omni careret ſubſidio, alias veſtes quibus operiretur non habuit: ſed, ut ait D. Bernardinus, ope divina ita ejus increverunt capilli, ut iis ſolis totum corpus reliquo vitæ tempore opertum, & quaſi indutum fuerit. O pœnitentiam vere conſtantem! Sed ita etiam conſtans fuit Magdalenæ pœnitentia, ut ſimilis fuerit pœnitentiæ S. Joannis Baptiſtæ, *qui in variis pœnitentiæ operibus uſque ad mortem perſeveravit.*

3. Sicut ſanctus Joannes Baptiſta vocatur *exemplar pœnitentium*: ita Magdalena a ſancto Bernardino dicitur *pœnitentiæ forma.* Sicut S. Joannes ivit in deſertum, ut pœnitentiæ operibus vacaret: ita Magdalena in ſolitudinem receſſit, ut portentoſa pœnitentia corpus ſuum affligeret. In deſerto Joannes erat brutorum ſocius, melote indutus, & non manducans, neque bibens: & *Magdalena*, inquit ſanctus Bernardinus, *in ſolitudine erat ferarum ſocia, veſtibus humanis exuta, propriis capillis operta, & non habens cibum humanum.* In deſerto Joannes ſub dio dormiebat, ac nuda humus erat lectus, in quo decumbebat; Magdalena autem, ait ſanctus Bernardinus, *thalamum habebat cœlum, lectum habebat humum.* In deſerto tandem ita conſtans fuit Joannis pœnitentia, ut ibi in arctioris vitæ exercitiis uſque ad vitæ finem perſeveraverit: & Magdalena in ſimilibus pœnitentiæ operibus uſque ad mortem in ſolitudine conſtanter perſeveravit.

Cum diſceſſiſſent nuntii, quos ad Chriſtum miſerat Joannes Baptiſta; de illo ad turbas dicere cœpit Salvator: *quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Luc. 7. 24.* Quaſi eis dicat Chriſtus: credideratis forte, Joannem eſſe virum inconſtantem, iis ſimilem arundinibus, quæ leviſſima quavis flante aura, ab una in aliam partem faciliime moventur? Arbitrabamini forſan, tranſitoriam eſſe Joannis pœnitentiam; quodque ille, inſtar arundinis, mutaretur, & a vita pœnitente ad vitam deliciis plenam facile declinaret? At fallamini: Joannes enim non eſt arundo vento agitata: nulla in eo eſt inconſtantia: pœnitentia ejus conſtantiſſima eſt, & uſque ad vitæ illius finem perſeverabit. Magdalena pariter, non fuit arundini ſimilis: pœnitentiam enim non ad tempus ſolum amplexata eſt; ſed ſicut Joannes in deſerto uſque ad vitæ finem pœnitentiæ operibus incubuit: ita Magdalena in ſpelunca ſua uſque ad mortem fletibus, jejuniis, aliiſque mortificationibus conſtanter vacavit.

O mulierem in durioris pœnitentiæ exercitiis vere conſtantiſſimam! Sed o quam pauci eadem pollent conſtantia! quam pauci conſtanter pœnitentiæ adhærent! plerique pœnitentes, ut Luna mutantur & tamquam arundines moventur; ſi hodie pœnitentiam ſuſcipiant, cras, vel paucis elapſis diebus, ab ea deſciſcunt, & in priora peccata labuntur: ſi hodie pœnitentiam amplectantur, adveniente levi tentationis vento, tamquam arundines agitantur, & relicta pœnitentia, ad gravia peccata declinant. O exitioſam hujuſmodi hominum inconſtantiam! o quam grave iis ineſt ſalutis periculum! Non enim viris illis inconſtantibus, ſed his qui uſque ad mortem perſeveraverint, promittitur beatitudo: *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Matth. 10. 22.*

Velim, quod quis diu in deſerto habitaverit, quod flagellis corpus millies cruentaverit, quod crebris carnem ſuam jejuniis afflictaverit, & alia multa pœnitentiæ opera fecerit: ſi is humana fragilitate, & inconſtantia ſua non perſeveraverit, ac iis relictis pœnitentiæ exercitiis, in lethale aliquod peccatum infeliciter lapſus fuerit, ſalvus non erit; ſed in æternum damnabitur, & æterna morte peribit, ſi ſaltem ante mortem pœnitentiam non agat; *cum averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur. Ezech. 18.* Quare non ſolum prompte & ſincere, ſed etiam conſtanter cum Magdalena pœnitentiam agite, qua mediante, gratiam & gloriam a Deo obtinebitis. *Amen.*

DO-

Google

DOMINICA PALMARUM.

# DE AMBITIONE.

*Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam.* Matth. 21. 5.

LIcet ambitio ſit vitium maxime deteſtandum; a piis tamen doctiſque viris ſancta quædam agnoſcitur & commendatur ambitio, qua non peritura hujus mundi, ſed cæleſtia & in ſempiternum permanſura bona appetuntur. Pia hac ambitione ſuccendebatur cor divi Pauli, qui pictos fictoſque ſæculi non exquirebat honores; ſed ad veras, ſolidas, & æternas cæli dignitates anhelans, dicebat: *Quæ retro ſunt obliviſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei. Ad Philip. 3. 13.*

Laudanda & illa pia ambitione exarſerunt plures alii viri ſanctiſſimi; de quibus dici poteſt, quod præ omnibus aliis hominibus fuerint ambitioſi: quia non parva, ſed magna; non terrena, ſed cæleſtia; non humiles & vanas hujus mundi dignitates, ſed prædivites & ſublimes cæli ſedes concupierunt.

O utinam ad æternos illos honores omnium adſpiraret ambitio! utinam cæleſtes thronos cuncti ſpectarent, & ſummo affectu appeterent! utinam hic eſſet ſcopus, ad quem homines cuncta ſua deſideria, veluti ignitas ſagittas jacularent! ſed, proh dolor! fœda hominum ſæculi hujus ambitio in labilibus mundi ſiſtit honoribus; eaſque ambitioſi ſolummodo appetunt dignitates, quas nihili pendere deberent. Eas contemnere & fugere docet hodie Chriſtus, qui dum ab hominibus ut Rex honoratur, non curru regio vehi, ſed humili vult ſedere jumento: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam.* Parvi pendendas, aut ſaltem non ambiendas Eccleſiaſticas, & ſæculi dignitates, jam docebimus, &c. *Ave.*

AMbientium Eccleſiæ & ſæculi dignitates, *alii* ſunt indigni; *alii* digni, ſed non digniores; & *alii* digni & digniores. *Indigni ſunt*, qui ſcientia, vel pietate, vel prudentia ad exercendas dignitates ſufficiente non pollent: *digni*, qui has qualitates in gradu mediocri poſſident: *digniores* vero ſunt, non ſemper qui doctiores, quia hi aliquando omni dignitate indigni ſunt; ſed ii digniores dicuntur, qui penſatis quibuſque, & ponderatis ſimul ſcientia, pietate, & prudentia, ad portandum onus dignitatum capaciores & magis idonei judicantur. Ambitionis autem virus in hos omnes diffundi ſolet: ſpiritus ſuperbiæ tam indignos, quam dignos communiter agitat; ac ad beneficia, & ad dignitates appetitu inordinato omnes plerumque aſpirant. Sed nec indigni, nec digni, nec digniores, tranſitoria mundi dignitates ullo modo ambire debent. Ut enim jam probabimus, beneficia, & ſæculi dignitates ambire non debent; 1. qui indigni ſunt: 2. qui digni ſunt: 3. qui digniores ſunt.

## PRIMA PARS.

*Beneficia, & ſæculi dignitates ambire non debent indigni.*

OMni gloria & honore indignos perſæpe videmus homines, qui, veluti chamalæontes, ambitionis inflantur & nutriuntur vento; & qui os ad omnes dignitates, omniaque officia & beneficia apertum habent. Iis nonnunquam magis inhiant indigni, quam qui ſunt digniſſimi, illaque potiſſimum ambire ſolent, quia in iis voluptatem, honorem, & exaltationem auſpicantur. At falluntur miſeri; nec dignitates ambire debent: quia in iis invenient: 1. non voluptatem, ſed laborem: 2. non honorem, ſed dedecus: 3. non exaltationem, ſed præcipitium.

1. Quicumque ad mundi hujus dignitates evecti ſunt, in iis nullam, aut ſolummodo fallacem aliquam, multiſque laboribus permixtam deguſtant ſuavitatem: *fallax ſuavitas, infructuoſus labor. Laur. Juſt. lib. de ligno vitæ cap. 3.* Quod potiſſimum verum eſt de iis, qui talium dignitatum indigni ſunt: hi etenim in iis adminiſtrandis, non ſuavitatem, ſed laborem inveniunt, ac dura patiuntur; *tum* a conſcientia mordente; *tum* ab inferioribus ſuperiores indignos contemnentibus; *tum* ab ipſo onere dignitatum, quod gravius eſt iis, qui minus habiles, & minus idonei ſunt ad illud portandum.

Quod præclare demonſtratur pulcherrimo illo apologo in libro Judicum deſcripto: ubi narratur vel fingitur, arbores & plantas Regem ſibi præficere cupientes, olivam adiiſſe, ei ſceptrum, coronam & regiam dignitatem obtuliſſe, quam accipere recuſavit. Ab oliva tranſierunt ſucceſſive ad ficum & ad vitem, quæ oblatum ſibi regium diadema percipere renuerunt. Dixerunt tandem omnes arbores rhamno: *Veni, & impera ſuper nos;* rhamnus autem talem dignitatem non recuſavit, ſed reſpondit eis: *Si vere me Regem vobis conſtituitis: venite, & ſub umbra mea requieſcite. Judith 9. 14.* Miror, quod oblatam regiam dignitatem omnes accipere recuſent arbores ſola rhamno excepta, quæ ita vilis & abjecta eſt, ut arboris nomen non mereatur. Cur ſola rhamnus onus, & officium Regis in ſe ſuſcipit? Ibi utile, & grande latet myſterium: illa enim rhamnus, quæ regiam ambit dignitatem, figura eſt hominis ambitioſi: qui quo indignior, eo ſæpe audacior eſt ad dignitates appetendas, & poſtulandas. Sed ſicut rhamnus nunquam eſt ſine ſpinis; ita homo ambitioſus, cum dignitates, quarum eſt indignus, obtinuit, numquam ſine ſpinis, ærumnis, & laboribus vivit: propria enim conſcientia eum intus pungit, Deus multifariam illum affligit, illi obedire recuſant ſubditi, illum deſpiciunt omnes; eumque velut minus habilem, ac dignitatum quas poſſidet indignum indigitant, & ut ait Sapiens: *Cunctis dies ejus doloribus, & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit. Eccleſ. 2. 23.* Imaginabatur imprudens, quod in dignitate quam ambiebat, omnia ſibi forent dulcia, omnia delectabilia, & in ea non voluptates, ſed ſpinas & laborem multum invenit.

Vi-

Viri ambitioſi, qui dignitatum ad quas anhelant, indigni ſunt, ſimiles videntur libro illi de quo Ezechiel ait, quod in eo *ſcriptæ erant lamentationes, & carmen, & væ. Ezech. 2. 10.* In hoc libro, ut advertit D. Auguſtinus, tria ſcripta erant, duo triſtia, & unum delectabile: duo triſtia, ſunt *lamentationes & væ*, & delectabile, eſt *carmen*. Notatu autem dignum eſt, illud delectabile in medio duorum triſtium eſſe poſitum: ut intelligatur, viros ambitioſos, qui dignitates, quarum ſunt indigni, ambiunt, in iis carmina, & voluptates auſpicari, ſed vana ſua ſpe ſunt deluſi: quia cum ad dignitates ſunt ſublimati, lamentationibus & væ, ſeu calumniis, ærumnis & laboribus obſidentur, & circumcinguntur. Hi in medio laborum & afflictionum vivunt: ac ubi omni voluptatum genere frui crediderant, ibi non voluptates, ſed cruces & labores inveniunt: *o ambitio ambientium! D. Bern. lib. 3. de conſid.* Qui ergo dignitatibus indigni ſunt, eas ambire non debent: quia in iis non invenient voluptatem, ſed laborem; *ac etiam quia in iis non invenient honorem, ſed dedecus.*

2. Hoc docet Salvianus, qui Presbytero cuidam, indigne ad dignitatem evecto, ait: *Factus es eodem tempore, ut ita dixerim, in te major, & in te minor, novoque & pene inaudito genere, creſcens ſimul, & decreſcens. Salvian. lib. 1. ad Eccleſ. Cath.* Eodem quidem tempore, quo major factus fuerat, & quo creverat, ratione acceptæ dignitatis, minor, & decreſcens factus erat, ratione famæ & æſtimationis hominum, & ideo in hac dignitate non gloriam, ſed dedecus invenerat. Quod & de omnibus indignis dici poteſt: in dignitatibus enim ad quas ſublimantur, non gloriam & honorem; ſed potius dedecus & infamiam reperiunt: quia mox ut ad eas ſunt evecti, omnium in eos convertuntur oculi; de eorum ignorantia & imperitia loquuntur omnes; illorum defectus, & peccata pervulgant, & reprehendunt plurimi: eorum tandem nunc multis nota fit indignitas: quæ, dum privati erant, a paucis agnoſcebantur. Et ideo dum creſcunt, decreſcunt: cum aſcendunt, deſcendunt: cum majores fiunt, ratione dignitatis ad quam ſublimantur, minores evadunt in hominum æſtimatione: cum tandem honore dignam accipiunt, & exercent dignitatem, contemnuntur, & ut ea indigni deſpiciuntur: *nec plus aliquid humiliat ambitioſos, quam obtenta ſublimitas. Ennod. lib. 9. Epiſt. 3.*

Homo ambitioſus qui ad dignitates evehitur, ad quas eſt inhabilis, ſimilis eſt ſtatuæ ſupra altam columnam erectæ: ſicut enim ſtatua eo omnium oculis minor apparet, quo altior eſt columna, cui ſuperponitur: ita, quo ad eminentiores dignitates homo indignus ſublimatur, eo minor, & contemptibilior ab omnibus judicatur. Cujus rei præclara habetur figura apud Ezechielem Prophetam: ubi qui ad defenſionem turrium civitatis erant deſtinati, vocantur pigmæi: *ſed & pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras ſuas ſuſpenderunt. Ezech. 27. 11.* Hujus civitatis defenſores vocantur *pigmæi*, non quod vere pigmæi eſſent: ſed quia ob eminentem altitudinem turrium, quibus erant ſuperpoſiti, hominibus infra ſtantibus pigmæi, & exiguæ ſtaturæ homines eſſe videbantur. Eodem prorſus modo viri indigni, qui ad dignitates extolluntur, iis non majores, ſed minores fiunt: dignitates non eos ſupra alios eminere faciunt: quin potius eos magis deprimunt: non illis ſunt in honorem, ſed in dedecus; eoſque humiliant, & quaſi annihilant: *nec plus aliquid eos humiliat, quam obtenta ſublimitas.* Non ergo dignitates ambire debent indigni, cum illis ſint in dedecus, & confuſionem: ſed eas etiam ambire non debent: *quia in iis, non exaltationem, ſed præcipitium inveniunt.*

3. Cum didicit Doctor Mellifluus, Eugenium diſcipulum ſuum ad ſummum Pontificatum fuiſſe evectum, gaudebat ſimul, & timebat: *exultavi, fateor, ſed cum tremore. D. Bernard. epiſt. 27.* Paterno affectu gaudebat Bernardus, cum chariſſimum diſcipulum ad inſulas ſublimatum conſiderabat: ſed gaudens timebat: quia ſub ſupremæ illius dignitatis faſtigio abyſſum, & barathrum aliquod intuebatur, in quod ſupremum hunc Pontificem præcipitari formidabat. *Conſidero gradum, & caſum vereor; conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi jacentis deorſum, attendo celſitudinem, & e vicino periculum reformido.* Heu! ſi ſupremus ille Pontifex in dignitate, qua erat digniſſimus, periclitabatur: quanto magis viri indigni, ad dignitates evecti, reformidare debent præcipitium, quod eorum exaltationem comitari ſolet? Hi ſane timere debent: quia ut ait Divus Gregorius, hi cum elevantur, corruunt, & in peccata multa præcipitantur: *eo intrinſecus corruunt, quo magis extrinſecus ſurgunt. D. Greg. lib. 7. Mor. cap. 5.*

Cum Chriſtus Dominus veniſſet Nazareth, & in Synagoga explicaſſet hanc Iſaiæ Prophetiam: *Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me*, auditores illius mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus. Sed qui prius Chriſtum loquentem admirati erant; non multo poſt, ira adverſus illum concitati, *duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Luc. 4. 29.* O quam ingrati illi populi, qui Chriſtum elevare volunt, ut eum præcipitent! o qualem elevationem! cui quidem ſimilis eſt exaltatio eorum, quos, licet indignos, ad dignitates mundus ſublimat: elevat enim eos, ut præcipitet: a mundo elevantur, non ad ipſorum gloriam & honorem, ſed ad caſum, & ad præcipitium: *tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.*

Stulta ambitione excitatus Lucifer, in cælum aſcendere, & Deo ſimilis fieri appetiit: *ſimilis ero Altiſſimo. Iſaiæ 14. 14.* Deo ſimilis erat per participationem: quia divinarum perfectionum particeps erat, eaſque poſſidebat (modo tamen limitato:) ſed cæca ambitione motus, eas modo illimitato habere, & Deus eſſe voluit. At cum Lucifer, aliique rebelles ſpiritus ad cælum, & ad eſſe divinum aſcendere pertentarunt, in malorum barathrum, & in infernum præcipitati ſunt: *Deus Angelis peccantibus non pepercit: ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos. 2. Petr. 2. 4.* Idem accidere ſolet hominibus, qui licet indigni, dignitates, & præeminentiam ambiunt: dum enim ſurſum erigi curant, deorſum cadunt; cum extolli appetunt, dejiciuntur; cum ſublimari ſatagunt, a dignitati-

bus

bus ad quas evehuntur, in vitiorum barathrum, & in infernum cum Lucifero præcipitantur. Unde Divus Bernardus, hominem, qui licet indignus, ad dignitates evehitur, ſic compellat: *quo progrederis miſer? an ut ab altiori gradu ſit caſus gravior? neque enim ſic paulatim decedes, ſed tamquam fulgur in ſpiritu vehementi, quaſi alter Satanas ſubito dejicieris. S. Bernard. in declam.* Quare, o Chriſtiane, ſi ad Eccleſiæ, & ſæculi dignitates adminiſtrandas non ſis idoneus, ne eas ambias, nec ad eas ſublimari permittas; ſed cæleſtes dignitates, & ſupremos cæli thronos ſummo affectu concupiſce: *ſi culmen veri honoris quæritis, ad cæleſte regnum tendite; ſi gloriam dignitatum diligitis, in illa Angelorum curia adſcribi feſtinate. S. Gregor. hom. 15. in Ev.* Huc tende, huc vota tua dirige; non autem ad terrenas dignitates, quas ambire non debent indigni; *nec etiam digni.*

## SECUNDA PARS.

### *Beneficia, & ſæculi dignitates ambire non debent digni.*

Mihi audire videor virum ambitioſum, dicentem: ego tali honore dignus ſum; ſufficienti enim litteratura polleo; prudentia & virtute non careo; nec aliquid in me video, quod me tali beneficio, vel tali dignitate reddat indignum; quare ea ambire nil vetat. Hujuſmodi viris, ſic ratiocinantibus, reſponderi poſſet cum doctiſſimo Toſtato, virum ambitioſum numquam dignum eſſe dignitate quam ambit; & eo ipſo quo illam ambit, illa eſſe indignum; *qui honorem deſiderat, non eſt dignus honore, & qui deſiderat ſtatum excellentem, non poteſt eum convenienter ſuſtinere. Abul. quæſt. 5. in 2. Reg. 15.* At volo, vir ambitioſe, quod dignus & capax ſis dignitatum, quibus inhias: eas tamen nullatenus ambire debes, quia ambitio; 1. multas diſſenſiones cauſat; 2. peccata multa parturit; 3. ad tartara ducit.

1. Non litigant, nec militant homines pro obtinendo ultimo loco, ſed pro primo; *ad primum locum certamen omne contendit*, inquit Tertullianus. Videmus nonnumquam, quod ex humilitate vera, vel ficta, aliqui pro obtinenda ultima ſede contendunt, ſed pleraumque primum locum homines ambiunt, ad illum anhelant, ac pro illo litigant, & inde oriuntur jurgia, diſcordiæ, diſſenſiones, inimicitiæ & certamina. Unde enim tot odia inveterata inter fratres, tot diſſidia inter conſanguineos, tot diſcordiæ inter proximos, tot invidiæ inter cives, tot diviſiones, tot inſidiæ, totque hoſtilitates inter Aulicos & Magnates? nonne hæc omnia communiter a fœdo dominandi ſpiritu, & ab ambitione procedunt? *Unde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris? Jacobi 4. 1.* Quia duo vel plures idem beneficium, vel eandem dignitatem ambiunt; inde jurgia & diſſenſiones inter illos naſcuntur; & ſive propinqui, ſive amici illi ſint, fœda hæc ambitio diſſenſiones inter eos cauſat.

Si nunc mente revolvere liceret quæ in mundo geſta ſunt, & quæ jam in eo geruntur; omnium oculis pateret, maximas quaſque diſcordias, & diſſenſiones ab hominum ambitione ortum ducere. Nonne enim ex ambitione Romulus Remum fratrem ſuum occidit, ut ipſe ſolus regnaret? Nonne ambitionis ſpiritu concitatus Abſalom, patrem ſuum Davidem e ſolio dejicere pertentavit? Nonne Saul eumdem Regem & Prophetam, a quo innumera perceperat beneficia, uſque ad mortem perſecutus eſt, eo quod illum præ ſe honorari, & a populo æſtimari ægre ferebat? Nonne Abimelech, dominationis cupidus, ſeptuaginta fratres ſuos morti tradidit? Nonne Ariſtobolus Hircanum patrem occidit, ut illi in regno ſuo ſuccederet? *Judic. 9. 16.* Nonne Rex Moabitarum, regnandi cupiditate ductus, filium ſuum primogenitum mactavit? *4. Reg. 3.* Nonne ambitio bella multa movit inter Julium Cæſarem & Pompejum, inter Marium & Syllam, inter Romanos & Carthaginenſes? Notum eſt omnibus Alexandrum Magnum ex ambitione omnia Orientis regna armis ſuis vexaſſe. Unde tandem tot bella in orbe terrarum ab ipſa mundi origine? Unde tot diſſenſiones in familiis, in urbibus & regnis? Nonne ex ambitione? *Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris?* Quare cum ambitio dignitatum, ſit tot diſſenſionum cauſa, eas ambire non debent, etiam qui earum ſunt digni. Sed & hi eas ambire non debent, *quia ambitio peccata multa parturit.*

2. Ambitionem Divus Auguſtinus vocat *hæreſum matrem: Auguſt. Tom. 9. lib. 5. ad quod vult Deum hæreſ. 53.* quia ab ea, ut a maligna matre, innumeræ prodiere hæreſes. Quod patet *in Ario*, qui Arianiſmo adhæſit; quia ad Epiſcopatum non potuit erigi: *in Novato*: de quo refert Euſebius, quod tempore Cornelii Papæ, Epiſcopatus cupiditate, in ſchiſma & hæreſim ceciderit: *in Theobul*; de quo idem Euſebius narrat, quod Eccleſiam Catholicam infeſtarit, & plurimum turbaverit, quia ad Epiſcopatum non fuerat evectus. *Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 6. c. 9.* Hoc patet & in aliis multis, quos ambitio ad hæreſim traxit.

At malignum illud ambitionis vitium, non hæreſim ſolum, ſed & alia plurima peccata parturit. Ex ambitione enim prodeunt ſimoniæ, ſacrilegia, detractiones, invidiæ, vexationes, homicidia, rapinæ, & innumera alia peccata: Et ideo Divus Bernardus ambitionem vocat peccatorum fomitem, & originem: *Ambitio, inquit, eſt tinea ſanctitatis, criminum fomes, vitiorumque origo. Bernard. ſerm. 6. in Pſalm. Qui habitat.* Et, quod mirum & portentoſum eſt, videntur perſæpe aliqui viri pii, juſtitiæ & pietatis cultores, a luxuria, avaritia, aliiſque vitiis alieni; quibus, progreſſu temporis, ambitio pervertit ſenſum, eoſque a via juſtitiæ avertit, & tandem ad crimina multa pertrahit: *ſæpe quos vis ulla dejiciunt, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubvertere, facit ambitio criminoſos. Ambroſ. lib. 4. in Luc. cap. 4.* O quam fugienda ergo, & deteſtanda, etiam a viris dignis, ambitio dignitatum, cum hæc ſit peſſima parens, quæ viros, etiam ſanctos, ad plurima pecca allicit.

Hoc probe noverat Jacob; de quo teſtatur Scriptura, quod Joſephum præ omnibus filiis dilexerit: *Iſrael autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos; Gen. 37. 3.* Et tamen ſanctus ille Patriarcha, non Joſephum, ſed Judam regio honore inſignivit, ſingulis

Digitized by Google

lis enim benedicendo filiis, non Joſepho, ſed Judæ regnum auguratus eſt. Cur non honoravit præ aliis, quem præ aliis amavit? cur non tranſtulit regnum in dilectiſſimum Joſephum? Reſpondet non ignobilis ſacræ Scripturæ interpres, ſanctum Patriarcham hoc egiſſe, ne talis dignitas Joſephum ad varia incitaret crimina. Et revera difficillime poſſidentur, & adminiſtrantur regna, aliæque dignitates ſine ambitione, & ambitio non eſt ſine crimine; cum ſit mater peſſima, quæ multa, immo omnia fere parit crimina: *Ambitio eſt matrix in omne delictum, diffundens de ſuo fonte varias criminum venas. Tertul. lib. de pat. c. 5.* Quare cum ambitio crimina multa parturiat, dignitates ambire non debent qui earum digni ſunt. Sed nec hi eas ambire debent: *quia ambitio ad tartara ducit.*

3. Hæc ſunt formidanda & æterna præcipitia, ad quæ ambitio ducit: *præcipitia in quæ honores detrudunt, perpetua ſunt, atque prærupta! Chryſ. hom. 41. in Matth.* Aſſerit Spiritus Sanctus, quod *judicium duriſſimum his qui præſunt fiet: Sap. 6. 6.* quæ verba exponens Hugo Cardinalis, ait, quod iis fiet judicium *durum*, *durius*, & *duriſſimum*. Iis quidem fiet judicium *durum*, ſi male intraverint; *durius*, ſi male vixerint; *duriſſimum*, ſi male rexerint: Vel iis *durum* fiet judicium propter ſubditorum peccata, quibus non obviaverunt; *durius*, propter peccata miniſtrorum, quos corripere neglexerunt; *duriſſimum*, propter propria peccata, quæ ratione officii & ſcandali illati, majora ſemper ſunt. Vel dicamus, quod judicium durum, durius & duriſſimum iis fiet: quia quantumvis digni illi ſint; ſi cæca ambitione ad dignitates aſcenderint, eaſque male adminiſtraverint, nec ante mortem pœnitentiam egerint, ambitio illos ad tartara, & ad æterna inferni præcipitia ducet: *præcipitia in quæ honores detrudunt, perpetua ſunt, atque prærupta.* Nec credas, inquit Petrus Bleſenſis, ex ambitioſis qui ad dignitates ſublimantur, paucos ambitione ſua ad tartara duci: quia ſicut multi ſunt, qui voluntaria paupertate ad cælos elevantur, ita & multi terrenarum dignitatum ambitione ad tartara ducuntur: *multorum dominatio eſt eorum damnatio: quot enim paupertas ad cælum promovet, tot cum dignitatibus ſuis infernus abſorbet. Petr. Bleſ. Ep. 31.*

De homine ambitioſo ait Sapiens: *Eſt via quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Proverb. 14. 12.* Viri ambitioſi, & dignitatum cupidi, qui ad eas implendas ſe idoneos, & dignos arbitrantur, plerumque ſe juſte, & pie ea ambire poſſe præſumunt: cupiditate ſua ita excæcantur, & faſcinantur, ut ſe in via recta incedere credant, cum ad honores inordinate aſpirant: ſed revera hæc via a recto, a cælo, & a Deo devia eſt; & ideo quo diutius hanc tenent viam, eo magis a cælo aberrant, magiſque inferno appropinquant. Verum quidem, quod ambitioſi non ſemper ad mortalia peccata & ad infernum ſtatim ducantur: ſed primo venialibus inquinari ſolent; deinde a minoribus ad majora, & a venialibus ad mortalia progrediuntur; quibus paulatim aſſueſcunt, deinde in iis obdurantur & moriuntur; ac tandem ad tartara cadunt, & morte æterna plectuntur: *noviſſima autem ejus ducunt ad mortem.* Quare quantumvis quis ſit dignus, & ad terrenas dignitates adminiſtrandas idoneus, illas ambire non debet.

O fratres, inquit Doctor mellifluus, hujus mundi dignitates non ambiamus: ſed cæleſtes ſummo affectu deſideremus; *concupiſcamus in atria Domini. Crebro ſuſpiremus illuc. Ibi patria noſtra eſt, odoremus ſalutem, & a longe ſalutemus eam. Bernard. ſerm. de obedient. Pat.* Huc vota ſua omnes dirigere debent homines, non ad terrenas dignitates, quas non ambire debent digni; *nec etiam qui digniores ſunt.*

## TERTIA PARS.

*Beneficia, & ſæculi dignitates ambire non debent, etiam qui digniores ſunt.*

QUI digniores ſunt, ſi a Deo, intus loquente, & a legitimis ſuperioribus ad dignitates vocentur, ad eas in ſpiritu humilitatis & zeli conſcendere poſſunt, & debent. Numquam tamen ab iis ambiendæ dignitates: non ſolum quia ambitio eſt vitium grave, quod ſæpe ad infernum trahit; ſed etiam, quia ſæculi dignitates ſunt onera, ſomnia, & umbræ ſunt: 1. *onera*, quæ gravant; 2. *ſomnia*, quæ deludunt: 3. *umbræ*, quæ tranſeunt.

1. Cujus naturæ, & qualitatis ſint hujus mundi dignitates, perfecte noverat Moyſes; qui principatum ſibi a Deo datum, non tam ut eminentem dignitatem, quam ut onus humeris ſuis importabile reſpiciebat: quare ſic Deum alloquebatur: *Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me? Num. 11.* Et ne quis credat, pondus hoc ei fuiſſe leve, ſubdit Moyſes: *Non poſſum ſolus ſuſtinere hunc populum, quia gravis eſt mihi.* Gravis erat Moyſi populus, curæ ejus demandatus; dominabatur populo, & gravem eum experiebatur; in principatu ſuo non tam honorem, quam opus ſentiebat, quod & evenire ſolet cuilibet ſuperiori in dignitate conſtituto. Verum quidem, quod plerique, antequam ad dignitates evehantur, in iis ſolummodo gloriam, & honorem auſpicantur; ſed ſi chriſtiane & fideliter munus ſuum obeant, in iis inveniunt onus, cuilibet dignitati annexum. Subditi enim ſunt onera humeris eorum impoſita, quæ portare tenentur; totque ſunt ſuperiori onera portanda, quot habet inferiores regimini ſuo commiſſos, *homo in ſublimibus elevatus, tantos ſuper ſe ſuſtinet, quantos ſuppoſitos regit. S. Gregor. lib. 7. Mor.* Superior aliquis regimini ſuo demandatum habet hominem protervum, contumacem, omnis boni inimicum, & proclivem ad omne malum: ecce onus grave ſuperiori, qui de illius anima eſt Deo rationem redditurus. Homo, quantumvis dignus, & dignior, ad dignitatem aliquam ſublimatus, ſubditos habet, quorum *alii* illum contemnunt: *alii* ei invident; *alii* in faciem ei rident, & poſt tergum ipſi peſſime maledicunt; *alii*, qui ſe fidiſſimos amicos vocitant, & intus jurati ſunt inimici; *alii*, qui palam omnia ejus opera approbant, & clam ea reprobant & damnant. Ecce onera gravia, a dignitatibus inſeparabilia; quilibet inferior ſuperiori ſuo onus eſt: *tantos ſuper ſe ſuſtinet, quantos ſuppoſitos regit.*

Nec credas, hoc verum eſſe ſolummodo de dignitatibus infimis & ſubordinatis: omnis enim dignitas,

etiam

etiam regia & ſuprema, ſuum onus habet: *o corona*, inquit Gerſon, *ſpecioſa magis, quam pretioſa: plus expaveſcenda, quam appetenda: quis onus tuum ferre potuit?* Heu! ſi regia dignitas, in qua omnia glorioſa, & omnia dulcia videntur, oneroſa ſit, quid ſentiendum de aliis dignitatibus inferioribus? Nulla ſane eſt, cui annexum non ſit aliquod onus. Et licet in iis ſpecies quædam externa ſuavitatis, & quietis eluceat; in re tamen ſunt vera onera, quibus gravantur, quicumque eas exercent, quare eas ambire non debent viri etiam digniores. Quas & hi ambire non debent, *quia ſæculi dignitates ſunt ſomnia, quæ deludunt.*

2. Cum aliquis inter dormiendum ſomniat, ſe eſſe Regem, vel ſummum Pontificem, quamdiu tale ſomnium durat, de his dignitatibus gaudet, quaſi revera iis frueretur; ſed cum a ſomno excitatur, dignitates, quibus dormiens frui arbitrabatur, nil aliud ſunt, quam mera ſomnia: *velut ſomnium ſurgentium, Domine. Pſalm.* 72. Reſpice, inquit Divus Auguſtinus, omnes mundi dignitates, honores omnes, & cunctas felicitates, quas homines tanti faciunt, & certus eſto, hæc omnia eſſe mera ſomnia, quia ut ſomnia tranſeunt, (quomodo, ait Auguſtinus, qui videt theſauros in ſomnis, dormiens dives eſt, ſed evigilabit, & pauper erit: ſic omnia iſta vana hujus ſæculi, de quibus homines gaudent. In ſomno gaudent, evigilabunt, & invenient, *ſomnia illa fuiſſe, & tranſiiſſe velut ſomnia.*) Ecce quid ſint mundi dignitates: illuſiones, & mera ſomnia ſunt, quia veluti ſomnia tranſeunt & evaneſcunt.

Non ſine myſterio Deus hominibus multis dignitates ad quas evehendi erant, in ſomnio manifeſtare voluit: *In ſomnio* enim vidit Joſeph Patriarcha futuram ſuam exaltationem in Ægypto; *in ſomnio* declarata eſt Reginæ Eſther omnis, quæ ei eventura erat felicitas: *in ſomnis* prævidit Nabuchodonoſor famoſas quatuor mundi Monarchias; *in ſomnio* pincerna Regis Ægypti, ſe in priſtinam dignitatem reſtituendum agnovit; *in ſomnis* Deus Salomoni ſapientiam, divitias, & gloriam multam promiſit. Cur, quæſo, hæ omnes dignitates in ſomnio conciplendæ monſtrantur? Nullam ſomniis fidem adhibendam communiter dicitur: cur ergo Deus futuras has dignitates in ſomniis revelare voluit? Certe ut ſciant homines, has & omnes mundi dignitates nihil aliud eſſe quam vera ſomnia: *omnis gloria ſæculi ſomnium eſt, non veritas. Ambr. lib. de Joſeph cap.* 6. Quare hujuſmodi dignitates ambire non debent homines, licet digniores, ſed eas etiam ambire non debent, *quia ſæculi dignitates ſunt umbræ, quæ tranſeunt.*

3. In ludis olympiacis olim plurimum decertabant viri, etiam nobiliſſimi, ſed ad quid tot certamina? ad obtinendam coronam ex ramis arborum contextam, & ut loquitur Sanctus Baſilius Seleucienſis, decertabant hi pro obtinenda aliquorum foliorum umbra: *præmium*, inquit, *corona de frondibus; ac totus ille conflictus propter umbram foliorum ſuſcitatur. S. Baſil. orat.* 27. En ſæculi hujus dignitates, in præmiis illis depictas: umbræ etenim ſunt dignitates, ſicut & illa præmia; quia ſicut umbra fugax eſt, nec capi poteſt; ſed cum eam quis capere pertentat; mox e manibus ejus evaneſcit, nec in iis aliquid invenit: ita & dignitates ſæculi ſunt veluti fugaces umbræ, quia capi difficile poſſunt & ſi cupiantur, ſtatim velut umbræ labuntur: *Principatus, ſicut ingreditur, ſic deſeritur, & quamdiu tenetur, labitur. Hieron. in cap. 9. Marc.*

Quamdiu in hoc mundo vivunt ambitioſi, ſibi ſuadere nequeunt, ſæculi hujus dignitates, eſſe umbras labiles, & tranſitorias: at cum igne tartareo, ſimul cum conſortibus ſuis cremabuntur, cognoſcent miſeri, & fatebuntur, ſe pro umbra decertaſſe. Audite ambitioſos in inferno clamantes, honores, & dignitates, ad quas in hoc mundo evecti fuerant, nil niſi umbras extitiſſe. *Quid*, inquiunt, *nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Ad quid profuit nobis, Pontificalem, Regiam, Imperatoriam, & alias dignitates exercuiſſe? quid nobis contulit, ad excelſos mundi thronos ſublimari, gentibus multis imperaſſe, auram & reverentiam populi nobis conciliaſſe, & altiorum dignitatum munia obiiſſe? O præclaram quæſtionem! cui reſpondent ipſi damnati, latentes; hæc omnia inutilia, & vana fuiſſe, nec eis aliquo modo profuiſſe: quia fuerunt veluti umbræ tranſeuntes: *tranſierunt omnia illa tamquam umbra. Sap.* 5. 8. Diſcite, o ambitioſi, diſcite a damnatis, hujus mundi dignitates eſſe ſolummodo umbras volatiles: hoc diſcite, & certi eſtote, quod cum ſæculi dignitates accipitis, nil niſi umbram ſumitis, & complectimini: *ſumma aviditate complectuntur umbram. Chryſ. hom. 29. in 2. Cor.*

O quam ſtulti, qui has umbras ambiunt! Velim, quod digniores hi, & digniſſimi ſint, ſtultos tamen eos eſſe fatendum eſt, ſi dignitates inordinate capiant, & ambiant, quia *umbram ſequi inſanientis eſt. Chryſ. ibid.* Hanc eorum ſtultitiam variis exemplis præclare explicat D. Auguſtinus, dicens: (quis imaginem auri in aqua, ipſo auro neglecto, eligeret, & non ſtatim a cunctis fatuus, & inſanus crederetur? ſi quis orbem ſolis, in ſpeculo redditum, plus diligeret, quam ipſum ſolem, nonne ab omnibus irrideretur? quid ſtultius, quid inſanius eſt, quam umbra veræ gloriæ, veri honoris decipi, & ſuperari, & ipſam veram gloriam, verum honorem non quærere, nou deſiderare? hoc commercium inſipientium eſt. *Auguſt. lib. de trip. hab. cap.* 3.) Ecce inſaniam hominum ambitioſorum, qui cum indeſinenter anhelare debeant ad regna cæleſtia, ubi veræ, & præcelſæ ſunt dignitates, terrenis inhiant dignitatibus, quæ ſunt ſolummodo ridicula ſomnia, & umbræ fallaces.

O filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? cur umbratiles dignitates tanto cum affectu concupiſcitis? cur ad præeminentias, quæ velut umbræ evaneſcunt, tam ardenter anhelatis? fugite umbram ſæculi, aut ſaltem mundi dignitates inordinate non ambiatis. Si enim earum *indigni* ſitis, in iis laborem, dedecus, & præcipitium invenietis: ſi illarum ſitis *digni*, ac ad illas adminiſtrandas idonei, mementote, quod ambitio dignitatum, diſſenſiones plurimas cauſat, peccata multa parturit, & ſæpe ad tartara ducit: ſi tandem non ſolum digni, ſed etiam *digniores* ſitis; non terrenas, quæ onera, ſomnia, & umbræ ſunt, ſed cæleſtes ambite dignitates, ad altiores cæli thronos adſpirate;

Digitized by Google

æ; pro iis obtinendis, totis conatibus laborate; Denique qui benignus, & miſericors eſt, cæleſtem hanc vobis gloriam concedere dignabitur. *Amen*.

## FERIA II.
## HEBDOMADÆ SANCTÆ.
# DE MARIA, JUXTA CHRISTI CRUCEM STANTE.

*Stabant autem juxta Crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus.* Joann. 19. 25.

SI olim apud Judæos moris erat, quod plurimæ ſingulis annis in unum locum convenirent adoleſcentulæ, ut ſimul filiam Jephte amare flerent; potiori ſane jure, ſaltem ſemel quolibet anno, congregari debent fideles, ut cum Maria amariſſime flente plorent, utque ei ſupra modum afflictæ compatiantur.

Gaviſa erat Maria, cum Verbum æternum in ejus utero carnem ſuſcepturum ei nuntiaverat Angelus; Exultaverat Virgo ſacra, cum filium ſuum unigenitum pepererat, ſummo affecta fuerat gaudio, cum illum prædicantem, cæcos illuminantem, aliaque miracula facientem viderat. Sed tandem aliquando afflicta eſt beatiſſima Dei Genitrix, cum ſcilicet ſtaret juxta crucem in qua pendebat filius: *ſtabat autem juxta crucem Jeſu mater ejus*.

Contemplemur Beatiſſimam Virginem Mariam juxta crucem cui affixus erat filius, amare lacrymantem, cum illa lugeamus, ei compatiamur, ejuſque afflictionem, & paſſionem pro modulo noſtro explicemus, &c. *Ave*.

QUamdiu in hoc mundo moramur, jucundis rebus miſericors Deus ſemper mœſta, & triſtia permiſcet. Quod certe & in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates finit habere continuas: ſed cum ex adverſis, tum ex proſperis juſtorum vitam quaſi admirabili varietate contexit.

Hoc & cum in Matre feciſſe conſtat, quam licet ardentiſſime amaret, eam tamen nunc gaudiis affici, nunc doloribus, & afflictionibus multis cruciari permiſit, & ideo alia myſteria ei jucunda, & gaudioſa; alia vero ei triſtia, & doloroſa extitiſſe dicimus.

Non hodie contemplemur Mariam, ut ineffabilibus gaudiis ſuperfuſam, ſed ut pluribus, iiſque gravibus, juxta Chriſti crucem afflictionibus confectam. Ibi ſedulo conſideremus piiſſimam Dei genitricem, & videamus exceſſum, cauſam, & modum afflictionum, & paſſionum ejus. Videamus, inquam: 1. *exceſſum* paſſionum ejus, ſeu, quantum paſſa ſit: 2. *cauſam* paſſionum ejus, ſeu, quare paſſa ſit: 3. *modum* paſſionum ejus; ſeu, quomodo paſſa ſit. Quantum, quare, & quomodo Maria juxta crucem paſſa ſit; en tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Quantum Maria juxta crucem paſſa ſit.*

DIvus Auguſtinus in præclaro ſermone, quem de Chriſti paſſione compoſuit, filium, & matrem contemplatur; *Filium* in cruce, & *Matrem* juxta crucem; *Filii* in cruce patientis dolores fuſa oratione proſequitur; *Matris* vero juxta crucem ſtantis tantos extitiſſe dolores ait, ut nec lingua creata explicare, nec eos mens humana concipere valeat; *non lingua loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore tunc tenebatur anima Mariæ*. Ut tamen prout fas erit, de exceſſu dolorum Matris diſſeram, & ut quantum juxta crucem paſſa ſit, aliquomodo explicem, dico, quod tantum ibi paſſa ſit: 1. quantum Martyres paſſi ſunt: 2. quantum Chriſtus paſſus eſt: 3. quantum, & pluſquam ipſa naturaliter pati poterat.

1. Chriſtus, qui in Maria omnem gratiam collocavit, noluit eam carere honore Martyrii: quare cruci eam adſtare voluit, ubi Martyr facta eſt, immo & plus quam Martyr, quia dolores, quos ibi paſſa eſt, omnibus aliorum Martyrum doloribus antecellunt. Et ut aſſerit S. Anſelmus, quidquid paſſi ſunt alii Martyres, leve & quaſi nihil eſt, reſpectu eorum, quæ juxta crucem Maria perpeſſa eſt; *Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ paſſionis. S. Anſelm. lib. de Excellentia Virg. cap. 5.*

*Graviſſima* paſſus eſt invictus Martyr S. Laurentius, dum craticulæ ſuperpoſitus ureretur: *graviſſima* Protomartyr Stephanus, dum lapidum grandine quateretur: *graviſſima* toto terrarum orbe mirandus Sanctus Apoſtolus Bartholomæus, dum velut brutum animal excoriaretur: *graviſſima* omnes Martyres, dum pro Chriſto ſanguinem fuderunt; ſed hæc omnia Martyrum ſupplicia, quæ in ſe graviſſima, nobiſque intolerabilia videntur; leviſſima, & quaſi nihil erant, reſpectu dolorum Mariæ. Verum eſt, quod juxta crucem facta ſit Martyr cum Martyribus, ſed facta eſt etiam plus quam Martyr, quia reſpectu dolorum ejus, parva, & quaſi nihilum reputanda ſunt omnia Martyrum tormenta. Et ratio eſt, quia patiebantur ſolum in corpore Martyres; Maria vero patiebatur in anima: Martyrium autem animæ longe gravius eſt Martyrio corporis, & ideo Maria plus quam Martyr fuit, & plus quam Martyres paſſa eſt: *Quæ quia mente paſſa eſt, plus quam Martyr fuit. D. Hieron. ſerm. de Aſſumpt.*

Aliter explico hanc rationem, & dico, Mariam plus paſſam eſſe, quam Martyres, quia Martyres in mediis ſuppliciis magna perfundebantur lætitia, & gaudio intus ſuperabundabant, in ſpe obtinendæ cito gloriæ cæleſtis, ac Chriſtum mox poſſidendi. Sed Maria hoc non fruebatur gaudio; quin contra ſummopere intus angebatur, videns quod graviſſima pateretur Chriſtus, quodque a dilecto filio ipſa ſepararetur. Hæc fuit cauſa dolorum ejus, qui tanti juxta crucem extiterunt, ut ibi plus, quam Martyr facta ſit. Unde ſicut dicitur Regina Virginum, ratione eminentiſſimæ puritatis, qua floruit; ita dicenda eſt Regina Martyrum, & Martyr Martyrum, ratione graviſſimorum dolorum, quos juxta cru-

cem

Digitized by Google

cem pertulit: *ſicut appellatur Virgo Virginum, ita Martyr Martyrum debet appellari*: Maria ergo juxta crucem plus quam Martyres paſſa eſt. Sed graviſſimi etiam juxta crucem dolores ejus extitere, *quia ibi tantum paſſa eſt, quantum Chriſtus in cruce. Rich. lib. de D. Virg.*

2. Non ſatis exaggerari poſſent tormenta, quæ in cruce paſſus eſt Chriſtus, quidquid de iis diceremus, minus diceremus. Sed quod portentoſum eſt, non minus paſſa eſt Maria in corde juxta crucem, quam Chriſtus in corpore; quia omnes dolores filii tranſibant ad matrem; *quot læſiones in corpore filii, tot vulnera in corde matris, clavi quibus corpus Chriſti pendebat in cruce, & cor Virginis confixum habebant: nullum ictum recipiebat corpus filii, cui non triſtis echo reſponderet in corde matris. S. Hieron. in ſerm.*

Aſſerit Doctor Seraphicus, non ſolum æquales, verum & majores fuiſſe dolores Mariæ, quam Chriſti; *Maria majorem dolorem habuit, quam Salvator. Div. Bonavent. de comp. Virg.* 1. Quod debet intelligi, non abſolute, ſed comparate, ita ſcilicet, ut dolores interni, & cordis Mariæ, majores extiterint, quam dolores corporei, & externi Chriſti. Maria enim patiebatur in corde, quidquid Chriſtus patiebatur in corpore, dolores autem cordis majores ſunt, quam dolores aliorum membrorum, & ita dolores Mariæ doloribus Chriſti aliquo modo majores fuerunt.

Clavi, ſpinæ, lancea, & alia inſtrumenta quibus cruciabatur Chriſtus in corpore, tranſibant ad cor Mariæ: *ſagitta tuæ tranſeunt*. Cum clavis tranſfodiebantur Chriſti manus, & pedes, iis & tranſfodiebatur cor Mariæ; cum in Chriſti caput ſpinas deſigebant carnifices, non hic hærebant earum acumina, ſed ad Virginis cor tranſibant, illudque diriſſime ſauciabant; cum lancea tranſfixum fuit Chriſti latus, dirum hoc ferrum ad Mariæ cor migravit, illudque crudeliter tranſfixit: in corde tandem ſuo omnia patiebatur Maria, quæ Chriſtus in corpore: quare cum multo graviores ſint cordis, quam aliorum membrorum dolores, dici poteſt, majores Mariæ, quam Chriſti fuiſſe dolores, ſeu, illam magis paſſam eſſe in corde, quam Chriſtus in corpore; *Maria majorem dolorem habuit, quam Salvator*.

Quid majus dicit Simeon Metaphraſtus: nempe plura, & graviora fuiſſe, quæ Maria in corde, quam quæ Chriſtus in corpore vulnera paſſus eſt: ita ut cum una plaga corporis Chriſti fieret, non una dumtaxat, ſed innumeræ plagæ identidem cordi Mariæ infligerentur: *hæc omnia illam tranſverberabant profundius, quam ulli clavi, & pro una filii plaga, innumeris ipſa plagis ſauciabatur. Metaph. hom. de dormit. Deipare.*

Cum mater aliqua filium, quem ſummo affectu diligit, uno pugionis ictu confodi videt, hoc ictu unica in corpore filii fit plaga; ſed mille fiunt in corde matris, quæ filium ſuum ſauciari videt. Hoc idem accidit in crudeli Calvarii montis tragædia; ibi enim ictus quos Chriſtus recipiebat in corpore, multiplicabantur in corde Mariæ, & quoties una in Chriſti corpore fiebat plaga, toties innumeræ in corde Mariæ plagæ fiebant; *pro una filii plaga, innumeris ipſa plagis ſauciabatur*. Tantum ergo paſſa eſt Maria juxta crucem, quantum Chriſtus in cruce. Sed Maria etiam ibi tantum paſſa eſt, quantum ipſa pati poterat; *immo & plus, quam ipſa naturaliter pati poterat*.

3. Maximos extitiſſe Mariæ dolores non dubitabit qui conſiderabit, qualis eſſet ille filius, qui cruci affixus, duriſſima patiebatur, & qualis eſſet illa mater, quæ filio talia patienti adſtabat, quia tantum haud dubie doluit Maria, quantum umquam de tali filio dolere potuit talis mater.

Pia hac cogitatione, præventus ſanctus Bernardinus Senenſis, dicere non dubitavit tantum fuiſſe dolorem Virginis in paſſione Chriſti, *quod ſi Mariæ dolor in omnes creaturas, quæ pati poſſunt, divideretur, omnes ſubito interirent. S. Bernard. ſerm. 61. art. 3. cap. 2.*

Tantum ejus fuiſſe dolorem, ex meipſo vix aſſerere auderem. Libenter tamen dicam, quod ſaltem ipſa tantum, immo & plus paſſa ſit, quam pati potuiſſet naturaliter; ita ut, niſi a Deo miraculoſe ſuſtentata eſſet, impoſſibile fuiſſet, illam tam acerbos perferre dolores, ſed Deus ſpeciali miraculo illam a morte præſervavit; *vere*, inquit Sanctus Anſelmus, *interiiſſet præ magnitudine doloris, niſi a Deo præſervata fuiſſet*. Addit Sanctus Anſelmus, Mariæ juxta crucem ſtantis, ita acerbos extitiſſe dolores, ut, naturaliter loquendo, eorum vi, & acerbitate ſingulis momentis mori debuiſſet, & revera ſingulis momentis interiiſſet, niſi a Deo per potentiam extraordinariam, & per miraculum a morte præſervata fuiſſet; *per ſingula momenta dolor vitam ejus extinguere ſufficiens fuiſſet, niſi ex ſpeciali miraculo conſervaretur. S. Anſelm. ſerm. de Paſſion.*

O quam gravia juxta crucem paſſa eſt Maria! o quam magni, & acerbi ejus extitere dolores! Sed o quam ſtulti filii hominum, qui nil pro Chriſto in hoc mundo pati volunt, quam inſenſati, qui Deum ſibi injuriam facere arbitrantur, cum eos adverſitate aliqua affligi permittit! Heu! ſi Chriſtus matrem, quam ſummo affectu diligebat, affligi, tribulari, & portentoſa pati voluit, quam tibi injuriam irrogat, cum te peccatorem, te inimicum ſuum, te æternis inferni ſuppliciis dignum, gravi morbo, temporalium bonorum jactura, vel alia aliqua tribulatione jactari permittit?

O homo, advenientes tibi cruces, & adverſitates, ne inſpicias, ut effectus iræ Dei, ſed eas recipe, veluti magna bonitatis ejus in te ſigna: ſi enim matrem, quam ardentiſſime amabat, affligi voluit; crede, quod & te diligat, cum te affligit. Et ideo in afflictionibus tuis Deum ſemper ut benevolum Patrem inſpice, qui te non minus amat, cum percutit, quam cum beneficia impertit. Nec dicas, acerba nimis eſſe quæ pateris; nihil enim ſunt dolores tui, reſpectu dolorum Mariæ, quæ juxta crucem patitur quantum Martyres paſſi ſunt, quantum Chriſtus paſſus eſt, & quantum, immo & plus quam ipſa naturaliter pati poterat. Ecce exceſſum dolorum Mariæ, ſeu quantum ipſa paſſa ſit; videamus cauſſam dolorum Mariæ, ſeu, *quare ipſa paſſa ſit*.

## SECUNDA PARS.

*Quare Maria juxta crucem paſſa ſit.*

CUm paſſionum Mariæ principium inquiro, illud in ipſamet Maria invenio, oculi enim, intelle-

lectus, & cor ejus, ſunt principium, & cauſa paſſionum illius: *oculi* quidem, quia Chriſtum patientem vident: *intellectus*, quia eum clare cognoſcit: *cor*, quia illum ardenter amat. Unde Maria juxta crucem paſſa eſt, quia Chriſtum crucifixum: 1. videbat: 2. cognoſcebat: 3. amabat.

1. Tanti, tamque graves non fuiſſent Mariæ dolores, ſi cum Chriſtus crucifixus eſt, ipſa a Calvariæ monte diſtaſſet, ſed ipſa præſens ſemper adſtitit tam lugendo ſpectaculo. Non longe diſtabat Maria, ſed *ſtabat juxta crucem*. Ibi ſtabat, & videbat ingratum populum, qui filii ſui mortem ſitiebat, crudeles carnifices, qui illum diriſſime cruciabant, obduratum latronem, qui eum blaſphemabat, impudentes, & impios viros, qui divinam ejus faciem ſputis operiebant, & alios qui quantum poterant, injuriis, & vulneribus eum afficiebant. Hæc videbat Maria, huic ſpectaculo præſens aderat, & ideo diriſſime, & plus quam dici poteſt, in corde torquebatur; *nequaquam a diro ſpectaculo mater aberat, quæ ob id ultra quam credi poteſt, angebatur pro filio*. *Laur. Juſt. de triumph. Chriſt. agon. c.* 10.

Non fecit Maria, ſicut Agar, quæ a filio diſceſſit, ut eum morientem non videret: *non videbo morientem puerum*. In gravi afflictione qua angebatur Agar, eo quod filium ſiti periturum crederet, aliquid ſibi ſolatii quærebat, in hoc quod eum morientem non videret. Sed hoc caruit ſolatio Maria: juxta crucem enim erat, crucifixum filium intuebatur, eum toto paſſionis tempore ſpectabat, eumque in medio duorum latronum morientem vidit: ex quo tot, & tanti ei fuere dolores, ut vix explicari queant, *quis exiſtimari poteſt, quanta triſtitia afficiebatur Maria ſuper unici filii paſſione? Vidit eum ligatum & ſolvere non potuit; vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit: vidit ſanguinem fluere, & abſtergere nequivit*. *S. Anſelm. de compaſſ. Virg.* Chriſtum patientem, & morientem vidit Maria, & quia hoc vidit, diriſſima fuit afflictio ejus: Unde dici poteſt, quod oculi ejus fuerint quaſi carnifices, a quibus Martyr, & pluries Martyr facta eſt.

De matre ſeptem filiorum Machabæorum ait D. Auguſtinus, oculos ejus fuiſſe tortores, a quibus ſepties Martyr facta eſt, quia quoties unum ex filiis morti tradi videbat, toties novum martyrium patiebatur: *illa videndo in omnibus paſſa eſt, ſepties Martyr facta eſt, ferebat in oculis quod in carne omnes*. *S. Aug. ſerm.* 109. *de diverſ.* Ecce quomodo oculis paſſa, & pluries Martyr facta ſit Maria: Unigenitus enim filius gravia perpeſſus eſt, cum crucem ad Calvariæ montem portavit, & Maria hoc videbat; crucis patibulo affixus eſt Chriſtus; & ipſa hoc videbat; oculi Mariæ teſtes fuerunt omnium tormentorum, quæ Chriſtus in Calvariæ monte pertulit: & identidem crudeles extitere tortores, a quibus non ſepties ſolum, ſed millies martyrium paſſa eſt. Martyr, & pluries Martyr fuit Maria: quia filium vidit cruci ligatum, clavis affixum, ſpinis coronatum, lancea perforatum, & crudeliſſimam mortem duos inter latrones paſſum. Juxta crucem ergo paſſa eſt Maria, quia vidit; *ac etiam quia cognovit*.

2. Eo gravius affligi ſolent homines, quo ſubtiliori & eminentiori pollent ingenio: quia hi, quorum potiora ſunt ingenia, perfectius norunt rationes & motiva, quibus ad afflictionem & triſtitiam excitari debent. Et hoc eſt aliud principium afflictionum & paſſionum Mariæ: juxta crucem afflicta eſt; quia perfectiſſimo pollet ingenio clariſſime cognoſcente filii innocentiam, injuſtitiam Judicum, ſatellitum ſævitiam, & omnes circumſtantias, quæ ipſi dolorem & afflictionem inferre poſſunt. Ipſum ejus ingenium eſt ſæviſſimus tortor, a quo diriſſime cruciatur; & ut ait S. Joannes Damaſcenus, *Maria, tamquam gladio, cogitationibus diſcerpitur*. *Damaſc. lib. 4. de orth. fid. c.* 5.

Cum Maria juxta crucem ſtans, cogitabat turpe ſupplicii genus, cui adjudicatus fuerat filius; hæc cogitatio erat quaſi gladius, quo cor ejus transfigebatur; cum Judæorum ingratitudinem & ſævitiam mente revolvebat Maria, hac cogitatione, tanquam gladio acutiſſimo, cor ejus ſauciabatur; Cum animo verſabat dilectiſſimi filii ſanctitatem, innocentiam & infinitas perfectiones; hæc cogitatio gladius erat, quo cor illius transfodiebatur: quot tandem in mente Mariæ erant cogitationes circa filii paſſionem, tot in corde ejus erant gladii, quibus diſcerpebatur: Quare non miremur, ſi pictores Mariam nonnunquam nobis objiciant, quinque, vel ſeptem enſibus pectus transfixum habentem; non enim ſeptem ſolum, verum & mille enſibus cor ejus ſauciatum fuit; quia tot gladiis diſceptum fuit cor ejus, quot cogitationes de Chriſti paſſione habuit: *Maria, tanquam gladio, cogitationibus diſcerpitur*. *Richard. a S. Victor. in Cant. c.* 26. At Maria juxta crucem paſſa eſt, non ſolum quia vidit, & cognovit: *ſed etiam quia filium patientem ardentiſſime amavit*.

3. Amor ita Mariam in Chriſtum transformaverat, ut illo patiente ipſa pateretur: patiebatur ille vi tormentorum, & illa vi amoris. *Et quia non fuit amor, ſicut amor Mariæ: ita nec fuit dolor ſimilis dolori ejus*. Si Chriſtum non amaſſet Maria, illo moriente non doluiſſet; ſed quia maximo illum amore proſecuta eſt, maximi etiam extitere dolores, quibus afflicta eſt. Et ut loquitur S. Hieronymus: *Maria plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit, ita ut animam ejus totam pertranſiret, & poſſideret vis doloris*. *S. Hier. ſerm. de Aſſumpt. Virg.* Addit S. Amedeus, Mariam ob nimium quo in Chriſtum ferebatur amorem, majores paſſam eſſe dolores, quam viribus naturalibus pati potuiſſet; *Maria vicit ſexum, vicit hominem, & paſſa eſt ultra humanitatem, torquebatur enim magis, quam ſi torqueretur ex ſe, quia ſupra ſe incomparabiliter diligebat id unde dolebat*. *Amed. hom. 5. de Deipara*.

Sibi falſo ſuadent multi, amorem totum eſſe in deliciis & voluptatibus, nilque unquam niſi ſuave & jucundum ſpirare: amor enim ſuo tempore crudelis eſt, & amanti ſæpe dolores ita acerbos infert, ut non ſine ratione dixerit quidam ex antiquis Philoſophis, amorem eſſe omnium tortorum crudeliſſimum. Quod in Maria veriſſimum comprobatur: tot enim Mariæ cor vulneribus ſauciabat amor, quot ictibus carnifices corpus Chriſti feriebant. Aut, ut loquitur Sanctus Bernardinus, eadem in corde Mariæ vulnera faciebat amor, quæ in Chriſti cor-

pore faciebant carnifices; *vulnera Chriſti morientis, erant vulnera matris dolentis. D. Bern. ſerm. de Paſſione.*

De glorioſa virgine Sancta Clara a Monte Falcone circumfertur, quod tanto in Chriſtum crucifixum accenderetur amore, ut amor ejus vim habuerit efformandi in corde ejus eadem inſtrumenta, quibus uſi ſunt carnifices ad torquendum Chriſtum Salvatorem. Quod autem in hac virgine fecit amor; hoc & fecit in Regina Virginum; licet alio modo; quas etenim corpori Chriſti pœnas infligebant carnifices; has & cordi Mariæ infligebat amor. Cum aliquis & carnificibus ſpinas Chriſti cervici infigebat, ſpinas identidem cordi Mariæ infigebat amor: cum carnifices manus & pedes Chriſti diris clavis perforabant, iiſdem clavis Mariæ cor perforabat amor; cum Chriſti latus lancea aperuit Longinus, Mariæ etiam cor identidem aperuit amor, ita ut dicere poſſemus cum ſancto Hieronymo, amorem in Mariæ corde triſtem feciſſe Echo, qui inflictis in Chriſti corpore ictibus reſpondebat; *nullum illum recipiebat filii corpus, cui non triſtis Echo reſponderet in corde matris.*

Et revera, ſi Echo, in ſenſu Philoſophorum, nil aliud ſit, quam vocis ſonus repercuſſus; dici poteſt, amorem in corde Mariæ, juxta crucem ſtantis, triſtem efformaſſe Echo eorum omnium, quæ in Chriſti Paſſione fiebant. Cum enim tunc clamabat Chriſtus; *Deus meus*; amor Mariam cogebat ad eandem vocem proferendam, & ad dicendum in corde ſuo: *Deus meus.* Cum clamabat Chriſtus: *ut quid dereliquiſti me?* Maria amore quo cruciabatur compulſa, ad Deum clamabat: *ut quid dereliquiſti me?* Cum clamabat Chriſtus; *ſitio*; dicebat & in corde ſuo Maria; *ſitio*. Omnes tandem dolores quibus in Calvariæ monte cruciabatur Chriſtus, amore in cor Mariæ ferebantur, ibique triſtem faciebant Echo. Et, ideo dixit Doctor Seraphicus, *ſingula vulnera per Chriſti corpus ſparſa, in corde Mariæ fuiſſe unita. D. Bonav. in ſtim. amor. de planctu Virg. c. 3.* Sicut enim omnes lineæ a circumferentia ad centrum uniri poſſunt: ita & Mariæ cor erat quaſi centrum, ad quod terminabantur, & in quo omnes Chriſti dolores uniebantur.

O Maria, Virgo doloroſa, quot vulnera in corde tuo intueor? quot ſpinas, quot clavos in eo video? O quam gravia in corde tuo ſunt amoris vulnera? quis unquam talia in corde ſuo pertulit? cui unquam viventium amor ſe ita crudelem exhibuit? ſcio, nonnullos amantes, amoris ſui vi animam efflaſſe, & ſubito mortuos eſſe; ſed, o Maria, non ſemel, ſed centies, ſed millies mortua es; aut ſaltem dolores morte amariores paſſa es; quia filium dilexiſti. Amor tuus, tortor tuus extitit, qui igniſis ſuis jaculis tibi mortem millies intulit, ita ut moriens viveres, & vivens, præ nimio dolore ſemper morereris, *quaſi mortua vivens, vivebas moriens. S. Bern. de lament. Virg.*

O N. N. diſcite amare; ſed & diſcite pati; Diſcite amare Chriſtum; ſed & diſcite pati pro Chriſto; non enim bene Chriſtum amat, qui cum Chriſto & pro Chriſto pati recuſat. Si cum Chriſto pati renuimus, cum illo in cælo non regnabimus; ſed ſi cum illo patimur, cum illo etiam regnabimus; *ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. 2. Tim. 2. 12.* Imitemur ergo Mariam, quæ paſſa eſt, non ſolum quia vidit, & cognovit; ſed etiam quia Chriſtum amavit. Ecce quare paſſa ſit; videamus nunc modum paſſionum ejus, *& quomodo paſſa ſit.*

## TERTIA PARS.

*Quomodo Maria juxta crucem paſſa eſt.*

PATI, omnibus hominibus commune eſt; ſed debito modo pati, hoc apud homines rarum eſt. Nullus hominum eſt, qui aliquid adverſi interdum non perferat; ſed pauciſſimi ex hominibus, ſuas debite portant cruces, & advenientes tribulationes modo debito perferunt. Maria autem, quæ diriſſima juxta crucem perpeſſa eſt, ea debite, & modo perfectiſſimo pertulit. Quia hæc omnia paſſa eſt, 1. magna cum animi conſtantia; 2. magna cum corporis modeſtia; 3. magna cum voluntatis ſuæ ad divinam conformitate.

1. Mirabilis eſt fortitudo & conſtantia, qua Maria juxta crucem, afflictiones quibus angebatur, & dolores quibus cruciabatur, pertulit; ut enim ejus conſtantiam manifeſtet S. Evangeliſta, ait, non quod ipſa deliquium paſſa ſit, vel quod humi decubuerit, ſed quod ſteterit; *ſtabat juxta crucem.* Chriſto patiente & moriente, Sol eclypſim paſſus eſt, petræ ſciſſæ ſunt, & omnes creaturæ præ dolore commotæ ſunt; Mariæ vero tanta fuit conſtantia, tantaque animi firmitas, ut juxta crucem immobilis ſteterit; *ſtabat juxta crucem.* Unigenitum filium crucifigi, illudi, blaſphemari, & in crucis patibulo mori videt, nec ideo animo linquitur, nec aliquam defectionem patitur; ſed omnes dolores, omneſque afflictiones, quas ex Chriſti ſuppliciis, & morte in ſemetipſa experitur, tanta, tamque heroica animi conſtantia portat, ut dicat Doctor Seraphicus, eam in medio afflictionum fuiſſe quaſi firmamentum; *Virgo fuit cælum firmamentum per patientiæ firmitatem. D. Bonav. ſerm. 7. de Virgine Deipara.*

In ipſo mundi primordio fecit Deus firmamentum in medio aquarum, *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum.* Quamvis autem firmamentum immenſa aquarum copia undique circumdaretur, immobile tamen, & inconcuſſum ſemper remanſit. Sic Maria in Calvariæ monte amariſſimis afflictionum aquis undequaque immergitur, ſed ſicut firmamentum, conſtans & immobilis ſemper perſeverat, *Virgo fuit cælum firmamentum.*

Diſcite, o N. N. modum veſtras portandi afflictiones, diſcite a Maria, quæ conſtantia ſtandum in adverſitatibus. Heu! quot videmus, qui cum altioris perfectionis apicem attigiſſe credant, adveniente tamen vel minima tribulatione, conturbantur, & totaliter deprimuntur. Cum flat proſperitatis aura, cum cælum eis ridet, cumque internis Spiritus Sancti conſolationibus foventur, tunc in Dei obſequio ſe ferventes exhibent, tunc ſe totos Deo in poſterum conſecrandos pollicentur; ſed ſi gravis quidam ſuperveniat morbus, ſi moriatur filius, vel ſi ſiniſtrum aliud quidquam adveniat, mente turbantur, Dei obliviſcuntur, & penitus dejiciuntur. O qualem

ſtem hujuſmodi hominum virtutem! O quam inconſtantes ſunt in via virtutis! O quam indebite advenientes perferunt tribulationes! Modum adverſitates portandi diſcant a Maria, quæ eas portat magna cum animi conſtantia, *ac etiam magna cum corporis modeſtia*.

2. Mirabilis omni tempore extitit Mariæ modeſtia, pulchri ſemper fuerunt greſſus ejus, ac ſemper juxta modeſtiæ chriſtianæ leges ita fuere compoſiti omnes corporis ejus motus, ut quicumque eam viderent, in admirationem raperentur, ad pietatem excitarentur, eamque omnis modeſtiæ exemplar eſſe faterentur. Sed, quod mirum eſt, rectam hanc corporis ſui compoſitionem, & mirandam hanc modeſtiam in Calvariæ monte, toto Paſſionis Chriſti tempore pertulit, ita ut in gravibus quibus cruciabatur afflictionibus, nec unicum verbum protulerit, nec vel minimum corporis motum fecerit, qui modeſtiæ legibus adverſaretur: *gladius animam ejus pertranſivit, illa tamen modeſtiæ metas non tranſivit. S. Anton. 4. p. tit. 15.*

Maria in graviſſimis quas patiebatur afflictionibus, non ſe habuit ſicut mulierculæ illæ, quæ nec vel minimum quid æquanimiter, & animo conſtanti pati norunt, ſed adveniente quavis adverſitate, ubique murmur adverſus Deum reſonat, ubique querimoniæ, ubique clamores, & ut ait Poeta, *femineum clamorem ad cæli ſidera tollunt*. Immo non deſunt quæ in adverſitatibus ſpument veluti infernales furiæ, & quæ verbis, geſtibus, & inordinatis corporis motibus omnes pudoris & modeſtiæ leges violent. Maria autem non ſic, in vehementiori etenim dolorum & afflictionum exceſſu, inordinatum nullum ex ore ejus prodiit verbum, nullusque in inceſſu, & in corporis habitu apparuit motus, qui a modeſtiæ legibus declinaret, *illa modeſtiæ metas non tranſivit*. Sed ſi paſſa eſt Maria cum magna animi conſtantia, & magna corporis modeſtia, *paſſa eſt etiam cum magna voluntatis ſuæ ad divinam conformitate*.

3. Magna quidem erat velut mare contritio & afflictio ejus, immenſus erat dolor, quo angebatur cor illius, uberrimæ erant lacrymæ, quæ ex oculis ejus fluebant, ſciens tamen, decreto divino ſancitum eſſe, Chriſtum pro humani generis ſalute cruci affigendum, voluit illa quod volebat Deus. Et ſicut Chriſtus æterno Patri dixit; *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu; Matth. 26. 39.* ita Maria in corde ſuo dicebat filio ſuo *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*.

Non unum volebat Chriſtus: & aliud Maria; ſed una utriuſque erat voluntas: *omnino tunc erat una Chriſti, & Mariæ voluntas. Arnold. Caſtr. in Tract. de Laud. Mariæ*. Chriſti voluntas paterno erat omnino conſentanea; & voluntas Mariæ cum æterni Patris & Chriſti voluntate omnino conſentiebat. Volebat Chriſtus conſpui, alapis percuti, & flagellis cædi, hoc & ita fieri volebat Maria. Et licet nil durius, acerbius nihil accidere poſſet Mariæ, quam quod filius diriſſima pateretur, & in cruce moreretur; hoc volebat illa, quia hæc erat filii ſui, & æterni Patris voluntas.

En maximam Marianæ cum divina voluntate convenientiam. Quid tamen majus dicit S. Antoninus, ut exprimat quantum divinæ voluntati Maria conformis fuerit, aſſerens, Mariæ voluntatem ita cum divina convenire, ut ſi ſtatuiſſet Deus, Chriſtum a Maria matre crucifigendum, ipſa cum propriis manibus cruci affixiſſet, *Mariæ voluntas ita divinæ voluntati fuit conformis, quod ſi oportuiſſet, ad implendam voluntatem Dei, ipſum filium in cruce poſuiſſet, atque obtuliſſet. S. Antonin.* Quod ſumptum videtur ex D. Auguſtino, in Tractatu *de ſeptem verbis Domini*, dicente, *ſi opus fuiſſet, ipſa Virgo filium ſuum crucifixiſſet*.

O mirandam Mariæ cum divina voluntate conformitatem! Sed o quam multi in adverſitatibus ſuis a Dei voluntate diſſentiunt! Unum vult Deus, & ipſi aliud vellent, vult Deus ut infirmentur, & ipſi perfecta ſanitate frui optarent, vult Deus ut in ſpiritu humilitatis & paupertatis incedentes, regna cæleſtia aſſequi mereantur, & illi divitiis affluere, & ad dignitates ſublimari ambirent, vult Deus ut ipſi bonorum temporalium jacturam, filiorum mortem, hoſtium perſecutiones, & alias quaſvis adverſitates æquo animo perferant; & illi vel minimum quid adverſi portare renuunt; ac adveniente quacumque adverſitate, divinæ ordinationi adverſantur; eorumque voluntas divinæ ſemper eſt contraria.

O N. N. imitamini Mariam; voluntas veſtra cum divina ſemper conſentiat, & miſſa a Deo quacumque adverſitate, divinam adorate providentiam, juſtam proclamate ejus voluntatem, eique in omnibus voluntas veſtra conſentiat. In omni tribulatione dicite Deo: *Domine, fiat voluntas tua:* hoc volo, quod tibi placitum eſt: nec a voluntatis tuæ ordinatione unquam aberrabo.

Non ſit vobis ſatis, exceſſum dolorum Virginis Mariæ contemplari, & afflictionum ejus cauſam ſcrutari; ſed in afflictionibus veſtris Mariam imitamini; eas portate magna cum animi conſtantia, magna cum corporis modeſtia, & magna cum voluntatis veſtræ ad divinam convenientia. Dabitque Deus mercedem laborum veſtrorum, gloriam æternam. *Amen*.

## FERIA VI.
## POST
## DOMINICAM PALMARUM.

# DE ACERBA CHRISTI PASSIONE.

*Dicebant exceſſum, quem completurus erat in Jeruſalem*. Luc. 9. 31.

De paſſionis Chriſti exceſſu dicere timeo; non quia, dum Chriſtus patitur, ſcinduntur petræ, Sol deficit, tremit terra, omniſque natura commovetur; ſed quia ex iterata paſſionis ejus enarratione multi nonnunquam pejores evadunt: imitantes Judam, & protervum hunc latronem, qui ex fuſo Chriſti patientis, & morientis ſanguine nullum percepere emolumentum; verum ad pejora declinarunt, & obduratiores facti ſunt.

Timeo equidem, & non modicus mihi eſt ille timen-

mendi locus; adſtantium tamen hic auditorum modeſtia, animus eorum ad audiendum paratus, necnon pietas quæ in facie eorum eludet, timorem meum quodammodo mitigant, ſpem erigunt, & fiduciam ingerunt, quod veſtrum quiſque benignas mihi præbebit aures, quod audita de exceſſu paſſionis Chriſti ſedulo quisque meditabitur, quod ex publico iſto conventu diſcedent omnes ſua cum Centurione percutientes pectora, quod lacrymas cum Magdalena fundent omnes, quodque ad meliorem vitæ frugem omnes convertentur cum innumeris aliis, qui per Chriſti Salvatoris paſſionem meliores evaſerunt.

Accedite ergo in ſpiritu humilitatis, & docilitatis ad audiendam Dominicæ paſſionis enarrationem; venite, non ut ſtudioſe elaboratam audiatis concionem; ſed ut ex paſſione Dominica, ab indigno Oratore vobis enarrata, ad fletum, ad cordis dolorem, ad criminum deteſtationem, & ad compaſſionem commoveamini. Hic eſt finis quem quiſque veſtrum ſibi proponere debet. Sed ut aliquem ex Chriſti paſſione fructum elicere valeamus, Mariam ſtantem juxta crucem inſpiciamus: ibi flet illa, ploremus & nos; orat illa, oremus & nos; illa crucem contemplatur, crucem contemplemur & nos; ac ad crucem vota & preces noſtras dirigamus, dicentes: *O crux ave ſpes unica*, &c.

SI vis, inquit Doctor Seraphicus, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere; quotidie, quanta potes devotione, mediteris Domini paſſionem; nihil enim in anima ita operatur univerſalem ſanctitatem, ſicut frequens meditatio Paſſionis Chriſti.

Singulis ſane diebus a quocumque Chriſtiano ſerio meditanda Chriſti paſſio; per quam ad nos fluxit omne bonum: ſed meditanda, & mente potiſſimum revolvenda eſt hac die, in qua Chriſtus paſſus & mortuus eſt pro nobis.

Eam vobis meditandam propono ut exceſſum, & ſub nomine exceſſus; quia omnia in paſſione Chriſti, nimia, & in exceſſu fuiſſe videntur. Et præcipue afflictiones, quibus cor Chriſti anxiatum fuit, humiliationes, quas Chriſtus perpeſſus eſt, & amor, quo Chriſtus erga homines accenſus eſt.

Hi ſunt exceſſus, quos in Chriſti paſſione adnotavit Doctor Seraphicus: *Paſſionem*, inquit, *exceſſus nominat S. Evangeliſta; & recte quidem: quia in ea fuit exceſſus doloris, exceſſus humilitatis, & exceſſus amoris. D. Bonav. in c. 9. Luc.* Ex ſancto hoc dolore ſumamus hujus meditationis materiam; & videamus in Chriſto patiente: 1. Exceſſum afflictionis ejus: 2. Exceſſum humilitatis ejus: 3. Exceſſum amoris ejus.

## PRIMA PARS.

*In Chriſto patiente, fuit exceſſus afflictionis.*

QUamdiu in hoc mundo moratus eſt Chriſtus, viator ſimul fuit, & comprehenſor: ac inter hujus vitæ moleſtias perfecta, & ſumma ſemper gaviſus eſt beatitudine: nullum enim fuit inſtans, in quo anima ejus clara & intuitiva eſſentiæ divinæ viſione non frueretur; nullum momentum elapſum eſt, in quo amore beatifico non potiretur. Et ideo cum in hac eſſentiæ divinæ viſione, & in hoc ejus amore conſiſtit beatitudo, nullum inſtans aſſignari poteſt, in quo beatus non fuerit eo modo, quo Sancti in cælo ſunt beati. Immo & Chriſtus in via omnibus Sanctis beatior fuit, ratione unionis hypoſtaticæ Verbi divini; quod cum intime unitum eſſet animæ ejus, ei plus beatitudinis infundebat, quam omnibus aliis Sanctis.

Sed, o prodigium! Chriſtus, cujus anima perfecta ſemper fruebatur beatitudine, in gravem & nimiam, paſſionis ſuæ tempore, incidit triſtitiam. Gaudebat tunc ſimul & triſtabatur; *gaudebat* ſecundum partem animæ ſuperiorem, *& triſtabatur* ſecundum inferiorem partem: quia, ut ait Doctor Angelicus, *non fiebat redundantia gloriæ a ſuperiori parte animæ in inferiorem, nec ab anima in corpus. D. Th. 3. p. q. 46. art. 8. 6.*

Vel dicamus, quod tunc Chriſtus ſummo gaudio frueretur, & identidem ſumme triſtaretur; ſed reſpectu diverſorum objectorum ſaltem formalium, quæ menti ejus objiciebantur. Deo enim ſupernaturaliter capacitatem animæ ejus extendente, & dilatante per concurſum ſpecialem, quo concurrebat cum anima Chriſti, faciebat, ut ſimul ſummum gaudium, & ſummam triſtitiam elicere, & ſuſcipere poſſet: *ſummum gaudium*, ob eſſentiam divinam quam contemplabatur; *& ſummam triſtitiam*, ob inſtantem ſibi mortem, & ob alia objecta afflictiva, quæ menti ejus ſeſe offerebant. Immo, Chriſtus ſumme ſimul gaudebat, & ſumme triſtabatur de ſua paſſione: *de ea gaudebat* ſecundum partem animæ ſuperiorem, quatenus ſcilicet illa a Deo erat volita, & ordinata ad hominum ſalutem: *de ea dolebat & triſtabatur* ſecundum partem inferiorem, quatenus ſcilicet paſſio hæc, naturæ noxia & contraria erat.

Quantum ejus gaudium extiterit, explicare non eſt facile; ſed quanta tunc ejus triſtitia, quanta ejus afflictio fuerit, explicat ipſemet Chriſtus, dicens: *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Matth. 26. 38.* Quaſi dicat: ex viva apprehenſione imminentis acerbiſſimæ paſſionis, inſtantium tormentorum, & diriſſimæ mortis, tanta triſtitia, tanta afflictione, tantoque mœrore conficior, quanto ſi jam morerer, præ magnitudine afflictionis, qua premor, ſuſtineo agoniam, & dolores mortis, quales ſuſtinent moribundi, ob nimiam afflictionem, quam patior, ſpiritus & vires deficiunt, ac quaſi exanimari videor; tanta tandem mea triſtitia, ut ad mortem quaſi me adigat, vitamque mihi penitus extorqueret, ſi tantillum creſceret.

Sentiebant Stoici, virum ſapientem nulli obnoxium eſſe triſtitiæ; ſed fallebantur graviter, quia Chriſtus, in quo erant omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, triſtatur in horto Gethſemani, tantaque ejus eſt triſtitia, ut ex ſe lethifera ſit, & ſufficiens ad necem ei inferendam, ſi per divinitatis virtutem a morte non præſervaretur. *Triſtis*, inquit, *eſt anima mea uſque ad mortem*, ſeu, ut explicat Titelmanus, *Tanta premitur mæſtitudine cor meum, ut major vix poſſit æſtimari, ita ut ſufficiens videretur, animam meam e corpore ejicere, vitamque finire,*

*niſi*

Digitized by Google

*niſi me divinitatis virtus ad perferenda quæ ſuperſunt paſſionum tormenta, ſuſtentaret.*

Quoquoverſum ſpectabat Chriſtus, nil niſi mœroris & afflictionis cauſas cernebat. *Si præterita ſpectabat*, innumera videbat beneficia ingrato huic populo, qui in ipſum inſurgebat, exhibita; uti infirmorum curationem, ſuſcitationem mortuorum, prædicationes iis habitas, fatigationes pro iis ſuſceptas, nec non vigilias, & orationes multas pro eorum ſalute factas. *Si præſentia inſpiciebat*, videbat iniquum Judæorum Concilium adverſus ipſum congregatum, Judæ machinationem, & diſcipulorum imbecillitatem. *Si ad futura ſe convertebat*, videbat flagella, opprobria, blaſphemias, irriſiones, alapas, crucem, omniaque & ſingula tormenta ſibi a Judæis infligenda; ac ſingulorum dolorum quos paſſurus erat, magnitudinem & acerbitatem intime penetrabat, & ponderabat, ita ut illos jam pati ſibi videretur. Præfatorum autem omnium apprehenſio tantam triſtitiam intulit, ut langueret, palleſceret, viribus deficeret, & pene concideret.

Chriſtus per divinam & per infuſam animæ ſuæ ſcientiam cuncta prævidebat quæ in toto paſſionis ſuæ decurſu ſibi ventura erant. *Jeſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum. Joann.* 18. 4. Præſcientia ſua clare cognoſcebat, quanta futura erat Matris, juxta crucem ſtantis, afflictio; quantis ipſe injuriis eſſet afficiendus, quantiſque ſuppliciis plectendus. Mente revolvebat proditoris Judæ oſculum, negationem Petri, Apoſtolorum ſcandalum, & civitatis Jeroſolymæ deſtructionem. Perſpicue videbat ſpineam illam coronam, quæ capiti ſuo infigenda erat; flagra quibus dilanianda caro; clavos, quibus perforandæ manus; lanceam, qua pectus transfodiendum; & dira alia inſtrumenta, quæ ad torquendum corpus ſuum erant inſumenda. Et terribilis hæc idea ſuppliciorum, tantam cordi ejus triſtitiam intulit, ut ad mortem uſque adactus fuerit, & anima ejus ſepulchro appropinquaverit: *repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquabit. Pſ.* 87.

Si coram magno quodam ſpeculo te ſiſtas, tui ipſius ſpeciem exprimet, teque talem tibi exhibebit, qualis ipſe coram illo fueris: ſi coram illo ambules, te in illo ambulantem videbis; ſi ſedeas, ſedentem: ſi manduces, manducantem; ſi rideas, ridentem, & ſi fleas, flentem. Chriſtus autem in eſſentia ſua divina, quaſi in ſpeculo mirabili, ea videbat, quæ toto paſſionis tempore ſibi eventura erant. In hoc ſpeculo ſeipſum videbat, nunc flagellis cæſum, nunc ſpinis coronatum, nunc Barabbæ poſtpoſitum, nunc cruci affixum, & nunc lancea percuſſum: variæque illæ, inſitæ animo ejus, ſui ipſius paſſuri imagines, terrorem, dolorem, tantamque animæ ejus cauſabant afflictionem; ut mirum ſit, quod ob nimiam, quam patiebatur triſtitiam, animam non efflaverit. Sed licet a triſtitia, & afflictione, qua gravabatur, Chriſtus mortuus non ſit; ad ultimas tandem morientis anguſtias redactus eſt; ac pro nimio, quo augebatur mœrore, ſudorem emiſit ſanguineum: *& factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Lucæ* 22. 44.

O immenſitatem doloris, quo Chriſtus ad extremum vitæ, & mortis conflictum deductus eſt! Sed o afflictionem plene infinitam, qua Chriſtus, jam pene exanimis, ſudore ſanguineo totus madet: ita ut ſanguis ex omnibus corporis partibus manans, uſque ad terram diffluat; *ſanguinis decurrentis in terram.*

Contemplemur pretioſum ſanguinem e Chriſti corpore fluentem: & ex ſudore illo ſanguineo quanta fuerit Chriſti afflictio, inveſtigare pertentemus. Materiam ſubminiſtrabit Sanctus Bernardus, qui de hoc ſudore diſſerens, ait Chriſtum ſanguineas lacrymas ex omnibus corporis membris emiſiſſe: *non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleviſſe videtur. D. Bern. ſerm.* 3. *de Ramis*. Ille vero *plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Thren.* 1. 2. Ille, inquam: *plorans ploravit*; id eſt largiter, & fuſe ploravit: non enim ab oculis ſolum ambobus, ſed ab omnibus præterea corporis partibus, ac ab omnibus poris ſanguineas lacrymas fudit, quæ uſque ad terræ ſuperficiem abunde fluebant. Heu! quantus ille dolor; quanta hæc afflictio, quæ Chriſtum ad fletum provocat, quæ totum corpus ejus in oculos flentes tranſmutat, & quæ eum ad ſanguineas lacrymas e toto corpore fundendas cogit.

Lacrymæ quæ ab oculis emittuntur, interioris afflictionis ſigna eſſe ſolent; & quo uberiores, & amariores ſunt lacrymæ, eo gravior perſonæ flentis judicatur eſſe triſtitia. Quanta ergo Chriſti fuit triſtitia! *Chriſti*, inquam, qui non ſolis oculis, ſed omnibus corporis ſui membris flevit? *Chriſti*, e cujus corpore ſanguineæ manarunt lacrymæ? *Chriſti*, cujus ſanguineæ lacrymæ ita uberes extiterunt, ut uſque ad terram fluxerint? Certe tunc tantus Chriſti fuit dolor, tanta ejus extitit afflictio, ut nulla major ſentiri, aut excogitari poſſit. Unde ipſe per Prophetam ſuum omnes interpellat homines, & ab his poſtulat, ut ſerio attendant, & ſedulo ſcrutentur, an quis unquam tanta, quanta ille, triſtitia confectus ſit: *o vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Thren.* 1. 12. Quaſi dicat, dolorem, & mœrorem ſuum, omnem alium dolorem, & mœrorem ſuperare, nec alium majorem excogitari poſſe.

O Chriſte Salvator, magna ſane eſt velut mare contritio tua: non parva, vel mediocris; ſed nimia eſt afflictio tua: *afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis. Pſ.* 37. Sed doce nos, quæſo, cur tanto cum exceſſu affligi, & triſtari volueris? Scio, o Domine, hanc triſtitiam in te non fuiſſe neceſſariam, aut involuntariam; ita ut rationis & voluntatis imperium in te prævenerit; ſicut in nobis fieri ſolet, cum aliquid moleſti nobis accidit; hæc etenim triſtitia fuit libera, & a te libere aſſumpta: triſtatus es, quando voluiſti, ſicut voluiſti, & quantum voluiſti: cur ergo tantam voluiſti eſſe triſtitiam tuam? Tanta ſane fuit Chriſti triſtitia, quia pro omnibus ſimul omnium hominum peccatis doluit, & triſtatus eſt: *Doluit*, inquit Doctor Angelicus, *pro peccatis omnium aliorum, qui dolor exceſſit omnem dolorem cujuſcumque contriti; quia pro omnibus peccatis ſimul doluit, juxta illud Iſaiæ* 53. 4. *vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. D. Thom.* 3. *p. q.* 46. *art.* 6. *ad* 6.

Anima Chriſti in Deo videbat furta, adulteria, homicidia, ſacrilegia, aliaque omnia & ſingula peccata omnium & ſingulorum hominum, qui ab Adam fuerunt, ſunt, & erunt uſque ad finem mundi. Hæc omnia Chriſtus, quaſi propria eſſent, in ſe luenda & expianda ſuſcepit, ut pro iis Deo offenſo ſatisfaceret: quare ponderata Dei offenſi majeſtate, ac ſingulorum ſcelerum gravitate, pro illis dolorem ſummum elicuit, perinde ac ſi illa ipſe perpetraſſet. Commenſurare voluit dolorem ſuum peccatis hominum; & ideo quia hominum peccata erant plurima & graviſſima, dolorem ſuum voluit ipſe eſſe ſummum & nimium.

Ecce cur uſque ad mortem triſtatur Chriſtus: triſtatus eſt quia voluit; non coacte & involuntarie, ſed *volens contriſtatus eſt. Damaſcenus lib. 3. de fide c. 23.* Triſtari autem voluit pro omnibus omnium hominum peccatis, ut ea triſtitia, & dolore ſuo expiaret. Non ergo alibi, ſed in temetipſo quæras triſtitiæ Chriſti cauſam; turpe enim illud crimen, quod in mediis noctis tenebris perpetraſti; adulterium illud quo animam tuam fœdaſti; tot furta, tot blaſphemiæ, tot calumniæ, totque alia horrenda & immania ſcelera, quibus Deum offendiſti, ſunt cauſa triſtitiæ Chriſti. Tu ipſe es qui Chriſtum afflixiſti.

O homo, ſiccine Chriſto factori, & benefactori, & Salvatori tuo triſtitiam inferſ? cur potius illi placere & ſolatium afferre non conaris? Sed ſi ille pro peccatis tuis dolet, cur tu pro propriis non dolebis peccatis? Dolet ille, doleas & tu; flet ille, fleas & tu; & in amaritudine animæ tuæ a Deo veniam ſupplex poſtules.

Miſſus eſt ad eum Angelus conſolator: *apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Lucæ* 18. 43. Eſto & tu Chriſto conſolator; utque illi placeas, tua in temetipſo dele crimina. Deſine perverſe agere, pœnitentiam age, convertere ad Dominum Deum tuum; & ſuper te pœnitentiam agente, gaudium erit in corde Chriſti, & in toto cælo.

Petebat a Patre Chriſtus, ut ab ipſo tranſiret calix paſſionis: *tranſeat a me calix iſte.* Jam autem a te poſtulat, ut ab ipſo ad te tranſeat; & ut ab ipſo innocente ad te reum & ſceleroſum migret amariſſimus ille calix doloris & triſtitiæ, quem ille primus hauſit: a te petit, ut doleas de peccatis illis, quæ perpetraſti, & pro quibus delendis tantam ipſe triſtitiam perpeſſus eſt: dolori ſuo tuum addi deſiderat. Triſtis ergo ſit anima tua uſque ad mortem; dolore maximo conteratur cor tuum ob peccata, quæ in Deum perpetraſti; exitus aquarum deducant oculi tui; ſit tandem in te, ſicut & in Chriſto patiente, exceſſus afflictionis; *ſed in ipſo fuit etiam exceſſus humilitatis.*

## SECUNDA PARS.

*In Chriſto patiente, fuit exceſſus humilitatis.*

CHriſtus non rapinam arbitratus eſt eſſe & æqualem Deo; ille & Pater æternus unum ſunt; & ratione unionis hypoſtaticæ ipſe cum Patre & Spiritu Sancto eſt æternus, immenſus, ſumme ſapiens, & in omni perfectionis genere infinitus: quare ſummus honor, ſumma reverentia, ſummuſque cultus ei debebatur, ac coram illo flectendum erat omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ipſe tamen cujus magnitudinis non erat finis, & qui ſummo honore erat dignus, uſque ad exceſſum in paſſione ſe humiliavit: *ego autem humiliatus ſum nimis. Pſ.* 115. 10.

Contemplamini, quæſo, illum, *cum* a Juda pretio viliſſimo venditur; *cum* a militibus ad eum, tanquam ad latronem, euntibus apprehenditur: *cum* ut reus ad urbem Jeroſolymitanam ducitur: *cum* judicandus coram Pontificibus ſiſtitur: *cum* alapis a peſſimis viris percutitur: *cum* Barabbæ poſtponitur: *cum* illuditur, flagellatur, ſpinis coronatur, & crucis patibulo affigitur: ac ſerio ponderate, quot tunc opprobria, quot deriſiones, quot iniquas accuſationes, quot improperia, quot blaſphemias æquo animo ſuſtinuerit, & facile judicabitis, nimiam & incomprehenſibilem extitiſſe ejus humilitatem, quodque tunc præ nimia humilitate ſe vere exinaniverit: *ſemetipſum exinanivit. Philip.* 2. 7.

Non ab uno duntaxat, vel ab altero Chriſtus paſſionis ſuæ tempore deſpicitur: ſed ab amicis & inimicis, a Judæis & Gentilibus, a Magnatibus & a vili plebecula, a Scribis & Phariſæis, a Regibus & Pontificibus, ac fere ab omni perſonarum genere. *Deſpectus* tunc fuit a Juda, quem in Apoſtolum elegerat, & quem ut amicum diligebat; cum ab illo ſit venditus pretio vili: *deſpectus* eſt a Petro, Apoſtolorum Principe, cum ab eo pluries negatus fuerit: *deſpectus* eſt ab aliis Diſcipulis, cum eo relicto fugerint: *deſpectus* eſt a militibus, cum ab eis captus fuerit ut latro, & tanquam malefactorum maximus: *deſpectus* eſt ab Anna, qui licet Chriſti ſervus eſſet, judicem tamen ejus ſe conſtituit: *deſpectus* a domeſticis Pontificum, qui eum depalmarunt, irriſerunt, & tota nocte ludibriis & opprobriis affecerunt: *deſpectus* eſt ab Herode, qui eum, ut ſtultum, alba veſte indui ordinavit: *deſpectus* eſt a vili populo, qui eum Barabbæ poſtpoſuit, eumque cruci affigi poſtulavit: *deſpectus* tandem eſt a Pilato, qui licet eum innocentem eſſe agnoſceret, illum tamen flagellari voluit ut vilem homuncionem, ſpinis coronari ut Regem imaginarium, & crucifigi ut gravium criminum reum. O Chriſte Salvator, cur tot opprobria, totque deriſiones a tot diverſis ſervis tuis pati dignaris? Cur non Patrem rogas, ut legionem mittat Angelorum, qui hos nominis & gloriæ tuæ contemptores dire plectant, interimant, & totaliter deſtruant? Sed cur tu infinita qua polles potentia, eos omnes ad nihilum non redigis? Hoc ſane poſſet Chriſtus, & hoc facillime feciſſet, ſi voluiſſet: ſed deſpici amat humilitatis Magiſter & Doctor. Non enim injuriis ſibi factis exacerbatur, & ad vindictam provocatur: quin contra eo mitiorem & humiliorem ſe exhibet, quo magis ab inimicis deſpicitur, & vilipenditur. Humiliat ſe Chriſtus, non ſolum ita ut leves quaſdam injurias benigne perferat; ſed, ut ait Origenes, *humiliavit ſemetipſum uſque ad palmas, uſque ad confuſionem ſputamentorum, & flagellorum. Orig. tr. 35. in Matth.* Adde, quod ita ſe humiliaverit, ut quaſcumque injurias, quævis opprobria, omnimodas irriſiones, & quæcumque ludibria ab omnis generis

per-

perſonis, non ſolum libenter, ſed & ardenter devoraverit. O infandam hominum malitiam, qui Regem Angelorum, & Creatorem omnium entium ita deſpexerunt! Sed o portentoſam etiam Salvatoris humilitatem, qui deriſionibus, opprobriis, calumniis, & ludibriis ſaturari voluit!

Non ſolum ab omnis generis perſonis, ſed etiam, ut advertit Doctor Seraphicus, in omnibus locis deſpicitur, & contemptui habetur Chriſtus. *In horto*, ubi ligatur ut homo gravium criminum reus: *in domo Annæ*, ubi ab impudentiſſimo miniſtro alapa cæditur: *in atrio Caiphæ*, ubi conſpuitur: *in hoſpitio Herodis*, ubi illuditur: *in Prætorio Pilati*, ubi flagellatur, Barabbæ poſtponitur, & inique condemnatur: *in via ad montem Calvariæ*, ubi crux ab eo bajulatur: *in ipſo Calvariæ monte*, ubi cruci medius duos inter latrones affigitur. *S. Bonavent. ſerm. 6. in Paraſceve*. Heu! Domine cur tot in locis te deſpici pateris? in omni loco dominationis tuæ tibi debetur omnis honor & gloria: cur ergo te ubique contemni, deſpici, & contumeliis affici ſinis? Hoc vult Chriſtus, ut ubique humilitatem doceat, & ubique profundioris humilitatis exempla præbeat. In horto Gethſemani, in domo Caiphæ, & in aliis locis ſperni & deſpici vult, ut exemplo ſuo humilitatem ubique prædicet.

O mirandam Chriſti humilitatem! Quam adhuc majorem fuiſſe cenſebit, qui advertet, quod ipſe in pleriſque perfectionibus ſuis contemni voluerit. In divinitate quidem illum inimici contempſerunt, cum illum eſſe Deum negaverunt; *tu homo cum ſis, facis teipſum Deum. Joann. 10. 33.* In Regia dignitate; cum illum ut Regem agnoſcere noluerunt; *non habemus Regem, niſi Cæſarem. Joann. 19. 15.* In ſapientia, cum eum inſaniæ & ſtultitiæ accuſarunt, dicentes, *dæmonium habet, & inſanit. Joann. 10. 20.* In doctrina; cum eum ſcientia, & artibus ſuis populos fallere, & ſeducere dixerunt; *ſeductor ille.* In probitate vitæ, & in morum ſanctitate; cum illum blaſphemum vocarunt; *blaſphemavit; quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam. Matth. 26. 63.* In gratia, ſeu potentia miraculorum; cum illum in nomine Beelzebub dæmonia ejicere aſſeruerunt; *in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Luc. 11. 15.* In pulchritudine corporis; cum corpus ejus flagris dilaniarunt, ac ſpinis, clavis, aliiſque immaniſſimæ ſævitiæ inſtrumentis ita deformarunt, ut nulla ſupereſſet ei ſpecies, nulluſque decor; *non eſt ſpecies ei, neque decor. Iſa. 53. 2.* In fama tandem; cum eum conviciis, calumniis, omnibuſque modis denigrare conati ſunt, ac nomen ejus de hominum memoria delere; *eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Jerem. 11. 19.* O exceſſum humilitatis Chriſti, qui in omnibus gloriæ titulis quibus emicat, deſpici, & contemni vult!

S. Bernardinus Senenſis in Chriſto patiente abyſſum & exceſſum humilitatis ex ſeptemplici capite auſpicatur. *Primo*, ex deriſione: qui enim eſt Rex Angelorum, & cui ſumma debetur reverentia, factus eſt ludibrium impiorum, & quaſi pila deriſionis eorum, qui illi illudentes, eum ad alterutrum mittebant. Nam Annas miſit illum ad Caipham, Caiphas ad Pilatum, Pilatus ad Herodem, & Herodes remiſit eum Pilato, & ſemper in ſupradictis locis, atque in eorum itineribus deriſus eſt. *Secundo*, ex flagellatione; Rex enim cælorum ab iis, tanquam vilis ſervus, ſpoliatus, & diriſſime flagellatus eſt. *Tertio*, ex coronatione; eum enim, in deriſum, purpura induerunt, & ſpinis coronarunt, quaſi Rex eſſet ſtultorum, & iniquorum. *Quarto*, ex nuditate; nam in cruce totaliter nudus crucifixus eſt. Quanta autem ignominia fuit, Filium Dei, quem adorant Angeli, in cruce nudatum ab omni populo videri, abſque ullo velamine, quod nec viro cuique, quantumvis ſceleroſo, lex denegabat. *Quinto*, ex crucifixione: hoc etenim erat ſuppliciorum turpiſſimum, ad quod illum condemnarunt, ut illum omni populo contemptibilem efficerent. *Sexto*, ex blaſphematione; portentoſæ enim ſunt blaſphemiæ, quas alta voce contra Dominum deficientem, morientem, & pendentem in ligno, ac toto corpore ſanguine defluentem, tam impie ejaculati ſunt. *Septimo*, ex confuſione; quanto enim quis in gloria ſublimior, tanto ejus confuſio efficitur major. Quanta ergo fuit confuſio Chriſti, cujus dignitas erat ſuprema, & ſublimitas ſumma? Quæ confuſio, inquit Sanctus Bernardinus, quod homo tam nobilis naturæ, tam ſpecioſæ formæ, tantæ ſapientiæ, tantæ in miraculis faciendis potentiæ, tantæ famæ, tantæ ſequelæ, ac tantæ gloriæ; taliter fuerit deriſus, tam dire flagellatus, afflictus, ſpinis coronatus, totus nudatus, tam atrociter cruci affixus, ad omnium ſpectaculum in cruce levatus, & tam crudeliter blaſphematus! Quis quanta tunc fuerit Chriſti confuſio exprimere valeat, ſed quis concipere poſſit, quanta Chriſti, talia demiſſo animo patientis, fuerit humilitas?

Certe maxima, & nimia fuit Chriſti patientis humilitas: Quæ magis adhuc eluceſcet, ſi tam opponamus honori, quo paucis ab hinc diebus affectus fuerat in urbe Jeroſolyma: tanto enim cuique durius eſt deſpici, & contemni, quanto antea exaltatus, & honoratus fuerat. Quia, ut omnes fatentur, cum gloria in ignominiam vertitur, & cum quis poſt ſuſceptos honores ſtatim deprimitur, & ad ignominias declinat, hoc illi moleſtius, & confuſibilius eſſe ſolet. Vide ergo quantus ei honor exhibitus fuerit in die Palmarum, & identidem conſidera quanta ignominia mox affectus fuerit in die paſſionis. *In die Palmarum*, cives Jeroſolymitani ei perſonaliter obviam venerunt, eumque in Jeruſalem deduxerunt; in die vero paſſionis iidem cives illum ut latronem apprehenderunt, Barabbæ poſtpoſuerunt, & de eadem civitate ejecerunt. *In die Palmarum*, eum laudaverunt & honoraverunt clamantes, eum eſſe benedictum, Salvatorem, & Regem Iſrael; in die vero paſſionis, eum Salvatorem, & Regem eſſe negaverunt, ac eum irriſionibus, improperiis, & blaſphemiis affecerunt. *In die Palmarum* Jeroſolymitani cives, ſcindentes ramos palmarum, & olivarum, flores & folia ſternebant in via, ut ipſi honorem impenderent; in die vero paſſionis non palmas videt Chriſtus, ſed virgas, non flores, ſed ſpinas, non folia, ſed clavos, non ramos, ſed crucem. *In die Palmarum*, ut Chriſtum Jeroſolymitani cives honorarent, & glorificarent, propriis ſe exuebant veſtimentis, eas ſternebant



Google

bant in via, illaque vilis animalis, cui inſidebat Chriſtus, pedibus ſubmittebant; in die vero paſſionis, qui propriis antea ſe veſtibus exuerant ut Chriſtum honorarent, illum veſtimentis ejus ſpoliant; & inſuper, in deriſionem illius, nunc purpura, & nunc veſte alba illum induunt: nunc oculos ejus velant: nunc faciem ejus pugnis & palmis percutiunt, nunc eam ſputis polluunt. En quomodo gloria converſa ſit in dedecus: en quanta extiterit Chriſti humilitas, qui poſt ſuſceptos multos honores in die Palmarum, voluit in die paſſionis contemni, deſpici, derideri, & contumeliis horrendis affici.

Diſcamus, fratres, diſcamus a tanto Doctore humilitatem. Ab illo obedientiam, ab illo patientiam, ab illo charitatem, ab illo omnes virtutes diſcere poſſumus; ſed præcipue humilitatem. Licet enim in hunc mundum venerit, ut nos omnis virtutis viam doceret: ſe tamen humilitatis Doctorem præſertim exhibet, dicens: *diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. In horto Gethſemani, in domo Caiphæ, & in prætorio Pilati, in monte Calvariæ, & in aliis locis, in quibus paſſionis myſteria adimpleta ſunt, exceſſivæ nobis humilitatis præbet & exempla & ubique exemplis ſuis clamat, ut humiliari diſcamus: *diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Matthæi* 11. 29. O viri elati, humilitatis Doctorem audite! o homines ſuperbi, in faciem, & in exempla Chriſti reſpicite! Ab illo diſcite humilitatem, & quanto majores, quanto meritis potiores, quanto dignitate eminentiores eſtis, eo & humiliores eſtote: *quanto magnus es, humilia te in omnibus. Eccleſiaſtici* 3. 20.

Durum vobis eſt, aliis ſubjici? reſpicite Chriſtum, qui licet Deus, & omnium Dominus eſſet, vilibus tamen creaturis ſubdi voluit. Durum eſt, levia quædam convicia æquo animo tolerare? Videte Chriſtum, qui opprobria, convicia, & contumelias quaſcumque hilariter pertulit, ut vos humilitatem doceret. Durum vobis, ab inimicis percuti, & ad mortem quæri? Spectate Chriſtum, cui ab hoſtibus flagellari, ſpinis coronari, conſpui, & crucifigi placuit, ut ab illo diſceretis humilitatem. Diſcite ergo ſuperbiam fugere, & humilitatem ſectari, exemplo Chriſti, in quo fuit exceſſus humilitatis; *ac etiam exceſſus amoris*.

## SECUNDA PARS.

*In Chriſto patiente fuit exceſſus amoris.*

SEmper Chriſti in homines charitas innotuit: verum in paſſione latiſſime patuit, quia quot ſuſcepit vulnera, tot ſunt ora aperta, quæ ejus in homines amorem prædicant. Et ut ait S. Bernardus: *clamat crux, clamat clavus, clamat vulnus, quod nos vere dilexit Deus*.

Hæc quidem omnia clamant, quod Chriſtus in paſſione nos dilexerit. Quia non ex neceſſitate, & involuntarie, ſed voluntarie, libere, & ex ardenti, quo in nos fervebat amore, flagellis cædi, ſpinis coronari, cruci affigi, aliaque paſſionis tormenta perferre dignatus eſt. Non enim Judæi ſolum manus ei violentas intulerunt, ſed amor erga homines, quo ipſe ardebat, fuit miniſter, & carnifex a quo ligatus eſt, ad Præſides perductus, flagellis cæſus, ſpinis coronatus, in crucem actus, ac lancea perforatus. Quia hæc omnia pati voluit ob nimium, quo erga homines accenſus erat, amorem, & ut *per vulnera carnis paterent viſcera charitatis. S. Bernard.*

Quærunt nonnulli, cur Chriſtus in hortum, initium paſſioni daturus, ſeceſſerit? cur denudari, flagellari, & capiti ſuo ſpineam coronam imponi voluerit? cur vulnerari, cruci affigi, & innumera tormenta ſuſtinere concupiverit? Unica reſponſione his omnibus quæſtionibus ſatisfieri poteſt, dicendo, quod hæc omnia fecerit, & paſſus ſit ob incomprehenſibilem, & nimium amorem, quo erga homines inardeſcebat: *in hac magnitudine paſſionis, magnitudo conſideretur amoris. S. Bernard. lib. de paſſ. c.* 4.

O quam fulget, o quam in paſſione ardet Chriſti charitas! Ibi certe commendat Chriſtus, charitatem ſuam in nobis. Si enim pro amico, pro homine probo, & virtute prædito quis vix mori velit, quanta fuit Chriſti charitas, qui pro hominibus ingratis, pro peccatoribus obduratis, pro ſævis impiis, & pro inimicis infenſiſſimis flagellari, conſpui, & diriſſimam mortem obire voluit! Certe hæc vere nimia Chriſti erga nos charitas: *propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos. Epheſ.* 2. 4.

Vere nimia eſt, inquit Sanctus Bernardus, hæc Chriſti charitas in ſe conſiderata, quia *menſuram excedit, modum ſuperat, plane ſupereminet univerſis. S. Bernard. ſerm.* 24. *hebdomada ſancta*. Vere nimia eſt, ſi inſpiciamus perſonam quæ patitur; Chriſtum ſcilicet, qui unicus æterni Patris Filius eſt: qui immenſus, æternus, & infinite perfectus eſt: qui Rex Regum, & Dominus dominantium eſt. Sed vere nimia eſt etiam Chriſti charitas, ſi ſpectentur illi pro quibus patitur; ſcilicet homines, peccatores, ſuperbi, elati, ingrati, terrenis affecti, cæleſtium contemptores, carnales, ad omne bonum inepti, & ad omne malum proclives: certe nimia eſt Chriſti charitas, quod pro hujuſmodi hominibus pati, & mori voluerit.

Major charitas hæc cenſetur, quod quis pro amicis ſanguinem fundere, & mori velit; *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Joann.* 15. 13. Sed charitas Chriſti nimia, exceſſiva, & major majori alia quavis charitate fuit, quia non pro amicis ſolum, verum & pro inimicis, pro peccatoribus, imo & pro perſecutoribus ſuis pati, & mori dignatus eſt: *Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis.* 1. *Petri* 3. 18.

Si potentiſſimus quidam Monarcha viles quoſdam homines, ad triremes damnatos, vel ſub dira Turcarum ſervitute gementes, ex mera ſua bonitate, ingenti pretio redimere vellet; magnus ſane ejus in illos cenſeretur amor: ſi autem non ſolum pecunia, ſed etiam eos ſuo ſanguine emeret, major adhuc ejus eſſet amor; immo & nimius; nec enim aliquis eſſet, qui eum nimis vilia illa mancipia dilexiſſe non cenſeret. Sed quanto potiori jure nimia Chriſti in homines dicenda eſt charitas? Nimia ſane

eſt;

eſt, cum ipſe qui cæli, & terræ erat Monarcha, pro hominibus peccatoribus, pro hominibus indignis, & ingratis, ſub dæmonis ſervitute gementibus, flagellari, & ſpinis coronari, & in probroſo crucis patibulo mori voluerit. Hæc eſt nimia, & in æternum prædicanda Chriſti charitas, quam Deus in nobis commendat; *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Roman. 5. 9.*

Hæc eſt nimia, & exceſſiva illa Chriſti charitas, de qua ſpec aliter loquebantur Apoſtoli: *dicebat exceſſum, quem completurus erat in Jeruſalem. Luc. 9.* Quæ verba explicans Sanctus Thomas a Villanova, clamat, Chriſtum nos amaſſe cum exceſſu, & ultra omnem numerum, & menſuram. (O vere, inquit, exceſſum maximum! o extaſim potentiſſimam! Exceſſiſti metas omnis rationis, & intellectus, Domine, in Jeruſalem. Supra modum in me amando exceſſiſti, Deus meus. Omnia in numero, pondere, & menſura feciſti, ſed ſine numero, pondere, & menſura me amaſti. In hoc redemptionis noſtræ opere nullus eſt numerus, nulla eſt cuſtodita menſura, ſed prorſus exceſſus nimius & nimietas exceſſiva. In omnibus alioquin moderatus, & menſuratus: in ſolo amore fuiſti nimius. An non nimietas grandis, an non exceſſus nimius, ut Deus moriatur pro homine? pro opere ſuo conditor? creator pro creatura? o extaſin exuberantis amoris! o ferventis charitatis exceſſum! *D. Thom. ferm. in Transfig. Domini.*

Sed ut melius exceſſum charitatis Chriſti patientis concipias, perpende interminatas altitudinis, latitudinis, longitudinis & profunditatis ejus dimenſiones: charitatis Chriſti patientis tanta fuit altitudo, ut omnem ſupergreſſa cælorum altitudinem, ad ipſa pervenerit æterni Patris viſcera, illumque adverſus homines iratum placaverit. Tanta ejus fuit latitudo, ut ſe extenderit ad omnes penitus homines, etiam inimicos, & perſecutores, pro quibus omnibus oravit, & paſſus eſt. Tanta longitudo, ut ad ultimum uſque vitæ exitum nos ardenter amaverit. Tanta profunditas, ut nec cogitatione percipi poſſit, quantus, & quam altus Chriſti erga homines amor extiterit.

O portentoſum amoris Chriſti erga homines exceſſum! In eo fuit exceſſus amoris conſtantis, quia qui ab æterno nos dilexerat, dilexit & nos uſque ad extremum vitæ ſuæ terminum. In eo fuit exceſſus amoris voluntarii, quia cum poſſet non mori, pro nobis voluntarie, & libere mortuus eſt. In eo eluxit exceſſus amoris liberalis, quia cum unica pretioſiſſimi ſanguinis ſui ſtilla; immo, & unico voluntatis ſuæ actu poſſet nos redimere; pro noſtra tamen ſalute totum ſanguinem in flagellatione, in coronatione, & in cruce fundere dignatus eſt. In eo apparuit exceſſus amoris patientis, quia diriſſima ſupplicia, & mortem acerbiſſimam pro nobis paſſus eſt. In eo emicuit exceſſus amoris ſingularis, quia ita pro omnibus mortuus eſt, ut & pro ſingulis, ac pro quolibet mortuus ſit; *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Galat. 2. 20.*

O incomprehenſibilem amoris Chriſti exceſſum! o amorem omni amore majorem! Sed tu, o homo, tantum Chriſti amorem quo amore compenſabis? Tantos in te benevolentiæ fructus quo officio comparabis! Quidquid in ejus obſequium erogaveris, parum eſt, quidquid in ejus ſervitutem impenderis, minus eſt; nec ſi animam dederis, aut ſanguinem fuderis, compenſabis. *S. Chryſ. in Joann.*

Verum eſt, quod ſi millies pro Chriſti gloria mortem obires, & ſanguinem funderes, nondum amore quo te proſecutus eſt, digne compenſares: ſed a te tanta non exigit Chriſtus. Vult ſolummodo, ut amantem ames, & amori amorem reddas. Exceſſu amoris quo te dilexit, voluit tantum ad reciprocum amorem te excitare, & attrahere. Dum enim nos tanto cum exceſſu amavit, dumque nobis ingratis, & inimicis benefecit, carbones ſuper caput noſtrum congeſſit, ut ei reciprocum amorem rependere cogeremur.

Oderant primo Joſephum fratres, ita ut nec ei quidquam pacifice loqui poſſent, & ideo eum vendiderunt, eumque pene decreverunt. Verum poſtea mire ſibi eorum amicitiam conciliavit Joſeph: Princeps etenim Ægypti factus, eos ad ſui amorem allexit oblivione injuriarum, blanditiis, oſculis, amplexibus, lacrymis, ſuſpiriis, epulis, & continua eorum ſuſtentatione: *oſculabatur ſingulos, & perſingulos flebat, & irriguis lacrymis pa. entium colla perfundebat; itaque odium fratrum lacrymis abluebat. D. Auguſtinus ſerm. 83. de temp.* Externis his amicitiæ ſignis Joſeph fratrum iram placavit, & eorum ſibi amicitiam conciliavit. Unde in amorem ejus fratres deinde exarſere, de irrogatis ei injuriis doluere, ac ab eo veniam enixe petiere, palamque proteſtati ſunt, ſe in poſterum addictiſſimos ejus ſervos futuros: *veneruntque ad eum fratres ſui, & proni adorantes in terram, dixerunt, ſervi tui ſumus. Geneſis 50. 18.*

Videte N. N. quanta fecerit Joſeph, ut ad ſui amorem fratres alliceret? Sed o quanto majora ſunt amoris ſigna, quæ Chriſtus nobis præſtitit! non ſolum flevit ſuper nos, vel panem, nobis materialem dedit, ſicut Joſeph, ſed tanto nos exceſſu dilexit, ut pro nobis flagellari, ſpinis coronari, cruci affigari, & in cruce mori voluerit. Quis ergo tantum amorem amore non compenſabit? quis non amabit Chriſtum, qui tantopere nos amavit?

O homo, ſi non ſis totaliter inſenſibilis, amabis Chriſtum, qui tanto te affectu, tantoque exceſſu dilexit. Ama illum, ita ut adverſus illum non pecces, illumque virtutibus, & bonis operibus honorare contendas: ama illum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis; ama eum ſuper omnia. Et ut ejus amore magis accendatur cor tuum, reſpice ejus effigiem, quam oculis tuis objicio.

Amor in cordibus noſtris magis accenditur, cum objectum amabile nobis contemplandum offertur; quare ut in cordibus veſtris magis ardeat amoris ignis, oculis, & mentibus veſtris, Chriſti crucifixi imaginem objicio. Ecce, o homo peccator, Chriſtum tuum: ecce illum in quo tantus afflictionis, humilitatis, & amoris exceſſus eluxit. Vide, & devote contemplare hanc Chriſti pro te morientis, & mortui effigiem: vide caput ejus diriſſimis ſpinis coronatum, os ejus amariſſimo felle potatum, manus, & pedes clavis perforatos, latus dira trans-

tranſfoſſum lancea; ac totum corpus acerbiſſime cruentatum. Vide Chriſtum cruci affixum, & ab eo pete, quis faciem ejus deformarit, quis caput ſpinis coronarit, quis totum corpus ejus dilaniarit, quis illum crucis patibulo alligarit; reſpondebit, quod hæc omnia fecerit amor tui, quodque hæc omnia paſſus ſit, quia te amavit. Ama ergo amantem te; ama pro tui amore tam gravia patientem. Vide in capite, in manibus, in pedibus, & in latere Chriſti, characteres amoris ejus erga te; ibi lege, quantus ejus in te fuerit amor, & identidem proteſtare, te in poſterum eum amaturum ſuper omnia. Dic ei ex imo cordis tui: *diligam te*, Domine, ardenter: *diligam te*, conſtanter: *diligam te*, pluſquam me, & nihil amabo, niſi te, aut propter te. Dic ei, quis mihi det, ut amem te amore perfecto, quis mihi det, ut amore amoris illius moriar, qui amore amoris mei mori dignatus eſt? Domine, vivere, & mori volo pro te; fac ut ardeat cor meum illo charitatis igne & in hoc mundo, & in cælo. *Amen*.

## DOMINICA PASCHATIS.

## DE

# CHRISTI RESURRECTIONE.

*Surrexit, non eſt hic.* Marc. 16. 6.

FElix, & veneranda plurimum iſta dies, in qua Redemptor noſter inaudito hactenus ſtratagemate, de morte, de ſepulchro, & de inferno triumphavit.

*Salve feſta dies toto venerabilis ævo,*
*Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.*
*Lactant. Firm.*

Fortunatiſſima iſta dies, in qua Chriſtus Dominus poſt triduum voluntariæ mortis ſomnium, tandem ad immortalem, & glorioſam vitam reſurrexit. Felix ſupra modum, & beata iſta dies, in qua Salvator mundi cæleſtem miſit Spiritum, ut hominibus ſe reſurrexiſſe annuntiaret: *ſurrexit, non eſt hic.*

Triſtes maxime erant Apoſtoli de nece ſui Domini; gravi corda eorum conficiebantur mœrore; immo de futura ejus reſurrectione aliquatenus dubitabant: quare ineffabili ſuperfuſi ſunt gaudio, cum cum reſurrexiſſe didicerunt. Gaviſi ſunt Apoſtoli, gaviſa eſt Maria, gaviſæ ſunt piæ illæ mulieres, quæ ad Chriſti ſepulchrum ſe contulerant, & gaudere debent omnes fideles, qui ſolemnem Reſurrectionis Dominicæ diem recolunt: utpote quia Chriſti reſurrectione fides noſtra ſtabilitur, ſpes firmatur, charitas augetur, ac mirabile reſurrectionis ſpiritualis exemplar nobis proponitur. Gaudete ergo, iterum dico, gaudete, quia ſurrexit Dominus. Sed ut gaudium veſtrum ſit plenum, admirabilis reſurrectionis Chriſti myſterium probemus, expendamus, & ex eo ad morum noſtrorum emendationem ſalutaria documenta eliciamus, &c. *Regina cæli lætare.*

CHriſti reſurrectionem perpendo reſpectu Judæorum, Arianorum, & Catholicorum. *Judæi* Chriſtum non vere a mortuis ſurrexiſſe, ſed dormientibus cuſtodibus, e ſepulchro ab ejus diſcipulis ablatum fuiſſe, arbitrabantur: *Ariani*, eum vere reſurrexiſſe, non tamen eum Deum eſſe credebant: & multi ex *Catholicis*, qui Chriſtum eſſe Deum, ac vere reſurrexiſſe firmiſſime tenent, tali reſurrectione ad mores ſuos melius, & perfectius componendos non excitantur.

Falluntur Judæi, quia Chriſtus ſurrexit vere, nec de reſurrectione ejus aliquis eſt dubitandi locus. Falluntur Ariani, quia Chriſtus eſt Deus, & ipſum eſſe Deum, ipſa ejus reſurrectio clariſſime probat. Falluntur Catholici, qui Chriſti reſurrectione meliores non fiunt; quia Chriſtus in reſurrectione ſua, iis præclaram a peccatis ſurgendi, & recte vivendi normam præbet.

Hæc omnia certa ſunt, utque ea veriſſima eſſe conſtet: dico, Chriſti reſurrectionem eſſe dogma, argumentum, & myſterium; *dogma* quidem veriſſimum, de quo dubitari non poteſt; *argumentum* fortiſſimum, quo Chriſtum eſſe Deum perſpicue probatur; & *myſterium* grande, quo ad mores noſtros recte componendos erudimur. Chriſti reſurrectio: 1. *eſt dogma*, quo nullum clarius in ſacra Scriptura probatur: 2. *eſt argumentum*, quo ad probandum Chriſti divinitatem nullum fortius invenitur: 3. *eſt myſterium*, quo ad morum correctionem nullum aptius videtur. En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Chriſti reſurrectio eſt dogma; quo nullum clarius in ſacra Scriptura probatur.*

INter omnia ſublimia, & recondita fidei noſtræ dogmata; Chriſti Domini reſurrectio uſque adeo admiranda eſt, ut captum omnem Judæorum, Gentilium, & antiquorum Philoſophorum exſuperarit. Unde cum Paulus apud Regem Agrippam, & Proconſulem Feſtum de ea agere ſuſcepit, inſanus æſtimatus eſt, & cum Athenis de ea ſermonem habuit, nugivendulus, blatero, verborum ſeminator, magus, ariolus, & novorum dæmoniorum annuntiator vocatus eſt: *Actor.* 17. Nec mirum, cum & ipſi Apoſtoli piis mulieribus, Chriſtum reſurrexiſſe nuntiantibus, vix crediderint: & deliramenta eſſe putarint, quæ de Chriſti reſurrectione dicebant: *viſa ſunt ante illos, ſicut deliramentum verba iſta: & non crediderant illis. Luc.* 2. 11. At Chriſtus tot modis, totque argumentis ſe reſurrexiſſe probavit & manifeſtavit, ut de ejus reſurrectione nullus dubitandi locus ſupereſſe poſſit.

Pollicitus erat Chriſtus, ſe tertia poſt mortem die reſurrecturum: & ideo Judæi ne deciperentur, vel ut reſurrectionem ejus impedirent, aut celarent, ſupra tumulum ejus, grandem, gravem, nec facile mobilem poſuerunt lapidem, quem urbis ſignaculo ſigillarunt, & quaſi hæc minime ſufficerent, militum cohortem delegarunt, ut ſic opertum & ſigillatum ſepulchrum ſedulo cuſtodirent. Sed nil poſſunt homines adverſus Chriſtum Dominum: vix enim tertia poſt ejus mortem dies lucere cœpit,

cum

cum beata ejus anima e limbo egrediens, ad ſepulchrum properavit, ubi corpus ſuum aſſumpſit, animavit, & vivificavit: moxque Chriſtus inde glorioſus migravit. Tria autem tunc facta ſunt, quæ ipſum vere reſurrexiſſe probant: 1. *Terræ motus factus eſt magnus, Matth.* 28. 2. ut eo excitarent cuſtodes, & reſurrectionis Chriſti teſtes fierent: 2. Angelus de cælo miſſus, ſepulchri revolvit lapidem, non ut e ſepulchro exiret Chriſtus, qui ſepulchro clauſo jam ſurrexerat, ſicut clauſo Virginis utero natus erat; ſed revolvit lapidem Angelus, ut cuſtodes, & alii quilibet videre facile poſſent, Chriſtum jam reſurrexiſſe: *non putemus Angelum idcirco veniſſe, ut aperiret ſepulchrum Chriſto Domino reſurgenti; ſed poſtquam Dominus reſurrexit, indicaſſe quid factum eſt, & ſepulchrum vacuum revolutione lapidis oſtendiſſe. D. Hieron. Epiſt. ad Hedib. quæſt.* 75. 3. Idem Angelus Chriſtum jam exiiſſe nuntiavit: piis enim mulieribus, quæ ad ſepulchrum venerant, ut Chriſti corpus ungerent, dixit: *Jeſum quæritis crucifixum, ſurrexit, non eſt hic.*

Ecce primam pro reſurrectione Chriſti rationem, quæ adhuc validior & efficacior videbitur, ſi perpendimus quæ intra ſepulchrum inventa ſunt: cum enim, invitante Angelo, piæ mulieres in ſepulchrum intraverint, nil in eo repererunt præter lineamina, quibus Chriſti corpus involutum fuerat. Quare attonitæ ſimul, & lætantes, Jeroſolymam prompte redierunt, ut diſcipulis lætum reſurrectionis Chriſti nuntium afferrent. Quarum verbis fidem non totaliter adhibuerunt, ſed ut an quæ dicebant, vera eſſe probarent, ad ſepulchrum cucurrerunt, ac viſis in eo dumtaxat linteaminibus, ſimul cum mulieribus Chriſtum reſurrexiſſe, nilque aliud præter linteamina in ſepulchro ejus eſſe teſtati ſunt.

Gravia quidem ſunt hæc teſtimonia ad probandam Chriſti reſurrectionem, ſed gravius adhuc & validius videtur teſtimonium datum ab inimicis noſtris, ſeu a cuſtodibus ſepulchri: ipſi enim qui ex terræ motu, & ex Angeli aſpectu conterriti fuerant, excuſſo tandem metu, Jeroſolymam ſe contulerunt, ubi quæ viderant, & audierant, ſincere enarrarunt. Quibus auditis, tota commota eſt ſynagoga, ac coactum eſt Concilium, ad quod vocati ſunt cuſtodes, qui palam dixerunt qua hora Chriſtus ſurrexerit, ſub qua figura Angelus apparuerit, quomodo lapidem e ſepulchro revolverit, & quomodo in eo nil præter linteamina inventum fuerit: *quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Matth.* 28. 11.

Quis ad hæc de Chriſti reſurrectione dubitet? certe nec ipſi Judæi de ea amplius dubitarunt: hi enim vere ſurrexiſſe crediderunt, ſed diabolica adverſum Chriſtum accenſi invidia, ut ejus reſurrectio celaretur, *pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes, dicite, quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, vobis dormientibus. Ibid. verſ.* 10. O malignam adinventionem! quomodo enim Chriſti corpus furati eſſent diſcipuli, qui homines pauperes, rudes, ac ita meticuloſi erant, ut neque in hominum conſpectum prodire auderent? quomodo diſcipuli, qui inſtante Chriſti paſſione, *relicto fugerunt omnes*, tunc auſi eſſent adire & aperire ſepulchrum, ac Chriſti corpus auferre in conſpectu adverſæ ſibi cohortis armatorum militum, qui cuſtodiebant illud? hoc eſt incredibile.

Dicent forte cuſtodes, quod ipſi tunc dormirent; ſed ſi dormiebant, quomodo viderunt Chriſti corpus ab ejus diſcipulis auferri, *ſi dormiebant cuſtodes, unde ſcire potuerunt, quis illum ſuſtulerit de ſepulchro? Auguſt.* Sed quomodo diſcipuli in hortum intrare, graviſſimum tollere lapidem, & Chriſti corpus auferre potuerunt, quin aliquem ex cuſtodibus excitarent? quomodo etiam factum eſt, ut ablato Chriſti corpore, ſola in ſepulchro remanſerint linteamina, eſtne credibile, quod fures, qui ſemper præcipites faciunt, plurimum immorati ſint in ſolvendis, & tollendis linteaminibus, quæ Chriſti corpori, *tum* a ſanguine qui ab ejus corpore manabat, *tum* a myrrha qua aſperſum fuerat, quaſi agglutinata erant? hoc non eſt credibile. Sed ut adhuc ratiocinatur D. Auguſtinus, advertere deberent Judæi, quod imaginarii hujus furti non vigilantes, ſed dormientes teſtes adhibeant: *dormientes teſtes adhibes? vere & tu obdormiſti.* Alia etiam ratione eos impugnat Auguſtinus, dicens: aut cuſtodes illi dormiebant, aut vigilabant: ſi dormiebant, unde ſcire potuerunt, quis Chriſti corpus ſuſtulerit? ſi vigilabant, cur non illud cuſtodierunt, nec impedierunt, ne Chriſti Diſcipuli illud furarentur? His rationibus alia addi poſſe videtur; nempe quod plecti deberent cuſtodes, ſi corpus Chriſti ablatum eſſet: ſive ipſis vigilantibus, ſive ipſis dormientibus, puniri enim deberent ob ſuam incuriam, & negligentiam, non tamen puniuntur, ſed datur illis *pecunia copioſa*: quis autem credat, eos præmiari, qui male ſuo functi ſunt officio, & quia non debite Chriſti ſepulchrum cuſtodierunt? O quam imaginaria ergo, & ridicula hæc Judæorum adinventio! o quam inutilis ad celandam Chriſti reſurrectionem! cum contra illum reſurrexiſſe probet. Sed non ultra Angelorum, mulierum, Apoſtolorum, & inimicorum teſtimonium inquiramus; quia teſtimonium Dei majus eſt, & ipſe Chriſtus reſurrectionem ſuam variis apparitionibus, & argumentis probat: *præbuit ſeipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis. Act.* 8. 3.

Apparuit primo Magdalenæ Chriſtus, & eodem fere tempore viſus eſt ab aliis mulieribus, quæ ad ſepulchrum ſe contulerant, ut ejus corpus ungerent. Sed ne pia mulierum credulitas teſtimonium earum ſuſpectum redderet: apparuit etiam Diſcipulis euntibus in caſtellum Emmaus, apparuit Petro & aliis Apoſtolis, apparuit & quingentis Diſcipulis ſimul exiſtentibus, quorum plurimi adhuc vivebant, cum D. Paulus primam ad Corinthios epiſtolam ſcripſit, id eſt circiter viginti quatuor annis poſt Chriſti Aſcenſionem: *Deinde viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc.* 1. *Corinth.* 15. 6.

Si una ſolum aut altera vice ſe manifeſtaſſet Chriſtus, ſi uni tantum aut alteri apparuiſſet, aliqua extitiſſet ratio credendi, Apoſtolos & Diſcipulos, qui adhuc rudes erant, ab inani quodam phantaſmate fuiſſe deceptos. Quare ut ait S. Auguſtinus, quadraginta poſt reſurrectionem diebus cum iis manere, iiſque pluries & pluribus ſe manifeſtare voluit, ne

tam

Digitized by Google

*tam magnum reſurrectionis miraculum, ſi eorum oculis cito ſubtraheretur, ludificatio putaretur.*

Diu ergo; pluries, & pluribus apparuit Chriſtus; & non ſolum iis apparuit, verum & illos allocutus eſt; iis ſe tangendum præbuit, coram illis inceſſit, & manducavit, prodigia in eorum gratiam operatus eſt, multa ex iis quæ ante paſſionem fecerat, iis in memoriam revocavit, totque reſurrectionis ſuæ teſtimonia iis dedit, ut ne unus ex iis de ea amplius dubitare potuerit.

Verum eſt, quod D. Thomas Apoſtolus aliquandiu de Chriſti reſurrectione dubitaverit, viriſque & mulieribus Chriſtum reſurrexiſſe aſſerentibus, nullam adhibuerit fidem. *Niſi videro, non credam*, ajebat incredulus Diſcipulus; quaſi diceret; videre volo quem vos vidiſſe dicitis, & non ſolum videre, ſed etiam tangere. Palpare volo illud corpus quod vos vidiſtis, ut probem, an carne & oſſibus conſtet, ſicut & cætera vulnera ejus explorare volo, ut ſciam an ſint eadem quæ in cruce recepit, & quia lateris vulnus aliis longe latius eſt, niſi in illud totam manum miſero, Chriſtum reſurrexiſse non credam: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Joan. 20. 25.* O quam incredulus ille Apoſtolus! Ita tamen Chriſtus ſuam ei perſuaſit reſurrectionem, ut omni pertinacia dimiſſa, eum reſurrexiſſe firmiter crediderit, ita ſe ei Chriſtus præbuit examinandum, probandum, & palpandum, ut de ejus reſurrectione certior factus, ac coram ipſo proſtratus clamarit: credo, Domine, te vere reſurrexiſſe, teque Deum meum eſſe: *Dominus meus, & Deus meus. Ibid. 28.*

O quot & quanta Reſurrectionis Dominicæ teſtimonia! eam indicat terræ motus, illam a Deo miſſus annunciat Angelus, probant illam linteamina quæ ſola in ſepulchro reperiuntur, eam referunt piæ mulieres quæ ad ſepulchrum ierant, ut ungerent Jeſum, fatentur illam cuſtodes, & eam declarat ipſe Chriſtus, qui quingentis diſcipulis apparet, qui Apoſtolos alloquitur, qui coram illis incedit, & comedit, qui eis ſua oſtendit vulnera, & qui Thomam incredulum in reſurrectionis ſuæ teſtem & concionatorem convertit. Certe tot & tanta ſunt hæc teſtimonia, ut qui Chriſtum vere reſurrexiſſe non crederent, ſtulti meri o vocari poſſent: *o ſtulti, & tardi corde ad credendum!* Credite ergo, & firmiter credite, Chriſtum reſurrexiſſe, ac fateamini, Chriſti reſurrectionem eſſe dogma, quo nullum clarius probatum in ſacra Scriptura. *Sed Chriſti reſurrectio eſt etiam argumentum, quo nullum fortius ad probandam Chriſti divinitatem.*

## SECUNDA PARS.

*Chriſti reſurrectio eſt argumentum, quo nullum fortius ad probandam ejus divinitatem.*

QUamvis Chriſtum eſſe Deum clariſſime probarent, non ſolum opera portentoſa quæ fecerat; ſed etiam Prophetarum de Meſſia oracula, quæ Chriſto convenire evidentiſſime patebat: neceſſe tamen erat, eum a mortuis ſurgere, ut calumniatorum ora obſtrueret, ac tanto argumento inſenſiſſimos quoſque hoſtes cogeret ad fatendum, eum vere eſſe Deum, & ad dicendum cum Centurione; *vere filius Dei erat iſte.*

Clariſſime, & pluries prædixerat Propheta, Redemptorem hominum propria virtute a mortuis reſurgendum; ipſe etiam Chriſtus ſe tertia poſt mortem die reſurrecturum prænuntiarat, ejuſque vaticinationis rumor apud Sacerdotes, legis Doctores & populum irrepſerat. Quare ſi Chriſtus a mortuis non ſurrexiſſet, de ejus divinitate aliqua forte extitiſſet dubitandi ratio; ſed poſita ejus reſurrectione, tolluntur omnia dubia, quæ de ejus divinitate oriri poſſent; præcluduntur omnes incredulorum & invidorum prætextus; ac evidentiſſime conſtat Chriſtum eſſe Deum; quia impoſſibile eſt, quod ſuſcitet ſeipſum, niſi ſit ipſe Deus.

Nullus Cæſarum, nullus Principum, nullus Sanctorum, nullus tandem purus homo virtutem unquam habuit ſeipſum ad vitam revocandi. *Morientes non vivant, gigantes non reſurgant*, inquit Iſaias; *Iſa. 26. 14.* vel ut alii legunt; *mortui non vivunt, gigantes non reſurgunt.* In quæ verba Procopius ait: (quis unquam hominum muſcipula mortis captus, clauſuſque ſemel, inde potuit vi ſua, atque virtute, liber egredi? aut quem gigantum hactenus experti ſumus ita fortem, ut mortuus, atque in ſepulchro clauſus ſeipſum potuerit inde vivum liberumque ſuſcitare?) Certe nullum. Ex quo concludit præfatus auctor, quod *neceſſaria illatione ſequitur, Chriſtum eſſe Deum; ſi quidem ſeipſum a mortuis ſuſcitavit.* Quod fundatur in accepto illo ab omnibus axiomate; a privatione ad habitum naturaliter non datur regreſſus, & a morte ad vitam vi naturali non fit tranſitus; quare cum Chriſtus ſeipſum mortuum vivificaverit, & ſuſcitarit, hoc virtute divina in eo exiſtente factum eſt, & ideo *neceſſaria illatione ſequitur, Chriſtum eſſe Deum; ſiquidem ſeipſum a mortuis ſuſcitavit.*

Hanc illationem probe noverat Divus Paulus, qui præclaris, & majeſtatem redolentibus verbis ait, Chriſtum declaratum eſſe Filium Dei, eo quod ſeipſum propria virtute ſuſcitaverit; *qui prædeſtinatus*, ſeu, ut legunt Chryſoſtomus, Theophylactus, & alii nonnulli, *qui declaratus eſt filius Dei in virtute, ſecundum Spiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum.* Ubi tria ponit Divus Paulus, quibus Chriſtus declaratus eſt Filius Dei naturalis; 1. miracula & prodigia quæ fecit; *in virtute*: 2. animarum ſanctificationem; *ſecundum Spiritum ſantificationis*; 3. reſurrectionem ſuam propria virtute factam; *ex reſurrectione mortuorum. Rom. 1. 4.* Hoc ultimum, eſt potiſſimum argumentum quo Chriſtus declaratur Deus; Chriſtus enim antea mundo erat ignotus; aliquibus mendax, aliis ſeductor, aliis Samaritanus, vel dæmonium habens videbatur: ab aliis qui paulo æquius de eo ſentiebant, Jeremias, Elias, vel aliquis ex Prophetis cenſebatur. Sed per victoriam & triumphum reſurrectionis, qua ſe, inſita virtute, & potentia, e mortuis in vitam revocavit, perſpicue declaratum, & manifeſtatum eſt, eum eſſe Filium Dei naturalem: *qui declaratus eſt Filius Dei.*

Aſſeruerat Chriſtus, ſe poteſtatem habere ſuſcitandi ſeipſum; *poteſtatem habeo ponendi animam meam, & po-*

*& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Joann.* 10. 18. Alii homines hanc non habent poteſtatem, quia mors quæ animas a corporibus eorum ſeparat, deſtruit cujuſque perſonam, nec aliquid in homine mortuo relinquit cujus virtute corpus & anima ejus iterum uniri poſſint; ipſe etiam Deus qui mortuos ſuſcitare poteſt, facere nequit, ut purus homo mortuus ſuſcitet ſemetipſum; quia non poteſt quis ſuſcitare ſe quin agat, nec agere quin prius ſit & vivat. Et ideo cum Chriſtus ſuſcitaverit ſe, non purus homo, ſed Deus & homo dicendus eſt. Verum quidem, quod per mortem anima Chriſti a corpore fuerit ſeparata; perſona tamen Chriſti, ſeu Verbum æternum, non fuit deſtructum, ſed ſemper remanſit, & ideo ejus virtute ſuſcitari potuit, ac ſuſcitatus eſt Chriſtus; ſeu, ut loquitur Doctor Angelicus, *ejus virtute corpus, & anima Chriſti ſe invicem reſumpſerunt. D. Thom. 3. part. quæſt. 53. art. 4. ad 3.* Verum eſt etiam, Chriſtum ab æterno Patre fuiſſe ſuſcitatum; *quem ſuſcitavit ex mortuis*; 1. *Theſſal.* 1. 10. quia tamen eadem vis & poteſtas eſt Patris, & Verbi, quæ poteſtas intima erat Chriſto; veriſſime dicitur, Chriſtum innata ſibi & interna virtute, ac poteſtate a mortuis ſurrexiſſe, ac ſeipſum ſuſcitaſſe. Cum enim opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa, & Pater ſuſcitaverit Chriſtum; ergo cum Chriſtus ſit Verbum, conſequens eſt, ut Chriſtus ſuſcitaverit ſeipſum. Ex quo patet, Chriſti reſurrectionem perſpicue, & modo invicto probare Chriſti Divinitatem: nemo enim poteſt ſeipſum ſuſcitare, niſi & ipſe Deus ſit.

Alia Chriſti opera probabant utique ipſum a Deo fuiſſe miſſum: ſed reſurrectio ejus, propria virtute facta, ipſum eſſe Deum clare demonſtrat. Et ideo cum Pharisæi ab eo miracula peterent; quibus ſe Deum eſſe pateſaceret, non aliud in divinitatis ſuæ probationem miraculum dare voluit, quam propriam reſurrectionem, dicens, quod ſicut Jonas poſt tres dies vivus e ceti ventre egreſſus eſt, ita & ipſe tribus poſt mortem diebus e ſepulchro vivus egreſſurus erat: *generatio*, inquit, *mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ: ſicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius Hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Matth.* 12. 39. Quaſi dicat, miraculum a me petitis? propria virtute reſurgam; ecce miraculum miraculorum; ecce miraculum, quod ſolus Deus facere poteſt. Alii quidem, virtute ſibi a Deo data, alios mortuos ſuſcitaverunt; ſed nullus ſuſcitavit, nec ſuſcitare potuit ſemetipſum: ego ſolus hac virtute polleo, quia Deus ſum.

In alia occaſione, cum ab eo Judæi aliquod miraculum peterent, quo ſe Meſſiam eſſe probaret; reſpondit: *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Joann.* 2. 19. Quaſi dicat, ſcitis, me multa feciſſe miracula, & ſi mecum aliquamdiu manebitis, videretis, me cæcis viſum, ſanitatem infirmis, & mortuis vitam conferre. Sed ad quid hujuſmodi coram vobis miracula multiplicarem, cum iis non credatis, dicentes, me hæc in nomine Beelzebub operari? Aliud faciam miraculum, quod nullus homo facere poteſt, niſi ſit & ipſe Deus; ſuſcitabo enim meipſum: *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Advertite, quod non dicat Chriſtus: *moriar*; ſed ut omnem doli & fraudis tollat ſuſpicionem, ait; morte qua & quali volueritis me afficite; gladiis, fuſtibus, flagellis corpus meum interimite; illud cruci affigite; omni qua placuerit feritate in illud, etiam mortuum, ſævite? illud tamen intra tres dies a mortuis ſuſcitabo: *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ecce novum miraculum, quo Chriſtus ſuam manifeſtat divinitatem: ecce argumentum quo Deum ſe eſſe probat. Et revera argumentum hoc ita validum & efficax viſum eſt, ut infenſiſſimi etiam Chriſti hoſtes, illud indiſſolubile cenſuerint; quare ut ejus vim eluderent, *alii* dixerunt, Chriſtum non eſſe mortuum, & *alii* eum non fuiſſe ſuſcitatum; probe ſcientes, quod admiſſa ejus reſurrectione, ipſum eſſe Deum, nullo modo negari poſſet.

Non ſine myſterio Evangeliſtæ accuratiſſime ſingulas Paſſionis & mortis Chriſti circumſtantias adnotarunt. Non tacuerunt, nec ſegniter, & perfunctorie horrenda & ignominioſa, quæ pertulit, enarrarunt, ſed iis omnibus quæ in Paſſione ejus peracta ſunt, ſigillatim referendis omnes ſtudioſiſſime, & quaſi certatim incubuerunt. Non veriti ſunt dicere, Chriſtum ſi viſſe, mœſtum fuiſſe, & ſanguineo ſudore diffluxiſſe, quin contra ſummo ſtudio ſcriptis etiam mandarunt, ipſum fuiſſe opprobrium hominum & plebis abjectionem, variis ipſum affectum fuiſſe contumeliis, innumeris cruciatuum tormentis, ac tandem crucifixum, & in cruce duos inter latrones mortuum. Noverant ſacri Evangeliſtæ, plurimum intereſſe, ut omnes eum vere mortuum eſſe cognoſcerent; ne de ejus morte aliquis dubitare fingeret, ut veritatem reſurrectionis ejus impugnaret. Sciebant etiam, quod poſita & admiſſa Chriſti reſurrectione, omne Paſſionis ejus tolleretur dedecus, & in gloriam ejus converteretur. De Chriſti Paſſione quidquid dicas (quantumvis horrendum illud ſit) hoc verbum, *reſurrexit*, omnia delet, omnia decorat & illuſtrat; quia ſi propria virtute ſurrexit; ergo Deus eſt; nec amplius de ejus Divinitate aliquis dubitare poteſt, niſi ſtultus ille ſit, & omnis rationis expers. *Reſurrexit*; ecce argumentum quo nullum fortius ad Chriſti Divinitatem probandam. *Sed Chriſti reſurrectio eſt etiam myſterium, quo ad morum correctionem, & ad noſtram inſtitutionem nullum aptius videtur.*

## TERTIA PARS.

*Chriſti reſurrectio, eſt myſterium, quo ad morum correctionem, & ad noſtram inſtitutionem nullum aptius videtur.*

IN Chriſtiana Religione, aliqua ſunt myſteria ita recondita & ſublimia, ut nil a nobis niſi fidem & admirationem exigere videantur; ſed alia ita idonea ſunt ad vitam noſtram recte inſtituendam, ut ea vix conſiderare poſſimus, quin ſtatim ad declinandum a malo, & ad vitam debite componendam excitemur. In myſterio autem reſurrectionis Chriſti, multa quidem mirabilia & ineffabilia reperiuntur: ſed & multa ſunt etiam, quæ erudiunt nos, quæ modum recte vitam componendi nos docent, & quæ ad inſtitutionem noſtram apta plurimum, & utilia ſunt; quorum aliqua hic expendam.

1. Sur-

*tam magnum reſurrectionis miraculum, ſi eorum oculis ciſe ſubtraheretur, ludificatio putaretur.*

Diu ergo; pluries, & pluribus apparuit Chriſtus; & non ſolum iis apparuit, verum & illos allocutus eſt; iis ſe tangendum præbuit, coram illis inceſſit, & manducavit, prodigia in eorum gratiam operatus eſt, multa ex iis quæ ante paſſionem fecerat, iis in memoriam revocavit, totque reſurrectionis ſuæ teſtimonia iis dedit, ut ne unus ex iis de ea amplius dubitare potuerit.

Verum eſt, quod D. Thomas Apoſtolus aliquandiu de Chriſti reſurrectione dubitaverit, viriſque & mulieribus Chriſtum reſurrexiſſe aſſerentibus, nullam adhibuerit fidem. *Niſi videro, non credam*, ajebat incredulus Diſcipulus; quaſi diceret; videre volo quem vos vidiſſe dicitis, & non ſolum videre, ſed etiam tangere. Palpare volo illud corpus quod vos vidiſtis, ut probem, an carne & oſſibus conſtet, ſicut & cætera vulnera ejus explorare volo, ut ſciam an ſint eadem quæ in cruce recepit, & quia lateris vulnus aliis longe latius eſt, niſi in illud totam manum miſero, Chriſtum reſurrexiſse non credam: *Niſi videre in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Joann.* 20. 25. O quam incredulus ille Apoſtolus! Ita tamen Chriſtus ſuam ei perſuaſit reſurrectionem, ut omni pertinacia dimiſſa, eum reſurrexiſſe firmiter crediderit, ita ſe ei Chriſtus præbuit examinandum, probandum, & palpandum, ut de ejus reſurrectione certior factus, ac coram ipſo proſtratus clamarit: credo, Domine, te vere reſurrexiſſe, teque Deum meum eſſe: *Dominus meus, & Deus meus. Ibid.* 28.

O quot & quanta Reſurrectionis Dominicæ teſtimonia! eam indicat terræ motus, illam a Deo miſſus annuntiat Angelus, probant illam linteamina quæ ſola in ſepulchro reperiuntur, eam referunt piæ mulieres quæ ad ſepulchrum jerant, ut ungerent Jeſum, fatentur illam cuſtodes, & eam declarat ipſe Chriſtus, qui quingentis diſcipulis apparet, qui Apoſtolos alloquitur, qui coram illis incedit, & comedit, qui eis ſua oſtendit vulnera, & qui Thomam incredulum in reſurrectionis ſuæ teſtem & concionatorem convertit. Certe tot & tanta ſunt hæc teſtimonia, ut qui Chriſtum vere reſurrexiſſe non crederent, ſtulti meri o vocari poſſent: *o ſtulti, & tardi corde ad credendum!* Credite ergo, & firmiter credite, Chriſtum reſurrexiſſe, ac fateamini, Chriſti reſurrectionem eſſe dogma, quo nullum clarius probatum in ſacra Scriptura. *Sed Chriſti reſurrectio eſt etiam argumentum, quo nullum fortius ad probandam Chriſti divinitatem.*

## SECUNDA PÀRS.

*Chriſti reſurrectio eſt argumentum, quo nullum fortius ad probandam ejus divinitatem.*

QUamvis Chriſtum eſſe Deum clariſſime probarent, non ſolum opera portentoſa quæ fecerat; ſed etiam Prophetarum de Meſſia oracula, quæ Chriſto convenire evidentiſſime patebat: neceſſe tamen erat, eum a mortuis ſurgere, ut calumniatorum ora obſtrueret, ac tanto argumento inſenſiſſimos quoſque hoſtes cogeret ad fatendum, eum verè eſſe Deum, & ad dicendum cum Centurione; *vere filius Dei erat iſte.*

Clariſſime, & pluries prædixerat Propheta, Redemptorem hominum propria virtute a mortuis reſurgendum; ipſe etiam Chriſtus ſe tertia poſt mortem die reſurrecturum prænuntiarat, ejuſque vaticinationis rumor apud Sacerdotes, legis Doctores & populum irrepſerat. Quare ſi Chriſtus a mortuis non ſurrexiſſet, de ejus divinitate aliqua forte extitiſſet dubitandi ratio; ſed poſita ejus reſurrectione, tolluntur omnia dubia, quæ de ejus divinitate oriri poſſent; præcluduntur omnes incredulorum & invidorum prætextus; ac evidentiſſime conſtat Chriſtum eſſe Deum; quia impoſſibile eſt, quod ſuſcitet ſeipſum, niſi ſit ipſe Deus.

Nullus Cæſarum, nullus Principum, nullus Sanctorum, nullus tandem purus homo virtutem unquam habuit ſeipſum ad vitam revocandi. *Morientes non vivant, gigantes non reſurgant*, inquit Iſaias; *Iſa.* 26. 14. vel ut alii legunt; *mortui non vivunt, gigantes non reſurgunt*. In quæ verba Procopius ait; (quis unquam hominum muſcipula mortis captus, clauſuſque ſemel, inde potuit vi ſua, atque virtute, liber egredi? aut quem gigantum hactenus experti ſumus ita fortem, ut mortuus, atque in ſepulchro clauſus ſeipſum potuerit inde vivum liberumque ſuſcitare?) Certe nullum. Ex quo concludit præfatus auctor, quod *neceſſaria illatione ſequitur, Chriſtum eſſe Deum; ſi quidem ſeipſum a mortuis ſuſcitavit*. Quod fundatur in accepto illo ab omnibus axiomate; a privatione ad habitum naturaliter non datur regreſſus, & a morte ad vitam vi naturali non fit tranſitus; quare cum Chriſtus ſeipſum mortuum vivificaverit, & ſuſcitarit, hoc virtute divina in eo exiſtente factum eſt, & ideo *neceſſaria illatione ſequitur, Chriſtum eſſe Deum; ſiquidem ſeipſum a mortuis ſuſcitavit.*

Hanc illationem probe noverat Divus Paulus, qui præclaris, & majeſtatem redolentibus verbis ait, Chriſtum declaratum eſſe Filium Dei, eo quod ſeipſum propria virtute ſuſcitaverit; *qui prædeſtinatus*, ſeu, ut legunt Chryſoſtomus, Theophylactus, & alii nonnulli, *qui declaratus eſt filius Dei in virtute, ſecundum Spiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum.* Ubi tria ponit Divus Paulus, quibus Chriſtus declaratus eſt Filius Dei naturalis; 1. miracula & prodigia quæ fecit; *in virtute*: 2. animarum ſanctificationem; *ſecundum Spiritum ſanctificationis*; 3. reſurrectionem ſuam propria virtute factam; *ex reſurrectione mortuorum. Rom.* 1. 4. Hoc ultimum, eſt potiſſimum argumentum quo Chriſtus declaratur Deus; Chriſtus enim antea mundo erat ignotus; aliquibus mendax, aliis ſeductor, aliis Samaritanus, vel dæmonium habens videbatur: ab aliis qui paulo æquius de eo ſentiebant, Jeremias, Elias, vel aliquis ex Prophetis cenſebatur. Sed per victoriam & triumphum reſurrectionis, qua ſe, inſita virtute, & potentia, e mortuis in vitam revocavit, perſpicue declaratum, & manifeſtatum eſt, eum eſſe Filium Dei naturalem: *qui declaratus eſt Filius Dei.*

Aſſeruerat Chriſtus, ſe poteſtatem habere ſuſcitandi ſeipſum; *poteſtatem habeo ponendi animam meam, & po-*

*& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Joann.* 10. 18. Alii homines hanc non habent poteſtatem, quia mors quæ animas a corporibus eorum ſeparat, deſtruit cujuſque perſonam, nec aliquid in homine mortuo relinquit cujus virtute corpus & anima ejus iterum uniri poſſint; ipſe etiam Deus qui mortuos ſuſcitare poteſt, facere nequit, ut purus homo mortuus ſuſcitet ſemetipſum; quia non poteſt quis ſuſcitare ſe quin agat, nec agere quin prius ſit & vivat. Et ideo cum Chriſtus ſuſcitaverit ſe, non purus homo, ſed Deus & homo dicendus eſt. Verum quidem, quod per mortem anima Chriſti a corpore fuerit ſeparata; perſona tamen Chriſti, ſeu Verbum æternum, non fuit deſtructum, ſed ſemper remanſit, & ideo ejus virtute ſuſcitari potuit, ac ſuſcitatus eſt Chriſtus; ſeu, ut loquitur Doctor Angelicus, *ejus virtute corpus, & anima Chriſti ſe invicem reſumpſerunt. D. Thom. 3. part. quæſt. 53. art. 4. ad 3.* Verum eſt etiam, Chriſtum ab æterno Patre fuiſſe ſuſcitatum; *quem ſuſcitavit ex mortuis*; 1. *Theſſal.* 1. 10. quia tamen eadem vis & poteſtas eſt Patris, & Verbi, quæ poteſtas intima erat Chriſto; veriſſime dicitur, Chriſtum innata ſibi & interna virtute, ac poteſtate a mortuis ſurrexiſſe, ac ſeipſum ſuſcitaſſe. Cum enim opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa, & Pater ſuſcitaverit Chriſtum; ergo cum Chriſtus ſit Verbum, conſequens eſt, ut Chriſtus ſuſcitaverit ſeipſum. Ex quo patet, Chriſti reſurrectionem perſpicue, & modo invicto probare Chriſti Divinitatem: nemo enim poteſt ſeipſum ſuſcitare, niſi & ipſe Deus ſit.

Alia Chriſti opera probabant utique ipſum a Deo fuiſſe miſſum: ſed reſurrectio ejus, propria virtute facta, ipſum eſſe Deum clare demonſtrat. Et ideo cum Phariſæi ab eo miracula peterent; quibus ſe Deum eſſe patefaceret, non aliud in divinitatis ſuæ probationem miraculum dare voluit, quam propriam reſurrectionem, dicens, quod ſicut Jonas poſt tres dies vivus e ceti ventre egreſſus eſt, ita & ipſe tribus poſt mortem diebus e ſepulchro vivus egreſſurus erat: *generatio*, inquit, *mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ: ſicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius Hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Matth.* 12. 39. Quaſi dicat, miraculum a me petitis? propria virtute reſurgam; ecce miraculum miraculorum; ecce miraculum, quod ſolus Deus facere poteſt. Alii quidem, virtute ſibi a Deo data, alios mortuos ſuſcitaverunt; ſed nullus ſuſcitavit, nec ſuſcitare potuit ſemetipſum: ego ſolus hac virtute polleo, quia Deus ſum.

In alia occaſione, cum ab eo Judæi aliquod miraculum peterent, quo ſe Meſſiam eſſe probaret; reſpondit: *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Joann.* 2. 19. Quaſi dicat: ſcitis, me multa feciſſe miracula, & ſi mecum aliquamdiu manſeretis, videretis, me cæcis viſum, ſanitatem infirmis, & mortuis vitam conferre. Sed ad quid hujuſmodi coram vobis miracula multiplicarem, cum iis non credatis, dicentes, me hæc in nomine Beelzebub operari? Aliud faciam miraculum, quod nullus homo facere poteſt, niſi ſit & ipſe Deus; ſuſcitabo enim meipſum: *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Advertite, quod non dicat Chriſtus: *moriar*; ſed ut omnem doli & fraudis tollat ſuſpicionem, ait: morte qua & quali volueritis me afficite; gladiis, fuſtibus, flagellis corpus meum interimite; illud cruci affigite; omni qua placuerit feritate in illud, etiam mortuum, ſævite? illud tamen intra tres dies a mortuis ſuſcitabo: *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ecce novum miraculum, quo Chriſtus ſuam manifeſtat divinitatem: ecce argumentum quo Deum ſe eſſe probat. Et revera argumentum hoc ita validum & efficax viſum eſt, ut infenſiſſimi etiam Chriſti hoſtes, illud indiſſolubile cenſuerint; quare ut ejus vim eluderent, *alii* dixerunt, Chriſtum non eſſe mortuum, & *alii* eum non fuiſſe ſuſcitatum; probe ſcientes, quod admiſſa ejus reſurrectione, ipſum eſſe Deum, nullo modo negari poſſet.

Non ſine myſterio Evangeliſtæ accuratiſſime ſingulas Paſſionis & mortis Chriſti circumſtantias adnotarunt. Non tacuerunt, nec ſegniter, & perfunctorie horrenda & ignominioſa, quæ pertulit, enarrarunt, ſed iis omnibus quæ in Paſſione ejus peracta ſunt, ſigillatim referendis omnes ſtudioſiſſime, & quaſi certatim incubuerunt. Non veriti ſunt dicere, Chriſtum fl viſſe, mœſtum fuiſſe, & ſanguineo ſudore diffluxiſſe, quin contra ſummo ſtudio ſcriptis etiam mandarunt, ipſum fuiſſe opprobrium hominum & plebis abjectionem, variis ipſum affectum fuiſſe contumeliis, innumeris cruciatuum tormentis, ac tandem crucifixum, & in cruce duos inter latrones mortuum. Noverant ſacri Evangeliſtæ, plurimum intereſſe, ut omnes eum vere mortuum eſſe cognoſcerent; ne de ejus morte aliquis dubitare fingeret, ut veritatem reſurrectionis ejus impugnaret. Sciebant etiam, quod poſita & admiſſa Chriſti reſurrectione, omne Paſſionis ejus tolleretur dedecus, & in gloriam ejus converteretur. De Chriſti Paſſione quidquid dicas (quantumvis horrendum illud ſit) hoc verbum, *reſurrexit*, omnia delet, omnia decorat & illuſtrat; quia ſi propria virtute ſurrexit; ergo Deus eſt; nec amplius de ejus Divinitate aliquis dubitare poteſt, niſi ſtultus ille ſit, & omnis rationis expers. *Reſurrexit*; ecce argumentum quo nullum fortius ad Chriſti Divinitatem probandam. *Sed Chriſti reſurrectio eſt etiam myſterium, quo ad morum correctionem, & ad noſtram inſtitutionem nullum aptius videtur.*

## TERTIA PARS.

*Chriſti reſurrectio, eſt myſterium, quo ad morum correctionem, & ad noſtram inſtitutionem nullum aptius videtur.*

IN Chriſtiana Religione, aliqua ſunt myſteria ita recondita & ſublimia, ut nil a nobis niſi fidem & admirationem exigere videantur; ſed alia ita idonea ſunt ad vitam noſtram recte inſtituendam, ut ea vix conſiderare poſſimus, quin ſtatim ad declinandum a malo, & ad vitam debite componendam excitemur. In myſterio autem reſurrectionis Chriſti, multa quidem mirabilia & ineffabilia reperiuntur: ſed & multa ſunt etiam, quæ erudiunt nos, quæ modum recte vitam componendi nos docent, & quæ ad inſtitutionem noſtram apta plurimum, & utilia ſunt: quorum aliqua hic expendam.

1. Sur-

1. Surrexit Chriſtus e ſepulchro, in quo quaſi dormiebat: *ego dormivi & ſoporatus ſum; & exſurrexi. Pſal.* 3. 6. Quo docemur, ut ab horrendo & fœtido vitiorum ſepulchro per pœnitentiam reſurgamus. O peccator, qui a multo tempore in peccatis obdormiſti, ab iis ſurge per pœnitentiam: *ſurge qui dormis, & exurge a mortuis. Epheſ.* 5. 14. O peccator, a pluribus annis avaritiæ vacas, luxuriæ indulges, ebrietatibus, ludis & vanitatibus addiceris, ac in his peccatis alte dormis; ſed *hora eſt jam de ſomno ſurgere: Rom.* 13. 11. ſicut enim a ſepulchro Chriſtus hodie ſurrexit; ita & tu a vitiorum ſepulchro ſurgere debes.

2. Surrexit Chriſtus, non phantaſtice, imaginarie & ficte, ſed vere: *ſurrexit Dominus vere*. Quo docentur peccatores, ut a peccatis per pœnitentiam, non apparenter ſolum, ſed vere & ſincere ſurgant, ita ut peractis feſtis Paſchalibus, quiſque cognoſcat, quod vere ſurrexerit a peccatis. Imitari debent non Samuelem, qui apparenter ſolummodo reſurrexit; ſed Chriſtum qui vere ſurrexit. O N. tuam ſerio conſcientiam examina, aperi os tuum, ut omnia & ſingula peccata tua prudenti Confeſſario diſtincte manifeſtes: tremat terra, ſeu cor tuum dolore concutiatur; tolle lapidem obſtinationis tuæ; egredere e ſepulchro vitiorum, in quo jaces: ac firmiſſimo propoſito ſtatue, non amplius peccare: & hæc erit reſurrectio vera.

3. Reſurrexit Chriſtus mane: ut enim ait Sanctus Ignatius Martyr; *Illuceſcente Dominico die ſurrexit a mortuis. Sanctus Ignatius epiſtola ad Trajan.* Quod & ipſe Chriſtus prænuntiarat, dicens; *exurgam diluculo. Pſalm.* 59. 9. Sicut autem Chriſtus mane e ſepulchro ſurrexit; ita & peccatores, non debent diu in peccatis perſeverare; ſed mane, ſeu cito ab iis ſurgere: *ſicut ſurrexit Dominus mane*, inquit Doctor Seraphicus; *ſic tu non ſero, ſed mane ſurge a peccatis. Divus Bonaventura ſerm. 5. de Reſurrectione*. Non debent peccatores ſpiritualem ſuam reſurrectionem procraſtinare, vel uſque ad ſenectam differre: dicere non debent: a peccatis reſurgam, & pœnitentiam agam poſt aliquot annos, vel cum inſenuero; ſed mane & prompte a peccatis ſuis reſurgant neceſſe eſt: *Qui mane vigilant ad me, invenient me*, inquit Spiritus Sanctus: *Proverb.* 8. 17. Si peccatores mane invigilent, ut ad Deum convertantur; ſi prompte pœnitentiam agere ſatagant, DEI gratiam facile invenient & obtinebunt: ſed ſi pœnitentiam in futurum differant, gratiam forte numquam impetrabunt, & in peccatis morientur. Quare, o peccator, ne tardes converti ad Dominum; ſed ſicut Chriſtus a ſepulchro ſurrexit mane, ita & tu a criminibus tuis ſurge mane, ſurge prompte, & ne differas de die in diem.

4. Chriſti reſurrectio fuit integra; reſurrexit in totum Chriſtus, & non in partem ſolum: non ita reſurrexit, ut aliqua ejus pars in ſepulchro remanſerit; ſed totus & totaliter e ſepulchro exivit. Sicut autem Chriſtus totus ſurrexit; ſic, inquit Doctor Seraphicus, *tu a peccatis totus reſurgas. Ibid.* Reſurrectio ſpiritualis debet eſſe integra; non enim quis ab uno mortali ſurgere poteſt, quin ſimul & ab omnibus reſurgat: quia unum mortale non deletur ſine alio. Et ideo nullo modo reſurrexit ſpiritualiter, qui adhuc mortali cuidam peccato adhæret: *qui conversus injuſta bona, vel odium, vel aliud vitium non reliquit, nondum ſurrexit; Deus enim nullum ſuſcitat, niſi integraliter. D. Bonav. Ibid.* Quare, o peccator, imitare Chriſtum reſurgentem; totus reſurge & totaliter; ita ut nulla in te maneat peccati mortalis macula. *Ne dicas*: horreo ebrietatem, avaritiam deteſtor, ab omni vindictæ ſpiritu alienus ſum; ſed fœdis adhæreo libidinibus. *Ne dicas*: ab omni peccato tamquam a facie colubri fugio, excepto hoc, vel illo, a quo me expedire nequeo, ſed hoc, & illud, & omnia peccata fuge, omnia deteſtare, omnia a te penitus abige; quia reſurrectio ſpiritualis debet eſſe integra, nec ab uno peccato mortali ſurgere potes, quin ſimul ab omnibus ſurgas.

5. Poſtquam Chriſtus a mortuis ſurrexit, non amplius mortuus, nec iterum ad ſepulchrum reverſus eſt: *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Rom.* 6. 9. Peccatores ſimiliter, a peccatis ita ſurgere debent, ut non iterum per peccatum moriantur, nec amplius in fœtido criminum ſuorum ſepulchro jaceant: *ſicut Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur: ita & tu*, inquit Doctor Seraphicus, *perſeveranter reſurgas in converſione, ut de cætero non moriaris tranſgreſſione. Ibid.* O peccator, Paſchalibus hiſce feſtis uberes tibi Deus dat gratias, ut a peccatis reſurgas: ſurge ergo a peccatis: ſed ita ſurge, ut non amplius in ea incidas: Noli amplius peccare, quia ſi in priora reincidas peccata, Deus forte tibi gratiam, qua ab iis iterum reſurgas, denegabit. Noli amplius peccare, ne in ſtatu mortalis peccati moriaris, & æternis ſuppliciis adjudiceris: *jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joann.* 5. 14.

6. Chriſtus in reſurrectione totus innovatus eſt; non enim amplius mortalis, paſſibilis, & doloribus obnoxius fuit; ſed corpus ejus impaſſibile, agile, clatum & ſubtile, ſeu penetrabile factum eſt. Sicut autem Chriſtus in reſurrectione totus innovatus eſt: ſic & peccatores ita a criminibus ſuis ſurgere debent, ut in novitate vitæ ambulent: *quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Rom.* 6. 4. Si vita veſtra turpis erat, & vitiis multis denigrata; jam vitiis valedicendum, virtutibus vacandum, & chriſtiane vivendum; ſi abdomini eratis dediti, jam abſtinentiæ & jejuniis vacate; ſi fœdis libidinibus eratis obnoxii, jam puritatem & continentiam ſectamini; ſi ſuperbia & vanitate eratis inflati, jam in ſpiritu humilitatis incedite: *ut rite Paſcha celebretis, de vitiis ad virtutes tranſire debetis. S. Ambr.* Non imitemini eos, qui licet Paſchali tempore peccata confiteantur, & ad ſanctam Synaxim accedant; numquam tamen in novitate vitæ ambulant, nec a via perditionis ad virtutis viam tranſeunt; ſed ſemper iidem in ſe manent. Blaſphemi erant ante Paſcha, & poſt Paſcha blaſphemi ſunt; Iracundi, ebrioſi & luxurioſi ſunt poſt Paſcha, ſicut & erant antea; numquam ſpiritualiter renovantur; ſed in malitia ſua ſemper perſeverant, & peccatis, quibus erant dediti, fortiter adhærent. Ne eos imitemini; ſed peccatis valedicite; & ſicut Chriſtus in reſurrectione innovatus eſt; ita & in novitate vitæ ambulate;

quia

*quia Chriſtus tranſiit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad tranſitum. S. Bernard.* Tranſite ergo a via peccati ad viam virtutis.

Ecce documenta, quæ e ſacro reſurrectionis Chriſti myſterio elici poſſunt; ecce emolumenta, quæ ex eo peccatores percipere poſſunt, & debent. Contemplamini ergo hodie Chriſtum reſurgentem; & ſicut ipſe e ſepulchro ſurrexit; ita & a vitiorum veſtrorum ſepulchro ſurgite: Ab eo ſurgite vere, ſurgite prompte, ſurgite integraliter, ſurgite conſtanter, ita ut in priora non iterum cadatis peccata. Sed tandem ita ſurgite, ut in novitate vitæ ambuletis, & a via peccati ad rectas juſtitiæ & ſanctitatis ſemitas tranſeatis. In novitate vitæ ambulate, & æternam vitam obtinebitis. *Amen.*

## FERIA II.

## POST PASCHA.

# DE PECCATIS RECIDIVÆ.

*Mane nobiſcum; quoniam adveſperaſcit.* Luc. 24.

QUI Deum Paſchalibus hiſce feſtis, mediante ſancto Pœnitentiæ Sacramento, invenire, & intra ſe per gratiam ſanctificantem recipere meruerunt; magna cura & ſollicitudine illum intra ſe ſervare, & detinere debent. Theſaurus eſt infinitus, cujus jactura inæſtimabilis: Rex regum eſt, quem a nobis expellere nefas: ſponſus animarum noſtrarum eſt, quem relegare ſcelus: ſummum tandem bonum noſtrum eſt: quod ſi per gratiam ſanctificantem nobis inhæreat, per adveniens mortale peccatum illud foras mittere; horrendum videtur flagitium. Quare non a nobis Chriſtum ejicere: ſed cum diſcipulis eum enixe rogare debemus, ut nobiſcum maneat; *mane nobiſcum, Domine.*

Poſtquam optatum, & ſollicite quæſitum ſponſum invenit ſponſa ſacra, non eum a ſe expulit; ſed omni qua potuit arte & ſollicitudine, illum tenuit, ne exiret: *inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Cant. 3.* O quam felices, qui Chriſtum ſponſum hoc Paſchali tempore, per pœnitentiam invenerunt! quam beati, qui illum nunc poſſident! At ſummopere cavendum: neceſſe eſt, nec in priſtina recidendo peccata, illum e cordibus ſuis ejiciant: non enim expellendus, ſed ſtudioſe tenendus: ac quiſque cum ſponſa dicere debet: *tenui eum, nec dimittam.* Qui in mortalia non relabuntur, Chriſtum in cordibus ſuis teneant: qui autem in ea relabuntur, illum a ſe expellunt. Ut autem homines ad non expellendum a ſe Chriſtum excitemus, de recidiva peccati iſta erit concio, &c. *Ave.*

PEccatorem chriſtianum cum peccatore infideli conferens D. Chryſoſtomus, ait Chriſtianum infideli gravius peccare, durius plecti, & difficilius ſurgere: *Chriſtianus gravius peccat, durius vapulat, difficilius reparatur.* Chriſtianus quidem *gravius peccat*; quia eo graviora ejus ſunt peccata, quo majorem veritatis notitiam habet: *durius etiam vapulat*: quia, ſi in ſtatu mortalis peccati moriatur, quo plura percepit beneficia in hoc mundo, eo acerbioribus in alio ſuppliciis plectetur: *difficilius tandem a peccato ſurgit*; quia cum acceptis a Deo gratiis abuſus ſit; minores ad ſurgendum a peccato ei Deus gratias impertit.

Hæc omnia, quæ de quolibet Chriſtiano dicit Chryſoſtomus veriſſima potiſſimum comprobantur in illo Chriſtiano, qui poſt peractam pœnitentiam, in priora, ſeu in ejuſdem ſpeciei peccata relabitur: recidivæ enim peccata ſunt graviora, pœna eorum eſt acerbior, & regreſſus difficilior. Quod veriſſimum eſſe patebit, cum de peccatorum recidivæ malitia, pœna & remediis diſſeruerimus. Videamus ergo peccati recidivæ: 1. *malitiam*, ut eam deteſtemur: 2. *pœnam*, ut eam devitemus: 3. *remedia*, ut illa ſumamus.

## PRIMA PARS.

*Peccati recidivæ malitia.*

QUamvis non ſatis exaggerari poſſit vel minimi mortalis peccati malitia; quid tamen gravius, & quid malignius in recidivæ peccato adnotatur: ac longe gravius peccat qui poſt impetratam a Deo veniam in eadem peccata, quorum pœnitentiam egit, denuo labitur; quia recidiva, priorum peccatorum malitiæ addit contemptum, ingratitudinem, & perfidiam: 1. contemptum Dei: 2. ingratitudinem erga Deum; 3. perfidiam adverſus Deum.

1. Tanta Dei in peccatores eſt bonitas, tantus amor, ut quamvis ſcelerum myriades perpetraverint, omnes ad ſe per pœnitentiam venientes, benigne recipiat, ex corde amplectatur, gratia ſanctificante ditet, in filios adoptet, & in æterni regni hæredes accipiat. Quare ſi poſt tot accepta a Deo beneficia, iiſdem, quibus antea, peccatis adhærent, ac in priora ſcelera reincidant, hac reincidentia Deum graviter contemnunt, eumque quaſi irrident: *irriſor eſt, & non vere pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet: pœnitentia enim eſt, ſic plangere commiſſa, ut non committantur plangenda. S. Auguſt. ſerm. de pœnit. & jejun.* O peccator, cum pœnitentiam egiſti, Deo & Confeſſario pollicitus es, te nuſquam amplius inviſurum hanc creaturam, quæ ad illicita & pudenda te toties allexerat; promiſeras te non amplius aditurum hæc & illa loca, in quibus Dei & animæ toties jacturam feceras, proteſtatus eras te uſuris, helluationibus, detractionibus, & vitæ licentiori abrenuntiaturum, & tamen idem nunc es qui antea, iniquitatis vias nunc iteras: ac priorem, licentioremque vivendi modum iterum ſumis, & in priora relaberis peccata: ſcito quod hac reincidentia Deo, a quo veniam & multa beneficia perceperas, gravem injuriam irrogas: quia illum contemnis & irrides: *irriſor eſt, & non vere pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet.*

Nonne irriſor cenſeretur, qui bis, ter, aut quater ſingulis annis, Magnatem aliquem, ab eo irrogatarum injuriarum veniam petiturus adiret, palamque ei proteſtaretur, ſe in poſterum ejus obſequio fore addictum, nec amplius quidquam adverſus illum ſe moliturum, & tamen ſemper mox ut a Magnatis illius palatio egrederetur, fœdus cum inimicis ejus iniret, verbis & operibus illum laceſſeret, prioribuſque injuriis illum iterum atque iterum af-

fice-

Digitized by Google

ficeret? Irriſor ſane is cenſeretur. Sed irriſores etiam, & Dei contemptores ſunt ſimiliter dicendi, qui poſt acceptam a Deo veniam & gratiam, in priora ſcelera recidunt. Hi diebus Paſchatis, Pentecoſtes, & præcipuis anni feſtivitatibus ad Dei templum accedere ſolent, ibi perpetratorum criminum coram confeſſario veniam poſtulant, ibi pollicentur ſe Deo fore obſequentiſſimos, nec adverſus illum in poſterum peccaturos, & tamen e ſacro pœnitentiæ tribunali vix diſceſſere, cum in priora relabuntur peccata: nonne hi irriſores, & Dei ſunt contemptores? *Certe irriſor eſt, & non vere pœnitens; qui adhuc agit quod pœnitet.* At recidiva non ſolum eſt ſpecialis Dei contemptus, ſed etiam *gravis adverſus Deum ingratitudo.*

2. Cuilibet mortali peccato annexa eſt quædam ingratitudo, cum quodlibet mortale Deo creatori & benefactori noſtro ſit contumelioſum, ſed ſpecialis elucet ingratitudo in peccatore, qui poſt acceptam a Deo veniam, in priora peccata recidit, quia hac recidiva peccator, non ſolum communium, quæ a Deo accepit, beneficiorum, verum & ſpecialium, ſeu veniæ jam nunc a Deo acceptæ ingratus eſt: *indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat. S. Chryſoſt. de lapſu primi hominis.*

*Si quis ſervum nactus*, inquit Chryſoſtomus, *qui in multis offenderit, nec tamen flagris ceciderit, ſed iterum flagris indultis futura vitare monuerit in poſterum, ne in eadem decidat: magnis quoque muneribus præterea illuſtraverit, ac beneficiis foverit: quænam obſecro tam futura eſt perfida mens, tam ingrata anima, quæ hujuſmodi gratia non ad meliora ſectanda provocari ſufficeret? S. Chryſoſt. hom. 5. in 2. ad Timoth.* Ingrata hæc anima, & ingratus ille ſervus, eſt ipſemet peccator, qui poſt peractam pœnitentiam in priſtina relabitur ſcelera. Cum enim pœnitentiam egit, æternam quam meruerat pœnam, ei Deus condonavit, magnis quoque muneribus illum illuſtravit, ac beneficiis fovit, & tamen acceptis his a Deo gratiis, ad meliora ſectanda non provocatus eſt, ſed in priora iterum lapſus crimina: o animam ingratam: o magnam ingratitudinem! *Indulgentiæ ingratus eſt qui poſt veniam peccat.*

Quatuor ingratitudinis ſpecies agnoſcunt moralis Philoſophiæ magiſtri: quarum *prima* eſt, cum quis beneficium beneficio non compenſat: *ſecunda*, cum quis accepti beneficii obliviſcitur: *tertia*, cum quis malum pro bono reddit: *quarta*, cum quis acceptis utitur beneficiis, ut benefactori injuriam inferat. Harum autem omnium ingratitudinum reus videtur qui poſt acceptam a Deo veniam in priora ſcelera reincidit: *hic* etenim pro accepto beneficio par beneficium non reddit; quin contra benefactorem irridet; *hic* etiam percepti obliviſcitur beneficii, quia poſtquam e pœnitentiæ tribunali abſceſſit, accepta a Deo beneficia, quaſi pro nihilo habet, nec amplius eorum meminit; *hic* quoque malum pro bono reddit, cum poſt tot accepta beneficia, Deum benefactorem ſuum iterum offendat: ac tandem ipſis beneficiis acceptis adverſus Deum quodammodo utitur, cum ex bonitate Dei, qui tam facile ignoſcit, in peccata recidendi occaſionem ſumat. O animam ingratam! O magnam ingratitudinem! ſed recidiva, eſt etiam *magna adverſus Deum perfidia.*

3. Cum ad ſacrum pœnitentiæ tribunal acceſſiſtis, peccata non homini ſolum, ſed etiam Deo confeſſi eſtis: *confiteor Deo*. Tunc etiam Deus, ſimul cum Sacerdote: dixit: *Ego te abſolvo*. Tunc a Sacerdote ut Miniſtro, & a Deo ut ſupremo judice, ſententia abſolutionis in veſtri favorem data eſt. Antequam autem a Deo abſolutionem obtineretis, ei polliciti eſtis, vos nunquam amplius in peccata caſuros, hoc ſpopondiſtis: nec Deus a peccatis vos abſolviſſet, niſi hoc promiſiſſetis; dixiſſet quidem forte Sacerdos: *Ego te abſolvo*, ſed Deus abſolutionem non dediſſet, niſi firmiter, non amplius peccaturos, polliciti eſſetis. Et tamen non obſtantibus his promiſſis, in eadem peccata reincidiſtis: nonne hoc eſt violare fidem? nonne magna hæc eſt adverſus Deum perfidia? Inter homines hi perfidi vocantur, qui fidem datam ſolvunt, & violant: quanto autem perfidiores hi, qui poſtquam Deo polliciti ſunt, ſe non amplius in aliqua peccata caſuros, fidem non ſervant, promiſſis non ſtant, & brevi poſt acceptam abſolutionem in priſtina peccata relabuntur? hi quidem vere perfidi: ac magna eorum perfidia.

Quando ad ſacrum pœnitentiæ Tribunal accedere voluiſtis, cum Deo tranſegiſtis, & pacti eſtis. In hac autem tranſactione, utrinque facta eſt promiſſio, abſolutionem & peccatorum remiſſionem tunc pollicitus eſt vobis Deus, modo ex parte veſtra nullus eſſet obex; vos vero ei promiſiſtis, nuſquam amplius in priora peccata relapſuros, ecce pactum. Deus, quantum eſt ex parte ſua ſtetit promiſſis, ac fideliter pactum ſervavit: *Deus fidelis cuſtodiens pactum. Deuter. 7. 6.* Vos vero ita perfidi eſtis, ut in priora cadatis peccata, ac pactum, & fidem Deo datam violetis: *diſſolviſtis pactum meum in omnibus ſceleribus veſtris: Ezech. 44.* En magnam perfidiam!

Perfidos hos peccatores, qui non obſtante fide Deo data, ac pacto cum Deo inito, in priora ſcelera recidunt, apoſtatas, & pacti prævaricatores vocat Deus: *Gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt a me, & prævaricati ſunt pactum meum. Ezech. 1.* De eorum etiam perfidia conqueritur Deus apud Jeremiam, dum illam tantam extitiſſe ait, ut violaverint pactum, non per internuntios, nec per commiſſarios, ſed cum ipſo Deo, in conſpectu Dei initum: *Non obſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo. Jerem. 34.* O magnam perfidiam! Sed o quam magna etiam peccati recidivæ malitia! non enim unica, ſed triplex ejus eſt ſpecialis malitia, aut ſaltem malitia ejus ex triplici capite aggravatur, & ut ait S. Chryſoſtomus: *jam non ſimplex peccatum, ſed duplex, & triplex.*

Antequam peccator pœnitentiam ageret, blaſphemia, quam perpetrarat, habebat ſolummodo blaſphemiæ malitiam; ſed ſi poſt peractam pœnitentiam, & veniam a Deo acceptam iterum blaſphemet, blaſphemia, in quam relapsus eſt, præter priorem blaſphemiæ malitiam, includit in ſe Dei contemptum, ingratitudinem erga Deum & perfidiam adverſus Deum, quibus malitia ejus quam maxime aggravatur. Idem dic de uſura, fornicatione, & aliis ſceleribus; in quæ cum poſt peractam pœnitentiam recidit peccator, longe graviora ſunt, ratione contemptus, ingratitudinis & perfidiæ, quam includunt.

Qua-

Digitized by Google

Quare cum ita gravia ſint recidivæ peccata, ſummopere cavere quiſque debet, ne poſt acceptam a Deo veniam, in priora peccata recidat.

Cum miles in aliquo conflictu vulneratur, militiæ ſe abrenunriaturum decernit: cum mercator, ſuborta tempeſtate, in mediis irati maris undis periclitatur, mari ſe, & ſua non amplius commiſſurum ſtatuit. At miles, ſanato vulnere, iterum arma ſumit; & mercator, pacato mari, iterum ſe mari committit.

*Saucius ejurat pugnam gladiator, & idem*
*Immemor antiqui vulneris, arma capit.*
*Nil ſibi cum pelagi dicit fore naufragus undis*
*Et ducit remos, qua modo natat aqua.*
*Ovid. de pont. l. 1. eleg. 6.*

Peccatores ſimiliter, cum paupertate ægritudinibus, vel gratiæ divinæ ſtimulis laucinantur; aut etiam cum adverſus eos, vel ex parte Dei, vel ex hominum, aliqua ſuboritur tempeſtas; tunc ſe non amplius peccaturos pollicentur; ſed ſanato vulnere, & ſedata tempeſtate, in eadem ſcelera relabuntur. O quam miſeri ſunt & viles qui ſic in priora peccata recidunt; *quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! Jer. 2. 36.* Sed ſunt etiam maligni, magnaque eorum eſt malitia: cum iterando peccata Deum contemnant: ac erga Deum ingrati, & perfidi fiant. Ecce malitiam peccati recidivæ; *videamus pœnam, qua plectitur.*

## SECUNDA PARS.

*Peccati recidivæ pœna.*

A Multo tempore, inquit homo peccator, huic & illi peccato addictus ſum; in ea pluries cecidi, ac poſt veniam recidi; & tamen omnia in hoc mundo mihi proſpera, nilque mali mihi accidit, nec aliquam Dei vindicantis pœnam expertus ſum: ex quo infero, quod nec ulla in poſterum pœna me puniet. Non ſic loquamini, o peccatores; quia Deus, qui benignus & miſericors eſt, adverſum vos tandem iraſcetur, in vos ſæviet, voſque ſevere puniet, ſi dignos pœnitentiæ fructus non feceritis: ne dixeris: *peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. Eccli. 5. 4,* Sicut enim Deus, ut æquiſſimus Judex, omnes juſtos præmiat, ita & omnes peccatores punit, ſed eos præſertim, qui poſt impetratam ab eo veniam, in priora peccata recidunt. Hos Deus triplici pœna plectere ſolet, ſcilicet ſuſpenſione gratiarum, privatione gloriæ, & æterna damnatione, 1. *ſuſpenſione gratiarum*, quibus non ſunt bene uſi, 2. *privatione gloriæ*, cujus ſunt indigni, 3. *æterna damnatione*, cujus ſunt rei.

1. Dei miſericordia *infinita eſt in ſe*; ſed nobis non ſe communicat modo infinito: *infinita eſt in ſe*: ſed ejus effectus non ſunt infiniti; *infinita eſt in ſe*, ſed gratiæ quas hominibus diſpertit, non ſunt infinitæ, ſuos enim habent limites, ſuamque menſuram. Verum eſt, Deum dare omnibus affluenter, & interdum magnam hominibus gratiarum copiam impendere, ſed ſi eis abutentes, in ſcelera multa cadant & recidant, contrahit & comprimit Deus manum ſuam, ac in gratiis elargiendis fit minus liberalis, ſi gratiarum a Deo illis datarum ingrati, in priſtina relabantur peccata, in hujus ingratitudinis pœnam, minores eis Deus dat gratias, & ſæpe ita parvæ ſunt gratiæ, quas illis largitur, ut earum auxilio, aut vix, aut numquam a peccatis iterum ſurgant.

Gratia Dei, eſt theſaurus pretioſus, quo emitur Paradiſus, *gratia Dei vita æterna. Tert. l. de pœnit.* Theſaurum hunc cum prudentia & moderatione Deus diſpenſat; nec ſemper illum aperit, ut indignis gratias diſtribuat. *Deus theſauro ſuo providet, nec ſinit obrepere indignum.* Hoc anno, tibi peccatori, tibi impio, tibi indigno gratiam dedit Deus, cujus auxilio fretus a peccatis ſurrexiſti; ſi autem hac gratia ita abutaris, ut in priora peccata recidas, forſan alio anno theſaurum ſuum in tui favorem non aperiet, aut ſi illum aperiat, minus efficaces tibi gratias impendet, cum quibus aut vix, aut nullo modo a peccatis iterum ſurges. Et ideo ait S. Bernardus, timendum eſſe pro gratia accepta, ſed timendum magis pro recuperata, *timens pro acceptæ gratia, longe plus pro recuperata. S. Bern. ſerm. 54. in Cant.* Timendum quidem magis pro gratia recuperata, quia ſi illa ita abutaris, ut in priora relabaris peccata, timendum, ne ſuum Deus claudat theſaurum, & ne in tuæ pœnam ingratitudinis, debiliores, minuſque ad ſurgendum a peccatis efficaces tibi gratias conſerat.

Fluminibus ſimilis eſt Dei miſericordia. Cum exundant flumina, agros, prata, & omnia adjacentia irrigant, ſed hæ inundationes non ſunt perpetuæ, intra breve enim tempus in alveum ſuum redeunt flumina, & ſolito curſu fluunt. Eodem prorſus modo ſuas Dei miſericordia exundationes habere videtur: *exundat*, cum adoleſcentem a mundi laqueis liberat, & ad tutum religionis portum vocat, *exundat* Jubilæi univerſalis tempore, cum te ad parcendum inimico, ad aliena reſtituenda, & ad perfecte mundandam conſcientiam movet, *exundat* tempore Paſchali, & aliis quibuſdam Feſtis diebus, quibus ad ſurgendum a peccatis, abundantes & efficaces tibi gratias liberaliter tribuit. Sed hæ gratiarum exundationes non ſemper durant, ſuos habent terminos, & ſi iis ita abutaris, ut in priora ſæpe recidas ſcelera, Dei miſericordia ad alveum ſuum revertetur, ſolitum reſumet curſum, extraordinarias amplius non dabit gratias, ſed communes ſolummodo & ordinarias, cum quibus aut vix, aut numquam a peccatis iterum ſurges.

Cum nutricis matris inaruerunt ubera, ſugat ea infans, quantum voluerit, lactis parum, aut nihil eliciet. Idem dic de miſericordiæ divinæ uberibus; ſi enim gratiis a Deo datis ita abutaris, ut in priſtina recidas ſcelera, miſericordiæ divinæ tibi inareſcent ubera: ac ita reſpectu tui, arida erunt & ſicca, ut cæleſtium lac gratiarum vix ab eis elicere valeas. Clamabat Antiochus; miſericordiæ Dei mammas ſugebat; & tamen lactis gratiarum divinarum, aut parum, aut nihil ad ſe trahebat; *orabat autem hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. 2. Machab. 9.* Sic, ſi acceptis a Deo gratiis ita abutaris, ut in pejora iterum, atque iterum labaris peccata: in tuæ ingratitudinis pœnam, te tandem Deus gratiis, ſal-



Digitized by Google

ſaltem efficacibus, privabit: *ac etiam æterna beatitudine.*

2. Hæc eſt altera pœna eorum, qui poſt veniam, in priora crebro reincidunt flagitia, quæ quidem maxima eſt, ſed quæ ex prima manat. Si etenim verum ſit, Deum gratiis ſuis privare eos, qui poſt acceptam indulgentiam, in eadem peccata ſæpe reciderunt, verum eſt etiam, quod eos æterna gloria privet, quia gloria ſine gratia obtineri nequit. His qui in accepta juſtitia perſeverant, abundantiam gratiarum in hoc mundo, & gloriam æternam in alio Deus confert, *gratiam & gloriam dabit Dominus: Pſalm.* 8. ſed ingratos, & perfidos illos peccatores, qui poſt veniam ſæpe relabuntur, Deus tandem gratiis ſuis efficacibus in hoc mundo privat, quibus orbati, beatitudinem æternam non aſſequuntur.

De hac peccatorum recidentium pœna loquitur Chriſtus, dicens, *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei! Luc. 9. 62.* Qui etenim mittunt manum ad aratrum, & aſpiciunt retro, ſunt ipſimet peccatores, qui poſt obtentam a Deo gratiam & veniam in propria ſæpe relabuntur ſcelera, *retro poſt aratrum aſpicit, qui poſt exerdia boni operis, ad mala revertitur, quæ reliquit. S. Greg. hom. 3. in Ezech.* Cum quidam promulgatur Jubilæus, aut cum Paſchalia adveniunt Feſta, hujuſmodi peccatores ad ſacram exomologeſim & ſynaxim accedunt, ſua confitentur peccata, ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento reficiuntur, aliqua propriis dominis reſtituunt, pauperibus aliqua erogant, aliaque nonnulla bona opera faciunt, & ſic manum ad aratrum mittunt. Sed poſtquam Jubilæi tempus elapſum eſt, poſtquam dies feſti tranſierunt, *aſpiciunt retro*, & ad peccata, quæ reliquerant, revertuntur, quare non ſunt apti regno Dei, & eo merito privabuntur, in ſuæ infidelitatis, & ingratitudinis pœnam. *Sed hi etiam ſuppliciis adjudicabuntur æternis.*

3. Iſta etiam pœna ex priori ſequitur, ſi namque qui in priora, poſt acceptam pluries veniam, ſæpe reincidunt crimina, æterna priventur beatitudine, æternis etiam eos adjudicari ſuppliciis neceſſum eſt, quia certiſſimum, tot ad infernum damnandos peccatores, quot cæleſti gloria privabuntur. Et ideo perfidos hos peccatores, qui maligna inconſtantia ſæpe ſurgentes cadunt, & cadentes ſurgunt, non ad Paradiſum, ſed ad infernum aptos, & paratos aſſerit Spiritus Sanctus: *qui tranſgreditur a juſtitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam. Eccli. 26. 27.* Ideo etiam D. Paulus eos comparat terræ reprobæ, quæ tribulos ſolum & ſpinas parturit: terra, inquit, *proferens ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem: Hebr. 6. 8.* peccatores enim qui in priora relabi ſolent ſcelera, ſunt terra ingrata, quæ quamvis a Deo excolatur, & gratiis foveatur, tribulos tamen, & ſpinas iterum parit. Hæc autem terra reproba, & maledicto proxima eſt, quia tandem peccatores hi a Domino maledicentur, & in inferni ignem, æternum cruciandi, mittentur: *cujus conſummatio in combuſtionem.*

Maledicit Deus his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui a viis rectis aberraverunt: *væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. Eccli. 2. 16.* Suſtinentiam perdunt, & vias rectas relinquunt peccatores illi, qui poſt acceptam a Deo indulgentiam, in accepta gratia non perſeverant, ſed ab ea ſæpe cadunt, & ad vias pravas, ſeu ad priora peccata declinant: hi autem peccatores maledictione æterna a Deo feriuntur: quia ab eo ad ſupplicia ſempiterna damnantur. Hos Deus filios ſuos fecerat, cum eis gratiam ſanctificantem dederat: ſed quia hanc gratiam abjecerunt, & in priſtina peccata pluries relapſi ſunt, filii gehennæ fiunt, & ad æterna ſupplicia damnantur: *fit filius gehennæ multipliciter, qui poſt indulgentiam delictorum, in eaſdem denuo ſordes inciderit. S. Bern. ſerm. 2. de Aſſumpt.*

Quater & quinquies a Philiſtæis captus & vinctus Sampſon, vincula ſemper rupit, & ab inimicis liber evaſit: ſexta autem vice, mulieris ſuæ arte & opera vinctus, dixit in animo ſuo: *egrediar ſicut ante feci, & me excutiam: Judic. 16. 20.* hac tamen vice, vincula frangere nequivit, ac uſque ad mortem captivus apud Philiſtæos remanſit. Ecce veram peccatorum in priora peccata relabentium figuram: quotieſcumque enim in peccata recidunt, tot es Philiſthinorum, ſeu dæmonum captivi fiunt: & quotieſcumque per pœnitentiam a peccatis ſurgunt, toties vincula quibus ligabantur, rumpent. Poſtquam autem peccatores hi, bis, ter, & quater per Dei gratiam peccatorum ſuorum vincula ruperunt, dicunt ſemper: *egrediar ſicut ante feci, & me excutiam:* Dicunt: in priora relabi poſſum peccata; quia in natali Domini vel Paſchatis tempore ab iis me expediam, ſicut ſolitus ſum: ſed tandem in pœnam toties repetitæ ingratitudinis, permittente Deo, ita peccatis ligantur, ut nuſquam amplius ab iis ſe expediant, ac a dæmonibus capti, & vincti ad tartara trahantur. Ecce pœnas & ſupplicia quibus addicuntur, qui in ſcelera recidere ſolent: quæ ut vitentur, *congrua ſunt apponenda remedia.*

## TERTIA PARS.

*Peccati recidivæ remedia.*

IRremediabilia, & inſanabilia videntur vulnera eorum, qui poſt peractam pœnitentiam, in eadem peccata ſæpe relapſi ſunt; *inſanabilis fractura tua; peſſima plaga tua. Jerem. 30. 12.* Sanari tamen poſſunt, ſi antidota, ſeu remedia præſumant idonea: quæ remedia, ſunt voluntas bona, occaſionum fuga, & uſus pœnitentiæ; 1. *voluntas bona*, ſeu firmum propoſitum non recidendi; 2. *fuga occaſionum* urgentium, quæ ad peccandum allicere ſolent: 3. frequens Sacramentorum, & præſertim pœnitentiæ uſus.

1. Potiſſimum remedium ad non recidendum in priora peccata, eſt bona voluntas, ſeu verum & firmum non recidendi propoſitum: ſi firmum hoc propoſitum habeas, non recides; ſi non habeas, recides. Cum die quadam a Doctore Angelico petiiſſet ſoror ejus, quid factura, ut a peccatis declinaret, & in perfectionis via progrederetur? Reſpondit Doctor, *oportet ſolummodo, ut velis.* Sic pariter ſi poſtulet quis, quid facturus, ut poſt peractam pœniten-

tentiam in priora peccata non relabatur? Reſpondebo, oportere tantummodo, *ut bene velis*; ac quod firmum non recidendi propoſitum eliciat. Noſtin, cur toties in priora peccata lapſus es? ſcito, hoc ita factum eſſe: quia cum ad ſacramentalem confeſſionem acceſſiſti, te non ultra peccaturum, firmiter non ſtatuiſti. Cum petiit a te Confeſſarius, an velles in juſtitia perſeverare, & non amplius peccare? Reſpondiſti: hoc volo, hoc firmiter mihi propono; ſed in corde tuo hoc non volebas, aut volens nolebas; ſi enim firmiter voluiſſes, in gravia peccata non amplius recidiſſes.

Tanta Iſraelitarum erat inconſtantia, ut nunc vero Deo, & nunc idolis adolerent incenſa. Aſa autem ardenti ſuccenſus zelo, idola eorum deſtruxit, quibus deſtructis, congregavit omnes Iſraelitas, eoſque hortatus eſt, ut abrenuntiarent idolis, ac Dominum Deum patrum ſuorum in toto corde, & in tota anima quærerent: hi autem palam juraverunt, & proteſtati ſunt, ſe ſolum verum Deum adoraturos: *& in tota voluntate quæſierunt eum, & invenerunt*: 2. *Paral.* 15. 15. poſtquam autem polliciti ſunt, ſe ſoli Deo *in tota voluntate* adhæſuros, *præſtitit eis Dominus requiem*. His Iſraelitis ſimiles videntur peccatores, qui in ſua relabuntur ſcelera: cum enim pœnitentiam agunt, tunc Deum adorant; cum autem in priſtina peccata recidunt, tunc adorant idola. Sed ſi velint habere requiem; ſi velint, ut in ipſis per gratiam ſuam quieſcat, ac remaneat Deus; oportet, ut non negligenter, & perfunctorie, *sed in tota voluntate* promittant ſe non amplius in priora peccata lapſuros. O peccator, antequam a Confeſſario abſolvaris, te non amplius relapſurum promittis, ſed hoc non promittis in toto corde, & *in tota voluntate*, tibi ſolummodo quædam non recidendi velleitas ineſt; & ideo tam facile in priora ſcelera reincidis. Quare ut in priora non relabaris peccata, optimum remedium eſt bona voluntas, ſeu firmum non relabendi propoſitum.

2. Alterum remedium eſt occaſionum fuga. Certum eſt enim hominem eſſe infirmum, debilem, & ad peccata proclivem; hi autem qui ad peccata recidere ſolent, aliis ſunt infirmiores, & ad recidendum in eadem peccata procliviores: quare cum magna eorum ad recidendum ſit propenſio; ſi peccandi occaſionibus ſe exponant, in priora peccata infallibiliter recident. Et ideo, ut quis in priora peccata non relabatur, optimum remedium eſt occaſionum fuga.

Convaleſcenti ægroto, ad cavendum ne recidat, conſulit prudens medicus, ut ab his abſtineat, quæ morbi cauſa fuerant: ſi a nimio ſtudiorum affectu orta erat infirmitas, ſtudiis ſerio incumbere prohibet medicus; ſi a nimio cibo & potu; abſtinentiam & ſobrietatem jubet. Idem ordo videtur ſervandus in morbis animi: ut enim quis vitet recidivam in priora peccata, perſonas, libros, officia, & ea omnia quæ peccandi occaſionem præbuerant, fugere debet: quia ſi iiſdem peccandi occaſionibus ſe committat; in priora ſcelera certiſſime relabetur.

Cum Chriſtus Dominus a Judæis captus eſt, *diſcipulus quem diligebat Jeſus*, fuga ſibi conſuluit, cumque miles quidam ſindone eum detinere vellet; hic, *rejecta ſindone nudus profugit ab eis*. *Marc.* 14. 52. Cur Joannes qui amore ſpeciali a Chriſto diligebatur, & qui ſupra pectus ejus recumbere meruerat, tam facile fugam capeſſit? fugit Joannes, ut peccandi occaſionem declinet; *Petrus qui fugere noluit, abnegavit: Joannes, ne abnegaret, aufugit*; *S. Petr. Chryſoſt. ſer.* 50. negavit Chriſtum Petrus, quia illum negandi occaſioni ſe expoſuit: Joannes autem eum non negavit, quia occaſionem illum negandi fugit. Idem vobis accidet; ſi peccandi occaſionibus vos committatis, in priora recidetis peccata; ſi autem occaſiones fugiatis, in ea non reincidetis. Quare o N. occaſiones peccandi fuge: ſcis hanc adoleſcentulam tibi peccandi occaſionem præbuiſſe; non amplius illam inviſas, nec cum illa colloquia miſceas: noſti hanc domum, & hoc officium tibi fuiſſe occaſionem ruinæ; non amplius in hanc ingrediaris domum, & huic officio abrenuntia; occaſiones tandem proximas fuge, ut in priora peccata non relabaris.

3. Tertium remedium, eſt frequens Sacramenti pœnitentiæ uſus. Si enim peccamus, pœnitendum: ſi iterum peccamus, iterum pœnitendum; ac quotieſcumque ita miſeri ſumus, ut in peccata reincidamus, toties adeundus prudens Confeſſarius, toties ei manifeſtanda peccata, & toties de iis facienda eſt pœnitentia: quæ eſt remedium toties iterandum, quoties in priſtina peccata relabimur: *iteratæ valetudinis*, inquit Tertullianus, *iteranda medicina eſt*.

De juvene quodam Monacho legitur, quod cum ab Abbate efficax aliquod adverſus recidivam remedium petiiſſet, reſpondit ei prudens moderator: *ſi cecidiſti, ſurge, ſi non ceſſas cadere, non ceſſes ſurgere*. O ſalubre conſilium! o efficax adverſus recidivam remedium! hoc, quæſo, utimini remedio, ſi in peccata caditis, per pœnitentiam ſurgite: ſi iterum & iterum caditis, iterum & iterum per pœnitentiam ſurgite. Nolite ſtolidos hos peccatores imitari, qui ad pœnitentiæ tribunal non accedunt, ſi prius horrendis & multis peccatis non graventur; ſed ſi in grave aliquod cecideritis peccatum, mox ad remedium properate, ac per pœnitentiam ab eo ſurgite: *iteratæ valetudinis, iteranda eſt medicina*.

Cum die quadam in deſerto deambularet S. Arſenius, audivit vocem, dicentem, *veni, oſtendam tibi opera hominum*. Progreditur Abbas, & a longe deterrimum videt Maurum ligna cædentem, ac faſcem componentem: qui ſemper lignis ligna addebat. Facto autem faſce prægrandi, ac adhibita utraque manu, ut quanti ponderis eſſet, probaret: illum ita gravem reperiit, ut vix eum e terra levare poſſet. Quid tunc ille Maurus? abjicit ne faſcem? auferetne e faſce aliquid ligni, ut pondus minuat? nequaquam. Quin contra nova ſuperimponit ligna, ac faſcis pondus ita auget, ut nec illum a terra quocumque modo extollere valeat.

Ecce quæ ſint opera eorum, qui poſt obtentam a Deo veniam, in priora peccata recidentes, ad pœnitentiam prompte non accelerant. Hi poſtquam in priora ſcelera, ter, aut quater, immo & ſemel, ceciderunt, ingenti gravantur onere, nec ideo ad pœnitentiæ tribunal properant, ut onus deponant, ſed peccata peccatis addunt, donec onus importabile confecerint. O N. ſi poſt acceptam a Deo veniam



Digitized by Google

iterum peccaſti, depone cito onus iniquitatum tuarum, ſi iterum in peccata lapſus es, ad pœnitentiæ tribunal iterum advola, & ut ait Tertullianus: *rurſus pœnitere non pigeat*, quia hoc eſt optimum remedium.

Ecce tria ad non recidendum efficaciſſima remedia, quibus quartum addi poſſet, ſumptum ex D. Bernardo: cum cui aliquando occurriſſet vir, luxuriæ adeo immerſus, ut nullo non die non ſe fœde coinquinaret, monet, hortatur, increpat illum Doctor Mellifluus, cui reſpondet alter, impoſſibile ſibi, ab his ſordibus abſtinere. Rogat eum Bernardus, ut tribus ſaltem diebus pro Dei amore abſtineat: *quæſo*, inquit, *ſaltem aliquas cum Deo inducias facito, ut minus ad triduum*. Annuit ille: ac triduo feliciter expleto, ab illo petiit vir ſanctus, ut tribus aliis diebus in Sanctiſſimæ Virginis honorem abſtineret, *in Deiparæ honorem tantumdem præſta*, obtemperat ille. Tum tandem tertio dixit ei Bernardus, *ſemel adhuc has inducias poſce in honorem omnium Sanctorum*, quas & adhuc ille paciſcitur. Qua Bernardi arte, hic qui ſibi impoſſibile cenſebat, non recidere; clare intellexit, hoc ſibi eſſe poſſibile, & facile. Hac arte, & hoc remedio etiam utinini, ut peccati recidivæ malitiam, & pœnam devitetis, ac etiam ut æternam beatitudinem aliquando obtineatis. *Amen*.

## FERIA III.

## POST PASCHA.

# DE PACE.

*Pax vobis*. Lucæ 24. 36.

ANtiquus & receptiſſimus apud Hebræos erat mos ille ſalutandi, quo hodie utitur Chriſtus, cum pacem Apoſtolis ſuis dat, & precatur, dicens: *Pax vobis*. Hunc ſalutandi, & bene precandi modum ſervarunt Angeli in Chriſti Nativitate, cum Salvatorem in antro Bethlehemitico natum eſſe annuntiarunt: hunc ſervare ſoliti ſunt Apoſtoli in epiſtolis, & congreſſibus ſuis: & hunc ſervat Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam, optans Apoſtolis pacem cordis & animæ, quæ eſt omnium bonorum hujus mundi maximum, quo nullum melius & optabilius inveniri poteſt: *Pax vobis*.

Maximum quidem bonum eſt illa pax; ſed advertite, quod eam det Chriſtus Apoſtolis, Diſcipulis, & viris juſtis: non autem impiis, & peccatoribus, qui a ſtatu gratiæ ceciderunt, & qui in ſtatu mortalis peccati vivunt; quia impii, ſi non convertantur, nulla uſquam vera pace & animi tranquillitate fruentur: *non eſt pax impiis, dicit Dominus*. *Iſa.* 28. 22. O viri juſti hanc pacem, tamquam munus pretioſiſſimum dedit, & reliquit vobis Chriſtus: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; *Jo.* 14. 27. Sed impiis nulla uſquam vera pax inerit, ut tota hac concione conſtabit, &c. *Ave*.

VIri juſti, qui pie in Chriſto vivere volunt, & qui a Dei lege non deviant, interna, & conſtanti fruuntur pace, in vita, in morte, & poſt mortem. *In vita quidem*: quia quidquid viro juſto acciderit, non turbatur, & quaſi non tangitur cor ejus; ſed continua ſemper, & imperturbabili pace gaudet. *In morte etiam*: quia tantum abeſt, ut tunc turbetur, angatur, & crucietur cor ejus, quin contra cum gaudio advenientem mortem ſuſcipit; eam velut ſomnum quietis & pacis inſpicit, cupitque diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. *Poſt mortem tandem*: quia tunc in pace dormit, & requieſcit, ac æterna Paradiſi pace fruitur: *Illi autem ſunt in pace*. *Sap.* 3. 3.

Felices quidem viri juſti, cum perfecta, continua, & perpetua iis inſit pax: ſed, o quam infelices impii, qui viam pacis non cognoverunt; & quibus in vita, in morte, & poſt mortem non eſt pax: *Non eſt pax impiis in vita; non eſt pax impiis in morte; non eſt pax impiis poſt mortem*: En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Non eſt pax impiis in vita*.

SAnctitatis fructus eſt pax animi, & gaudium in Spiritu Sancto; impietatis vero fructus eſt animi perturbatio. Impiorum enim cor eſt quaſi mare ventis & fluctibus agitatum, quia numquam perfecta pace & quiete fruitur; *Impii autem quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt*. *Iſa.* 57. 20. Vel ut vertit Vatabius: *Impii autem Euripi inſtar fremunt*.

De Euripo fertur, quod ſepties per diem fluat & refluat; ideoque in perpetua ſit agitatione & motu, quod quomodo fieri poſſit, capere nequivit Ariſtoteles. Unde de eo dicitur: *Euripus habet Ariſtotelem, non Ariſtoteles Euripum*. Sed licet hoc naturæ myſterium penetrare non valeamus, certum tamen eſt, quod impii Euripo ſint ſimiles: quia cum perpetuo cupiditatum æſtu, & dæmonum afflatu agitentur, quieſcere, veraque animi pace, & tranquillitate frui nequeunt; ſed inſtar Euripi, & maris fluctuantis, continue jactantur, intuſque turbantur.

Pax illa interna, de qua loquimur, eſt tranquillitas quædam & ſerenitas mentis; ac fiducia bonæ conſcientiæ, orta ex conjecturis, quæ moralem faciunt certitudinem, ſe eſſe in Dei gratia conſtitutum. Qui enim talem fiduciam habent, mente non anguntur, nec interno peccati verme mordentur; quin contra, pace fruuntur, quæ exſuperat omnem ſenſum, & quam ſolus ille novit, qui eam poſſidet. Hæc pax eſt manna illud abſconditum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit; *Apoc.* 2. ſeu, ut rectius dicam, eſt prægustus quidam cæleſtis illius mannæ, quo in cælo paſcuntur Beati. Impii autem, & qui lethali alicujus criminis rei ſunt, illa non fruuntur pace; nulla eis pax eſt, & requies interna: quia continuo cupiditatum æſtu agitantur, & perpetuis perpetratorum criminum aculeis, etiam in mediis voluptatibus, lancinantur. Sicut enim Pharao neque in menſa, neque in lecto, neque in alio aliquo loco a ciniphibus, ſeu culicibus requiem habuit, ita & impii, ſive lecto decumbant, ſive menſæ accumbant, ſive voluptatibus indulgeant, nulla requie, & pace fruuntur: ſed interius ſæpe conſcientiæ morſibus ſtimulantur, & paſſionibus, cupiditatibuſque ſuis intus conturbantur.

Hoc ſciunt, & in ſemetipſis experiuntur impii, quo-

quorum ſane nullus interna fruitur pace. Omnes totius mundi luſtrate Provincias; omnia peragrate regna: omnes orbis terrarum interrogate nationes, & ab eis petite, an ex impiis qui Deo reſiſtunt, inveniatur aliquis, qui interna fruatur pace: *Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Job* 4. 9. Hanc omnibus hujus mundi hominibus quæſtionem proponite; qui omnes, ſi ſincere reſpondere velint, dicent, nullum unquam vera pace potitum eſſe, quamdiu in ſtatu mortalis peccati fuit: quia quamdiu in hoc ſtatu homines vivunt, intus mordet eos vermis conſcientiæ, a quo omnis interna pax turbatur, & tollitur.

Verum eſt, quod peccatores omnes, quantumvis obdurati, & in peccatis obſtinati pacem, & animi quietem ſemper cupiant; ſed internam cordis pacem habere nequeunt, quamdiu in ſtatu mortalis peccati vivunt. Sibi ſuadent, quod tunc pace fruentur, cum voluptatibus adhæſerint, cum inordinatis ſatisfecerint paſſionibus, & cum id egerint quod ſuadet mundus, caro appetit, & diabolus inſpirat. Dicunt intra ſemetipſos; tunc pax nobis erit, cum hoc & illud malum fecerimus: *Dicunt pax, pax. Jer.* 6. 14. Sed falluntur; quia nunquam interna, & vera fruentur pace, ſi prius peccata ſua non deleverint, & ea penitus non abjecerint. *Dicunt, pax, pax, & non erat pax.* Nulla, inquam, eis pax unquam erit, ſi prius peccatis non valedixerint; quin contra, triſtes ſemper erunt, & moroſi, ac diris conſcientiæ morſibus ſemper cruciabuntur.

Varias ſancti Patres adducunt rationes, cur impii pace aliqua frui nequeant, quamdiu in peccatis perſeverant. *Primam* affert S. Ambroſius, dicens, *Ambroſ. lib. de Joſeph.* impio nullam eſſe pacem; quia ſub dira peccati ſervitute gemit. Supponit S. Doctor hoc ſacræ Scripturæ principium, quod *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Ex quo infert, peccatorem nulla poſſe pace & quiete frui; ſed illum, inſtar ſervi, neceſſario ſemper laborare, ſemper trepidare, & ſub dura peccati ſervitute ingemiſcere. *Secundam* deſumo ex eodem Ambroſio, qui ait, peccatores ſemper turbari, nullaque unquam pace poſſe frui: quia cum ſuas non frænant cupiditates & paſſiones, ab iis conturbantur, & cruciantur. Illæ enim effrenatæ cupiditates magnam, inquit, faciunt tempeſtatem, & veluti in quodam freto corporis navigantem animum hinc atque inde perturbant. *Ambroſ. in poſter. Apolog. David.* Unde ſicut pax eſt hominibus bonæ voluntatis, ita & hominibus impiis, hominibus malæ voluntatis, & effrenatæ cupiditatis non pax eſt, ſed anxietas, & perturbatio magna. *Tertiam* adducit Divus Auguſtinus, dicens, quod cum vera pax hominis procedat ab unione ejus cum Deo, non poteſt eſſe vera pax impio, qui per peccata ſua a Deo diviſus eſt: *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum. Pſalm.* 59. 2. Alias multas taceo rationes; ſub ſilentio tamen non præteribo illam, quæ ſumitur ex parte conſcientiæ, quæ ita peccatorem intus mordet, lancinat, & cruciat, ut vera nunquam pace gaudeat.

· Conſcientia bona gaudium, pacem, & tranquillitatem parit: ita ut vir juſtus, cujus conſcientia nullo gravatur crimine, ſit ſemper quietus, nec advenientibus quibuſcumque adverſis affligi poſſit? *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit. Proverb.* 12. 21. Sicut Ericius, in globum convolutus, in medio ad latrantium & ringentium canum ſecurus conquieſcit; ſic juſtus, cujus conſcientia a gravi quoque peccato libera eſt, in mediis adverſitatibus, & tribulationibus quietus eſt, & interna pace fruitur. Contra vero, vir impius plerumque triſtis eſt, nec perfecta unquam pace gaudet: quia conſcientia mala omne verum gaudium e corde impii tollit, varioſque perturbationum motus gignit.

In hujus rei exemplum adduci poſſet impius Cain, cujus facies concidit. Et ut loquitur Sanctus Ambroſius, *Cain triſtis factus eſt: quia propria conſcientia intellexit, Deo ſacrificium ſuum non probatum.* Sed cur familiare hoc adducam exemplum; cum ipſa experientia conſtet, non ſolum Cainum, ſed & omnes, qui gravi aliquo ſcelere obſtricti ſunt, nunquam vere lætos eſſe, nec vera pace frui: quia a conſcientia accuſante, & intus torquente, ſemper infeſtantur, & conturbantur? Ac licet aliquam exterius præſeferant lætitiam, ea tamen vera, & ſolida non eſt: quia in corde non eſt.

*Sicut gravium criminum rei, qui in carcere habitant, capitis damnationem timentes, etſi deliciis abunde fruantur, vitam tamen agunt maxime moleſtam & anxiam: ſic qui improba conſcientia moleſtantur. Chryſ. hom.* 22. *de nequitiæ repulſa.* Iſtis enim licet multa narrentur, vel repræſententur læta; conſcientia tamen illos ſemper intus mordet, & lancinat, nec eos aliqua vera pace frui ſinit.

Videte quid Theodoſio Imperatori acciderit. Nonne hic in ſummam triſtitiam devenit, poſtquam, ob cædem Theſſalonicæ factam, a Sancto Ambroſio excommunicatus, & ab Eccleſia excluſus eſt? Nonne hic ita triſtis factus eſt, ut nulla pace, nulla quiete potiretur? hujus ſane maxima fuit triſtitia. Cumque Ruffinus, familiaris ejus eum lætari, & bono animo eſſe juberet, flens ille reſpondit: *O Ruffine, tu mea mala non ſentis: ego lamentor, & gemo calamitatem meam: quia ſervis quidem & mendicantibus aperta ſunt templa Dei, & proprium Dominum ingredientes licite exorant; mihi vero ingreſſus ad eum non eſt, inſuper etiam cœli mihi ſunt clauſi. Hæc dicens, ſingultibus verba ſingula interrumpebat, neque quievit, donec nexu anathematis ſolveretur. Theod. hiſt. trip. l.* 9. *c.* 30.

Quod de Theodoſio, hoc & de omnibus impiis dicendum. Quamdiu enim in ſtatu mortalis peccati degunt, nulla umquam vera pace fruuntur; quin contra, intus ſemper a conſcientia mordente lancinantur, & torquentur. Si ad cælum oculos tollant, mox ſuggerit conſcientia, quod numquam ad illud aſcendent, ni ſuis prius abrenuntiaverint ſceleribus: ſi inferni ſupplicia mente revolvant, mox, intus loquens conſcientia, dicit eis; quod iis æternum addicentur ſuppliciis, ni a viis ſuis peſſimis declinent: ſi, ut hos conſcientiæ ſtimulos ſopiant, ludis, comeſſationibus, vel libidinibus indulgere velint, eos ubique ſequitur mordens conſcientia, quæ eos ſtimulat, & lancinat; & quæ

quæ veluti tortor crudelis eos ubique diriſſime cruciat: *peccator habet in ſecreto cordis ſui tortorem conſcientiæ ſuæ. Aug. ſerm. 28. de verb. Apoſt.* Vis ergo o peccator, vera pace, & tranquillitate in hoc mundo frui? omnia e corde tuo tolle crimina, & bene vive; *vis ergo numquam eſſe triſtis?* inquit Iſidorus, *bene vive. Iſidor. l. 2. Soliloq.* Hæc unica eſt ars, qua obtineri poteſt vera pax in hac vita; quia impiis, qui bene, & pie non vivunt, nulla eſſe poteſt pax in vita: *nec etiam in morte.*

## SECUNDA PARS.

*Non eſt pax impiis in morte.*

Refert S. Joannes Climachus, Stephanum, virum pereximia ſanctitate fulgentem, qui toto quadraginta annorum curriculo in eremo, vigiliis, jejuniis, lacrymis, omnique virtutum generi addictus, præclare vixerat; in hora mortis obſtupuiſſe, turbatum eſſe: *& quaſi*, inquit, *rationem quidam a ſe exigerent, cunctis qui aſtabant audientibus, ajebat, aliquando quidem: ita ſane, ſic revera eſt; ſed pro hoc tot annis jejunavi. Aliquando vero: non certe, ſed mentimini, hoc non feci. Deinde rurſus: ita vere eſt, hoc ita eſt; ſed flevi, ſed miniſtravi. At rurſus; vere me accuſatis. In quibuſdam etiam aliquando ajebat, ita ſane, & quidem ad hæc quid dicam non habeo, adeo miſericordia eſt. Et erat profecto ſpectaculum horrendum, ac terrificum. Climac. grad. 7.*

De famoſo illo multorum Eremicolarum Abbate, & Patre Arſenio fertur, quod iuſtante morte, timor, & tremor venerint ſuper eum. De Sancto Hilarione etiam narrat S. Hieronymus, quod cum in hora mortis frigidus timor artus ejus invaſiſſet; ut timorem hunc procul pelleret, dicebat: *O anima mea, egredere, quid dubitas? egredere, quid times? ſeptuaginta annis Deo ſerviſti, & adhuc exire times? Hieron. in vita Hilarionis.*

Heu! ſi viri illi ſanctiſſimi in hora mortis timuerunt, & perfecta pace non gaviſi ſunt, quæ quæſo, inſtante morte, pax erit impiis: quæ animi tranquillitas, quale gaudium, qualiſque conſolatio? Tunc nulla eis erit pax, tranquillitas nullaque quies & conſolatio, ſed magnus iis inerit timor, maximus dolor, & ut ait S. Bernardus, *inter diverſos dolores & timores animam exſpirabunt.*

Cum viri juſti ad portas mortis appropinquant, aliquo affici ſolent timore, quia ſciunt formidanda eſſe Dei judicia; ſed cum actu reflexo cogitant, ſe non mortaliter peccaſſe, aut de perpetratis peccatis ſe pœnitentiam egiſſe, abblanditur eis conſcientia; & adveniente ſancta in Deum fiducia, in pace dormiunt & requieſcunt. Impiis vero non ſic, cum enim recordantur, ſe toties in Deum ſuum peccaſſe, toties converſionis gratiam abjeciſſe, totieſque Deo vocanti reſtitiſſe, turbantur, trepidant, & infeliciter moriuntur, & non in pace, ſed in confuſione dormiunt, *dormiemus in confuſione noſtra, & operiet nos ignominia noſtra: quoniam Domino Deo noſtro peccavimus nos.*

Quamdiu bene habent peccatores, in mediis etiam deliciis vera non gaudent pace: quia intus mordens conſcientia eos lancinat, & perpetratorum peccatorum memoria eos conturbat. Sed, inſtante morte, longe dirius cruciantur, nullaque iis pax eſſe poteſt: *tum*, ob perpetrata peccata, quæ menti eorum objiciuntur: *tum*, ob dæmones, qui eos conturbant: *tum*, ob Dei judicia, quæ formidant.

1. Cum infirmatur, mortique appropinquat impius, omnia in quæ incidit peccata, menti ejus objiciuntur: tunc meminit pravarum omnium cogitationum, quas toto vitæ ſuæ tempore mente revolvit, omnium verborum inordinatorum quæ protulit, & omnium ſcelerum quæ perpetravit. Tunc teſtificans & accuſans conſcientia, ei exprobat quidquid unquam mali fecit, intus dicens: nonne verum eſt, quod obſcœnas cogitationes millies voluntarie mente volviſti? Nonne fœdis libidinibus tali die & cum tali perſona indulſiſti? Nonne millies nomen Dei tui blaſphemaſti? Nonne hunc & illum hominem bonis inique ſpoliaſti? Nonne hanc, & illam actionem iniquam egiſti? Tunc non aliqua duntaxat, ſed omnia penitus peccata quæ perpetravit impius, veluti torrentes, in mentem ejus veniunt, eumque conturbabunt: *torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Tunc quilibet impius, ſi ſaltem rationis uſu polleat, ſua omnia mente volvet peccata, eorum ponderabit gravitatem; & quæ ſibi antea leviſſima videbantur, tunc enormia, & quaſi formidanda monſtra apparebunt. Quare impius, tot recogitans & ponderans peccata, nulla fruetur pace, ſed contriſtabitur & conturbabitur; *venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum.* At non ſolum pax non eſt impiis in hora mortis, ob perpetrata peccata, quæ menti eorum ſeſe offerunt; *ſed etiam ob tetros dæmones, qui eos conturbant.*

2. Iis nonnumquam dæmones ſeſe ſub horrendis figuris videndos præbent, eiſque tantum terrorem incutiunt, ut de converſione, & ſalute cogitare nequeant: *ex omni parte terrebunt eos dæmones terribiles, & horribiles.* Sed ſi dæmones impii ſub ſpecie viſibili non appareant; eorum ſaltem mentibus ſe ingerunt, eaque illis ſuggerunt quæ ad eos conturbandos & terrendos ſunt idonea. Tunc iis Deum repræſentant, non ut benignum, ut miſericordem, & ut paratum ad iis indulgendum, ſi converti velint; ſed ut terribilem, ut ſeverum judicem, ut iratum, & ut jam vindictæ ſuæ flagella manu geſtantem. Quibus ideis ita terrentur & conturbantur impii, ut interna pace frui quomodocumque nequeant: *conturbati ſunt, commoti ſunt: tremor apprehendit eos.* At impii in hora mortis, interna etiam non fruuntur pace, *ob imminentia Dei judicia, quæ formidant.*

3. Impii adhuc viventes, & cubili ſuo decumbentes, a Dei judiciis timent: plerique enim ſibi audire videntur Deum, vitæ rationem ab iis petentem, & jam dicentem: *redde rationem villicationis tuæ.* Sibi impius quiſque tunc audire videtur Deum, dicentem illi: O impie, redde rationem animæ tuæ, corporis tui, facultatum tuarum, omniumque bonorum, naturæ, & fortunæ, quæ tradidi tibi: redde rationem pretioſiſſimi Sanguinis, quem pro tui ſalute libenter fudi, Sacramentorum quæ pro tui ſanctificatione inſtitui, & gratiarum tuarum, quas

in

Digitized by Google

in tempore opportuno tibi dedi: redde rationem ſanctarum omnium inſpirationum quibus ad converſionem te vocavi, & piorum motuum quibus ad recedendum a peccato, & ad bene vivendum te excitavi; redde tandem rationem omnium bonorum, & beneficiorum, quæ a me percepiſti. Anne iis omnibus ad mei gloriam, & tui ſalutem uſus es? O ingrate, nonne hæc omnia ſervire feciſti iniquitatibus tuis? nonne in me benefactorem tuum inique egiſti? nonne me tui amantem inique rejeciſti? nonne toties iteratis criminibus ad iracundiam me provocaſti? Quæ nunc eſt expectatio tua, quid a me ſperare potes, niſi diriſſima, & æterna tartari ſupplicia? his aut ſimilibus cogitationibus territus peccator, turbabitur, angetur, nullaque pace fruetur.

Scio, nonnullos videri impios, qui adveniente morte, nulla timoris, & anxietatis ſigna edunt. Ipſa experientia docet, aliquos quandoque reperiri peccatores, obduratos, omni ſenſu carentes, qui in hora mortis de pœnitentia aliorumque Sacramentorum perceptione non curant, & tamen nullo modo timere videntur; ſed animo ita quieto, & ita tranquillo ex hoc mundo exeunt, ac ſi viri juſti & ſancti eſſent; ſed revera hujuſmodi impii non moriuntur in Domino, nec vera pace fruuntur. Eorum pax non eſt vera, ſed falſa, & apparens; ut enim ait D. Auguſtinus, magna eſt differentia inter veram hominis juſti, & falſam hominis impii pacem, quia vera hominis juſti pax provenit a Deo intus habitante per gratiam ſuam, & firmam ſalutis ſpem conferente; apparens vero impii pax, non a gratia, nec a ſalutis ſpe procedit; ſed a quadam cordis duritia, & animi inſenſibilitate. Ideo in pace mori videtur impius, quia cum, ob perpetrata peccata, tamen fidei in mente ejus ſit extinctum, cum Dei gratia a corde ejus penitus abſceſſerit, & cum amplius eum non arguat conſcientia, inſenſibilis remanet, & ſic in pace mori videtur; non tamen in pace, ſed in duritia & inſenſibilitate cordis moritur. O quam magna miſeria hominis impii, qui pacem non habet in morte; *nec etiam poſt mortem*.

## TERTIA PARS.

*Non eſt pax impiis poſt mortem.*

POſtquam mortuus eſt impius, anima ejus nativa propenſione, centrum ſuum quærit; ad Deum, animæ ſuæ centrum, naturaliter fertur, illum poſſidere deſiderat: & ad cælum ire, ubi Deo & æterna pace fruatur; maxime peroptat. Sed a Dei fruitione, a cælo, & ab æterna pace arcebitur: *repulſa eſt a pace anima mea.*

Nulla ſane pax eſt impio poſt mortem, quin contra Deus, Angeli, dæmones, & omnes creaturæ illi bellum indicunt, & adverſus illum militant; ac, ut de Iſmaele dicitur, *manus omnium contra eum.*

Quamdiu in hoc mundo moratur impius, innumeris eum Deus beneficiis afficit, ſemperque paratus eſt ad dandum illi oſculum pacis, ſi ad eum converti voluerit; ſed mox ut mortuus eſt, arma ſua ſumit Deus, ut adverſus illum pugnet, omneſque creaturas adverſus eum armat; *accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum.*

Mox ut obiit impius, Deus, quaſi armatus, adverſus illum pugnat exprobrando illi quæcumque patravit crimina, & diriſſime objurgando eum. Adverſus illum pugnant cuſtodes Angeli objicientes ei Dei beneficia, quorum ingratus fuit, & ſanctas inſpirationes quas inique repulit. Adverſus illum decertant dæmones, petentes eum ſibi tradi, quia omni beatitudine indignus, & æternis ſuppliciis dignus eſt.

Vel dicamus, quod poſtquam ex hoc mundo exierunt impii, Deus adverſus illos militat, quia omnium quæ in vita fecerunt, ab illi rationem exigit, quia eos ſevere judicat, & quia adverſus eos ſententiam dicit, eoſque æternis tartari ſuppliciis adjudicat. Et non ſolum per ſeipſum Deus adverſus impios pugnat, ſed etiam per dæmones, quibus eos cruciandos tradit, *tradidit eum tortoribus*. Ut enim explicat S. Remigius, *tortores ſunt dæmones, qui animas peccatorum mille modis graviſſime torquent, & cruciant in gehenna.*

Satis ſuperque ex jam dictis cenſet haud dubie unuſquiſque veſtrum, impium nulla poſt mortem pace frui. Sed ut melius adhuc hoc pateat, deſcendamus in infernum viventes, ibi conſideremus impios, voracibus flammis involutos, teterrimis dæmonibus circumdatos, & Dei viſione privatos, ibi clamant, ibi gemunt, ibi vociferantur, dicentes. *Erravimus a via veritatis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam umbra.* Quæ, quæſo, impiis illis in inferno exiſtentibus, pax eſſe poteſt? nulla quidem. Sed continuum iis ineſt bellum cum flammis a quibus cremantur, cum dæmonibus a quibus torquentur; ac cum complicibus quibus maledicunt, & a quibus maledicuntur.

O quam miſeri poſt mortem impii, cum pacem nullam habeant cum Deo, & cum creaturis. Sed forte pacem habent in ſemetipſis; & dum torquentur exterius, interius forte aliqua pace fruuntur? Abſit, hoc ſentire de impiis in inferno exiſtentibus. Non ſunt hi ſimiles viris juſtis, qui in mediis ſuppliciis quæ in hoc mundo perferunt, interna pace, & quiete gaudent. Impii enim in inferno nulla potiuntur interna pace; ſed dum exterius a flammis, & a dæmonibus cruciantur, interius a verme conſcientiæ roduntur, & lacerantur.

Sicut tinea veſtem continue rodit, licet occulte, ita vermis conſcientiæ, ſine ulla intermiſſione, damnatorum corda corrodit, & arguit, intus dicens: Cur, o impie, animam tuam ad Dei imaginem, cælo natam, & unicam tuam; pro momentanea voluptate, pro modico lucro, pro tranſitoriis dignitatibus, &, ut ita dicam, pro nihilo dæmoni vendidiſti, & nunquam redimendam, & inferno mancipaſti? cur vocanti divinæ gratiæ toties reſtitiſti? cur veram de peccatis pœnitentiam non feciſti? cur non imitatus es hos. & illos qui pœnitentiam egerunt, & ſalvi facti ſunt?

Hic vermis nunquam morietur, *vermis eorum*

*non morietur*; ſed erit perpetuus accuſator, & vindex hominis impii, qui ſtatuet illi ante faciem præterita peccata, & redarguet eum, juſteque condemnabit. Immo, ſæviſſimus ille vermis, carnificis inſtar, diræ eorum corda torquebit: vel ad modum hoſtis infenſiſſimi, perpetuum bellum adverſum illum geret, eumque ſemper infeſtabit.

Sicut ranæ clamore ſuo dormientium quietem turbant, ſic vermis conſcientiæ in inferno nunquam tacebit; ſed impios ſemper arguet, & inquietabit. *Jam* illis objiciet quæ, & quanta pro eorum ſalute Chriſtus paſſus ſit, *Jam* gratias omnes quibus abuſi ſunt, *Jam* æternam beatitudinem ad quam erant creati, & a qua in æternum exulant, quia a peccato abſtinere noluerunt; vel quia modicam pœnitentiam agere recuſarunt. Quare impii, interno hoc verme corroſi, & ſemper lacerati, in rabiem, & deſperationem incident, ſuaſque præ dolore linguas manducabunt *commanducaverunt linguas ſuas præ dolore*.

O quam graviter adverſus impios in inferno pugnat internus ille vermis: o quam graviter lacerantur, & cruciantur acerbis illis conſcientiæ ſtimulis, & morſibus! ſed inſuper, ut ait ſummus Pontifex Innocentius, in inferno ſunt vermes materiales, quibus roduntur impiorum corpora; *in inferno vermis duplex, interior, qui rodit cor; exterior, qui rodit corpus*. Et ut loquitur D. Baſilius (in inferno eſt vermium innumerabilium genus venenoſum, ac carnivorum, eſitans quidem ſemper, nec tamen ſe ſatians, ſed intolerabiles dolores morſibus infligens.) Addit S. Anſelmus, quod *in inferno ſunt vermes immortales, ſerpentes, & dracones, viſu, & ſibilo horribiles; qui, ut piſces in aqua, ita vivunt in flamma*.

Quæ ergo poſt mortem pax eſſe poteſt impiis, cum Deus, Angeli, dæmones, vermes, ſerpentes, & dracones adverſus illos acriter pugnent? nulla ſane iis eſt pax non ſolum in vita, & in morte; ſed etiam poſt mortem. Quare, o impii, deſinite perverſe agere; tollite de medio veſtri peccata, quæ ſunt cauſa, cur nulla vobis unquam ſit pax: & nolite amplius peccare in Deum veſtrum.

Scitis, prælium magnum aliquando factum eſſe in cælo: *prælium magnum factum eſt in cælo. Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone*. Unde hoc bellum in cælo? a peccato, niſi enim peccaſſent Angeli, nullum unquam in cælo prælium; ſed ſempiterna pax fuiſſet. Utque e cælo tolleretur prælium, & perfecta pax in eo ſolidaretur, expulſum eſt e cælo peccatum; & Angeli qui peccaverant, extra cælum ejecti ſunt. Sicut autem bellum in cælo ortum eſt a peccato: ita & bellum in vobis a peccato eſt; & peccatum in cauſa eſt, cur nulla unquam pace fruamini. Quare omnia peccata e medio veſtri tollite, ut Deus pacis habitet vobiſcum, & ut vera pace frui valeatis.

Omnibus notum eſt, Chriſtum eſſe auctorem pacis, pacemque nobis cum æterno Patre conciliaſſe. *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt*. Sed quomodo nos Patri reconciliavit, pacemque noſtram compoſuit? per deſtructionem peccati. Sicut enim per peccatum inimici Dei facti eramus, ita & per peccati deſtructionem pax noſtra inita eſt, & DEO reconciliati ſumus. Vultis ſimiliter vera, & perfecta pace gaudere? omne peccatum a vobis tollite.

Durum vobis eſt aliena reſtituere, huic creaturæ valedicere, & pœnitentiam ſuſcipere, ut peccatum in vobiſmetipſis deſtruatis; ſed durius vobis erit, ſi nulla in hoc, & in alio mundo pace gaudeatis. Quare pœnitentiam generoſe ſuſcipite; ac omne peccatum procul a vobis pellite, ut perfectam in hoc mundo, & æternam in cælo pacem habeatis. Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum ſupplex deprecor, ut æternam, ineffabilem, & incomprehenſibilem Paradiſi pacem vobis, mihi, & omnibus tribuere dignetur. *Amen*.

AN-

Digitized by Google

# ANNUS APOSTOLICUS.

*Continens Conciones Omnibus & ſingulis totius Anni diebus Dominicis Prædicabiles.*

# IDEA CONCIONUM DE DOMINICIS.

## DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

*De Judicio extremo.*

IN extremi Judicii die Chriſtus erit Judex formidandus & terribilis, qui nec decipi, nec corrumpi, nec flecti poterit. *Non decipi*; quia doctiſſimus. *Non corrumpi*; quia æquiſſimus: *Non flecti*; quia inexorabilis. Chriſtus tandem, in die Judicii, non poterit: 1. Decipi: 2. Corrumpi: 3. Flecti. *pag.* 287

## DOMINICA II. ADVENTUS.

*De adverſitatibus.*

Hominum in hoc mundo viventium, alii peccatores ſunt, alii juſti ſunt, & omnes a cælo exules ſunt. Deus autem, omnis generis homines adverſitatibus agitari permittit ob bonos fines: percutit enim & affligit: 1. *Homines peccatores*, ut eos convertat: 2. *Homines juſtos*; ut eos perficiat: 3. *Homines a cælo exules*, ut eos ſalvet, & ad cæleſtem patriam perducat. 291

## DOMINICA III. ADVENTUS.

*De Deo.*

Deum conſidero in eo quod eſt, in eo quod habet, & in eo quod poteſt. Ac dico, quod Deus: 1. Omnia eſt: 2. Omnia habet: 3. Omnia poteſt. 296

## DOMINICA IV. ADVENTUS.

*De via ad cælum.*

Chriſtus in cælum aſcendere voluit cruce, contemptu mundi, & obedientia: *Cruce*, quam generoſe portavit: *Contemptu mundi*, quem ſupra modum deſpexit: *Obedientia*, quam Patri præſtitit. En triplicem viam, quam tenuit Chriſtus, ut ad cælum aſcenderet; ſed en etiam tres vias, quibus ad cælum aſcendere debemus. *Crux, mundi contemptus, & obedientia*, ſunt tres ad cælum viæ. 301

## DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRISTI.

*De obduratione peccatoris.*

Obdurationis ſigna, cauſæ, & remedia: 1. *Signa*, quibus dignoſci poteſt peccatoris obduratio: 2. *Cauſæ*, a quibus procedit talis obduratio: 3. *Remedia*, quibus ſanari valet talis obduratio. 305

## DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

*De Chriſti jactura.*

1. Quam facile perdatur Chriſtus: 2. Quam miſeri ſint, qui illum perdiderunt: 3. Quid agere debeant, ut illum inveniant. 310

## DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

*De ebrietate.*

Felices multum, qui in hoc mundo divitias, ſanitatem, & ſanctitatem poſſident. Sed ebrietas horrendum eſt monſtrum quod ab homine divitias, ſanitatem & ſanctitatem tollit. *Divitias* quidem; quia eſt mater paupertatis: *Sanitatem*; quia eſt mater infirmitatum: *Sanctitatem*; quia eſt mater vitiorum. Ebrietas eſt: 1. Mater paupertatis: 2. Mater infirmitatum: 3. Mater vitiorum. 314

### DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

*De humilitate.*

Ut humilitatem aſſequaris, inſpice: 1. Humilitatis bona & emolumenta: 2. Chriſti exempla & documenta: 3. Tuam vilitatem & miſeriam. 319

I. Pars. Multa ſunt bona, quæ ab humilitate proveniunt. Hæc enim: 1. a multis vitiis amovet: 2. Alias virtutes conſervat: 3. Divinam gratiam attrahit. 4. Homines Deo amabiles efficit; 5. Illos exaltat & ad cælum evehit. 319

II. Pars. Chriſtus humilitatem verbis & exemplis ſuis docet: 1. In Nativitate ſua: 2. In Circumciſione ſua: 3. In pedum lotione: 4. In Cruce. 321

III. Pars. Ut humilitatem ſecteris, conſidera, quanta ſit tua vilitas & miſeria: 1. Quoad corpus: 2. Quoad animam. 322

### DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

*De conſcientia mala.*

De mala conſcientia ait Sanctus Bernardus, quod *Ipſa teſtis, ipſa judex, ipſa tortor*. Ipſa eſt teſtis importunus, judex ſeverus, & carnifex crudelis. Ipſa: 1. *Eſt teſtis importunus*, qui peccatores accuſat nunc, & acrius accuſabit in morte: 2. *Eſt judex ſeverus*, qui peccatores condemnat nunc, & ſeverius condemnabit in die judicii: 3. *Eſt carnifex crudelis*, qui peccatores torquet nunc, & terribilius torquebit in inferno. 324

### DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

*De ſocietate malorum.*

Mali, ſeu peccatores, ſunt zizania, quæ in hoc mundo cum bono ſemine, ſeu cum juſtis miſcentur. De illa autem malorum ſocietate, ſeu de illa mixtione malorum cum bonis tria inquirimus: 1. Cur Deus malos in hoc mundo diu vivere ſinat: . Cur Deus malos in hoc mundo bonis commixtos eſſe velit: 3. Quomodo ſe gerere debeant boni, qui in hoc mundo inter malos mixti ſunt. 328

### DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

*De Religione Catholica.*

Religio Catholica, vera, ſancta, & mirabiliter ſtabilita eſt. Videamus. 1. Quam vera ſit: 2. Quam ſancta ſit: 3. Quam mirabiliter ſtabilita & propagata ſit. 333

I. Pars. Religio Catholica, vera eſt: 1. Quia Catholica: 2. Quia a Chriſto ad nos derivata: 3. Quia Martyrum conſtantia confirmata: 4. Quia unanimi doctiſſimorum virorum conſenſu approbata. 334

II. Pars. Religio Catholica, ſancta eſt, quia: 1. Licentiam peccandi excludit: 2. Magnifice de Deo ſentit: 3. Mirifice Deum honorat: 4. Ad ſanctitatem perducit. 335

III. Pars. Religio Catholica, mirabiliter ſtabilita & propagata eſt: 1. Sanctitate primorum Chriſtianorum: 2. Verbi divini prædicatione: 3. Miraculorum operatione: 4. Speciali Dei aſſiſtentia. 336

### DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

*De paucitate ſalvandorum.*

De fide eſt, electorum, & ſalvandorum numerum eſſe parvum; cum Chriſtus dixerit paucos eſſe electos *Pauci electi*. Sed circa hæc Chriſti verba, tria dubia eſſe poſſunt. *Primum*. An ex omnibus hominibus tam fidelibus, quam infidelibus, qui fuerunt, ſunt & erunt, ſint pauci electi? *Secundum*: An ex omnibus ſolum Chriſtianis, ſive Catholicis, ſive Hæreticis, ſint pauci electi? *Tertium*: An ex omnibus ſolum Catholicis adultis, qui Eccleſiæ Romanæ adhærent, ſint pauci electi? Ut autem hæc omnia dubia ſolvantur; dico: 1. Quod ex omnibus omnino hominibus, *Pauci electi*: 2. Quod ex omnibus Chriſtianis, *Pauci electi*: 3. Quod ex omnibus Catholicis adultis, *Pauci electi*. 338

### DOMINICA SEXAGESIMÆ.

*De Verbo Dei.*

Ut ex Dei verbo fructus eliciatur ita audiendum ut: 1. Memoria retineatur: 2. Corde credatur: 3. Manu executioni mandetur. Verbum Dei retinendum, Verbo Dei credendum, Verbo Dei obediendum: En tres hujus concionis partes. 343

### DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

*De morte Chriſti pro omnibus.*

Si Chriſtus, non pro omnibus, ſed pro aliquibus ſolum mortuus eſſet hominibus, hoc eſſet; *vel* quia Chriſtus (ut Verbum) in æterno ſuo decreto non ſtatuiſſet mori pro omnibus omnino hominibus; *vel* quia in cruce moriens, ſuam pro omnibus hominibus mortem non obtuliſſet: *vel* quia in tempore fructum mortis ejus non omnes penitus homines percepiſſent. Quare, ut pateat, Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe; dico, quod Chriſti mors: 1. Decreta eſt ab æterno pro omnibus hominibus, *Sine ulla exceptione*. 2. Oblata eſt in cruce pro omnibus hominibus, *Sine ulla excluſione*: 3. Utilis eſt in tempore omnibus hominibus, *Sine ulla limitatione*. 348

### DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

*De obſequio ſoli Deo præſtando.*

Non dæmoni; ſed Deo ſerviendum: 1. Quia dæmon eſt pauper, & Deus ditiſſimus; 2. Quia dæmon eſt debilis, & Deus potentiſſimus: 3. Quia dæmon eſt fallax, & Deus fideliſſimus. 352

DOMI-

Digitized by Google

## DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

*De Chriſti Transfiguratione.*

Totum Transfigurationis Chriſti Myſterium tribus quæſtionibus evolvitur. *Prima* eſt: de modo, quo Chriſti Transfiguratio facta eſt. *Secunda*: de fine ob quem facta eſt. *Tertia*: de loco, in quo facta eſt. Examinatur ergo: 1. Quomodo Chriſtus ſit transfiguratus: 2. Quare ſit transfiguratus: 3. Ubi ſit transfiguratus. 357

I. Pars. Chriſtus ita ſe transfiguravit, ut in facie, in veſte, & in toto corpore novam prætulerit claritatem: 1. *In facie*, quæ mirabiliter reſplenduit: 2. *In veſte*, quæ alba facta eſt: 3. *In corpore*, quod mirum in modum refulſit. 357

II. Pars. Transfigurari voluit Chriſtus: 1. Ut fidem noſtram firmaret: 2. Ut ad deſiderandam cæleſtem beatitudinem nos excitaret: 3. Ut ad pugnandum pro ea obtinenda nos induceret. 358

III. Pars. Transfiguratus eſt: 1. In monte: 2. In monte excelſo: 3. In monte excelſo ſeorſum. Quæ omnia myſtice explicantur. 360

## DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

*De Confeſſione Sacramentali.*

1. Confitendum ſæpe: 2. Confitendum integre: 3. Confitendum debite & perfecte. 361

## DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

*De divitum obligationibus.*

Divites inſpicio reſpectu creditorum, mercenariorum & pauperum: *Reſpectu creditorum*, & aliorum, & quorum bona detinent: *Reſpectu mercenariorum*, & operariorum, qui pro ipſis laboraverunt: *Reſpectu pauperum*, & aliorum, quorum neceſſitates norunt. Divites autem debent reſtituere, mercedem tribuere, & eleemoſynam dare: debent 1. *Reſtituere* creditoribus, & aliis, quorum bona retinent: 2. *Mercedem tribuere* domeſticis, & aliis, qui pro ipſis laboraverunt: 3. *Eleemoſynam dare* pauperibus, & aliis, quorum neceſſitates norunt. 365

## DOMINICA PASSIONIS.

*De vitæ innocentia.*

Tanta fuit Chriſti innocentia, ut nullum peccatum, nullum affectum ad peccatum, nullamque peccati ſpeciem habuerit. Nulli autem, a Chriſto, tanta competit innocentia: pro viribus tamen contendere quiſque debet, ut hanc æmuletur innocentiam; & ut omne peccatum, omnem affectum ad peccatum, omnemque peccati ſpeciem a ſe expellat. Unuſquiſque a ſeipſo tollere debet: 1. Omne peccatum: 2. Omnem affectum ad peccatum: 3. Omnem ſpeciem peccati. 369

## DOMINICA PALMARUM.

*De mundi dignitatibus.*

Mundi dignitates ſunt; 1. Contemnendæ; 2. Timendæ: 3. Fugiendæ. 374

I. Pars. Mundi dignitates ſunt contemnendæ: quia ſunt: 1. Tranſitoriæ & fugaces: 2. Doloſæ & fallaces: 3. Vanæ inaneſque. 375

II. Pars. Mundi dignitates ſunt timendæ: quia qui ad eas elevantur: 1. Pro ſuis ſubditis ſpondent: 2. De ſuis ſubditis rationem reddent: 3. Pro ſuis ſubditis punientur. 376

III. Pars. Mundi dignitates ſunt fugiendæ: quia eas fugere docuit Chriſtus: 1. Naſcens in præſepio: 2. Fugiens in montem: 3. In cruce moriens. 377

## DOMINICA PASCHATIS.

*De Chriſti Reſurrectione.*

Cum contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant; ut Sepulchri & Reſurrectionis Chriſti gloria magis eniteat: eam Lazari Sepulchro, & Reſurrectioni oppono. Et ideo Lazarum conſidero in triplici ſtatu; nempe cum eſt in Sepulchro, cum exit e Sepulchro, & poſtquam ſurrexit e Sepulchro. Cum eſt in Sepulchro; ibi fœtet; & corpus ejus corrumpitur: cum exit e Sepulchro; hoc non propria, ſed aliena virtute facit: poſtquam ſurrexit e Sepulchro; non immortalis eſt; ſed iterum moritur. Hæc Lazari reſurrectio ab omnibus ſane glorioſa dicitur: at Chriſti, quam Lazari, longe glorioſior eſt Reſurrectio. Verum eſt, quod Chriſtus, ſicut & Lazarus, eſt in Sepulchro, exit e Sepulchro, & vivit extra Sepulchrum. Sed quod Chriſto maxime glorioſum eſt, ipſe: 1. *Eſt in Sepulchro*, ſine ulla corruptione: 2. *Surgit e Sepulchro*, ſine ullo auxilio extraneo: 3. *Vivit extra Sepulchrum*, ſine ullo relapſu, & quin iterum moriatur. 379

## DOMINICA IN ALBIS.

*De Chriſti vulneribus.*

Chriſtus vulnera paſſus eſt, vulnera oſtendit, & vulnera in corpore ſuo retinuit. Ea paſſus eſt in monte Calvariæ, ea oſtendit in cœnaculo; & ea, aut ſaltem eorum cicatrices, retinet in cælo. Videamus: 1. Cur Chriſtus vulnera patitur: 2. Cur Chriſtus vulnera oſtendit: 3. Cur Chriſtus vulnera retinet. 383

I. Pars. Chriſtus vulnera paſſus eſt: 1. Ut nos æterno Patri reconciliaret: 2. Ut nos a dæmonis ſervitute redimeret: 3. Ut nobis Paradiſi portas aperiret. 384

II. Pars. Chriſtus vulnera ſua Apoſtolis oſtendit: 1. Ut ſuum iis manifeſtaret amorem: 2. Ut eos in fide firmaret: 3. Ut eos ad patientiam excitaret. 385

III. Pars. Chriſtus ſua in cælo vulnera retinet: 1. Ad ſui gloriam: 2. Ad noſtri bonum: 3. Ad reproborum confuſionem. 386

DOMI-

Digitized by Google

## DOMINICA II. POST PASCHA.

*De bono Paſtore.*

Animarum Paſtores, ut boni ſint, & debite ſuo munere fungantur, gregem ſuum debent paſcere, præire & curare: 1. *Paſcere* verbo: 2. *Præire* exemplo: 3. *Curare* ſubſidio. 388

## DOMINICA III. POST PASCHA.

*De lacrymis.*

Lacrymæ hominis pœnitentis: 1. *Lavant* ſordes peccati: 2. *Extingunnt* ignem inferni: 3. *Portant* ad Regnum Dei. 393

## DOMINICA IV. POST PASCHA.

*De mundi proſperitate.*

Mundi proſperitas: 1. Contemptibilis eſt: 2. Tranſitoria eſt: 3. Periculoſa eſt. 397

## DOMINICA V. POST PASCHA.

*De Oratione.*

Orationis exercitio: 1. Nihil magis neceſſarium: 2. Nihil magis utile: 3. Nihil magis amabile. Quam neceſſarium, quam utile, & quam amabile ſit orationis exercitium. En tres hujus concionis partes. 401

## DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

*De ſcandalo.*

Scandalo activo tunc quis peccat, cum conſilio, ſuaſione conſenſu, præcepto, vel malis ſuis verbis & exemplis alios ad peccandum allicit. Hoc autem ſcandali peccatum: 1. Commune eſt: 2. Grave eſt: 3. Magna pœna, magnoque ſupplicio dignum eſt. 405

## DOMINICA PENTECOSTES.

*De Spiritu Sancto.*

Spiritus Sanctus conſideratur in Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterio, in Eccleſiæ ſinu, & in hominis juſti anima. Examinatur autem, quis ſit Spiritus Sanctus: 1. In Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterio; 2. In Eccleſia: 3. In hominis juſti anima. 409

## DOMINICA TRINITATIS.

*De Sanctiſſima Trinitate.*

Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium eſt: 1. Incomprehenſibile: 2. Credibile: 3. Adorandum. 413

## DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

*De cœna magna, quam Deus facit.*

Deus facit magnum convivium in terra, in Eccleſia, & in Cælo: 1. *In terra*, omnibus hominibus: 2. *In Eccleſia*, omnibus fidelibus: 3. *In Cælo*, omnibus Beatis. 417

## DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

*De Dei in homines amore.*

Deus diligit: 1. Homines peccatores: 2. Homines pœnitentes: 3. Homines juſtos. 422

## DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

*De Verbo Dei.*

Verbum Dei audiendum: 1. Aſſidue: 2. Attente: 3. Utiliter. 426

## DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

*De æternitate pœnarum inferni.*

Terribilis eſt pœnarum inferni æternitas. Unicum tamen mortale peccatum, æquiſſime æterna punitur pœna; ſi inſpiciamus Deum, peccatum, & peccatorem: 1. *Deum*, qui infinite juſtus eſt: 2. *Peccatum mortale*, quod ſumme malignum eſt: 3. *Peccatorem*, qui ſummopere ingratus eſt. 430

## DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

*De humani corporis dignitate.*

Corpus humanum, eſt, fuit, & erit quid magnum: 1. *Eſt quid magnum* in mundo: 2. *Fuit quid magnum* in Chriſto: 3. *Erit quid magnum* in cælo. 434

## DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

*De malis Chriſtianis.*

Mali Chriſtiani gravem Deo, Chriſto, & Eccleſiæ injuriam inferunt: 1. *Deo*, cujus ſunt filii. 2. *Chriſto*, cujus ſunt diſcipuli: 3. *Eccleſiæ*, cujus ſunt membra. 438

## DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

*De Eleemoſyna.*

1. Quid ſit: 2. Quid faciat: 3. Quid obtineat eleemoſyna. 442

I. Pars. Eleemoſyna eſt Tributum, Sacrificium, & Baptiſmus. Eſt: 1. *Tributum* quod ſolvitur Chriſto: 2. *Sacrificium*, quod offertur Deo: 3. *Baptiſmus*, quo lavantur animæ. 442

II. PARS. Mirabilia facit Eleemoſyna: 1. In inferno: 2. In terra: 3. In cælo. 443

III. Pars. Eleemoſyna obtinet: 1. Bona ſpiritualia: 2. Bona cæleſtia: 3. Bona æterna. 444

DOMI-

Digitized by Google

## DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

*De furto.*

Aliena furari, eſt: 1. Quid commune: 2. Quid grave: 3. Quid periculoſum. 445

## DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

*De bonis operibus.*

Bona opera: 1. Non ſunt pervulganda, ſed occultanda; 2. Non ſibi, ſed Deo tribuenda: 3. Non ad malum finem, ſed ad Dei gloriam ſunt dirigenda, & referenda. 449

## DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

*De Chriſti operibus.*

Opera bona fecit Chriſtus prompte, indeſinenter, & perfecte: 1. *Prompte*, ſine ulla retardatione: 2. *Indeſinenter*, ſine ulla intermiſſione: 3. *Perfecte*, ſine ullo defectu. 453

## DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

*De hominis in Deum amore.*

Deus amandus eſt ardenter, unice, & ſemper: 1. *Ardenter*, ſine modo & remiſſione: 2. *Unice*, ſine ſocio & conſorte: 3. *Semper*, ſine termino & fine. 457

## DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

*De luxuria.*

Innumera ſunt motiva, quæ hominem ad abſtinentiam luxuriæ excitare debent. Sed velim ſolum, ut ſerio perpendant libidinoſi, quod Deus eos videt, judicat, & ſevere punit. *Deus eos videt:* cur ergo coram illo peccare non verentur? *Deus eos judicat:* cur ergo a terribilibus ejus judiciis non timeant? *Deus eos punit:* cur ergo pro momentanea voluptate æternis ſe ſuppliciis exponant? O peccator: 1. Deus te videt: 2. Deus te judicat: 3. Deus te punit. En tria motiva, quæ ad abſtinendum ab omni luxuriæ inquinamento te excitare debent. 461

## DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

*De uſura.*

Uſurarius nonnunquam æſtimatur benefactor, amicus, & protector eorum, quibus ad uſuram commodat. Sed benefactoris, amici, & protectoris nomina non ei conveniunt. Uſurarius enim, eſt: 1. *Benefactor*, qui eos quibus benefacere videtur, facultatibus ſpoliat: 2. *Amicus*; qui eos quos diligere creditur, inique prodit: 3. *Protector*, qui eos quos protegere cenſetur, crudeliter opprimit. 465

## DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

*De officiis filiorum in parentes.*

Filii, ut ait Doctor Seraphicus, parentibus debent reverentiam, obedientiam, & amorem. 1. Reverentiam: *Honorem reverentiæ*: 2. Obedientiam: *Honorem beneficentiæ*. 468

I. Pars. Filii parentibus debent reverentiam; quia Deus: 1. Præcipit filiis, ut honorent parentes: 2. Præmiat filios, qui parentes honorant: 3. Punit filios qui parentibus reverentiam non præſtant. 469

II. Pars. Filii obedire debent parentibus in his, quæ ſpectant: 1. Dei gloriam: 2. Suam ſalutem: 3. Œconomiam, ſeu rei familiaris adminiſtrationem. 470

III. Pars. Filii parentes amare debent: 1. Amore ardenti: 2. Amore patienti; 3. Amore benefico. 471

## DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

*De ambitione.*

Homo ambitioſus: 1. Stultus eſt: 2. Malignus eſt: 3. Infelix eſt. 472

I. Pars. *Stultus eſt*, quia: 1. Pondus dignitatum non ſentit: 2. Terrenas cæleſtibus dignitates præponit: 3. Deum præire contendit. 473

II. Pars. *Malignus eſt*, quia: 1. Fraudulentus eſt & doloſus: 2. Ferox eſt & crudelis: 3. Audax eſt, & impudens ad omne malum. 474

III. Pars. *Infelix eſt*: 1. Antequam dignitates aſſequatur: 2. Cum eas poſſidet: 3. Cum eas amittit. 475

## DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

*De igne inferni.*

Ignis inferni, longe acrius urit, devorat, & torquet, quam noſter ille ignis, quo in hoc mundo utimur. Sed, quod mirabile ſimul & terribile eſt, ignis inferni: 1. *Urit*, & non lucet: 2. *Devorat*, & non conſumit: 3. *Torquet*, & nunquam torquere deſinit. 476

## DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

*De blaſphemia.*

Blaſphemiæ nomen nonnunquam improprie ſumitur pro juramentis, & pro imprecationibus, quæ paſſim ab hominibus vilibus fieri ſolent. Quare; ut tam de proprie, quam de improprie ſumpta blaſphemia loquar: dico, quod abſtinendum: 1. A conſuetudine jurandi: 2. Ab imprecationibus: 3. A Blaſphemia. 480

## DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

*De bonis temporalibus.*

Temporalia hujuſmodi bona, ſunt vilia & contem-

p-i-

Digitized by Google

ptibilia; mutabilia & tranſitoria, vana & inutilia: *Sunt vilia*, & parum valent: *Sunt tranſitoria*, & parum durant: *Sunt vana*, & parum proſunt. Bona temporalia: 1. Parum valent: 2. Parum durant: 3. Parum proſunt. En tres hujus concionis partes. 484

## DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

*De corporis infirmitatibus.*

Qui ægrotat, animam ſuam; corpus ſuum; & temporalia ſua bona inſpicere debet; *Animam ſuam*, ut eam ſalvet: *Corpus ſuum*, ut infirmitas qua laborat, ad ſalutem proſit: *Bona ſua temporalia*, ut ea recte, & juxta Dei placitum diſtribuat.

Ut autem, qui infirmatur, ſalvet animam ſuam, debet ultima Sacramenta recipere, & alia ad ſalutem neceſſaria agere. Ut proſit ei corporis infirmitas, oportet, ut eam patienter perferat. Ut temporalia recte diſtribuat, teſtamentum juſtum & pium facere tenetur.

Unde, ut doceam, quomodo ſe gerere debeant, qui periculoſe infirmantur: dico, quod debeant: 1. Quæ ad ſalutem ſpectant, prompte facere: 2. Corporis dolores patienter ſuſtinere: 3. Bona temporalia (ſi quæ habent) pie & juſte diſtribuere. 487

## DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

*De ſalutis negotio.*

Quiſque debet: 1. De ſalute ſua ſerio cogitare: 2. Salutem ſuam ardenter deſiderare: 3. Pro ſalute ſua ſedulo laborare. 491

## DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

*De adulatione.*

Adulatores, ſunt: 1. Hoſtes maligni: 2. Hoſtes callidi: 3. Hoſtes ignoti. 494

I. Pars. *Sunt hoſtes maligni*, qui homines: 1. Excæcant: 2. Ad peccata alliciunt: 3. Ad tartara ducunt. 495

II. Pars. *Sunt hoſtes callidi*, qui: 1. Laudant, ut decipiant: 2. Amicitiæ ſigna edunt, ut prodant: 3. Aliorum mores induunt, ut iis inſidientur.

III. Pars. *Sunt hoſtes ignoti*, ac ita ignoti, ut placeant iis quibus adulantur, ab iis amentur, & ab iis premientur: 1. Iis placent, ac ſi eſſent veri amici: 2. Ab iis amantur, ac ſi eſſent amici fideles: 3. Ab iis præmiantur, ac ſi eſſent amici benefici. 497

## DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

*De morte Juſtorum.*

Mors Juſtorum, eſt quies, ſomnus & tranſitus. Eſt: 1. Quies ſecura: 2. Somnus ſuavis: 3. Tranſitus feliciſſimus. Et ideo de homine juſto, qui ex hoc mundo migravit, dici poteſt: *Non eſt mortuus*, ſed quieſcit: *Non eſt mortuus*, ſed dormit: *Non eſt mortuus*, ſed ad cæleſtem patriam tranſiit. 498

## DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

*De Judicio extremo.*

*Nullus* in hoc mundo reus ita miſer, cui aliqua non ſubſit excuſatio, qua mediante, ſcelerum ſuorum gravitatem minuere conetur: *Nullus* ita infelix, & derelictus, cui aliquod non inſit auxilium, aut a Deo, aut ab hominibus: *Nullus* ita perditus & deſperatus, cui non aliqua ſemper ſpes ſalutis ſuperſit. At in formidando extremi judicii die peccatores; erunt rei, quibus nulla erit excuſatio; nullum auxilium; nulla ſpes ſalutis: *Nulla excuſatio*, quæ apud Deum valeat: *Nullum auxilium*, quod iis proſit: *Nulla ſpes ſalutis*, quæ illos conſoletur. Peccatoribus in die Judicii: 1. Nulla erit excuſatio: 2. Nullum erit auxilium: 3. Nulla erit ſpes ſalutis. 501

DO-

Digitized by Google

# DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

## DE

# JUDICIO EXTREMO.

*Tunc videbunt Filium Hominis, venientem in nube cum poteſtate magna*. Luc. 21. 27.

HAnc hodie veritatis conſcendi Cathedram, ut Chriſtum Judicem in tremendo juſtitiæ ſuæ Tribunali ſedentem proponam. In ſupremo nunc gloriæ ſuæ ſolio ad Patris dexteram ſedet, ſed in ultimi Judicii die videbunt eum peccatores deſcendentem de cælo, Angelis ſuis circumdatum, ac divino fulgore radiantem, ut ſedeat ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & juxta ſeverioris juſtitiæ leges judicet vivos & mortuos, juſtos & peccatores: *Tunc videbunt Filium Hominis, venientem in nube, cum poteſtate magna, & majeſtate*.

Pater Æternus per ſe ſolum *non judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio: Joann. 5. 22.* Qui, ut ait Hugo Cardinalis, *illum genuit judicem ſecum*. Chriſtus autem, ut ſupremus Judex, ſub forma viſibili, in die judicii apparebit: ac judicabit bonos & malos: *bonos*, ut ſupra merita eos præmiet, *malos*, ut juxta demerita eos plectat. Unde Chriſtus tunc Judex erit beneficus ſimul & formidandus: *Beneficus* juſtis, qui ei fideliter inſervierint; *formidandus* peccatoribus, qui ſcelerum ſuorum pœnitentiam non egerint.

Gaudete juſti, iterum dico, gaudete, quia ſi gravia in hoc mundo patiamini, tandem aliquando veniet dies, in qua Chriſtus Judex abſterget omnem lacrymam ab oculis veſtris, æternisque vos præmiis ditabit. Gaudete juſti; ſed timeant, ac totis artubus trepident peccatores: quia ſi in hoc mundo pœnitentiam non egerint, Chriſtus in tremendo extremi Judicii die Judex erit terribilis, qui eos examinabit, increpabit, & ad æterna ſupplicia damnabit. Qualis tunc Chriſtus futurus ſit Judex, reſpectu reproborum, iſta explicabit concio, &c. *Ave*.

TErreni quique Judices decipi, corrumpi, & flecti poſſunt. Decipi quidem, *tum* a reis, *tum* a teſtibus, *tum* ab aliis qui crimina pertinaciter negant; qui ea ſimulationum involucris tegunt, vel qui ea nonnunquam ſub fallacibus quibuſdam circumſtantiis ita proponunt, ut virtutes potius quam crimina videantur. Corrumpi etiam poſſunt, quia, ut aſſerit Spiritus Sanctus, *dona excæcant oculos Judicum: Eccli. 20. 31.* Et ut dixit non nemo, *auro pulſa fides, auro venalia jura. Tibull. l. 5. el. 12.* Flecti tandem poſſunt, vel a Magnatibus vim inferentibus, vel ab amicis urgentibus, vel a moleſtis, & importunis oratoribus; nec enim ita recta eſt juſtitiæ virga, ut in hanc & illam partem aliquando non declinet.

Hæc ipſa luce clariora ſunt, nec eſt qui neſciat, quod terreni Judices nonnumquam decipiantur, corrumpantur, & flectantur: *decipiuntur*: quia non omnia norunt: *corrumpuntur*: quia ſumma æquitate non pollent: *flectuntur*; quia corda eorum ad malum prona ſunt, & flexibilia. At ſupremus Judex Chriſtus, in die judicii, nec decipi, nec corrumpi, nec flecti poterit: *non decipi*, quia doctiſſimus: *non corrumpi*, quia æquiſſimus: *non flecti*, quia inexorabilis. O formidandum peccatoribus Judicem, qui non poterit, 1. Decipi: 2. Corrumpi: 3. Flecti.

### PRIMA PARS.

*In die Judicii Chriſtus decipi non poterit.*

ITA mundos eſſe Dei oculos, ait Propheta, ut nec hominum peccata inſpicere queant: *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Heb. 1. 13.* Verum quidem Deum, cujus ineffabilis ſanctitas, & cujus puritas infinita, ita ab omni abhorrere peccato, ut nec leviſſima quævis delicta videre poſſit viſione approbationis, & complacentiæ. Sed per hoc non ſtat, quin gravia & horrenda quævis ſcelera clare, & perſpicue cognoſcat; ut enim loquitur hominum ſapientiſſimus: *Omnes viæ hominis patent oculis ejus. Prov. 16. 2.* Perſpicacibus Dei oculis *patent* obſcœnæ, impiæ, & iniquæ omnes cogitationes, quas quiſque animo verſavit; *patent* omnia verba blaſphema, ſcurrilia, & quocumque modo mala, quæ quiſque protulit: *patent* omnia opera iniqua, & minus recta, quæ quiſque fecit: *patent* tandem omnia peccata, ſive gravia, ſive levia illa ſint, quæ ab hominibus uſquam perpetrata ſunt: *Omnes viæ hominis patent oculis ejus*.

Non ſolum Deus omnia hominum peccata videt, cum actu ab iis perpetrantur; verum & ea prævidet, ſeu illa videt, & clare intuetur, antequam fiant. Antequam peſſimus ille Judex ad Judicis dignitatem vocaretur, prævidit Deus iniquas omnes ſententias, quas dicturus erat; antequam indignus ille Beneficiarius Sacerdotali inſigniretur charactere, prævidit Deus, quot Communiones ſacrilegas faceret, quot pacta ſimoniaca iniret, quotque ſacrilegia committeret: antequam impudica hæc mulier matrimonio jungeretur, prævidit Deus, in quot hæc caderet ſacrilegia, & quot legitimi matrimonii leges illa violaret. Chriſtus tandem, Judex eſt ſapientiſſimus, qui omnia omnium hominum ſcelera videt, & prævidet: *Omnes vias meas prævidiſti. Pſalm. 138. 3.*

Qui res alienas invaſerunt, qui pupillorum & viduarum facultates injuſte abſtulerunt, & qui aliis ſimilibus ſe coinquinaverunt criminibus; ut morden-

Digitized by Google

dentis conſcientiæ ſtimulos hebetent, ut internos leniant dolores, necnon ut quietus vivant, ſibi nonnumquam ſuadere conantur, Deum non eorum noſſe crimina, ad ea non attendere, nec de his curare. *Viduam & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt. Et dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Pſ. 93. 6.* O quam ſtulti, qui crimina ſua credunt latere Deum, qui eſt omniſcius, & cujus oculis omnia nuda & aperta ſunt: *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus. Heb. 4. 13.* O quam ſtolidi, & bardi, qui ſcelera ſua arbitrantur non videri a Deo, quem nihil latet, & qui omnia hominum peccata indeſinenter aſpicit! *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo. Pſ. 89. 8.* O ſtulti, inquit Propheta, aliquando ſapite; ac intelligite, fieri non poſſe, ut Deus, qui omnium hominum oculos & aures finxit, cæcus ſit, & hominum peccata non videat: *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Pſ. 93. 8.* Hoc fieri non poteſt, ut ſubdit Propheta: quia Deus, cujus ſcientia eſt infinita, omnia penitus novit, etiam intimas quaſque cordium cogitationes: *Dominus ſcit cogitationes hominum. Ibid. v. 11.* Quod de Chriſto, non ſolum *ut Deo*, ſed etiam *ut Homine*, intelligi debet, quia ut ait Doctor Angelicus, anima Chriſti in Verbo, ſeu in eſſentia divina omnia novit propriæ, quæ quocumque modo ſunt, fuerunt vel erant; *etiam hominum cogitatus, quorum eſt Judex. D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2.*

Cum peccare vult impius, latebras quærit & tenebras; ad loca remota & recondita ſe confert, ut non videatur; ac cum in procinctu peccandi eſt, ſic intra ſemetipſum loqui ſolet: *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem vereor? Eccli. 23. 26.* Non me videt Pater, ait impius, non me videt Mater, non terreni Judices, nec alius quiſquam; *Quis me videt?* Jam clauſæ ſunt januæ, inquit, dormiunt omnes, nec eſt qui attendat nobis. *Nemo circumſpicit me.* O impie, opportunum ad peccandum tempus tibi eſſe credis: quia te a nullo cerni imaginaris? O ſtulte, eo ne ſtultitiæ veniſti, ut credas, te peccantem a nemine videri? Nonne te videt Altiſſimus? Nonne tua omnia videt crimina? Nonne locum videt, in quo ea perpetras? Nonne perſonas videt, cum quibus peccas? Nonne omnes & ſingulas peccatorum tuorum circumſtantias cernit? Scito, ut ſubdit Spiritus Sanctus, quod Deus, cujus oculi ſupra ſolem lucidiores ſunt, teipſum, tuas omnes cogitationes, omnia verba tua, & omnia tua peccata cum omnibus eorum circumſtantiis clare conſpiciat: *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda in mentes in abſconditas partes. Ibid. v. 28.* O peccator, omnia tua Deus clare & perſpicue agnoſcit crimina, nec alicujus eorum uſquam obliviſcetur, ſed eorum omnium in die judicii recordabitur: *Recordabitur iniquitatum eorum, & viſitabit peccata eorum. Jerem. 14.*

Peccatores nonnulli, qui ſegniter ſuam examinant conſcientiam, commiſſorum obliviſcuntur peccatorum, aut eorum obliviſci optarent, ut ea confiteri non tenerentur. At, o peccator, vigila ſupra teipſum, & conſcientiam tuam ſedulo examina, quia ſi peccatorum tuorum ex negligentia, ex malitia vel ex ſufficientis examinis defectu obliviſcaris, eorum Deus non obliviſcetur; ſed ea in die judicii oculis tuis objiciet: *Si tu non memineris, Deus non obliviſcetur. Aug.* O peccator inique, *qui* carnem tuam, ſacro Baptiſmatis lavacro lotam, tot libidinibus fœdaſti, *qui* tot fraudibus, & injuſtis contractibus, domum, agrum, villam, & vineam proximi invaſiſti, *qui* domeſticorum, & operariorum mercedem fraudaſti, *qui* Patri, Matri, uxori, & toti familiæ gravis, & infenſus fuiſti; ſcito, Deum tuos omnes greſſus dinumerare, tua omnia ſcelera perſpicue intueri, ea omnia adnotare, nec unius eorum obliviſci, ſed eorum omnium recordari, quorum & recordabitur in die judicii, illaque omnia tunc tibi objiciet: *Recordabitur iniquitatum eorum, & viſitabit peccata eorum.*

Deus, inquit Malachias Propheta, Diarium ſuum habet Librum, in quo omnia hominum peccata characteribus indelebilibus ſcribit: *Attendit Dominus, & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo. Malach. 3.* Cum in enormia ſcelera cadit impius, ſilet ſæpe Deus, de illo vindictam non ſtatim ſumit, expectat ut convertatur, & vivat; advertit tamen & quælibet ejus peccata, ſimul cum eorum circumſtantiis, in Libro adnotat: *Attendit Dominus.* Cum dives ille avarus viduam facultatibus ſpoliat, opprimit orphanum, aliorumque bonis inique ablatis diteſcit: *Attendit Dominus.* Cum homo ille blaſphemus, diabolico ſuccenſus furore, horrendas in Deum blaſphemias effundit: *Attendit Dominus.* Cum procus ille, illaque meretrix tot fœdis libidinibus corpora, & animas ſuas horrendum in modum deturpant: *Attendit Dominus*, eaque omnia in æterno ſapientiæ ſuæ Libro ſcripta manent. In die autem judicii Librum ſuum aperiet Deus, ſeu omnia hominum peccata, quæ in mente ejus ſcripta ſunt, manifeſtabit, & quiſque judicabitur juxta ea, quæ in Libro ejus ſcripta fuerint. *Et judicati ſunt mortui, ex his quæ ſcripta erant in Libris. Apoc. 20. 12.* Quis ergo hunc in die judicii decipere poterit Judicem, qui omnia hominum peccata novit, qui ea omnia adnotat, qui ea in Libro ſuo ſcripta ſervat, quique eorum omnium recordabitur? Eum certe nullus decipere poterit: *Non ibi licebit decipere, non mentiri, non ſub velis pellis latere. Aug.*

Decipi poſſunt terreni Judices, quia non omnia ſciunt: Et licet ea noſſent crimina, in quæ ſententiam ſunt laturi, non poſſunt ſimul judices eſſe & teſtes. At in die judicii Chriſtus erit Judex doctiſſimus, qui omnia hominum crimina clariſſima cognoſcet: Ipſe etiam erit teſtis oculatus, qui peccatores omnes peccantes vidit: *Ego Judex & teſtis. Jerem. 29. 23.* Quare falli & decipi non poterit.

O peccator, tuum nunc facile decipere potes Confeſſarium; quia licet ſit Judex a Deo conſtitutus ad judicandos in hoc mundo peccatores, quid in cordibus eorum lateat, non videt. At in die judicii nullus erit locus ſimulationibus, locus nullus erit fallaciis & dolis: quia tunc Chriſtus, qui cordium intima intuetur, erit Judex doctiſſimus, qui falli & decipi nequaquam poterit.

*Quid ergo ages*, inquit Auguſtinus, *apud talem Judicem, quem fallere non poteris? Aug. lib. de decem*

*chor-*

Digitized by Google

*chordis c. 2.* Quid ages tunc, ſi lethali aliquo crimine inquinata ſit anima tua? Certe nil tunc ad tui juſtificationem, & ad hunc Judicem placandum agere poteris: ſed age nunc pœnitentiam, & tunc ſapientiſſimus ille Judex peccatorum tuorum ad vindictam non recordabitur: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. Ezech. 18. 21.* Veram, ſinceram, & ſeveram in hoc mundo pœnitentiam age, ut ſecurus ad tremendum Dei judicium appareas, in quo Chriſtus erit Judex doctiſſimus, qui falli non poterit: *ac etiam Judex æquiſſimus, qui non poterit corrumpi.*

## SECUNDA PARS.

*In die Judicii Chriſtus corrumpi non poterit.*

JUdices a Deo, & a terrenis Principibus inſtituuntur, ut cujuſque jura tueantur & ut non juxta dominantes odii, invidiæ, reſpectus humani, & turpis lucri paſſiones, ſed juxta leges, judicent. Verum ipſi Judices a lege ſæpe deviant, jura pluries violant, ac in ipſa juſtitiæ adminiſtratione injuſti fiunt & iniqui: quia ut poteſtatibus obtemperent, ut amicis placeant, vel ut propriæ paſſioni conſulant, jura omnia ſubvertunt. O peſſimam malorum hujuſmodi Judicum corruptelam! Quam deplorans D. Cyprianus, ait: *Inter leges ipſas delinquitur, inter jura peccatur: innocentia nec illic ubi defenditur, reſervatur, qui ſedet crimina vindicaturus, admittit, & ut reus innocens pereat, fit nocens Judex. S. Cyprian. Epiſt. 2. ad Donat.*

Norunt omnes nil in Judice magis indecorum, nil magis exitioſum turpi hoc corruptibilitatis vitio. Sit ille doctiſſimus. Imperalia omnia, & regalia jura calleat. Sit ille in pauperes miſericors, & omnibus benignus & affabilis. Integritatem & incorruptibilitatem ſi ab eo tollas, omnem ejus itidem tolles decorem, omneſque alias ejus virtutes, & laudabiles qualitates denigrabis, & quaſi delebis. Quia ſicut ſi in muliere continentia deſit, omnia deeſſe videntur; ita in Judice, in quo incorruptibilitas deficit, omnia deficere cenſentur; & licet bonus homo dici poſſit, numquam tamen bonus Judex erit, quamdiu conſtantem incorruptibilitatem non poſſidebit. At ubi nunc Judices, qui precibus, muneribus, vel aliis modis corrumpi nequeant? Paucos hujuſmodi reperire eſt, ut enim ait D. Auguſtinus; *uſque adeo hoc inolevit malum, ut jam quaſi ex conſuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, ſententia ipſa venalis ſit. Aug. ſerm. 19. de verb. Dom.*

Ex hac iniquorum Judicum corruptela fit ut famoſi quique rei parum Judices timeant probe ſcientes, quod muneribus, precibus amicorum vel potentum ſollicitationibus eos corrumpere, debitaſque ſuis criminibus pœnas devitare poterunt. At ſi terrenos Judices non multum timeant rei, Chriſtum Judicem plurimum pertimeſcere debent omnes peccatores: quia in tremendo ultimi judicii die tanta erit integritate præditus, ut nullo modo corrumpi poſſit: *Talis erit Judex, quem nec fallere, nec corrumpere poteris. Auguſt. lib. de decem chordis c. 2.*

Ita ab omni corruptela manus ſuas puras habuit æquiſſimus Judaici populi Judex Samuel, ut in ſuæ incorruptibilitatis probationem, non recuſaverit judicium totius ſubire populi, dicens: *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus; utrum bovem cujuſquam tulerim, aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi. 1. Reg. 12.* Cui populus teſtificans reſpondit: *Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quippiam. Ib.* O vere incorruptum Judicem! Sed in extremi judicii die Chriſtus erit Judex magis incorruptus: quia nulla arte, nullo munere, nec quocumque modo corrumpi poterit. Unde Baſilius Seleucus eum *Judicem integrum, & corrumpi neſcium* vocat. *Baſil. orat. 43.*

Non ſatis umquam in hiſtoriis laudatur Martius Curius Dentatus Senator, cui ad forum ſedenti, cum Samnites ingens auri pondus attuliſſent, illud accipere recuſans, dixit: *Mementote, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi poſſe, Cicero in Catone.* At in die judicii tanta Chriſti integritate, & incorruptibilitate pollebit, ut non ſolum pecunia, verum nec oblatis quibuſcumque muneribus, nec humano reſpectu, nec Advocatorum, teſtium, vel adverſariorum arte, nec quocumque modo corrumpi poſſit. Non quidem pecunia: quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, cujus eſt omne aurum, & argentum, & qui bonis noſtris non indiget: *Dixi Domino; Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Pſ. 15. 2.* Non etiam oblatis muneribus; quia *Non eſt apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. 2. Paral. 19. 7.* Nec utique reſpectu humano, ſeu ut Magnatibus placeat, eorum benevolentiam captet, quia tunc attoniti & tremebundi ſtabunt Reges, & Principes, in quo Chriſtus non minus, quam in agaſones, ſententiam dicet. Quomodo ergo tunc corrumpi valeret Chriſtus Judex? Forte Advocatorum circumventionibus, teſtium malitia, vel adverſariorum quorumdam arte? iis ſane modis corrumpi nequibit; quia ut ait D. Auguſtinus, *Chriſtum judicem nullus Advocatus circumvenit, nullus teſtis illudit, nullus adverſarius corrumpit. Aug. lib. de ovibus c. 6.* Quo ergo modo corrumpi poterit Chriſtus? Nihilo equidem; quia Judex erit integerrimus, omnis corruptionis inſcius, qui nequaquam corrumpi poterit.

Tanta integritate & incorruptibilitate præditos cupiebant Judices ſuos antiqui Thebani, ut nec aliqua corruptionis ſuſpicione, eos notari poſſe optarent; Et ideo eos carentes manibus pingi curabant; *Thebis Judicum imagines viſuntur abſque manibus. Plutarch. l. 1. de Jud.* Non illos delineabant habentes manus ligatas, contractas, vel clauſas, ſed *abſque manibus*, ait Plutarchus, ut indicarent, viros Judices capi & corrumpi non poſſe muneribus, cum nec munera capere poſſint. De antiquis Areopagitis fertur, quod non ſolum ſine manibus, ſed etiam ſine auribus & ſine oculis pingi ſolerent. Pingebantur *ſine auribus*: quia importunis precibus non flectebantur: *ſine oculis*: quia objecta ſibi reorum miſeria, ad miſerationem non movebantur: *ſine manibus*: quia oblata quæque recuſabant dona, nec ullis muneribus corrumpi poterant. O præclara incorruptibilitatis ſymbola! quæ Chriſto perfectiori modo, quam cuique alteri conveniunt. Ipſe etenim in formidando extremi judicii die reſpectu reproborum, erit ſine auribus: quia quantumvis clament & vociferantur, non exaudiet illos; *Tunc invocabunt me, & non exaudiam; Prov. 1. 28.* erit ſine oculis: quia reprobos non aſpiciet, ut parcat, & eorum miſereatur: *Non parcet oculus meus, &* non

*non miſerebor*; *Ezech.* 5. 11. erit ſine manibus: quia de muneribus noſtris non curat, nec donis quibuſque corrumpi poteſt: *Ipſe eſt Deus magnus, & potens, & terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera. Deut.* 10. 16.

O quam integer, & incorruptus erit ille Judex! o quam formidandum & meticuloſum erit peccatoribus a tam incorruptibili Judice judicari! *Meticuloſum eſt omni viventi*, inquit Summus Pontifex Innocentius Tertius; *cauſam coram te agere criminalem: quia cum ſis potentiſſimus, manus tuas nemo poteſt effugere, cum ſis ſapientiſſimus, oculos tuos nihil poteſt latere, cum ſis æquiſſimus, animum tuum non poteſt corrumpere.*

Trepidant rei, ac toti contremiſcunt, cum ad ſeveri, & incorrupti judicis Tribunal ſiſtuntur. Sed ſi terrenum timent Judicem, qui corporalem ſolummodo vitam auferre poteſt, quanto magis timere debent Chriſtum Judicem incorruptum, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam? Eum timere debent omnes penitus homines: *timeat Dominum omnis terra*; ſed illum magis timere debent peccatores, qui læſæ divinæ majeſtatis ſunt rei; quia cum ad ejus Tribunal judicandi ſiſtentur, integritatem ejus corrumpere, & manus ejus evadere non valebunt. Quamvis aureos ei tunc montes offerrent; illum corrumpere, & ſeverioris ejus juſtitiæ ſententiam declinare nequibunt: *Argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. Sophon.* 1. 18.

Quare, o N. N. convertimini ad Dominum Deum veſtrum, a viis veſtris peſſimis declinate omnimoda ſollicitudine, bonis vacate operibus, ac omnes actiones veſtras ſic facite, & ſic dirigite, quaſi mox incorrupto huic Judici rationem eſſetis reddituri: *Tamquam ad tremendum conventuri judicium actiones noſtras diſpenſemus. Chryſoſt. hom.* 1. *ad pop.*

O homo, ſi certo ſcires, te cras ad formidandum Chriſti judicantis Tribunal eſſe vocandum, quanto ſtudio tuam hodie ſatageres mundare conſcientiam? Quanta cura tua hodie peccata confitereris! Quam ſollicite aliena reſtitueres! Quam perfecte omnes tuas actiones faceres? Sic ſic ſemper te habeas: ſic omnia tua opera facias, ac ſi mox judicandus eſſes, ſic ſic in omnibus te geras ac ſi protinus ſiſtendus eſſes ante terribilem illum Judicem, qui corrumpi non poterit, *nec etiam flecti*.

## TERTIA PARS.

*In die judicii Chriſti flecti non poterit.*

DOctoris officio functus eſt Chriſtus in Judæa, & Samaria, ubi homines verbo & exemplo mirabiliter erudivit. Redemptoris munus obivit in Calvariæ Monte, ubi diriſſimum, & probroſum Crucis ſupplicium pro hominum ſalute perpeſſus eſt; ſed æquiſſimi Judicis partes aget in Valle Joſaphat, ubi adverſus peccatores iratus, tanta eos cum æquitate, tantoque cum rigore judicabit, ut a nemine flecti & placari queat. Ut enim ait S. Gregorius, cum nunc flectere poſſent peccatores jejuniis, eleemoſynis, aliiſque veræ pœnitentiæ operibus, ſed tunc illum nullo modo placare, & ad commiſerationem inclinare poterunt: *Judex ſupremus ante judicium placari poteſt, in judicio non poteſt. D. Gregor. lib.* 14. *Mor. c.* 30.

Toto cælo differunt primus, & ſecundus Chriſti adventus. In primo enim viſus eſt ſub forma pueri pannis involuti, ac in vili præſepio reclinati: in ſecundo vero ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ tanto cum apparatu, ut timorem, & terrorem omnibus ſpectantibus ſit incuſſurus. In primo, manus, & omnia infantilia membra faſciis involuta habuit; in ſecundo autem perſonam geret gigantis, & ſtrenui præliatoris, qui adverſus impios decertabit: *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum. Iſa.* 42. 13. In primo ſiluit, & ſolis fletibus dolores quos patiebatur expreſſit; ſed in ſecundo, ut parturiens loquetur, adverſus peccatores quaſi leo rugiet, ac tonanti voce æternis eos ignibus adjudicabit, dicens: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* In primo manſuetus fuit, & pacificus, pacemque hominibus per Angelos ſuos annuntiari voluit; at in ſecundo, pacem peccatoribus non offeret, ſed tanta in eos accendetur ira, ut nequaquam flecti queat. Et ideo perbelle adnotavit Rupertus Abbas, Chriſti judicantis Tribunal, ſimile futurum Salomonis Throno, cujus ſedes erat aurea, & gradus eburnei. *Sedes* enim Chriſti judicantis erit aurea, quia ſicut inter metalla nullum auro purius: ita Chriſti juſtitia erit omnino pura, nec ulla in eo gratiæ & miſericordiæ ſpecies videbitur. *Gradus* etiam Tribunalis Chriſti judicantis erunt eburnei, quia ſicut ebur ſumitur ex Elephante, qui eſt animal inflexibile; ita Chriſtus erit Judex inexorabilis, & inflexibilis: qui nullo modo flecti, & placari poterit: *Ante judicium placari poteſt, in judicio non poteſt.*

Supremi quique hujus mundi Monarchæ ad commiſerationem flecti poſſunt, & ſæpe flectuntur, etiam erga famoſos graviorum criminum reos, quibus nonnumquam gratiam & indulgentiam impertiuntur. At Chriſtus, qui totius mundi ſupremus eſt Monarcha, in extremi Judicii die erit inflexibilis; nec quocumque modo ad miſericordiam flecti, & inclinari poterit, quia tunc reſpectu impiorum, non erit miſericordiæ, ſed juſtitiæ tempus: *Erit tunc non miſericordiæ, ſed judicii tempus, nec ulla erga impios futura illic miſeratio. S. Bern. ſerm.* 8. *in Pſ. Qui habitat.*

Quamdiu in hoc mundo remanent peccatores, Deus erga illos patiens, bonus, & miſericors eſt: *Patiens* quidem, cum blaſphemias, ſacrilegia, & enormia quævis eorum ſcelera tacens perferat: *Bonus*, cum eis, licet inimicis, ſibique infenſiſſimis, Sacramenta & gratias ſuas non deneget: *Miſericors*, cum eis parcere & indulgere paratus ſit, quotieſcumque ad ipſum converti voluerint. At in die judicii, non in peccatores ſe patientem, benignum & miſericordem exhibebit, ſed adverſus illos ita iratus & quaſi furibundus erit, ut ad miſericordiam quocumque modo flecti non poſſit; *Judice furibundo, & miſericordiam neſciente, fiet illa diſcuſſio. Petr. Dam. ſerm. de S. Vict.* Clament tunc peccatores, quantum voluerint; Sanguineas fundant lacrymas: Potentes Patronos, & Interceſſores adhibeant, ſi poſſint; Furibundum illum Judicem ad miſericordiam flectere non poterunt, quia: *Judex ille nec gratia prævenietur, nec miſericordia flectetur, nec fletibus,*

*aut*

Digitized by Google

*erit pœnitentia mitigabitur.* *Auguſtinus lib. 4. de Symbol.*

2 Tunc peccatores amare flebunt, & pœnitentiam agent: *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Sap. 5. 3.* Tunc flebunt, qui prohibitis gaudiis, & illicitis voluptatibus ſe in hoc mundo dediderant, tunc pœnitentiam agent, qui dum in ſæculo viverent, a pœnitentia abhorruerant. *Pœnitebit eos*, quod Dei legem violaverint, quod Concionatorum verba parvipenderint, & parentum monita pro nihilo habuerint: *Pœnitebit eos*, quod pœnitentiam in hoc mundo non egerint, quod pietatis exercitiis ſedulo non vacaverint, quodque ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum debita cum reverentia non receperint: *Eos pœnitebit*, quod viros pietate inſignes imitati non fuerint; quod ſe totos Dei obſequio non mancipaverint, & quod labore multo ad altioris perfectionis apicem non conſcenderint: *Pœnitentiam agentes.* Sed omnis eorum pœnitentia erit vana, & infructuoſa; quia tunc Chriſtus Judex ad miſericordiam flecti nequibit: *Erit ibi pœnitentia, ſed infructuoſa. Aug. in Pſ. 51.*

O peccator, quo ergo tunc te vertes? Quomodo ante ſapientiſſimum, æquiſſimum, & inexorabilem hunc ſtabis Judicem? Quid ages, cum ad formidandum Judicis illius Tribunal ſiſteris? Quid facies, o Judex inique, qui toties veræ juſtitiæ leges violaſti? Quid ages, ſtulte Concionator, qui non animarum ſaluti, ſed vanitati, & proprio honori invigilaſti? Quid tu, Confeſſarie, officioſe, & indulgens, qui inveterata peccatorum ulcera non ſanare, ſed operire & lenire ſtuduiſti? Quid tu, Mercator fraudulente, qui fraudibus & dolis facultates tuas multiplicaſti? Quid tu paterfamilias, qui filios ſalutis viam non docuiſti, & operariorum mercedem toties fraudaſti? Quid tu, peccator, qualiſcumque ſis, quid, inquam, facies, cum apparebis coram ſevero hoc Judice, qui nec decipi, nec corrumpi, nec flecti poterit? *Quid faciam, cum ſurrexerit ad judicandum Deus? Job* 31. 14. Certe non erit tunc tempus pro ſalute tua aliquid agendi; quare age nunc quod tunc egiſſe voles, age nunc pœnitentiam, ut ſecurus tunc ad Chriſti judicantis Tribunal accedas. Inutilis erit pœnitentia, quæ tunc fiet; ſed ſi pœnitentiam in hoc mundo facias, tua delebit crimina, immundam tuam purgabit conſcientiam, Deum adverſus te iratum placabit, facietque, ut abſque ulla formidine ad Chriſti judicantis Tribunal te ſiſtas. Age ergo pœnitentiam, non talem qualem, ſed ſinceram, ſed generoſam, ſed integram & conſtantem.

Piget te, pœnitentiam agere. Sed, heu! ſi ſerio & ſæpe, mente, & ſpiritu, ad Chriſti judicantis Tribunal te ſiſteres, ſuaviſſima tibi eſſet illa, quam ducam & acerbam imaginaris, pœnitentia. *Velim*, inquit S. Baſilius, *cogites horribile illud, & intolerabile Chriſti Tribunal, in quo præſidebit Judex in alto excelſo throno, adſtabit autem omnis creatura ad glorioſum ejus conſpectum contremiſcens, adducendi etiam nos ſumus ſinguli, eorum quæ in vita geſſimus, rationem reddituri. Mox illis, qui multa mala in vita perpetrarunt, terribiles quidam & deformes aſſiſtent Angeli, igneos vultus præferentes, atque ignem ſpirantes, noctique vultu ſimiles; propter mœrorem & odium in genus humanum. Ad hæc cogita profundum barathrum, & inextricabiles tenebras, & ignem carentem ſplendore, urendique vim habentem. Denique vermium genus, venenum emittens. S. Baſil. in Pſ. 133.* Hæc ſi ſerio cogitares, ab omnibus haud dubie peccatis abſtineres, & duris quibuſque ſeverioris pœnitentiæ operibus ſedulo & hilaliter incumberes.

Vis ſcire, cur multis inquineris peccatis & cur de perpetratis pœnitentiam non agas? Hujus rei cauſa eſt, quia formidanda Dei judicia non recogitas, & quia Dei judicia a facie, ſeu a mente tua auferuntur. Cur ſuperbus tantopere tumet? Cur tanto ſtudio ad temporalia anhelat avarus? Cur impudicus tot fœdis libidinibus carnem ſuam deturpat? Cur tanta licentia quilibet impius in Deum ſuum peccat? Ratio eſt, quia a mente, & facie ejus auferuntur Dei judicia: *Auferuntur judicia tua a facie ejus. Pſ.* 10. 5. Si enim peccatores extremi judicii diem ſæpe mente revolverent, ac ſerio cogitarent, Chriſtum tunc fore Judicem, qui nec decipi, nec corrumpi, nec flecti poterit; proculdubio a peccatis abſtinerent, & ſerio pœnitentiam agerent. Illum ergo diem tota intentione, & attentione cogitate; illum crebro mente verſate, & pœnitentiæ operibus facile adhærebitis, mores mutabitis, boniſque vacabitis operibus, quæ æterna vos beatitudine dignos efficient. *Amen.*

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

## DE ADVERSITATIBUS.

*Joannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti.* Matth. 11. 2.

MAnus & cor Dei ſunt principia & cauſæ omnium adverſitatum, quæ hominibus in hoc mundo morantibus adveniunt. A Dei quidem manu ſunt maris tempeſtates, aeris intemperies, temporalium facultatum jactura, famæ ruina, omnes morbi, & omnia mala pœnæ, quæ hominibus accidunt: *quia non eſt malum in civitate, quod Deus non fecerit.* Unde quicumque aliqua in hoc mundo afflictione premitur, ad Deum ſuum debet referre flagellum ſuum, ac cum ſanctiſſimo Job dicere: *Manus Domini tetigit me. Job* 19. 21. quia cum in hoc mundo adverſitate aliqua affligimur, a Dei manu tangimur, quæ omnium malorum pœnæ, omniumque adverſitatum quas patimur, principium eſt & origo. At non ſolum Dei manus, verum & cor ejus eſt principium omnium tribulationum, quibus in hoc mundo gravamur; quia a Dei corde, tribulationes noſtras volente, & ad bonos fines dirigente, procedunt: nec enim credendum, quod Deus, qui infinite bonus & ſanctus eſt, ad alium, quam ad bonum finem nos plectere intendat.

Non ſpecialiter inquiram, cur Dei manus Sanctum Joannem Baptiſtam, Chriſti Salvatoris digniſſimum Præcurſorem, tetigerit: & cur Deus eum carceri mancipari, & in vincula conjici voluerit. Sed ſcrutabor Dei cor reſpectu omnium, qui in hoc mundo tribulantur; & inquiram, cur eos Dei cor affligi, & tribulari velit? Vel, quod idem eſt, cur Deus omnis generis homines in hoc mundo adverſitatibus premi ſinat, &c. *Ave.*



Digitized by Google

HOminum in hoc mundo degentium, alii peccatores ſunt, alii juſti ſunt, & omnes a cæleſti patria exules ſunt. *Qui peccatores ſunt*, ſumma cura & ſollicitudine laborare debent, ut a peccatis declinent, & ad Deum convertantur. *Qui juſti*, de virtute in virtutem pergere; ac totis conatibus ad perfectionem anhelare debent, ut eam aliquando aſſequi valeant. *Et cum a cæleſti patria omnes exules ſint*, ad eam ſuſpirare, & ad eam obtinendam omnes continue laborare debent, ut eam tandem aliquando conſequantur.

F. Deus autem omnis generis homines, in hoc mundo verſantes, ob fines ſanctos percutit & affligit: aliquos ſcilicet, ut convertat, alios ut perficiat, & omnes ut ſalvet. Deus enim percutit homines peccatores, homines juſtos, & homines a cæleſti regno exules. Percutit: 1. *Homines peccatores*, ut eos convertat: 2. *Homines juſtos*, ut eos perficiat: 3. *Homines a cælo exules*, ut eos ſalvet, & ad cæleſtem patriam perducat.

## PRIMA PARS.

*Deus percutit homines peccatores, ut eos convertat.*

CUm Deus ſit omnium noſtrum conditor, omniumque ſupremus Gubernator & Dominus, in nos omne jus habet: & ideo nullam nobis facit injuriam, cum nos calamitatibus & adverſitatibus affligit. Immo licet centuplo duriora in nos ſtatueret, de illo conqueri non poſſemus: quia quocumque modo erga nos ſe gerat, utitur jure ſuo; nec ab illo rationem exigere poſſumus, cur ſic nobiscum agat. Si tamen quis rationem ſcire cupiat cur Deus homines peccatores affligat, & variis calamitatibus in hoc mundo ſubjiciat? Dicam, quod hoc faciat, ut eos a via iniquitatis avertat, & ad veram converſionem perducat: *Deus tribulationes irruere permittit, ut ad ipſum ferventius confugiamus. Chryſ. hom. 10. in Matth.*

Verum eſt, quod Deus Herodem horrendo morbo affligi voluerit, quod Judam proditorem ſuſpendio perire, ejuſque viſcera diſrumpi permiſerit; quod Arium, Calvinum, alioſque aliquos famoſos peccatores diriſſimis ſuppliciis affecerit; ut hi, etiam in hoc mundo, ſcelerum ſuorum pœnas luere inciperent, & ut aliis hominibus eſſent in formidandum divinæ juſtitiæ exemplum. Certum tamen, quod fere omnes peccatores in hoc mundo plectat Deus, ut illos ad morum mutationem, & ad perfectam converſionem inducat: non enim vult Deus mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat. Ezech. 31. 11.*

Erga peccatores habet ſe Deus, ſicut pius pater, qui filios videt a juſtitiæ ſemitis deviare, & a ſibi debitis pietatis officiis declinare, pluſquam par eſt undequaque vagari, improborum ſe immiſcere conſortio, ludis & licentiori vitæ indulgere, ac paternas leges imprudenter violare; ut enim eos ad ſe reverti, & ad recte vivendum inducat, jam precibus utitur, jam blanditiis, nunc promiſſis, & nunc minis; ſed ſi hæc omnia non proſint, flagella adhibet, eoſque plectit, ut illos ad ea quæ muneris eorum ſunt, facienda compellat. Similem in modum Deus vagantes & laſcivientes peccatores, nunc precibus, nunc prædicationibus, nunc promiſſis, & nunc minis, ad ſe adducere conatur; ſed ſi hæc omnia eos ad morum converſionem non inducant, flagellis eos cædit; eoſque morbis, egeſtate, vel aliis adverſitatibus dire plectit, ut eos convertat & ſanet: *Percutiam & ego ſanabo. Deut. 32. 39.*

Videte, quomodo ſe gerat Deus erga D. Paulum, qui peccator, Eccleſiæ Catholicæ infenſiſſimus hoſtis, & fidelium crudeliſſimus erat perſecutor. Ut enim illum convertat Deus, cæcitate eum percutit, in terram dejicit, ac ita affligit, ut vix e terra ſurgere valeat. Nec fruſtra Deus hunc peccatorem percutit; Paulus enim adverſitate & tribulatione totus mutatur, & ad Deum convertitur; ita ut ex perſecutore prædicator, ex Dei hoſte ſervus ejus zelantiſſimus, & ex peccatore fiat homo juſtus, necnon ad implendam in omnibus Dei voluntatem paratiſſimus, dicens, *Domine, quid me vis facere? Act. 9. 6.*

Ecce cur Deus percuſſerit Paulum; & ecce cur percutiat alios peccatores. Paulum percuſſit, ut eum converteret; & alios peccatores morbis, calamitatibus, variiſque adverſitatibus percutit, ut eos a peccatis avertat, & ad veram morum converſionem perducat. Unde D. Auguſtinus, exponens hæc Davidis verba: *In ira populos confringes*, legit; *in ira populos deduces. Pſ. 55. 7.* Quia Deus, quaſi iraſcens, peccatores afflictionibus & tribulationibus percutit, ut eos convertat & ad ſe adducat. Et ideo ſubdit D. Auguſtinus: *o Domine, iraſceris, & deducis; ſævis, & ſalvas; terres, & vocas: imples tribulationibus, ut in tribulationibus poſiti omnes recurrant ad te.*

Tria erant in arca teſtamenti, lex, ſcilicet, manna & virga; quæ indicant tria, quibus utitur Deus ad convertendos peccatores. Dat enim Deus peccatoribus legem ſuam, quæ eos illuminat, ut miſeriam ſuam agnoſcant, utque deinde eam deteſtentur. Dat eis etiam manna; ſeu internas conſolationes, & gratias ſuas, ut eos ſuaviter alliciat & ad ſe trahat. Dat tandem eis virgam; ſeu illos plectit virga, & adverſitatibus; quæ ſunt optimum medium ad convertendos peccatores. Cum enim Deus peccatores infirmitatibus, aliiſque adverſitatibus plectit, ad eum accelerare, & converti ſolent; *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea acceleraverunt. Pſ. 15. 4.* Et ideo dicit D. Auguſtinus, quod virgæ, & flagella, ſeu tribulationes, quibus Deus peccatores percutit, eos a peſſimo ſomno, in quo torpeſcunt, excitat, eoſque, licet rebelles, ad Deum ire & converti compellit; *Flagellum Dei torpentem excitat, nolentem compellit. S. Aug. in Pſ. 60.*

Si omnia proſpere acciderent peccatoribus, de ſalute non curarent, nec de converſione quomodocumque eſſent ſolliciti; quare Deus, ut eos ad ſedulo converſioni & ſaluti ſtudendum inducat, virga illos percutit, & tribulationum ſpinis eos pungit. Sicut enim filius prodigus ad patrem redire coactus eſt, cum fame & egeſtate fuit compulſus; ita & Deus, ut prodigos & inſenſatos peccatores ad ſe redire, & ad pœnitentiam ſuſcipiendam compellat, egeſtate, morbis, vel aliis afflictionibus eos premit. Sic Regulus ad Chriſtum properavit, illum quæſivit, & in eum credidit, cum filius ſuus infirmitate percuſſus eſt. Sic Manaſſes peccatorum ſuorum vincula abrupit, & ad pœnitentiam ſe accinxit, cum gravi catenarum

pon-

pondere in captivitate preſſus fuit. 2. *Par.* 33. Sic pleríque peccatores ad Deum currunt, & ad eum convertuntur, cum infirmitate quadam gravi laborant; vel cum alia adverſitate affliguntur; Deus enim illos ideo affligit, ut eos ad ſe venire cogat; *Mala, quæ hic nos premunt, ad Deum nos ire compellunt. S. Gregor.*

Noſtis, a via juſtitiæ, & æquitatis aliquando declinaſſe Regium Prophetam; ſcitis, eum animam ſuam homicidio, & adulterio fœdaſſe. Si autem ab illo quæratis, quid fecerit Deus, ut illum converteret, & ad pœnitentiam adduceret? Reſpondebit, quod Deus eum ſpinis, ſeu tribulationibus, ad converſionem & ad pœnitentiam excitarit. *Converſus ſum*, inquit, *in ærumna mea, dum configitur ſpina. Pſ.* 31. 4. Seu, ut vertit D. Auguſtinus, *confixa eſt ſpina, & converſa eſt anima mea.* Sicut autem tribulationum ſpinas cordi Prophetæ illius infixit Deus, ut illum converteret; ita & ſpinis tribulationum alios peccatores configit, ut eos convertat; *Spina noſtra tribulatio eſt. S. Bern. ſerm.* 48. *in Cant.* Si peccatores Deus non pungeret; ſi ſpinas non infigeret; ſi tribulationes tamquam ſpinas, aut quaſi calcaria non admoveret, dormitarent, obliviſcerentur, divagarentur, & ad Deum per veram converſionem redire non curarent: ſed ſpinis & tribulationibus pungit eos Deus, ut illos ad pœnitentiam & ad perfectam morum converſionem adducat.

Vides peccatorem ſegnem, deſidioſum, & in rebus ſalutis pigrum; qui parum, aut nullo modo de converſione curat; qui Patris, Prædicatorum & amicorum monita parvipendit: ſi eum pungat Deus, ſi ſpinis & adverſitatibus illum ſtimulet, ad ſe redit, de converſione cogitat, Deique obſequio ſeſe addicturum, ac rebus ſalutis vacaturum proponit. Vides peccatorem obduratum, qui a multis annis prava ligatur conſuetudine; qui ita peccatis adhæret, ut ea nequaquam derelinquere velit; & qui de converſione morum ægre audit: ſi autem plectat eum Deus; ſi ſpinis viam ejus ſepiat: ſi morbos vel alias afflictiones immittat; tunc obduratus ille peccator aliquo modo flectitur, de converſione cogitat, multaque pro ſalute ſua, & pro Dei gloria ſe facturum proponit. Quæ adverſitates ſunt quaſi ſpinæ, quibus Deus peccatores pungit, ut eos ad converſionem adducat: *Converſus ſum dum configitur ſpina.*

Sed heu! multi tribulationibus non convertuntur. Cum infirmantur, vel alia adverſitate affliguntur, volunt mores mutare, ſtatuuntque impoſterum bene facere: tunc avari ſe liberales fore pollicentur: tunc uſurarii & fures aliena reſtituere promittunt: tunc ebrioſi, maledici, aliique omnis generis peccatores futuræ converſionis propoſita eliciunt: ſed tranſacta adverſitate, de converſione non curant, omniumque propoſitorum obliviſcuntur.

O quam grave eſt, quod quis, immiſſa a Deo adverſitate, non convertatur: *Non grave eſt, plagis affici; ſed plagis meliorem non effici, graviſſimum eſt. S. Greg. Naz. orat.* 15. Hoc quidem graviſſimum; nulli que inter peccatores mihi miſeriores videntur, quam qui adverſitatibus, quas patiuntur, ad morum converſionem non adducuntur: iis ſiquidem certa videtur damnatio. Quod delineatum & probatum videtur viſione illa Jeremiæ Prophetæ, qui primo vidit virgam, & deinde vidit ollam ſuccenſam. Vidit primo virgam: *Virgam vigilantem ego video:* Deinde vidit ollam ſuccenſam: *Ollam ſuccenſam ego video. Jerem.* 1. Virga illa quam videt Propheta, denotat afflictiones, quibus Deus peccatores plectit: olla vero ſuccenſa, ſignificat infernum, qui in æternum ſuccenſus erit. Videt autem Jeremias primo virgam, & deinde ollam ſuccenſam ut doceat, quod ſi peccatores virga correctionis, & afflictionis ad converſionem non inducantur, in ollam ſuccenſam, ſeu in infernum, æternum cremandi, cadent. Quare, ſi percutiat vos Deus, ſi adverſitatibus vos affligat, convertimini ad Dominum Deum veſtrum, qui peccatores percutit, ut eos convertat: *Et qui Juſtos percutit, ut eos perficiat.*

## SECUNDA PARS.

*Deus percutit homines juſtos, ut eos perficiat.*

NUlli fere ſunt juſti, qui in levia ſaltem peccata interdum non cadant, qui aliquid deordinatæ affectionis non habeant, & quibus aliquid in hoc mundo, vel in igne Purgatorii purgandum non inſit. Deus autem, cujus ſumma in homines juſtos bonitas, eos in hoc mundo affligit & percutit, ut per leves tribulationes, quibus eos plectit, & a peccatis purgentur, & a Purgatorii pœnis præſerventur. Sed illos etiam Deus percutit, ut eos perficiat, utque eos ad progrediendum in via virtutis excitet, & compellat. Non enim juſtos tentat, & affligit Deus, ut eos perdat: ſed ut tentationibus & afflictionibus eos ad proficiendum inducat: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum.* 1. *Cor.* 10. 13.

Salomon de Deo, qui eſt ſapientia æterna, loquens, ait, quod victimas ſuas immolaverit: *Sapientia immolavit victimas ſuas. Prov.* 9. 2. Quæ verba exponens Tertullianus, ait, quod Deus filios ſuos jugulaverit. *Jugulavit filios ſuos. Tertull. in Scorp. c.* 7. Filii quos Deus jugulat, ſunt haud dubie viri juſti, qui ſpeciali modo Dei filii ſunt. Vides Martyrem, qui Tyrannorum ſævitia ſanguinem fundit? Ecce filium quem Deus jugulat. Vides ſanctiſſimum Confeſſorem, qui jejuniis, vigiliis, aliiſque mortificationibus carnem ſuam domat? Ecce filium quem Deus jugulat. Quot tandem ſunt viri juſti, quos Deus adverſitatibus affligit, & cruciat; tot ſunt filii quos Deus jugulat; *jugulavit filios ſuos.* Sed ſi Deus filios ſuos juguler, quomodo intelligendus idem Salomon, dicens, quod Deus filiis vitam inſpiret? *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat. Eccl.* 4. 12. Si jugulat, quomodo vitam inſpirat? Si vitam inſpirat, quomodo jugulat? Jugulat ſane eos, iiſque identidem vitam inſpirat, quia cum eos tentationibus, tribulationibus, & adverſitatibus vexat, & quaſi jugulat; iis identidem gratiæ, virtutum, & perfectionis vitam inſpirat. Unde dicendum, quod juſtos in hoc mundo *Dominus mortificat, & vivificat:* 1. *Reg.* 2. 6. mortificat, cum eos percutit, & adverſitatibus cruciari ſinit. Vivificat vero, quia eos affligit ut eos perficiat; utque eos ad vitam perfectiorem adducat.

Docet Spiritus Sanctus, juſtos a Deo probari eodem prorſus modo, quo aurum ab aurifice probatur: *Tamquam aurum in fornace probavit eos. Sap.* 3. 6. Cum ex aurifodina educitur, & antequam igne puri-

rificetur autem, nil niſi terra videtur; ſed cum in fornace probatur, ibi purificatur, ibi perficitur, ita ut non amplius vocetur terra, ſed aurum: nam, ut ait Tertullianus, *Nomen terræ in igne relinquit*, *Tertull. lib. de habit. mul. c. 5.* ut ſcilicet auri nomen ſortiatur. Sicut autem aurifex aurum in ignem mittit, ut illud probet & perficiat: ita Deus juſtos tribulationibus & adverſitatibus affligit, ut illos probet & perficiat.

Cum mente revolvis Jobum ſimeto decumbentem, Petrum cruci affixum, Paulum vinculis ligatum, Clementem carceri mancipatum, Bartholomæum crudeliter excoriatum, & alios viros juſtos variis tribulationibus vexatos; dic in temetipſo; ecce aurum quod igne probatur & perficitur; ecce homines juſtos, quos Deus adverſitatibus affligi vult, ut eos tribulationibus tanquam igne probet & perficiat: *Tamquam aurum in fornace probavit illos.* Juſtos Deus in fornacem tribulationum mittit, non tanquam lignum, ut abſumantur, & deſtruantur; ſed tamquam aurum, ut probentur, & perficiantur.

Alia utitur ſimilitudine Chriſtus, ut doceat, juſtos tribulari, & afflictionibus vexari, non ut deſtruantur, ſed ut perficiantur; dicens, ſe eſſe vitem, Patrem æternum eſſe agricolam; & juſtos, qui bonorum operum fructus afferunt, eſſe palmites. Sicut autem agricola arbores bonas a luxurie frondium, & a vermibus purgat, ut perficiantur, utque meliores & copioſiores fructus afferant; ita Deus juſtos tribulationibus purgat, ut eos perficiat, utque uberiores fructus afferant; *Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Joann. 15. 2.*

Deus non ſolum juſtos & electos, ſed etiam impios & reprobos cum palmite confert; cum hac tamen differentia, quod impii ſint palmites non ferentes fructum; & ideo a Patre æterno tolluntur, & in ignem mittuntur; *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum*; *Ib.* Juſti vero ſint palmites ferentes fructum; & ideo a Patre æterno excoluntur, putantur, & purgantur, ut copioſiores fructus afferant, *Palmes fructuoſus purgari dicitur, quia per diſciplinam reciditur, ut ad uberiorem gratiam perducatur. S. Greg. lib. 7. ep. 32.*

Non vult Deus, ut viri juſti in via virtutis deficiant, ſed ut proficiant; non vult ut in virtutis via langueant, & repant, ſed ut fiant perfecti; *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*; *Matth. 5. 8.* quare eos in hoc mundo tentari & tribulari permittit, ut eos ab omni inquinamento peccati purget, utque eos in virtute perficiat. Hinc S. Joannes Anachoreta uni ex fratribus febri tertiana laboranti, rogantique, ut ab eo curaretur; reſpondit; *Rem tibi neceſſariam cupis abjicere. Ut enim corpora nitro, vel aliis hujuſmodi lenimentis curantur a ſordibus; ita animæ languoribus, aliiſque hujuſmodi caſtigationibus purificantur & perficiuntur. Roſſin. in vitis Patr.*

Hæc omnia clariſſime patent in D. Paulo, qui pluribus adverſitatibus, tentationibus, & tribulationibus vexatus fuit: quarum longam ſeriem ipſe contexit, dicens: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies, quadragenas, una minus accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, &c. 2. Cor. 11. 23.* Cur Deus, cujus ſumma bonitas, vult Paulum virum juſtum, amicum & Apoſtolum ſuum, tot tribulationibus vexari? Hoc vult, ut in via virtutis magnos progreſſus faciat; utque qui perfectus erat, magis perficiatur. Magna erat Pauli charitas; affligit tamen illum Deus, ut illam ad altiores charitatis gradus acquirendos excitet. Mirabilis ejus erat patientia; percutit tamen illum Deus, ut patientiam ejus augeat. Ardentiſſimus ejus erat zelus; illum tamen affligi vult Deus, ut zelus ejus magis inardeſcat; plectit tandem illum Deus, ut cum in omni virtutum genere perficiat; quia virtus tribulationibus & adverſitatibus purior, & perfectior evadit; *Virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12. 9.*

Quod reſpectu Pauli, hoc & reſpectu aliorum juſtorum Deus quotidie facit; hos etenim jam morbis, jam egeſtate, nunc bonorum jactura, & nunc aliis adverſitatibus affligit; ut qui juſti & perfecti erant, juſtiores & perfectiores fiant. Scit Deus, quod *marcet ſine adverſario virtus*; *Seneca lib. 2. de provid. c. 2.* quare, ne in viris juſtis marceat, ne langueat virtus, eos flagellis, & adverſitatibus ſtimulat, ut virtuti acquirendæ perfectius incumbant.

Nonne ſcitis, dixiſſe Deum, ſe eos caſtigare quos amat? *Ego quos amo, arguo & caſtigo. Apoc. 3. 19.* Quod & aſſerit D. Paulus dicens, *Quem enim diligit Dominus, caſtigat. Heb. 6.* Si juſtos Dominus diligit, quomodo caſtigat? Si eos caſtigat, quomodo diligit? Caſtigat ſane eos, & diligit; quia non caſtigat, & plectit eos ut perdat; ſed ut eos juſtiores, ſanctiores, & in virtute perfectiores efficiat.

Exultate ergo juſti in Domino: gaudete in adverſitatibus & tribulationibus veſtris; quia non odii, ſed amoris divini ſigna ſunt. Plectit vos Deus, quia amat; plectit vos, ut perficiat, *ac etiam ut ſalvet.*

## TERTIA PARS.

*Deus percutit homines, ut eos ſalvet.*

SIcut non eget Deus bonis noſtris temporalibus, ita nec eget charitate noſtra, humilitate noſtra, pœnitentia noſtra, & aliis bonis noſtris ſpiritualibus; non enim Deo, ſed nobis prodeſt, quod juſti, ſancti, & Paradiſo digni ſimus: *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris; aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit via tua? Job 22. 3.*

Terrenus quiſque Rex ita aliis dominatur, ut ſubditorum ſibi hominum plurimum egeat, ac ab iis ſua potentia, gloria ſua, ſuaque felicitas pendeat; niſi enim Rex populum habeat, cui imperet, nec Rex, nec potens, nec gloria inclitus erit: At Deus ita cæli & terræ Dominus eſt, ut cælo, terra, omnibuſque quæ in cælo, & in terra ſunt, minime egeat, ab iiſque illius potentia, opes, & gloria minime pendeant. Sicut enim Deus antequam mundum conderet, abſque ullis creaturis beatiſſimus in ſe fuit, ita & poſt mundum conditum beatiſſimus in ſe eſt independenter ab omnibus creaturis, a quibus nullo modo dependet. Unde ſi jam cælum, terram, omneſque creaturas ad nihilum redigeret, nullum inde pateretur damnum, ſemper potentiam & gloriam nullis terminis circumſcriptam haberet. Ac ut ait Toſtatus: *Etiamſi omnes Angeli, & homines perirent, nullo Deus afficitur damno, cum de bonis*

ejus

*ejus nihil deſit: ipſe enim eſt ſibi totum bonum. Toſt. q. 72. in c. 18. Matth.*

Licet autem Deus nec Angelis, nec hominibus egeat, iſtis tamen & illis gratias dedit, quibus ſi bene uſi eſſent, ſalvati omnes fuiſſent. De iſtorum & aliorum ſalute curam habuit, ac ita ſollicitus fuit de hominum ſalute, ut pro iis incarnari, pati, & mori voluerit. Nec hic hæſit Dei in homines bonitas, ut enim eos ſalvet, dat eis gratias, Sacramenta, & alia media ſpiritualia ad ſalutem neceſſaria. Immo & ſæpe flagellis eos cædit, pluribuſque eos adverſitatibus affligit, ut ſaluti eorum conſulat.

Videt Deus, terrenas voluptates non poſſe cum virtute conſiſtere, a ſalutis via avertere, & ad infernum plerumque homines trahere. Videt Deus, voluptates ſæculi eſſe viſcum tenaciſſimum, quo multos capit, & ad infernum trahit tartareus anceps, *Voluptates ſunt viſcus ſpiritualium pennarum. S. Aug. ſer. 33. de temp.* Videt tandem Deus, homines infirmos eſſe & debiles, nec ullos ad malum fortius trahi; quam a funiculis voluptatum, a quibus quaſi incantantur & faſcinantur, & ad gravia quævis ſcelera trahuntur. Quare ut homines a peccandi licentia coerceat, utque eos ſalvet, voluptatibus illos immergi non ſinit, ſed illos morbis, aliiſque adverſitatibus percutit.

Certum eſt, proſperitate homines excæcari. Sicut enim nimia humorum copia, nimia pinguedo, nimiuſque ſolis fulgor corporeos offuſcant, & nonnunquam excæcant oculos; ita divitiarum copia, nimia vivendi licentia, nimiaque proſperitas, mentis oculum offuſcant, & quandoque totaliter excæcant hominesque infatuant. Quod in Salomone, hominum ſapientiſſimo, veriſſimum comprobatur, cui cum proſpere cuncta ſuccederent, a nimia qua fruebatur proſperitate in tantam cæcitatem devenit, ut Dei ſui quaſi oblitus, idolis cæcus immolaverit; ac ut ait S. Bernardus, *blandientibus ſecundis rebus Salomon ex toto deſipuit. S. Bern. l. 1. de conſid.* Sicut autem Salomon, & alii homines proſperitate excæcantur, & quaſi infatuantur, ita & adverſitate illuminantur. Vexatio dat eis intellectum, ita ut qui in proſperitate, Dei & ſalutis obliviſcebantur, adveniente deinde adverſitate, Deum quærant, & de ſalute ſolliciti fiant, ac cum Regio Vate dicant: *In die tribulationis meæ Deum exquiſivi. Pſ. 76. 2.* Quare Deus, ut homines ſalvet, ſubtrahit eis proſperitatem, a qua excæcantur, & immittit adverſitatem, a qua illuminantur, ac ad Deum quærendum, nec non ad propriæ ſaluti invigilandum inducuntur.

Felices communiter cenſetur hi, qui proſpera gaudent fortuna, infelices vero qui adverſa. Sed ſi finis inſpiciatur, felices quidem quibus adverſa, infelices vero quibus proſpera eſt fortuna, quia proſpera hujus mundi a Deo, & a ſalute avertunt, adverſa vero ad Deum, & ad cælum adducunt: *Felix fortuna a vero bono devios blanditiis trahit, adverſa plerumque ad vera bona reducens unco retrahit. Boetius l. 2. de conſol. Phil. proſ.* 8. Verum eſt, quod proſpera fortuna dicatur ventus proſper, ſed proſpero, & jucundo hoc vento ad orcum navigatur, adverſa etiam fortuna dicitur ventus adverſus, ac adverſo hoc flatu ad cælum tenditur. Sicut enim divitem Epulonem proſperitas ad infernum duxit, ita & alii qui nimia proſperitate fruuntur, ad inferos æternum cruciandi pergere ſolent. Sicut e contra Lazarum in ſinum Abrahæ paupertas & adverſitas duxerunt, ita & alios homines adverſitas in cælum adducere ſolita eſt, quare Deus homines in hoc mundo egeſtate, morbis aliiſque adverſitatibus percutit, ut eos a damnationis periculo eripiat, utque eorum ſaluti conſulat.

Aliter Deus, & aliter homines de mundi proſperitate & adverſitate judicant. Homines, qui juxta corporis ſenſus, juxta ſæculi opinionem, vel juxta naturæ corruptæ propenſionem res cenſent, divitias paupertati, & proſperitatem adverſitati facile præferunt. Deus vero, cujus rectum & infallibile eſt judicium, tribulationes & adverſitates deliciis ſæculi, & hominum proſperitati anteponit. Cum enim de divitibus illis quibus omnia ſunt proſpera loquitur, eos miſeros & infelices vocat, væ vobis divitibus! Cum autem eos qui adverſitatibus variis premuntur, alloquitur, eos felices æſtimat, vultque ut gaudeant, quaſi ſumma felicitate polleant: *Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me; gaudete & exultate. Matth. 5. 12.* Divites Deus infelices dicit; quia divitiis & mundi proſperitate ad infernum trahi ſolent: felices vero & beatos vocat illos, qui in hoc mundo tribulationibus vexantur; quia adverſitates hujus mundi ad æterna cæli gaudia homines ducunt. Et hæc eſt ratio cur Deus homines in hoc mundo percutit & affligit: illos quidem affligit, ut eos ſalvet, & ad cæleſtia regna perducat.

Non ergo vos miſeros cenſeatis, cum adveniunt tribulationes: non turbetur cor veſtrum, neque formidet, cum percutit vos Dei manus; ſed potius gaudete & exultate. Immo & omni gaudio replemini, cum occaſiones patiendi pro Chriſto ſeſe offerunt; quia patientia & tribulationibus acquiritur Cæli gaudium, & omne gaudium: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Jacobi 1. 2.*

Præclare adnotavit famoſus ille artis medicæ Magiſter Galenus, ruſticos a Deo nunquam terræ ſterilitatem petere; ſed ſemper ab eo mellis, & aliarum rerum abundantiam poſtulare: *Ruſticorum votum eſt: o Jupiter, plue mel. Galen. l. 3. de poteſt. nutriment.* Quod autem de ruſticis Galenus, hoc & de fere omnibus hominibus dici poteſt: nihil enim a Deo petunt niſi mel conſolationum, mel divitiarum, vel voluptatum, & honorum ſæculi. Si recte ſaperent homines, a Deo non tale mel poſtularent; ſed ab eo potius fel tribulationum & adverſitatum peterent. Si ſaperent, non clamarent ad Deum dicentes: o Jupiter, plue mel conſolationum & deliciarum: ſed ad eum clamarent: o Domine, plue fel tribulationum: o Domine, immitte afflictiones & adverſitates: o Domine, percute nos, ut ad te convertamur, ut in via virtutum proficiamus, & ut æternam beatitudinem aſſequi mereamur.

O homo, tu, quiſquis ille ſis, attende quale ſit Dei cor in omnibus tribulationibus, quibus te affligit, & illum in omni tribulatione laudare & benedicere non deſinas: ſerio meditare quid intendat Deus, cum variis te adverſitatibus agitari permittit; & plurimas illi gratias repende. In tribulationibus tuis ne adverſus Deum murmures; ſed dic ei cum Propheta:



Digitized by Google

ta: *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Dicat, ſi velit, Joſephus Pharaoni: *Bonum mihi, quia exaltaſti me.* Dicat Ruth benefactori ſuo Booz: *Bonum mihi, quia ditaſti me.* Dicat Aſſuero Regina Eſther: *Bonum mihi, quia coronaſti me.* Angelo dicat Tobias: *Bonum mihi, quia illuminaſti me.* Lazarus dicat Salvatori: *Bonum mihi, quia ad vitam revocaſti me.* Tu autem in omni tribulatione & anguſtia Deo dicito: *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Bonum quidem in hoc mihi, & optimum: quia me afflixiſti, & humiliaſti, ut ad te converterer, ut in via virtutis proficerem, & ut ad cæleſte regnum perducerer.

Sic in adverſitatibus tuis Deum alloquere; ac in iis divinæ voluntati te conformem exhibe; & hoc age quod Deus intendit, quodque a te fieri exigit. Vide, quid velit Deus; & hoc fac quod vult Deus. Te tribulari vult Deus, ut ad veram morum converſionem te inducat: ad eum ſerio convertere. Multis te Deus adverſitatibus premit, ut te in omni virtutum genere perficiat: tu totis conatibus in virtutis via proficere ſatage. Gravia te in hoc mundo pati permittit Deus, ut cruce & tribulationibus ad Paradiſi gloriam te perducat: Dei voluntati obtempera, ac immiſſas tibi a Deo adverſitates tam patienter, tamque conſtanter porta, ut iis mediantibus, æternam beatitudinem aſſequi merearis. *Amen.*

## DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

## DE DEO.

*Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.*
Joann. 1. 26.

HOminum multi, ut bruta animantia viventes, nec ſurſum extollunt mentis oculos, ut Auctorem a quo facti ſunt contemplentur; nec unquam mente revolvunt cur a Deo facti, & in hoc mundo ſint poſiti. Si hac de re divum Auguſtinum conſulerent, ab eo diſcerent, ſe factos, non ad temporalia magno affectu ambienda; ſed ad Deum cognoſcendum & amandum. *Creavit Deus hominem, ut ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret.*

Probe ſcio, nullum eſſe ita ſtolidum, ſi ſaltem aliquo rationis radio polleat, qui aliquam de Deo notitiam non habeat; de Deo omnes norunt ſaltem, quod exiſtat; nec eſt aliquis qui ejus exiſtentiam ignoret: quia ratio naturalis, cæli, elementa, omneſque creaturæ ita Deum eſſe ſuadent, & demonſtrant, ut de hoc nullus dubitare poſſit. Sed licet noverint omnes, Deum eſſe: non tamen omnibus notæ ſunt evidentiores ejus perfectiones; in medio omnium ſtat per ſuam eſſentiam, præſentiam, & potentiam; pauci tamen eum, ut ab hominibus cognoſci poteſt, perfecte noverunt; *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.*

Ingenia ſua plurimi profanis ſcientiis acquirendis totaliter occupant; ea alii temporalibus negotiis ita immergunt, ut nec de Deo, & de ſalute cogitent; & alii ita ſe vino, abdomini, libidini, aliiſque dedunt vitiis, ut eorum ingenia in medio carnis & ſanguinis ſepulta, vix unquam ad cæleſtia & divina contemplanda erigantur.

O N. N. ſurſum corda extollite, mentes ſurſum elevate, Dei cognitioni & conſiderationi attendite, quis & quam magnus ſit Dominus, perpendite; ſcitote, quis ſit ille Deus, qui ratione ſuæ immenſitatis, in medio veſtrum ſtat. Sed ut aliqua de Deo ad auditorum utilitatem proferre valeam, ipſius Dei auxilio egeo, &c. *Ave.*

UT magnam de Dei perfectionibus ideam mentibus noſtris ingerat S. Cyprianus, eum ita excelſum, & ſupra animorum noſtrorum captum ita elevatum dicit, ut a nobis videri, comprehendi, & ſatis æſtimari nequeat: *Deus nec videri poteſt, viſu clarior eſt; nec comprendi, tactu purior eſt; nec æſtimari, ſenſu major eſt. S. Cypr. lib. de Idol.*

Dei Majeſtas ita ſublimis, noſtræque ita infirmæ & debiles ſunt mentes, ut ſine auxilio ſupernaturali, ſeu ſine lumine gloriæ, illas elevante, ad Dei viſionem pertingere non poſſint. Sicut enim aquila, perſpicaciſſimis licet polleat oculis, Solem videre nequit, niſi radios ſuos ipſe prius immiſerit, ita nec hominum mentes Deum videre poſſunt, ni prius dato a Deo lumine gloriæ, ad eum videndum eleventur, & roborentur, *Deus nec videri poteſt.*

Deus etiam a mentibus noſtris comprehendi nequit. Sicut enim ab orbe terrarum primi mobilis globus comprehendi non poteſt, quia terrarum orbis cæleſti quovis globo longe minor eſt, ita impoſſibile eſt quod mens noſtra, quæ finita, & limitata eſt, Deum qui infinitus eſt, comprehendat. Et, ut ratiocinatur Doctor Angelicus, ad comprehendendum ens infinitum, ſequireretur intellectus infinitus: quare cum intellectus noſter finitus ſit in ſe & in ſuis operationibus, Deum, qui infinitus eſt, comprehendere nequit, *nec comprehendi. D. Thom. 1. p. quaſt. 12. art. 7.*

Sed nec a nobis Deus ſatis æſtimari poteſt. Cum enim a nobis comprehendi non poſſit, nec a nobis etiam ſatis æſtimari poteſt. *Nec eum magis æſtimamus*, ut ſubdit S. Cyprianus, *quam cum eum inæſtimabilem dicimus.*

Aliquam in genere de Dei perfectionibus ideam jam quiſque veſtrum habet ex hoc quod diximus, eum tantum eſſe, ut nec videri, nec comprehendi, nec ſatis æſtimari queat. Sed ut ſpecialius de Deo diſſeramus, eum conſidero in eo quod eſt, in eo quod habet, & in eo quod poteſt: 1. *In eo quod eſt*, & dico, quod omnia ſit, 2. *In eo quod habet*, & dico, quod omnia habet, 3. *In eo quod poteſt*, & dico quod omnia poſſit. Deus *omnia eſt, omnia habet, omnia poteſt*, en tres hujus Concionis partes.

### PRIMA PARS.

*Deus omnia eſt.*

NOn omnes in eodem homine reperiri poſſunt perfectiones. Unde cum de alicujus Principis, vel alterius hominis qualitatibus loquimur, affirmationi negationem plerumque addimus, & dicere ſolemus, hic homo eſt, & non eſt, eſt dives, ſed non eſt in pauperes miſericors, eſt doctus, ſed non eſt humilis, eſt ingenio præditus, ſed non judicio. Cum autem de Dei perfectionibus diſſerimus, non dicendum, quod ſit, & non ſit, quod ſit hoc, & non illud, quia Deus eſt hoc, & hoc, eſt hoc & omnia,

Digitized by Google

omnia, *Deus non quidem hoc eſt, & hoc non eſt, ſed omnia eſt. S. Dionyſ. c. 5. de Div. nom.* De Deo dicere non poſſumus, eſt hoc, & non eſt hoc, eſt juſtus, ſed non eſt miſericors, eſt ſapiens, ſed non eſt bonus, eſt potens, ſed non eſt fidelis, cum enim de perfectionibus ejus ſermonem habemus, dicendum, eſt juſtus, eſt miſericors, eſt ſapiens, eſt bonus, eſt potens, eſt fidelis. Semper dicendum eſt, eſt: quia omnia eſt formaliter vel eminenter: *Non quidem hoc eſt, & hoc non eſt, ſed omnia eſt.*

Res magnæ paucis explicari verbis nequeunt, & ideo qui Panegyricam de Deo orationem inſtituunt, plurima adhibent verba, varioſque coacervant gloriæ titulos, ut aliquam de ineffabilibus, & inexplicabilibus ejus perfectionibus ideam dare valeant. Jam enim dicunt: Deus eſt ens a ſe, ens immenſum, ſumme ſapiens, ſumme bonum, & in omni perfectionis genere infinitum. Jam ajunt: Deus eſt totius orbis Creator, firmamentum naturæ, omnis gratiæ Auctor, Redemptor hominum, Beatorum merces, & æternæ beatitudinis objectum. Jam ut varia beneficia, quæ Deus hominibus impendit, explicent, dicunt: Deus eſt amicus fidelis, afflictorum conſolator, errantium dux, animarum medicus, in eo ſperantium protector, omnium hominum Pater, bonitatis oceanus, & perpetuus miſericordiarum torrens. Et tandem, ut paucis multa explicent, dicunt, quod Deus eſt id, quo nil majus, nil melius, nilque perfectius excogitari poteſt. Fateor, Deum multiplicatis hujuſmodi titulis laudari poſſe: ſicut & eum laudaret qui diceret: in Deo eſt omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile; in eo ſunt omnes divitiæ, omnis gloria, omnis majeſtas, omnis potentia, & omnis ſapientia: in eo tandem modo infinito eſt quidquid creatura rationalis amare, & concupiſcere poteſt, ut illi bene ſit. Sed hominum ſapientiſſimus Salomon docet modum abbreviatum & perfectum divinarum perfectionum Panegyricum conficiendi, dicens, eum omnibus in rebus eſſe: *Conſummatio ſermonum: ipſe eſt in omnibus. Eccli. 43. 29.* Quaſi dicat, quidquid ad Dei laudem & gloriam dici poteſt, pauciſſimis his verbis continetur: *Deus eſt in omnibus.* Vel, ut habet verſio græca: *Deus eſt omnia.* O præclarum & facilem modum laudandi Deum! vis eum breviter laudare? Non dicas, Deus eſt hoc, Deus eſt illud: ſed duobus verbis dic: *Deus eſt omnia*: & perfectam ad ejus gloriam orationem conficies: quia Deus non ſolum eſt quidquid de eo in ſpeciali dicere poſſes: ſed *omnia eſt*, vel formaliter, vel eminenter.

Ait Moyſes ad Deum: ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi, quod eſt nomen ejus; quid dicam eis? Dixit Deus ad Moyſen: *Ego ſum qui ſum. Exod. 3. 14.* Sic dices filiis Iſrael, *qui eſt*, miſit me ad vos. Cur vocat ſe Deus, eum *qui eſt*? Nonne dici poteſt de quolibet lapide, de quovis bruto, & de quovis homine, quod *eſt*? Nonne omnes Angeli, omnes homines, & omnia creata æque vere ſunt, ac Deus? Omnes ſane creaturæ haud dubie ſunt, & vere ſunt, & ideo videtur, Deum non ſatis ſe a creaturis diſtinguere, cum ait ſe eſſe eum qui eſt: *Ego ſum qui ſum: qui eſt, miſit me ad vos.* Falleris, o homo, qui ſic ratiocinaris. Fateor quidem, Deum eſſe, & creaturas etiam vere eſſe: ſed maxima eſt differentia inter eſſe Dei, & eſſe creaturarum: quia Deus eſt a ſe, & creaturæ ſunt ab alio, Deus eſt ab æterno, & creaturæ ſunt ſolum in tempore: eſſe creaturarum eſt dependens, & eſſe Dei eſt independens, eſſe creaturarum eſt limitatum, & quælibet creatura ita eſt hoc ens, ut non poſſit eſſe aliud ens; eſſe vero Dei eſt illimitatum, infinitum, & ut ait D. Dionyſius, Deus eſt ita hoc ens, ut ſit, & complectatur omne ens, *Deus*, inquit, *non quovis modo eſt ens, ſed ſimpliciter, & incircumſcripte, totum eſſe pariter complexus & anticipans. S. Dionyſ. ib.* Ne credas, Deum habere eſſe dependens & limitatum inſtar creaturarum: habet enim eſſe independens, & infinitum complectens omnia entia, non ſolum actu exiſtentia, ſed etiam futura, quorum omnium perfectiones poſſidet eminenter, & per anticipationem, antequam illa exiſtant in ſemetipſis. Quia ſicut imago antequam fiat eſt, & perfectius eſt in mente artificis, quam deinde ſit in ſeipſa, ſiquidem in artificis mente quodam modo vivit, & quidem eadem ipſa vita artificis: ita omnes creaturæ ſunt in Deo, & Deus eſt omnia entia, non ſolum quando ea exiſtunt, ſed etiam per anticipationem, & antequam exiſtant, quia tunc in eo ſunt, tamquam in principio ſuo, a quo manare debent. Et ſic Deus eſt omne ens, *Totum eſſe pariter complexus, & anticipans.*

Ne imagineris, Deum ita eſſe unum ens, ut omnia alia a ſe entia excludat, eſt enim unum ens, quod omnia alia entia in ſe complectitur, & ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus, *Deus univerſum eſſe in ſeipſo continet, tamquam infinitum quoddam, & interminatum eſſentiæ Pelagus. S. Gregor. orat. in Natalit.* Cum mare dicimus, identidem omnia flumina, rivulos omnes, omnes fontes, omneſque mundi aquas quodammodo dicimus, quia omnes hæ mediate, vel immediate a mari oriuntur: ſic cum Deum dicimus, identidem omnia penitus entia dicimus, quia Deus eſt quaſi infinitum quoddam Pelagus, a quo ea omnia oriuntur. Et ideo præclare dixit D. Dionyſius, Deum eſſe omnia, quia omnia a Deo, tamquam a principio & cauſa ſua, procedunt, *Deus omnia eſt, tamquam omnium cauſa. D. Dionyſ. ib.* Effectus, ut ait Doctor Angelicus, perfectius eſt in cauſa ſua, quam in ſemetipſo, quare cum omnes creaturæ ſint effectus, qui a Deo, tanquam a prima cauſa, producti ſunt, dicendum, quod omnes creaturæ ſint in Deo, & quod Deus ſit quodammodo omne ens, quia eſt omnis entis cauſa & principium, *Deus omnia eſt, tamquam omnium cauſa.*

Perbelle dixit S. Gregorius Nazianzenus, Deum eſſe omne ens, & nullum eſſe ens creatum, *Tu omnia, tu nihil rerum. S. Greg. in Carm.* Si Deus eſt omnia, quomodo eſt nihil rerum? Si eſt nihil rerum, quomodo eſt omnia? Deus ſane ſimul & ſemel & eſt nihil rerum, & eſt omnia. *Eſt nihil rerum*: quia non eſt formaliter Angelus, non eſt formaliter homo, lapis, vel alia aliqua creatura. hoc enim nec eſt, nec eſſe poteſt. Licet autem Deus non ſit aliqua creatura formaliter, eſt tamen *omne ens formaliter, vel eminenter*. Dixi, *formaliter*, quia ſunt aliquæ perfectiones in creaturis, quæ nullam in ſe imperfectionem includunt, ut bonitas, ſapientia, juſtitia, & hæ formaliter, modo tamen infinito, ſunt in Deo, qui eſt formaliter bonus, ju-

ſtus,

ſtus, ſapiens. Sed aliæ ſunt perfectiones, quæ non ſunt ſimpliciter ſimplices, quæ ſcilicet, quamvis ſint vere perfectiones, ſunt tamen imperfectæ in hoc quod aliquid perfectius excludant, & ſic eſſe arboris, eſſe plantæ, eſſe bruti, ſunt entia corporea, quæ ſunt bona, & ſuo modo perfecta, ſed imperfecta in hoc quod excludant ſpiritualitatem, quæ eſt quid longe perfectius, & iſta bona non ſunt formaliter in Deo: maxima enim blaſphemia eſſet dicere, Deum eſſe formaliter Solem, lapidem, vel aliquod aliud ens creatum. Sed licet Deus non ſit formaliter aliquod ens creatum, verum tamen eſt, quod ſit omnia entia creata eminenter, quia omnia ab eo, velut ab origine & a primo ſuo principio, procedunt. Et ſic licet Deus non ſit formaliter aliqua creatura, eſt tamen omnia, quia omnia ab eo manant. Deus omnia eſt, tanquam omnium cauſa, *in qua omnia unice ſunt conjuncta, ſuperunica, & praexiſtentia ſupereſſentialiter. D. Dionyſ. ibid.*

O homo, ſurſum cor tuum ſubleva, ut contempleris Deum tuum, in quo omnia, a quo omnia, & qui omnia eſt, *Deus meus, & omnia. Auguſt.* Admirare Deum tuum, eum ſolum dilige, ei toto corde adhære, quia hic eſt unus & omnia, ipſe eſt unum bonum omnia continens bona, & unum ens, quod ſimul omnia eſt.

Soli Deo adhærebat, eoque ſolo potiri optabat Propheta, quia quæcunque deſiderare poterat, in eo collecta, & unita inveniebat, *a te quid volui ſuper terram? Pſ. 72. 25.* Deo ſimiliter dic, & ex corde dic, te ſolum diligo, te uno frui cupio, ad te omnia mea diriguntur vota, nilque volo præter te, Domine, quia tu omnia es, *a te quid volui ſuper terram?*

O quanta hominum cæcitas, qui derelicto Deo, corda ſua vilibus creaturis conſecrant! Ut quid per multa vagaris homuncio? Unum quære bonum, in quo omnia bona. Ne imiteris miſeros illos peccatores, qui pro momentanea voluptate, & pro modico lucro Deum, in quo omnia bona, & qui omnia eſt, impudenter derelinquunt, ſed ei totis affectibus adhære, nec illum per peccata tua a te unquam expellas.

Cum Tobias a peregrinatione, quam ſuſceperat, non reverteretur, flebat pia mater, eamque tædebat, & pœnitebat, quod filium dimiſiſſet, dicens, *Omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis. Tob. 10. 5.* Dic ſimiliter Deo, per peccata a te ſeparari non debueram, pœnitet me, quod a te declinaverim, teque, peccatis adhærendo, dereliquerim, ſed nunquam amplius a te ſeparabor, tibi toto vitæ meæ tempore adhærebo, quia tu Deus meus, & omnia es. Sed ſi Deus omnia eſt, *Deus etiam omnia habet.*

## SECUNDA PARS.

*Deus omnia habet.*

DUplex in genere eſt dominium, juriſdictionis unum, & proprietatis alterum. *Dominium juriſdictionis*, eſt poteſtas gubernandi ſubditos. *Dominium proprietatis*, eſt poteſtas legitima, ſeu jus quod quis habet diſponendi de re aliqua pro ſuo arbitratu, ita ut poſſit illam dare, conſumere, vaſtare, & de ea prout placuerit diſponere, ſine cujuſquam injuria.

Certum eſt autem, in Deo perfectiſſime & eminentiſſime eſſe dominium juriſdictionis ſuper omnes creaturas rationales, quia ipſe ſupremam in omnes, omni loco, & tempore, quoad omnia juriſdictionem habet, tamquam *Rex regum, & Dominus dominantium. 1. Tim. 6.* Nec aliquis dubitat, quin ille ſit ſupremus Legiſlator, qui pro ſuo arbitrio poteſt nobis leges imponere, vel laxare, qui, prout libuerit, poteſt permittere, & prohibere, qui omnes juxta merita aut demerita, præmiare, aut punire poteſt, qui tandem eſt Rex omnipotens, in cujus ditione cuncta ſunt poſita, *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Eſther 13. 9.*

In Deo ſane eſt dominium juriſdictionis in omnes creaturas rationis compotes, ſed in eo eſt etiam dominium proprietatis in omnes omnino creaturas, quarum omnium eſt perfectiſſime Dominus, & quæ omnes ad ipſum attinent. Ut enim ait Propheta, *Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo. Pſalm. 23. 1.* Quæ verba exponens Doctor Seraphicus, ait, quod non ſolum terra, & omnia quæ in ea ſunt, ſed etiam Cælum, & omnia quæ intra Cæli concavum continentur, ad illum pertineant, *Domini certe non ſolum terra, & plenitudo ejus: immo etiam Cælum, & plenitudo ejus. S. Bonav. in Spec. B. Virg.* Vide, quot aves in Cælo, quot piſces in mari, quot plantæ, quot animantia, quotque aliæ creaturæ ſunt in terra, admirare omnium creaturarum multitudinem, & pulchritudinem, & ſcito, quod earum omnium dominium habeat Deus jure creationis, quia eas omnes creavit, nec eſt ulla, quæ de manu ejus non procedat.

Qui magni, & potentes ſunt in ſæculo, dominium in res ſuas habent, aut occupatione, aut donatione, aut ſucceſſione, aut emptione: Deus autem non habet dominium proprietatis in omnes creaturas *occupatione*, quaſi res antea nullius fuerint Domini, & ipſe veluti in vacuam mundi poſſeſſionem ſit ingreſſus; ante ipſum enim non erat mundus, nec aliquis mundi Dominus. Non habet etiam Deus dominium proprietatis in creaturas *donatione, ſucceſſione, vel emptione*, ita ut illud Deus ab alio comparaverit, non enim ab alio hæc comparare potuit, cum ante mundi creationem non alius, ſed ipſe ſolus in ſe eſſet. Sed omnium rerum dominium habet Deus *titulo creationis*, quia omnes omnino creaturæ ab eo ſunt, ut a principio, & cauſa, a qua ſunt e nihilo eductæ, & a qua continue conſervantur.

Hic titulus eſt præſtantiſſimus, & ſummum jus in omnes creaturas Deo tribuit. Cum enim omnia ſolus creaverit, cum totum eſſe rerum omnium ſua ſapientia, ſuaque omnipotentia finxerit, cumque omnia ab eo indeſinenter conſerventur, ita ut ſi vel unico momento ea ſuo influxu privaret, mox ad nihilum redigerentur, inde ſequitur quod ſumma, & eſſentialis ſit dependentia creaturarum a Deo, quodque eſſentialiter ei ſubjiciantur, & per conſequens, quod ratione creationis, ſummum in eas dominium habeat. Non enim poteſt eſſe majus jus, aut dominium, quam ſit illud quod competit ratione dependentiæ, & ſubjectionis eſſentialis.

Hoc creationis titulo, in Libro Eſther inſinuatur, Deum habere proprietatis dominium in omnes crea-

Digitized by Google

creaturas, his verbis, *Domine, tu feciſti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur, Dominus omnium es; Eſther* 13. 10. Seu, ut clare, & præclare explicat Doctor Seraphicus, (Domini omnia ſunt propria, cælum, & terra, corporalia & ſpiritualia, omnis natura, omnis gratia, omnis cæleſtis gloria, omnia ſunt Domini propria.) Sed quo titulo ea ſunt Domini propria? Titulo creationis, ſeu, quia ipſe omnia condidit, *Tu feciſti cælum & terram, Dominus omnium es. D. Bonav. ibid.*

Hoc Dei in omnia creata dominium explicat divus Paulus ſimilitudine dominii, & juris quod habet figulus in vas fictile quod fecit: O homo, inquit, *tu quis es, qui reſpondeas Deo? Rom.* 9. Seu, tu quis es, qui a Deo factorum rationem exigas? *Numquid dicis figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Quibus verbis oſtendit, quod ſicut figulus habet perfectum dominium in vas fictile quod fecit: ita ut poſſit illud conſervare, vel frangere; & eo ad honeſta vel ſordida, prout voluerit, miniſteria uti, quin de eo poſſit vas conqueri; ſic in omnes omnino creaturas Deus perfectum proprietatis habet dominium: ita ut eas, tamquam res ſuas, annihilare, vel conſervare, iiſque ad libitum uti poſſit, nec quiſquam de injuria conqueri, aut rationem factorum poſſit exigere: quia ille omnium Creator & Dominus eſt; *Tu Dominus omnium es.*

Hæc ſimilitudo figuli, clariſſime explicat dominium proprietaris quod Deus in omnes habet creaturas, ſed longe adhuc majus eſt dominium Dei in omnia creata, quam figuli in vaſa, quæ fecit. Quia figulus non habet dominium perpetuum in vaſa, quæ fecit, cum enim ea alteri dedit, vel vendidit, nullum amplius in ea habet dominium; Deus autem perpetuum in omnia creata habet dominium, nec poteſt hoc dominio, ad unicum momentum, ſpoliari. Verum eſt, quod Deus hominibus, omnia quæ habent, dederit, quodque iis dare non deſinat; ſed ita dat, ut eorum quæ dat, ſemper dominium retineat. Unde licet cunctis, & ſemper ſua diſtribuat, non tamen inde minus ſit dives, quia eorum quæ dat, ſemper Dominus remanet; *Dat cunctis Dominus, nec habet minus.* Et ideo Sanctus Dionyſius ſummam Dei in creaturas liberalitatem vocat *ſuper plenam largitionem, S. Dionyſ. cap.* 13. *de Div. nom.* quia ſcilicet Dei largitionibus non evacuantur theſauri ejus, nec quocumque modo minuuntur, ſed ſemper pleni perſtant, cum enim dat, nihil amittit, ſed ſemper plenus, & æque dives remanet. Poſtquam unum dedit Regnum, unum Imperium, immo & totum terrarum orbem, non ideo minus dives eſt, quia ea quæ dedit, ad eum attinent, & in ea primarium ſemper & ſupremum habet dominium; nec aliquid habere poſſumus, quod ad Deum non attineat. Unde divus Auguſtinus, Deum alloquens, ait, *Quis habet quidquam non tuum, Domine? Auguſt. Manual. cap.* 1. Nullus utique; quia Deus ita omnia dat, ut in ea quæ dat, dominium proprietatis retineat, ſemperque ſit Dominus omnium.

Deum vocat Sanctus Dionyſius *inegreſſibilem ſingularitatem; S. Dionyſ. cap.* 2. *de Div. nom.* quia Deus in hoc eſt inter dominos ſingularis, quod alii e locis, quorum ſunt Domini, egrediantur, vel egredi poſſint; Deus vero e loco dominationis ſuæ nunquam egrediatur, nec egredi poſſit: tanta enim a Deo eſt creaturarum dependentia, ut ab illius dominio nulla ſubtrahi valeat. Vides omnes creaturas quæ in cælo, quæ in terra, & ubique ſunt; & ubicumque creaturas videris, dic: hæ creaturæ ad Deum attinent, earum Dominus eſt, dominio ejus ſubjacent; Deus ab earum dominio ſubtrahi, neque a loco dominationis ſuæ egredi quomodocumque poteſt; ac impoſſibile eſt, aliquam eſſe creaturam, quæ ejus poteſtati & dominio plene, perfecte, & totaliter non ſubjiciatur.

O quam dives eſt Deus! Cum ejus ſint omnia creata. Non hoc ſolum, vel illud regnum Deus habet: ſed omnia regna, omniaque creata ad eum attinent. Domini eſt terra, Domini eſt cælum, Domini ſunt omnia creata, de quibus ut de rebus ſuis ad libitum ſtatuere poteſt.

O homo! poterat Deus nullum tibi dare bonum; nec ideo aliquam tibi feciſſet injuriam; quia cum ſit Dominus omnium, cunctis ad arbitrium uti poteſt; & penes eum eſt ea dare, vel non dare; & ea dare cui, quando, & quomodo voluerit. Tanta tamen ejus fuit in te bonitas, ut tibi miſero, tibi indigno, tibi ingrato innumera bona contulerit. Quid enim habes, quod a Deo non acceperis? A quo habes domum, in qua habitas, panem, quo paſceris, divitias, quibus frueris? Nonne a Deo? A quo habes memoriam, intellectum, corporis ſanitatem, oculos, manus, ſcientiam, & omnia alia tam ſpiritualia, quam temporalia bona quæ poſſides? Nonne a Deo? Omnia ſane a Deo habes; quare æternas benefactori tuo gratias rependere teneris.

Aulici, accepto aliquo officio, vel aliqua penſiuncula annua a Principe, ſemper ſe ei obſtrictos agnoſcunt, illius ſe ſervos ubique profitentur, omnique ſtudio ei ſervire conantur. Sed quanto magis Deo gratias agere, eique fideliter, & ſummo cum affectu ſervire debes, cum ab eo & te, & omnia tua habeas? Ne ergo pecces in Dominum tuum, & in benefactorem tuum, ne illi injuriam irroges; ſed fideliter obſequere ei, qui omnia habet, & a quo omnia habes. Sed ſi Deus omnia eſt, & omnia habet; *omnia etiam poteſt.*

## TERTIA PARS.

### *Deus omnia poteſt.*

REgulus eſt quilibet Regum terræ, ſi conferatur cum Deo, qui eſt *magnus Dominus, & Rex magnus.* Terrenorum enim Regum regna anguſtiſſimis contineantur terminis; ſummi vero Regis Imperium, quidquid conditum eſt, ſuo continet ſinu. Illi paucis mortalibus imperant; Deus vero omnibus tum viventibus, tum vita functis dat jura. Illi breviſſimo temporis ſpatio aliis dominantur; Deus vero in totam imperat æternitatem. Illi terrenos habent Thronos; Dei vero Thronus cælum eſt; *Cælum ſedes mea. Iſaiæ* 66. Sed quod magis cæleſtis Regis magnitudinem prædicat, & manifeſtat, eſt ejus potentia independens & infinita; cæteri enim Reges aliqua ſolummodo poſſunt, eaque poſſunt dependenter a Deo; Dei vero potentia eſt independens & infinita; quia Deus a nullo dependet; & omnia po-

Digitized by Google

poteſt quæ poſſibilia ſunt, *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt. Matth. 19. 26.*

Aliquem potentiæ divinæ radium adnotare poſſumus in creaturis quas produxit. Videte terram, cujus circuitus ad ſeptem mille leucas gallicas, & ultra, protenditur. Inſpicite aquam, aerem & ignem; quæ elementa ſunt ipſa terra longe ampliora. Surſum mentes erigite ad contemplandum portentoſam cælorum magnitudinem; ſi enim tanta eſt elementorum magnitudo, quanta eſt magnitudo cæli Lunæ, intra cujus concavum omnia elementa clauduntur? Quanta eſt magnitudo cæli Veneris, cæli Martis, & aliorum cælorum, qui cælo Lunæ longe altiores & ampliores ſunt? Certe tanta, ut vix ab humano ingenio concipi poſſit. Dicunt Aſtrologi quamlibet ex illis Stellis, quas inſtar Candelarum in Firmamento lucentes videmus, eſſe omni terrarum orbe multo majorem, ſi autem tanta eſt magnitudo cujuslibet Stellæ, quæ in Firmamento eſt; quanta eſt magnitudo ipſius Firmamenti, in quo ſunt tot, & tantæ magnitudinis Stellæ? Quanta adhuc eſt magnitudo primi mobilis, quod ſupra Firmamentum eſt? Quanta tandem magnitudo Empyrei, quod ſupra omnes alios cælos elevatum eſt? Certe cæleſtium illorum globorum tanta eſt magnitudo, ut humanæ mentis captum ſuperet. Sed a quo factæ ſunt tam immenſæ cælorum moles? a Deo utique, qui *in principio creavit cælum & terram. Geneſ. 1. 1.* Quomodo hæc a Deo facta ſunt? Non quidem multo labore; ſed unico voluntatis ſuæ actu; *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt.* Nec credas in unico hoc mundi opere exhauſtam eſſe Dei potentiam; quia ſicut unico voluntatis ſuæ actu totum perfecit mundum; ita unico voluntatis ſuæ actu mille & innumeros mundos, iſto pulchriores, ampliores, & præſtantiores facere poſſet. Mirare Dei potentiam in iſtius mundi opere; ſed & eam in infinitum majorem eſſe credas; quia innumeros mundos iſto majores, immo & quidquid poſſibile eſt, facere poteſt; cum ipſe ſit omnipotens, & omnia ſint ei poſſibilia; *Ego Deus omnipotens.*

Infinitam Dei potentiam perfecte noverat Job, vir ſanctiſſimus; cum, Deum alloquens, dicebat; *Scio, quia omnia potes. Job 42. 2.* Seu, ut explicat Liranus; *Scio qui omnia potes quæ poſſibilia ſunt.* Centum alii mundi ſunt poſſibiles; hoc poteſt Deus. Mille & centum mille mundi ſunt poſſibiles, hoc poteſt Deus. Quidquid tandem non ſolum mens humana, & mens Angelica; ſed etiam quidquid mens divina poteſt facere: quia omnia poſſibile, hoc Deus poteſt facere: quia omnia poſſibilia agere poteſt; *Scio quia omnia poteſt, quæ poſſibilia ſunt.* Quam mirabilia, & quam multa fingere poteſt mens humana? Quanto mirabiliora, majora, & plura mens Angelica? Sed in infinitum plura, & magis miranda, poteſt mens divina concipere; quidquid autem homines, Angeli, & Deus, ut poſſibile concipere valent, hoc omne Deus ſolo nutu, ſolo verbo poteſt in opus explicare, & facere; quia Deus omnia quæ ſunt poſſibilia, poteſt facere.

Deus facere non poteſt quod eſt impoſſibile, quod fieri repugnat, & quod contradictionem implicat; quia quod eſt impoſſibile, fieri non poteſt. Sed Deus poteſt facere omne quod naturaliter, & ſupernaturaliter poſſibile eſt; modo hoc malum non ſit. Unde axioma apud Theologos commune hoc eſt; quod *Deus facere poteſt quidquid non dicit imperfectionem, nec involvit contradictionem.* Deus quidem facere non poteſt peccatum, & quidquid dicit imperfectionem; nec ideo minus potens eſt, quia, ut ait D. Thomas, *peccare eſt deficere*; Et ſi Deus peccare poſſet, debilis eſſet, & non omnipotens. Deus etiam non poteſt facere quidquid involvit contradictionem, ſeu, quidquid ſimul & ſemel includit eſſe & non eſſe; & ſic non poteſt facere baculum ſine duobus terminis; ſi enim in eo non eſſent duo termini, eſſet ſimul *baculus*, ut ſupponitur, & eſſet etiam *non baculus*; quod repugnat; quia idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe. Nec ideo inferendum, quod Deus ſit minus potens, vel quod non ſit omnipotens; quia ſi hæc res a Deo fieri non poſſit, hæc impoſſibilitas ſe tenet ex parte rei, ut ait D. Thomas, quæ fieri non poteſt, & quam fieri repugnat; ſed non ſe tenet ex parte Dei, cujus poteſtas eſt infinita, & qui omnia quæ poſſibilia ſunt facere poteſt.

Dei ſapientia eſt quaſi regula & menſura divinæ potentiæ, quoad ea quæ exterius a Deo fiunt. Sicut *in Moralibus* dicimus, prudentiam eſſe regulam virtutum & actionum humanarum; ita & in perſonis divinis ſapientia eſt regula potentiæ, quoad operationes externas. Sicut in perſonis divinis eſt eadem ſapientia, ita & eadem potentia; & ſicut in iis ſapientia eſt infinita, ita & infinita eſt potentia; Cum tamen Deus ad extra ſuam manifeſtat potentiam, hoc fit, quia, & quando hoc conveniens eſſe judicat ejus ſapientia. Si ſuam Deus in opere creationis manifeſtavit potentiam, cum mundum creavit, hoc ex infinitæ ſapientiæ ſuæ ordinatione factum eſt; & jam Deus plures Soles, & plures Mundos non facit, quia hoc non congruum indicat infinita ejus ſapientia. Si enim æterna ejus ſapientia dictaret, mille Soles, & mille Mundos iſto pulchriores eſſe faciendos, mox ejus potentia illos faceret; quia Deus, qui eſt omnipotens, omnia facere poteſt, quæ ab infinita ejus ſapientia, ut poſſibilia concipiuntur; & omnia facit, quæ infinita ejus ſapientia dictat eſſe facienda; nilque ei eſt impoſſibile eorum quæ poſſibilia ſunt; *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Luc. 1. 37.*

O quam magna Dei eſt potentia! Et quis Deo, qui omnia poteſt, obtemperare renuet? Heu! ſi non ſolum Angeli, verum & ignis, grando, nix, glacies, necnon aliæ omnes creaturæ ſenſu carentes, Deo in omnibus obediant: cur tu, o homo, qui ratione præditus es, Deo qui omnia poteſt, non parebis? Videmus, quod qui terrenis ſerviunt Principibus, magna reverentia coram illis ſe gerant, & illis in omnibus obſequantur: quanto tu majori reverentia Deo, qui maximus & potentiſſimus eſt, ſervire, & in omnibus obtemperare debes?

O homines! ſervite Domino, obtemperate Domino: ſed & eum timete; quia omnia poteſt; *Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Luc. 12. 4.* Ecce qui timendus ſit. Et ſane quis non timeat eum, qui cum omnia poſſit, poteſtatem habet

mit-

mittendi in infernum, & æternis tartari ſuppliciis adjudicandi; Timemus tortores, & tyrannos, qui brevi aliquo tempore nos cruciare, & qui vitam corporis auferre poſſunt: ſed quanto magis timere debemus Deum, qui cum omnia poſſit, poteſt nos in ardentiſſimam inferni fornacem præcipitare, ibique in æternum nos torquere? Timete eum, qui cum ſit omnipotens, horrenda hac pœna vos plectere poteſt.

Sed & in eo confidite: ſi enim Deus omnia poſſit, poterit a nobis omne malum avertere, poterit impedire, ne omnes homines, omnes dæmones, omneſque creaturæ, vel in minimo nobis noceant: poterit & impedire, ne in infernum cadamus. Hæc poterit facere, & hæc faciet, ſi ei fideliter obſequamur. Quare ſervite Domino in timore, ſervite ei in ſpiritu & veritate, & confidite, quod per potentiam ſuam a temporalibus, & æternis vos præſervabit malis, quodque ſempiterna in Cælo vobis bona conferet, *Amen*.

## DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

# DE VIA AD CÆLUM.

*Rectas facite ſemitas ejus.* Luc. 3. 4.

POſt exitioſum Adami lapſum, a Cælo exulaverunt homines, prohibitum illis fuit ingredi in æterna Tabernacula, & quaſi generali interdicto eis clauſæ fuere Paradiſi fores, ita ut cæleſte Regnum adipiſci, & æternam Beatitudinem nullus hominum aſſequi quomodocumque poſſet. At Chriſtus Dominus, ut ſummus Pontifex, formidandum hoc ſuſtulit interdictum. Cruce ſua, velut clave aurea, Paradiſi januas aperuit, noſque docuit vias quas tenere debemus; ut ad cæleſte Regnum ire & pervenire valeamus.

A Cæli via aberraverunt Adamus, & ab ea aberrant omnes filii ejus; ſed Chriſtus in hunc mundum veniens, novas inſtituit vias, quaſi ſi teneamus, in Cælum recta ibimus: *Initiabit nobis viam novam. Hebr.* 10. 20. Inſpiciamus, quæſo, hunc ſalutis Doctorem, faciamus juxta hoc exemplar, quod nobis monſtratum eſt, videamus quibus viis inceſſerit Chriſtus, eaſdemque quas ipſe ſemitas teneamus, ut ad cælum directe tendamus, & aliquando perveniamus. *Rectas facite ſemitas ejus*; Quæ ſunt illæ viæ quas quiſque tenere debet ut ad cælum pergat, iſta docebit Concio, &c. *Ave*.

CUm Chriſtus ſit exemplar quod imitari, & Dux quem ſequi quiſque debet, ut ſciamus quibus viis incedere, & ad cælum aſcendere debeant homines, ſedulo ſcrutandum, quas ipſe vias tenuerit, quibuſque viis ad cælum aſcenderit. Hæ autem viæ quibus in hoc mundo Chriſtus inceſſit, ut ad cælum aſcenderet, ſunt crux, mundi contemptus, & obedientia. Prima via quam Chriſtus tenuit, eſt *crux*, gravia etenim perpeſſus eſt, ut æternam beatitudinem, ſibi quidem aliis titulis debitam, compararet: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc.* 24. 25. Secunda via qua inceſſit Chriſtus, eſt *mundi contemptus*: ſæculi enim auram, & gloriam ita contempſit, ut leges ejus oppugnaverit, ſeque de hoc mundo non eſſe proteſtatus ſit: *Ego non ſum de hoc mundo. Joann.* 8. Tertia via qua perrexit Salvator, eſt *obedientia*: ideo enim ſuper omnes in cælos exaltatus fuit; quia Patris voluntati in omnibus obtemperavit; *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum. Philip.* 28.

Ecce ſemitas quibus inceſſit Chriſtus, & ecce identidem vias quas quiſque tenere debet ut ad cælum eat: ut enim ad cælum pervenire poſſimus, non fugienda crux, ſed pro Dei amore portanda, non æſtimandus mundus, ſed contemnendus, non deviandum a Lege, ſed ei fideliter obediendum. Crux tandem, mundi contemptus, & obedientia, ſunt tres ad cælum viæ. *Crux* quidem quia quiſque in hoc mundo propter Deum pati, & crucem portare debet, ut ſalvetur: *Mundi contemptus*, quia quiſque mundi honores & leges ſpernat neceſſe eſt, ut cælo dignus fiat: *Obedientia*, quia divinis Legibus quiſque obedire tenetur, ut ad cæleſtia Regna perveniat. *Crux, mundi contemptus, obedientia*: en tres ad cælum viæ, & en etiam tres hujus Concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Crux eſt via ad cælum.*

AUdiſtis non ſemel Concionatores, dicentes, crucem eſſe viam ad cælum: hoc crebro audiſtis, & quia ſæpe audiſtis, ad hæc verba parum attenditis, & vix eſt qui ſibi ſuadeat, firmiterque credat, crucem & paſſiones eſſe viam qua ad cælum itur. De hoc tamen nullatenus dubitandum, quia ſi Spiritui Sancto credamus, non per delicias & voluptates ſæculi, ſed *per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Act.* 14. 24. Hac in re nullo modo ambigendum, quia ſi Chriſtus, Dei Filius Unigenitus, per crucem & paſſionem ad cælum aſcendit, quis cenſeat, alios homines via deliciarum & voluptatum poſſe ad cælum ire? *Sic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*; quis judicet, alios homines ad gloriam non ſuam, & ad æternam beatitudinem ſine ulla paſſione poſſe pervenire? Si Chriſtus, ut ait Tertullianus, *favos poſt fella guſtavit, nec antea Rex Gloriæ a cæleſtibus ſalutatus eſt, quam Rex Judæorum proſcriptus in crucem; Tertull. de Coron. mil. c.* 14. quis æſtimet, alios homines cæleſtis beatitudinis mella in Paradiſo guſtaturos, ſi prius fel, & amaritudinem paſſionum in hoc mundo non prælibarint? Certe in hoc mundo portanda crux, ut via regia crucis eamus in cælum, & ſi cum Chriſto in hoc mundo crucem non portemus, nec dura ſuſtineamus, cum illo in Paradiſo non regnabimus: *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus.* 2. *Tim.* 2. 12.

Eſt quædam via, quæ hominibus, juxta mundi leges viventibus, videtur recta, quæ tamen non recta, ſed curva & obliqua eſt; & ideo non Paradiſum, ſed ad infernum duxit. *Eſt via quæ videtur homini juſta: noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Prov.* 14. 12. Via illa, quæ videtur, & quæ revera non eſt juſta, & recta, eſt via florida, & amœna voluptatum, bonorum, & divitiarum ſæculi; qui enim hanc viam tenent, ſæpe credunt, & imaginantur, ſe via cæli incedere, falluntur tamen, quia hæc via, quæ iis videtur recta, ad infernum ducit. Sed alia eſt via, quæ vere recta eſt, qua juſtos Deus ad cælum dedu-

Digitized by Google

deducit: *Juſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Sap. 10. 10.* Iſta via recta, qua directe in cælum itur, eſt via crucis, & adverſitatum, iſta via, per quam juſtos deducit Dominus, eſt via laborioſa, via pœnitentiæ, via virtutis, via crucis; Iſta via eſt vere recta; quia qui eam tenent non aberrant a via cæli, nec declinant ad dexteram vel ad ſiniſtram, ſed directe ad Paradiſum tendunt. Et ideo Chriſtus, qui via rectiſſima ad cælum aſcendit, homines ad hanc viam tenendam invitat, dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, quotidie, & ſequatur me. Luc. 9. 23.* Quaſi dicat, ego ad cælum pergo via crucis, quæ eſt via rectiſſima, ſi vos ad cælum aſcendere cupitis, hac eadem incedite via, alioquin in cælum non ingrediemini: Ecce viam rectam, quam neceſſario tenere debent qui in cælum aſcendere cupiunt, ut enim ait Thomas a Kempis; *Non eſt ſalus animæ, nec ſpes æternæ vitæ, niſi in cruce. Tolle ergo crucem tuam, & ſequere Jeſum, & ibis in vitam æternam. De Imit. lib. 2. c. 12.*

Duplex a Chriſto Domino nobis proponitur via, lata una, & anguſta alia; via lata & ampla, eſt via deliciarum, via arcta & anguſta, eſt via virtutis, & crucis: viam amplam & ſpatioſam ſequuntur impii, viam arctam & anguſtam tenent juſti. Duplicem hanc viam præclare deſcribit S. Ambroſius his verbis: *Duæ ſunt viæ una juſtorum, altera peccatorum: una æquitatis, altera iniquitatis. Juſtorum via anguſtior eſt, injuſtorum latior, illa ſobrietatis anguſtior, illa ebrietatis latior. Ambr. in Pſalm. 1.* Et paulo infra comparans latam hanc viam cum anguſta, ait: *Hic libertas cupiditatum, illic ſervitutis injuria, hic convivium, illic jejunium, hic intemperantia gaudiorum, illic perſeverantia lacrymarum, hic ſaltatio, illic oratio, hic cantus dulces, illic gemitus graves.*

Ecce vias toto cælo oppoſitas, ſed quo ducunt hæ viæ? Quonam via lata ducit, & quonam ducit via arcta? Lata via ducit in longinquam inferni regionem, in qua fames eſt valida, ſitis acerba, dolores continui, & cruciatus ſempiterni: *Spatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem. Matth. 7.* Arcta vero via in feliciſſimam Paradiſi ducit regionem, quæ omnibus divitiis, honoribus, voluptatibus, deliciiſque exundat; *Arcta via eſt quæ ducit ad vitam. Ibid.* Qui per viam latam & deliciarum ambulant, habent dæmonem ducem, inquit S. Baſilius, & ideo eunt in infernum; *Via illa facilis & lata, pronoque curſu declivis, habet decipientem dæmonem malum, qui per voluptatem ſe ſequentes ad perditionem trahit. S. Baſil. in Pſal. 1.* Sed e contra, ut ſubdit Baſilius, qui via arcta crucis, & mortificationis incedunt, a bono Angelo ducuntur, & ideo ad finem beatum, & ad cæleſtem beatitudinem pergunt. *Aſperæ vero & acclivi, & arduæ viæ Angelus præſidet bonus, qui per ſtrenuos labores ad finem beatum ſequentes ſuos deducit.*

O quam terribilis, & formidanda eſt via voluptatis & deliciarum, cum ducat in infernum! O quam amabilis, & optanda via crucis, & mortificationum, cum ad ſempiterna Paradiſi gaudia perducat! Perpauci tamen ſunt amatores crucis, pauci per viam ſpinis, tribuliſque adverſitatum conſitam pergere volunt. Cum ab hominibus quæritur, an velint ire in Paradiſum: reſpondent omnes, quod ſic: ſed cum deinde iis proponitur crux, ut via ad cælum, abeunt retrorſum. Si ab iis petas, an ſalvari velint; non eſt qui non reſpondeat, ſe ſalvari velle: ſed dic eis, quod ut ſalventur, debent injurias condonare, aliena reſtituere, cuique quod ſuum eſt tribuere, illicitis voluptatibus abrenuntiare, pœnitentiam agere; inordinatos paſſionum motus recte componere, carnem rebellem domare, & alia quævis aſpera, quæ in hominis Chriſtiani vita occurrunt, perferre; hoc opus, hic labor eſt: hanc viam crucis tenere renuunt: ſalvari vellent, crucem vero portare nollent. Sed ut ait præfatus Thomas a Kempis: *Non eſt alia via ad vitam, niſi via ſanctæ crucis, & quotidianæ mortificationis. Ambula ubi vis, quære quodcumque volueris; & non invenies altiorem viam ſupra, nec ſecuriorem viam infra, niſi viam ſanctæ crucis.*

Quare, o N. N. via crucis incedite: quæcumque dura & aſpera in virtutis via occurrunt, generoſe ſuſtinete; ut æternam beatitudinem aſſequamini. Non terreant vos labores hujus mundi, quia merces magna dabitur. Ne animo deficiatis, cum portanda vobis crux proponitur: quia eſt via quæ ducit ad regnum. Durum & grave ne cenſeatis crucem portare: quia quidquid patimur in hoc mundo, leve, & quaſi nihil eſt, reſpectu bonorum quæ obtinentur in Cælo.

Certi eſtote, quod ſi Cæli cives aliquid ex his quæ in hoc mundo ſunt, optare poſſent, noſtras utique cruces optarent, & in hunc mundum venire deſiderarent, ut cruce & mortificationibus ampliorem in Cælo coronam acquirerent. Optemus nos quod illi optarent, ſi aliquid deſiderare poſſent; optemus cruces, ambiamus pro Chriſto pati, ut via crucis ad Cælum ire, & infinitos gloriæ, omniumque bonorum theſauros in Cælo comparare valeamus.

Sed ſi durum vobis adhuc videtur crucem portare, inſpicite Reges, Principes, & omnes qui nunc cruciantur in inferno; mente revolvite, quanta hi pati vellent in hoc mundo; ut ab inferno liberarentur, & ut ad Cælum pervenire valerent. Certe, ut ajebat S. Guillelmus, ex Aquitaniæ Duce pœnitens Eremita factus: *His qui in inferno cruciantur abunde ſufficeret extra infernum ſaccus Hieronymi, tunica Benedicti, mattula Eulali, lacrymæ Arſenii, nuditas Apoſtoli, olla Eliſæi.* Hi ſane cruces noſtras leviſſimas cenſerent reſpectu Paradiſi quem expectarent. Duras ſimiliter non æſtimemus cruces, quæ in virtutis via occurrunt: eas amemus, eas amplectamur, eas generoſe portemus; cum crux ſit vera ad cælum via. Sed alia etiam eſt ad cælum via, nempe *mundi contemptus.*

## SECUNDA PARS.

*Mundi contemptus eſt via ad cælum.*

PEr mundum illum, quem contemnendum propono, non intelligenda immenſa hæc machina, ex cælis, ſideribus, & elementis compacta, quam Deus tanta arte creavit, & ordinavit, ut nihil in ea ſit, quod infinitam Auctoris ſui ſapientiam & potentiam non prædicet. Ille enim mundus non deſpiciendus, ſed æſtimandus: quia a Deo eſt, quia perfectus eſt, & quia omnia quæ in eo ſunt, non ſolum bona, ſed etiam valde bona ſunt: *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona. Gen. 1. 31.*

Ma-

Digitized by Google

Magnus ille mundus, qui in ſe bonus & perfectus eſt, dividi poteſt in cæleſtem & ſublunarem. Si autem cæleſtem cum ſublunari conferamus, mundus ſublunaris contemptibilis eſt reſpectu cæleſtis: quia in ſublunari omnia bona ſunt parva, tranſitoria, & malis permixta: in cæleſti vero bona omnia ſunt infinita, pura, & perpetua, quorum poſſeſſione Sancti in æternum beabuntur.

In mundo iſto ſublunari eſt alius mundus, qui, ut ait S. Joannes, *totus in maligno poſitus eſt*. 1. Jo. 5. 19. Iſte mundus, inquit S. Auguſtinus, eſt congregatio hominum impiorum, qui reguntur legibus peſſimis, exitioſis, & ad tartara ducentibus. Vel, eſt congregatio hominum peſſimorum, qui vivunt juxta mundi ſpiritum, qui non eſt alius, quam ſpiritus luxuriæ, & ſuperbiæ, avaritiæ, & aliorum vitiorum, quæ in mundo ſunt communia, ut enim ait S. Joannes Evangeliſta, *omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. 1. *Joan.* 2. 16.

Verum eſt, quod deſpiciendus mundus ſublunaris reſpectu cæleſtis: ſed magis adhuc contemnendus mundus ille malignus, cujus totus affectus eſt ad carnis voluptates capiendas, ad vanos honores ambiendos, & ad divitias comparandas. Hic mundus contemnendus, non ſolum quoad perſonas, quæ illum conſtituunt; ſed etiam quoad leges quibus hæ perſonæ reguntur, & quoad bona labilia, ad quæ anhelant, quorum poſſeſſio ducit ad interitum.

Hunc mundum Chriſtus toto vitæ ſuæ tempore contemnendum docuit, *tum* verbis quæ protulit; *tum* lege ſanctiſſima quam inſtituit; *tum* mirandis virtutum exemplis quæ exhibuit. Sed & hunc mundum deſpiciendum docuit Chriſtus ipſo die quo in Cælum aſcendit: ut enim refert Sanct. Hieronymus, Chriſtus aſcendere volens in Cælum, pedum ſuorum veſtigia terræ exarata reliquit; ut ſcilicet doceret, mundum iſtum eſſe contemnendum, pedibus terendum & conculcandum: nec quemquam in Cælum aſcendere poſſe, niſi hunc mundum contemnat & deſpiciat. *S. Hier. de loc. Hebr. ex Act. Ap.*

Multos reperire eſt qui mundum, non ſub pedibus, ſed in capite geſtant: hi ſcilicet, qui Dei, & ſalutis obliti, mundi bona æſtimant, admirantur, & nimio affectu proſequuntur. Mundum in capite geſtant Magnates, Patroni, Mercatores, & omnes qui mentes & corda ſua terrenis bonis totaliter dedunt. In capite mundum habent puellæ, quæ tot cirris, cincinnis, margaritis, & inauribus ornatæ procedunt. Mundum ſupra caput deferunt, immo & toto corpore circumferunt viri & mulieres, qui vanis, pretioſis, & profanis veſtibus ornati ſuperbe incedunt. Mundum tandem in capite & in corde gerunt, qui diu noctuque mente & corde ad terrena anhelant. At hæc omnia contemnere, immo & totum mundum quaſi calcare debent, ut in Cælum ſibi gradum ſternant: qui enim mundum, & quæ mundi ſunt, in capite vel in corde gerunt, ab iis deprimuntur, & ad inferna trahuntur; qui autem mundum, & quæ mundi ſunt, contemnunt, conculcant, & ſub pedibus habent, ab iis elevantur, & in Cælum evehuntur: *ſublimabunt nos, ſi fuerint infra nos. Emiſſen. Serm. de Aſcenſ.*

Mundus aliis eſt in ruinam, & aliis in ſcalam, His qui toto corde terrena ſapiunt, qui mundi voluptatibus nimis affectu adhærent, & qui perverſis mundi legibus reguntur: his, inquam, mundus eſt in ruinam; quia in corporis & animæ jacturam incurrunt; & quia hi in infernum, æternum cruciandi, projicientur. Sed mundus eſt aliis in ſcalam, qua ad cælum aſcendant: his ſcilicet, qui mundum deſpiciunt, conculcant, & ſub pedibus habent. *Felices*, inquit Richardus a ſancto Victore, *quibus vertitur in ſcalam, quod aliis eſſe ſolet in ruinam. Rich. par.* 1. c. 18. Hanc ambite felicitatem; mundum, & omnia quæ in mundo ſunt, contemnite, & ſub pedibus habete, ex iis ſcalam vobis facite, qua ad Cælum aſcendatis: Statuam eo altius eveheſ, quo baſim celſiorem ſubjeceris; fac baſim e terrenis cunctis compoſitum; ea omnia pedibus ſubjice & calca, teque ad cælum evehent.

Summus Sacerdos olim in fronte laminam geſtabat, in qua nomen Dei exaratum erat: ex ora autem veſtimenti ejus malogranata dependebant. Cur malogranata in ora veſtimenti, & juxta pedes ſummi Sacerdotis? Reſpondet S. Cyrillus Alexandrinus, malogranata ſignificare Regna, Urbes, & omnes mundi Regiones, ac ideo ſummum Sacerdotem habuiſſe malogranata in pedibus, ut manifeſtaret, omnia mundi bona eſſe proterenda, ad aſſequendam beatitudinem. *S. Cyril. Lib.* 1. *de adorat. in ſpir.*

Famoſa habemus exempla multorum, qui omnia mundi bona conculcarunt, & qui mundi contemptu viam ſibi pararunt ad Cælum. Nonne tricoronides Infulas conculcarunt Gregorius, Cæleſtinus? Nonne Epiſcopales Mitras pro nihilo habuerunt Bernardus, Bruno, Aquinas, & alii multi? Nonne Regia Diademata ſpreverunt, & abjecerunt Pipinus Caroli Magni primogenitus, Ramirus Rex Aragoniæ, Sigibertus Angliæ, Veromundus Caſtellæ, & alii non pauci? Sed nonne Imperialia Diademata & totum mundum conculcarunt multi, ut ſe Dei obſequio manciparent? Et quis recenſeat, quot viri & quot adoleſcentulæ, ſpretis mundi pompis, & illecebris, vitam religioſam amplexati ſunt, ut ad Cælum ſibi iter facerent?

Ecce qui omnia mundi bona perfectiſſime contempſerunt; ecce qui mundi contemptu ſibi viam ad Paradiſum fecerunt. Optabile quidem eſſet, ut omnes eadem via pergerent; ſed quia non poſſunt omnes a mundo abſtrahi, & religioſam vitam ſectari, debent omnes, ſaltem corde & animo, a mundo avelli, ita ut mundi legibus non regantur, & ita ut mundi bonis cor agglutinatum non habeant: quia mundi contemptus eſt via quæ tenenda eſt, & quam tenere ſolent viri Juſti, ut ad Cælum aſcendant: *Hoc eſſe ſpeciale ſpecimen electorum ſolet, ut cuncta, quæ præterfluunt, ſub ſe eſſe videant, atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. S. Greg. l.* 41. *Mor.*

Quare, o N. N. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt, Jacob.* 4. 4. Nolite diligere mundum: quia ſi *quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo*. Nolite diligere mundum; ſed potius illum odio habete: quia *quicumque voluerit eſſe amicus ſeculi hujus, inimicus Dei conſtituitur*. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: ſed potius ea contemnite, & ad Cælum ubi Chriſtus eſt, anhelate: *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus*

*Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Coloſſ.* 3. 1. Nolite tandem diligere mundum, & ea quæ in mundo ſunt; ſed potius ea deſpicite, & conculcate, ut viam vobis ad Cælum faciatis.

O homo! in infinitum melius tibi eſt mundum contemnere, quam ad cælum non ire: contemne ergo mundum, conculca mundum, fuge mundum, ut ad cælum ire valeas: *Fuge crudeles terras, fuge littus amarum.*

Imitare mirandas illas aves, quæ Paradiſi aves vocantur: quia fere nunquam in terra quieſcunt, ſed ſemper in aere volitant, & verſus cælum ſublimantur. Ne in terra nimis quieſcas; in terrenis adhæreas; ſed ad cælum, & cæleſtia ſuſpira, ut tandem aliquando ad cælum pervenire queas.

Ne ſis ſimilis maledicto huic ſerpenti, qui æquiſſima Dei ſententia damnatus eſt ad rependum ſuper terram: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes. Gen.* 3. 14. Ne ſupra terram repes veluti ſerpens; ne terrenis nimis adhæreas; ſed potius imitare columbam illam, quæ nullum invenit locum in terra, in quo quieſceret pes ejus: *Cum non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus. Gen.* 8. 9. Ne in terra quieſcat cor tuum, ne mundum, & quæ in mundo ſunt, nimis diligas; ſed potius mundum contemne, ut viam tibi ad cælum facias. *Sed obedientia eſt etiam via ad cælum.*

## TERTIA PARS.

### *Obedientia eſt via ad cælum.*

ÆQuiſſimum obedientiæ tributum Deo debemus cuncti: & ut loquitur S. Bernardus: *Deo neceſſe habemus reddere obedientiæ nummum. S. Bern. ſerm.* 2. *de S. Andr.* Ad ſolvendum autem Deo hunc obedientiæ nummum, ad ei præcipienti obediendum, & ad omnia ejus mandata ſervanda movere, & accendere nos debent ſumma ejus in nos auctoritas, ſummus ejus in nos amor, ſumma ejus in nos beneficentia, ſumma ejus in ferendis legibus æquitas, necnon graviſſima ſupplicia, quibus plectit eos, qui leges ejus violant. Sed non magis movere debet vita æterna, quam obedientia Deo præſtita acquirimus: talis enim obedientia eſt via vera, via ſecura, & via recta quæ ducit ad Paradiſum.

Hoc præclare docuit Chriſtus, a quo cum quis petiiſſet, quæ via tenenda ad obtinendam beatitudinem: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam:* Reſpondit Salvator: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Matth.* 19. 16. Ecce viam qua pergere debes, ut eas in cælum; ſi enim a mandatis aberres, a cæli ſemita devias: ſi autem Dei mandatis obedias, viam tenes quæ te ducet ad vitam. Si viam libertatis, roſis ſtratam, eligas, in infernum ibis; ſed ſi via mandatorum incedas, Deique mandatis obtemperes, ad Paradiſum vades: quia obedientia eſt via quæ ducit ad vitam.

Vis ſcire, inquit idem Salvator, qui ibunt, & qui non ibunt in Paradiſum? Non ibunt in Paradiſum hi qui ſolummodo in me credunt, vel qui nomen meum ſæpe in ore ſuo habent: *Non omnis qui dicit mihi Domine, intrabit in regnum cælorum. Matth.* 7. Sed in regnum, & aulam Patris cæleſtis intrabunt veri obedientes, qui voluntatem ejus faciunt, & qui mandatis ejus obtemperant: *Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Ecce viam qua itur in cælum. Si Deo obedias, & mandata ejus ſerves, ibis in vitam æternam. Si autem Deo non obtemperes, & mandata ejus violes, non in vitam, ſed in mortem æternam ibis: *Hic eſt Liber mandatorum Dei, & Lex quæ eſt in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerint eam, in mortem. Baruch.* 4. 1.

Iſraelitis in mari lutulento viam fecit Deus, qua ad repromiſſionis terram pergerent: *Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. Habac.* 3. 15. Nobis vero in hoc mari, ſeu in hoc mundo, qui eſt velut mare amariſſimum, viam Deus aperuit, qua in cæleſtem Patriam tendamus: viam ſcilicet mandatorum, quorum obſervatio ducit in vitam æternam. Hac in via inceſſit Propheta, ut ad cælum pergeret: *Viam mandatorum tuorum cucurri: Pſal.* 118. Et hac via incedere debent omnes, ut ad cælum ire valeant. Unde idem Propheta ait, illos beatos eſſe, qui in via mandatorum Dei ambulant: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, Ibid.* Hi in lege Dei ambulant, qui Deo præcipienti obediunt, qui mandata ejus cuſtodiunt, quique ab illis minime divertunt, & hos beatos dicit Propheta: quia obedientia Deo, & mandatis ejus exhibita, eſt via ad beatitudinem, & ad cæleſtem gloriam.

Sancta Perpetua, quam plurimum commendat S. Auguſtinus, *S. Aug. in Pſal.* 47. in extaſim rapta, vidit ſcalam auream, undique cultris, & gladiis circumſeptam, per quam ſcandendum erat in cælum. Aurea hæc ſcala nihil aliud eſt quam obedientia, quæ eſt ſcala aurea qua in cælum eundum eſt: hæc autem ſcala circumſepta eſt cultris, id eſt præceptis divinis; quæ omnia fideliter cuſtodienda ſunt, ut in cælum eatur. Præcipit Deus, ut parentem honores, licet moroſum, iracundum, & malignum: ecce cultrum in ſcala obedientiæ. Præcipit Deus, ut diligas inimicum, ut ei benefacias, utque pro perſequentibus ores; ecce cultrum in obedientiæ ſcala. Imperat Deus, ut aliena reſtituas, ut frænes concupiſcentiam, ut a carnalibus voluptatibus abſtineas: hæc tibi dura ſunt: hi ſunt cultri qui in ſcala obedientiæ occurrunt. Sed quantumvis dura videantur Dei præcepta, integre, & perfecte executioni mandanda ſunt, ſi in cælum ire velis: quia obedientia eſt ſcala, & via qua ad cælum itur.

Homini Deus vitam, mortemque æternam proponit, dans ei poteſtatem eligendi quod placuerit; *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi. Eccli.* 15. 18. Si mandata ſervaverit, æternam vitam conſequetur, quia obedientia, & mandatorum Dei obſervatio, eſt via ad vitam æternam; ſi autem ea non ſervaverit, æterna morte plectetur, quia ſicut obedientia eſt via ad vitam; ita & inobedientia eſt via ad mortem æternam: ſerva ergo Dei mandata, ut vitam æternam obtinere valeas.

Nec unum dumtaxat aut alterum præceptum eſt ſervandum, ut ad Cælum eatur; ſed omnia penitus, nullo excepto, ſunt fideliter cuſtodienda, ita ut ſi vel unicum præceptum violes, in Paradiſum non ſis iturus, niſi prius tranſgreſſionis hujus pœniten-

tiam

Digitized by Google

tiam egeris. Vide quid acciderit Moyſi. Nonne vir ille tantus, ac talis, propter unicam inobedientiam apud aquas contradictionis: quia ſcilicet non ſtatim Deo obedivit, portam percutiens, ab ingreſſu terræ promiſſionis excluſus eſt? Sic tu, ſi omnia Dei mandata non cuſtodieris, ſi vel unicum violaveris, ad promiſſa Cælorum Regna non ibis.

Quod apta ſimilitudine explicat S. Baſilius. Sunt, inquit, qui ceteris Dei mandatis ſervatis, in uno ſolo impingunt, hi ſimiles ſunt homini illi, qui iter faciens, civitatis alicujus ſpectandæ ſtudio, & toto emenſo itinere, ad portas uſque hujus civitatis perveniens, reperto ante portas diverſorio, ibi quieſcit, modicumque quod reſtat viæ, vel ob pigritiam ire detrectans, vel ob vanam aliquam, quam in diverſorio libat voluptatem, ulterius ire renuens, ſimul, & toleratum itineris laborem inanem reddit, & ſpectaculo eorum quæ in urbe ſunt, privatur. Similem in modum cæleſtis Civitatis ingreſſu privatur qui vel unicum præceptum violaverit. Currat quantum voluerit per viam multorum mandatorum: ſi vel unicum non ſervaverit, hoc eſt diverſorium, in quo quieſcit, & quo impeditur, ne in cæleſtem Civitatem ingrediatur. Non ergo crucem ſolum portes, nec ſolum contemnas mundum; ſed crucem porta, & mundum ita contemne, ut omnia Dei mandata ſerves. *S. Baſilius hom. in divites avar.*

Imitare Regium Prophetam, qui non ad aliqua duntaxat, ſed ad omnia Dei mandata ſervanda cor ſuum dirigebat. *Ad omnia mandata tua dirigebar. Pſ.* 118. Hæc eſt obedientia juſtorum, qui corda ſua non ſolum flectunt ad aliqua Dei mandata cuſtodienda, ſed ad omnia; ſic tu omnia penitus Dei mandata ſervare contende. Et ſi in aliquo deficias, ad pœnitentiæ remedium, quod Chriſtus in Eccleſia reliquit, quam citiſſime poteris, confuge, ut amiſſam recuperes gratiam, & ut viam tibi aperias ad felicitatem æternam. *Amen.*

## DOMINICAM INFRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRISTI.

# DE OBDURATIONE PECCATORIS.

*Poſitus eſt hic in ruinam, & in Reſurrectionem multorum.* Luc. 2. 34.

TAnta eſt hominum in peccato induratorum malitia, perverſitas tanta, ut ex bonis etiam aliorum actionibus, peccandi, & in deterius ruendi occaſionem ſumant. Quis enim credat, Chriſtum, qui in hunc mundum venerat ut pro peccatis hominum fieret propitiatio, iis peccandi cauſſam fuiſſe? Quis cenſeat, Chriſtum, qui venerat ut tolleret peccata mundi, & ut opera diaboli diſſolveret, alios ad peccandum induxiſſe? Hoc quidem nemo credere, cenſere nemo debet: quia revera Chriſtus, qui Deus, & impeccabilis erat, nec eſſe cauſſa peccandi, nec aliquem ad peccandum inducere potuit. Quare ſi de eo dicatur quod in multorum ruinam poſitus ſit; hoc ita intelligendum, quod induratis peccatoribus occaſio ruendi, & in peccatum cadendi fuerit; non ſua intentione, ſed eorum malitia, quæ tanta extitit, ut ex Chriſti miraculis, & bonis operibus, quibus ad bene faciendum excitari debuerant, occaſionem illi invidendi, calumniis eum afficiendi, in eum blaſphemandi, aliaque peccata perpetrandi ſumpſerint.



Ecce primam ideam, quam velim, ut quiſque veſtrum de indurato peccatore in mente ſua gerat: Ecce hominum in peccato induratorum ingenium; quod tale eſt, ut etiam ex melle venenum, ex luce cæcitatem, & ex præclaris aliorum actionibus, quæ laude, & imitatione dignæ ſunt, peccandi anſam arripiant. De hujuſmodi peccatoribus induratis, ſeu de obduratione & obſtinatione peccatorum late tota iſta Concione diſſeremus, &c. *Ave.*

A Tempore quo peccavit Adamus, homo quilibet eſt portentoſum quoddam monſtrum, quod ex duobus hominibus totaliter oppoſitis, & invicem contrariis conſtat. In eodem enim homine eſt quaſi duplex homo: quorum unus ad bonum, & alter ad malum proclivis eſt: quorum unus amat illicita, in peccatis delectatur, & piis virtutum exercitiis adhærere renuit: alter vero illicita odio habet, peccata quævis deteſtatur, virtuteſque acquirere ſatagit.

O monſtrum horribile! Sed, quod majori adhuc admiratione, vel potius majori horrore dignum cenſeo, hoc eſt: quod ſicut in eodem homine duo diſtingui poſſunt homines inter ſe continue dimicantes: ita & ſæpe aliqui inveniuntur homines, quorum quilibet duo habet corda: carneum unum, & aliud ſaxeum: *Carneum*, quod a natura habet; & *ſaxeum*, quod ingratitudine, & malitia ſua ipſe ſibi fecit: *Saxeum*, quod durum, peccato mordicus adhærens, & ad omne opus bonum faciendum eſt inflexibile.

Qui hujuſmodi ſaxea corda gerunt, ſunt homines, quos induratos, & ad malum obſtinatos vocamus, quorum tanta eſt miſeria, ut in evidentiſſimo ruinæ, & damnationis periculo continue verſentur. Ut autem iis pro modulo noſtro ſubveniamus, de malo quo infeſtantur, ſeu de induratione differamus, ejuſque explicemus ſigna, cauſſas, & remedia. Videamus: 1. *Signa*, quibus dignoſci poſſit peccatoris obduratio: 2. *Cauſſas*, a quibus procedat: 3. *Remedia*, quibus ſanare valeat. *Signa, cauſſæ, & remedia obdurationis*: en tres hujus Concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Obdurationis ſigna.*

QUicumque in mortale aliquod peccatum incidit, vere peccator, Deique inimicus eſt, non tamen omnis hujuſmodi peccator eſt induratus; ſed ille ſolum qui in peccato perſeverat: nec indurati ſunt omnes qui in peccato aliquamdiu perſeverant: quia ex his qui peccaverant, alii non ſunt, & alii ſunt indurati. Ut autem dignoſci poſſit, qui ex his ſint, & qui non ſint indurati, plurima adduci ſolent obdurationis ſigna, e quibus tria ſeligam, quorum primum ſumitur a peccato, ſecundum a gratia, tertium a peccatoris voluntate. *Primum*, ſumitur a peccato, quod in indurati peccatoris corde gra-

ve, & ponderoſum non eſt: *Secundum*; a gratia, a qua peccator induratus non trahitur: *Tertium*, ab indurati peccatoris voluntate, quæ nullis motivis, nulliſque mediis ad declinaudum a malo, & ad bene agendum adducitur.

1. Cum homo juſtus in grave aliquod peccatum cecidit, interius eum mox rodit conſcientia, internis cor ejus lancinatur cogitationibus, & peccati pondere ita gravatur, ut conficiatur tædio; ac quandoque præ anguſtia vix dormire, & ſeipſum perferre poſſit. Sed ſi peccata ſua multiplicet, diuque in iis perſeveret, iis aſſueſit, cum illis quaſi fœdus init, eaque ſibi familiaria reddit: ac tandem ita in peccatis induratur, ut lætetur cum male fecerit, nullumque in corde ſuo peccati pondus, nec ullos in conſcientia angores, ac cruciatus ſentiat. *Cor durum, ſemetipſum non exhorret, nec ſentit. D. Bern. l. 1. de conſid. in princip.*

De elementis docent Philoſophi, quod in centro ſuo non gravitent, & ſic aqua, & terra, quæ extra centrum graves ſunt & ponderoſæ, in proprio centro nullius ſunt ponderis & gravitatis. Quod autem de his elementis dicitur, dicendum pariter de peccato: quamdiu enim peccator nondum eſt obduratus, peccatum illi grave eſt, ponduſque illius ſentit, & ægre fert, quia peccata nondum ſunt in centro. Sed cum peccator, in peccato ſuo obduratus, & obſtinatus eſt, peccata in corde ejus quaſi in centro ſunt; & ideo ibi non gravitant; nec aliquem tunc peccator dolorem a peccatis, & pro peccatis habet; quin contra in iis delectatur, & in iis ſibi complacet.

Quod præclare docuit hominum ſapientiſſimus his verbis: *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. 18. 3.* vel ut habet alia verſio: *Impius, cum in centrum venerit peccatorum, contemnit.* Antequam peccator in obdurationem incidat, & antequam peccata in corde ejus velut in centro ſuo ſint, Dei pertimeſcit judicia, formidat, cum de æternis inferni ſuppliciis cogitat, & terribilem Dei juſtitiam timet; ſed poſtquam in ſtatu peccati diu perſeveravit, poſtquam ſua multiplicavit crimina, ita obduratus ſit, ut Dei judicia, inferni ſupplicia, terribilem Dei juſtitiam, nec quidquam aliud pertimeſcat, quia cum tunc peccata in corde ejus velut in centro ſuo ſint, ibi non gravitant, nec cor ejus ullo modo lancinant. *Impius, cum in centrum venerit peccatorum, contemnit.*

2. Ecce primum obdurationis ſignum, quod ab ipſo peccato ſumitur, quod in hominis indurati corde non eſt grave & ponderoſum. Secundum autem indurationis ſignum ſumi poteſt ex gratia, quæ licet in corde peccatoris indurati ſuas operationes efficiat; non tamen illud ad bene faciendum trahit. Et ideo induratorum hominum corda adamanti comparantur: *Cor ſuum poſuerunt, ut adamantem. Zach. 7. 12.*

De adamante illud mirandum narratur, quod licet ſummæ ſit duritiei; ſolo tamen perfuſus ſanguine hirci, quod animal libidinoſum eſt, ſtatim diſſolvitur. Unde congrua ſimilitudo eſt valde inter adamantem & peccatorem obduratum: quia iſtius cor eſt duriſſimum & indomabile reſpectu Dei; molliſſimum vero in ſe eſt, & in omnium libidinum fluxum flexibile. *Rupert. in hunc locum Zachar.* Sed alia, noſtroque intento congrua ſimilitudo eſt adamantis cum corde obdurato; quia ſicut adamas trahit, & non trahitur, ita cor durum, & adamantinum, hominem ad vitia trahit, & a divinæ gratiæ illiciis non trahitur. Divina gratia in corde peccatoris obdurati, ſicut & in aliis operatur; illud excitat, illud movet; & ut illud ad declinandum a peccato, & ad virtuti incumbendum alliciat, jam Dei bonitatem; & jam ejus juſtitiam; jam Paradiſi gloriam, & jam inferni ſupplicia ei objicit; ſed cum adamantinum ſit hominis indurati cor, gratiæ divinæ lenociniis & illiciis ad bene faciendum non trahitur: *Cor ſuum poſuerunt, ut adamantem.*

Vere adamantinum erat Judæ cor, quod nullis divinæ gratiæ illiciis alliciebatur: vel, ut loquitur Origenes, induratum Judæ cor gangræna erat vitiatum. *Animæ Judæ gangrænam habenti.* Norunt omnes, carnem gangræna vitiatam, omni ſenſu carere; ſive enim novacula cædatur, ſive in eam ſcalpellus immittatur, omnis ſenſus expers eſſe probatur. Judæ autem anima, inquit Origenes, gangræna erat vitiata; quia induratus, & indignus ille Apoſtolus, omnis ſenſus expers erat, reſpectu beneficiorum a Chriſto acceptorum. Ad Apoſtolatus enim dignitatem eum Chriſtus evexerat, poteſtatem ei contulerat miracula faciendi, teſtem eſſe voluerat prodigiorum, quæ ubique operabatur, multiſque eum gratiis, & favoribus affecerat; ſed his omnibus beneficiis a peſſimo Magiſtrum prodendi propoſito amoveri, & ad bene faciendum trahi non potuit, quia cor ejus induratum, & a gangræna putrefactum erat. Idem dicendum de aliis peccatoribus induratis: poſtquam enim diu in peccatis perſeverarunt, corda eorum ita indurantur, & quaſi gangræna vitiantur, ut divinæ gratiæ motus quaſi non ſentiant; nec ullis divinæ gratiæ impulſibus ad ſurgendum a peccato, & ad bene faciendum trahantur.

3. En ſecundum indurationis ſignum, quod ſumitur ex parte gratiæ: ſed & eſt aliud indurationis ſignum, quod ſumitur ex ipſo corde; ſeu, quod idem eſt, ex ipſa peccatoris voluntate, quæ cum obdurata eſt, nullis motivis, nulliſque modis poteſt, aut vix poteſt a peccatis avelli, & ad bonum faciendum allici. Ad hoc enim nec a Prædicatoribus in Cathedra tonantibus, nec a Confeſſariis ad ſalutaria vocantibus, nec ab amicis in ſpiritu caritatis corripientibus, nec ab aliis quibuſque adduci poteſt; ſive hi conſiliis, ſive minis, ſive promiſſis ad hunc finem utantur, quia hominis indurati cor ſeu prava voluntas, iis omnibus ſibi propoſitis motivis, & mediis fortiter reſiſtit: *Cor durum*, inquit Doctor Seraphicus, *forte eſt ad rebellandum, ſive ad reſiſtendum. D. Bon. in 1. diſt. 40. q. 1.*

Cum peccatoris alicujus voluntas non eſt totaliter in peccatis obdurata, ſeu cum peccatoris cor nondum eſt totaliter durum, ad declinandum a malo, & ad virtutem ſectandam adducitur, vel gratia ad compunctionem intus excitantes, vel pietate duritiam frangente, vel amicorum precibus, vel morbis a Deo immiſſis, vel aliis multis motivis, & mediis. Sed cum peccator eſt induratus, cor illius his omnibus reſiſtit: ut enim ait Doctor Melifluus, *cor durum ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur. D. Bern. l. 1. de conſid.* Dic indurato peccatori, Chriſtum pro ipſius ſalute

ſta-

flagellatum, crucifixum, & diriſſima paſſum; non inde ad compunctionem excitabitur: *Nec compunctione ſcinditur*. Dic ei, inſtare tempus Paſchatis, vel alterius Feſti, in quo omnes fideles ſtudioſius pietatis operibus vacare ſolent: *Nec pietate mollitur*. Dic illi: rogo te, ut honori, & ſaluti tuæ conſulas: rogo, ut declines ab hoc & illo peccato, cui te omnes addictum eſſe norunt; & ut valedicas huic creaturæ, quæ tibi ruinæ, damnationiſque æternæ occaſionem præbet; *Nec movetur precibus*. Menti ejus objice formidanda ſupplicia quæ peccatoribus induratis Deus minatur: *Minis non cedit*. Si tandem Deus gravi morbo, vel alia aliqua adverſitate illum plectat, tantum abeſt, ut inde ad converſionem adducatur, quin contra *flagellis induratur*. En indurationis ſigna, quibus facile quiſque agnoſcere poterit, quæ natura, quæ indoles, & quod ſit hominis indurati ingenium: ſed & identidem adnotare quiſque poterit, maximam eſſe hominis indurati miſeriam. Quid enim infelicius peccatore, qui graviſſimum peccati onus portat, & illud non ſentit; qui gratiam Dei recipit, nec ab illa ad bene faciendum adducitur; qui tandem voluntatem ita peccato adhærentem habet, ut nullis mediis & modis ab eo avelli, & ad bona opera facienda inclinari poſſit.

O quam magna hæc indurati peccatoris miſeria! Certe tanta, ut omnis fere ſalutis ſpes ei occludatur, ac in evidentiſſimo damnationis periculo verſetur. Unde de peccatore indurato dicitur, quod male habebit in noviſſimo: *Cor durum habebit male in noviſſimo. Eccl. 3. 27.* Male quidem habebit obduratus peccator in noviſſimo, ſeu in vitæ ſuæ termino: quia ſi Deus in manu forti, & modo quodam inſolito a miſero hoc ſtatu eum non educat, infallibiliter ab hoc mundo ad æterna tartari ſupplicia migrabit. O infelicem, & ſanguineis lacrymis lugendum indurati peccatoris ſtatum! Timete, ne indurata fiant corda veſtra, cavete, ne in indurationem cadatis. Quod ut quiſque vitare valeat; *quæ ſint indurationis cauſæ inveſtigemus*.

## SECUNDA PARS.

*Obdurationis cauſa*.

PRoxima, & quaſi unica obdurationis cauſa eſt ipſa peccatoris voluntas: ideo enim homo in peccato obduratur, eique pertinaciter adhæret, quia ei adhærere vult, nec enim ei adhæreret, ſi nollet. Sed unde fit, ut peccatoris voluntas ita in peccato obduretur, eique tanta cum pertinacia adhæreat? Hoc aliquando a prava peccandi conſuetudine, aliquando a natura peccatoris præſumptione, & aliquando ab ipſa Dei juſtitia provenit. Et ideo tres enumerari poſſunt indurationis cauſæ: quarum *prima* eſt, peccandi conſuetudo: *ſecunda*, nimia peccatoris præſumptio: *tertia*, æquiſſima Dei juſtitia.

1. Sciunt omnes, quanta ſit conſuetudinis vis; quæ quidem tanta eſt, ut res, quæ in principio difficiles erant, facillimas efficiat; & ut quæ antea amara erant, dulcia & amabilia reddat. Hoc ſæpe verum eſſe comprobatur in vitæ ſpiritualis exercitio, quod durum, amarum, & difficile incipientibus videtur; ſed ſucceſſu temporis dulceſcunt ea, quæ difficilia antea erant. At hoc veriſſimum eſſe experiuntur multi, reſpectu peccati, quod in principio diſplicet, odio habetur, & aliqua cum cordis renitentia committitur; cum autem quis iterum & iterum in eadem peccata cadit, quod antea graviſſimum ei videbatur, minus grave deinde cenſet. Et ſi peccatis aſſueſcas, non ſolum non moleſtum eſt ei in peccata cadere; ſed in iis delectatur; & tandem a peccandi conſuetudine, tamquam a maligna matre, obduratio generatur: *Cum in peccatis ſuis cœperis permanere, de multitudine peccatorum naſcitur deſperatio, ex deſperatione obduratio generatur. Aug. lib. de nat. & grat. c. 26.*

Videmus nonnumquam pueros bene moratos, qui ipſam peccati ſpeciem exhorrent, qui virtuti ſtudioſe incumbunt, & quibus nil magis placet, quam placere Deo. Sed ſæpe proceſſu temporis amare incipiunt, quod antea exhorrebant; in peccata aliqua incidunt, in iis delectantur, iis aſſueſcunt; ac tandem prava peccandi conſuetudine ita obdurantur corda eorum, ut peccatis mordicus adhæreant, nec ab iis avelli poſſint; *Induraverunt facies ſuas ſupra petram; & noluerunt reverti. Jerem. 5. 3.* Cave ergo, peccator, a peccandi conſuetudine; licet enim peccatum in principio importabile tibi videatur; ſi ei aſſueſcas, tibi dulceſcet, & prava peccandi conſuetudo te deinde in obdurationem pertrahet. Quod præclare D. Bernardus docet his verbis: *Primum, tibi importabile videbitur peccatum; proceſſu temporis, ſi aſſueſcas, judicabis non adeo grave; paulo poſt & leve ſenties, paulo poſt nec ſenties; paulo poſt etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur. D. Bern. lib. 1. de conſid. c. 2.* Quare principiis obſtandum, & cavendum a prava peccandi conſuetudine, quæ cordis obdurationem generat. At non ſola peccandi conſuetudo; *ſed etiam nimia hominum præſumptio, obdurationis cauſa eſt*.

2. Accidit nonnumquam, ut peccator peccandi conſuetudine, ita ſua multiplicet peccata, ut de obtinenda venia, & de Dei miſericordia deſperet; ac deinde in abyſſum peccatorum, & in obdurationem incidat. Sed & ſæpe peccatores in peccato indurantur ob nimiam veniæ ſpem; & quia de Dei miſericordia præſumunt. Volunt ſemper in peccatis perſeverare; & tamen ſemper præſumunt, quod eorum miſerebitur Deus; ſemper in Deum peccant, & ſemper in eos Deum miſericordem fore, nimis confidunt; ſed tandem vana hac ſpe decepti, & præſumptione ſua deluſi, in peccatis obdurantur, & miſere pereunt: *Obduratus ille fit, qui ſic miſericordiam Dei ſperat, ut uſque in vitæ finem in criminum ſuorum perverſitate permaneat. Aug. l. de fide ad Pet.*

Certum eſt, infinitam eſſe Dei in peccatores miſericordiam: ſed & infinita eſt ejus juſtitia: quare ita in Dei miſericordia confidendum, ut ejus juſtitia timeatur. Diabolus autem ſolita arte ſua ab impiorum mentibus, quantum poteſt, terribilis juſtitiæ Dei ideas & imagines delet; facitque, ut in ejus miſericordia nimis confidant. Deum ita miſericordem eis objicit & delineat, ut omnia ſperare, nihilque ab eo timere debeant. Et ideo cum Deum benigniſſimum, & ad indulgentiam ſemper paratiſſimum cenſeant, non ſolum liberius & audacius ad malum currunt; ſed etiam diu in eo perſeverant: ac tandem ob præſumptionem, nimiamque in Deum confidentiam, in peccatis quibus aſſueverunt, totaliter in-



Digitized by Google

induràntur. Quare, o peccator, ſpera in Domino, ſed de miſericordia ejus non præſumas. *Ne dicas, miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Eccl. 5. 6.* ne ſic loquaris: quia ſi de Dei miſericordia præſumas, tua multiplicabis crimina, & deinde in peccato tuum cor obdurabitur. Et hoc fiet permittente Deo, *qui eſt etiam obdurationis cauſa.*

3. Certum eſt Deum aliquando obdurare peccatores, & obdurationem eorum in aliquo ſenſu eſſe a Deo. Si enim Deus peccatores non obduraret, cur de Pharaone diceret ipſe Deus: *Ego induravi cor ejus? Exod. 10. 1.* Si obduratio non eſſet a Deo, cur Judæorum corda ab eo obdurata eſſe dicerentur: *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum? Joann. 12. 40.* Si obduratio a Deo non eſſet, cur apud Iſaiam de Deo diceretur: *Induraſti cor noſtrum, ne timeremus te? Iſaiæ 63. 17.*

Indurat ergo vere Deus peccatores, & eos indurat juſtitia ſua in pœnam præcedentium criminum. Quia cum peccatores in graviſſima & horrenda labuntur peccata, & in illis diu perſeverant, Deus æquiſſima juſtitia ſua, in horum criminum & hujus pertinaciæ pœnam corda eorum indurat, ut enim ait S. Iſidorus, *induratio cordis in malum quandoque procedit ex divina juſtitia, in pœnam præcedentium peccatorum. Iſidorus de ſummo bono l. 11. c. 19.*

Timete peccatores, totis contremiſcite artubus; quia Deus ipſe, quantumvis bonus, quantumvis miſericors, ita juſtus eſt, ut peccatorum corda aliquando induret. Non tamen credendum, quod Deus peccatores induret poſitive; ita ut proprie & proxime inclinet voluntatem illorum ad adhærendum peccato, & ad reſiſtendum oblatis ſalutis motivis & mediis; cum enim Deus peccare non poſſit, nec poteſt etiam poſitive & proxime inclinare voluntatem creatam ad volendum peccatum, & ad adhærendum peccato. Unde cum dicimus Deum juſtitia ſua obdurare peccatores, hoc intelligi debet, non quod eos induret poſitive; ſed quod eos induret *negative, vel permiſſive.*

1. Peccatores Deus obdurat *negative*, ſeu denegando, vel ſubtrahendo ſpecialia quædam gratiæ dona, quæ ſi ipſis daret, non obdurarentur eorum corda. Poſtquam enim peccatores in gravia peccata inciderunt, multaſque ejus gratias contempſerunt, Deus juſto ſuo judicio, ſæpe ingratitudinem, contemptum, & contumaciam eorum punit, non quidem denegando eis auxilia ad ſalutem ſufficientia; ſed ſubtrahendo, vel non impertiendo gratias ſpeciales; quas ſi haberent, non indurarentur. Et ſic ait Auguſtinus, quod *peccatores non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. S. Aug. epiſt. 105. ad Sixt.* eos obdurat ſubtrahendo miſericordiam, ſeu gratiam; a qua humanum cor mollificari, & ad bonum inclinari ſolet; & qua deficiente, durum remanet. Dat tamen ſemper iis gratiam, cujus auxilio a peccato fugere poſſent, ſi vellent.

2. Ecce quomodo Deus peccatores obdurat negative; ſed & Deus eos obdurat etiam *permiſſive*, quia ſcilicet illos indurari permittit. Et ſic Gloſſa interlinearis explicans præfata Iſaiæ verba; *Induraſti cor noſtrum*, ait, *induraſti*, id eſt; *indurari permiſiſti*. Poſſet quidem Deus, abſolute loquendo, impedire, ne peccatores in obdurationem caderent; ſed ad hoc non tenetur. Quare ſicut, abſolute loquendo, impedire poſſet, ne homines in peccatum caderent: & tamen eos in peccatum cadere permittit: ita licet, abſolute loquendo, impedire poſſet, ne peccatores in peccatis obdurarentur; eos tamen obdurari permittit. Ac proinde, ſicut Deus eſt cauſa permiſſiva peccati, ita eſt cauſa permiſſiva indurationis in peccato. Nec inde aliquam injuriam facit peccatoribus qui indurantur: quia ſi indurantur, ſua culpa indurantur; dat enim ſemper Deus gratias ſufficientes, quibus ſi bene uterentur, corda eorum non obdurarentur.

Audite Divum Auguſtinum hac de re præclare diſſerentem, *Si a juſtitia*, inquit, *& a pietate quis deficit, ſuo in præceps fertur arbitrio: nec in hoc negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit. S. Aug. ubi ſup. Tom. 7.* Si ergo in ſtatum obdurationis veneritis, non in Deum, ſed in voſmetipſos obdurationis veſtræ culpam refundite. Dicite, & intus ſæpe dicite: ego ſum cauſa obdurationis meæ, quia a peccatis ſurgere, & chriſtiane vivere neglexi: ego ſum meæ obdurationis cauſa: quia Prædicatorum verba, & ſapientum conſilia deſpexi; ego ſum cauſa obdurationis meæ, quia divinæ gratiæ ſæpe reſtiti, & in peccatis perſeverare volui. Hoc coram Deo fatemini; *ac remedia ad corda veſtra emollienda, & ad curandam obdurationem veſtram idonea quærite, & ſedulo ſumite.*

## TERTIA PARS.

### *Obdurationis remedia.*

LIcet difficillime curetur indurati animi durities, nullus tamen in ſtatu viæ adeo eſt obſtinatus, quin poſſit ad Deum converti, & ſanari, ſi media & remedia ad curandam cordis obſtinationem idonea ſumat. Hæc autem remedia ſunt: 1. Dei verbum frequenter audire: 2. Orationis exercitio incumbere: 3. Noviſſima ſerio meditari.

1. Primum ad ſanandam cordis duritiem remedium eſt, Dei verbum frequenter audire, ut enim in Libro Sapientiæ legitur, Dei ſermo ſanat omnia: *Tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia. Sap. 16. 12.* Quantumvis infirmi, & obdurati ſint peccatores, ſi frequenter, & humiliter verbum Dei audiant, ſanabuntur ab infirmitatibus ſuis, & indurata eorum corda emollientur, quia Dei ſermo ſanat omnia, & duriſſima quævis corda conterit & emollit, per divinam gratiam ſcilicet, quam Deus ſimul cum verbo prædicationis infundere ſolet.

Dei ſermo ſimul & ſemel eſt ignis & malleus; eſt ignis ſacer, quo juſti ad Dei amorem accenduntur: *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus: Jerem. 23.* Eſt etiam malleus, quo obdurata quævis corda conteruntur. *Et quaſi malleus conterens petram.* O viri juſti, Dei verbum frequenter audite, ut ſacro hoc igne corda veſtra ad Dei amorem magis & magis inflammentur. Sed & vos, o indurati peccatores, Conciones adite, Dei verbum frequenter audite, ut eo, quaſi malleo, corda veſtra conterantur, molliantur, in melius mutentur, & ad converſionem adducantur.

Non-

Nonnulli viſi ſunt indurati peccatores, qui prima vice, qua Concionatores audierunt, ad ſe reverſi, Dei bonitatem admirati ſunt, judicia ejus timuerunt, æterna inferni ſupplicia formidarunt, peccata ſua ſunt deteſtati, ſeque totos ad Deum converterunt. Hoc reſpectu aliquorum ita factum eſt, ſed & omnes peccatores, quantumvis indurati, ſi non ſemel duntaxat, ſed ſæpe Concionibus intereſſent, & cum perſonis, quæ de Deo loqui ſolent, verſarentur, paulatim verbo Dei contererentur, & emollirentur corda eorum, hique a viis ſuis peſſimis ſenſim declinarent, ac tandem ad Deum totaliter converterentur.

Quod perſpicue explicat Abbas Paſtor ſimilitudine guttarum aquæ, quæ ſuper duram rupem frequenter cadentes, eam tandem perforant. *Natura aquæ*, inquit, *mollis eſt, lapidis autem dura eſt, & ſi vas aqua plenum, pendeat ſupra lapidem, ex quo aſſidue ſtillans gutta cadat in lapidem, eamdem perforet eum; ita & ſermo divinus lenis, cor autem noſtrum durum eſt: audiens ergo homo frequenter verbum divinum, aperitur cor ejus ad timendum Deum. Abbas Paſtor in vita PP. lib. 6. Libello* 18. *num.* 16. Et ratio eſt, quia Deus homines ſalvare ſtatuit per ſtultitiam prædicationis, ut loquitur D. Paulus, & ideo ſimul cum verbo ſuo peccatorum cordibus gratiam infundere ſolet, quæ corda eorum conterit, & emollit: quare, o peccatores indurati, Dei verbum frequenter audite: *ac etiam orationis exercitio ſedulo incumbite.*

2. Cum die quadam Chriſtus ſimul cum diſcipulis aſcendiſſet in naviculam, motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum dicentes: *Domine ſalva nos perimus. Matth.* 8. 15. O indurati peccatores, cor veſtrum eſt quaſi proceLloſum mare, in quo varii paſſionum & vitiorum motus concitantur, ita ut paſſionum veſtrarum fluctibus ſæpe operiamini, & obruamini, ac in evidenti ſalutis naufragio verſemini: ut autem ab hoc periculo eripi, & ſalvari valeatis, orate, frequenter orate, Dei auxilium crebro poſtulate, Deo ſæpe dicite, *Salva nos, perimus*, & Deus per miſericordiam ſuam tempeſtates ſedabit, veſtra pacabit & emolliet corda, vobiſque converſionis & ſalutis gratiam impendet.

Ita ante converſionem induratus erat Auguſtinus, ut impoſſibile ſibi videretur, a conſueto illegitimo thoro abſtinere, ſed quod per ſe non poterat, oratione potuit: ad orationem enim converſus, ferventer, & frequenter oravit, dicens: *Domine, da quod jubes, & jube quod vis.* Tandem ita exauditus eſt, ut quod antea ſibi impoſſibile videbatur, poſtmodum facile, immo ſuave ipſi factum ſit: *Quam ſuave*, inquit, *mihi ſubito factum eſt, carere vanitatibus nugarum! Quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Aug. lib. 9. Confeſſ. c.* 1. O indurate peccator, converſionem tuam ut impoſſibilem inſpicis? Credis, quod tibi impoſſibile foret abſtinere a vitiis, quibus tanta cum voluptate adhæreas? Et certe hoc ſine Dei gratia non potes; ſed ora, frequenter ora, dabitque tibi Deus gratiam; qua poſſibile fiet, quod tibi impoſſibile videbatur.

Novit Deus cordis duritiem emollire, duros hominum animos lenire ſcit; quando illi placet, aufert cor lapideum, & carneum dat; nulluſque peccator ita induratus, quem Deus convertere non poſſit, ſed ad hoc precibus & obſecrationibus allici vult; quare ora ſicut Auguſtinus, & ad Deum converteris ſicut Auguſtinus.

D. Chryſoſtomus, ut Theodori lapſi, & fere indurati animum flecteret, & ad non deſperandum de Dei miſericordia excitaret, dixit: *O frater, ſi cacodæmon tantum potuit, ut te a vertice illo, & faſtigio virtutis in extremum malitiæ detruderet; multo magis Deus in priſtinam te poterit vindicare libertatem: neque in eam ſolum, ſed in multo feliciorem perducere poterit, quam prior fuit. Chryſoſt. epiſt.* 5. *ad Theod. lapſ.* Iiſdem Chryſoſtomi verbis, o indurate peccator, reſpectu tui utar, dicamque tibi, quod de ſalute deſperare non debeas. Deus enim, cujus poteſtas infinita, & bonitas ineffabilis, cordis tui duritiem tollere, te in filiorum libertatem vocare, teque totum immutare poteſt. Quod haud dubie faciet, ſi eum frequenter & ferventer ores, inſtar Auguſtini, qui cum ſe dura voluptatum & errorum conſuetudine irretitum conſpexiſſet, ad Deum confugit, ipſius miſericordiam lacrymis & precibus multis imploravit, & hac ratione, morum converſionem, & eximiam ſanctitatem a Deo obtinuit. Ora ergo, frequenter & ferventer ora ut ad Deum convertaris. Sed ut ad morum converſionem facilius adducaris, *noviſſima tua ſerio meditare.*

3. O indurate peccator, redi ad cor, intra in animæ tuæ domum, & ſerio recogita, quod intra breviſſimum tempus, intra unum forte annum, & hodie forſitan morieris, ac identidem divitias, honores, delicias, & quidquid te mundo agglutinat, relinques. Quid, quæſo, tunc tibi proderit, divitiis abundaſſe, obſcœnis adhæſiſſe voluptatibus, dæmoni & carni placuiſſe? Quid tibi tunc ſupererit, niſi dolor de præterito, timor de futuro, & forte ſalutis deſperatio?

Cogita adhuc, o indurate peccator, tremendum Dei judicium, ad quod revocaberis & in quo tremens adſtabis coram Judice, qui omnia tua dinumeravit ſcelera, qui quæcumque in corde tuo latent, clare cognoſcit, & qui diram adverſus te ſententiam dicet, ſi peccatis non valedicas, & mores non immutes.

Perpende, ſi velis, ineffabilia Paradiſi gaudia, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Conſidera, quam ſuave tibi erit, ſi ea obtinere valeas, quamque tibi durum fiet, ſi Paradiſi fores tibi clauſæ ſint & ſi pro modico lucro, ac pro tranſitoria voluptate, infinita & æterna Paradiſi bona perdas.

Mente tandem revolve horrenda, graviſſima, & æterna inferni ſupplicia, quibus addiceris, ſi ad Deum non convertaris. Recogita immenſos illos pœnarum theſauros, quos ad tuam duritiam, & impœnitentiam in inferno tibi coacervas: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei. Rom.* 2. 5.

Præfata omnia ſi ſerio mediteris, ad Deum haud dubie confugies, ejus auxilium implorabis, quo mediante tua deteſtaberis crimina, & ad Deum converteris. Hæc ſunt noviſſima, quorum meditatione indurati quique peccatores ad morum mutationem, & ad veram converſionem adduci ſolent. Sic enim dicit

Sapiens. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis: Eccl. 7. 40.* dicam ſimiliter, memorare ſæpe noviſſima tua, & quantumvis induratus ſis, a peccatis reſurges, & ad Deum converteris. Dei ergo verbum frequenter audi; orationis exercitio ſedulo incumbe; noviſſima ſerio meditare, & quantumvis induratus ſis, emollietur cor tuum, peccatis valedices, ad Deum converteris, & æternam beatitudinem conſequeris. *Amen.*

## DOMINICA PRIMA
## POST EPIPHANIAM.

# DE CHRISTI JACTURA.

*Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*
Lucæ 2. 48.

POſtquam beatiſſima Virgo ex Ægypto rediit, ſimul cum ſanctiſſimo Sponſo Joſeph, devotionis cauſa, Jeroſolymam perrexit, quo Chriſtum dilectum Filium duxerunt pii parentes, ibique ſolemne Paſchatis Feſtum ſeptem diebus celebrarunt. Quibus expletis, cum redirent e Jeruſalem in Nazareth, ab iis clam ſe ſubtipuit Chriſtus, & in urbe Jeroſolyma remanſit, ut ibi aliquem divinitatis, & infinitæ ſapientiæ ſuæ radiolum ſpargeret; utque ibi quæ paternæ voluntatis erant, adimpleret: *In his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe. Luc. 2. 49.*

Quanto ex Chriſti amiſſione affecti fuerint dolore Joſeph & Maria, capere non valemus; ſcimus ſolummodo, quod dolentes illum ſollicite quæſierint; *Dolentes quærebamus te:* quodque illum ita quæſierint, ut tandem illum invenerint; *Poſt triduum invenerunt illum in Templo, ſedentem in medio Doctorum. Luc. 2. 46.*

Ecce quid hodiernum narrat Evangelium, ex quo diſcere poſſunt parentes, quod ſegnes eſſe non debeant in educandis filiis, & in eis ad pietatis opera excitandis, exemplo Joſeph & Mariæ, qui Chriſtum Filium ad ſolemne Feſtum duxerunt. Ex hoc etiam diſcere poſſent omnes, quod cuncta ſint relinquenda, ut res Dei ſuo tempore agatur; exemplo Chriſti, qui parentes, quos ſumme diligebat, & venerabatur, reliquit, ut ea ageret quæ æterni Patris erant. Præclara alia ex hoc Evangelio elici poſſent documenta, ſed quia quaſi totum eſt de Chriſto, quem parentes perdiderunt, inde ſummam occaſionem dicendi de iis qui Chriſtum, qui in eis per gratiam ſuam inhabitabat, infeliciter perdunt, &c. *Ave.*

CUm Joſeph & Maria Chriſtum in civitatem ſanctam Jeruſalem duxiſſent, ibique cum illo aliquibus diebus remanſiſſent, eum perdiderunt, quæſierunt, & invenerunt. Eum perdiderunt; quia cum illi ad propria redirent, ab iis clam ipſe ſe ſubtraxit, & in urbe Jeroſolyma remanſit: *Remanſit Puer Jeſus in Jeruſalem. Ibid.* Poſtquam autem agnoverunt pii parentes, ſe dilectum amiſiſſe Filium, illum ſollicite quæſierunt; & *regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum. Ibid.* Ita tandem quæſierunt eum, ut illum in medio Doctorum ſedentem invenerint; *Invenerunt illum in Templo, ſedentem in medio Doctorum. Ibid.*

Norunt omnes, Chriſtum Dominum in nobis eſſe, & in nobis per gratiam ſuam remanere, quamdiu per adveniens aliquod grave peccatum a nobis eum non expellimus. Sed heu! quam multi divinum hunc hoſpitem perdunt, & ab animabus ſuis expellunt per peccata lethalia quæ perpetrant! Hujuſmodi miſerorum, qui Chriſtum amittunt, & a ſe abjiciunt, numerus ſane eſt ſine numero. Sed qui ita infelices ſunt, ut Chriſtum perdiderint, debent illum ſollicite quærere; ac illum ita quærere, ut eum inveniant. Ad quod agendum ut eos alliciamus; videamus: 1. Quam facile perdatur Chriſtus; 2. Quam miſeri ſint qui illum perdiderunt: 3. Quid agere debeant, ut illum inveniant.

## PRIMA PARS.

*Quam facile perditur Chriſtus.*

ANtequam in cælum aſcenderet Chriſtus, ſe nobiſcum uſque ad mundi finem remanſurum pollicitus eſt: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Matthæi* 28. 20. Nobiſcum ſane ſemper eſt Chriſtus in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ubi a fidelibus adoratur, & ſumitur, nobiſcum etiam eſt uſque ad ſæculi conſummationem per auxilia quibus nos fovet, & per innumera beneficia quibus nos afficit. Sed ſpeciali quodam modo eſt cum hominibus juſtis; per gratiam ſcilicet habitualem, & ſanctificantem; per eam in iis habitat, & manet, donec superveniat peccatum mortale; quo adveniente, perditur Chriſtus, & ab hominis juſti anima protinus diſcedit. Hanc enim ſibi legem poſuit Salvator, quod hominem numquam desereret, niſi prius ab illo deſereretur; quodque mox ut homo illum deſereret declinando in mortalia peccata, ipſe illum deſereret, & in eo per gratiam ſuam habitare deſineret.

O N. tunc Chriſtum perdis, cum in mortale peccatum laberis; quare ſi ſcire velis quam facile perdatur Chriſtus, adverte, quam facile peccatum mortale committatur; ac certus eſto, quod Chriſtus tam facile perditur, quam facile peccatum mortale perpetratur. Quare cum nil facilius ſit, quam labi in mortale peccatum; ita nil facilius, quam Chriſtum perdere.

Omnibus notum eſt, virtutem in arduo eſſe poſitam, nec poſſe quemquam ad altiores virtutum gradus conſcendere, niſi vim ſibi in multis & diu faciat. Difficillimum eſt ſe in omnibus humiliare, injurias condonare, inimicos diligere, gravia patienter tolerare, & quamlibet aliam virtutem ſedulo ſectari: ſed e contra nil facilius, quam ad gravia quævis peccata declinare. Quid enim facilius, quam pravæ cuidam cogitationi conſenſum præbere? Quid facilius, quam mulierem concupiſcere? Quid facilius, quam blaſphemum aliquod verbum proferre, vel aliud quoddam mortale peccatum perpetrare? Certe nil facilius: quia dæmon, proclivis ad malum natura, inordinati paſſionum motus, divitiæ, voluptates, pravorum hominum conſortia, & omnes fere creaturæ *factæ ſunt in muſcipulam pedibus inſipientium, Sap.* 14. & homines ad gravia peccata ſæpiſſime inclinant. Quare cum nil facilius ſit, quam mortaliter peccare; nil etiam facilius, quam Chriſtum perdere: quia adveniente vel unico mortali

pec-

Digitized by Google

peccato, Chriſtus perditur, & in hominis juſti anima per gratiam ſuam habitare deſinit.

Nulla virtus eſt rarior perſeverantia: nemo illam mereri poteſt, & ſemper eſt donum Dei omnino gratuitum, quod facillime perditur: *tum* quia homo ex natura ſua eſt inconſtans, debilis, & ad malum proclivis: *tum* quia dæmon ſoli juſtorum perſeverantiæ totis ſemper conatibus inſidiatur: *tum* quia ipſe Deus hoc ſæpe dono hominem privat, vel ſolum ob teporem, & neglectas aliquas gratias ob quarum negligentiam illum non perſeverare, & in mortalia cadere permittit. Quare cum facile perdatur perſeverantiæ donum, facile etiam perditur Chriſtus, qui tamdiu ſolum in homine remanet, quamdiu in ſtatu gratiæ perſeverat.

Ex jam dictis ſole clarius eſt, homini facillimum eſſe Chriſtum perdere: ſed hanc facilitatem Chriſtum perdendi aliunde adhuc auſpicor: ab infelici ſcilicet Angelorum caſu, quem cum mente revolvo, non poſſum non judicare, nil hominibus facilius, quam in mortalia cadere; ac proinde nil eis facilius, quam Chriſtum Dominum perdere. Noſtis, quanta ſcientia & pulchritudine, quanta nobilitate, & fortitudine, quotque mirandis aliis donis in creatione ſua a Deo ditati ſint cæleſtes illis Spiritus: noſtis etiam, quod pretioſum gratiæ ſanctificantis donum a Deo acceperint, quodque *in iis Deus erat ſimul condens naturam & largiens gratiam*, *Auguſtinus*. Sed, proh dolor! Multi ex Angelis ita facile gratiam perdiderunt, ut vix duobus aut tribus inſtantibus in ſtatu gratiæ perſeveraverint. Heu! ſi Angeli, qui hominibus longe nobiliores, ſapientiores, digniores, & conſtantiores erant, tanta facilitate a ſtatu gratiæ declinarint, & Deum a ſe per peccata expulerint; quam facile eſt homini infirmo, ignaro, & inconſtanti, in mortalia cadere, & Chriſtum a ſe expellere! Certe nil hoc ipſi facilius; vel potius ipſi difficillimum eſt, quod Chriſtum non perdat, & per adveniens aliquod mortale peccatum a ſe non expellat.

Ab Angelis ad Protoparentes pergo. Iſtorum deploro caſum, & ex caſu eorum recte infero, nil aliis hominibus facilius quam in mortalia cadere, & Chriſtum perdere. Primis illis Parentibus prohibuerat Deus, ne de ligno ſcientiæ boni & mali comederent: Eva autem fructum arboris ſcientiæ boni & mali intuita eſt, pulchritudinem ejus admirata eſt; ac tandem, ſuadente tartareo ſerpente, de fructu vetito comedens, peccavit mortaliter: & ſic gratiam ſanctificantem, Deumque ſuum perdidit. Adam vero audivit Evam ſuadentem, ut de eodem fructu comederet; mulieris ſuæ ſuaſionibus facile annuit, & de fructu vetito comedens, Dei præceptum violavit, & ſic accepta a Deo pretioſiſſima juſtitiæ originalis, & gratiæ ſanctificantis dona, unius pomi morſu, & comeſtione perdidit. Ecce quam facile gratiam ſanctificantem perdiderint Adamus & Eva! ſed ecce etiam quam facile illam perdere ſoleant alii homines. Sciunt, nil in hoc mundo gratia ſanctificantem pretioſius; probe norunt, unicum hujus gratiæ gradum majoris eſſe pretii & valoris, quam terrena omnia; eam tamen perdunt momentanea voluptate carnali, iniquo alicujus pecuniolæ lucro, pravo inordinatæ concupiſcentiæ deſiderio, uno detractionis verbo, & quaſi pro uno pomo. O quam facile gratiam perdiderunt primi parentes! Sed o quam facile gratiam & Chriſtum perdunt eorum poſteri!

Ex omnibus Adæ poſteris, unicus in exemplum nobis ſit Vates Regius: Videamus, quam facile S. ille Propheta gratiam perdiderit. *Perambulabam*, inquit, *in innocentia cordis mei*, *non cogitabam rem injuſtam*: *Pſ.* 100. cum autem in cordis ſui innocentia perambularet Propheta, nilque mali cogitaret, vidit mulierem lavantem ſe. Vidit illam, & quia nimis attente eam vidit, eam deinde concupivit, adulterio poſtea illam fœdavit; ac tandem ab adulterio cum muliere perpetrato, ad mariti ejus homicidium declinavit. En quam facile gratiam perdiderit David! en quam facile a ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati migraverit! ſed ecce etiam identidem, quam facile homines gratiam & Deum ſuum perdant! Aliqui tranſeunt, nil mali cogitantes, & tranſeundo, nimis curioſe aliquam vident mulierem, pulchritudinem ejus admirantur, ac tandem eam luxurioſe concupiſcunt; ecce peccatum mortale, ecce gratiam perditam. Alii mulierum conſortio nonnumquam ſe immiſcent, tum pietatis, tum honeſtæ recreationis, tum ſocietatis civilis cauſa, & licet tunc nil minus quam peccare cogitent; quia tamen iſtam & illam vident; ſuadente diabolo, iſta & illa placere incipiunt, fœdæ cogitationes imaginationem & intellectum conturbant: ac tandem venereæ cuidam cogitationi voluntas aſſentitur; & ſic mortale peccatum committitur, gratiaque ſanctificans miſere perditur.

His & aliis innumeris experimentis certo conſtat, nil homini facilius, quam in mortalia cadere; ac proinde nil ei facilius, quam gratiam ſanctificantem, & Chriſtum perdere; Quare cum tam facile perdatur Chriſtus, timere quiſque debet, ne eum perdat, & ne eum per adveniens aliquod lethale peccatum a ſe expellat. O N. ſi in ſtatu gratiæ ſis, & Chriſtum per gratiam ſuam poſſideas, time ne cadas, time ne a ſtatu gratiæ deſciſcas, & Chriſtum perdas: *Qui ſe exiſtimat ſtare*, *videat ne cadat*. *Divus Paulus* 1. *Cor.* 10.

Hoc ſane timore anxiari & configi debent juſtorum quorumcumque corda: quia nemo tam juſtus & tam perfectus, qui in gravia crimina cadere, & Chriſtum perdere facillime non poſſit. Timete ergo juſti: cum timore & tremore, ſalutem veſtram operamini ac ita timete, ut ſumma cura & ſollicitudine caveatis, ne in lethalia incidatis.

*Qui pavet*, *cavet*, inquit Bernardus; quare ita pavete, ut caveatis. Cavete ab omni quod ad lethalia vos inclinare poteſt, cavete ne cum his loquamini perſonis, ne hæc adeatis loca, & ne his occaſionibus vos exponatis, in quibus grave eſt periculum gratiam & Chriſtum perdendi. Hæc cavete, quia facile perditur Chriſtus; *ac etiam quia miſeri ſunt*, *qui Chriſtum perdiderunt*.

## SECUNDA PARS.

*Quam miſeri ſunt, qui Chriſtum perdiderunt.*

BAbylonem ſumma ſollicitudine a vitiis, quibus ſcatebat, purgare, & ad morum mutationem adducere conatus erat Jeremias Propheta; ſed advertens ſuos omnes inutiles eſſe labores, miſeramque

hanc urbem ad pejora ſemper declinare, ab ea diſcedere, eamque derelinquere ſtatuit, *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamus eam. Jerem. 51. 9.*

Quid ſimile egit Chriſtus Salvator reſpectu Judæorum, cum enim verbis, exemplis, miraculis, omnibuſque modis eos a vitiis, quibus adhærebant, avocare pertentaſſet, videretque labores, quos pro illis impendebat, eſſe ſine fructu, ab iis diſceſſit, dicens: *Vado ad eum qui me miſit. Quæretis me, & non invenietis. Joann. 7. 33.*

Quis infelices non cenſeat Judæos ob Chriſti Salvatoris diſceſſum? Quis eos miſeros non credat, eo quod perdant Deum ſuum, Redemptorem ſuum, & Benefactorem ſuum, a quo innumera perceperunt beneficia? Sed quis identidem illos non dicat miſerrimos, qui in mortalia peccata incidunt? Nonne iſti Chriſtum a ſe expellunt? Nonne Chriſtum, qui in ipſis per gratiam ſanctificantem habitabat, infeliciter amittunt? Antea Chriſtus Dominus, Chriſtus Creator, Chriſtus ſummus eorum Benefactor in iis erat per gratiam, ſed adveniente mortali peccato, in quod incidunt, eum a ſe expellunt, eum amittunt, moxque in iis per gratiam ſuam ſanctificantem eſſe deſinit! O quam magna hæc eſt jactura! O quam miſeri, qui tantam jacturam faciunt!

Quærebant olim Philoſophi, quod ex malis, in quæ homo incurrere poterat, graviſſimum eſſet, & maximum. Dixerunt nonnulli, malum nullum paupertate gravius, quia mox ut pauper quis factus eſt, omnibus ſubditur, ab omnibus deſpicitur, ac deliciis, gaudiis, necnon cunctis quæ ad hominum ſolatium data ſunt, privatur. Alii captivitatem, omnium malorum peſſimum & diriſſimum cenſuerunt, quia captivitate tollitur libertas, qua nil optabilius, nil pretioſius, *Nec bene pro toto libertas venditur auro.* Rectius judicaſſe videtur Philoſophorum Princeps, cum dixit, nullum malum morte acerbius & pejus, quia adveniente morte, privatur homo divitiis, honoribus, deliciis, & dignitatibus, nec eſt aliquid quod homo magis quam mortem reformider, *Omnium terribilium terribiliſſimum mors. Ariſt. 4. Ethic.*

Hi Philoſophorum Ethnicorum more ratiocinabantur. Sed ſi ut Chriſtiani, utque viri fidei divinæ radiis illuſtrati, inquiramus quod ex malis, quæ homini in hoc mundo accidere poſſunt, ſit maximum; Nullum meo quidem judicio, majus ei evenire poteſt, quam quod Chriſti abſentiam & jacturam patiatur, quodque Chriſtum, qui omnium eſt origo bonorum, a ſe per peccatum expellat & perdat. Sicut enim ſublunaribus & ſenſu carentibus creaturis nil magis noxium accidere poteſt, quam quod priventur ſolis lumine & influxu; ita & homini nullum majus in hoc mundo advenire poteſt malum, quam quod Chriſto, juſtitiæ & gratiæ ſole privetur. Sicut etiam ſi ſol in mundo eſſe deſineret, ſterilis fieret terra, areſcerent arbores & plantæ, tetris omnia involverentur tenebris, omniſque creaturarum decor & virtus periret; ita cum Chriſtus, juſtitiæ ſol, ab anima diſcedit, operibus meritoriis hæc arida remanet, ſpirituali privatur vita, ad producendum quodcumque opus, æternæ gloriæ dignum, inepta fit; & omnem, quem a divina gratia habebat, decorem infeliciter amittit. Et ideo miſeri, & miſerrimi ſunt, qui per peccata, in quæ incidunt, Chriſtum a ſe expellunt & amittunt.

Cum Jacob a domo ſoceri ſui Laban clam cum uxore ſua Rachel, & filiis ſuis aufugiſſet, Laban aſſumptibus fratribus ſuis perſecutus eſt eum diebus ſeptem, & comprehendit eum in monte Galaad: cumque illum conſecutus fuiſſet, illi tribus de rebus conqueſtus eſt. Prima eſt, quod clam abierit: *Cur ignorante me fugere voluiſti? Gen. 31.* Secunda, quod non ſibi tempus & facultatem dederit oſculandi filios: *Non es paſſus ut oſcularer filios & filias.* Tertia, & maxima ſoceri fuit querela, quod Jacob idola ejus furatus ſit, & abſtulerit; ſe miſerum exiſtimans, eo quod idola perdiderit: *Cur furatus es Deos meos?*

Quid ſimile in Libro Judicum legimus de quodam idololatra, nomine Michas: cum enim ab ejus domo ſimul cum idolis multa pretioſa fures abſtuliſſent, ipſe clamans eos ſecutus eſt. Fures autem reſpicientes Micham, dixerunt ei; cur clamas? Qui reſpondit: *Deos meos tuliſtis, & dicitis: quid tibi eſt? Judic. 18.* Quaſi dicat; nocere mihi magis non potuiſtis, quam cum Deos meos tuliſtis; nihil mihi gravius accideret potuit, & ideo clamo, & gemitus effundo, me miſerrimum exiſtimans, cum Deos meos perdiderim.

Heu! ſi Laban, Michas, & alii nonnulli viri idololatræ ſe miſeros arbitrentur, eo quod idola & Deos inanes perdiderint; quanto miſeriores ſunt qui incidentes in mortale peccatum, Chriſtum Mariæ Filium, æterno Patri conſubſtantialem, cœlique & terræ Dominatorem amittunt, & a ſe expellunt? Tanta quidem eorum eſt miſeria, ut vix explicari poſſit.

Cum mente revolvo miſeriam & infelicitatem perſonæ unius, quæ Chriſtum, ſeu Chriſti gratiam amiſit; mihi videre videor prodigum illum filium qui a paterna domo diſceſſit, Eſau qui primogenituræ jura amiſit, Adamum qui a Paradiſo terreſtri expulſus eſt; vel aliquem ex Angelis illis apoſtatis, qui paratum ſibi cæleſte regnum perdiderunt. Sed nec hæc mihi ſatis exprimunt, quanta ſit miſeria eorum qui Chriſtum, ſeu ejus gratiam amiſerunt.

Majorem, & veriorem miſeriæ illorum ideam habere videor, cum eos inſpicio ut ſarmenta a vite ſeparata. Quid enim ſarmenta, ſi a ſtipite ſejunguntur? Eſtne utile ad aliquod vas, vel ad aliquam ſtatuam conficiendam? Ad nihil ſane eſt utile, quam ad comburendum. Quando ſarmentum viti jungitur, ſuaves & utiles producit fructus; ſed cum a vite ſeparatum eſt, ad nihil aliud utile, & aptum eſt, quam ut comburatur. Unde præclare dixit Auguſtinus; ſarmentum debere eſſe, *aut in vite, aut in igne*; quod ſi in vite non ſit, in igne eſſe debeat; *Si in vite non eſt, in igne erit. S. Aug. Tract. 81. in Joann.* Ecce aliquam miſeriæ eorum qui Chriſtum amiſerunt, imaginem: Chriſtus enim eſt vitis vera, & homines ſunt palmites. Quamdiu autem homines Chriſto per gratiam juncti ſunt, mirabiles, & æternæ gloriæ dignos edunt fructus: ſed poſtquam per mortale aliquod peccatum Chriſtum amiſerunt, ita miſeri ſunt, ut æterno ſolummodo igni apti videantur. Cum non ſint in vite, debent eſſe in igne: & in igne æterno erunt, ſi non reſipiſcant, & a miſero ſuo ſtatu non reſurgant. O quam miſeri ſunt hujuſmodi homines!

Ve-

Verum eſt, quod quamdiu in hoc mundo vivunt, ſuam non ſentiant miſeriam, ſeque miſeros non arbitrentur. Mihi enim ſimiles videntur puero in cunis exiſtenti, quem Tyrannus aliquis regio ſpoliavit. Quamdiu hic puer uſu rationis caret, nullo modo curat de jactura quam fecit: non ideo flet, vel turbatur. Sed poſtquam major factus eſt, agnoſcit quæ & quanta ſint bona quibus ſpoliatus fuit, & tunc flet, gemit, turbatur, ac ſæpe mœrore conficitur.

Sic plerique peccatorum, qui criminibus ſuis Chriſtum a ſe expulerunt, quamdiu in hoc mundo vivunt, ſunt quaſi pueri rationis uſu carentes: qui non cognoſcunt quam gravis, quamque exitioſa ſit jactura quam fecerunt. Sed cum in inferno erunt, aperientur oculi eorum, ut videant: tunc cognoſcent, quam amarum ſit dereliquiſſe Dominum Deum ſuum; tuncque agnoſcentes, quam gravis fuerit jactura quam in hoc mundo fecerunt, lacrymabuntur, gement, dentibuſque ſuis fremens & tabeſcent. Sed, o peccatores, tunc vani, & inutiles erunt fletus veſtri: quare ſi ita miſeri fuis, ut lethali aliquo peccato Chriſti gratiam amiſeritis, Chriſtumque perdideritis; dum in hoc mundo vivitis, eum quærite: ac ita quærite, ut illum inveniatis. Quod ut facere valeatis videamus *quid agere debeatis, ut Chriſtum inveniatis*.

## TERTIA PARS.

*Quid agere debeant qui Chriſtum perdiderunt, ut illum inveniant.*

DEſeruit vos Chriſtus, o peccatores, quia illum deſeruiſtis. Deſeruit vos, cum in mortale peccatum lapſi eſtis, non tamen ita vos deſeruit, ut illum invenire illumque ad vos per gratiam ſuam revocare non valeatis. Eum quidem invenire poteſtis; ſed ut eum inveniatis, quærendus eſt tempore, loco, & modo quo quæri debet.

Multi, inquit Sanctus Bernardus, ex his qui Deum quærunt, eum non inveniunt: *aut quia non quærunt quando oportet, aut quia non quærunt ubi oportet, aut quia non quærunt ſicut oportet. Sanctus Bernardus ſerm. 75. in Cant.* Ex quibus melliflui Doctoris verbis facile colligitur quid faciendum ut inveniatur Chriſtus: ut enim illum inveniant peccatores, illum quærere debent: 1. Quando oportet: 2. Ubi oportet: 3. Sicut oportet.

1. Eſt aliquod tempus, in quo Deus inveniri poteſt, & eſt aliquod tempus, in quo inveniri non poteſt, & ideo hortatur nos Iſaias Propheta, ut Deum quæramus eo tempore quo inveniri poteſt: *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt. Iſaiæ 55. 6.* Quod eſt illud tempus, in quo Deus inveniri poteſt? Totum ſane hujus vitæ tempus, quamdiu enim in hoc mundo vivit peccator, Deo reconciliari poteſt, illumque invenire. Si ante mortem Deum peccator non invenerit, poſt mortem illum non inveniet: quia tunc non eſt tempus, in quo illum invenire poſſit. Sed quamdiu in hoc mundo moratur peccator, ad Deum redire, illumque invenire poteſt, quia totum hujus vitæ tempus, eſt tempus gratiæ, & miſericordiæ.

Hoc eſt tempus, in quo Deus a peccatore inveniri poteſt, non tamen toto hoc tempore ab eo facile invenitur. Abſolute loquendo, peccator, quantumvis induratus, quantumvis obcæcatus, Deum toto vitæ ſuæ tempore invenire poteſt. Immo, & fieri poteſt, ut Deum in vitæ ſuæ termino inveniat, qui reliquo vitæ ſuæ tempore per aliquod lethale peccatum ab eo fuit ſeparatus, ſed hoc facile non fit, hoc raro fit, hoc fere numquam fit. Et ideo peccatori non eſt parva timendi ratio, ſi uſque ad ſenectam, vel uſque ad vitæ exitum, Deum quærere differat, tunc enim non facile invenitur. Aut, ut convenientius loquar, tunc fere numquam invenitur.

Audite quomodo loquitur Deus: *Qui mane*, inquit, *vigilant ad me, invenient me. Prov. 8. 17.* Non ait, qui uſque ad ſenectam, vel uſque ad ultimum vitæ ſuæ terminum, me quærere different, tunc invenient me; tunc ad eos veniam per gratiam meam, ut illos juſtificem, illoſque æterna gloria dignos efficiam. Sed ait. *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Seu, qui in juventute, vel mox poſt perpetratum peccatum quærent me, invenient me. Sic loquitur Deus, quia ab iſtis facile invenitur, non autem ab iis qui eum quærere differunt.

O infelix homo, poſtquam in lethale aliquod peccatum cecidiſti, in eo obdormis, de Deo mox quærendo non curas: cum inſenuero, inquis, vel cum mortis tempus appropinquaverit, tunc revertar ad Dominum Deum meum; tunc Deum ſollicite inquiram, illumque infallibiliter inveniam. Verum eſt, quod illum tunc invenire poſſis; ſed quaſi certum eſt, quod tunc illum non invenies, quia tunc quam difficillime inveniri ſolet. Quare *ne tardes converti ad Dominum*; ſed poſt commiſſum peccatum eum cito quære. Hoc eſt tempus, in quo quærendus eſt. *Sed ubi quærendus?*

2. Non eſt quærendus inter cognitos & notos; quia ibi eum non invenerunt Joſeph, & Maria. Unde præclare dixit Sanctus Bernardus: *Quomodo te, bene Jeſu, inter cognatos meos inveniam, qui inter tuos minime es inventus? Ibid.* Ubi ergo quærendus Chriſtus? Non in plateis, non in caupona, non in locis profanis, non enim ibi invenitur Chriſtus. Sic inquit Doctor Seraphicus, crux non quæritur in hara porcorum, nec Sacerdos in ſpelunca latronum: ita Chriſtus non quærendus in locis profanis. Ubi ergo quærendus Salvator? Ibi quærendus, ubi a Maria, & Joſepho inventus eſt. Dicit ſacer Textus, quod eum in Templo, & in medio Doctorum invenerint: *Poſt triduum invenerunt illum in Templo, ſedentem in medio Doctorum. Luc. 2.* Vis Chriſtum invenire? Ne adeas hunc, & illum locum, in quibus eum per peccata tam perdere conſueviſti; ſed adi Templum, adi Doctores, & Confeſſarios; ibique eum invenies. Chriſtus a parentibus inventus eſt, ſedens in medio Doctorum, & quaſi humilis Diſcipulus, audiens, & interrogans illos: *Audientem illos, & interrogantem eos.* Vis Chriſtum, quem perdidiſti, invenire? Vade in Templum: ito ad Doctores, & peritos Confeſſarios: dic illis qua ratione Chriſtum peccando perdideris; audi quid conſilii tibi dare dignabuntur; fac quod dicent, & eum invenies.

Cum Sponſum nec in lectulo, nec in plateis inveniſſet Sponſa ſacra, interrogavit vigiles qui cuſtodiebant civitatem, dicens: *Num quem diligit anima mea, vidiſtis? Cant. 3. 3.* Mox autem ut illos

Digitized by Google

los interrogavit, eum invenit: *Paululum cum pertranſiſſem eos, inveni quem diligit anima mea.* Vis tu invenire Chriſtum? Quære illum inter vigiles, ſeu inter Paſtores, & Confeſſarios, qui animarum ſaluti invigilare ſolent. Hos oportet adeas, eorumque ſtes conſilio, ut Chriſtum invenias. Ecce ubi quærendus Chriſtus: *Sed quomodo quærendus?*

3. Ubi primum ſanctiſſima Virgo, ſe chariſſimum Filium perdidiſſe perſpexit, illum magno cum cordis dolore quæſivit: *Dolentes quærebamus te.* Etſi ſine ulla ſua culpa eum perdidiſſet, eum tamen cum fletibus, & lacrymis toto triduo quæſivit: quo edocemur quonam modo Chriſtum quærere debeamus, ut illum inveniamus: cum ſiquidem quærere debemus *dolentes*, & veræ pœnitentiæ lacrymas fundentes. Cum enim per mortale peccatum amittatur Chriſtus, pœnitentiæ gladio enecandum eſt peccatum, & invenietur Chriſtus; Chriſti inventioni ſolum obſtat peccatum; & ideo ſi peccatum perimas, Chriſtum invenies, peccatum autem perimes, ſi veram pœnitentiam agas: quære ergo Chriſtum per pœnitentiam: in amaritudine animæ tuæ, & illum invenies: *Invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Deut. 4. 29.*

Via qua ad Deum imus, & qua Deus ad nos venit, eſt in mari: *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis. Pſal. 76. 20.* Illa via qua ad Deum pergimus, & qua Deus ad nos venit, eſt in mari pœnitentiæ: quia cum per pœnitentiam peccata delemus, ad Deum imus, & Deus ad nos venit, & ſic per pœnitentiam Chriſtum invenimus. Quod nobis figuratum eſt in hoc quod Joſeph & Maria Chriſtum invenerunt *poſt triduum*; eſt enim in pœnitentia quoddam triduum, & quædam via trium dierum, quam ſi ſequamur, Chriſtum infallibiliter inveniemus. Hæc autem trium dierum via, quæ in pœnitentia reperitur, eſt via contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis; ſi Chriſtum per peccatum aliquod mortale perdidiſti, doleas de perpetrato peccato, confitere illud, per veræ ſatisfactionis opera Deo, & proximo redde quod debes, & Chriſtum Dominum tuum invenies, illoque in te per gratiam ſuam inhabitante gaudebis.

O quam felix eris, ſi Creatorem tuum, Salvatorem tuum, & animæ tuæ Sponſum invenias! Gaviſa eſt Sponſa cum Sponſum invenit, gaviſa eſt & Maria cum dilectum Filium invenit, gaude & tu ſi Chriſtum invenire valeas: diem converſionis tuæ, in quo Chriſtum invenies, inter dies lætitiæ, & felicitatis tuæ annumera. Sed ſi tanta ſit felicitas tua, ut Chriſtum invenias; tene eum, nec amplius illum a te per peccata tua expellas.

Poſtquam Sponſa ſacra Sponſum invenit, tenuit illum, nec uſquam amplius illum dimiſit: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Cant. 3. 4.* Poſtquam etiam Maria Chriſtum reperit, tenuit illum, nec illum iterum perdidiſſe ſcimus. Sic tu, ſi Chriſtum invenire merearis, tene illum, nec illum uſquam a te per peccata tua expellas: parum enim tibi prodeſſet eum multo labore quæſiiſſe, & inveniſſe, ſi rurſum eum perderes. Immo, ſi eum rurſum perderes, forte nuſquam amplius eum invenires: præoccupatus enim morte, ſpatium pœnitentiæ forte invenire non poſſes. Si ergo eum inveneris, tene eum, cuſtodi illum fugiendo occaſiones peccatorum; obſerando mentem ſeriis propoſitis, & recipiendo ſæpe Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta. Tene eum, donec introducat te in æterna Tabernacula. *Amen.*

## DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

## DE EBRIETATE.

*Vinum non habent.* Joann. 2. 3.

SI ab ebrioſis, ventrique deditis hominibus petamus, quid de vino ſentiant? In ejus elogia facile prorumpent, innumeras ad ejus laudem cantilenas component; cumque illud inſpiciant veluti Deum, ad quem vota ſua dirigunt, nil illo amabilius, nil pretioſius, nilque excellentius eſſe dicent. Verum quidem, quod vinum ſit creatura nobilis; quod ſit liquor palato & guſtui gratiſſimus; quodque, ſi moderate ſumatur, acquirendæ, & conſervandæ valetudini non parum proſit. Sed ſi immoderate bibatur, rationem perturbat, de rationali homine brutum animal efficit, ſapientes quoſque riſui, & omnium contemptui objicit, ad luxuriam provocat, innumeraque mala, & vitia parturit.

Meæ mentis non eſt vini uſum damnare; ſed abuſum, ſeu ebrietatem, cui vitandæ & deteſtandæ ſumma cura invigilare debent fideles, huic rei potiſſimum attendant neceſſe eſt: *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate. Luc. 21. 34.*

In nuptiis, quibus adeſſe dignatur Chriſtus, vinum deficit: *Vinum non habent.* Advertite, quod in iis non deficiant mens & ratio ob ebrietatem, & nimiam vini ſumptionem, ſed quod in iis deficiat vinum. Cavete ſimiliter in conviviis veſtris, non tam a defectu vini, quam a defectu rationis ob nimiam vini potationem: a nimio abſtinete vino; mentes & corda veſtra non graventur ebrietate, quæ, ut jam videbimus, maligna malorum multorum parens & mater eſt, &c. *Ave.*

OMnium hominum corda variis ſunt concitata, & ſæpe conturbata deſideriis, quare, ut advertit S. Bernardus, quilibet homo, non ſecus ac Daniel, vocari poteſt *Vir deſideriorum.* Viri quidem deſideriorum ſunt plerique hominum, eorumque deſideria plerumque ad divitias, ad ſanitatem, & ad ſanctitatem ſpectant, & diriguntur. *Divitias* quidem optant multi, ut paupertatis incommoda devitent, & ut in hoc mundo feliciter vivant. *Sanitatem* plures cupiunt, tamquam bonum omnibus optabile, ſine quo alia temporalia bona nihil ſunt, nihilque proſunt. *Sanctitatem* plurimi deſiderant, ut Deo placeant, & æterna felicitate aliquando frui valeant.

O quam felices, qui in hoc mundo & divites, & ſani, & ſancti ſunt! Sed o quam horrendum monſtrum eſt ebrietas, quæ ab homine divitias, ſanitatem, & ſanctitatem tollit! Ebrietas enim eſt mater paupertatis, infirmitatum, & vitiorum: *Eſt mater paupertatis*, quia homines ad egeſtatem redigit.

Eſt

Digitized by Google

*Eſt mater infirmitatum*, quia homines infirmitatibus conficit: *Eſt mater vitiorum*, quia homines ad multa crimina trahit. Ebrietas eſt 1. Mater paupertatis: 2. Mater infirmitatum: 3. Mater vitiorum.

## PRIMA PARS.

*Ebrietas eſt mater paupertatis.*

Ditari non ſolent qui vinum, plus quam par eſt, diligunt, & qui ebrietati ſe dedunt: *Qui diligit vinum, non ditabitur: Prov. 21. 17.* Tantum abeſt, quod ditentur, quin contra pauperes, egeni, & miſeri fieri ſolent, quia ebrietas eſt paupertatis mater & genitrix, quæ homines vino indulgentes, temporalibus facultatibus ſpoliare, & ad turpem egeſtatem redigere ſolita eſt: *Qui diligit epulas, in egeſtate erit. Ibid.*

Hoc præclare docuit Salomon, dicens, omnem hominis ebrioſi laborem eſſe in ore ejus: *Omnis labor hominis in ore ejus. Eccl. 6. 7.* Omnes fere ebrioſi, pigri ſunt & deſides, qui numquam, aut raro laborant, qui domeſticis negotiis parum incumbunt, & qui non manibus, ſed ore & maxillis laborant: *Omnis labor in ore ejus.* Quare cum domeſticis rebus non vacent, totique ſint ebrietatibus & comeſſationibus, pauperes & inopes cito fiunt, ebrietaſque in eis eſt maligna mater, quæ pauperiem cito generat.

Sic a multis exponitur ille Salomonis locus, ſed paulo aliter illum explicat Doctor Seraphicus, dicens, omnem viri ebrioſi laborem eſſe in ore ejus, quia ille ore ſuo, ſuiſque ebrietatibus brevi abſumit quidquid labore manuum ſuarum acquirere poteſt: *Omnis labor in ore ſuo, id eſt, quidquid ex labore acquirit, ore ſuo guloſe conſumit. S. Bonav. in Diæta ſalut.* Nonne videmus ſæpe artifices ſuæ artis peritiſſimos, qui quot die plura lucrantur, & tamen numquam ditеſcunt, ſed ſemper egeſtate premuntur? Unde hoc? a vino quidem & ebrietate, quæ abſumit quidquid illi labore acquirere poſſunt. Nonne plurimos videmus Mercatores, qui omnium arbitrio ditiſſimi eſſe deberent, quia ſive in emendo, ſive in vendendo ita felices ſunt ut ſemper lucrentur, & tamen numquam ad pinguiorem veniunt fortunam, ſed ſemper in paupertate, & in ruinæ ſuæ periculo ingemiſcunt? Unde hoc? ab ebrietate utique, quæ eſt peſſima mater, quæ illos acquiſitis ſpoliat, & ad paupertatem redigit. Sed quot ſunt, qui *uno die bibunt multorum dierum labores? S. Ambroſ. lib. de Elia & jejun.* c. 12. Quot ſunt, de quibus dicimus, hic & ille ditiſſimi eſſent, ſi a vino ſemper abſtinuiſſent? Quot ſunt, de quibus dicimus, ſi hic homo tanto affectu vinum non diligeret, Cræſo ditior eſſet, ſed quia mero ſe ſæpe ingurgitat, eſt Lazaro pauperior? Hoc ſæpe dicimus, & hoc veriſſimum eſt, quia ebrietas eſt turpis mater, quæ paupertatem gignit, homineſque cito pauperes efficit.

De Noemo narrat Sacra Scriptura, quod inebriatus ſit, licet ſine ſua culpa, quia non noverat, vinum inebriandi vim habere. Sed ut refert ſacer Textus, poſtquam Noe inebriatus eſt, nudus factus eſt: *Bibens vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo, Gen. 9. 21.* Hoc plerumque accidit ebrioſis, qui per ebrietatem nudi & miſeri fiunt: ſi nimio non indulgerent vino, acquiſita ſervare poſſent bona, & nova acquirere: ſed quia bibere, & inebriari amant, pauliſper bonis denudantur, & ad paupertatem declinant. *Iſai. 28. 7.*

Cum Callias quidam Athenienſis ſubſtantiam ſuam ſimul cum plurimo vino ſorbuiſſet, ad tantam redactus eſt paupertatem, ut hyemis etiam tempore nudus incedere cogeretur. Unde hoc dicterio paſſim notabatur: *Hic a vino deplumatus eſt.* Simile quid dici poſſet de omnibus fere ebrioſis, quia deplumantur, & nudantur a vino, a quo omnes eorum divitiæ abſorbentur. Et ideo de iis dicit Iſaias Propheta, quod *abſorpti ſunt a vino*: Dum enim ipſi vinum abſorbent, interim a vino abſorbentur jam eorum pecuniæ, nunc veſtes, nunc prædia, quouſque tandem nudi & pauperrimi fiunt: quia ebrioſi fuerunt. O quam exitioſa mater eſt ebrietas quæ paupertatem parit, ac ebrioſos, pauperes & inopes efficit!

Inſatiabilem & inexplebilem eſſe impiorum ventrem dicit Salomon: *Venter autem impiorum inſaturabilis. Prov. 13. 25.* Quæ verba de guloſis & ebrioſis exponens Doctor Seraphicus, ait, quod numquam ſatiari poſſint: *Guloſus numquam poteſt ſatiari. D. Bonav. ibid.* Si vir ebrioſus pecunias habeat, diu noctuque in caupona moratur: bibit & rebibit, quouſque arca evacuatur, nec tamen adhuc ſatiatur. Nunc domum, nunc vineam, nunc pratum vendit, ut crapulæ & ebrietati vacet; nec tamen adhuc ſatiatur, nunc ab amico pecuniam mutuo accipit, nunc mulieris dotem pignori dat, ut inde habeat, quo bibat, nec tamen umquam venter ejus ſatiari poteſt: *Guloſus numquam poteſt ſatiari.* Venter ejus ita inſatiabilis eſt, ut ſua, uxoris, totiuſque familiæ bona abſorbeat, eumque ex divite pauperem faciat.

Ingenioſe Doctor Seraphicus virum guloſum & ebrioſum cum ſacco pertuſo confert. *Saccus pertuſus eſt guloſus. Ibid.* Si aurum, argentum, vel triticum injicias in ſaccum pertuſum, non in eo manebit, ſed per foramina tranſibit & cito diffluet. Idem dicendum de viro ebrioſo: volo, ut divitiis, boniſque temporalibus affluat, cito haud dubie diffluent, quia eſt quaſi ſaccus pertuſus qui ea diu non retinebit. Vides hominem, qui alias domum habebat, jam non habet; alias habebat pecunias, jam non habet: alias prata, vineas & agros habebat, jam non habet; unde hoc? Si bene cauſam inquiras, invenies, hunc hominem eſſe ſaccum pertuſum, qui ebrietatibus ſuis totam ſuam diſſipavit ſubſtantiam; *Saccus pertuſus eſt guloſus.* Nonne aliquando videmus aliquem patrem familias, qui labore multo, plurimiſque ſudoribus divitias congregat, qui viginti, vel triginta annorum ſpatio diu noctuque laborat, ut filiis opes multas Teſtamento relinquat? Sed ſi filio ebrioſo, & ebrietati dedito eas relinquat, idem eſt, ac ſi illas in ſaccum pertuſum mittat: *Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum. Aggæi 1. 6.* Illas ſane in ſaccum pertuſum mittit; quia ebrioſus ille hæres erit quaſi ſaccus pertuſus, a quo cito diffluant hæ omnes divitiæ, illum pater divitem fecit, & ebrietas illum cito ad egeſtatem & inopiam rediget.

Præclare dixit S. Bernardus, viri ebrioſi ventrem

eſſe

Digitized by Google

eſſe *ſanguiſugam*. Eſt quidem ſanguiſuga, quia ſugit, & deglutit quidquid eſt ſubſtantiæ in ebrioſi domo. Nonne ſæpe videmus, quod in domo aliqua laboret pater, laboret mater, lucrentur omnes, & tamen res familiaris non augeatur, pecuniæ non multiplicentur, nec fundi acquirantur, unde hoc? ab aliqua haud dubie ſanguiſuga: ab aliquo filio ebrioſo, cujus venter omnia ſugit, ab aliquo filio poculis & ebrietati addicto, qui jam pecuniam ex area, nunc ex horreo triticum, & nunc vinum ex cella vinaria ſubripit, & ideo ebrietatibus ſuis in cauſa eſt, quod non ditetur familia: immo, quod ad paupertatem redigatur.

De aliqua ſanguiſuga loquitur Sapiens; cujus duæ ſunt filiæ, quæ inſatiabiles ſunt, & quæ ſemper ſibi afferri clamant: *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes, Affer, affer. Prov.* 30. 15. Hanc ſanguiſugam Doctor Seraphicus dicit eſſe gulam, cujus duæ ſunt filiæ, crapula ſcilicet, ſeu exceſſus in comeſtibilibus, & ebrietas, ſeu exceſſus in potu. Hæ duæ filiæ, & præcipue ebrietas, dicunt ſemper: *Affer, affer*. Cum enim viri ebrioſi in caupona cum ſuis combibonibus ſunt, vino numquam ſatiantur, ſed ſemper magis & magis afferri clamant, *Affer, affer*. Exhauſta una vini amphora, aliam petunt, abſorptis maximis poculis, alia ſibi miniſtrari poſtulant, dicuntque ſemper: *Affer, affer*. Si quis eos in ſpiritu lenitatis & charitatis moneat, dicens, cavete a nimio vino; ſi non caveatis, inebriabimini, ac ſimul & ſemel rationis uſum, famam, ac Dei gratiam perdetis, hæc abjiciunt monita, clamantque ſemper: *Affer, affer*. Si quis ei dicat: advertite, quod ſanitas veſtra angitur, quodque ab ebrietate in gravem aliquam cadetis infirmitatem, de hoc non curant, ſed dicunt ſemper: *Affer, affer*. Sed, o ebrioſe, memento ſaltem, quod filii fame pereant quod mulier plorans ululet, quod tua in deterius ruant negotia, quod bona tua pereant, quodque brevi ad gravem redigeris inopiam, ſi a frequentibus potationibus & ebrietatibus non abſtineas, hujuſmodi conſilia & monita ſpernunt ebrioſi, clamantque ſemper, ut afferatur vinum: *Affer, affer*.

Dicit Horatius, quod ſanguiſuga apprehenſam hominis cutem numquam dimittat, niſi prius ſanguine plena ſit: *Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo*. Sic ebrioſi a caupona numquam diſcedunt, niſi prius vino pleni ſint. Sæpe cauponam adeunt; ſemper in ea bibunt, & plerumque inebriantur; expenſas in ea multas faciunt; quamdiu ibi ſunt, a laboribus abſtinent, domeſticis non vacant negotiis; & ſic paulatim per ebrietatem pauperes fiunt & miſeri.

Hæc ut latius probemus, non egemus SS. Patrum auctoritatibus, & Theologorum ratiocinationibus; ipſa etenim experientia conſtat, ebrioſos progreſſu temporis fieri pauperes. Quod ut quiſque veſtrum ſibi ſuadeat, mente revolvite quotquot viros ebrioſos agnoſcitis, & invenietis, quod eorum nullus dives fiat, & quod eorum plerique pauperes facti, aut brevi faciendi ſint. De quolibet enim ebrioſo, ſi pauper ab ebrietate jam factus non ſit, dici poteſt, quod per eam cito pauper evadet; quia ebrietas hoſpitem ſuum ad egeſtatem cito redigit, & ab ejus domo ſæpe expellit. Unde cum Diogenes quadam die videret ebrioſum, qui a domo ſua, propter debita ad ebrietati indulgendum contracta, expelleretur, ingenioſe dixit: *Odorabar domum iſtam, vino ſemper ebriam, hoſpitem tandem ſuum evomituram*. Hoc ſæpe accidit viris ebrioſis, qui aut pauperes ſunt, aut pauperes brevi fiunt. Verum eſt, inquit Sanctus Baſilius, quod cum viri ebrioſi actu ebrii ſunt, ſe ſæpe Cræſo ditiores, & Regibus potentiores dicant; ſed cum ebrietatis fumus tranſit, ſe pauperes & miſeros eſſe agnoſcunt: *Divites ſunt, dum inebriantur; mox ubi digeſſerint vinum, cernunt ſe eſſe mendicos & egenos*. A nimio ergo vino abſtinete, ab omni declinate ebrietate; cum hæc ſit maligna mater, quæ paupertatem generat; *ac etiam multas corporis infirmitates*.

## SECUNDA PARS.

*Ebrietas eſt mater infirmitatum*.

OMnibus apertum eſt, abſtinentiam & ſobrietatem eſſe optima media ad conſervandam valetudinem, & ad vitam prorogandam. Quibus mediis, Artis Medicæ Magiſtri Hyppocrates & Galenus perfecta ſanitate gaviſi ſunt, vitamque ſuam diutiſſime produxerunt. Primus, qui ſupra centeſimum annum vixerat, docuit, abſtinentiam in cibo & potu eſſe optimam rationem conſervandæ valetudinis; *Ratio ſanitatis conſervandæ, eſt edere citra ſaturitatem, & impigrum eſſe ad labores. Hyppocr. lib. Epidemion. ſect.* 4. Secundus, qui quadraginta ſupra centum annis vixerat, hanc tradidit ſanitatis conſervandæ regulam; quod numquam quis manducet, vel bibat ad ſatietatem, quodque numquam famem & ſitim totaliter expleat; ſed quod ſemper e menſa ſurgat aliquo modo eſuriens & ſitiens.

Ad Magiſtrorum ſententiam accedant diſcipuli fatenturque omnes alii Medici, abſtinentiam & ſobrietatem, ad conſervandam, vel recuperandam ſanitatem plus valere, quam omnia remedia quæ invenire potuit Ars Medica. Et ideo cum infirmos inviſunt Medici, primum quod præſcribere ſolent, eſt abſtinentia a cibo & vino; ac a vino pluſquam a cibo; vino enim omnem uſum infirmis prohibere ſoliti ſunt.

Si autem abſtinentia & ſobrietas ſanitati faveant, non minus ei noxia ſunt crapula & ebrietas; ac, ut aſſerit S. Ambroſius, ſanitati potiſſimum nocet ebrietas: *Noxia eſt ebrietas ad corporis ſanitatem. S. Ambr. l. de Elia & jejun. c.* 4. Addit S. Joannes Chryſoſtomus, ebrietatem ita ſanitati eſſe noxiam, ut ebrioſos morbis conficiat, ac morborum examinibus obſideat: *Corpora illorum qui gulæ ſtudent, ſunt morborum examinibus obſeſſa. S. Chryſ. orat. de ingluvie, & ebriet.* Et alibi ait, gulam & ebrietatem mille morborum torrentes cauſare: *Mille morborum torrentes a crapula & ebrietate proveniunt*.

Aurei illius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Patris ſententia, rectæ rationi innititur. Sanitas enim conſiſtit in debita humorum proportione & ſymmetria, tam ſecundum quantitatem, quam ſecundum qualitatem: ita ut tunc ſanitate fruamur, cum in nobis hæc eſt humorum debita proportio: tunc vero infirmi ſumus, cum hæc ſymmetria, & proportio perturbatæ ſunt. Patet autem, quod abſtinentia & ſobrietas ita humores temperent, & in debita proportione



Digitized by Google

ne conſervent, ut neque in quantitate, neque in qualitate peccent. *Non quidem in quantitate*: quia per abſtinentiam & ſobrietatem ſuperflui abſumuntur humores: *Non etiam in qualitate*: quia cum abſtinentia & ſobrietas ſuperfluos exſiccent & abſumant humores, impediunt etiam, ne cruditates gignantur, a quibus humores corrumpi ſolent. Quare fatendum, quod ratio acquirendæ & conſervandæ ſanitatis, nulla melior, quam quod quiſque parce & ſobrie vivat. Sed e contra etiam fatendum, quod gula & ebrietas ſymmetriam & debitam humorum proportionem deſtruant, tam in quantitate, quam in qualitate: *In quantitate*: quia ſuperfluos gignunt humores: *In qualitate*: quia noxios & corruptos humores generant. Cum enim nimio cibo, nimioque vino plenus eſt ſtomachus, digeſtio fieri nequit, & ex indigeſtione crudi & putridi remanent humores: ac proinde ab ebrietate & crapula innumeri gignuntur morbi: & ideo ebrietas infirmitatum mater dicenda: *Mille morborum torrentes a crapula oriuntur*.

Aliam adduco rationem, veriſſimo innixam Hyppocratis Aphoriſmo, dicentis, omnes morbos a repletione, vel a nimia evacuatione naſci, eamque rationem ſanandi morbos aſſignat, quod *quicumque morbi ex repletione fiunt, eos evacuatio ſanat: & quicumque ex evacuatione, repletio. Hyppocr. ſect. 2. Aphor. 22.* Sed, ut docet Hyppocrates, pauciſſimi ex morbis, quibus homines laborare ſolent, oriuntur ab evacuatione, omnes enim plerumque a repletione naſcuntur, nimirum quod plus aſſumatur, quam natura requirat, & ſtomachus poſſit perfecte concoquere. Et ideo Medici, probe ſcientes, omnes fere morbos a repletione ortum ducere, ut eos curent, ſanguinem detrahi, humorum colluviem medicamentis ſubduci, vel alias evacuationes fieri præſcribunt. Itaque cum omnes pene morbi a nimia repletione procedant, evidens eſt quod abſtinentia & ſobrietas, a morbis homines incolumes ſervent, quia impediunt, ne nimiis humoribus repleantur, & contra patet, quod gula & ebrietas ſint omnium fere morborum cauſa & origo, quia per gulam & ebrietatem fit nimia repletio, a qua omnes fere morbi cauſantur.

Alia huic ſimilis adduci poſſet ratio ex Galeni principiis deſumpta, dicentis, omnes fere morbos, quibus homines ordinarie laborant, a cruditatibus, ſeu ab imperfecta ciborum concoctione originem ducere. Cruditates enim ſunt omnium fere morborum ſeminarium, quia cum ſtomachus cibis, & vino obruitur, imperfecte concoquit; & ex imperfecta hac concoctione fit, ut pariantur in exiguis viſcerum meatibus multæ obſtructiones, ut cerebrum multis pituitoſis & bilioſis excrementis repleatur, ut venæ humore putrido impleantur, ac tandem ut totum corporis temperamentum vitietur, & innumeræ infirmitates gignantur. Qui autem ſobrii ſunt, ab his omnibus infirmitatibus declinant: quia ubi ſunt abſtinentia & ſobrietas, ibi nullæ cruditates. Sed e contra exceſſus in cibo & potu cruditates pariunt, & a cruditatibus generantur morbi, & ſic gula & ebrietas innumerorum ſunt cauſa morborum. *Galen. lib. 1. de cibis boni aut mali ſucc.*

Si per tempus liceret, aliam adducerem rationem, a calore nativo ſumptam. Calor enim naturalis ſuos habet gradus limitatos, ſi cibi aut vini plus quam coquere & dirigere poſſit, ei tribuas, illum opprimis. Cumque ei vires deſint ad digerendam magnam ciborum & vini copiam quam ingeris, ex his omnibus fit quædam corruptionis maſſa, & quædam noxiorum humorum congeries, quæ eſt exitioſa multorum morborum origo, & parens. Sicut, inquit Sanctus Chryſoſtomus, infelici naufragio perit navis, quæ plus quam par eſt, mercibus eſt onuſta, ſic illius, qui cibis & vino nimis repletur, ſanitas naufragium patitur, nec poteſt quis nimis indulgere vino, quin innumeris morbis immergatur, ac proinde ebrietas eſt exitioſa plurimarum infirmitatum mater.

His & aliis rationibus patet, ebrietatem eſſe fœcundam plurimarum infirmitatum parentem, ſed hoc ipſa etiam manifeſtat experientia, qua conſtat, quod ab ebrietate gignantur podagræ & chiragræ; quod ab ipſa procedant catarrhi, tuſſes, aſthmata, vertigines, ſtomachi & capitis dolores, quod ab ipſa veniant apoplexia, epilepſia, lethargus, aliique noxii cerebri affectus, necnon innumeri alii morbi.

Sed quis dubitet, crapulam & ebrietatem eſſe plurimarum infirmitatum matrem: cum certum ſit, quod plures occidat gula, quam gladius, & cum afferat Spiritus Sanctus, plurimos per gulam interire: *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam? Eccl. 37. 34.* Fatendum ſane, ebrietatem eſſe crudelem multarum infirmitatum matrem.

Nec dicas, te a multis annis vino indulgere, te ſæpe vino inebriari, nec tamen aliqua unquam infirmitate gravari, ſed ſemper perfectiſſima ſanitate gaudere. Si enim hoc ita ſit, novum eſt hoc ſuper terram: quia novum & rariſſimum eſt, quod vir ebrioſus infirmitate aliqua non laboret. Sed o ebrioſe, ſi nondum infirmatus es, expecta aliquantulum, & irruent ſuper te dolores & morbi multi. Jam tibi placet vinum, nil tibi incommodi infert; ſed eſt coluber, qui intra aliquod tempus mordebit te, & infirmitatibus te obruet: *Vinum ingreditur blande; ſed in noviſſime mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Prov. 23. 31.*

Aſſerit Ariſtoteles, quod quidquid mordet Baſiliſcus, mox circiter putreſcat: *Quidquid momorderit, continuo circiter putreſcit. Ariſt. lib. 8. de Hiſtor. animal.* Vinum illud, quod jam tanta cum voluptate hauris, mordebit te intus, ſicut Baſiliſcus, calore nimio tua accendet viſcera, rectam humorum habitudinem conturbabit; teque, ſi non jam, ſaltem intra aliquod tempus infirmitatibus obruet, & forte, intra breviſſimum tempus, amicus ille tuus mortem tibi inferet. Ut enim ait S. Baſilius: *Ebrietas, roboris corruptio, ſenectus immatura; brevis temporis mors. Sanctus Baſilius hom. de ebrietate & luxur.*

Hoc inſinuaſſe videntur ipſi ebrioſi apud Iſaiam Prophetam, cum ajunt: *Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur. Iſaiæ 22. 13.* Quomodo cras? Quomodo tam cito? Quia nimirum ingluvies, & bibacitas, multos ebrioſis morbos adferunt, qui mortis celeritate plerumque terminari ſolent.

O quam multi ebrioſi a nimio vino debilitati infirmi, & variis morbis affecti facti ſunt! Quam multi bibacitate ſua ante tempus inſenuerunt! Quam multi ebrietatibus ſuis ad manes citiſſime migra-

gra-

Digitized by Google

grarunt ! O N. N. hæc unica conſideratio conſervandæ valetudinis, hominem quemque rationis uſu pollentem, ab ebrietatibus arcere debet. Sed ſi hæc conſideratio non ſufficiat, aliam adjiciamus; dicamuſque, quod ebrietas non ſolum ſit mater infirmitatum; *ſed etiam mater vitiorum.*

## TERTIA PARS.

*Ebrietas eſt mater vitiorum.*

EBrietas eſt fœdiſſima mater, cujus prima proles eſt libido. Et ideo prohibet Apoſtolus, ne quis vino inebrietur; quia ſcilicet in multo vino, quod quis ſumit, eſt luxuria, tamquam in cauſa, a qua luxuria gignitur; *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Eph. 5. 18.* In vino eſt luxuria, inquit Doctor Angelicus, tamquam in cauſa: vinum enim ſuperfluum, eſt cauſa luxuriæ; *quia calefacit, & ad venerea movet.* Et Sanctus Cyrillus Alexandrinus, præfata Apoſtoli exponens verba, ait, ab eo dictum, luxuriam eſſe in vino: *ut oſtenderet, ab ebrietate, veluti primogenitam filiam, generari luxuriam. S. Cyril. lib. 7. in Levit.* Nec mirum ſi ſic loquatur Divus Paulus: quia quaſi naturale eſt, quod venter vino æſtuans prorumpat in venerem: ebrietas enim ex temperante facit laſcivum, & ut loquitur Sanctus Hieronymus, *venter mero æſtuans ſpumat in libidines, S. Hieron. Ep. 83. ad Ocean.* Quod ita certum eſſe ſupponit S. Vincentius Ferrerius, ut aſſerat, divi Bernardi auctoritate fretus, quod *guloſis perſonis, & ebrioſis vivere caſte eſt majus miraculum, quam ſuſcitare mortuos. S. Vincent. Dominic. II. poſt Oct. Paſch.* Fugite ergo ebrietatem: quia eſt mater luxuriæ. Sed fugienda etiam, quia multorum aliorum, & fere omnium vitiorum eſt mater; *Ebrietas eſt origo vitiorum, & flagitiorum omnium mater. Auguſt. Tr. 17. de ſobriet.*

Omnibus notum eſt, dari in natura aliquam materiam primam, quæ eſt primum ſubjectum, ex quo omnes creaturarum formæ educuntur. Ex illa materia prima eliciuntur Lupi, Leones, Serpentes, Buſones, omniaque corpora cæleſtia & ſublunaria, animata & inanimata, ita ut dici poſſit, hanc materiam eſſe matrem omnium creaturarum corporearum. Sicut autem ex materia prima originem ducunt omnia corpora; ita & ebrietas dicitur materia vitiorum, quia ab ebrietate, ut a peſſima matre, luxuria, blaſphemiæ, detractiones, perjuria, furta, & omnia fere vitia generantur, *Ebrietas eſt culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, flagitiorum omnium mater. Auguſt. Ibid.*

Ebrietatem ſancti Eccleſiæ Romanæ Patres; Chryſoſtomus, & Chryſologus, dæmonem vocant. *Ebrietas*, inquit Chryſoſtomus, *voluntarius eſt dæmon. Chryſoſt. homil. 19. in Geneſ.* Et ut loquitur S. Petrus Chryſologus: *Ebrietas eſt dæmon blandus. Chryſ. ſerm. 26.* Eam dæmonem vocant, quia idem eſt dæmonis & ebrietatis ingenium. Sicut enim dæmonis hoc eſt ingenium, quod homines a virtute avertat, & ad vitia trahat, ita & ebrietatis idem eſt ſpiritus; ebrietas quippe ad ſcurrilia, ad impudica, ad blaſphemias, ad detractiones, & ad innumera vitia provocat. Et ſicut dæmon eſt pater, ita & ebrietas eſt mater vitiorum.

Ad hujus rei probationem portentoſum quid ex Divo Auguſtino hic adducam, dicente, quod in Civitate Hypponenſi homo quidam erat dives, cui unicus erat filius, quem plus quam ſemetipſum, & forte plus quam Deum diligebat. Nimius ille parentis amor filio occaſionem dedit, vino plus quam par erat indulgendi: unde brevi factus eſt vir bibacitatibus & ebrietatibus ſuis famoſus. Cum autem filium hunc diſſolutum non corriperent parentes, ebrietatibus ſemper magis & magis ſe dedit: quouſque tandem aliqua die, cum hic juvenis ebrius eſſet, *patrem occidit, matrem prægnantem oppreſſit, ſorores duas ad mortem vulneravit: & alteram, cujus pudicitiam ſervare debuerat, violavit.* Unde infert D. Auguſtinus, ebrietatem eſſe peſſimam omnium vitiorum, & malorum matrem: *O igitur doloroſa ebrietas, omnium malorum mater! Auguſt. Frat. in ereme ſerm. de ebr.*

Omnium ſane malorum & vitiorum mater eſt ebrietas: nec eſt ſcelus tam grave, quod non parturiat, cum hunc adoleſcentem ad parricidium, ad inceſtum, & ad ſororicidia impulerit.

Idem divus Auguſtinus, qui ſemper & ubique ingenioſus, ſubtilis, & angelicus eſt, ebrioſos cum paludibus confert: *Omnes ebrioſi tales ſunt, quales paludes eſſe videntur. Aug. ſer. 31. de temp.* Sicut enim in paludibus ranæ, buſones, ſerpentes, ſanguiſugæ, aliaque multa gignuntur inſecta, & vilia animalia: ita ebrioſi ſunt quaſi paludes, quia ebrietas eſt turpiſſima mater, quæ libidines, blaſphemias, ſtultiloquia, detractiones, impietates, & innumera alia vitia generat. Et ideo præclare dixit Sanctus Gregorius, virum ebrioſum non unico ebrietatis peccato, ſed omnibus peccatis eſſe inquinatum: ac ipſummet eſſe totum & totaliter peccatum, *Qui ebrietatem habet, non ſolum peccatum habet, ſed totus eſt peccatum. S. Greg. in Dial. g.* Ebrioſus quidem totus eſt peccatum: quia omnia, quæ in eo ſunt, peccata ſunt, aut peccata eſſe videntur; cum ſint cauſa peccati. Hominis ebrioſi oculi peccatum ſunt, quia libidinoſe creaturas intueri ſolent; aures ejus peccatum ſunt, quia ſcurrilia & impudica nimia cum complacentia audiunt; lingua ejus peccatum eſt, quia jam obſcœna & turpia profert, jam in blaſphemias prorumpit, & jam plurimorum famæ detrahit; ſpiritus ejus peccatum eſt, quia de Deo vix cogitat, & pravis deſideriis plerumque inquinatur. Quidquid tandem in eo eſt, peccatum eſt, quia anima, corpore, omnibuſque ſenſibus peccat. Ebrietas quippe eſt peſſima mater, quæ cum ad omnia vitia trahit, illumque totum & totaliter peccatum facit: *Ebrietas omnium vitiorum fomes & nutrix eſt. S. Amb. cit. in decr. 15. q. 1. c. Sane.*

Quod quam verum ſit, ipſa docet experientia. Nonne enim multos videmus, qui cum antea ab omni blaſphemia, ab omni libidine, ab omni impietate, & ab omni prorſus vitio eſſent alieni; mox ut ebrietati ſe dederunt, ad omnia vitia declinarunt? Sed quibus vitiis non indulgent ebrioſi, cum in caupona, velut in Templo ſuo congregantur? Nonne ibi vinum, veluti Deum ſuum colunt? Nonne ibi Bacchi virtutes prædicant? Nonne ibi linguis ſuis ad omnem detractionem, ad turpia quævis verba, & ad omnem blaſphemiam habenas laxant? Nonne ibi rixas & contentiones excitant? Nonne ibi ſæpe homicidia perpetrant? Certe hæc & alia multa peccata nomini

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiano indigna producit ebrietas; certe hæc eſt multorum, & fere omnium vitiorum peſſima mater.

Ex hoc principio duo inferenda ſunt; *Primum*. quod caupones, qui vinum iis adminiſtrant, quos inebriandos prævident, mortaliter peccent; quia, ut ait Doctor Angelicus, ille peccat mortaliter, qui alteri occaſionem præbet peccandi mortaliter; caupones autem, qui vinum dant his quos inebriandos prævident, occaſionem peccandi mortaliter eis præbent; ergo & ipſi peccant mortaliter. Hoc velim ut bene adnotent caupones. *Secundum*, quod ebrioſi, ſi pœnitentiam non egerint, regnum Dei obtinere nequeunt; cum enim ebrietas ſit mortale peccatum, & multorum peccatorum cauſa, ſalvari nequeunt ebrioſi, niſi pœnitentiam egerint; non ſalvabuntur ebrioſi, inquit D. Auguſtinus; ſed *quicumque pœnitentiam de ebrietate non egerit, in æternum profecto peribit. Aug. ſerm. 231. de temp.*

O quam timendum ergo, & ſedulo fugiendum ebrietatis vitium; cum homines ad egeſtatem trahat, infirmitatibus multis conficiat, & ad plurima alia vitia alliciat! Hæc conſiderate, o viri ebrioſi; hæc ſerio perpendite, ac a turpi & exitioſo ebrietatis vitio declinate. *Expergiſcimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine; Joel 1. 5.* expergiſcimini, inquam, & ab ebrietatis vitio ſecedite, cum ſit paupertatis, infirmitatum, & vitiorum mater, *Expergiſcimini, & flete, & ululate*, ut præteritarum ebrietatum a Deo veniam obtineatis. Expergiſcimini, & virorum ebrioſorum conſortio ne amplius vos immiſceatis. Expergiſcimini, & ebrietati impoſterum ne indulgeatis. Expergiſcimini, & firmiſſimo propoſito ſtatuite prius mori, quam inebriari; ut enim ait S. Ambroſius; *Si tibi diceretur, aut bibas, aut morieris; melius tibi eſſet, ut caro tua ſobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. S. Amb. l. de Elia & jejun. c.* 14. Expergiſcimini tandem, & quidquid ad ebrietatem vos allicere poteſt, ſtudioſe fugite; dabitque Deus vobis in hoc mundo gratiam, & in cælo gloriam. *Amen.*

## DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

## DE HUMILITATE.

*Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Matth. 8. 8.

CUm infinita ſit Chriſti ab aliis hominibus diſtantia, nemo ſane hominum; addo & Angelorum; quantumvis magnus ille ſit, dignus cenſeri debet, qui coram illo ſtet; qui illi ſerviat; immo & qui vel calceamenti corrigiam ſolvat. Quare nullo modo mirarer, ſi virum fidei Chriſtianæ myſteria edoctum, & de Chriſti Salvatoris divinitate eruditum audirem dicentem; *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*. Sed hæc verba, ut a viro Ethnico prolata, admiratione multa digna ſunt; non ſolum propter magnam ejus fidem, quæ in iis mirabiliter elucet; ſed etiam ob eximiam ejus humilitatem, quæ in iis maxime rutilat.

Credit Centurio, Chriſtum poſſe ſanare ſervum ſuum, licet eum non videat. O magnam fidem! Centurio, licet multorum Dux, & dignitate inter homines inſignitus, indignum ſe cenſet, qui Chriſtum, ad quem Legatos miſerat, hoſpitio recipiat: o magnam humilitatem!

Miranda Centurionis fides, de fide dicendi anſam nobis alibi præbuit, nunc autem ex ejus humilitate, de humilitate differendi occaſionem ſumemus, &c. *Ave.*

QUicumque aliquam ex Chriſtianis virtutibus aſſequi intendit, ipſammet virtutem, Chriſtum, & ſeipſum inſpiciat neceſſe eſt. *Ipſammet, quidem virtutem*; ut videat, quam præclare, quam utilis, quam neceſſaria ſit: *Chriſtum*, qui omnium virtutum perfectiſſimum eſt exemplar, ut ejus exemplis ad hanc virtutem ſectandam excitetur: *Seipſum*, ut quantum ſibi ſuoque ſtatui hæc virtus conveniat, ſerio ſcrutetur, & ponderet.

Humilitatem autem omnibus hodie aſſequendam propono, quare rogo, ut mentis ſuæ oculos quiſque ad humilitatis virtutem, ad Chriſtum humilitatis Doctorem, & ad ſeipſum convertat. Qui humilitatis virtutem ſedulo ſcrutabitur, eam Deo amabilem, hominibus utilem, & in vita ſpirituali omnibus neceſſariam eſſe advertet. Qui Chriſti humilitatem inveſtigabit, eam admirabitur, ejuſque exemplis ad tantam virtutem ſectandam allicietur. Qui ſeipſum, ſuamque vilitatem ſedulo inſpiciet, nil ſibi magis congruum eſſe cenſebit, quam quod in omnibus, & ſemper ſe humiliet: *Humilia te in omnibus*.

Videtis nunc unde quiſque ſumere debeat motiva, quibus ad humilitatem ſectandam adducatur, ab ipſa ſcilicet humilitatis virtute, a Chriſto, & a ſemetipſo. Ut humilitatem aſſequaris, inſpice: 1. Humilitatis bona, & emolumenta: 2. Chriſti exempla, & documenta; 3. Tuam vilitatem, & miſeriam.

### PRIMA PARS.

*Ut humilitatem aſſequaris, inſpicienda ſunt ejus bona, & emolumenta.*

TAnta, tam præclara, tamque in vita ſpirituali hominibus utilis eſt humilitas ut non facile explicari queat, quanta bona, quantaque emolumenta ex illa proveniunt. Sed ut ex pluribus aliqua colligam, dicam, quod humilitas; 1. A multis vitiis amoveat; 2. Alias virtutes conſervet; 3. Divinam gratiam attrahat; 4. Homines Deo amabiles faciat; 5. Illos exaltet, & ad cælum evehat.

1. Sicut initium, & quaſi compendium omnis peccati, ſuperbia; ita humilitas eſt quaſi omnium fuga peccatorum, & qui vere humilis eſt, ab omnibus fere vitiis declinat. Qui enim *vere humilis eſt*, de ſe magna non cogitat, non ſuperbit, nec ab hominibus laudari, & honorari deſiderat. *Humilis*, quia alios ſeipſo majores cenſet, nunquam illos irridet, nunquam illos deſpicit, nec temerarie judicat. *Humilis*, quia omne donum, & omne bonum a Deo venire novit, virtutes, merita, & quæcumque bona in ſe ſunt, non ſibi arrogat, ſed Deo omnium bonorum auctori tribuit. *Humilis*, quia fragilitatem, & humanam infirmitatem non ignorat, peccandi occaſiones declinat. *Humilis* tandem, ambitionem, avaritiam, & omnia fere vitia devitat, & enervat: *Virtus humilitatis omne vitium enervat. S. Greg. l. 8. Mor. c. 30.* Unde homo vere humilis ſimi-

Digitized by Google

ſimilis videtur ei, qui nondum rationis uſum aſſecutus eſt; verus enim humilis, ſicut ille puer, nec mentitur, nec inſoleſcit, nec terrena ambit, nec de laudibus ſuperbit, nec alteri invidet, nec avaritia, nec iracundia, nec alio aliquo vitio laborat, ſed omnia vitia in eo enervata, & quaſi mortua videntur. Quia, ut ait Doctor Seraphicus, *nullum vitium ſtare poterit, ſi ſuperbia, quæ eſt omnium vitiorum caput, humilitatis virtute detruncata fuerit. S. Bon. de Sanct. in comp. ſerm.* 24. O quam bona, quam optabilis, quamque utilis humilitas, quæ a vitiis amovet, *ac etiam virtutes conſervat.*

2. Sicut pulvis, vehementi expoſitus vento, cito diſpergitur; ita & virtutes cito perdit, qui eas vanitatis, & ſuperbiæ vento exponit. *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi pulverem in ventum portat. S. Greg. explan. 4. Pſal. Pæn.* Sed qui humilitati adhæret, eas conſervat ne per vanam gloriam evaneſcat. Unde præclare dixit S. Hieronymus: *Nihil habeas humilitate præſtantius, nihil amabilius: hæc eſt enim præcipua conſervatrix, quaſi cuſtos quædam virtutum omnium. S. Hier. epiſt. 14. ad Celant.*

Vinum, inquit Doctor Seraphicus, cito virtutem perdit, ſi clauſum in vaſe non ſteterit, aromata, ſi teneantur aperta, ſuam perdunt virtutem, & efficaciam, ignis cito extinguitur, niſi cineribus cooperiatur. Sic homo cito omnia bona perdit, niſi ſub humilitatis cinere ea cooperiat; ergo, ait D. Bonaventura, magna virtus eſt humilitas, quæ alias virtutes, & omnia bona conſervat. *Sed & humilitas divinam gratiam attrahit. S. Bonav. ibid.*

3. *Sicut magnes attrahit ferrum, ita,* inquit S. Bernardinus, *humilitas gratiam ad ſe trahit. S. Bernardin. tom. 1. ſerm.* 16. Quantoque quis humilior erit, tanto major ei infundetur gratia; nam *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, Jac.* 5. 6. & eam tanto majorem dat, tantoque abundantiorem, quanto invenerit mentem humiliorem. Deus eſt fons perennis, qui valles quærit, in quas aquas ſalutares effundat, humiles autem ſunt valles, quarum meminit Vates Regius; ita canens: *Qui emittis fontes in convallibus: inter medium montium pertranſibunt aquæ; Pſalm.* 103. 10. quare aquis divinæ gratiæ rigantur, & replentur hi qui vere humiles ſunt. *Sed hi etiam per humilitatem Deo amabiles ſiunt.*

4. Merito Deus humiles dirigit, quos humilitate ſibi ſubjecit, quantum autem eos diligat, docet Propheta, dicens, quod Deus qui excelſus eſt ſuper omnes gentes, & qui in cælis habitat, *humilia reſpicit.* Magni magnos diligere ſolent, & ſæculi Principes, alios ſimiles, nempe nobiliſſimos & illuſtriſſimos viros, ſuo amore dignos ducunt. Non vero ſic Deus noſter, qui in altis habitat, & *humilia reſpicit: Pſalm.* 112. 5. quia enim ei placent humiles, illos oculis miſericordiæ & benevolentiæ reſpicit; & ille reſpectus humilium, quo a Domino inſpiciuntur, eſt reſpectus benignitatis & amoris.

Humilibus nihil tam curæ eſt, quam Dei honor & gloria, illum enim honore afficiunt, dum eidem omne bonum tribuentes, ſeipſos, conatuſque ſuos pro nihilo habent; quare cum humiles Deum honore proſequantur, ſeque ipſos deſpicabiles præbeant, ut Dei gloria apud omnes magis, magiſque reſplendeat, Deo gratiſſimi ſunt, eoſque Deus amore ſpeciali proſequitur. Sectare ergo humilitatem: quia homines Deo amabiles efficit: *ac etiam quia eos exaltat, & ad cælum evehit.*

5. A Deo quidem exaltantur, ſi non in hoc mundo, ſaltem in cælo. Deus enim ſuperbos deprimit, & humiles exaltat; *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Luc. 1. 52.

Paradoxon ſapientiæ Chriſtianæ hoc eſt, quod deſcendendum, ut aſcendas; quodque via ad excelſa, & ad Paradiſi gaudia eſt, tendere ad demiſſa & humilia: quia æterna lege decretum eſt, quod *omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Luc.* 18. 14. Si vis ergo magnus eſſe in cælo, ama in terra neſciri, necnon ab hominibus deſpici, contemni, & vilis reputari. Si cupis ad primos Empyrei thronos ſublimari, humilitatem ſectare in hoc mundo, & recumbe in noviſſimo loco: quo enim minor, & humilior fueris in terra, eo major & excelſior eris in cælo, quia ſola humilitas exaltat, & *qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Ad cælum aſcendere cupiunt omnes, qui quanta ſint cæli bona noverunt; ſed ad cælum non aſcenditur niſi per humilitatem. Hæc eſt via, qua ad cælum itur: nec in cælum exaltantur qui ſuperbi, ſed qui humiles fuerint: *Per humilitatem aſcende ad ſublimitatem: quia hæc eſt via, & non eſt alia præter eam. Immo qui aliter ſurſum tendit, cadit prius quam aſcendat. S. Auguſt. in Evang. Joann. in fine.*

Verum eſt quod aliæ virtutes ad cælum exaltent; ſed non ſine humilitate: amet quis paupertatem, jejuniis corpus affligat, caſtitatem colat, aliiſque virtutibus acquirendis inſudet; ſi hæc ex ſuperbia faciat, vel ſi deſit humilitas, ad cælum non exaltabitur, quia non ſuperbi, ſed humiles ad Paradiſi gloriam exaltantur: *Qui enim humiliatus fuerit,* inquit Spiritus Sanctus, *erit in gloria: & qui inclinaverit oculos, ipſe ſalvabitur. Job* 22. 29. O quam admirabilis, & hominibus utilis humilitas, quæ homines ad cælum elevat: eoque magis illos in cælo exaltat, quo in hoc mundo humiliores extiterint. Unde Diſcipulis dixit Chriſtus, illos majores futuros in regno Cælorum, ſi pueri cujuſdam, quem in medio eorum ſtatuit, humilitatem æmulati & aſſecuti fuerint: *Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum. Matth.* 18. 4. Quare humiliamini in hoc mundo, ut in Paradiſo exaltari mereamini: *Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis.* 1. *Petr.* 5. 6.

Humiliari quiſque debet: cum humilitas ſit fuga vitiorum, virtutum cuſtos, magnes, quo divina gratia trahitur, & animæ pulchritudo, qua homines Deo amabiles ſiunt. Humiliari quiſque debet propter hæc & alia multa emolumenta, quæ ab humilitate homo percipit: ſed præcipue quia humilitas homines ad cælum exaltat. Sicut ſuperbia Angeli e cælo ejecti ſunt, & in infernum præcipitati: ita homines humilitate ad cælum evehuntur, & in cælo exaltantur. Sicut Chriſtus, qui omnium Electorum eſt caput, ad cælum humilitate exaltari voluit; & quicumque ad cælum exaltari cupit, humilitatem ſectetur neceſſe eſt: quare *ambula per Chriſti humilitatem, ut venias ad æternitatem. S. Auguſt.* Noli ambulare per viam ſuperbiæ & arrogantiæ; ſed ambula per viam humilitatis: utque humilitatem aſſequaris, inſpice quanta bona & emolumenta ex ejus

aſſecu-

Digitized by Google

aſſecutione proveniant: *Sed inſpice etiam Chriſtum, humilitatis Doctorem, & exemplar.*

## SECUNDA PARS.

*Ut humilitatem aſſequaris, inſpicienda ſunt Chriſti exempla & documenta.*

Filius Dei, carne noſtra tectus, ac humana natura velatus, ad hoc venit in hunc mundum, ut nos a peccati ſervitute redimeret, & ut omnem virtutem nos doceret. Ideoque inſpirante Deo, ac Patre ejus, ab hominibus abſolute, & ſine aliquo addito Præceptor appellatus eſt; ut ipſum nomen aſtrueret, eum ad hoc nobiſcum fuiſſe converſatum, ut non hanc, aut illam dumtaxat, ſed ut omnes penitus virtutes nos doceret.

Licet autem hoc ita ſit, fatendum tamen, quod ſpeciali quadam ratione ſe humilitatis Doctorem exhibuerit. Tum quia palam dixit: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Matth.* 11. 29. Tum quia ab ipſo Incarnationis ſuæ inſtanti uſque ad extremum vitæ ſuæ halitum, continue humilitatem docuit. Tum quia eam mirandis exemplis, & apertiſſimis verbis prædicavit. Tum quia ad hoc venit in mundum, ut opus portentoſæ humilitatis obiret. Tum quia humilibus corde promiſit præmia, quæ per merita ſua hominibus lucratus eſt.

Ita humilitatis Magiſter, & Doctor extitit Chriſtus Salvator, ut indeſinenter ea oculis hominum objecerit, quæ humilitatis Doctorem decebant. Quod late, & ſapienter proſequitur S. Baſilius, dicens: ( univerſam namque Domini diſpenſationem ad humilitatem nos inſtruere deprehendimus. Cum infans eſſet, mox in ſpelunca; nec lecto, ſed præſepio componitur. Deinde in domicilio Fabri, & Matris pauperculæ enutritur, ſubditus Matri, & illius Sponſo. Subditur Joanni, & Baptiſmum ſuſcipit a ſervo Dominus. Nemini adverſariorum reſiſtit, neque inenarrabilem ſuam poteſtatem in quemquam vibrat; ſed quaſi potentioribus cedit, & poteſtati temporariæ potentiam, quam ille habebat, permittit. Principibus Sacerdotum in forma rei ſiſtitur, ad Præſidem ducitur, & judicium illius ſuſtinet. Cum poſſet calumniatores ſuos arguere, ſilentio tolerat illorum calumnias, conſpuitur a ſervis, ac viliſſimis hominibus. Morti traditur, eique, hominum judicio, turpiſſimæ. ) *S. Baſil. homil.* 38. *de humil.*

O quot humilitatis documenta, & exempla in uno humilitatis Magiſtro! Certe ſi omnia, & ſingula Chriſti opera ſcrutari liceret, in omnibus & ſingulis adverteremus præclara humilitatis ſigna. Sciunt enim omnes, quod in ſumma paupertate, & humilitate naſci, & educari voluerit; norunt omnes, quod uſque ad trigeſimum ætatis annum, ab hominum conſortio ſeceſſerit, nec coram illis lucere ſtuduerit: hominibus prædicavit ſine faſtu, ſine apparatu; non in locis honorificentiſſimis, ſed in vicis, in plateis, in littore maris, regnum ſibi oblatum recuſavit: pauperes & mendicos ad Apoſtolatum vocavit, miracula, & transfigurationis gloriam ſilentio occultari deſideravit, in victu, & veſtitu, & aliis hujuſmodi, non ea aſſumpſit quæ Magnates, ſed quæ homines de communi plebe aſſumere ſoliti ſunt, nil acrius quam ambitionem, & elationem increpavit, vel minimas ſuperbiæ ſcintillas a Diſcipulorum cordibus exilientes protinus extinxit, & mortis genus, quo nullum magis ignominioſum, videlicet crucis ſupplicium, elegit. Quid Chriſto humilius? Quis unquam majora & plura humilitatis documenta & exempla præbuit?

Non iterum luſtrabo plurima Chriſti opera, ut eum ubique & in omnibus præclara humilitatis exempla præbuiſſe probem: abs re tamen non erit, ſi adverterimus, quod in ipſis operibus, quæ majori laude, & gloria digna erant, magna ſemper humilitatis teſtimonia ediderit. Manifeſtavit ſe hominibus, cum natus eſt; ſed manifeſtavit ſe primo paſtoribus, & cæleſtes ſuos Nuntios pauperibus miſit. Vocatus eſt Jeſus, quod nomen eſt admirabile; ſed eo inſigniri voluit in die Circumciſionis, cum ſub forma peccatoris viſus eſt. Adoratus eſt a Regibus Magis; ſed adoratur in ſtabulo, adoratur, non in throno, ſed in Virginis gremio, ut in hac pompa non deeſſet humilitas. Apparet inter Doctores, quos omnes in infinitum ſapientia & ſcientia ſuperabat, ſed inter eos apparet audiens, apparet interrogans: magiſque in eo humilitas, quam ſapientia rutilat. Cum Prædicationis munus aſſumit, docet orare, docet humiliari, & ſe peccatorem coram Deo fateri. Diſcipulos docet prædicare, docet dæmones ex obſeſſis corporibus expellere; ſed & docet eos humiliari, & ideo exultantibus illis, quod dæmonia iis ſubjicerentur, aliquid elationis in cordibus eorum inſurgentis mox compeſcuit, in memoriam eis revocans, quod dæmon ob elationem de cælo cecidiſſet, *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Luc.* 10. 18. Nullum tandem opus eſt Salvatoris, quantumvis eximium, & ſublime, in quo humilitas non ſplendeat; nullum verbum, nullaque doctrina, in qua humilitas non luceat; nullum miraculum, quod humilitate non condiat, nulla actio, nullaque paſſio, a quo humilitas inveniatur aliena.

Ex jam dictis ſatis ſuperque conſtat, Chriſtum in omnibus, & ſemper humilitatis præclara documenta, & magna præbuiſſe exempla. Sed ut altius hominum mentibus ejus figatur humilitas; velim ut eum aliquantulum contemplemur in Nativitate, in Circumciſione, in pedum lotione, & in cruce.

1. *In nativitate* mirum in modum elucet Chriſti humilitas: ibi enim magnus fit parvus, Deus fit infans; & quem cæli capere non poſſunt, fit parvulus. *Parvulus datus eſt nobis. Iſai.* 9. Ibi Rex cæli, & terræ reclinatur in præſepio, ibi quem Angeli deſiderant aſpicere, in humili requieſcit diverſorio, ibi qui Sanctos in cælo beat, vilibus pannis involvitur, temporum injuriis exponitur. O quam magna hæc Chriſti humilitas! Ecquis videns Chriſtum in Nativitate ita humilem, in mundo major fieri, & exaltari ambiat? Certe execratione, & maximo ſupplicio digni ſunt, qui viſo Chriſto in præſepio, adhuc exaltari cupiunt. *Quid magis deteſtandum, quid gravius puniendum, quam quod videns Dei Filium ſummum in regno cælorum, noviſſimum factum in regno hominum, apponat adhuc magnificare ſe homo ſuper terram? S. Bern.* O homo, ſtude fieri ſicut iſte parvulus; humilia te exemplo Chriſto naſcentis: *ac etiam Chriſti circumciſione patientis.*

2. *In Circumciſione* magis adhuc elucet infinita Chriſti humilitas, quia in ea Chriſtus viſus & re-



Digitized by Google

putatus eſt peccator: *In Incarnatione minoratus eſt paulo minus ab Angelis, ſed in Circumciſione multo minus, quia latronis cauterio eſt ſignatus. S. Bern.* Chriſtus peccatum nec fecit, nec facere potuit; & tamen in Circumciſione peccator vult reputari: o magnam humilitatem! O homo, quanta tua eſt ſuperbia? Tu totus in peccatis natus & educatus es; & tamen juſtus & innocens videri appetis: Chriſtus autem ita humilis eſt, ut licet omni ſanctitate præditus, velit tamen peccator videri. O homo, portentoſam hanc contemplare Chriſti humilitatem, & ſuperbiæ tuæ medebitur: *Medicina tumoris hominis, eſt humilitas Chriſti. S. Bern.*

3. *In lotione pedum* maxime etiam ſplendet Chriſti humilitas: quid enim humilius, quam quod Chriſtus, cæli, & terræ Dominus, pedes lavet Diſcipulis quos creavit, quoſque, licet rudes & pauperes, ad Apoſtolicam dignitatem vocavit? Quæ major humilitas, quam quod Chriſtus, cui obediunt Angeli, vilium hominum pedes lavet? Sed inter hos Chriſti Diſcipulos adverte Judam, cujus ſicut & aliorum pedes lavit Chriſtus. Contemplare Chriſtum Judæ pedes lavantem: *Chriſtum*, qui cum Deus ſit, pedes tamen viliſſimi hominis lavare non dedignatur: *Chriſtum*, cujus perfectiones infinitæ, & cujus magnitudinis non eſt finis, qui pedes lavat Diſcipuli peccatoris, perfidi, & ingrati: *Chriſtum*, qui coram Juda proſtratur, ut ejus pedes lavet, hoc ipſo tempore, quo proditor ille eum in manus inimicorum tradere cogitat. O portentoſam Chriſti Salvatoris humilitatem! Ecquis Chriſtum pedes Judæ lavantem contemplans majoribus, æqualibus, immo & ſubditis ſuis ſe ſubjicere renuet?

4. *In Cruce* tandem Chriſtus exaltatus, humilitatis exemplum dedit, quo nullum majus: nec enim magis ſe humiliare potuit homo Deus, quam cum pro hominum ſalute crucis mortem obire voluit. Hic eſt altiſſimus gradus humilitatis ejus, & ideo dixit D. Paulus, quod Chriſtus *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Phil. 2. 8.*

Ecce habemus humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum: quid ergo intumeſcis, o homo? O ſanies fœda, quid inflaris? o ſaccus putredinis, o fœtor intolerabilius, quid ſuperbia tumes? Princeps tuus humilis eſt, tu ſuperbus? Deus tuus ad humilitatis centrum deſcendit, & tu vilis vermiculus ad thronos ſublimari, & magnus reputari ambies? O homo, a Magiſtro tuo, a Deo tuo diſce humilitatis virtutem: eſto humilis, cum Chriſtus verbis & exemplis humilitatem te docuerit. Sed humilis etiam eſſe debes, *ſi inſpicias tuam vilitatem, & miſeriam.*

## TERTIA PARS.

*Ut humilitatem aſſequaris, inſpicienda eſt tua vilitas, & miſeria.*

HUmilitatis cauſas in omnibus rebus invenire poſſumus, omniaque humilitatem nobis prædicant: *ſive* ea quæ infra nos ſunt, *ſive* ea quæ ſupra nos ſunt, *ſive* ea quæ contra nos ſunt, *ſive* ea quæ in nobis ſunt.

Humilitatem prædicant, quæ infra nos ſunt. Si etenim terram, quæ infra te eſt, & quam pedibus calcas, ſerio inſpicias, magnum humilitatis motivum invenire poteris, quia in eam reverſurus es: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es. Geneſ. 3. 19.* Quando ergo terram reſpicis, quaſi ſepulchrum vel cæmeterium tuum reſpicis, quaſi ſepulchrum, inquam, in quo latebis, in quo putreſces, in quo a ſcaturientibus vermibus comederis. Sed ſi etiam inſpicias infernum, qui infra te eſt, magnum inde ſumes humilitatis incentivum; non ſolum quia in eum projici pluries meruiſti, ſed etiam quia in continuo damnationis periculo verſaris.

A terra & inferno, quæ infra te ſunt, oculos converte ad cælum empyreum, & ad Sanctos, qui ſupra te ſunt; ibique humilitatis cauſas invenire poteris: *tum* quia in cælum non exaltantur, niſi qui in hoc mundo humiles extiterint: *tum* quia, ut ait D. Auguſtinus, *oſtium Paradiſi eſt humile: ſi ſani capitis volumus intrare, oportet caput demittere: Aug. in illud Joann. 10. Ego oſtium.* tum quia forte tibi, ſicut & fatuis Virginibus, clauſa erit Paradiſi janua.

Inſpice etiam quæ contra te ſunt, ſcilicet tartareos ſpiritus, qui continue tibi inſidiantur; & inde magnam humilitatis materiam elicies. Maxima enim eſt dæmonum poteſtas, antiqua eorum adverſus homines invidia, odium implacabile: ita ut mirum ſit, quod nos non jugulaverint antequam nati eſſemus: & divinæ miſericordiæ gratias referre debemus, quod a tam immanibus hoſtibus non ſimus conſumpti: *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti. Thren. 3. 22.*

Ex præfatis, immo ex omnibus rebus, ſive bonis, ſive malis, humilitatis incentiva elicere poſſumus; ſed non quæramus extra, quod intra nos eſt. Conſideremus noſmetipſos, noſtram ponderemus vilitatem, fragilitatem, & miſeriam: &, ſi totaliter ſtupidi & ſtolidi non ſimus, ad humilitatem accendemur. Scrutemur noſmetipſos quoad corpus, & quoad animam: & ſive ex parte corporis, ſive ex parte animæ plurimas ad humilitatem adducentes cauſas & rationes inveniemus.

*Quoad corpus.* Verum eſt, quod in eo opificis artem, & alia multa admirari poſſemus: ſed & in eo multa vilia, multa ad humiliationem allicientia adnotare eſt facile, ſi ſerio perpendamus quid fuit, quid eſt, & quid erit.

Dic, quæſo, quid fuit corpus tuum in ſua origine? Nonne factum eſt ex viliſſima quadam materia, quam ob honeſtum pudorem nominare non licet? Nonne ex putredine compactum eſt? Certe putredo eſt materia, a qua ortum eſt: *Putredini dixi: pater meus es tu. Job 16. 14.* Quare, o homo ſuperbe, cogita unde venerit corpus tuum, & erubeſce, quod alta & ſublimia appetere audeas: *Vide unde veneris, & erubeſce. S. Bern.* Imitare Primislaum Bohemorum Regem, ex homine ruſtico ad Regni gubernacula ſublimatum; qui dum inauguraretur, ſagum ruſticanum ſuis, & omnium adſtantium oculis exponi ordinavit: illudque, ut ſuæ originis memor foret, & ut ad non ſuperbe imperandum alliceretur, uſque ad obitum religioſe ſervavit. *Cauſſin. l. 3. Sym. 47.* Hoc age & tu, quiſquis es, qui ob eximiam ſcientiam qua præditus es, ob dignitates ad quas es ſublimatus, ob divitias quibus frueris,

vel

Digitized by Google

vel ob propria merita te gloria & honore dignum arbitraris, pone in conſpectu tuo terram, de qua ortus es, mente revolve putredinem ex qua compactum fuit corpus tuum, & criſtas utique demittes. *Sed & contemplare quid ſit jam corpus tuum, & haud dubie ad humilitatem allicieris.*

Scio multa præclara in humano corpore adnotari poſſe; ſed & in eo multa vilia, & contemptibilia ſunt. Si enim recte inſpiciatur corpus noſtrum, in medio ejus magna humiliationis cauſa invenitur. *Humiliatio tua in medio tui. Mich. 6. 14.* Et revera, quid eſt humanum corpus, niſi ſaccus putredinis, & ſentina ex qua fœtores, & putores ſemper erumpunt? Unde exclamans ſummus Pontifex Innocentius, ait: (O vilis conditionis humanæ indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio! Herbas & arbores inveſtiga: illæ de ſe producunt flores, & frondes, & fructus; & tu de te lendes, & pediculos, & lumbriculos. Illæ de ſe fundunt oleum, & vinum, & balſamum; & tu de te ſputum, urinam, & ſtercus. Illæ de ſe ſpirant ſuavitatem odoris; & tu de te multos ſpiras fætores.) *Innoc. l. 1. c. 7.* Quare ſemper humilitatem ſectaberis, ſi continue perpendas quod, & quale ſit illud corpus quod geris: nec enim ſuperbire poteſt, qui ſe ſemper ſentinam portare ſerio cogitabit: *Quomodo ſuperbiat, qui ſecum ſemper ſentinam portat?* Sed & ad humilitatem allicieris, *ſi proſpicias quid poſt mortem futurum ſit corpus tuum. S. Hieron.*

Certum eſt, quod ſi in ſtatu gratiæ ex hoc mundo migres, corpus tuum poſt generalem reſurrectionem in cælo beabitur. Sed quid de eo ſit immediate poſt mortem ejus? Nonne intra paucos dies fœtidum erit? Nonne intra breviſſimum tempus vermibus ſcaturies, & in pulverem revertetur? O homo, nonne *pulvis es, & in pulverem reverteris? Gen. 3. 19.* Cur ergo gloriaris, cum ſis pulvis & cinis? Cur ſuperbis, cum in pulverem & in putredinem ſis reverſurus? Certe non eſt quod glorieris; ſed quod plurimum te humilies, ſi inſpicias corpus tuum; & ſi ſerio ſcruteris quid fuerit, quid eſt, & quid erit.

*Quoad animam tuam*; norunt omnes, eam eſſe ſpiritualem, immortalem, & ad Dei imaginem factam; ſed & in ea multas humilitatis cauſas invenies. Creatur enim illa a Deo, ſed in mortali, & corruptibili corpore quod informat, & in ipſo momento creationis peccato per originem traducto fœdatur. Unde quiſque dicere poteſt: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Pſ. 50. 7.* Nonne hæc tibi eſt humilitatis cauſa? Poteſne ſuperbire, ſi attendas, animam tuam ab ipſo conceptionis inſtanti fuiſſe peccato originali infectam; ac proinde Dei inimicam, cælo indignam, & ad æterna ſupplicia idoneam?

Sed ut ſuperbiam a te procul pellas, utque humilitatem ſedulo ſecteris, inſpice quot & quantis peccatis actualibus inquinata fuerit anima tua a tempore quo rationis uſu polles. Non ob oculos verſandæ, nec mente revolvendæ virtutes, & animæ dotes quibus potiris, ut inde ſuperbiæ motiva elicias; ſed inſpicienda, & recogitanda peccata, quibus inquinata eſt anima tua, & inde ad humilitatem allicieris. (Noli, frater, inquit Petrus Damiani, quod plerique faciunt, tantummodo ſi quid eſt in te virtutis attendere, ut vitia quaſi poſt tergum negligas indicare. Imitare naturalis in pavone diverſitatis exemplum: Qui nimirum pullinos, & velut ignobiles pedes præ oculis ſemper habet: inſignem vero caudæ pulchritudinem poſt ſe ſpectabilem præbet: videt in pedibus ruſticum aliquid quod deſpiciat; ignorat in cauda quod eum mirabilem reddat. In promptu eſt unde ſe debeat in humilitate deprimere; poſt tergum gerit unde valeat quaſi præ cæteris avibus ſuperbire. Te quoque quodam modo quod in te virtutis eſt, lateat: ſi quid vero vitioſum, & correctionis eſt dignum, ab aſpectus tui judicio non recedat.) *Petr. Dam. epiſt. 11. l. 2.*

Interrogatus quidam ex antiquis vitæ ſpiritualis Patribus, quomodo poſſet quis humilitatem adipiſci? Reſpondit: *ſi ſua, non alterius peccata conſideret.* Conſidera ergo quot & quanta peccata ab adoleſcentia perpetraverit anima tua, & ad humilitatem inclinaberis. Conſidera cujus generis peccata fuerint, in quæ lapſus es: vide an eorum aliquod mortale fuerit; & ſi in mortalia lapſus fueris, humilia temetipſum, quia quandiu in ſtatu lethalis peccati permanſiſti, inimicus Dei fuiſti, ipſis brutis vilior extitiſti, & æternæ mortis debitor fuiſti. Si autem peccata venialia ſolummodo commiſeris, temetipſum etiam humiliare debes quia tantam gratiam a Deo accepiſti, non autem a temetipſo, qui ad gravia perpetranda ex tua natura idoneus & proclivis es.

Sed velim nullo etiam veniali peccato tua jam inquinetur anima, humiliari ſemper debes, quia ita inſtabilis es, ut ſi jam ſtas, forte cras ſis caſurus. Sed quis ſcit an ſis perſeveraturus in ſtatu gratiæ? An in inſtanti mortis futurus ſis Deo & cælo dignus? Neſcimus an a perpetratis peccatis ſurrexerimus, & an in ſtatu gratiæ jam ſimus, ſed licet certo ſciremus, nos in gratiæ ſtatu eſſe; ignoramus tamen, an in hoc ſtatu ſimus perſeveraturi, quare humiliari quiſque debet ſub potenti Dei manu, a quo expectare debemus perſeverantiæ donum: *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei. 1. Petr. 5. 6.*

*Humiliamini*, cum tanta ſint humilitatis bona & emolumenta. *Humiliamini*, cum tanta Chriſtus vobis exhibeat humilitatis documenta & exempla. *Humiliamini*, cum tanta quoad corpus, & quoad animam, ſit in vobis vilitas, infirmitas, & miſeria.

Heu! qui fieri poteſt, quod tot & tanta humilitatis motiva homines ad humilitatem non inclinent? *O mira vanitas*, inquit Doctor Mellifluus, *o mira fatuitas cordis noſtri, cujus elationem perfecte dirimere, cujus cervicoſos motus omnino domare humilitatis materia tanta non ſufficit, quin adhuc ſuperbiat terra & cinis.*

O N. ſi præfata omnia ad humilitatem ſectandam te quomodocumque moveant, huic virtuti comparandæ ſedulo incumbe & media ad eam aſſequendam idonea totis conatibus aſſume. *Primo*, hæc ſerio, & ſæpe meditare, quæ ad humilitatem ſectandam te inclinare cognoſces, quia variis viis homines ad humilitatem Deus attrahit, & hanc viam quiſque ſequi debet, qua ad humilitatem ſe a Deo trahi cognoſcet. *Secundo*, humilium te conſortio adjunge, ſicut enim *qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam; Eccli. 13. 1.* ita & qui communicaverit humili, induet humilitatem. *Tertio*, aſſueſce ſuſtinen-



Digitized by Google

tiæ contumeliarum & eorum omnium quæ idonea ſunt ad humilianda hominum corda, quia, ut ait S. Bernardus, *humiliatio via eſt ad humilitatem. S. Bern. in epiſt.* ſi ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. *Quarto*, humilibus te exerce officiis, exemplo Chriſti, qui pedes lavit Diſcipulorum, & qui innumera humilitatis munera obivit, humilitas enim eſt virtus practica, quæ iteratis humilitatis actibus comparatur; humilia te ergo in omnibus, & poſt mortem ad ſublimes cæli thronos exaltaberis. *Amen.*

## DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

## DE

# CONSCIENTIA MALA.

*Motus magnus factus eſt in mari.*
Matth. 8. 24.

Nihil jucundius, nihil in corde dulcius, interna nihil quietius & ſecurius bona conſcientia. Hæc eſt Templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, Aula Dei, & habitaculum Spiritus Sancti. Hæc damna rerum non metuit, non verborum contumelias, nec corporis cruciatus. Quomodocumque res eveniant, feliciter, infeliciter, etiamſi vel ſaxis pluat, etſi terra collabaſcat, etſi cælum ruat, bona conſcientia ſine metu eſt, in tuto eſt, ſecura eſt. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa quieta & ſecura eſt. Immo & quocumque adveniente caſu, illa ſemper ſecura & tranquilla erit: *Hæc ſecura erit, cum corpus morietur; ſecura, cum anima coram Deo præſentabitur; ſecura, cum utrumque in die Judicii ante Tribunal terrificum juſti Judicis ſtatuetur. S. Bernard. de inter. dom. c. 22.*

O mirandam bonæ conſcientiæ pacem, tranquillitatem, quietem, & ſecuritatem! At de mala & iniqua peccatoris conſcientia longe aliter ſentiendum & diſſerendum: nulla enim pœna major eſt mala conſcientia, in qua quia Deus non eſt, nulla conſolatio, quies nulla, ſed timor, tremor, & inquietudo continua reperiuntur.

Malam hanc conſcientiam motu maris delineatam in hodierno Evangelio videmus: quid enim mala conſcientia, niſi *mare fervens, quod quieſcere non poteſt. Iſa. 57. 20.* & quod timoris, deſperationis, aliarumque paſſionum motibus continue agitatur? Quod quam verum ſit clarius patebit, cum ſceleroſæ illius conſcientiæ ſtimulos, motus, & cruciatus explicaverimus, &c. *Ave.*

PErbelle locutus eſt D. Bernardus cum pravam hominis impii conſcientiam, teſtem, judicem, & carnificem eſſe aſſeruit: *Ipſa eſt teſtis, ipſa judex, ipſa tortor. D. Bern. l. de conſc. circa fin.* Ipſa quidem eſt teſtis internus, qui hominem peccatorem de perpetratis peccatis continue accuſat: Ipſa eſt judex incorruptus, qui abſque ulla perſonarum acceptione, cujuslibet ſtatus & conditionis peccatores, tamquam læſæ Majeſtatis divinæ reos condemnat: Ipſa eſt carnifex crudelis, qui peccatoris mentem flagellat, ejuſque cor dire lancinat, & cruentat.

His S. Bernardi verbis ſatis explicari videtur, quid ſit mala conſcientia, quæ munera obeat, quoſque motus in hominis peccatoris anima excitet. Sed ut latius explicetur, quibus ſtimulis mala conſcientia impiorum corda lancinet, quoſque motus in eis excitet; ejus ſævitiam inſpicio non ſolum pro tempore præſenti, ſed etiam pro tempore quo peccator morietur, a Deo judicabitur, & in inferno torquebitur. Et ideo ut omnia hæc tempora complectar, dico, quod mala conſcientia: 1. Eſt *Teſtis importunus*, qui peccatores accuſat nunc, & acrius accuſabit in morte: 2. Eſt *Judex ſeverus*, qui peccatores condemnat nunc, & ſeverius condemnabit in die judicii: 3. Eſt *Carnifex crudelis*, qui peccatores torquet nunc, & terribilius torquebit in inferno. Conſcientia mala peccatores accuſat, & accuſabit, & condemnat & condemnabit, torquet & torquebit. En tres iſtius Concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Conſcientia mala eſt teſtis, qui peccatores accuſat nunc, & acrius accuſabit mortis tempere.*

1. NOnnullos peccatores reperire eſt, qui in cathedra peſtilentiæ, in peccatorum ſuorum ſœnoſo luto, ac in umbra mortis ſedent quieti, & quaſi vera pace fruentes, peccavimus, inquiunt, & nil nobis accidit triſte; peccavimus, nec tamen mordentem & intus accuſantem conſcientiam ſentimus & experimur. O perverſam hujuſmodi peccatorum pacem! Quæ quidem non eſt vera pax, ſed extremus mentis ſtupor, vel portentoſa in peccatis obduratio.

Habent hi cauteriatam conſcientiam: hi inſenſibiles ſunt, ac maligna & periculoſiſſima fruuntur pace. Sicut enim qui inter procellas dormit, propior eſt periculo, quam qui vigilat; ita peccator, qui conſcientiæ motus & ſtimulos non ſentit, magis periclitatur, quam qui illos experitur: & ut ait D. Hieronymus, *tranquillitas illa tempeſtas eſt. S. Hier. ep. 1. ad Heliod.*

Peſſima hac tranquillitate pauci fruuntur peccatores; pauci mordentem, & intus accuſantem non ſentiunt conſcientiam: quia eo ipſo, quo homo in grave quoddam lapſus eſt peccatum, conſcientia ejus fit teſtis importunus, eum ſemper, & ubique accuſans, ac adverſus illum indeſinenter teſtificans. Hæc eſt teſtis, quem ubique circumfert peccator, cujus accuſationem & teſtimonium nequaquam evadere poteſt, *Omnia poteſt homo fugere præter ſeipſum; quocumque fugerit, ſemper eum conſcientia ſequitur. S. Bern. in Cant.*

Prava ubique peccatorem ſequitur conſcientia, & ubique illum accuſat: in domo & in foro, in Templo & in diverſorio; dum orat, dum ludit, dum epulatur, dum ſtat, & dum ambulat, ſemper circumfert teſtem illum internum, qui parata ſcelera ei continue objicit, & exprobrat: *Intus habet agentem conſcientiæ accuſatorem, & hunc ubique circumfert. Chryſoſt. hom. 8. ad pop.*

Deo in voluptatis Paradiſo ambulanti, & quærenti ab Adamo, ubi eſſet; *Adam ubi es?* Reſpondit Protoparens noſter, *Vocem tuam audivi in Paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.*

Gen.

*Gen.* 3. 10. Suavis erat, amica erat, paterna erat vox Dei Adamum alloquentis, Paradiſus etiam erat locus voluptatis, in quo nullus Judex, accuſator nullus adhuc viſus erat: & tamen Adamus, auditis duabus his vocibus blande & ſuaviter prolatis: *Ubi es?* pavet, fugit, ſeque abſcondit. Cauſam rogatus, hanc prætexit; *eo quod nudus eſſem*. Falleris, heu! falleris: non eo quod nudus eſſes, ſed eo quod peccator eſſes, & quia conſcientia quaſi teſtis, & accuſator importunus, intus redarguebat, increpabat, & accuſabat. *Quare, dic, oro, quare timuit; quoniam videbat ſibi trucem ſtare accuſatorem, conſcientiam dico; neque enim alium objurgatorem habebat, & teſtem peccatorum, quam unicum illum, quem intus circumferebat. Chryſ. hom. 17. in Geneſ.*

Ecce teſtem importunum, a quo intus accuſatur Adamus, & ecce teſtem inevitabilem, a quo fere omnes accuſantur peccatores. Mox ut aliquis in enorme quoddam incidit peccatum, ſtatim inſurgit ille teſtis, inclamans & oſtendens magnitudinem criminis. Nec ſolos plebejos arguit: ſed ipſos Reges, Imperatores, Pontifices, & omnes eminentioris dignitatis perſonas. Velim quod ſcelus perpetraverint in mediis noctis tenebris, in antro, in ſylva, in loco ſemotiſſimo, & omnibus hominibus inacceſſo, ipſa teſtis unus erit pro mille, qui continue peccatorem objurgabit, & perpetrati criminis accuſabit, nec talem teſtem quis fugere poteſt: *Fugere non potes conſcientiam tuam amarulentam accuſatricem. Chryſoſt.*

Poſtquam crudeli fratricidio manus ſuas cruentavit Cain, timor & tremor venerunt ſuper eum, ac vagus & profugus exceſſit in terram Edem. Fugit Cain nemine perſequente; ubique timet, ubique trepidat, nuſquam quietus, nec domi, nec foris, nec diu, neque noctu, quia intus habet mordentem & accuſantem conſcientiam. Eodem prorſus modo, inquit Chryſoſtomus, quiſquis fornicatione corpus fœdavit, quiſquis adulterio thorum alterius denigravit, quiſquis proximi bona inique abſtulit, pupillos oppreſſit, vel aliud quoddam ſcelus perpetravit, conſcientiam intus ſtimulantem ſentit. *Chryſ. Conc. 1. de Lazaro.* Fruſtra obſcurum declinat cubiculum, fruſtra ædes ſacras fugit, fruſtra ad terras exteras commigrat, ut illic pace fruatur, & ſecurus vivat, nam nulla ullibi ei pax, nulla ſecuritas, cum ſemper circumferat teſtem importunum, & amarum accuſatorem, conſcientiam ſcilicet, quæ eum ubique accuſat. *Obambulabat, amarum accuſatorem circumferens conſcientiam. Chryſ. hom. 3. de verb. Iſa.*

Conſcientia eſt teſtis a Deo præpoſitus & delegatus, ut peccatores quoſque accuſet; quare eos ubique ſequitur: & ſive in cubili decumbant, ſive in menſa opipare epulentur, ſive comœdiæ interſint, ſive ludis mentem alio vertere conentur, domeſticum illum teſtem a Deo legatum undequaque circumferunt, & ab eo accuſantur. Nunquam illos deſerit internus & domeſticus ille teſtis; *Quocumque vado, conſcientia mea non me deſerit, ſic ſic in domo propria, & a propria familia habeo accuſatores & teſtes. S. Bern.* O teſtem terribilem! o formidandum accuſatorem! *Qui peccatores acrius etiam arguit inſtante mortis tempore.*

2. Tunc ſane conſcientia in peccatores magis exardeſcit, omniaque toto vitæ tempore perpetrata ſcelera, quaſi monſtra horrenda menti eorum objicit. In memoriam eorum revocat ſingula crimina quæ fecerunt, perſonas cum quibus peccaverunt, loca & tempora in quibus corpus & animam inquinarunt. Tum acrius arguit & increpat eos conſcientia, intus dicens; o peccator, hæc & illa patraſti crimina, hoc & illo loco, cum tali & tali perſona, hoc & illo tempore; *Arguet te malitia tua, & increpabit te. Jer. 2. 19.*

Rex Antiochus, morti proximus, *vocavit omnes amicos ſuos, & dixit illis; receſſit ſomnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ ſollicitudine, & dixi in corde meo, in quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum, qui jucundus eram, & dilectus in poteſtate mea! 1. Mach. 9.* Unde huic Regi terribilis illa triſtitia quæ eum dormientem occidebat, & morientem obruebat? a prava utique conſcientia, quæ eum intus accuſabat, illique præterita ſcelera in memoriam revocabat. *Nunc vero reminiſcor*, inquit, *malorum, quæ feci in Jeruſalem: unde & abſtuli omnia ſpolia aurea & argentea, quæ erant in ea.* Quaſi dicat: mœrore & triſtitia obruor ob ea quæ perpetravi ſcelera, quorum horrendam ideam menti meæ continue objicit ſceleroſa conſcientia. Intus mordet, intus lancinat, intus accuſat, commiſſa intus exprobrat crimina; ac ita acriter me arguit, ut vix accuſationum ejus pondus & acerbitatem ferre valeam.

O quam acriter morientem hunc Principem accuſavit conſcientia! Sed & multa his ſimilia conſcientiæ, acerrime peccatores morti proximos arguentis, habemus exempla.

Nonne Saul, jam moriturus, Amalecitæ cuidam clamat: *Sta ſuper me, & interfice? 2. Reg. 1. 19.* Cur cito vult interfici, & præcoci morte perire, niſi ut ſceleroſæ conſcientiæ acerbas illas declinet accuſationes, & increpationes, quæ illum dire cruciant, & ad anguſtias redigunt: *Quoniam tenent me anguſtiæ?*

Nonne Henricus, Angliæ Rex, teſte Sandero, imminente mortis hora, ſibi videre videbatur cubile cui decumbebat, Religioſis illis circumdatum, quos inique morti adjudicarat? Unde hoc, niſi a teſtificante, & accuſante intus conſcientia, quæ illi exprobrabat, quod viros pietate inſignes morti tradidiſſet.

Nonne Conſtantius, Græcorum Imperator, poſt illatam fratri necem, ita ab intus mordente & accuſante conſcientia turbatus eſt, ut ubique jam mortuum videre crederet fratrem, craterem ſanguine plenum manu geſtantem, ac ei dicentem: *Bibe, bibe frater.*

Sed ad quid multa hujus rei exempla congeram? Non enim hunc ſolum, aut illum, ſed omnes penitus peccatores, inſtante mortis hora, conſcientia acerrime accuſat. Tunc præterita omnia, quæ patrarunt crimina, velut terribilem exercitum, in conſpectum eorum adducit. Vellent hi ſuorum obliviſci ſcelerum; optarent horrendas criminum ſuorum imagines e mente delere, ſed conſcientia indeſinenter eos accuſat, eorumque crimina illis ſemper in memoriam revocat.

O terribilem teſtem! o teſtem mille aliis teſtibus terribiliorem! Sed o quam miſeri peccatores, qui importunas teſtis illius accuſationes ſiſtere, & ſopire non curant! O peccator, vis ut intus non accuſet conſcientia? Accuſa teipſum in ſacro Pœni-



Digitized by Google

tentiæ Tribunali. Vis non audire accuſantem, & intus objurgantem conſcientiæ teſtem? Eſto tu adverſus teipſum teſtis, accuſa teipſum; tua Confeſſario pande ſcelera, eaque & coram ipſo, & coram Deo deteſtare. Sic ſic ſilentium impones conſcientiæ, quæ eſt teſtis qui accuſat; *Ac etiam Judex qui condemnat.*

## SECUNDA PARS.

*Conſcientia mala eſt Judex, qui peccatores condemnat nunc, & ſeverius condemnabit in formidando judicii die.*

1. Sibi ſæpe ſuadere conatur peccator, levia, nulla, aut non neceſſario confitenda eſſe peccata, quæ perpetravit. Seipſum decipere vult; ac falſo & erroneo judicio, hoc firmum & indubitatum tenere, quod quæ fecit crimina, virtutes potius, quam crimina dicenda ſint. At vertat ſe quocumque voluerit peccator; peccata ſua virtutis minio operiat quantum placuerit, ſibi ipſi aduletur; ac ſe ut non peccatorem inſpicere conetur; incorruptum ſemper habet intus judicem, qui æquiſſimam in illum ſententiam fert; illumque ut peccatorem, & ut reum accuſat, judicat, & condemnat, ac continue intus clamat, eum eſſe criminis, & mortis reum: *Ipſa accuſat, ipſa judicat, ipſa condemnat. D. Bern.*

Ubique timet, ubique trepidat, qui gravis cujuſdam criminis eſt reus: *Sonitus terroris ſemper in auribus illius. Et cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Job 15. 21.* Si peſtis viciniam invadat, ſi micent fulgura, ſi tonitrua mugiant, ſubito expaveſcunt peccatores.

*Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent;*
*Cum tonat, exanimes primo quoque murmure Cæli. Juvenal. Sat. 13.*

Timebat Cain, exiſtimans homines undique armatos incedere ad illum occidendum; & ideo dicebat: *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me. Gen. 4. 14.* Trepidabant ſimiliter formidoloſi Ægyptii; de quibus in Libro Sapientiæ dicitur, quod ad ſonitum ſaxi cadentis, ad vaccæ mugitum, ad jucundum aquæ murmur, ad gratiſſimos zephyri ſibilos, ad ſuaves volucrum cantus expaveſcebant. *Sap. 17.* Idem de omnibus peccatoribus aſſerit Aureus Orator, dicens, quod *umbras tremunt, omnem ſtrepitum timent, & quemque exiſtimant contra ſe venire. Chryſoſt. hom. 8. ad Pop.* Cur, quæſo, tanto peccatores timore quatiuntur? Cauſam adducit Chryſoſtomus, dicens, ſic trepidare peccatores, quia intus habent incorruptum judicem, conſcientiam ſcilicet, quæ adverſus illos inſurgit, accuſans & condemnans eos, ut reos criminum quæ perpetrarunt: *Incorruptus judex conſcientia, cum adverſus hominem exſurgit, clara voce clamat & accuſat. Chryſ. hom. 17. in Gen.*

Apud Plutarchum de Beſſo legitur, quod cum patrem obtruncaſſet, diuque ſcelus ejus latuiſſet, ad cœnam vocatus, garrularum nidum hirundinum haſta dejecit. Rogatus, cur hunc dejeciſſet nidum? *Non auditis*, inquit, *hirundines adverſum me loqui, ac teſtari, me eſſe patris interfectorem? Plutarch. de ſera numinis vindicta.* Fallebatur impius ille, non enim ab hirundinibus, ſed intus a propria conſcientia, ut a judice incorrupto, accuſabatur, & condemnabatur: *Incorruptus judex conſcientia clara voce clamat, & accuſat.*

De homine quodam, qui prædivitem mercatorem clam obtruncarat & ſpoliarat, refert Lobetius, quod intus audiret obmurmurantem conſcientiam, ac continue dicentem. *Occidiſti, occidiſti.* Cumque quodam die ei pranſuro, vituli caput appoſuiſſet mulier, ſtatim exhorruit, expalluit, totuſque contremiſcens uxori dixit: *aufer, aufer hoc caput humanum:* vultum enim hominis occiſi ſibi videre videbatur. Sed fallebatur: nam nec internam vere audiebat vocem, nec occiſi mercatoris vultum cernebat; ſed internum habebat judicem conſcientiam, qui adverſus illum indeſinenter ſententiam ferebat, dicens: *Occidiſti, occidiſti* hunc mercatorem. Tu es ipſe homicida, tu es homicidii illius reus, & ideo æterni ſupplicii reus. *Lobet. de flagel. pecc. p. 3. flagel.*

O quam terribile eſt conſcientiæ judicium; quod ille homo non declinavit, nec ullus peccator effugere poteſt. Quocumque vadat, quocumque fugiat, formidandum ſemper conſcientiæ judicium ſubibit. Hominum vitare poteſt judicia; ſed conſcientiæ propriæ judicium declinare non poteſt: *Humana judicia poteſt ſubterfugere male agens; ſed non judicium conſcientiæ. D. Greg. l. 27. Mor. c. 8.*

Intra ſe dicit nonnunquam peccator, ignotum eſt omnibus peccatum, quod perpetravi; omnes penitus homines latet: & ideo impoſſibile eſt, quod quis adverſum me teſtimonium ferat. Sed velim, inquit, plures adeſſe teſtes; ſcio quid faciam, ut non loquantur: modo unum verbum proferam: nullus unquam in me inſurget teſtis: pecuniis obturabo ora eorum; nulluſque Judex erit ita incorruptus, qui adverſus me ſententiam dicat. O ſtulte! a nullo putas te teſte accuſari, a nullo Judice condemnari? Falleris: internum enim habes teſtem, a quo continue accuſaris, & internum judicem, a quo condemnaris. Conſcientia enim ut teſtis importunus, te continue accuſat, & ut judex ſeverus, te indeſinenter condemnat: *Putas tibi prodeſſe, ſe non habere conſcium, cum conſcientiæ quotidianum ſentis perpetuumque judicium? Ambroſ.*

Nonne internum hunc audis Judicem, adverſum te ſententiam proferentem? Nonne pravam, ſceleratamque tuam conſcientiam intus obmurmurantem ſentis? Nonne muta voce intra te clamat: tu talia & tanta ſcelera perpetraſti? Nonne intra te dicit: quia graviter peccaſti, gravia mereris ſupplicia, ad quæ Deus haud dubie te condemnabit? Dic, quæſo, nonne tales adverſus te ſententias conſcientia profert? Nonne ſic te judicat & condemnat ſeverus ille Judex? Sic ſane clamat, ſic judicat, & ſic in te fert judicium condemnationis: *Dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia. Sap. 17. 10.*

2. O quam terribilis ille Judex, o quam ſevere peccatores in hoc mundo condemnat, ſed o quam ſeverius in illos ſententiam dicet in tremendo extremi judicii die! Tunc ſpeciales omnes iterabit ſententias, quas in peccatores tulerat, dum in hoc mundo viverent; novamque & terribilem in eos, ſimul cum Chriſto, ſententiam pronunciabit.

Cum peccatori dicet Chriſtus: *Eſurivi, & non dediſti mihi manducare; Matth. 25.* dicet, & conſcientia, verum eſt quod eſurientibus non dederis panem, quo veſcerentur. Cum peccatori dicet Salvator: *Si-*

Digitized by Google

*tivi, & non dediſti mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſti me*: obmurmurabit & conſcientia, intus dicens; certum eſt, quod ſitientibus potum, & peregrinis hoſpitium denegaveris. Cum conquereturde peccatore Chriſtus, ajens: *Nudus eram, & non cooperuiſti me: infirmus & in carcere, & non viſitaſti me*, dicet conſcientia: verum eſt quod hæc & alia multa perpetraveris ſcelera, quibus dignus es qui ad inferni ſupplicia condemneris: quare diſcede maledicte: vade in infernum, æternum cruciandus. Omnes peccatores unica ſententia ad inferni ſupplicia Chriſtus condemnabit, dicens: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*: ſed ſæva conſcientia, cuique propria exprobans crimina, quemque etiam ſpeciali ſententia feriet. Luxurioſo dicet: quia fœdis te toties coinquinaſti libidinibus, nec ante mortem tuorum pœnitentiam peccatorum agere voluiſti, *vade in ignem æternum*. Avaro intus dicet: quia pauperem & viduam facultatibus ſpoliaſti: quia aliena inique rapuiſti, nec ea reſtituere voluiſti, *vade in ignem æternum*. Ebrioſo dicet: quia te toties vino ingurgitaſti, pluſque gulæ & ventri quam Deo placere ſtuduiſti, *vade in ignem æternum*. Sic ſic in quoslibet peccatores ſententiam dicet conſcientia. Nonne ſeverus ille Judex? Nonne terribilia ejus judicia? Terribilia quidem: quare ut illa vitare valeas, ad prudentes vade Confeſſarios, ut ab iis ſententiam abſolutionis habeas.

O quam melius eſt a peccatis in hoc mundo abſtinere, vel ea ſalutaris pœnitentiæ baptiſmo delere, quam internum ſemper gerere judicem conſcientiam; & in tremendo Dei judicio ab eodem judice argui, increpari, & ad æterna ſupplicia condemnari! O quam optabilius eſt, abſolutionis ſententiam in hoc ſæculo a Sacerdote audire, quam condemnationis judicium a ſæva conſcientia in generali judicio prolatum ſubire! O quam ſuavius eſt, aliquantulum ruboris coram prudenti Confeſſario nunc tolerare, quam tunc & a Chriſto, & a conſcientia ad æterna inferni tormenta damnari! Quare age nunc peccator, a peccatis abſtine, ac ſalubribus pœnitentiæ operibus te ſerio accinge, ut utriuſque hujus judicis terribilem ſententiam devites; *ac etiam ut in te conſcientia munus carnificis non obeat*.

## TERTIA PARS.

*Conſcientia mala eſt carnifex crudelis, qui peccatores torquet nunc, & terribilius torquebit in inferno.*

1. CONqueruntur nonnunquam viri juſti de proſperitate impiorum, quos in hoc mundo magna felicitate gaudere, nec quidquam ſiniſtri pati arbitrantur: *Quare*, inquiunt, *via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus qui prævaricantur, & inique agunt? Jer.* 12. 1. Fallimini, inquit Auguſtinus; Fallimini, o viri juſti, nec probe noſtis, quæ ſit via Dei ſuper peccatores, audivi enim ſæpe Iſaiam dicentem: *Dicite juſto quoniam bene: Iſa.* 3. 10. non tamen idem audivi de peccatoribus. Immo de iis dicitur: *Væ impio in malum*: qua ratione ergo dicere audetis: *Bene eſt omnibus qui prævaricantur?* Nequaquam ita eſt, ait Auguſtinus, quia in mediis divitiis & deliciis *peccator habet in ſecreto cordis ſui tortorem conſcientiæ ſuæ, a quo diriſſime cruciatur. S. Auguſt. ſerm.* 28. *de ver. Apoſt.*

Si quis haberet in cubiculo tortorem carnis, non bene ei eſſet, nec de illo diceretur, omnia ei eſſe proſpera; quanto minus de impio dicendum, eum felicem eſſe, omniaque illi eſſe proſpera? Non ſic de illo cenſendum: infelix enim nimium impius; quia intus habet tortorem conſcientiam, a qua indeſinenter, & crudeliſſime torquetur.

Sicut in pomo ſub vernanti cortice ſæpe latet rodens vermiculus; ſicut etiam intra ſtatuam exterius deauratam, & ornatam, rodentes ſæpe deliteſcunt vermes, & turpes araneæ; ſic inter ſæculi divitias, & delicias circumferunt impii internum tortorem conſcientiam, a qua roduntur, lacerantur, ac tam dire cruciantur, ut inter omnes hujus mundi pœnas nulla gravior videatur illa, quam a conſcientia ſua perferunt peccatores: *Inter omnes tribulationes humanæ vitæ nulla eſt major tribulatio, quam conſcientia delictorum. Aug. in Pſ.* 45.

Quod reo eſt carnifex, id peccatori eſt conſcientia: hoc tamen diſcrimine, quod ille mortale corpus laceret, & cruentet; iſta vero immortalem animam flagellet, & torqueat. Nec credas, levia eſſe ſupplicia, quæ impio ſcelerata infligit conſcientia: hæc etenim eſt occultus tortor, qui intus animum diriſſime flagellat; & a quo peccatores in animo gravius, quam rei in corpore vapulant. Immo nulla pœna gravior, inquit D. Ambroſius, quam quæ a domeſtico illo carnifice peccatoribus infligitur; mallent enim mortem obire, quam cruciamenta a crudeli hoc tortore cauſata diu perferre: *Quæ pœna gravior eſt, quam interioris vulnus conſcientiæ? Nonne hoc magis fugiendum eſt, quam mors? Ambr. l.* 3. *Offic. c.* 4.

Tanta in multos peccatores interni illius tortoris fuit tyrannis, ſævitia tanta, ut aliqui, tam immanes cruciatus ferre non valentes, laqueo ſe ſuſpenderint; alii enſe pectus transfixerint; in altas abyſſos ſe præcipites dederint alii; & alii proprios adierint Judices, ſuaque eis manifeſtarint crimina; rogantes, ut cito mortis ſententiam dicerent: arbitrantes, ipſis ſuavius futurum, ſemel cruenta carnificis manu perire, quam inter continuos pravæ conſcientiæ cruciatus diu vivere.

Nec mirum ſi mortem appetierint hujuſmodi viri, quia vita eorum ipſa morte erat amarior, immo & mors continua erat. Hoc de ſeipſo confeſſus eſt Tiberius; qui cum continuis conſcientiæ morſibus intus laceraretur, mortem ſibi optavit; addens ſe quotidie mori, ob gravia quæ a conſcientia patiebatur tormenta: *Dii me perdant, quam quotidie perire ſentio. Apud Sueton.* Hoc idem confeſſus eſt Flaccus, de quo refert Philo, quod dicere ſolitus eſſet, ſe ob cruentos conſcientiæ cruciatus quotidie mori. *Jam in horas præmorior, multas ſuſtinens mortes ante ultimam*. Hoc, & plurimi faterentur peccatores; ſi verum dicere vellent, conſcientiam enim circumgeſtant, veluti dirum carnificem, qui eos continue laniat, flagellat, & ad ultimas anguſtias redigit: *Tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Rom.* 29. O formidandum carnificem, quo nullus adverſus peccatores in hoc mundo ſævior! *Sed qui in illos dirius, & acerbius ſævit in inferno*.

2. Moriuntur criminum conſcii, moriuntur complices, moriuntur omnes in hoc mundo: ſed vermis conſcientiæ non moritur; uſque in æternum in corde impii vivet, ut illum torqueat: hic erit carnifex perpetuus, a quo peccator dilaniabitur, diſcerpetur, & crudeliter ſemper torquebitur: *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Marc. 9. 44.*

Dum impiorum corpora ſempiternis cremabuntur ignibus, carnifex conſcientia corda eorum ſuo modo cruciabit; illoſque ita torquebit, ut in deſperatiſſimam rabiem eos agat. Sæva conſcientia in cujuſque memoriam revocabit quæcumque illi dolorem, & mœrorem cauſare poterunt. Cuique eorum exprobrabit, intus dicens; o ſtulte; potuiſſes, ſi voluiſſes, momentaneo labore æternam gloriam tibi comparare, & noluiſti. O inſenſate; pro volatili gloriæ fumo, & pro fœdiſſima carnis voluptate immenſas dignitates, & immortales perdidiſti voluptates. Prædixi, monui, vellicavi, nihil profeci: & quia monitis meis obtemperare renuiſti, procul nunc a te honores & voluptates beatorum, ad quas omnis tibi interceptus eſt aditus. O ſceleratiſſime; damnatus es, quia damnari voluiſti: cruciaris, quia tuos tibi paraſti cruciatus; a vultu Dei projectus es, quia teipſum ab illo avertiſti; non aliena, ſed tua culpa periiſti. Clama, ulula quantum volueris, nunquam ad cæleſte Regnum intrabis; ſed in æternum in mediis tartari ignibus cruciaberis. Hæ ſunt cogitationes, a quibus cruciabuntur impii in inferno; hic eſt vermis, a quo indeſinenter rodentur, & carnifex, a quo in ſempiternum torquebuntur.

Dum in hoc mundo vivit peccator, oblatrantis conſcientiæ morſus declinare, aut delinire conatur, nunc legendo, nunc confabulando; jam labore, jam ſomno; modo ludis, modo comeſſationibus. At in inferno nulla ei erit quies, nullus ſomnus, comeſſationes nullæ, nulla ludorum genera, nullaque conſolatio: ſed die noctuque ab interno conſcientiæ laniabitur carnifice, qui in æternum illum cruciabit: *Vermis eorum non morietur. Iſa. 66. 25.*

Finxere Poetæ, Titium inſano amore captum, ad inferos damnatum, ubi aſſiduo morſu vultur viſcera ejus depaſcitur; *Nec fibris requies datur ulla renatis. Virg. 6. Æneid.* Quod fabuloſum figmentum ad mores traducit Macrobius, *Macobr. l. 1. de ſomn. Scipion.* dicens, per vulturem immortale jecur rodentem, intellexiſſe Poetas *malæ conſcientiæ tormenta*, quæ immortalia & æterna ſunt: iis etenim ſemper laniantur, & cruciantur damnati, hic eſt vermis, a quo intus ſemper roduntur; hic eſt internus carnifex, a quo æternum duratura iis ſupplicia infliguntur.

O quales & quantos ab hoc carnifice cruciatus in inferno perferunt damnati! Quis ſimilibus non timeat addici ſuppliciis? Timete, trepidate, & fortiter laborate, ut ab illo tortore cauſata ſupplicia declinetis. Quod ut facere valeatis, omne peccatum a vobis procul pellite. *Deponentes omne pondus, & circumſtans peccatum. Hebr. 12. 2.* Tollite peccatum e medio veſtri, & identidem tortorem hunc tolletis.

De juvene quodam refert Savonarola, quod cum ſubita, & inopinata morte corruerit, corpus aperiunt Medici, rimantur jecur, pulmones, ſplenem, nilque vitii invenientes, intima cordis ſcrutantur, in quo vermem rodentem inveniunt; qui in amarum ſuccum ex cepis, alliiſque expreſſum, conjectus, ſtatim expiravit, *Savon. c. 6. in Mich.* Conſcientia mala, vermis eſt intus rodens, & excarnificans: *Vermes crudeles mordebunt intima cordis. S. Bern. l. 1. de anima c. 5.* ut autem hic vermis extinguatur, amaro doloris & pœnitentiæ ſucco, ſeu amaris pœnitentiæ lacrymis eſt aſpergendus.

O ſi ſciremus, quam crudelis ſit ille conſcientiæ tortor! Certe deponeremus onus peccati, amaris lacrymis vermem illum extingueremus; ac dura quævis pœnitentiæ opera hilari animo ſuſciperemus, ut tam immanis tortoris ſævitiam evaderemus. Vel forte, ſaniori adhærentes conſilio, immani hoc verme, & crudeli illo tortore ut Medico uteremur, ad ſanandas animæ noſtræ infirmitates.

Conſcientiam pravam non ſolum teſtem, judicem & tortorem eſſe dicit S. Chryſoſtomus, ſed etiam Medicum optimum, qui non ceſſat ſua apponere medicamenta, quamvis a peccatoribus ſæpe repellantur: *Quaſi Medicus optimus, non ceſſat ſua medicamenta apponere, & ſi ſemel depellatur, neque ſic deſiſtit, ſed continuam curam gerit. Chryſ. hom. 17. in Gen.* Tortorem hunc in Medicum aſſumite, cumque internis vos ſtimulis cruciabit, his ſtimulis ad veſtram converſionem utimini, dicentes intra vos; Volo ab his ſtimulis liberari: quod ut faciam, onus peccati deponam, mea omnia confitebor ſcelera, amaris veri doloris lacrymis ea delebo, ac æternum iis valedicam. Hoc ſi agatis, conſcientia non vos accuſabit nunc & in hora mortis, non condemnabit vos nunc & in die Judicii, nec vos nunc & in inferno quomodocumque torquebit, quin contra nunc & in morte pro vobis teſtimonium dicet, nunc & in formidando Dei Judicio pro vobis ſtabit, nec unquam ſævi in vos tortoris fungetur officio, ſed internis in æternum vos conſolationibus, & deliciis afficiet. *Amen.*

## DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

## DE SOCIETATE MALORUM.

*Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.*
Matth. 13. 30.

PRæclaram, necnon utiliſſimam in hodierno Evangelio Chriſtus proponit parabolam de homine quodam, qui bonum ſemen in agro ſuo ſeminaverit. Cumque ad illum veniſſent ſervi ejus, dicentes, inimicum hominem ſuperſeminaſſe zizania, ac ab eo petiiſſent, an gratum ſibi foret, ſi ipſi colligerent zizania, *Vis, imus, & colligimus ea?* Reſpondit ille; *Non; ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.*

Hæc zizaniorum cum bono ſemine commixtio, denotat haud dubie malorum hominum cum juſtis & probis in hoc mundo admixtionem. Vult enim Deus improbos & peccatores ibi cum probis creſcere uſque ad meſſem, ſeu uſque ad extremi judicii diem in quo terribilis fiet ſeparatio zizaniorum a bono

ſe-

Digitized by Google

ſemine, jubebitque Deus, ut zizania, ſeu peccatores in faſciculos ligati, in infernum comburendi projiciantur; *Alligate ea in faſciculos ad comburendum.*

De terribili hac impiorum a probis ſeparatione, quæ in die judicii fiet, jam non dicam; ſed ſolummodo de eorum ſocietate & mixtura in hoc mundo, ubi ſimul vivunt, & creſcunt uſque ad meſſem, &c. *Ave.*

TRiplex magnus Dei eſt ager; Cælum ſcilicet, infernus, & iſte mundus ſublunaris. *In Cælo*, non niſi bonum ſemen; *in inferno*, non niſi malum, *& in iſto mundo*, bonum ſemen eſt mixtum cum zizaniis. In Cælo, non niſi boni & ſancti, quia in cæleſtem patriam non intrat quid coinquinatum; *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Apoc. 21. 27.* In inferno, non niſi mali; quia non boni, ſed mali in infernum, æternum cruciandi, mittuntur. *Ibunt hi in ſupplicium æternum. Matth. 25. 46.* In iſto tandem mundo boni ſunt malis permixti, quia in eadem civitate, in eadem familia, immo & in eadem domo inveniri ſolent humiles & ſuperbi, caſti & luxurioſi, benefici & malefici, boni & mali, quos Deus ſimul vivere, & ſimul creſcere ſinit, *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.*

Ex illa bonorum cum malis in hoc mundo commixtione occaſionem ſumam tres proponendi quæſtiones, quarum reſolutio totam iſtius Concionis materiam ſubminiſtrabit. *Prima* eſt, cur Deus malos in hoc mundo diu vivere ſinat? *Secunda*, cur Deus malos in hoc mundo bonis commixtos eſſe velit? *Tertia*, quomodo ſe gerere debeant boni, qui in hoc mundo inter malos mixti vivunt.

## PRIMA PARS.

*Cur Deus malos in hoc mundo diu vivere ſinat.*

QUod dixerunt, & voluerunt ſervi, de quibus in hoc Evangelio, de zizaniis, hoc idem dicunt & volunt etiamnum multi viri pii, qui nimio ſuccenſi zelo, omnia zizania, ſeu omnes peccatores eradicare, & de hoc mundo tollere vellent.

Vix capere poterat Habacuc Propheta, quomodo Deus, qui peccatores odit, eos tamen in hoc mundo diu vivere pateretur, & ideo, Deum alloquens, dicebat, *Quare reſpicis ſuper inique agentes, & taces, devorante impio juſtiorem ſe? Habac. 1. 13.* Sed nonne ipſe Vates Regius ægre pati videbatur, quod peccatores in hoc mundo diu viverent, ac in eo gloriarentur? Nonne ad Deum clamabat, *Uſquequo peccatores, Domine, uſquequo peccatores gloriabuntur? Pſalm. 93. 3.* Eadem aliorum multorum ſanctitate illuſtrium virorum fuit querela, Deus tamen peccatores in hoc mundo diu vivere ſæpe ſinit propter graves rationes. *Primam*, Ut clementiam ſuam commendet: *Secundam*, Ut juſtitiam ſuam manifeſtet: *Tertiam*, Ut potentiam ſuam patefaciat.

1. Narrat S. Dionyſius, *S. Dionyſ. in Epiſt. ad Themoph.* Carpum quemdam, ardenti ſuccenſum zelo, à Deo pluries enixe petiiſſe, ut duos quoſdam peſſimos viros e medio tolleret, & occideret. Ut autem Chriſtus ei demonſtraret, quam inordinatus eſſet ejus zelus, per ſomnium ei apparuit, eique manifeſtavit ingentem hiatum, in cujus ore ſuſpenſi erant duo illi magni peccatores, trementes, ad quos aſcendebant immanes ex hiatu ſerpentes, ut eos involverent, eoſque ſecum in barathrum traherent; Carpus autem, ſuo accenſus zelo, gaudebat, quod duo hi peccatores in imminenti verſarentur ruinæ periculo, & quaſi dolebat, quod mox in barathrum non deciderent. Sed ſurſum vertens oculos, vidit Chriſtum ſuam porrigentem illis dexteram, ac dicentem, ſe paratum ad ſanguinem, etiam pro immanibus hiſce peccatoribus rurſum fundendum, *Paratus ſum rurſum illorum hominum cauſa mortem perpeti.*

Ecce quam diverſi ſint Dei & hominum ſenſus, multi enim homines optarent, ut mox perirent famoſi quique peccatores. Cur, inquiunt, ſinit Deus iniquum illum Judicem in hoc mundo vivere? Cur non e medio tollit hunc uſurarium, qui viduarum, & pupillorum bona quotidie aufert? Cur tot impudicos, tot ſacrilegos, totque alios peccatores, igne e Cælo miſſo, non abſumit, & ad tartara mergit? Sic ratiocinari ſolent homines, ſed non ſic ratiocinatur Deus, ipſius enim tanta clementia, ut peccatores perdere nolit mox ut in grave aliquod peccatum inciderunt. Vult, ut ſciant homines, tantam eſſe ſuam clementiam, ut non ſolum non illos perdat mox ut peccaverint, verum & paratus ſit ad ſanguinem ſuum pro illorum ſalute rurſus fundendum.

Majori Deus in homines, quam in Angelos peccantes utitur clementia, mox enim ut peccaverunt Angeli, e Cælo ejecti ſunt, & in infernum præcipitati. At reſpectu hominum peccantium, major eſt Dei clementia, quia eos non ſtatim interimere, nec ſtatim interficere ſolet, ſed eos diu vivere ſæpe ſinit, ut det iis ſpatium pœnitentiæ. Sicut enim Sancta Mater Eccleſia, ut ſuam in peccatores manifeſtet clementiam, eos excommunicatione non ferit, quin prius eos bis ter, vel pluries monuerit, ita clementiſſimus Deus non ſubito procedit ad damnationem impiorum, ſed ut ſuam in illos manifeſtet clementiam, eos in hoc mundo ſæpe diu vivere permittit, eoſque per ſe, per Angelos, & per Concionatores pluries monet, antequam eos æternæ damnationis excommunicatione feriat. Non ergo ſine ratione Deus peccatores in hoc mundo diu vivere ſinit, cum hoc faciat ad oſtendendam clementiam ſuam, *ac etiam ad manifeſtandam juſtitiam ſuam.*

2. Si quotieſcumque quis in grave peccatum incidit, Deus in infernum mox illum præcipitaret, non deeſſent qui dicerent, ſevera nimis Dei eſt juſtitia, Deus, qui novit pœnarum infernalium atrocitatem, & æternitatem, nimis ſevere agit in homines infirmos, ipſe qui novit figmentum noſtrum, non tam cito plectere deberet homines peccantes. Quare Deus, ut hominum obturet ora, utque ſuam manifeſtet juſtitiam, ſeu ut ſciant & dicant omnes, eum juſtiſſime damnare malos, non illos ex hoc mundo eripit, & ad inferni ſupplicia condemnat mox ut in gravia peccata ceciderunt, ſed eos aliquamdiu, & ſæpe diu vivere ſinit, ut convertantur.

Sterilem & infructuoſam ficum non mox ſuccidi imperavit Chriſtus, ſed tribus annis expectavit, ut viderent, & faterentur omnes, eam merito ſuccidendam, cum jam a tribus annis nullos fructus edidiſſet. *Ecce tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam. Luc. 13.*

Luc. 15. Sic ſinit Deus arbores infructuoſas, ſeu homines per peccatum ſteriles, diu in hoc mundo vivere, ut quiſque dicat, ſi hi damnentur, juſte damnantur, nec de Deo conqueri poſſunt, quia Deus dedit eis tempus pœnitentiæ, & ſi pœnitentiam non egerunt, non per Deum, ſed per ipſos ſtetit. Deus ergo peccatores in hoc mundo diu vivere ſinit, ut ſuam manifeſtet juſtitiam, *ac etiam ut potentiam ſuam patefaciat.*

3. Sinite eos creſcere, inquit Deus; ſed quouſque illos creſcere ſines, o Domine? *Uſque ad meſſem*, inquit, ſeu uſque ad mortem. Si enim ante mortem converſi non fuerint, tunc eos de terra viventium eradicari jubet, & ſi clementiam ſuam antea oſtendit in expectando eos ad pœnitentiam, tunc ſuam patefacit potentiam, graviſſimis eos afficiendo ſuppliciis.

Si Principi cuidam nunties, apros, aut cervos eſſe in proxima ſylva, non illico ad venationem, & ad prædam ſe accingere ſolet, ſed ait, ſinite eos comedere, & vagari, quantum voluerint, noſtras non effugient manus, quia ſpatioſa eſt terra noſtra, nec extra illam diſcedent, ſuo tempore expandemus retia noſtra, eoſque capiemus, & mactabimus. Pari modo, novit Deus innumeros in mundo eſſe peccatores, quorum mores ferini & belluini, ſcit ipſe, eos fertilem Eccleſiæ agrum vaſtare, nec tamen mox illos e medio tollit, ſed ſinit eos vivere, creſcere, & impinguari. Saltent, ludant, iniqua gerant, quantum volent, tacet Deus, ſed tandem aliquando exſurget, utque ſuam oſtendat potentiam, illos diriſſime plectet. Sua tandem Deus expandet retia, ut illos capiat, *Expandam ſuper eos rete meum*, Oſee 7. 12. & poſtquam in interitu eos ceperit, potentiam ſuam patefaciet, mittendo eos in infernum, diriſſimiſque eos ſuppliciis afficiendo.

Criticus quidam & mordax vir, nomine Eupolus, in ipſum etiam Alcibiadem, Athenienſium Principem, mordaciſſimos verſus componere, & pervulgare pertentarat. Acceptam ab hujuſmodi viro injuriam aliquandiu diſſimulavit Princeps, ſed tandem die quadam deprehenſus Eupolus, in mare demerſus eſt juſſu Principis, dicentis, *Tu me in ſcena ſæpe merſiſti, Eupole: ego te ſemel mergam*. *Ghævaſſ. de prud. lib. 2. cap. 7.* Deus peccatori, a quo tamdiu læſus eſt, idem aliquando dicet. O impie, inquiet Deus, tu me ſæpe in hac mundi ſcena merſiſti: tu me pluries blaſphemiis, aliiſque injuriis affeciſti, tu in me gravia perpetraſti crimina, & tacui, patiens fui, meæque clementiæ tibi ſemper magna teſtimonia exhibui. Sed quia clementiæ beneficia deſpexiſti, jam advocabo potentiam meam, ut te dire plectat; jam te in infernum mergam, æternum cruciandum.

O peccatores, ad Dei clementiam nunc advolate: vobis præſto eſt, ſua vobis nunc offert beneficia. Clementiſſimus ille Pater vos jam ad pœnitentiam vocat, gratiam converſionis vobis non denegat; gratiam & gloriam vobis pollicetur, ſi ad eum venire & converti velitis; quare derelinquite vias veſtras, & ad Deum convertimini. Ne oblata vobis a Deo gratia abutamini, convertimini, dum clementiæ divinæ ſol vobis lucet; quia ſi ante mortem non convertamini, non effugietis manus Dei, potentiſſima manu ſua vos in inferno plectet & cruciabit.

Septem fratrum Machabæorum minimus Antiocho, cujus imperio necabatur, dicebat, *Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. 2. Machab. 7. 31.* Hoc idem vobis dico, peccatores, non ſine cauſa vos Deus in hoc mundo diu vivere ſinit, hoc ſane permittit, ut clementiam, & juſtitiam ſuam vobis in hoc mundo patefaciat, ſed ſi iis abutamini, non effugietis manus ejus, quia eſt alia cauſa, propter quam vos hic diu vivere permittit, ut ſcilicet potentiam ſuam manifeſtet, utque durius vos puniat in inferno, ſi in hoc mundo clementia ejus abutamini. Ecce rationes, propter quas Deus peccatores in hoc mundo diu vivere ſinit. Videamus, *cur Deus peccatores in hoc mundo ſimul cum juſtis vivere velit?*

## SECUNDA PARS.

*Cur Deus malos in hoc mundo, bonis commixtos eſſe velit?*

SIcut in alio mundo boni a malis ſunt ſeparati, magnumque inter utroſque eſt chaos, ita & congruum videretur, ut in hoc mundo mali cum bonis non eſſent mixti, ſed invicem ſeparati viverent, *tum* ut mali bonos ad iniqua non traherent, *tum* ut quiſque noſceret, qui ſunt boni, & qui ſunt mali; qui ſunt amici Dei, & qui ejus inimici, qui ad cæleſtia regna vocandi, & qui æternis ſuppliciis adjudicandi. Deus tamen, qui prima ratio eſt, a qua omnia regi debent, æquiſſime ordinavit, bonos in hoc mundo ſimul cum malis mixtos vivere: 1. Ut per bonos mali convertantur: 2. Ut per malos boni exerceantur: 3. Ut qui inter malos boni perſeveraverint, glorioſius coronentur.

1. Fieri poteſt, ut qui mali ſunt, boni fiant, & ad Deum convertantur: *Fieri poteſt, ut qui hodie ſunt zizania, cras ſint frumentum. S. Aug. ſerm. 46. de diverſ.* Homines peccatores non ſunt ſimiles Angelis peccantibus, qui immobiliter ſuo peccato adhæſerunt, poſſunt enim, quantumvis gravibus inquinati ſint peccatis, ab iis ſurgere, & ad Deum converti, quamdiu in hoc mundo vivunt. Hoc quidem poſſunt peccatores, & revera ſæpe fit, ut qui mali erant, boni fiant, & ad Deum convertantur: ac ut ait Doctor Seraphicus, *O quot mali jam hic ſunt, qui ſi modo tollerentur, damnarentur: qui forſitan cito boni erunt, & ſalvabuntur. S. Bonav. ſerm. 2. in Dom. 4. poſt Epiph.* Vult autem Deus, & ardenter deſiderat, ut convertantur peccatores a viis ſuis peſſimis, non vult Deus mortem impii, *ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat. Ezech. 33. 11.* Et ideo impios cum bonis mixtos vivere ſinit: ut exemplis, monitis, & conſiliis bonorum ad recte vivendum, & ad morum converſionem perducantur.

Certum eſt, quod unum ex mediis efficacioribus ad converſionem impiorum, eſt converſatio eorum cum viris ſanctis & piis: *Ad converſionem malorum multum proſunt exempla Sanctorum. Iſid. de ſummo bono.* Ita efficax eſt illud medium, ut dicat Sanctus Gregorius, quod nullus peccator converteretur, exemplis bonorum ad converſionem non alliceretur: *Numquam peccatores ad lamentum pœnitentiæ redirent,*

Digitized by Google

*vent, ſi nulla bonorum eſſent exempla, quæ eorum mentes traherent.* Et ideo Deus bonos malis mixtos eſſe in hoc mundo vult, ut mali, bonorum exemplis, & verbis, ad morum converſionem adducantur. Non vult Deus, ut boni, malorum exemplo, ad malum declinent; ſed ut mali, bonorum exemplo, ad ſurgendum a peccato, & ad bene faciendum alliciantur. Ecce, o peccatores, quid intendat Deus, cum vos in medio Juſtorum in hoc mundo vivere ſinit: vult, ut eorum verbis, & exemplis ad converſionem, ad meliorem vitæ frugem veniatis. Hoc agire, quod intendit Deus: convertimini a viis veſtris peſſimis: redite ad cor, & ablegatis peccatis veſtris, vitam, & mores in melius immutate. Convertimini, cum vos Deus in hoc mundo cum bonis mixtos eſſe velit, ut eorum verbis & exemplis ad converſionem adducamini. Sed vult etiam Deus, malos in hoc mundo ſimul cum bonis mixtos vivere, *ut per malos boni exerceantur.*

2. *Omnis malus, an ideo vivit, ut corrigatur: aut ut per eum bonus exerceatur. Auguſt. in Pſalm.* 54. Non vult Deus ut viri juſti & boni in hoc mundo ſint ſegnes, deſides, delicati, & voluptatibus dediti: ſed vult ut fortiter laborent, generoſe adverſus ſalutis hoſtes decertent, ac variis adverſitatibus & perſecutionibus exerceantur: *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur, 2. Tim.* 3. 12. Vult Deus, ut juſti ſalventur afflictionibus multis, tribulationibus multis, perſecutionibus multis: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Actor.* 14. 21. Si autem juſti cum ſolis juſtis & bonis in hoc mundo viverent, ab iis non tribularentur, nec perſecutionem paterentur: quare voluit Deus bonos cum malis mixtos in hoc mundo vivere, ut juſti a malis affligerentur, & exercerentur.

Mali ſæpe obſunt bonis in hoc mundo, quia pravis ſuis exemplis eos ad peccandum alliciunt: ſed eis etiam proſunt. Et ſicut voluit Deus, ut major ſerviret minori, Eſau videlicet Jacobo; ita & vult, ut mali qui in hoc mundo dominari ſolent, ſerviant bonis: non quidem iis miniſtrando, iiſque ſe ſubdendo; ſed eos probando, & perſecutionibus exercendo: *Non obſequendo, ſed perſequendo. Auguſtin. ſerm.* 78. *de temp.* Quomodo limæ, vel mallei auro: quomodo molæ ſerviunt tritico: quomodo panibus coquendis fornalia: quomodo in fornacibus aurificis palea ſervit auro, ubi palea conſumitur & aurum probatur; ita, inquit Divus Auguſtinus, mali bonis in hoc mundo proſunt, *non obſequendo, ſed perſequendo.* Sic profuere Stephano Judæi qui illum lapidibus obruerunt: ſic profuit Apoſtolorum Principi Nero, cum illum cruci affigi imperavit; ſic beato Laurentio profuit iniquus Valerianus, cum illum ad ignis ſupplicium condemnavit; ſic omnibus Martyribus profuere Tyranni; & ſic omnibus bonis proſunt mali. Illi proſunt odio, invidia, detractionibus, contumeliis, maledictis, & omnibus injuriis, quibus eos afficiunt: quia his omnibus eos probant & exercent, dantque eis occaſionem in virtute proficiendi, magnoſque gloriæ gradus in Cælo comparandi. Et ideo vult Deus bonos in mundo malis mixtos vivere; ut ſcilicet a malis exerceantur, & perſecutionem patiantur: ac inde occaſionem proficiendi ſumant.

Certum eſt, quod marceſcat, & torpeat ſine adverſario virtus; quodque non cognoſcatur militis fortitudo tempore pacis: quare, ut probet Deus quanta ſit bonorum patientia, quanta fortitudo, quanta conſtantia, quanta in ſui obſequio fidelitas, eos inter malos vivere ſinit, ut ab illis probentur & exerceantur.

Magni olim & perennes fuere conflictus Lacedæmones inter & Romanos; coacto tamen die quadam Senatu Romano ad deliberandum, an Lacedæmon a Romanis diruenda, & ſolo æquanda eſſet? Prohibuit Senatus ne diruetur, eamque ſervandam ſtatuit; ne ſi ſemel ſolo æquata eſſet, torperent juvenes Romani, quorum virtuti, & fortitudini probandæ & exercendæ utiliſſima erat Lacedæmon; *Juvenum cotem ne deſtruas, neve tollas. Majol. tom* 3. *Canicul. col.* 3. Sic Deus non vult, ut mali protinus ex hoc mundo tollantur; ſed vult, bonos inter eos vivere, ut ab iis probentur & exerceantur. Ecce, o viri juſti quo fine vos Deus peccatoribus commixtos in hoc mundo vivere ſinat. Ejus in hoc adorate providentiam, & peccatores inſpicite tamquam homines a Deo miſſos, ut perſecutionibus ſuis vos exerceant, probent, & Cælo dignos efficiant. Diligite eos, qui vos perſequuntur; ſtate fortes in medio tribulationum a peccatoribus immiſſarum; cum hoc Deus velit, & a vobis exigat. Sed vult etiam Deus, malos in hoc mundo cum bonis mixtos vivere; *ut ſi boni inter malos recte vivant, glorioſius in Cælo coronentur.*

3. Non eſt mirum; non eſt magna gloria, magnoque præmio dignum, quod vir, aliunde bonus, pie vivat in familia quadam religioſa & ſancta, vel in pio quodam alio perſonarum cœtu, in quo omnes pie vivere ſolent; quia qui inter pios verſantur & vivunt, non niſi pietatis exempla, & urgentia ad pietatem motiva vident. Sed quod Job in terra Hus innocentiam ſervet; quod quis inter ſuperbos ſit humilis, inter iracundos mitis, inter libidinoſos caſtus, fidelis inter infideles, & inter impios juſtus; hoc mirum, hoc portentoſum, hoc gloria & honore dignum; quare vult Deus, juſtos cum impiis mixtos vivere, ut inter illos pie vivant; ut in juſtitia generoſe perſeverent, ac deinde glorioſius in Cælo coronentur.

Boni, qui inter bonos ſolummodo verſantur, extra occaſionem peccandi vivunt; cum autem inter malos verſantur, habent occaſionem male faciendi, ſi velint; Dei mandata tranſgredi poſſunt, ſi velint; immo & ad ea violanda multis alliciuntur. Quare ſi ea non violent, & ſi in juſtitia perſeverent, multis præmiis in Cælo donandi ſunt; *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit; ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino. Eccli.* 31. 10. Et ideo vult Deus bonos in hoc mundo cum juſtis mixtos vivere; ut inter eos recte viventes, glorioſius in Cælo coronari mereantur. Sic ergo, o juſti, inter peccatores vivite, ut glorioſiorem in Cælo coronam comparare valeatis. Ecce cur malos in hoc mundo bonis commixtos eſſe velit Deus. Videamus nunc, *quomodo ſe gerere debeant boni, qui inter malos in hoc mundo mixti vivunt.*

TER-

## TERTIA PARS.

*Quomodo ſe gerere debeant boni, qui inter malos in hoc mundo mixti vivunt.*

ILli, quibus nulla res eſt cum malis & impiis, quantum fas erit, cum iis ſocietatem inire non debent, quia *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Eccli.* 13. 1. Et certe difficile eſt, ut quis cum malis familiariter diu vivat, quin malus fiat, & pervertatur. *Cum perverſo perverteris. Pſalm.* 17. 27. Sed quid de viris Apoſtolicis, & de omnibus, qui ex officio, qui ex ſtatu, & conditione ſua, vel etiam ex quadam neceſſitate, cum malis & impiis verſari quaſi coguntur? Quid de filiis familias, quorum patres, matres, & fratres, cum quibus quotidie verſantur, a ſemitis juſtitiæ deviant? Quid de Cauſidicis, qui in eodem foro vivunt, in quo plurimos a jure & juſtitia quotidie aberrantes vident? Quid de bonis civibus, qui in eadem civitate cum propinquis, amicis, aliiſque multis iniqua gerentibus morantur? Quomodo ſe gerere debent iſti, & alii boni, qui cum malis commixti vivunt? Iſti ſane debent, 1. *Lucere iis*, verbo & exemplo, 2. *Cavere*, ne & ipſi mali fiant, 3. *Fugere*, ſi periculum caſus prævideant.

1. Apoſtolos toti mundo lucere voluit Chriſtus, *Vos*, ait eis, *eſtis lux mundi. Marc.* 5. 1. Id eſt, a me vocati eſtis, ut ſitis lux mundi: & revera lux mundi eritis, ſi meæ vocationi, & voluntati reſpondeatis, meæque gratiæ, ut par eſt, cooperemini.

Non uni dumtaxat, aut alteri civitati, ſed toti mundo, Chriſtus eos virtutibus & exemplis lucere optavit; ac ita lucere, ut verbis, exemplis, & bonis operibus homines a vitiis revocarent, & ad Deum laudandum excitarent. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt. Matth.* 5. 16.

Sicut autem voluit Chriſtus, ut Apoſtoli toti illuceſcerent mundo, eumque errorum, & vitiorum tenebris obſcuratum vitæ ſuæ exempli illuminarent; ita vult Deus, ut viri boni, qui in urbibus, in pagis, & in domibus particularibus inter malos morantur, illis luceant ſanctis operibus, piiſque vitæ ſuæ exemplis. Vult Deus, ut quilibet vir probus in medio perverſorum & impiorum ſit ſimilis probis illis viris, quibus D. Paulus ait: *Omnia facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus, ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione, in medio Nationis pravæ & perverſæ: inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo. Philip.* 2. 14. Volt, inquam, ut qui boni ſunt, omnia quæ ad vitam chriſtianam ſpectant, faciant ſine ulla mora, & murmuratione; ac ita perfecte vivant, ut inter malos & perverſos commorantes, nullam querelæ & reprehenſionis cauſam dent: ſed iis veluti fulgentiſſima luminaria verbis, & exemplis ſuis luceant.

Videte, quales Div. Paulus eſſe voluerit ſui temporis Chriſtianos, qui tunc in medio Gentilium, hominumque omnibus vitiis deditorum vivebant, attendite, quomodo eos ſe gerere optaverit. Jam eos hortatur, ut omnia ad perverſorum, cum quibus verſantur, ædificationem faciant. *Omnia ad ædificationem fiant.* 1. *Cor.* 14. 29. Nunc eos rogat, ut ut nullus ſermo malus ex illorum ore prodeat; ſed ut talia verba proferant, quæ adſtantes ad benefaciendum moveant, & audientes ad divinam gratiam obtinendam alliciant, *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Epheſ.* 4. 29. Jam ab iis petit, ut malis, cum quibus commorantur, placeant, non in deſtructionem, ſed in ædificationem, *Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Rom.* 15. 2. Semper tandem ab iis poſtulat, ut omnia ad malorum ædificationem faciant, ac piæ vitæ exemplis illis luceant. *Quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, ad invicem cuſtodiamus Rom.* 14. 19. Sic ſic gerere ſe debent viri probi, qui cum perverſis & peccatoribus commorantur; omnia ad eorum ædificationem facere debent, ac ita vivere, ut verbis, bonis operibus, & exemplis luceant, eoſque ad recte vivendum alliciant, *At boni qui inter malos morantur, debent etiam cavere.*

2. Non ſolum iis lucere debent; ſed etiam cavere, ne & ipſi mali fiant, qui enim cum malis miſcentur, male agere facile diſcunt. *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. Pſalm.* 105. 33. Natura noſtra ad malum proclivis eſt, tentat diabolus, trahunt paſſiones & inordinati animi motus; ſed nil fortius ad peccatum allicit, quam prava malorum exempla, quare quiſque ſollicite cavere debet, ne cum malis vivens, malus fiat, & opera eorum diſcat.

Heu! quot videmus juvenes, qui cum antea ambularent in innocentia cordis ſui, nebulonum & pravorum familiari converſatione facti ſunt blaſphemi, libidinoſi, & pluribus vitiis dediti! Quot vidimus viros Apoſtolicos, qui poſtquam, ſancto ſuccenſi ſalutis animarum deſiderio, cum malis aliquamdiu verſati ſunt, cum malis mali, & cum perverſis perverſi facti ſunt? Nonne vidimus nonnumqoam Concionatores, & Confeſſarios, qui inſpiciebantur veluti novi Apoſtoli ad ſalvandas gentes miſſi, qui dum aliorum converſioni laborarent, ad gravia ipſimet peccata declinarunt? Cavete, & vos qui in eadem urbe, ac etiam in eadem domo cum peccatoribus commoramini, ne in ſimilia cadatis, cavete, ne diſcatis facere ſicut & illi, & ne pravis eorum exemplis ad iniqua ducamini.

Nonne Judas Apoſtolus inter bonos malus factus eſt? Quanto magis cavere debent alii, ne inter malos mali fiant? Heu! quoties *obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Thren.* 4. 1. Quoties viri aurei, cæleſtes, & quaſi divini, converſatione malorum facti ſunt per peccatum turpes, viliſſimi, & Cælo indigni? Cavete ergo a fermento Phariſæorum, cavete a converſatione malorum, in qua eſt fermentum quoddam peccati, a quo mores veſtri corrumpentur, ni ſollicite caveatis.

O quam infelices, qui animæ ſuæ jacturam faciunt, dum aliorum ſaluti incumbunt! Quam miſeri, qui dum alios ad bene faciendum vocant, ſeipſos in vitiorum barathrum præcipitant! Hi ſunt ſimiles facibus accenſis, quæ dum aliis lucent, ſeipſas abſumant. Hi etiam ſimiles videntur navibus, quæ homines quidem ad portum vehunt; ſed ipſæ in procelloſo mari remanent, ubi ſæpe naufragium patiuntur, & uſque ad ima immerguntur. Cavete, ne his ſimiles fiatis; cavete, ne inter malos mali evadatis. At qui boni ſunt, non ſolum cavere debent;

Digitized by Google

bent, ſic inter malos mali fiant; *ſed etiam fugere debent, ſi periculum caſus prævideant.*

3. Charitas, ſi bene ordinata ſit, incipit a ſemetipſo, nullus amor proximi, nullus zelus ſalutis animarum, nullaque ratio ſuadere debet, ut quis inter malos remaneat, ſi prævideat, ſe cum illis commorari non poſſe ſine gravi ſalutis ſuæ periculo. Quid enim homini charius eſſe debet, quam anima ejus? Quid illum juvabit, omnes mundi divitias, honores, & delicias comparaſſe, ſi animæ ſuæ jacturam faciat? *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Matth.* 16. 26. Quid prodierit homini, quod omnes alios ſalvet, ſi non ſalvetur & ipſe? Stultus eſt, qui cum animæ ſuæ diſpendio, malorum ſocietati adhærere vult, etiam ut eorum ſaluti invigilet: quare, o homo, *omnia ſi perdas, animam ſervare memento.* Et licet certus eſſes, te plurimos Chriſto lucrifacturum; ſi tamen prævideas, te cum animæ tuæ diſcrimine alios ſalvaturum, a ſocietate malorum, inter quos tuæ ſalutis ineſt periculum, fugere debes. Fuge ergo, dilecte mi, fuge hominum malorum conſortium, ſi periculum caſus prævideas.

Cum Sodomam, & Gomorrham incendio vaſtare voluit Deus, duo Angeli ad Lot venerunt, hortantes illum, ut in montem fugeret, ne & ipſe ſimul cum aliis periret: *In monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas. Gen.* 19. 17. O. N. N. tartareo incendio proximi ſunt peccatores, cum quibus habitatis; quare, ſi prævideatis, periculum vobis ineſſe cadendi in peccatum, fugite, & ab iis diſcedite, ne ſimul cum iis pereatis.

Aſcendente Chriſto in naviculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus, & *ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth.* 8. Cur ibi eſt periculum, ubi Petrus, ubi ipſe Chriſtus? Reſpondet. S. Ambroſius. *Erat ibi Simon Petrus; ſed erat pariter & proditor Judas. Ambr. in hunc locum.* Quaſi dicat, ibi erant boni, ſed ibi etiam erat perfidus Judas; & ubi vel unus malus eſt, ſemper eſt periculum caſus. Quare, inquit idem Ambroſius, ne nos immiſceamus impiorum conſortio, ubi eſt ruinæ periculum. *Fugiamus perfidum, ne per unum plurimi fluctuemus. Ambr. lib. 4. in c. 5. Luc.*

O. N. ſcis, quod quotieſcumque hujus, & illius perſonæ ſocietatem inis, motus magnus fit in corde tuo, multiſque variarum cogitationum agitaris fluctibus, ita ut in magno peccandi verſeris periculo, fuge hujus perſonæ conſortium. Noſti quod in hac & illa domo eſt aliquis Judas, aliquis perfidus, qui te ad male faciendum inſtigat, fuge, & hunc perfidum, & hanc domum. Experientia tibi conſtat, quod quotieſcumque cum hac perſona loqueris, tentat te diabolus, tuæ excitantur paſſiones, ita ut quaſi totus immergaris, & ad peccatum traharis, fuge, fuge. Si enim ames periculum, peribis in illo, & ſi fugias periculum, proteget te Deus, gratiis ſuis te fovebit, & tandem æternam beatitudinem dabit. *Amen.*

## DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

# DE RELIGIONE CATHOLICA.

*Simile eſt Regnum Cælorum grano ſinapis.* Matth. 13. 31.

PEr Regnum Cælorum, quod in hodierno Evangelio grano ſinapis ſimile dicitur; intelligitur haud dubie fides Chriſti, doctrina Evangelica; vel quod idem eſt, Religio Catholica: quæ quidem in ſui principio quaſi granum ſinapis exiit, ratione parvitatis ſuæ; cum minima fuerit reſpectu idololatriæ, & aliarum falſarum Religionum, quæ tunc in toto terrarum orbe graſſabantur. Sed ſancta hæc Religio, quæ a tenui initio cum Chriſto cœpit, ſucceſſu temporis immenſam crevit in molem & in univerſum mundum ramos ſuos extendit; ita ut in ea habitent, & ſub ramis ejus obumbrentur volucres Cæli, id eſt, Reges, & Principes, homines ſcientia & ſenſu ſublimes, necnon viri ſancti & electi, qui ad cæleſtes thronos ſunt ſublimandi.

De hac Religione Catholica, ad quam per Dei miſericordiam vocati ſumus, audire non erit injucundum, iis ſaltem qui eam æſtimant, venerantur, diligunt, & ſedulo profitentur. De hac autem loquemur, non ut diſputemus, non ut controverſias inſtituamus; ſed ut eum laudemus, extoliamus, & commendemus: utque ejus ſupra alias omnes ſectas præeminentiam & excellentiam patefaciamus, &c. *Ave.*

QUi Lutheranam, Calvinianam, & alias hoc ævo inductas in mundo Religiones ſerio conſiderabit: eas falſas in ſe, iniquas in ſuis legibus, & malignas eſſe in ſua inſtitutione, facile adnotabit.

*Falſæ ſunt*: quia non a Deo ſunt, ſed ab hominibus: quia erroribus, dolis, & fraudibus plenæ: & quia in his nulla certa credendi regula: ſed continua variatio doctrinæ, ac libertas credendi quod quiſque voluerit.

*Iniquæ ſunt* in ſuis legibus: quia liberiori vitæ præbent aditum, bona opera evertunt, antiquas renovant hæreſes, & omnes homines, quantumvis malos, cæleſti gloria dignos judicant: modo id credant quod illis a ſua Religione credendum proponitur, ſive verum illud ſit ſive falſum.

*Malignæ ſunt* in ſua inſtitutione: quia inſtitutæ ſunt ab hominibus peſſimis, ſuperbia inflatis, qui venena ſua effuderunt, ſuaſque Religiones ſtabilierunt, & propagarunt armis, rebellionibus, Magnatum auctoritate, & licentia quam ſectatoribus dederunt aliena rapiendi, bona Eccleſiaſtica invadendi, fædis libidinibus vacandi; ac ea faciendi ad quæ natura corrupta, ſpiritus concupiſcentiæ & ambitionis inclinant.

O quam execrandæ hæ omnes Religiones! Sed o quam amabilis & admirabilis eſt Religio Catholica! quæ vera, quæ ſancta, & quæ mirabiliter ſtabilita & propagata eſt. Videamus: 1. Quam vera ſit: 2. Quam ſancta ſit: 3. Quam mirabiliter ſtabilita & propagata ſit.

PRI-

Digitized by Google

## PRIMA PARS.

*Quam vera ſit Religio Catholica.*

UNica eſſe poteſt vera Religio, non multiplex. Una enim tantum eſt Veritas, *Una fides, unum Baptiſma. Epheſ.* 4. 5. Ex quo ſequitur, omnes Religiones, unica excepta, eſſe falſas, mendaces, noxias, & auctore patre mendaciorum introductas.

Hæc autem vera Religio alia non eſt quam Catholica, quam veram eſſe innumeris probari poſſet argumentis; ſed quia Catholicos alloquor, qui de ſuæ Religionis veritate non dubitant, dicam ſolummodo, eam veram eſſe: 1. Quia Catholica: 2. Quia a Chriſto ad nos derivata; 3. Quia Martyrum conſtantia confirmata: 4. Quia unanimi doctiſſimorum virorum conſenſu approbata.

1. Religio noſtra, non ſolum nomine, ſed etiam re, Catholica eſt, ſeu univerſalis latiſſime patens, & ad omnia regna ſe extendens. Hæc eſt granum ſinapis; quia in principio minima erat; ſed ſucceſſu temporis, ad omnes mundi nationes ramos ſuos extendit; nullum enim regnum, nulla gens nobis nota, ad quam hæc Religio aliquo tempore non pervenerit. Immo hiſce temporibus apud omnes fere nationes, ſaltem ab aliquibus perſonis, Deus ritu Catholico honoratur. Apud Turcas enim, Tartaros, Perſas, Jappones; Indos, Peruanos, Braſilios, Mexicanos, & in omnibus fere mundi locis inveniuntur multi Catholici, repeniuntur Templa & Altaria, coluntur Chriſti & Sanctorum Imagines, ſacroſanctum offertur Miſſæ ſacrificium, a Chriſto inſtituta adminiſtrantur Sacramenta, ſervantur jejunia & Feſta; ac ritu cæremoniiſque Eccleſiæ & Religionis Romanæ, Deus a multis honoratur.

Aliæ Religiones habent ſuos terminos, extra quos fere nunquam egrediuntur; nec enim unquam audivimus, Turcam zelo ſuæ Religionis ſuccenſum, in Galliam veniſſe, ut eam prædicaret & propagaret. Lutherani non pergunt ad Jappones & ad Indos, ut ibi ſuam Religionem promulgent: ſed Religio noſtra ſuos ſemper habet Apoſtolos, & viros Apoſtolicos, quorum ſonus in omnem terram exivit; & qui zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum accenſi, ad exteras ſe conferunt nationes, ad omnes mundi partes pergunt, ibique Religionem Chriſtianam profitentur, eamque cum vitæ ſuæ diſcrimine docent. Quare nulli dubium videri debet, eam eſſe veram Religionem, veramque ſalutis æternæ viam; cum eam Deus omnibus Regnis proponi & prædicari velit, faciatque ut Catholici ad omnes terræ Regiones ſe conferant: & ſuæ Religionis notitiam omnibus populis effundant. At ſi Religio Catholica eſt vera, quia Catholica, eſt etiam vera, *quia a Chriſto ad nos derivata.*

2. A tempore enim Chriſti uſque ad nos, nulla ætas, nullum ſæculum aſſignari poteſt, quo hæc Religio non floruerit. Omnibus a Chriſto ſæculis ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium pro vivis & defunctis eſt oblatum, celebrata Feſta, ſervata jejunia, invocati Sancti, honoratæ Sanctorum Reliquiæ, & alia noſtræ Religionis propria in uſu fuere. Immo & quod magis mirum eſt, datur ſucceſſio Miniſtrorum in Eccleſia, a Chriſto uſque ad præſens tempus: ita ut Miniſtri qui ſunt jam in Eccleſia, a Chriſto, & ab Apoſtolis deſcendant; ſeu ab iis poteſtatem, qua potiuntur, habeant. Sicut enim omnes homines, quoad vitam, & potentiam naturalem, deſcendent ab Adamo: ita omnes Eccleſiæ Miniſtri ſecundum poteſtatem ſupernaturalem, longa ordinationum & ſanctificationum ſerie, a Chriſto, qui eſt ſecundus Adam, deſcendunt. A Chriſto, inquam, qui poteſtatem ſuam dedit Apoſtolis; quæ deinde ab Apoſtolis communicata eſt Epiſcopis, & ab Epiſcopis data eſt, & quotidie datur inferioribus Miniſtris, unicuique prout miniſterium ſuum exigit. Unde nullus eſt jam Miniſter in Eccleſia, qui poteſtatem ſuam, qua conſecrat, qua ſacrificat, qua a peccatis abſolvit, qua alia Sacramenta conficit, qua populum ſanctificat & regit, ad Chriſtum, tamquam ad ejus principium & auctorem, reducere non poſſit.

Quam vera ergo hæc Religio, quæ a Chriſto uſque ad præſens tempus perſeveravit! Quam vera hæc Religio, in qua datur hæc ſucceſſio! Falſæ aliæ Religiones, quæ non a Chriſti, ſed a Calvini, Lutheri, & aliorum Hæreſiarcharum temporibus ſolummodo originem habent: falſæ aliæ Religiones, quæ non a multo tempore incœperunt; vel ſi e multo tempore incœperint, cito interierunt, & diſſipatæ ſunt; ſed vera eſt Catholica Religio, quæ a Chriſto ad nos conſtanter perſeveravit, tam quoad ſe, quam quoad ſuos Miniſtros. Hac ratione Sanctus Auguſtinus Religionem Catholicam veram eſſe judicavit, *Tenet me*, inquit, *in Eccleſia, ab ipſa Sedi Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. Sanctus Auguſtinus epiſtola* 165. Vera ergo eſt Religio Catholica, quia a Chriſto ad nos derivata. Sed eſt etiam vera, *quia Martyrum conſtantia roborata.*

3. Tantus eſt Martyrum numerus, ut vix concipi queat. Aſſerit Sanctus Hieronymus in quadam ex ſuis epiſtolis, nullum eſſe in toto anno diem (excepta prima die Januarii, in qua Gentiles, ſpiritu quodam Religionis ducti, ſanguinem non effundebant) in quo numerus quinque millium martyrum & ultra adſcribi non poſſet.

In tanto Martyrum numero erant non tantum viri, ſed etiam juvenes & juvenculæ, pueri & puellæ, multi Sacerdotes, & Pontifices; necnon plures alii nobili genere, & illuſtri proſapia orti. Qui tanta patientia, tantaque conſtantia ſuum pro Religione Catholica ſanguinem effudere, ut nulla ratione a ſæviſſimis quibuſque Tyrannis vinci potuerint; quin contra carceres, exilia, rotas, ignes, & exquiſitiſſima quæque ſupplicia, non ſolum generoſe, & conſtanter, ſed etiam lætanter, & magno cum cordis jubilo paſſi ſint.

Jam autem ſic ratiocinemur. Si vera non eſſet Religio Catholica: quomodo permiſiſſet Deus, tot viros innocentes & ſanctos qui ei obſequebantur, & qui nil aliud præter ejus gloriam quærebant, in cultu ſuo ita miſere errare? Quomodo permiſiſſet, eos tam turpiter decipi, & tam inaniter ſanguinem ſuum fundere? Sed quomodo fieri potuiſſet, ut viri, tot juvenes & juvenculæ tam dira ſupplicia, & ipſam mortem conſtanter & lætanter ſuſtinuerint; niſi Deus, eorum cultum approbans, eos miris & occultis modis corroboraſſet, & internis conſolationibus ſuſtentaſſet? Quomodo tandem a tot Tyrannis,

& a

& a tam immanibus ſuppliciis vinci non potuiſſent; niſi hic fuiſſet digitus Dei eos corroborans, eorumque Religionem veram eſſe, probans conſtantia, quam in ſuppliciis præferebant? Certe hæc omnia, ſole clarius, hanc Religionem & veriſſimam, & Deo probatiſſimam eſſe manifeſtant. Sed ſi Catholicam Religionem veram eſſe probet conſtantia Martyrum: eam etiam veram eſſe probat, *unanimis doctiſſimorum virorum conſenſus*.

4. Innumeri Doctores in Græcia, in Aſia, in Africa, in Gallia, in Hiſpania, in Germania, & in aliis nationibus, de Religione Catholica ſcribentes, de ejus principiis conſenſerunt, eam devotiſſime coluerunt, eamque adverſus Gentiles, Judæos, & Hæreticos generoſe defenderunt. Quanti enim viri extitere Petrus, Paulus, Matthæus, & alii Apoſtoli, ab ipſo Spiritu Sancto edocti? Quanti viri fuere Clemens, Ignatius, Polycarpus, & Dionyſius Areopagita, qui poſt Apoſtolos Fidem & Religionem Catholicam ſcriptis mandarunt? Quanti qui ſecundo vivere ſæculo, Juſtinus Martyr, cujus ſcripta ad nos pervenere; Athenagoras, qui inſignem pro Chriſtianis Apologiam ſcripſit; Egeſippus, qui ſcripſit Hiſtoriam Eccleſiaſticam uſque ad ſua tempora, & Sanctus Irenæus, qui plures Libros adverſus Valentinos compoſuit? Quanti in tertio ſæculo viri, Gregorius Thaumaturgus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus Martyr, Lactantius Firmianus, & alii, quorum quilibet ſpeciali elogio dignus eſſet? Quanti in quarto ſæculo, S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, S. Hilarius Pictavorum Epiſcopus, S. Cyrillus Jeroſolymæ Antiſtes, S. Ephrem Diaconus Edeſſenus, S. Baſilius Magnus Archiepiſcopus Cæſarienſis in Cappadocia; ac Sancti Hieronymus, Ambroſius, Epiphanius, & Gregorius Nazianzenus, quorum nomina & merita ubique nota? Quanti in quinto ſæculo, Auguſtinus, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Maximus, S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, & S. Cyrillus Alexandrinus? Quanti in ſequentibus ſæculis, S. Leo, Gregorius Magnus, S. Bernardus, S. Thomas de Aquino, S. Bonaventura, & alii innumeri? Quanti viri in Conciliis paſſim congregati, ad quæ convenere quotquot in urbe erant homines ſcientia & pietate illuſtres? Hi autem omnes Catholicæ Religionis dogmata adverſus quoſcumque hoſtes ſtrenue propugnarunt; ac Catholicam Religionem omnes profeſſi ſunt, eo modo quo illam nunc profitemur: quis ergo nunc de veritate ejus dubitare audeat, cum a tot & tantis viris probata ſit?

De ejus veritate nullo modo dubitavit S. Auguſtinus, cum vidit unanimem conſenſum tot populorum & Doctorum, aſſerentium hanc Religionem eſſe veram; *Tenet, me*, inquit, *in Eccleſia conſenſus populorum, atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. S. Auguſt. lib. de utilitate credendi cap.* 4. Quanto magis hæc nos tenere debet auctoritas, cum poſt Auguſtinum multos alios habuerimus Patres & Doctores, qui Religionem Catholicam ut veram profeſſi ſunt, & propugnarunt? Sed quanto rationabilius eſt ſentire cum tot ſanctiſſimis, & omni ſcientia eruditiſſimis Patribus & Doctoribus, quam cum aliis viris inflatis, impiis, & malignis, qui non Dei, ſed proprio ingenio regi volunt?

Credamus ergo Religionem Catholicam eſſe veram, credamus, & gratias agamus Deo, quod ad falſas Religiones nos declinare non permiſerit. Extra veram Religionem non eſt ſalus, & ſi in alia a vera fuiſſemus eruditi, in ea forte pertinaciter perſeveraſſemus, ac proinde damnati fuiſſemus, quare ex totis viſceribus gratias Deo referamus, quod ad Religionem Catholicam nos vocaverit, in qua quiſque ſalvari poteſt. Sed ſi Religio Catholica eſt vera, *eſt etiam ſancta*.

## SECUNDA PARS.

*Quam ſancta ſit Religio Catholica.*

VEra eſſe nequiret Religio Catholica, ſi ſancta non eſſet, & ſi ad ſanctitatem non perduceret: quare ex hoc quod vera ſit, facile quiſque judicabit; eam eſſe ſanctam. Sed ex aliis principiis ejus ſanctitatem aſtruamus; ac dicamus, Religionem Catholicam eſſe ſanctam: quia: 1. Licentiam peccandi excludit: 2. Magnifice de Deo ſentit: 3. Mirifice Deum honorat; 4. Ad ſanctitatem perducit.

1. Sicut initium omnis ſanctitatis eſt, declinare a malo; ita & Religio illa ſancta eſt, quæ omne malum, & omne peccatum excludit & prohibet. Talis autem eſt Religio Catholica, quæ prohibet quidquid turpe & vituperabile eſt, omnem dolum, omne mendacium, omne furtum, omnem contumeliam, omnem injuriam, & ipſas quoque cogitationes, & deſideria prava. Nec ſolum hæc prohibet, ſed & multis utitur modis & mediis, ut a peccatis removeat, & peccandi licentiam excludat.

Nonne ad excludendum peccatum, optimum medium eſt pœnitentia? deterrentur a peccatis homines, cum advertunt ea omnia ſigillatim in confeſſione aperienda, & pro illis pœnitentiam ſubeundam? Nonne ad abſtinendum a peccatis excitantur, cum vident abſolutionem non poſſe obtineri, niſi condonentur injuriæ, bona ablata reſtituantur, damna illata reſarciantur, & dolor de peccatis cum emendationis propoſito eliciatur?

Sed nonne Religio Catholica peccandi licentiam excludit per doctrinam de ſatisfactione, & Purgatorio: cum docet, remiſſa culpa, & pœna æterna, remanere plerumque obligationem gravis pœnæ temporalis ſubeundæ, vel in hac vita per opera ſatisfactoria; vel in Purgatorio per acerrima illius ſupplicia?

A peccato etiam removet, & peccandi licentiam excludit Religio Catholica, cum docet unicum mortale peccatum pœna plecti æterna in inferno, niſi in hoc mundo per pœnitentiam deletum fuerit. Peccandi tandem licentiam excludit hæc Religio, cum timorem ſanctum hominibus incutit, *tum* proponendo eis terribilia Dei judicia; *tum* numeri ſalvandorum paucitatem prædicando; *tum* crebra damnationis pericula objiciendo; *tum* hominis infirmitatem, & labendi facilitatem manifeſtando. O quam ſancta eſt hæc Religio, quæ non tollit omnem damnationis timorem a cordibus hominum, nec laxat habenas ad omnia genera peccatorum, ut faciunt aliæ ſectæ, apud quas plerumque omnia licent, aut earum principiis omnia licere infertur, ſed ab omni peccato removet, & omnem peccandi licentiam excludit. Sed Religio Catholica eſt etiam ſancta, *quia magnifice de Deo ſentit*.

2. Hor-

Digitized by Google

2. Horrendum eſt, quam male de Deo ſenſerint plurimi Hæretici, alii etenim eum eſſe unicum negarunt & infinitum, & ideo multos coluere Deos. Negarunt alii eum eſſe immenſum, & ubique præſentem, & ideo Deum unum in Cælo, alium in aere, alium in terra, & alium in mari eſſe docuerunt. Negarunt alii ejus providentiam, qua gubernat omnia, alii ejus omnipotentiam, qua creavit omnia, & alii alias ejus perfectiones, ſine quibus Deus eſſe nequit, tollere conati ſunt.

O quales Religiones! Quæ quidem non ſanctæ ſunt, ſed impiæ, peſſimæ, & a vero Dei cultu remotiſſimæ. At Religio Catholica eſt Religio ſancta, quæ magnifice de Deo ſentit. *Ipſa* enim eum unicum, & abſolute infinitum eſſe docet. *Ipſa* illum immenſum proclamat, & ubique præſentem, non ſolum per eſſentiam, quæ omnibus illabitur, ſed etiam per potentiam, quia ubique dominatur, ac etiam per inſpectionem, quia omnia videt. *Ipſa* eum agnoſcit ut immutabilem, tam quoad omnes ejus perfectiones, quam quoad ejus conſilia, decreta, gaudia, felicitatem, & voluntatem. *Ipſa* aſſerit, eum eſſe æternum, nec ullum habere ſui eſſe principium; eum eſſe omnipotentem, quia omnia fecit, & infinita alia ſumma facilitate facere poteſt; eum eſſe ſumme ſapientem, qui omnia quæ ſunt, & quæ eſſe poſſunt, diſtinctiſſime agnoſcit, penetrat, & comprehendit; eum tandem eſſe ſumme ſanctum, ſumme juſtum, ſumme bonum, ſumme benignum, ſumme miſericordem, ac omnes omnino perfectiones in eo eſſe eſſentialiter; ipſiuſque eſſentiam eſſe fontem, & originem omnium perfectionum creatarum, quæ omnes ab illa manant & profluunt. Ac ut paucis multa dicam, de Deo ſentit Religio Catholica, quod *magnus eſt, & non habet finem; excelſus & immenſus*. *Baruch* 3. 25. Vel ut loquitur Propheta, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis*. *Pſalm.* 144. 3. O quam ſancta eſt hæc Religio, quæ ſic magnifice de Deo ſentit, *& quæ etiam mirifice Deum honorat*.

3. Eum quidem honorat, non ſolum exterminatione idololatriæ, magiæ, ſimoniæ, perjuriorum, ſacrilegiorum, & eorum omnium quæ cultui veri Dei adverſantur, ſed etiam magnificis Templorum ſtructuris, Feſtis diebus ad ejus honorem inſtitutis, vaſis prædivitibus, veſtibus ſanctitatem redolentibus, & cæremoniis, quæ reverentiam hominibus inſpirant, & quæ Deo non modicum honorem impendunt. Sed Religio Catholica Deum præcipue honorat oratione, votis, & altiſſimo Miſſæ ſacrificio.

Oratione quidem: *tum* mentali, qua intus & corde ad Deum erigimur, ab eo neceſſaria petimus, eique pro acceptis beneficiis gratias rependimus; *tum* vocali, qua non ſolum mente, ſed etiam ore Deum invocamus, ejuſque laudes decantamus. Et hic cultus in Religione Catholica eſt perpetuus, innumeri enim ſunt hujus Religionis cultores, qui die ac nocte non tacent laudare nomen Domini, & qui ex ſtatu & munere ſuo ad quotidie Officium ſeptem horarum decantandum tenentur. Alii etiam Fideles, mane, veſpere, & meridie, necnon in omnibus calamitatibus & neceſſitatibus ad Deum preces fundere, & omnia ad ejus gloriam facere docentur.

Votis etiam in Religione Catholica honoratur Deus, quia ibi Deo promittunt multi ſervare caſtitatem, paupertatem, & alia, quibus Deum magis glorificari agnoſcunt. Sed in Religione Catholica magis adhuc honoratur Deus ſacroſancto Miſſæ ſacrificio; ſacrificio ſane omnium præſtantiſſimo, in quo Dei Filius, veluti victima perpetua offertur; & in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Sancta ergo hæc eſt Religio, quæ ſic Deum honorat, ſed etiam ſancta eſt, *quia perducit ad ſanctitatem*.

4. Non enim homines ſolum a peccatis deterret, ſed eorum etiam animos ad ſtudium bonorum operum, & ad omnis perfectionis amorem excitat, & allicit. Hæc mentes hominum ab affectu terrenorum avocat, & ad cæleſtium amorem traducit. Hæc hominum corda a rebus iſtis temporalibus & vilibus abducit, & ad cæleſtia & æterna bona cogitanda, amanda, & proſequenda urget. Hæc ſuadet terrena deſpicere, a carnis voluptatibus abſtinere, divitias & honores parvipendere, jejuniis, ciliciis, aliiſque corporis mortificationibus carnem rebellem domare, ac contemptis aliis omnibus ſe totaliter virtutum exercitio, & Dei obſequio conſecrare.

Hinc innumeri, Catholicam Religionem ſectantes, a vitiorum cœno ad ſanctitatis & perfectionis apicem pervenerunt. O quam multi in Religione Catholica, contemptis divitiis, deliciis, & dignitatibus, quibus fruebantur, & quibus frui poterant, ſæculo abrenuntiarunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis ejus, & ſe totos divino cultui, cæleſtium rerum contemplationi, ac ſanctitati acquirendæ conſecrarunt! Quam multi Magnatum filii, quam multi nobiles in ſæculo, divitiis affluentes, ingenio famoſi, eloquentia, & omni litteratura celeberrimi, ſpretis omnibus quæ mundus colit, ſe totos humilitatis, patientiæ, caritatis, & omnis ſanctitatis operibus dederunt, ac ad omnis ſanctitatis & perfectionis culmen pervenerunt.

O quam ſancta hæc eſt Religio! o quam ſancti & perfecti eſſemus, ſi juxta ejus leges viveremus! Sed heu! multi Catholicam Religionem profitentes, gentiliter & impie vivunt. Satis eſſe credunt, quod nomen ſuum Chriſto, & Religioni Catholicæ in Baptiſmo dederint, & ideo de Religionis Chriſtianæ legibus ſervandis non ſatagunt. Hi ſane magnam ſibi damnationem acquirunt, & gravioribus ſuppliciis in inferno plectentur, quam qui Religioni Catholicæ nunquam adhæſerunt, quia tanti a Deo accepti beneficii ingrati fuerunt. Quare ſancti eſtote, animaſque veſtras ſanctificate, cum Religionem profiteamini, quæ ſancta eſt, *& quæ etiam mirabiliter inſtituta & ſtabilita eſt*.

## TERTIA PARS.

*Quam mirabiliter ſtabilita & propagata ſit Religio Catholica.*

CUm Chriſtus in hunc mundum venit, ut diſſolveret opera diaboli, nil difficilius videbatur, quam idololatriam deſtruere, & Catholicam Religionem introducere. Si etenim non ſine multo labore in humili, & vili oppido mos quidam antiquus aboletur, ut novus eique contrarius inducatur, quam.

quæ-

Digitized by Google

quæſo, difficile erat, non unicam, ſed plures antiquas conſuetudines, non in una, vel aliquibus duntaxat urbibus, ſed in toto terrarum orbe deſtruere, & novas introducere? Quam difficile erat, cultum idolorum annihilare, Gentilium ſacrificia abolere, Altaria vaſtare, Templa ſolo æquare? Quam difficile triumphare de Imperatoribus, de Sacerdotibus, de Magiſtratibus, & de populis cultui idolorum deditis, eiſque ſuadere, Deos eorum eſſe dæmonia, Oracula eorum eſſe mendacia, ſacrificia eſſe ſacrilegia, Sacerdotes eſſe deceptores, totamque illorum Religionem eſſe ſuperſtitionem & impietatem, cui neceſſario abrenuntiare deberent, ut Catholicam Fidem, toto cælo idololatriæ contrariam, amplecterentur, & profiterentur?

Hoc ſane difficillimum erat, arduum certe opus. Idololatria tamen deſtructa eſt: Religio vero Catholica mirabiliter ſtabilita & propagata: 1. Sanctitate primorum Chriſtianorum: 2. Verbi divini prædicatione: 3. Miraculorum operatione: 4. Speciali Dei aſſiſtentia.

1. Miranda erat primorum Chriſtianorum ſanctitas, miranda erant bona eorum opera: quæ cum Gentiles videbant, ſuſpiciebant, & ad amplectendam Religionem Catholicam vehementer movebantur. Primævi Chriſtiani ſanctitate vitæ, & bonis operibus erant bonus Chriſti odor: *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt. 2. Cor. 2. 15.* Ex hoc odore unguenti repleta eſt tota hujus mundi domus, ita ut primorum Chriſtianorum ſanctitas undique promulgaretur, & innumeri Gentiles adducerentur ad ſectandam illam Religionem, quam viri piiſſimi & ſanctiſſimi profitebantur.

In primis Chriſtianis mirabantur Gentiles quod nulli injuriam facerent, unde S. Blandina in tormentis, de criminibus interrogata reſpondit: *Chriſtiana ſum, nec mali quippiam a nobis committitur.* Mirabantur in Chriſtianis morum innocentiam, quæ tanta erat, ut nil in eis reprehenſibile viderent. Mirabantur in illis invictam Fidei conſtantiam, alacritatem in tormentis, æquanimitatem in acceptis injuriis. Mirabantur in iis ſtupendum mutuæ charitatis vinculum, quod tantum erat, ut ſe mutuo in Templis, & in publico ſalutarent oſculis, ut pro egenorum ſuſtentatione collecta facerent, ut intimos etiam carceres penetrarent Sacerdotes, incarceratis Confeſſoribus Sacramenta miniſtraturi, ut ſe mutuo ad Martyrium pro Fide ſubeundum hortarentur, ut Martyrum corpora maxima cura & contentione, etiam cum ſummo ſui periculo, raperent, & honorifice ſepelirent. Mirabantur maximam eorum charitatem & benevolentiam, etiam erga Gentiles, & inimicos ſuos, quæ tanta erat, ut Imperatorem, quamvis Ethnicum, maxime venerarentur, eique omnia felicia precarentur, ut pro perſecutoribus orarent, ut carnificibus ſuis libentiſſime ignoſcerent eiſque amoris ſigna exhiberent, ut erga ipſos Gentiles hoſpitales, & munificos ſe præberent, ut eos a dæmonum obſeſſu liberarent, ab infirmitatibus ſanarent, famis tempore victum eis ſuppeditarent, & peſte infectis libenter miniſtrarent. Hæc & alia ſanctitatis opera in primis Chriſtianis mirabantur Gentiles, & iis ad Catholicam Fidem amplectendam mirabiliter excitabantur. His ſanctitatis exemplis ad Chriſti Fidem convertebantur Principes, Tyranni, carnifices, & innumeræ omnis ſexus, omniſque conditionis perſonæ. Et ſic ſtabiliebatur, & propagabatur Religio Catholica. *Sed magis adhuc propagata eſt verbi divini prædicatione.*

2. Non mundi ſapientes, non Philoſophos, non viros doctiſſimos miſit Chriſtus, ut ſuum annuntiarent Evangelium; ſed piſcatores, ſed Apoſtolos & Diſcipulos ſuos, quorum ſonus in omnem terram exivit, verbumque quod prædicabant, erat quaſi ſemen fœcundiſſimum, quod innumeros Chriſto producebat filios, & doctrinæ ejus ſectatores. Verba illorum erant quaſi ignis ſacer, quo ad Dei amorem auditorum corda accendebantur, & quaſi malleus, quo indurata Gentilium corda conterebantur, & ad Catholicam Religionem ſectandam flectebantur: *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis; dicit Dominus: & quaſi malleus conterens petram? Jerem. 23. 29.*

Scitis, ad unicam Sancti Petri concionem, in die Pentecoſtes factam, tria hominum millia ad Chriſtum, & ad Catholicam Religionem eſſe converſa. Sed quis ſcit, quot converſi ſint aliis Sancti Petri concionibus? Quot concionibus aliorum Apoſtolorum & Diſcipulorum? Quot concionibus quæ ab Eccleſiæ primordio in univerſo terrarum orbe factæ ſunt? Certe prædicatio verbi Dei fuit unum ex efficacioribus mediis, quibus Deus uſus eſt ad Religionem Catholicam ſtabiliendam, propagandam, & multiplicandam. Ut enim ait D. Paulus, *placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* At Religio Catholica ſtabilita eſt etiam, & propagata *miraculorum operatione.*

3. Prædicabant Apoſtoli, prædicabant Diſcipuli, & Deus confirmabat, quæ ipſi prædicabant; miraculis quæ eorum miniſterio faciebat: *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Marci 16. 20.*

Doctrina, quam prædicabant Apoſtoli, erat ſublimis, naturæ corruptæ propenſionibus oppoſita, ad ardua vocans & ad difficilia, hominibus carnem ſapientibus ignota, & quaſi incredibilis; quare ut hæc doctrina a Gentilibus benigne reciperetur, & crederetur, eam ſignis, & miraculis Deus confirmabat: *Ut ad Fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra jam coaluiſſe videamus, & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit. S. Gregor. hom. 29. in Evang.*

Cum prædicabant Apoſtoli, Chriſto crucifixo credendum, injurias condonandas, corpus mortificationibus atterendum, ſpernenda omnia ſæculi bona, & alia credenda & facienda, quæ ſacrum docet Evangelium, non facile iis credebant auditores, ſed cum videbant Concionatores miraculis confirmantes ea quæ prædicabant, fidem eis adhibebant. Cum audiebat unuſquiſque eos ſua lingua loquentes: Cum videbant eos jam cæcos illuminantes, nunc mortuos ad vitam revocantes, nunc dæmonia e corporibus obſeſſorum expellentes, & alia miracula facientes mirabantur, doctrinam eorum a Deo eſſe fatebantur, & tandem ad Catholicam Religionem convertebantur. At non ſolum miraculorum operatione; *ſed etiam ſpeciali Dei aſſiſtentia Religio Catholica ſtabilita & propagata eſt.*

4. Cum Cyrus Perſarum Rex in urbe Spar... mi-



Digitized by Google

litum copias colligeret, ut omnes ſui obſequio mancipatet, palam dicebar; venite ad me omnes, voſque omnes exaltabo & ditabo eos; qui pedeſtres ſunt, equites faciam, equitibus dabo currus quibus vehantur, habentibus unam villam, unius vici dominium conferam, eos qui uni pago dominantur, unius urbis dominos efficiam, eorumque dominio ſubjiciam provincias, quorum ditioni ſubduntur urbes. Quoad aurum, & argentum, affluenter vobis dabuntur, & non numerabuntur, ſed ponderabuntur.

Quis non talibus promiſſis alliceretur? Sed quis non deterreretur iis, quæ Chriſtus proponit, ut homines ad ſe, & ad Chriſtianam Religionem vocet? Qui vult venire poſt me, inquit, abneget ſemetipſum; qui non renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; beati eritis cum maledixerint vobis homines, cum perſecuti vos fuerint, & omne malum dixerint adverſum vos. Quis his & ſimilibus ad Catholicam Religionem ſectandam, & ad Chriſtum ſequendum alliceretur? Vel potius quis ab ea amplectenda non deterretur? Certe hæc omnia videntur Religionis Catholicæ multiplicationi opponi; ſed Deus ſpeciali ſua providentia & aſſiſtentia eam ſtabilivit & multiplicavit.

Hæc autem ſingularis Dei aſſiſtentia eluxit in hoc, quod totus mundus poſt Chriſti adventum in pace poſitus ſit; & unico Romanorum Imperio ſubditur, quo via aperta eſt ad mittendos per totum orbem Prædicatores, qui Evangelium populis annuntiarent. Singularis hæc Dei aſſiſtentia apparuit in hoc, quod tempore perſecutionum magis multiplicarentur fideles, & cum Imperatores nomen Chriſtianum extinguere ſatagerent, quo plures Chriſtianos occidebant, eo plures ad Chriſtianiſmum convertebantur; ac ſanguis Martyrum eſſet ſemen Chriſtianorum. Specialis hæc viſa eſt Dei aſſiſtentia in hoc, quod exoriente quavis hæreſi, excitavit ſemper viros aliquos religioſos, & eruditos, qui eam expugnarent. Specialis hæc tandem aſſiſtentia omnibus nota eſt in hoc, quod Catholica Religio ſemper floreat, ſemper de inimicis triumphet, ſemper eadem perſeveret; & uſque ad mundi finem ſit duratura, nec unquam adverſus eam portæ inferni ſint prævalituræ.

Miramini hanc Religionem, quæ vera eſt, quæ ſancta eſt, & quæ mirabiliter a Deo ſtabilita & propagata eſt. Miramini eam, & legibus ejus ſubdimini. Si Chriſtiani eſtis, Chriſtum imitemini, & chriſtiane vivite. Si Fidem Catholicam profitemini, quæ Fidei Catholicæ ſunt, credite, & facite: Deuſque vobis in hoc mundo gratiam, & in alio æternam beatitudinem conferet. *Amen.*

## DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

# DE PAUCITATE SALVANDORUM.

*Multi ſunt vocati, pauci vero electi.*
Matth. 20. 36.

OMnes naturaliter ſcire deſiderant, tantaque multis ineſt ſciendi cupido, ut indefeſſo labore, naturæ, gratiæ, & divinitatis ſecreta ſcrutentur. Verum quidem, quod nullus jam ita ſtultus ac Democritus, *Agell. l.* 10. *c.* 17. qui oculos ſibi eruit, ut naturæ arcana, intentius poſſet contemplari; nullus nunc ita crudelis ac Hierophilus ille Medicus, qui ſexcentorum hominum pectora aperuit, ut varios humani cordis motus exploraret, & qui, ut loquitur Tertullianus: *ſexcentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur; qui eam odit, ut noſſet. Tertull. lib. de anima.*

Licet autem ſtultus & ferialis hic apud homines nunc non ſit ſciendi ambitus, innata tamen cuique ſemper ineſt ſciendi libido. Et ſicut de divitiarum cupiditate aſſeritur, quod ſemper creſcat; *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit*, ita ſciendi ſemper augetur deſiderium, & quo quis doctior, eo ardentiori ſciendi cupiditate agitur & angitur.

Aliqui plantarum naturam, virtutes, & proprietates inveſtigare contendunt, alii ſiderum, Cælorumque varios motus, varioſque influxus obſervare conantur, alii gratiæ, gloriæ, & prædeſtinationis myſteriis ſcrutandis toti occupantur; & vix eſt aliquis, qui electorum, & ſalvandorum numerum noſſe non ambiat.

Certum eſt, ſine ſpeciali revelatione, ſciri non poſſe, qui & quot a Deo ad beatitudinem æternam electi ſint, ſed an magnus, vel parvus ſit electorum numerus, declaravit ipſe Chriſtus, dicens, paucos eſſe electos: *Pauci electi*. Quam ejus propoſitionem in ſequentibus explicabo, ac docebo parvum eſſe electorum numerum, &c. *Ave.*

LIcet ſoli Deo ſit cognitus numerus electorum, qui in ſuprema civitate locandi ſunt, ſi tamen electi cum reprobis conferantur, facile dignoſci poteſt, an plures, vel pauciores ſint electi, quam reprobi: hoc enim ſatis dilucide ſacra declarat Scriptura, hoc ſancti Patres perſpicue explicant, hoc Theologi docent, & hoc ipſa ratio naturalis dictat. Sed ut res tota clarius, & ſolidius pertractetur, hanc quæſtionem de numero electorum & reproborum, ſub triplici reſpectu inſpicio, & ventilare intendo. *Primo*, reſpectu omnium penitus hominum, tam fidelium, quam infidelium, qui ſunt, qui fuerunt, & qui uſque ad mundi finem erunt. *Secundo*, reſpectu omnium Chriſtianorum, qui in Chriſtum credunt, ſive Catholici illi ſint, ſive non. *Tertio*, reſpectu tantum Catholicorum adultorum, qui ſcilicet fidem Catholicam ſectantur, ac Eccleſiæ Romanæ adhærent. Sub triplici autem hoc reſpectu, paucos aſſero eſſe electos in comparatione reproborum. Et ideo dico:

1. Quod

Digitized by Google

1. Quod ex omnibus omnino hominibus *pauci electi*: 2. Quod ex omnibus Chriſtianis *pauci electi*: 3. Quod ex omnibus Catholicis adultis *pauci electi*.

## PRIMA PARS.

*Ex omnibus omnino hominibus pauci electi.*

SI inſtituatur comparatio inter homines generatim ſumptos, qui a mundi primordio uſque ad ejus finem vixerunt & victuri ſunt, ex iis omnibus longe majorem eſſe reproborum, quam electorum numerum eſt evidentiſſimum. Siquidem ante Chriſti adventum rariſſimus fuit veri Dei cultus, ac rara ejus cognitio; totuſque mundus ita idololatriæ fuit deditus, ut in ſola Judæa notus videretur verus Deus: *Notus in Judæa Deus*. Poſt Chriſti vero adventum, longe major Gentilium, Turcarum, Judæorum, & hæreticorum, quam Catholicorum fuit numerus, & ideo, quia *qui non credit, jam judicatus eſt*, *Joann. 3.* aperte conſtat, ex omnibus hominibus, ſimul ſumptis, paucos & pauciſſimos eſſe electos & ſalvandos, reſpectu reproborum & damnandorum: Nec de hoc dubitare poteſt, qui Chriſti verbis fidem adhibet; cum in propriis terminis dicat, quod *pauci electi*: quod ſaltem intelligi debet de omnibus hominibus electis, reſpectu omnium reproborum.

Cum iret in Jeruſalem Chriſtus, populumque doceret tranſiens per civitates & caſtella, petiit ab eo quidam, num parvus, vel magnus eſſet electorum numerus: *Domine, ſi pauci ſunt qui ſalvantur? Luc. 13.* O magnam quæſtionem! Cui diſertis verbis reſpondet Theophylactus, dicens: *Pauci ſunt qui ſalvantur, eo quod anguſta Paradiſi via multos non recipiat*. Eidem quæſtioni reſpondit D. Auguſtinus, aſſerens, numerum electorum eſſe magnum & parvum, *magnum* in ſe, & *parvum* reſpectu reproborum. *Qui ſalvantur*, inquit, *multi ſunt & pauci, ſed ipſi pauci qui multi; pauci ſcilicet in comparatione multorum perditorum. S. Aug. ſerm. 13. de verbis Domini*. Sic etiam reſpondent omnes Catholici. Nec mirum, cum Chriſtus, qui eſt ſuprema Veritas, hanc quæſtionem eodem modo ſolverit, ac expreſſe declaraverit, ex omnibus hominibus paucos eſſe electos, reſpectu reproborum ſcilicet: *Pauci electi*.

De puſillo quodam grege loquitur Chriſtus, de quo aſſerit, quod eum Pater æternus ad cæleſtia regna poſſidenda deſtinarit: *Nolite*, inquit, *timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*. *Luc. 12.* Quis eſt ille grex, quem puſillum vocat Chriſtus? Hic eſt grex electorum, qui, ut ait Ven. Beda, vere puſillus eſt: quia *pauci electi*. Sed quomodo puſillus eſt ille grex, & quomodo pauci eſſe poſſunt electi, cum in Cælo S. Joannes viderit: *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum? Apoc. 7.* Reſpondet Ven. Beda, *puſillum vocari gregem electorum, ob comparationem majoris numeri reproborum. Beda l. 4. cap. 54. in Luc. 12.* Electorum itaque grex magnus eſt, & parvus: *magnus* eſt in ſe, & *parvus*, puſilluſque in comparatione reproborum.

Quod egregia & familiari ſimilitudine præclare explicat S. Vincentius Ferrerius. Sumat, inquit, quis ex granis arenæ, quantum una manu geſtare poterit, certum eſt, quod unica hæc ejus manus, multa, & quaſi innumerabilia arenæ grana continebit; illa tamen grana, quæ in ſe multa, & quaſi innumerabilia eſſent, pauciſſima, & quaſi nihilum cenſerentur, reſpectu totius arenæ maris. Similem in modum, ait S. Vincentius, certum eſt, electos in ſe, & in manu Dei multos eſſe: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*. Sed ſi electi cum reprobis conferantur, pauciſſimi, & quaſi nihil ſunt. *S. Vinc. ſerm. in Dom. Septuag.*

Hanc electorum paucitatem indicavit Iſaias Propheta, cum Damaſcenos ſalvandos a ſtrage Chaldæorum comparavit paucis ſpicis reſiduis poſt meſſem, paucis olivis poſt excuſſam oleam remanentibus, & paucis uvis poſt vindemiam relictis. *Iſa. 17.* Inde enim paucitatem ſalvandorum figurari dicunt multi Auctores, & præcipue D. Hieronymus, qui præfata Iſaiæ verba exponens, ait: ( Tanta erit Sanctorum paucitas, de quibus Dominus loquitur in Evangelio, dicens: *Multi vocati, pauci electi*, ut eorum paucitas baccis olivarum rariſſimis comparetur, quæ cum excuſſæ fuerint, atque demiſſæ, vix paucæ remanſerunt in ramorum cacumine. Et quomodo cum erit finita vindemia, ſolent pauperes egeſtate cogente vacuas circuire vites, & pauca uvarum grana colligere. ) O quam paucæ ſunt olivæ, quæ excuſſa olea remanent, reſpectu earum, quæ ſedulo collectæ ſunt! O quam paucæ ſunt uvæ, quæ finita vindemia a pauperibus in vineis reperiuntur, reſpectu earum, quas vinearum domini colligi curarunt! Illæ certe, in comparatione illorum, pauciſſimæ ſunt; eodem autem modo pauciſſimi ſunt omnes electi, reſpectu omnium reproborum.

Alia comparatione utitur Deus, ut doceat nos, quam parvus ſit electorum numerus, reſpectu numeri reproborum. Ipſe enim, Abrahamum alloquens, ait: *Sicut ſtellas Cæli, & ſicut arenæ maris, ſic erit ſemen tuum. Gen. 22.* Abrahæ filios ſtellis Cæli, & alios arenæ maris Deus comparat. Quod advertens D. Auguſtinus, ait, per *ſtellas Cæli* electos intelligi, & per *arenam maris* reprobos, *Auguſtin. lib. 43. contra Fauſt.* Ex quo infert, quod ſicut numerus arenarum, numerum ſtellarum longe excedit; ita numerus reproborum, numerum electorum longe ſuperat.

Hæc & alia hujuſmodi me terrent paucitatis ſalvandorum teſtimonia; ſed magis terrent & conturbant me ipſa Chriſti Salvatoris verba, qui duplicem viam proponit, arctam unam, & ſpatioſam alteram: *Arctam*, quæ ducit ad vitam; *ſpatioſam*, quæ ducit ad mortem: *arctam*, qua pauci; & *ſpatioſam*, qua multi incedunt. O quam fugienda ſpatioſa hæc via, qua itur ad infernum! & tamen aſſerit Chriſtus, quod multi ſint reprobi, qui lata hac via ad infernum properant: *Lata*, inquit, *porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Matth. 7.* O quam amanda, & ſedulo ſectanda eſt arcta hæc via, qua itur ad Cælum! & tamen dicit Salvator, quod pauci ſint electi, qui hac via incedunt: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. Ibid.*

Qualis via, talis porta. Orci lata via, & lata etiam porta, capiens plurimos: *Multi ſunt, qui in-*



Digitized by Google

*trant per eam.*; Cœli vero anguſta via, & anguſta etiam porta, capiens paucos; *Pauci ſunt, qui inveniunt eam.* Orci porta Ethnicos, Turcas, Judæos, hæreticos, uſurarios, libidinoſos, falſarios, fures, & innumeros omnis generis peccatores capit; *Multi ſunt, qui intrant per eam*; Cœli vero via & porta aliquos ſolum Religioſos, Sacerdotes nonnullos, & paucos laicos recipit: *Pauci ſunt, qui inveniunt eam.* Lata inferni via omnibus ſeſe offert; & ad illam ſequendam inclinat natura, invitat mundus, ſollicitat diabolus, quare viatorum multitudine redundat: *Multi intrant per eam.* Arcta vero Paradiſi via, prima fronte terret; quia, ut ait S. Bernardus, *arduus eſt aſcenſus Jeruſalem*; & ut loquitur Firmianus, *via cœleſtis difficilis, & clivoſa propoſita eſt, vel ſpinis horrentibus aſpera, vel ſaxis extantibus impedita. S. Bern. ſer. de quadruplici debito.* Quare pauci Paradiſi via incedunt, & pauci per Paradiſi portam ingrediuntur. *Pauci ſunt, qui inveniunt eam.*

Utramque hanc viam contemplatur S. Hieronymus, dicens: (Vide quanta inter has vias ſeparatio ſit, quantumque diſcrimen. Illa ad mortem; hæc tendit ad vitam; illa vitiis per conſuetudinem quaſi declivior ac mollior; hæc inſueto calle virtutum triſtior & horridior. Illa teritur a multis, hæc via invenitur a paucis: *Pauci intrant per eam.*) *S. Hieron. epiſt. 14.*

Utramque hanc viam ſerio conſiderate: ſed & magna animi contentione ponderate hæc duo verba a Chriſto prolata: *pauci & multi.* Quærite ab illo, an multi, vel pauci ſint, qui per latam viam, quæ ducit ad inferos, tranſeant? Reſpondet ipſe: *Multi.* Ab illo petite, utrum multi, vel pauci ſint, qui per arctam viam, qua itur in Cœlum, pergant? Reſpondet ipſe: *Pauci, pauci electi.* Quare cum Chriſtus, qui eſt ſuprema Veritas, ſemel & iterum aſſerat, paucos eſſe electos, non ambigendum, nec hæſitandum, ſed firmiter credendum, ex omnibus hominibus ſimul ſumptis paucos eſſe electos, reſpectu reproborum: *Pauci electi.*

Hoc ſane credendum; ſed hoc pauciſſimi credunt. Si enim, reſpectu reproborum, paucos eſſe electos firmiter crederemus, quis non trepidaret? Quis totis artubus non contremiſceret? Quis ſancte & pie vivere non ſatageret? Quis ſaluti ſuæ non conſuleret? Quis per anguſtam Paradiſi portam, qua pauci tranſeunt, intrare non contenderet?

Ipſemet Chriſtus, qui anguſtam eſſe Cœli portam, ac paucos per eam intrare declarat; hortatur omnes, ut per anguſtam hanc portam ingredi contendant: *Contendite intrare*; quare, ſi Chriſto credatis, per anguſtum hoc oſtium intrare contendite.

*Anguſta eſt porta*: humiliate capita veſtra, & peccatorum ſarcinam deponite, ut intrare poſſitis. *Anguſta eſt porta*: contendite cum dæmone, cum carne, cum mundo, qui anguſtæ illius portæ aditu excludere conantur homines. *Anguſta eſt porta*: contendite ac toto cordis impetu, omnique voluntatis affectu, virtutis actibus inſiſtite, ut per eam intrare valeatis. *Anguſta tandem eſt Paradiſi porta*, per quam ingrediuntur pauci: hi ſcilicet, qui Dei mandatis obtemperant: ea ſervare pro viribus contendite, ut cum paucis aliquando ingrediamini. Sed poſtquam ex omnibus hominibus electos paucos eſſe probavimus, dicamus etiam, *quod ex omnibus Chriſtianis pauci ſint electi.*

## SECUNDA PARS.

*Ex omnibus Chriſtianis pauci electi.*

Licet Deus omnes homines ſalvos fieri velit; licet omnibus ſalutis gratiam largiatur: licet pro omnibus incarnatus, paſſus, & mortuus ſit; ſpeciali tamen Chriſtianos proſequitur amore, majorique cura ſaluti eorum invigilat: cum per Baptiſmum, ſine quo nulla ſalutis ſpes eſſe poteſt, eos ad veram fidem vocet. Unde non ſatis laudare, & prædicare poſſumus felicitatem Chriſtianorum, quæ quidem magna eſt reſpectu infidelium: cum Chriſtianos Deus a tenebris erroris eruerit: cum eos in admirabile fidei ſuæ lumen venire fecerit, eiſque baptiſmalem gratiam infuderit.

Infelices merito cenſemus Turcas, Barbaros, Ethnicos, alioſque infideles, quibus nulla eſt Chriſti notitia; eoſque a ſalutis via alienos credimus: cum Salvatorem Jeſum, in quo ſolo eſt ſalus, non agnoſcant, ejuſque inſtitutis nullo modo adhæreant. Deploranda ſane hujuſmodi hominum miſeria; & reſpectu eorum feliciſſimi ſunt, qui Chriſtiano nomine inſigniuntur: cum eis magis pateat ad ſalutem via, cumque longe facilius ſalvari poſſint, quam infideles. Sed, o rem ſanguineis lacrymis lugendam! Tanta eſt dæmonis aſtutia, tanta ſæculi perverſitas, tantaque hominum malitia, ut ex ipſis Chriſtianis pauci ſalventur. Non quod iis deficiat ſalutis gratia; ſed quia ipſi gratiæ deficiunt: non quod Cœli oſtium iis non ſit apertum; ſed quia ipſi intrare nolunt: non quod iis non dentur media ad ſalutem neceſſaria; ſed quia ipſi modis ſibi datis uti renuunt. Unde fit, inquit Granatenſis, tam paucos ex Chriſtianis ſalvari, ut vix aliqui inveniantur, qui pie vivant, & ad cœleſtia regna perveniant: *Partem hanc, inquit, quæ Chriſtianorum nomine celebris eſt, intuere, & vide quo loco res Chriſtianorum hoc exulceratiſſimo ſæculo ſint conſtitutæ: & fateberis, in hoc corpore myſtico vix aliquod membrum ſanum reperiri. Granat. l. 1. Ducis peccat. c. 26.*

Hoc ſane fatendum eſt, nec ullus hac de re manet ambigendi locus. Nam ex omnibus Chriſtianis, ſeu ex omnibus qui baptizati ſunt, & qui Chriſtum ut Deum agnoſcunt, multo plures ſunt hæretici, quam Catholici; hæretici autem omnes damnantur; quia *qui non credit, jam judicatus eſt. Joann. 3. 18.* ex Catholicis vero non quidem omnes, ſed quamplurimi damnantur. Ex quo evidentiſſime conſtat, quod ſi ſumantur omnes Chriſtiani ſimul, tam ſcilicet hæretici, quam Catholici, eorum longe plures ſint damnandi, quam ſalvandi; quodque ex omnibus Chriſtianis ſimul ſumpti ſint *pauci electi.*

Hac de re nullatenus dubitavere Sancti Patres, & præcipue Sanctus Gregorius, qui explicans hæc Chriſti verba: *Multi vocati, pauci vero electi*, attonitus clamat: *Hoc terribile eſt valde: quia ad fidem plures veniunt, & ad cœleſte regnum pauci perducuntur. S. Gregorius hom. 19. in Evang.* Ad fidem veniunt Angli, Suevi, Dani, Bavari, & omnes qui Baptiſmum recipiunt; ſed ex his omnibus pauci ſalvantur, & ad cœleſte regnum perducuntur:

quia

Digitized by Google

quia cum adulti ſiunt, vel fide cadunt, vel ad vitia declinant, & in peccatis ſuis moriuntur.

Sole ergo clarius eſt, quod ex omnibus Chriſtianis, tam Catholicis, quam hæreticis, pauci ſalventur. Et hoc manifeſtare voluit Spiritus Sanctus multis figuris in veteri Teſtamento relatis. In civitate enim Jerico, vaſtatis reliquis omnibus domibus, ſola domus Rahab ſervata eſt. In urbe Sodoma, ſola domus Lot a generali incendio ſalva evaſit. In diluvio univerſali, ſola domus Noe a communi cataclyſmo liberata eſt. Ex ſexcentis hominum millibus, qui ex Ægypto egreſſi ſunt, ut ad terram promiſſionis iter facerent, duo tantum, Joſue ſcilicet & Caleb, ad eam pervenerunt. Quibus omnibus figuris, juxta expoſitionem Doctorum, indicatur, parvum, & pauciſſimum eſſe numerum electorum, reſpectu reproborum.

Quod & indicatur in ſancto Evangelio; *cum* per parabolam ſeminis, quod Deus in Eccleſiæ ſuæ agro ſeminavit, cujus tres partes, vel ſecus viam, vel ſuper petram, vel inter ſpinas perierunt; & quarta ſolummodo pars cecidit ſuper terram bonam, ut fructum afferret: *cum* maximo hoc hominum numero, qui Chriſtum ſequebantur, quorum tres tantum ad montem Sanctum Thabor aſcenderunt.

His omnibus figuris addi poſſent formidanda Zachariæ Prophetæ verba; qui tam paucos fore ſalvandos ait, ut ex tribus mundi partibus duas diſperdendas dicat; de tertia autem quid futurum ſit, non determinet: *Erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ diſperdentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea. Zach. 1, 13.* Sed ad quid? plura colligeremus argumenta ad probandum, quod ex omnibus Chriſtianis, tam Catholicis, quam hæreticis, pauci ſint qui ſalventur; Si etenim, ut jam dicturi & probaturi ſumus, ex ſolis Catholicis adulti pauci ſint qui ſalventur; quanto pauciores ſunt qui ſalvantur ex omnibus Chriſtianis, tam Catholicis, quam hæreticis? Certe ex iſtis pauciſſimi ſalvantur: non quod Deus omnibus ſalutis gratiam non det: ſed quia data ſibi gratia pauci bene utuntur, & multi abutuntur.

Hoc plus quam certum eſt: quare eſt quod timeamus. O Chriſtiane, pauci ex Chriſtianis electi ſunt: quare time, ne unus non ſis ex paucis his qui ſalvantur; time, ne unus ſis ex multis his Chriſtianis reprobis, qui in æternum damnantur.

Cum Chriſtus Dominus duodecim Apoſtolis dixit: *Unus ex vobis eſt, qui me tradet, Jo. 19.* trepidaverunt omnes. Unum dixit, & timuerunt omnes, ac ſinguli dicebant: *Numquid ego ſum?* Sed heu! quanto magis gelidus corda noſtra pavor invadere debet, cum non unicus ex duodecim Chriſtianis; ſed ex omnibus Chriſtianis multo plures damnandi ſint, quam ſalvandi.

Tam grave, tamque horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, & in æternum damnari; ut ſi a Deo ad nos miſſus Angelus annuntiaret, unicum ex tota civitate, quam incolimus, civem fore damnandum, trepidare deberemus omnes, & quiſque noſtrum timere deberet, ne ipſe eſſet reprobus ille, ſempiternis ignibus adjudicandus.

Parum eſt quod dico. Ampliemus noſtram ſuppoſitionem, & dicamus: quod ſi ex omnibus regni incolis; immo ſi ex omnibus Adæ filiis unicum tantum damnandum ſciremus, vehementi timore concuti deberent omnes; ac quiſque, ſi recte saperet, intra ſe pavidus diceret: *Numquid ego ſum?* Numquid ego ſum infeliciſſimus ille homo qui damnandus eſt, & ad inferos præcipitandus? Sed quanto magis hoc dicere, & trepidare debemus: cum evidentiſſimum ſit, ex ipſis Chriſtianis paucos ſalvari, & quamplurimos damnari? Magno certe cum timore & tremore ſalutem ſuam operari quiſque debet: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini: Philipp. 2.* At eſt quod magis timeamus, majorique cum ſollicitudine ſalutis noſtræ negotio incumbamus: quia ſcilicet non ſolum ex Chriſtianis, verum & ex Catholicis *pauci electi*.

## TERTIA PARS.

*Ex omnibus Catholicis adultis pauci electi.*

SI fiat comparatio inter Catholicos, tam parvulos, quam adultos, veriſimilius eſt, plures ſalvandos, quam damnandos. Quia innumeri pueri, unda baptiſmali renati, antequam ad rationis uſum pervenerint, ex hac vita migrant; ex adultis etiam multi in ſtatu gratiæ ex hoc mundo exeunt: quare veriſimillimum, immo & certum videtur, ex Catholicis, tam adultis, quam non adultis, plures ſalvari, quam damnari. Sed ſi de ſolis Catholicis adultis inſtituatur ſermo; dico, ex his plures damnari, quam ſalvari. Seu, quod idem eſt, dico, ex Catholicis omnibus adultis paucos eſſe electos, reſpectu reproborum. Et ut non ex meipſo loquar, audiatur Doctorum Aquila, dicens: *Boni, verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, comparatione malorum, pauci ſunt: ſicut multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca ſunt in comparatione palearum. Aug. l. 3. contra Creſcon. c. 66.*

Rogatus aliquando idem Auguſtinus, quid de electorum, & reproborum numero ſentiret? ipſis Sacræ Scripturæ verbis reſpondit: *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam.* Ut autem ad mentem ſuam clarius explicandam cogeretur, ab eo petita eſt horum Chriſti Domini verborum expoſitio; & ille pavidus reſpondit. *Hæc verba explicatione non indigent, ſed pavore.* Altera tamen vice de numero electorum & reproborum interrogatus Auguſtinus, clare reſpondit: *Arbitror tres mundi partes fore damnandas, eo quod in eas regnet infidelitas. 6. Aug. l. de vere cultu.* Sed quid de quarta mundi parte, quæ Catholicorum eſt? *De quarta, inquit, quid dicam, niſi quod 1. Joann. 5. dicitur: totus mundus in maligno poſitus eſt?* Non reſpondet Sanctus Doctor, ex Catholicis, qui quartam hanc partem conſtituunt, plures ſalvari, quam damnari; ſed totum mundum in maligno eſſe poſitum; ut oſtendat, in hac etiam quarta parte plures damnari, quam ſalvari; & in ea paucos eſſe electos, reſpectu reproborum.

Clarius hac in parte locutus eſt Chryſoſtomus; cum etiam die quadam ad populum Antiochenum verba faceret, hanc adſtantibus propoſuit quæſtionem: *Quot eſſe putatis in civitate noſtra, qui ſalvi fiant? Chryſ. ſt. hom. 40. ad popul.* Non facile huic interrogationi reſpondiſſent auditores: quare ipſemet quæſtionem ſolvit, dicens: *Infeſtum eſt quod dicturus ſum; dicam tamen: non poſſunt in tot millibus centum reperiri, qui ſalventur.* Advertite, quod Antiochiæ tunc

tunc perſonarum ſaltem centum millia erant, & tamen ex his centum millibus centum ſolum; ſeu ex ſingulis millibus unum tantum ſalvandum, palam e veritatis cathedra pronuntiavit S. Chryſoſtomus: quare, hoc audito, pavidi invicem ſe reſpiciebant auditores ejus, quaſi quid incredibile prædicaſſet. Sed ille ſuam iterum ventilans propoſitionem, ait: ne cenſeatis, me nimia cum exaggeratione locutum: quia etiam dubito, an ex omnibus magnæ hujus civitatis incolis centum ſalventur: *quin & de iis dubito*. Cujus rei rationem mox ſubjungens, ait: *Quanta enim in juvenibus eſt malitia? Quantus in ſenibus torpor? Filiorum curam gerit nemo, nemo zelum habet; exemplaria jam deleta ſunt.*

Attendite, quod qui talia profert, eſt Chryſoſtomus, eximius hic Eccleſiæ Doctor, os illud aureum, ex quo nonniſi oracula fluunt. Loquitur autem, non de Babylone, vel Sodoma; ſed de civitate Antiochiæ, de qua id aſſerit, non cum nondum ei Chriſti fides illuxerat; ſed eo tempore quo Patrum, Martyrum, ac Doctorum ſanctitas maxime vigebat: ac etiam tunc, cum Sanctus ille Doctor maximam hujus populi curam gerebat. Heu! ſi tunc, cum Chriſti Domini ſanguis adhuc quaſi madet; ſi, inquam, tunc dubitat Chryſoſtomus, an in maxima hac civitate, plena populo, an, inquam, in tot millibus, centum ſint qui ſalvi fiant; quid ſentiret de civitatibus noſtris? Quid de ſæculo noſtro, in quo maxima in juvenibus malitia, in quo inertiſſimus in ſenibus torpor, in quo omnia inundant vitia, & in quo *non eſt qui faciat bonum?* Certe ſi jam in urbibus noſtris concionaretur Chryſoſtomus, timeo, ne quid terribilius in noſtri confuſionem proferret. Nec dubito, quin ex Catholicis adultis pauciſſimos ſalvandos aſſereret.

Hoc non a multo tempore aſſeruit piiſſimus pariter ac doctiſſimus Concionator Ludovicus Granatenſis. *Granat. Ib.* Hoc & aſſeruit egregius Doctor ſimul & Cardinalis Cajetanus, qui exponens parabolam de decem Virginibus, quarum quinque fatuæ, & quinque prudentes, ait, quod ſimiliter ex Catholicis illis, qui pietatis operibus ſedulo vacare, ac ſalutis ſuæ negotio ſollicite invigilare profitentur, media pars ſalvetur, & media damnetur: ex omnibus vero Catholicis adultis plures damnentur, quam ſalventur: *quia multorum extrinſeca opera ſunt manifeſte mala*. Sed hoc firmius & clarius aſſeruit S. Hieronymus: cum certiſſimum prædeſtinationis ſignum eſſe dixit, ſi quis vivat ut pauci vivunt: *Vivere ut pauci*. Non ad infideles, vel ad hæreticos hæc verba dirigit Hieronymus: quia hi nullum prædeſtinationis ſignum in ſe habent; ſed Catholicos alloquitur, ex quibus multi damnantur, & pauci ſalvantur; & inter quos verum prædeſtinationis ſignum eſt: *Vivere ut pauci*: quia etiam inter eos pauci ſunt qui ſalventur, & æternam beatitudinem conſequantur.

De Catholicis, qui in Eccleſia Romana congregantur, loquens Origenes, paucos ſalvari ait his verbis: (Si quis conſideret multitudinem hominum, qui in Eccleſia congregantur, & diſcuſſerit, quanti ſunt qui verſantur diſciplinate, & renovantur novitate ſenſus, quanti autem negligentiſſime converſantes, conformantur huic ſæculo, videbit eſſe verum ſermonem Domini dicentis: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Orig. hom. 20. in Matth.*)

Conſidera, quanta ſit injuſtitia apud Senatores, Judices, Cauſidicos, & omnes Juſtitiæ ſæcularis Miniſtros: quot uſuræ, quotque fraudes apud Mercatores, artifices, divites, & plebejos: quot fœdæ libidines apud utriuſque ſexus & conditionis juvenes: quot omnis generis vitia undique circumfluant: & fateberis, inter Catholicos etiam, verum eſſe ſermonem Chriſti, dicentis: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*.

Attende, inquit Bernardus, quod *receſſit cuſtodia a Prælatis, devotio a Religioſis, reverentia a ſubditis, conſilium a ſenibus, lex a Sacerdotibus, juſtitia a Rectoribus, æquitas a Judicibus, charitas a civibus, veritas a Mercatoribus, dilectio ab omnibus*. Mente revolve, inquit Ludovicus Granatenſis, quamcumque volueris ex civitatibus celebrioribus, in quibus veræ, puræ, & ſinceræ Religionis extent adhuc veſtigia. Perambula porro, non dico tabernas, & loca publica, quæ mendaciis, ebrietatibus, & impoſturis ſunt dicata; ſed ipſas domos vicinorum: & audies undique murmura, mendacia, execrationes, juramenta, & blaſphemias. Adi, ſi velis, Aulas, Tribunalia, officinas, nundinas, militiam, forum, naves, currus, privatas ædes, & ibi puerorum, adoleſcentum, puellarum, virorum, ſenum perjuria, fraudes, convicia, odia, tumulentiam, laſciviam, aliaque vitia obſervabis. Intra, ſi libeat, in ipſas Eccleſias, ac loca ſacra: & ibi ſacrilegia, profanationes, irreverentias, aliaque Chriſtiano nomine indigna adnotabis. Quocumque tandem te vertas: ſi Catholicorum mores ſerio examinaveris, tot videbis negligenter, indiſciplinate, & turpiter vivere, ut nec dubitare poſſis, reſpectu etiam Catholicorum, verum eſſe ſermonem Domini, dicentis: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Granat. Ib.*

Verus quidem, & veriſſimus ſermo Domini, dicentis, paucos eſſe electos. Verus eſt, non ſolum reſpectu omnium hominum, & reſpectu omnium Chriſtianorum; ſed etiam reſpectu omnium Catholicorum. Unde eſt, quod jam cum Iſaia Propheta dicamus: *Dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum ſine termino; Iſaiæ 5. 14.* dilatavit quidem infernus animam ſuam, ſuumque os ita aperuit, ut paucis exceptis, omnes penitus homines deglutiat. Quis ergo non timeat? Quis per anguſtum Paradiſi portam intrare non contendat? quis anguſto tramite ſibi portum ſalutis non quærat? Quis per pia opera certam ſuam vocationem & ſalutem facere non ſatagat?

Hæc duo verba, *pauci electi*, velut horrendum tonitru, magnam orbis Chriſtiani partem terruere: hæc multos proſtitutæ vitæ mortales a vitiorum cœno ad arctiorem omnium virtutum viam ſectandam allexere: hæc plurimos ab urbibus ad deſerta & antra compulere. Hæ duæ voces, *pauci electi*, innumeros ad corpora ſua jejuniis, ciliciis, vigiliis, verberibus, aliiſque gravibus pœnitentiis, & mortificationibus crucianda adduxere: hæc invictiſſimos plures athletas in cataſtas, in equuleos, cruces, rogos, beſtiarum dentes, ac in armatas tortorum manus egere. O utinam hæc eadem verba in omnium hominum auribus ſonarent! Utinam omnium corda penetrarent! Rogo vos, fratres, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut non recedant hæc verba a mentibus veſtris, non recedant a cordibus veſtris. Diſcat quiſque intra ſemetipſum: *Pauci electi*; qua-

re,

re, ut cum paucis annumerari merear, a peccati ſomno volo ſurgere, & in divinorum obſervantia mandatorum conſtanter perſeverare. Dicat quiſque in ſemetipſo: *Pauci electi*; quare quidquid durum & aſperum ſeſe mihi in via ſalutis offeret, libenter ſubibo, ut cum paucis aliquando vivere, & regnare mihi contingat. Dicat quiſque, *pauci electi*: quare ſalutis meæ negotio ſollicite invigilabo, adverſus omnes animæ meæ hoſtes generoſe decertabo: ac indefeſſa cura bonis operibus incumbam, ut ad cæleſte regnum, quod paucorum eſt, pervenire valeam.

Mementote ſemper, cæleſtem coronam dari ſolummodo ſollicite vigilantibus, generoſe pugnantibus, & ſtrenue laborantibus: qui omnes *pauci ſunt*. Quare omnem procul pellite negligentiam; ac vigilate, pugnate, & laborate, ut cum paucis cæleſtem coronam impetrare poſſitis. *Amen*.

## DOMINICA SEXAGESIMÆ.

## DE VERBO DEI.

*Semen eſt verbum Dei*. Luc. 8. 11.

VErbi divini, Apoſtolorum & Concionatorum ore prolati, tanta eſt virtus, efficacia tanta, ut Verbi increati per quod omnia facta ſunt, emanatio quædam & participatio eſſe videatur. Quia ſicut Verbum increatum eſt cauſa principalis & prima rerum omnium quæ factæ ſunt; ita verbum prædicationis eſt cauſa inſtrumentalis mutationum, converſionum, & omnium fere bonorum, quæ in hominum animis & cordibus geruntur.

Quis enarret admirandas mutationes, quæ hoc verbo effectæ ſunt? Quis dicat quot ſapientes in pueros, quot ignari in magiſtros, verbi hujus virtute ſint converſi? Quam multæ ſancto hoc prædicationis verbo abrogatæ ſint pravæ conſuetudines? Quæ vitia non abolita? Quæ virtutes ab hominibus, alias peccato ſervientibus, non acceptæ, & ſedulo excultæ? Quid hoc verbo hominibus non perſuaſum; idque in omnibus ſæculis, necnon apud omnes nationes & gentes? Sed heu! Infelici hoc ævo, auditorum incuria, malitia, & defectu, Dei verbum ſuam omnem vim & efficaciam perdidiſſe videtur.

Nullo unquam tempore plures fuere Concionatores, quam noſtro: tam multæ nunquam habitæ ſunt conciones; & conciones quidem ſine ullo eloquentiæ fuco, & ſatis magna diligentia ad audientium utilitatem elaboratæ. Et tamen exiguus inde manat fructus: & pauciſſimos reperire eſt, qui Concionatorum voce permoti, ſuos corrigant mores: qui peccati jugum a ſe expellant, & ad meliorem vitæ frugem veniant. Quod haud dubie procedit ex defectu auditorum, qui Dei verbum non audiunt ſicut oportet. Quare ut tanto occurramus malo, modum debite audiendi verbum Dei jam docebimus, &c. *Ave*.

EX Chriſtianis nonnulli verbum Dei audiunt, ſed illud non retinent: alii illud quidem memoria retinent, ſed illud non credunt: & alii illud credunt, ſed illi non obediunt, & executioni non mandant id, quod Dei verbum iis faciendum inſpirat.

Qui Dei verbum audiunt, & non illud retinent; ſunt ſimiles cribro; quod quidem recipit aquam, ſed illam mox emittit, nec aliquid ejus retinet! Qui Dei verbum retinent, & non illud credunt: ſunt ſimiles Principibus illis & Phariſæis, qui Chriſtum prædicantem audiebant, ſed verbis ejus nullam fidem adhibebant: *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? Joann.* 7. 48. Qui tandem verbum Dei credunt, & illi non obediunt; ſunt ſimiles homini, qui vultus ſui ſpeciem in ſpeculo conſiderat; nec tamen maculas, quas in vultu adnotat, abſtergere ſatagit: *Hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Jacob.* 1.

Audire verbum Dei, & illud non retinere, parum prodeſt: Retinere Dei verbum, & illud non credere; multum nocet: Credere verbum Dei, & illi non obedire, ſeu illa non facere, quæ a Dei verbo facienda docentur, ſæpe non tam prodeſt quam nocet. Quare ut fructum quiſque ex Dei verbo eliciat, ita audiendum; ut: 1. Memoria retineatur: 2. Corde credatur: 3. Manu executioni mandetur. Verbum Dei retinendum, verbum Dei credendum, verbo Dei obediendum. En tres hujus concionis partes.

### PRIMA PARS.

*Verbum Dei memoria retinendum*.

NIl homines majori cum affectu conſervare, & majori cum ſollicitudine retinere ſolent, quam res, quas pretioſas cenſent. De conſervandis & retinendis apud ſe luto, lapidibus, aliiſque vilibus, non eſt qui curet: ſed aurum, argentum, aliaſque res pretioſas, cuncti ſtudioſe ſervare, & cuſtodire ſoliti ſunt. Quare ut ad memoria retinendum, & conſervandum Dei verbum vos inducam; velim, ut quiſque advertat, nil eo eſſe pretioſius. Siquidem Dei verbum eſt, ſemen, & margarita, & theſaurus: 1. *Eſt ſemen*, cujus pretium incomparabile, 2. *Eſt margarita*, cujus pretium inæſtimabile, 3. *Eſt theſaurus*; cujus pretium infinitum.

1. Verbum Dei eſt ſemen quoddam ſpirituale, & myſticum, *Semen eſt verbum Dei*. Eſt quidem vere ſemen, *tum* quia ſicut ſemen eſt principium vitæ naturalis; ita & Dei verbum eſt principium vitæ ſpiritualis; *tum* quia ſicut præparari debet humus, ut ſatum in ea ſemen fructus afferat; ita & debite parata eſſe debent corda auditorum, ut verbum Dei a Concionatoribus ſeminatum, pœnitentiæ & ſalutis fructus producat.

Semen autem illud eſt pretioſiſſimum: quia cum in terra bona, & bene culta; ſeu in corde bono, rore cæleſti irrigato, & gratia Dei exculto, ſeminatur, fructus Cælo dignos, & in æternum duraturos producit. Unde Prædicatores, qui Dei verbum ſeminant, & prædicant, vocantur *Satores æternitatis*: *S. Hilarius*, quia ſcilicet cum verbum Dei, quod ferunt, cadit in terram bonam, ſpirituales, cæleſtes, & in æternum duraturos fructus affert & producit. O quam pretioſum illud ſemen!

Tanti fecit, tamque pretioſum cenſuit illud ſemen Chriſtus Salvator, ut de Cælo illud tulerit, & in terram ad illud ſeminandum deſcenderit. *Exiit*, & quaſi egreſſus eſt e ſinu Patris. *Exiit* a Cælo in terram, & *exiit*, ut verbum Dei prædicaret & ſeminaret. *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen tuum*. Illud ſeminavit, non ſolum per ſeipſum, ſed etiam per

Apoſtolos, & Diſcipulos, qui ad omnes orbis terrarum partes ſe contulerunt, ut ubique ſatorum munere fungerentur, & ubique divinum illud ſemen ſererent. At Chriſti etiam, & Apoſtolorum tempore, cæleſte illud ſemen ab innumeris Concionatoribus continue ſeminatum eſt, mirabileſque ſemper, portentoſos, & in æternum perſeveraturos fructus edidit quia innumeros peccatores ad Deum convertit, & in viros ſanctos mutavit, qui in Cælo æternum regnabunt, & triumphabunt. O quam mirandum, & o quam pretioſum illud ſemen!

Dic, quæſo, ſi ſemen aliquod in tua haberes poteſtate, cujus tanta eſſet virtus, ut in terra ſatum mirabiles, raros, & pretioſos fructus non ſolum in terra, ſed etiam in Cælo produceret; nonne illud pretioſiſſimum cenſeres? Nil haud dubie hoc ſemine rarius, nil pretioſius æſtimares. Verbum autem Dei eſt ſemen illud, quod in hominum terreſtrium & carnalium cordibus ſeminatum; eos in viros Cælo dignos, & in Sanctos, æternum in Empyreo regnaturos, immutat. Nonne Dei verbo Auguſtinus, miſer & obcæcatus, in virum juſtum, & Cælo idoneum converſus eſt? Nonne Dei verbo Magdalena peccatrix, in Magdalenam pœnitentem, ſanctam, Deo placentem, & cæleſtibus thronis dignam mutata eſt? Nonne hoc verbo Paulus, qui infidelis erat, factus eſt vas electionis? Nonne Matthæus, qui ad Telonium ſedebat, Dei verbo ad Apoſtolica munia vocatus, & deinde ad cæleſtia regna translatus eſt? Sed nonne ab Eccleſiæ Chriſti primordio, hoc Dei verbum a zelo ſuccenſis Concionatoribus ſatum, Sanctos in Cælo multiplicavit, & uſque ad mundi finem multiplicabit? Certe plerique Sanctorum, qui in Paradiſo beantur, ſunt fructus a Dei verbo producti. Quare Dei verbum, ut ſemen pretioſiſſimum inſpiciendum, & ut quid pretioſiſſimum retinendum eſt. Cum ergo Dei verbum audis, illud, quantum fas erit, memoriæ manda, illudque in memoria, tanquam rem pretioſiſſimam retine, ut eo ad tui ſanctificationem, & ad cæleſte regnum obtinendum utaris. Sed retinendum etiam Dei verbum, *quia eſt margarita, cujus pretium ineſtimabile.*

2. Non illud ex meo ſenſu, ſed ex Chriſti ſententia margaritam vocabo, prohibet enim Salvator, ne ante porcos projiciantur margaritæ, *Neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. Matth. 7:6.* Quid! per margaritas ibi Chriſtus intelligit? Loquiturne de margaritis materialibus? Non equidem, quia hujuſmodi margaritæ projici non ſolent, nec aliquis ita prodigus, ut eas ante porcos mittat: Quæ ergo ſunt hæ margaritæ, de quibus Chriſtus? Hæ ſunt Dei verba, cæleſtiſque, & pretioſa doctrina Evangelii. *Margaritarum*, inquit S. Hieronymus, *eſt ſermo Dei; Hieron. epiſt. ad Euſtoc. de cuſtod. virg.* & ut ait S. Joannes Chryſoſtomus, *margaritas hæc verba vocavit, quæ his longe pulchriora, præſtantioraque ſunt. Chryſoſt. prolog. in Joann.*

O quam pretioſum eſt Dei verbum! Ipſis ſane margaritis eſt pretioſius, cujuſque pretium eſt inæſtimabile: quia qui Dei verbo ad ſui ſanctificationem utitur, eo totum cæleſte regnum ſibi emit. Quare cum ita pretioſum ſit Dei verbum, non illud a mente & a memoria ejicias; ſed illud retine, illudque ſæpe mente revolve. Si pretioſas poſſideres margaritas, non illas haud dubie foras mitteres; ſed eas pro viribus occultares, & retineres: conſerva ergo, & ſollicite verbum Dei memoria retine, cum ſit ipſis margaritis pretioſius, ejuſque pretium ſit inæſtimabile. Sed & memoria retinendum verbum Dei, *quia eſt theſaurus, cujus pretium infinitum.*

3. *Non ſolum theſauro verbum Dei comparatur*, inquit Chryſoſtomus; *ſed etiam fonti. Chryſoſt. hom. 3. in Geneſ.* Verbum Dei eſt quidem ſimile fonti: quia fluit, & ubique ſe communicat ſicut fontis aqua. Sed eſt etiam ſimile theſauro, ratione pretii ſui, qui pretioſum eſt ut theſaurus.

Cognoſcitur, ut ſubdit S. Chryſoſtomus, quanti pretii ſit aliquis theſaurus, ex re, quæ mediante hoc theſauro comparari poteſt. Magnus eſt theſaurus, ſi eo emi poſſit illuſtre aliquod prædium: *major*, ſi eo acquiri poſſit inſignis quidam Ducatus: & *maximus*, ſi eo comparari poſſit ampliſſimum aliquod terræ Regnum. Sed verbum Dei eſt theſaurus in infinitum major: quia verbo Dei, ſi quis bene utatur, acquiri poteſt regnum cæleſte, æternum, & infinitum. O quam magnus, & pretioſus ille theſaurus.

Pretioſiſſimum eſſe illum theſaurum novit Pſaltes Regius; quia illum in corde ſuo abſcondit & occultavit: *In corde meo abſcondi eloquia tua. Pſal. 118.* 11. Quo theſaurus aliquis eſt pretioſior, eo in loco occultiori abditur: & ideo Dei verbum in corde ſuo, quaſi totius corporis humani loco abditiori, abſcondit Propheta: quia exiſtimat, verbum Dei eſſe theſaurum, quo nullus pretioſior. Quare cum Dei verbum ſit theſaurus pretioſiſſimus, ſumma cura, ſummaque ſollicitudine eſt retinendum, & conſervandum.

Cum quis theſaurum invenit, non illum projicit, ſed præ gaudio illius vadit, & abſcondit illum, illumque ſumma cura cuſtodit, & retinet: quare cum Dei verbum ſit theſaurus pretioſiſſimus; magna ſollicitudine cuſtodiendum, & memoria retinendum.

Non imitandi illi, qui Dei verbum audiunt, ſed facta concione, illius non ultra recordantur, nec recordari curant. Non imitandi etiam illi, qui auditum Dei verbum projiciunt retrorſum; ita ut illud nequaquam amplius menti ſuæ objici velint, & patiantur: *Projeciſti ſermones meos retrorſum. Pſ. 49. 17.* Non imitandi tandem hi, qui poſtquam Concionatorem audiverunt, Deique verbum in corde ſuo receperunt, a Cæli volucribus, ſeu a dæmonibus illud auferri, & a memoria deleri permittunt. Sed audiendum attente & modeſte verbum Dei, in corde eſt recipiendum; ac in eo ſumma ſollicitudine retinendum & cuſtodiendum, tanquam ſemen, cujus pretium eſt incomparabile; tanquam margarita, cujus pretium eſt inæſtimabile; tanquam theſaurus, cujus pretium eſt infinitum.

*Si quis diligit me*, inquit Chriſtus, *ſermonem meum ſervabit. Joann. 14.* Non projiciendus, nec conculcandus, nec oblivioni tradendus Dei ſermo; ſed ſervandus & cuſtodiendus. *Ubi autem ſervandi Dei ſermones? Haud dubium quia in corde. S. Bern. ſerm. 3. de Advent.* ſeu in memoria, ibi ſervandi, ibi retinendi. Nec ulla unquam audienda eſt concio, quin aliquid ad ſui inſtructionem in memoriæ penu retineatur.

Videte quomodo ſe habuerit Maria, poſtquam Chriſtum audivit loquentem: verba ejus non abjecit, nec

co-

eorum oblita eſt; ſed ut ait ſacer Textus, *Mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo. Luc.* 2. 51. Poſtquam etiam audivit Maria Paſtores Chriſtum laudantes, & mirabilia quæ de eo dicebantur, enarrantes, *conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo: Ib. v.* 19. eodem autem modo memoriæ conſignanda, & in corde conferenda Concionatorum verba. Numquam a concione exeas, quin aliquid memoriæ mandaveris; & deinde cum ad propria redieris, ea quæ adnotaſti in memoriam revoca, ea mente revolve; ut iis ad bene faciendum movearis; eaque filiis & domeſticis enarra, ut & illi ad declinandum a malo, & ad proficiendum in bono alliciantur.

Præceperat olim Judæis Deus, *Deut. 6. & 11:* ut legem ſuam in manibus ligarent, in fronte gererent, in ædium foribus ſcriberent, eamque ſero & mane, in omni loco & tempore meditarentur, & mente revolverent. Sic tu, cum concionem audis, Dei verba a Concionatore propalata retine, ut deinde ea ſæpe ad memoriam revoces, mente verſes, cogitatione revolvas, iiſque ad profectum tuum ſpiritualem utaris. At ſi Dei verbum eſt memoria retinendum; *eſt etiam corde credendum.*

## SECUNDA PARS.

*Verbum Dei eſt corde credendum.*

VEritas, quæ de Cælo orta eſt, infenſiſſimos in terra habet hoſtes, qui ei inſidiantur, qui eam male recipiunt; variiſque modis odium, quo illam proſequuntur, manifeſtant. Sed veritatem odio habeant homines, quantum voluerint; quicumque tamen eam perſpicue cognoſcet, ei in corde aſſentietur; nec enim quis in corde ſuo id negare, & non credere poteſt, quod verum eſſe cognoſcit: quare ut Dei verbo credendum ſuadeam, dicam ſolummodo, illud eſſe veriſſimum. De quo nullus dubitare poterit, cum probavero, quod Deus, a quo prolatum eſt illud verbum: 1. Nunquam mentitur: 2. Non amat mentiri: 3. Non poteſt mentiri.

1. Qui alicujus criminis ſunt rei, alios ejuſdem criminis reos eſſe facile credunt; qui avari ſunt, alios avaritiæ arguere ſolent; qui libidini dediti ſunt, alios ſimiliter libidinoſos eſſe cenſent; qui ſuperbi, alios ſuperbos; qui invidi, alios invidos; qui tandem alicui vitio obnoxii ſunt, alios omnes eidem vitio obnoxios eſſe imaginantur. Quare cum omnes homines mendaces ſint; non deſunt qui Deum ſicut illos mendacem eſſe ſentiant; ſed nunquam mentitur Deus; nec eſt ſimilis hominibus qui omnes mentiri ſolent: *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur. Num.* 23. 19.

Apud mortales nil mendacio communius: ubique fraudes, ubique doli, ubique mendacia. Apud Poetas, fingere & mentiri familiare & uſatiſſimum eſt. Ut auditoribus placeant Oratores, veritatem ſæpiſſime adulterant: quod nigrum & malum eſt, tamquam album & bonum quandoque delineant & objiciunt. Quis ex profanis Hiſtoricis fabulas, & falſa pro veris non refert? Quid in Scholis Philoſophorum audimus, nisi homines de eodem aſſerentes, quod ſit & non ſit, quod poſſit & non poſſit eſſe, quod idem ſit verum & falſum? Quid tandem in Aulis Principum, in foro, in Mercatorum tabernis, & ubique, niſi fraudes & mendacia? Ubicumque ſunt homines, ibi ſunt mendaces: quia *omnis homo mendax: Pſ.* 115. 11. vel ut habet alia verſio, *omnis homo mendacium.* At non ſic ſentiendum de Deo: Deus enim, qui eſt ſuprema Veritas, non mentitur ſicut homines: *Non mentitur Deus. Ad Tit.* 1. 2. Quare cum non mentiatur Deus, fatendum veriſſimum eſſe verbum ejus. Sed eſt etiam veriſſimum, quia *Deus mentiri non amat.*

2. Deus eſt prima & eſſentialis Veritas, a qua omne verum manat; eſt etiam auctor veritatis, qui veritatem amat: & ideo mentiri non diligit: *Non amat falſum veritas.*

Infinita eſt oppoſitio Deum inter & dæmonem; ſed præcipue ratione veritatis: quia eam Deus ſummopere amat, dæmon autem eam maxime odit. *Tertull. l. 2. de ſpect. c.* 23. Odio habet veritatem dæmon; & mentiri amat: doloſus eſt, fraudulentus eſt, verſipellis, fallax, mendax, & mendacii pater eſt, qui mendaciis & fraudibus ſuis, hominibus continue inſidiatur: *Mendax eſt, & pater ejus. Jo.* 8. 44. Deus vero mentiri non amat; quin contra quam maxime mendacium odio proſequitur. Unde inter plurima, quæ a Deo odio haberi dicit Sapiens, mendacium non ultimum tenet locum: *Sex ſunt,* inquit, *quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus: oculos ſublimes, linguam mendacem, &c. Prov.* 6. 16. Quare cum Deus nec mentiatur, nec mentiri amet, quis non credat, veriſſimum eſſe verbum ejus? Sed eſt & veriſſimum, *quia Deus mentiri non poteſt.*

3. Cum veritas ſit de eſſentia Dei: ſicut impoſſibile eſt, Deum non eſſe Deum; ita & impoſſibile eſt, Deum mentiri: *Impoſſibile eſt mentiri Deum. Hebr.* 6. 18. Et ideo præclare dixit Tertullianus, Deum in hoc ſolum eſſe infirmum, quod mentiri non poſſit: *Deus ſolummodo de fallacia infirmus.* Si facienda ſint ſidera, cæli, mundus unus, & mille mundi, Deus quoad hæc non eſt infirmus, hæc omnia facillimo negotio operatur; unico verbo, & unico voluntatis ſuæ actu hæc omnia facere poteſt. Sed ſi de mendacio proferendo agatur, hoc non poteſt Deus, in hoc infirmus eſt. *Solummodo de fallacia infirmus.*

Fatentur omnes, Deum eſſe omnipotentem: non inde tamen inferendum, eum mentiri poſſe. Non dicendum: Deus omnia poteſt, ergo mentiri poteſt; quin contra, inquit Auguſtinus, ſi Deus mentiri poſſet, non eſſet omnipotens: quia mentiri eſt infirmitatis, & infirmitatem denotat in eo qui mentitur: *Deus, licet ſit omnipotens, tamen falli non poteſt, mentiri non poteſt; & idcirco omnipotens eſt, quia iſta non poteſt. Auguſtin. de Symbol. ad Catech. lib.* 1. *cap.* 1.

Auguſtino aſſentitur S. Joannes Chryſoſtomus, dicens; *Deus, licet omnipotens, tamen aliqua non poteſt; nimirum mentiri & fallere. Chryſoſt. hom.* 1. *in Symbol.* Cui concinit S. Ambroſius his verbis: *Deus falli, aut mentiri non poteſt, neque iſtud in Deo eſt infirmitatis, ſed potius virtutis & majeſtatis. Ambroſius epiſt.* 37.

Et revera, ſi mentiri poſſet Deus, aut ex ignorantia, aut ex malitia. Vel, quod idem eſt, ſi Deus mentiri poſſet; aut defectu ſcientiæ, aut defectu beatitatis: omne enim mendacium, aut ex defectu ſcientiæ;

aut-

Digitized by Google

aut ex defectu bonitatis procedit. In Deo autem non poteſt eſſe defectus ſcientiæ, cum omnia pateant oculis ejus, & ea quæ ſunt, & ea quæ non ſunt, cumque ſcientia ejus ſit infinita, nec aliquis error ei accidere poſſit. In eo etiam non poteſt eſſe defectus bonitatis, cum eſſentialiter ſit bonus, eique eſſentialis ſit bonitas: *Cujus natura bonitas*. Et ideo cum in Deo non poſſit eſſe defectus ſcientiæ, nec defectus bonitatis; fatendum, illum mentiri non poſſe. Quare cum Deus nec mentiatur, nec mentiri amet, nec mentiri poſſit; neceſſario concludendum, veriſſimum eſſe Dei verbum, ſi autem veriſſimum ſit, ei eſt credendum.

Cum Deus in mundi primordio per ſeipſum hominibus loquebatur, ei credendum erat; cum loquebatur per Prophetas, ei credendum erat; cum locutus eſt nobis per Filium, ei credendum fuit: & cum loquitur nobis per Concionatores, ei credendum eſt: quia ſive per ſeipſum, ſive per alios nobis loquatur, ſemper verbum ejus verum eſt, & ſemper verum erit, & ideo ſemper ei credendum.

Cum audiuntur Prædicatores Dei Evangelium annuntiantes, non accipienda verba quæ proferunt, ut verba hominum, ſed ut Dei verba, quæ ab hominibus proferuntur. Sicut cum Legatus, ex parte Regis, a quo miſſus eſt, loquitur, verba ejus inſpiciuntur, non ut verba Legati, ſed ut verba Regis, ore Legati prolata, ita Prædicatores ſunt quaſi Legati a Deo miſſi: *Pro Chriſto legatione fungimur*, 2. *Cor.* 5. 20. & ideo Prædicatorum, debite munere ſuo fungentium verba inſpici debent, non ut hominum, ſed ut Dei verba, ore eorum prolata: *Non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere, verbum Dei*. 1. *Theſſ.* 2. 13. Si autem inſpiciantur ut Dei verba, & vere ſint Dei verba, eis firmiter credendum, quia ſemper Dei verbum verum eſt, cum impoſſibile ſit mentiri Deum.

Fateor, quod ſi Concionator aliquis ita impius eſſet; ut non Dei verbum, ſed falſa annuntiaret, non ei credendum eſſet. Sed cum Concionator verba Dei loquitur, cum myſteria fidei docet, ei firmiter credendum, quia nil verbo Dei verius. Sed heu! quam multi verbo Dei a Concionatoribus prolato fidem non adhibent!

Dic, o peccator, quoties audiſti Prædicatores ex parte Dei dicentes, nullam tibi fore ſpem ſalutis, niſi in hoc mundo pœnitentiam egeris: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*. *Luc.* 13. 3. Credidiſtine hoc? Non utique, quia ſi credidiſſes, pœnitentiam egiſſes.

Dic, avare, nonne pluries tibi dictum & prædicatum eſt, reddenda cuique ſua, & non dimitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum? Idne credidiſti? Nequaquam; quia id credidiſſes, aliena quæ detines, jam reſtituiſſes. Dic, o homo ultionis avide, nonne tibi ſæpe annuntiata ſunt verba Chriſti, præcipientis, ut quiſque ſuos diligat inimicos: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*? Adhibuiſtine fidem his verbis? Nullatenus, quia ſi eis fidem adhibuiſſes, inimicis peperciſſes. Dic, o impie, multoties haud dubie audiſti, apertum eſſe os inferni, ut deglutiat omnes peccatores terræ, ibique in æternum cremandos, ſi in hoc mundo non convertantur? Hocne credidiſti? Nequiquam, quia ſi hoc credidiſſes, omnia mortalia, quibus inquinaris, deleviſſes. Dic tu, qui te Chriſtianum proclamas, nonne pluries audiſti, qui prædicarent; tamquam fide divina certum, Chriſtum Salvatorem eſſe vere & realiter in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento? Anne hoc firmiter credidiſti? Non: quia ſi firmiter diſſes, pluries illum intra te recepiſſes, illum Tabernaculis remanentem pluries viſitaſſes.

O miſeri, cur Dei verbis non creditis? S ſint hæc verba, cur eis non creditis? Si veri dicant vobis Concionatores, cur eis fidem no hibetis? *Si veritatem dico vobis: quare non cr mihi?* *Joann.* 8. 46. Hujus rei rationem ad Sanctus Auguſtinus, dicens: Vis ſcire quare credant? *Amant veritatem lucentem; oderunt redarguentem*. Si concionatores ei adularentu jucunda loquerentur, eis crederent, ſed qu terribilia annuntiant, eoſque acriter arguunt, bis eorum non credunt. At verbo Dei ſemper cr dum: quia veriſſimum eſt. *Et verbo Dei eſt obtemperandum*.

## TERTIA PARS.

*Verbo Dei eſt obediendum.*

CONcioni inter ſunt multi, non ut Prædica dictis obediant, & ut meliores fiant; ſe meliores videantur, & aſpectantibus pii cenſea & hi ſunt hypocritæ, qui in Chriſti maledicti incurrunt. *Væ vobis hypocritæ*. Alii ad concionem accedunt, non ut Dei verbo pareant: ſed ut de Concionatore cenſeant; ut judicent, an bene vel male munus ſuum obeat: & hi ſimiles ſunt œnopolis illis, qui omnia in foro deguſtant vina, non ut ipſi emant, ſed ut aliis dicant, quod ſit melius, & quod ſit deterius. Alii concionibus adſunt, non ut faciant, & inde ſanctiores evadant; ſed ut diſcant, & doctiores fiant: & hi ſunt ſimiles infirmis hujuſmodi, qui peritiſſimum audientes Medicum, cujus verba mirantur, & ab eo diſcunt remedia, quibus mediantibus, a morbis, quibus laborant, poſſent liberari; ſed ea adhibere non curant. Alii concionibus aſſiſtunt, non ut Concionatorum dictis obtemperent; ſed ut hominum corda ad ſui amorem alliciant: tales ſunt multæ adoleſcentulæ, quæ in medio auditorii, circumornatæ ut ſimilitudo Templi, & profanis veſtibus indutæ, ſe videndas omnibus exhibent. O quam pravæ ſunt prædictorum omnium auditorum intentiones! Ab hujuſmodi ſane intentionibus quiſque declinet neceſſe eſt; & ad concionem convenire debent omnes, non ut æſtimentur, non ut de Prædicatore judicent, non ut diſcant; ſed ut faciant, & verbo Dei obediant. Eique obedire quiſque tenetur; 1. Ut Dei gratiam obtineat: 2. Ut æternam beatitudinem aſſequatur: 3. ut ad inferni ſupplicia non condemnetur.

1. Gratia ſanctificans, inquit Doctor Angelicus, eſt theſaurus inæſtimabilis, qui toti terrarum orbi prævalet. Immo cum ſit ſpiritualis, & ordinis ſupernaturalis; mundus vero ſit corporeus, minimus hujus gratiæ gradus omnibus mundi bonis antecellit. Ut autem peccator juſtificetur, & gratiam juſtificantem obtineat, verbo Dei obedire debet, & ea facere quæ Concionator facienda dicit. Quia, ut ait Divus Paulus, non juſtificantur, & gratiam ſanctificantem non obtinent hi, qui concionem attente & modeſte audiunt; ſed hi, qui audita concione,

ea

ea faciunt quæ ad juſtificationem, & ad ſalutem neceſſario facienda docuit Concionator: *Non auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis juſtificabuntur. Rom.* 2. 13.

Superno lumine illuſtratus Ezechiel Propheta, vidit Cherubinos, habentes manus ſimiles hominum manibus: *Apparuit in Cherubim ſimilitudo manus hominis. Ezech.* 10. 8. Quid hi ſignificant Cherubini, humanas geſtentes manus? Cur Cherubinis, qui toti ſpirituales ſunt, manus dantur humanæ? Ut hoc intelligatur: ſciendum, per hos Cherubinos denotari ſcientiam; quia *Cherubim eſt plenitudo ſcientiæ*, ſed hi Cherubini manus geſtant: ut inde diſcamus, quod mox ut verbum Dei audimus, & eo edocemur, manus eſt adhibenda operi, eaque facere debet peccator, quæ facienda docet Prædicator. Quia ſi hæc non faciat, gratiam ſanctificantem non obtinebit, nec juſtificabitur; *Non enim auditoris Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores.* Obedite ergo Dei verbo, ut Dei gratiam obtineatis: *ac etiam ut æternam beatitudinem aſſequamini.*

2. Verum eſt quod Deus beatos fore dicat eos, qui Dei verbum audiunt; *Beati qui audiunt verbum Dei, Luc.* 11. 28. ſed unam ſubdit conditionem: modo ſcilicet ei obediant: *& cuſtodiunt illud*. Si enim Dei verbo non obtemperarent, nec ea facerent, quæ ut ad ſalutem neceſſaria proponit Concionator, beati non forent, nec æternam beatitudinem obtinerent. Et ideo S. Joannes Evangeliſta in Apocalypſi, eos quidem beatos declarat, qui Dei verbum audiunt; *Beatus qui audit verba prophetiæ hujus; Apoc.* 1. 3. ſed mox ſubjungit, eos eſſe beatos, modo ea faciant & ſervent, quæ a verbo Dei facienda præcipiuntur: *& ſervat ea.* Si enim ea, quæ verbo Dei præcipiuntur, non facerent, beati non forent, nec æternam beatitudinem aſſequerentur.

De Dei verbo ait Propheta; quod magna velocitate currat; *Velociter currit ſermo ejus. Pſ.* 147. 15. Divinum hoc verbum a ſinu Dei, in quo conceptum eſt, tranſit ad Sacræ Scripturæ Libros, a Sacris his Codicibus ad Concionatoris mente migrat, a mente ad linguam illius transfertur, a lingua ejus ad auditorum aures fertur, ab auribus ad corda illorum currit; ſed hic hærere non debet Dei verbum: a cordibus enim eorum ad manus tranſeat neceſſe eſt: ita ut ea faciant quæ Dei verbo præcipiuntur. Si enim ea non faciant, & Dei verbo non obediant, Paradiſi gloriam non obtinebunt, quia beatitudo datur ſolummodo iis, qui illud audiunt, eique obediunt; *Beati qui audiunt & cuſtodiunt.* Sed ſi Dei verbo obedire teneantur auditores, ut æternam beatitudinem aſſequantur: ei etiam obtemperare debent, *ut ad diviora inferni ſupplicia non condemnentur.*

3. Hanc rationem deſumo ex S. Chryſoſtomo: qui cum die quadam ad populum Antiochenum ſermonem haberet, ſic auditores ſuos affatus eſt. Scio N. N. quo ad audiendum Dei verbum frequenter accedatis: ſingulis fere diebus huc convenitis, ut me dicentem audiatis. Non ſine magna voluptate vos meis concionibus audiendis aſſiduos video: ſed quid vobis proderit, quod frequentiſſime Dei verbum audiatis, ſi ei non obediatis, & ſi ea facere renuatis, quæ a Dei verbo facienda jubentur? O invide, quid tibi proderit audiſſe me adverſus invidos concionantem, ſi audita concione, rodentem invidiæ ſpiritum e corde non evellas, & proximum non diligas! Quid tibi proderit, o libidinoſe pluribus aſtitiſſe concionibus, verboque divino ad recte vivendum fuiſſe concitatum, ſi libidinibus non abrenunties, & caſte non vivas? Quid tibi proderit, o avare, pluries interfuiſſe concioni, ſi ea audita, quæ injuſte detines, proximo tuo non reſtituas? Tantum abeſt, ut ſubdit Os illud aureum, quod proſit vobis Dei verbum audiſſe, quia contra hoc vobis in majoris damnationis occaſionem erit: *Non ſolum vobis non prodeſſet, verum majoris fieret occaſio damnationis. Chryſoſt. hom. 78. ad pop.*

Quod Antiocheno populo Chryſoſtomus, hoc idem dico vobis. Velim, vos ſacris concionibus audiendis eſſe aſſiduos. Velim; ut maxima aſſiduitate, & mirabili cordis voluptate Dei verbum audiaris, ſi eo audito, injurias inimicis non condonetis, ſi non reſtituatis aliena, ſi pravos e cordibus veſtris non eradicetis habitus, ſi de perpetratis criminibus pœnitentiam non agatis, ſi tandem verbo Dei non pareatis, & ea, quæ a Dei verbo jubentur, non agatis; *non ſolum hoc vobis non proderit, verum majoris fiet occaſio damnationis.*

Conqueritur Ezechiel Propheta de multis, qui Dei verbum, inſtar cantilenæ a Concionatore decantatæ, audiunt. Hujuſmodi autem dicit eſſe eos, qui, audito Concionatore, ea non faciunt, quæ Dei verbo facienda imperantur: *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos. Ezech.* 33. 31.

Cum nocturno tempore in alicujus civitatis vicis & compitis gratiſſimus quidam fit concentus, qui eum audiunt, ſi lecto decumbant, attentas præbent aures, caput aliquantulum erigunt, ut varios hujus harmoniæ tonos diſtinctius percipiant. Immo & nonnunquam e lecto ſurgunt, & ad cubiculi feneſtras ſe conferunt, ſed mox ut factus eſt concentus, quiſque ad cubile ſuum redit, & in eo decumbit ſicut antea. Similem in modum, cum illuſtris quidam Concionator ſermonem ad populum eſt habiturus, ad eum audiendum accurrunt omnes; cumque de morte, de Dei Judiciis, de formidandis inferni ſuppliciis, vel de alia hujuſmodi materia dicit, peſſimi quique peccatores ſua erigunt capita, attente, quæ dicuntur, audiunt: piis motibus intus cientur, immo & a peccatis ſurgere, & pie vivere quodammodo ſtatuunt. Tunc ebrioſus vult ſobrius fieri: ſuperbus tunc humilitatem ſectari deſiderat, tunc impudicus caſte vivere optat, & quamdiu cantat Concionator, omnes in melius vitam ſuam mutare volunt; ſed finita concione, quiſque ad propria redit, auditum Dei verbum oblivioni traditur, & in peccato ſuo quiſque jacet & dormit ſicut antea, *Sermones in canticum vertunt.* Heu! quid proderit Dei verbum audiſſe, ſi eo audito, a viis veſtris peſſimis non convertamini: *Non ſolum hoc vobis non proderit, verum majoris fiet occaſio damnationis.*

Quare non ſolum Dei verbum memoria retineatis, non illud ſolum corde credatis, ſed & illi obedite: eaque facite, quæ Dei verbo præcipiuntur. Hoc ſane quiſque facere deberet, ſed heu! *Quis mihi tribuat auditorem? Job* 31. 35. Quis det auditores, qui ſollicite Dei verbum retineant, qui illud humiliter credant, & qui illi obediant, illudque opere exequantur? Rariſſimi ſunt hujuſmodi auditores, ſicut & rariſſi-

Digitized by Google

*trant per eam*; Cæli vero anguſta via, & anguſta etiam porta, capiens paucos: *Pauci ſunt, qui inveniunt eam*. Orci porta Ethnicos, Turcas, Judæos, hæreticos, uſurarios, libidinoſos, falſarios, fures, & innumeros omnis generis peccatores capit: *Multi ſunt, qui intrant per eam*; Cæli vero via & porta aliquos ſolum Religioſos, Sacerdotes nonnullos, & paucos laicos recipit: *Pauci ſunt, qui inveniunt eam*. Lata inferni via omnibus ſeſe offert; & ad illam ſequendam inclinat natura, invitat mundus, ſollicitat diabolus, quare viatorum multitudine redundat: *Multi intrant per eam*. Arcta vero Paradiſi via, prima fronte terret: quia, ut ait S. Bernardus, *arduus eſt aſcenſus Jeruſalem*; & ut loquitur Firmianus, *via cæleſtis difficilis, & clivoſa propoſita eſt, vel ſpinis horrentibus aſpera, vel ſaxis extantibus impedita. S. Bern. ſer. de quadruplici debito.* Quare pauci Paradiſi via incedunt, & pauci per Paradiſi portam ingrediuntur, *Pauci ſunt, qui inveniunt eam*.

Utramque hanc viam contemplatur S. Hieronymus, dicens: (Vide quanta inter has vias ſeparatio ſit, quantumque diſcrimen. Illa ad mortem; hæc tendit ad vitam; illa vitiis per conſuetudinem quaſi declivior ac mollior; hæc inſuero calle virtutum triſtior & horridior. Illa teritur a multis, hæc vix invenitur a paucis: *Pauci intrant per eam*.) *S. Hieron. epiſt. 14.*

Utramque hanc viam ſerio conſiderate: ſed & magna animi contentione ponderate hæc duo verba a Chriſto prolata; *pauci & multi*. Quærite ab illo, an multi, vel pauci ſint, qui per latam viam, quæ ducit ad inferos, tranſeant? Reſpondet ipſe: *Multi*. Ab illo petite, utrum multi, vel pauci ſint, qui per arctam viam, qua itur in Cælum, pergant? Reſpondet ipſe: *Pauci, pauci electi*. Quare cum Chriſtus, qui eſt ſuprema Veritas, ſemel & iterum aſſerat, paucos eſſe electos, non ambigendum, nec hæſitandum; ſed firmiter credendum, ex omnibus hominibus ſimul ſumptis paucos eſſe electos, reſpectu reproborum: *Pauci electi*.

Hoc ſane credendum; ſed hoc pauciſſimi credunt. Si enim, reſpectu reproborum, paucos eſſe electos firmiter crederemus, quis non trepidaret? Quis totis artubus non contremiſceret? Quis ſancte, & pie vivere non ſatageret? Quis ſaluti ſuæ non conſuleret? Quis per anguſtam Paradiſi portam, qua pauci tranſeunt, intrare non contenderet?

Ipſemet Chriſtus, qui anguſtam eſſe Cæli portam, ac paucos per eam intrare declarat; hortatur omnes, ut per anguſtam hanc portam ingredi contendant: *Contendite intrare*; quare, ſi Chriſto creditis, per anguſtum hoc oſtium intrare contendite.

*Anguſta eſt porta*: humiliate capita veſtra, & peccatorum ſarcinam deponite, ut intrare poſſitis. *Anguſta eſt porta*: contendite cum dæmone, cum carne, cum mundo, qui anguſtæ illius portæ aditu excludere conantur homines. *Anguſta eſt porta*: contendite ac toto cordis impetu, omnique voluntatis affectu, virtutis actibus inſiſtite, ut per eam intrare valeatis. *Anguſta tandem eſt Paradiſi porta*, per quam ingrediuntur pauci: hi ſcilicet, qui Dei mandatis obtemperant: ea ſervare pro viribus contendite, ut cum paucis aliquando ingrediamini. Sed poſtquam ex omnibus hominibus electos paucos eſſe probavimus, dicamus etiam, *quod ex omnibus Chriſtianis pauci ſint electi*.

## SECUNDA PARS.

*Ex omnibus Chriſtianis pauci electi.*

Licet Deus omnes homines ſalvos fieri velit; licet omnibus ſalutis gratiam largiatur: licet pro omnibus incarnatus, paſſus, & mortuus ſit; ſpeciali tamen Chriſtianos proſequitur amore, majorique cura ſaluti eorum invigilat: cum per Baptiſmum, ſine quo nulla ſalutis ſpes eſſe poteſt, eos ad veram fidem vocet. Unde non ſatis laudare, & prædicare poſſumus felicitatem Chriſtianorum, quæ quidem magna eſt reſpectu infidelium; cum Chriſtianos Deus a tenebris erroris eruerit: cum eos in admirabile fidei ſuæ lumen venire fecerit, eiſque baptiſmalem gratiam infuderit.

Infelices merito cenſemus Turcas, Barbaros, Ethnicos, alioſque infideles, quibus nulla eſt Chriſti notitia; eoſque a ſalutis via alienos credimus: cum Salvatorem Jeſum, in quo ſolo eſt ſalus, non agnoſcant, ejuſque inſtitutis nullo modo adhæreant. Deploranda ſane hujuſmodi hominum miſeria, & reſpectu eorum feliciſſimi ſunt, qui Chriſtiano nomine inſigniuntur: cum eis magis pateat ad ſalutem via, cumque longe facilius ſalvari poſſint, quam infideles. Sed, o rem ſanguineis lacrymis lugendam! Tanta eſt dæmonis aſtutia, tanta ſæculi perverſitas, tantaque hominum malitia, ut ex ipſis Chriſtianis pauci ſalventur. Non quod iis deficiat ſalutis gratia; ſed quia ipſi gratiæ deficiunt: non quod Cæli oſtium iis non ſit apertum; ſed quia ipſi intrare nolunt: non quod iis non dentur media ad ſalutem neceſſaria; ſed quia ipſi modis ſibi datis uti renuunt. Unde fit, inquit Granatenſis, tam paucos ex Chriſtianis ſalvari, ut vix aliqui inveniantur, qui pie vivant, & ad cæleſtia regna perveniant: *Partem hanc, inquit, quæ Chriſtianorum nomine celebris eſt, intuere, & vide quo loco res Chriſtianorum hoc exulceratiſſimo ſæculo ſint conſtitutæ: & fateberis, in hoc corpore myſtico vix aliquod membrum ſanum reperiri. Granat. l. 1. Ducis peccat. c. 26.*

Hoc ſane fatendum eſt, nec ullus hac de re manet ambigendi locus. Nam ex omnibus Chriſtianis, ſeu ex omnibus qui baptizati ſunt, & qui Chriſtum ut Deum agnoſcunt, multo plures ſunt hæretici, quam Catholici; hæretici autem omnes damnantur; quia *qui non credit, jam judicatus eſt. Joann. 3. 18.* ex Catholicis vero non quidem omnes, ſed quamplurimi damnantur. Ex quo evidentiſſime conſtat, quod ſi ſumantur omnes Chriſtiani ſimul, tam ſcilicet hæretici, quam Catholici, eorum longe plures ſint damnandi, quam ſalvandi; quodque ex omnibus Chriſtianis ſimul ſumpti ſint *pauci electi*.

Hac de re nullatenus dubitavere Sancti Patres, & præcipue Sanctus Gregorius, qui explicans hæc Chriſti verba: *Multi vocati, pauci vero electi*, attonitus clamat: *Hoc terribile eſt valde: quia ad fidem plures veniunt, & ad cæleſte regnum pauci perducuntur. S. Gregorius hom. 19. in Evang.* Ad fidem veniunt Angli, Suevi, Dani, Batavi, & omnes qui Baptiſmum recipiunt; ſed ex his omnibus pauci ſalvantur, & ad cæleſte regnum perducuntur;

quia cum adulti ſunt, vel fide cadunt, vel ad vitia declinant, & in peccatis ſuis moriuntur.

Sole ergo clarius eſt, quod ex omnibus Chriſtianis, tam Catholicis, quam hæreticis, pauci ſalventur. Et hoc manifeſtare voluit Spiritus Sanctus multis figuris in veteri Teſtamento relatis. In civitate enim Jerico, vaſtatis reliquis omnibus domibus, ſola domus Rahab ſervata eſt. In urbe Sodoma, ſola domus Lot a generali incendio ſalva evaſit. In diluvio univerſali, ſola domus Noe a communi cataclyſmo liberata eſt. Ex ſexcentis hominum millibus, qui ex Ægypto egreſſi ſunt, ut ad terram promiſſionis iter facerent, duo tantum, Joſue ſcilicet & Caleb, ad eam pervenerunt. Quibus omnibus figuris, juxta expoſitionem Doctorum, indicatur, parvum, & pauciſſimum eſſe numerum electorum, reſpectu reproborum.

Quod & indicatur in ſancto Evangelio; *cum per parabolam ſeminis*, quod Deus in Eccleſiæ ſuæ agro ſeminavit, cujus tres partes, vel ſecus viam, vel ſuper petram, vel inter ſpinas perierunt; & quarta ſolummodo pars cecidit ſuper terram bonam, ut fructum afferret: *cum* maximo hoc hominum numero, qui Chriſtum ſequebantur, quorum tres tantum ad montem Sanctum Thabor aſcenderunt.

His omnibus figuris addi poſſent formidanda Zachariæ Prophetæ verba; qui tam paucos fore ſalvandos ait, ut ex tribus mundi partibus duas diſperdendas dicat; de tertia autem quid futurum ſit, non determinet: *Erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ diſperdentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea. Zach. 1. 13.* Sed ad quid? plura colligeremus argumenta ad probandum, quod ex omnibus Chriſtianis, tam Catholicis, quam hæreticis, pauci ſint qui ſalventur; Si etenim, ut jam dicturi & probaturi ſumus, ex ſolis Catholicis adulti pauci ſint qui ſalventur; quanto pauciores ſunt qui ſalvantur ex omnibus Chriſtianis, tam Catholicis, quam hæreticis? Certe ex iſtis pauciſſimi ſalvantur: non quod Deus omnibus ſalutis gratiam non det: ſed quia data ſibi gratia pauci bene utuntur, & multi abutuntur.

Hoc plus quam certum eſt: quare eſt quod timeamus. O Chriſtiane, pauci ex Chriſtianis electi ſunt: quare time, ne unus non ſis ex paucis his qui ſalvantur; time, ne unus ſis ex multis his Chriſtianis reprobis, qui in æternum damnantur.

Cum Chriſtus Dominus duodecim Apoſtolis dixit: *Unus ex vobis eſt, qui me tradet, Jo. 19.* trepidaverunt omnes. Unum dixit, & timuerunt omnes, ac ſinguli dicebant: *Numquid ego ſum?* Sed heu! quanto magis gelidus corda noſtra pavor invadere debet, cum non unicus ex duodecim Chriſtianis; ſed ex omnibus Chriſtianis multo plures damnandi ſint, quam ſalvandi.

Tam grave, tamque horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, & in æternum damnari; ut ſi a Deo ad nos miſſus Angelus annuntiaret, unicum ex tota civitate, quam incolimus, civem fore damnandum, trepidare deberemus omnes, & quiſque noſtrum timere deberet, ne ipſe eſſet reprobus ille, ſempiternis ignibus adjudicandus.

Parum eſt quod dico. Ampliemus noſtram ſuppoſitionem, & dicamus: quod ſi ex omnibus regni incolis; immo ſi ex omnibus Adæ filiis unicum tantum damnandum ſciremus, vehementi timore concuti deberent omnes; ac quiſque, ſi recte ſaperet, intra ſe pavidus diceret: *Numquid ego ſum?* Numquid ego ſum infeliciſſimus ille homo qui damnandus eſt, & ad inferos præcipitandus? Sed quanto magis hoc dicere, & trepidare debemus: cum evidentiſſimum ſit, ex ipſis Chriſtianis paucos ſalvari, & quamplurimos damnari? Magno certe cum timore & tremore ſalutem ſuam operari quiſque debet: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini: Philipp. 2.* Atque eſt quod magis timeamus, majorique cum ſollicitudine ſalutis noſtræ negotio incumbamus: quia ſcilicet non ſolum ex Chriſtianis, verum & ex Catholicis *pauci electi*.

## TERTIA PARS.

*Ex omnibus Catholicis adultis pauci electi.*

SI fiat comparatio inter Catholicos, tam parvulos, quam adultos, veriſimilius eſt, plures ſalvandos, quam damnandos. Quia innumeri pueri, unda baptiſmali renati, antequam ad rationis uſum pervenerint, ex hac vita migrant; ex adultis etiam multi in ſtatu gratiæ ex hoc mundo exeunt: quare veriſimillimum, immo & certum videtur, ex Catholicis, tam adultis, quam non adultis, plures ſalvari, quam damnari. Sed ſi de ſolis Catholicis adultis inſtituatur ſermo; dico, ex his plures damnari, quam ſalvari. Seu, quod idem eſt, dico, ex Catholicis omnibus adultis paucos eſſe electos, reſpectu reproborum. Et ut non ex meipſo loquar, audiatur Doctorum Aquila, dicens: *Boni, verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, comparatione malorum, pauci ſunt: ſicut multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca ſunt in comparatione palearum. Aug. l. 3. contra Creſcon. c. 66.*

Rogatus aliquando idem Auguſtinus, quid de electorum, & reproborum numero ſentiret? ipſis Sacræ Scripturæ verbis reſpondit: *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam.* Ut autem ad mentem ſuam clarius explicandam cogeretur, ab eo petita eſt horum Chriſti Domini verborum expoſitio; & ille pavidus reſpondit. *Hæc verba explicatione non indigent, ſed pavore.* Altera tamen vice de numero electorum & reproborum interrogatus Auguſtinus, clare reſpondit: *Arbitror tres mundi partes fore damnandas, eo quod in eas regnet infidelitas. S. Aug. l. de vero cultu.* Sed quid de quarta mundi parte, quæ Catholicorum eſt? *De quarta*, inquit, *quid dicam, niſi quod 1. Joann. 5. dicitur: totus mundus in maligno poſitus eſt?* Non reſpondet Sanctus Doctor, ex Catholicis, qui quartam hanc partem conſtituunt, plures ſalvari, quam damnari; ſed totum mundum in maligno eſſe poſitum; ut oſtendat, in hac etiam quarta parte plures damnari, quam ſalvari; & in ea paucos eſſe electos, reſpectu reproborum.

Clarius hac in parte locutus eſt Chryſoſtomus: cum etiam die quadam ad populum Antiochenum verba faceret, hanc adſtantibus propoſuit quæſtionem: *Quot eſſe putatis in civitate noſtra, qui ſalvi fiant? Chryſoſt. hom. 40. ad popul.* Non facile huic interrogationi reſpondiſſent auditores: quare ipſemet quæſtionem ſolvit, dicens: *Infeſtum eſt quod dicturus ſum; dicam tamen: non poſſunt in tot millibus centum reperiri, qui ſalventur.* Advertite, quod Antiochiæ

tunc perſonarum ſaltem centum millia erant, & tamen ex his centum millibus centum ſolum; ſeu ex ſingulis millibus unum tantum ſalvandum, palam e veritatis cathedra pronuntiavit S. Chryſoſtomus: quare, hoc audito, pavidi invicem ſe reſpiciebant auditores ejus, quaſi quid incredibile prædicaſſet. Sed ille ſuam iterum ventilans propoſitionem, ait: ne cenſeatis, me nimia cum exaggeratione locutum: quia etiam dubito, an ex omnibus magnæ hujus civitatis incolis centum ſalventur: *quin & de iis dubito.* Cujus rei rationem mox ſubjungens, ait: *Quanta enim in juvenibus eſt malitia? Quantus in ſenibus torpor? Filiorum curam gerit nemo, nemo zelum habet; exemplaria jam deleta ſunt.*

Attendite, quod qui talia profert, eſt Chryſoſtomus, eximius hic Eccleſiæ Doctor, os illud aureum, ex quo nonniſi oracula fluunt. Loquitur autem, non de Babylone, vel Sodoma; ſed de civitate Antiochiæ, de qua id aſſerit, non cum nondum ei Chriſti fides illuxerat; ſed eo tempore quo Patrum, Martyrum, ac Doctorum ſanctitas maxime vigebat: ac etiam tunc, cum Sanctus ille Doctor maximam hujus populi curam gerebat. Heu! ſi tunc, cum Chriſti Domini ſanguis adhuc quaſi madet: ſi, inquam, tunc dubitat Chryſoſtomus, an in maxima hac civitate, plena populo, an, inquam, in tot millibus, centum ſint qui ſalvi fiant; quid ſentiret de civitatibus noſtris? Quid de ſæculo noſtro, in quo maxima in juvenibus malitia, in quo inertiſſimus in ſenibus torpor, in quo omnia inundant vitia, & in quo *non eſt qui faciat bonum?* Certe ſi jam in urbibus noſtris concionaretur Chryſoſtomus, timeo, ne quid terribilius in noſtri confuſionem proferret. Nec dubito, quin ex Catholicis adultis pauciſſimos ſalvandos aſſereret.

Hoc non a multo tempore aſſeruit piiſſimus pariter ac doctiſſimus Concionator Ludovicus Granatenſis. *Granat. Ib.* Hoc & aſſeruit egregius Doctor ſimul & Cardinalis Cajetanus, qui exponens parabolam de decem Virginibus, quarum quinque fatuæ, & quinque prudentes, ait, quod ſimiliter ex Catholicis illis, qui pietatis operibus ſedulo vacare, ac ſalutis ſuæ negotio ſollicite invigilare profitentur, media pars ſalvetur, & media damnetur: ex omnibus vero Catholicis adultis plures damnentur, quam ſalventur: *quia multorum extrinſeca opera ſunt manifeſte mala.* Sed hoc firmius & clarius aſſeruit S. Hieronymus: cum certiſſimum prædeſtinationis ſignum eſſe dixit, ſi quis vivat ut pauci vivunt: *Vivunt ut pauci.* Non ad infideles, vel ad hæreticos hæc verba dirigit Hieronymus: quia hi nullum prædeſtinationis ſignum in ſe habent; ſed Catholicos alloquitur, ex quibus multi damnantur, & pauci ſalvantur; & inter quos verum prædeſtinationis ſignum eſt: *Vivere ut pauci*: quia etiam inter eos pauci ſunt qui ſalventur, & æternam beatitudinem conſequantur.

De Catholicis, qui in Eccleſia Romana congregantur, loquens Origenes, paucos ſalvari ait his verbis: (Si quis conſideret multitudinem hominum, qui in Eccleſia congregantur, & diſcuſſerit, quanti ſunt qui verſantur diſciplinate, & renovantur novitate ſenſus, quanti autem negligentiſſime converſantes, conformantur huic ſæculo, videbit eſſe verum ſermonem Domini dicentis: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Orig. hom. 20. in Matth.*)

Conſidera, quanta ſit injuſtitia apud Senatores, Judices, Cauſidicos, & omnes Juſtitiæ ſæcularis Miniſtros: quot uſuræ, quotque fraudes apud Mercatores, artifices, divites, & plebejos: quot fœdæ libidines apud utriuſque ſexus & conditionis juvenes: quot omnis generis vitia undique circumfluant: & fateberis, inter Catholicos etiam, verum eſſe ſermonem Chriſti, dicentis: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.*

Attende, inquit Bernardus, quod *receſſit cuſtodia a Prælatis, devotio a Religioſis, reverentia a ſubditis, conſilium a ſenibus, lex a Sacerdotibus, juſtitia a Rectoribus, æquitas a Judicibus, charitas a civibus, veritas a Mercatoribus, dilectio ab omnibus.* Mente revolve, inquit Ludovicus Granatenſis, quamcumque volueris ex civitatibus celebrioribus, in quibus veræ, puræ, & ſinceræ Religionis extent adhuc veſtigia. Perambula porro, non dico tabernas, & loca publica, quæ mendaciis, ebrietatibus, & impoſturis ſunt dicata; ſed ipſas domos vicinorum: & audies undique murmura, mendacia, execrationes, juramenta, & blaſphemias. Adi, ſi velis, Aulas, Tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, naves, currus, privatas ædes, & ibi puerorum, adoleſcentum, puellarum, virorum, ſenum perjuria, fraudes, convicia, odia, tumulentiam, laſciviam, aliaque vitia obſervabis. Intra, ſi libeat, in ipſas Eccleſias, ac loca ſacra: & ibi ſacrilegia, profanationes, irreverentias, aliaque Chriſtiano nomine indigna adnotabis. Quocumque tandem te vertas: ſi Catholicorum mores ſerio examinaveris, tot videbis negligenter, indiſciplinate, & turpiter vivere, ut nec dubitare poſſis, reſpectu etiam Catholicorum, verum eſſe ſermonem Domini, dicentis: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Granat. Ib.*

Verus quidem, & veriſſimus ſermo Domini, dicentis, paucos eſſe electos. Verus eſt, non ſolum reſpectu omnium hominum, & reſpectu omnium Chriſtianorum; ſed etiam reſpectu omnium Catholicorum. Unde eſt, quod jam cum Iſaia Propheta dicamus: *Dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum ſine termino; Iſaiæ 5. 14.* dilatavit quidem infernus animam ſuam, ſuumque os ita aperuit, ut paucis exceptis, omnes penitus homines deglutiat. Quis ergo non timeat? Quis per anguſtum Paradiſi portam intrare non contendat? quis anguſto tramite ſibi portum ſalutis non quærat? Quis per pia opera certam ſuam vocationem & ſalutem facere non ſatagat?

Hæc duo verba, *pauci electi*, velut horrendum tonitru, magnam orbis Chriſtiani partem terruere: hæc multos proſtitutæ vitæ mortales a vitiorum cœno ad arctiorem omnium virtutum viam ſectandam allexere: hæc plurimos ab urbibus ad deſerta & antra compulere. Hæ duæ voces, *pauci electi*, innumeros ad corpora ſua jejuniis, ciliciis, vigiliis, verberibus, aliiſque gravibus pœnitentiis, & mortificationibus crucianda adduxere: hæc invictiſſimos plures athletas in cataſtas, in equuleos, cruces, rogos, beſtiarum dentes, ac in armatas tortorum manus egere. O utinam hæc eadem verba in omnium hominum auribus ſonarent! Utinam omnium corda penetrarent! Rogo vos, fratres, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut non recedant hæc verba a mentibus veſtris, non recedant a cordibus veſtris. Diſcat quiſque intra ſemetipſum: *Pauci electi*; quare,

Digitized by Google

re, ut cum paucis annumerari merear, a peccati ſomno volo ſurgere, & in divinorum obſervantia mandatorum conſtanter perſeverare. Dicat quiſque in ſemetipſo: *Pauci electi*; quare quidquid durum & aſperum ſeſe mihi in via ſalutis offeret, libenter ſubibo, ut cum paucis aliquando vivere, & regnare mihi contingat. Dicat quiſque, *pauci electi*: quare ſalutis meæ negotio ſollicite invigilabo, adverſus omnes animæ meæ hoſtes generoſe decertabo: ac indeſeſſa cura bonis operibus incumbam, ut ad cæleſte regnum, quod paucorum eſt, pervenire valeam.

Mementote ſemper, cæleſtem coronam dari ſolummodo ſollicite vigilantibus, generoſe pugnantibus, & ſtrenue laborantibus: qui omnes *pauci ſunt*. Quare omnem procul pellite negligentiam; ac vigilate, pugnate, & laborate, ut cum paucis cæleſtem coronam impetrare poſſitis. *Amen*.

## DOMINICA SEXAGESIMÆ.

## DE VERBO DEI.

*Semen eſt verbum Dei.* Luc. 8. 11.

VErbi divini, Apoſtolorum & Concionatorum ore prolati, tanta eſt virtus, efficacia tanta, ut Verbi increati per quod omnia facta ſunt, emanatio quædam & participatio eſſe videatur. Quia ſicut Verbum increatum eſt cauſa principalis & prima rerum omnium quæ factæ ſunt; ita verbum prædicationis eſt cauſa inſtrumentalis mutationum, converſionum, & omnium fere bonorum, quæ in hominum animis & cordibus geruntur.

Quis enarret admirandas mutationes, quæ hoc verbo effectæ ſunt? Quis dicat quot ſapientes in pueros, quot ignari in magiſtros, verbi hujus virtute ſint converſi? Quam multæ ſancto hoc prædicationis verbo abrogatæ ſint pravæ conſuetudines? Quæ vitia non abolita? Quæ virtutes ab hominibus, alias peccato ſervientibus, non acceptæ, & ſedulo excultæ? Quid hoc verbo hominibus non perſuaſum; idque in omnibus ſæculis, necnon apud omnes nationes & gentes? Sed heu! infelici hoc ævo, auditorum incuria, malitia, & defectu, Dei verbum ſuam omnem vim & efficaciam perdidiſſe videtur.

Nullo unquam tempore plures fuere Concionatores, quam noſtro: tam multæ nunquam habitæ ſunt conciones; & conciones quidem ſine ullo eloquentiæ fuco, & ſatis magna diligentia ad audientium utilitatem elaboratæ. Et tamen exiguus inde manat fructus: & pauciſſimos reperire eſt, qui Concionatorum voce permoti, ſuos corrigant mores; qui peccati jugum a ſe expellant, & ad meliorem vitæ frugem veniant. Quod haud dubie procedit ex defectu auditorum, qui Dei verbum non audiunt ſicut oportet. Quare ut tanto occurramus malo, modum debite audiendi verbum Dei jam docebimus, &c. *Ave*.

EX Chriſtianis nonnulli verbum Dei audiunt, ſed illud non retinent: alii illud quidem memoria retinent, ſed illud non credunt: & alii illud credunt, ſed illi non obediunt, & executioni non mandant id, quod Dei verbum iis faciendum inſpirat.

Qui Dei verbum audiunt, & non illud retinent: ſunt ſimiles cribro; quod quidem recipit aquam, ſed illam mox emittit, nec aliquid ejus retinet! Qui Dei verbum retinent, & non illud credunt; ſunt ſimiles Principibus illis & Phariſæis, qui Chriſtum prædicantem audiebant, ſed verbis ejus nullam fidem adhibebant: *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?* *Joann.* 7. 48. Qui tandem verbum Dei credunt, & illi non obediunt; ſunt ſimiles homini, qui vultus ſui ſpeciem in ſpeculo conſiderat; nec tamen maculas, quas in vultu adnotat, abſtergere ſatagit: *Hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Jacob.* 1.

Audire verbum Dei, & illud non retinere, parum prodeſt: Retinere Dei verbum, & illud non credere, multum nocet: Credere verbum Dei, & illi non obedire, ſeu illa non facere, quæ a Dei verbo facienda docentur, ſæpe non tam prodeſt quam nocet. Quare ut fructum quiſque ex Dei verbo eliciat, ita audiendum: ut: 1. Memoria retineatur: 2. Corde credatur: 3. Manu executioni mandetur. Verbum Dei retinendum, verbum Dei credendum, verbo Dei obediendum. En tres hujus concionis partes.

### PRIMA PARS.

*Verbum Dei memoria retinendum.*

NIl homines majori cum affectu conſervare, & majori cum ſollicitudine retinere ſolent, quam res, quas pretioſas cenſent. De conſervandis & retinendis apud ſe luto, lapidibus, aliiſque vilibus, non eſt qui curet: ſed aurum, argentum, aliaſque res pretioſas, cuncti ſtudioſe ſervare, & cuſtodire ſoliti ſunt. Quare ut ad memoria retinendum, & conſervandum Dei verbum vos inducam; velim, ut quiſque advertat, nil eo eſſe pretioſius. Siquidem Dei verbum eſt, ſemen, & margarita, & theſaurus: 1. *Eſt ſemen*, cujus pretium incomparabile, 2. *Eſt margarita*, cujus pretium inæſtimabile, 3. *Eſt theſaurus*; cujus pretium infinitum.

1. Verbum Dei eſt ſemen quoddam ſpirituale, & myſticum, *Semen eſt verbum Dei*. Eſt quidem vere ſemen; *tum* quia ſicut ſemen eſt principium vitæ naturalis; ita & Dei verbum eſt principium vitæ ſpiritualis; *tum* quia ſicut præparari debet humus, ut ſatum in ea ſemen fructus afferat; ita & debite parata eſſe debent cordi auditorum, ut verbum Dei a Concionatoribus ſeminatum, pœnitentiæ & ſalutis fructus producat.

Semen autem illud eſt pretioſiſſimum: quia cum in terra bona, & bene culta; ſeu in corde bono, rore cæleſti irrigato, & gratia Dei exculto, ſeminatur, fructus Cælo dignos, & in æternum duraturos producit. Unde Prædicatores, qui Dei verbum ſeminant, & prædicant, vocantur *Satores æternitatis*: *S. Hilarius*, quia ſcilicet cum verbum Dei, quod ferunt, cadit in terram bonam, ſpirituales, cæleſtes, & in æternum duraturos fructus affert & producit. O quam pretioſum illud ſemen!

Tanti fecit, tamque pretioſum cenſuit illud ſemen Chriſtus Salvator, ut de Cælo illud tulerit, & in terram ad illud ſeminandum deſcenderit. *Exiit*, & quaſi egreſſus eſt e ſinu Patris. *Exiit* a Cælo in terram, & *exiit*, ut verbum Dei prædicaret & ſeminaret. *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum*. Illud ſeminavit, non ſolum per ſeipſum, ſed etiam per



Digitized by Google

Apoſtolos, & Diſcipulos, qui ad omnes orbis terrarum partes ſe contulerunt, ut ubique ſatorum munere fungerentur, & ubique divinum illud ſemen ſererent. At Chriſti etiam, & Apoſtolorum tempore, cæleſte illud ſemen ab innumeris Concionatoribus continue ſeminatum eſt, mirabileſque ſemper, portentoſos, & in æternum perſeveraturos fructus edidit quia innumeros peccatores ad Deum convertit, & in viros ſanctos mutavit, qui in Cælo æternum regnabunt, & triumphabunt. O quam mirandum, & o quam pretioſum illud ſemen!

Dic, quæſo, ſi ſemen aliquod in tua haberes poteſtate, cujus tanta eſſet virtus, ut in terra ſatum mirabiles, raros, & pretioſos fructus non ſolum in terra, ſed etiam in Cælo produceret; nonne illud pretioſiſſimum cenſeres? Nil haud dubie hoc ſemine rarius, nil pretioſius æſtimares. Verbum autem Dei eſt ſemen illud, quod in hominum terreſtrium & carnalium cordibus ſeminatum; eos in viros Cælo dignos, & in Sanctos, æternum in Empyreo regnaturos, immutat. Nonne Dei verbo Auguſtinus, miſer & obcæcatus, in virum juſtum, & Cælo idoneum converſus eſt? Nonne Dei verbo Magdalena peccatrix, in Magdalenam pœnitentem, ſanctam, Deo placentem, & cæleſtibus thronis dignam mutata eſt? Nonne hoc verbo Paulus, qui infidelis erat, factus eſt vas electionis? Nonne Matthæus, qui ad Telonium ſedebat, Dei verbo ad Apoſtolica munia vocatus, & deinde ad cæleſtia regna translatus eſt? Sed nonne ab Eccleſiæ Chriſti primordio, hoc Dei verbum a zelo ſuccenſis Concionatoribus ſatum, Sanctos in Cælo multiplicavit, & uſque ad mundi finem multiplicabit? Certe plerique Sanctorum, qui in Paradiſo beantur, ſunt fructus a Dei verbo producti. Quare Dei verbum, ut ſemen pretioſiſſimum inſpiciendum, & ut quid pretioſiſſimum retinendum eſt. Cum ergo Dei verbum audis, illud, quantum fas erit, memoriæ manda, illudque in memoria, tamquam rem pretioſiſſimam retine, ut eo ad tui ſanctificationem, & ad cæleſte regnum obtinendum utaris. Sed retinendum etiam Dei verbum, *quia eſt margarita, cujus pretium ineſtimabile*.

2. Non illud ex meo ſenſu, ſed ex Chriſti ſententia margaritam vocabo, prohibet enim Salvator, ne ante porcos projiciantur margaritæ, *Neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. Matth. 7:6.* Quid per margaritas ibi Chriſtus intelligit? Loquitur ne de margaritis materialibus? Non equidem, quia hujuſmodi margaritæ projici non ſolent, nec aliquis ita prodigus, ut eas ante porcos mittat: Quæ ergo ſunt hæ margaritæ, de quibus Chriſtus? Hæ ſunt Dei verba, cæleſtiſque, & pretioſa doctrina Evangelii. *Margaritarum*, inquit S. Hieronymus, *eſt ſermo Dei*; *Hieron. epiſt. ad Euſtoc. de cuſtod. virg.* & ut ait S. Joannes Chryſoſtomus, *margaritas hæc verba vocavit, quæ his longe pulchriora, præſtantioraque ſunt. Chryſoſt. prolog. in Joann.*

O quam pretioſum eſt Dei verbum! Ipſis ſane margaritis eſt pretioſius, cujuſque pretium eſt ineſtimabile; quia qui Dei verbo ad ſui ſanctificationem utitur, eo totum cæleſte regnum ſibi emit. Quare cum ita pretioſum ſit Dei verbum, non illud a mente & a memoria ejicias, ſed illud retine, illudque ſæpe mente revolve. Si pretioſas poſſideres margaritas, non illas haud dubie foras mitteres; ſed eas pro viribus occultares, & retineres: conſerva ergo, & ſollicite verbum Dei memoria retine, cum ſit ipſis margaritis pretioſius, ejuſque pretium ſit inæſtimabile. Sed & memoria retinendum verbum Dei, *quia eſt theſaurus, cujus pretium infinitum*.

3. *Non ſolum theſauro verbum Dei comparatur*, inquit Chryſoſtomus; *ſed etiam fonti. Chryſoſt. hom. 3. in Geneſ.* Verbum Dei eſt quidem ſimile fonti: quia fluit, & ubique ſe communicat ſicut fontis aqua. Sed eſt etiam ſimile theſauro, ratione pretii ſui: qui pretioſum eſt ut theſaurus.

Cognoſcitur, ut ſubdit S. Chryſoſtomus, quanti pretii ſit aliquis theſaurus, ex re, quæ mediante hoc theſauro comparari poteſt. Magnus eſt theſaurus, ſi eo emi poſſit illuſtre aliquod prædium: *major*, ſi eo acquiri poſſit inſignis quidam Ducatus: & *maximus*, ſi eo comparari poſſit ampliſſimum aliquod terræ Regnum. Sed verbum Dei eſt theſaurus in infinitum major: quia verbo Dei, ſi quis bene utatur, acquiri poteſt regnum cæleſte, æternum, & infinitum. O quam magnus, & pretioſus ille theſaurus.

Pretioſiſſimum eſſe illum theſaurum novit Pſaltes Regius; quia illum in corde ſuo abſcondit & occultavit: *In corde meo abſcondi eloquia tua. Pſal. 118. 11.* Quo theſaurus aliquis eſt pretioſior, eo in loco occultiori additur: & ideo Dei verbum in corde ſuo, quaſi totius corporis humani loco abditiori, abſcondit Propheta: quia exiſtimat, verbum Dei eſſe theſaurum, quo nullus pretioſior. Quare cum Dei verbum ſit theſaurus pretioſiſſimus, ſumma cura, ſummaque ſollicitudine eſt retinendum, & conſervandum.

Cum quis theſaurum invenit, non illum projicit; ſed præ gaudio illius vadit, & abſcondit illum, illumque ſumma cura cuſtodit, & retinet: quare cum Dei verbum ſit theſaurus pretioſiſſimus; magna ſollicitudine cuſtodiendum, & memoria retinendum.

Non imitandi illi, qui Dei verbum audiunt, ſed facta concione, illius non ultra recordantur, nec recordari curant. Non imitandi etiam illi, qui auditum Dei verbum projiciunt retrorſum; ita ut illud nunquam amplius menti ſuæ objici velint, & patiantur: *Projeciſti ſermones meos retrorſum: Pſ. 49. 17.* Non imitandi tandem hi, qui poſtquam Concionatorem audierunt, Deique verbum in corde ſuo receperunt, a Cæli volucribus, ſeu a dæmonibus illud auferri, & a memoria deleri permittunt. Sed audiendum attente & modeſte verbum Dei, in corde eſt recipiendum; ac in eo ſumma ſollicitudine retinendum & cuſtodiendum, tanquam ſemen, cujus pretium eſt incomparabile; tanquam margarita, cujus pretium eſt ineſtimabile; tanquam theſaurus, cujus pretium eſt infinitum.

*Si quis diligit me*, inquit Chriſtus, *ſermonem meum ſervabit. Joann. 14.* Non projiciendus, nec conculcandus, nec oblivioni tradendus Dei ſermo; ſed ſervandus & cuſtodiendus. *Ubi autem ſervandi Dei ſermones? Haud dubium quia in corde. S. Bern. ſerm. 3. de Advent.* ſeu in memoria, ibi ſervandi, ibi retinendi. Nec ulla unquam audienda eſt concio, quin aliquid ad ſui inſtructionem in memoriæ penu retineatur.

Videte quomodo ſe habuerit Maria, poſtquam Chriſtum audivit loquentem: verba ejus non abjecit, nec

co-

eorum oblita eſt; ſed ut ait ſacer Textus, *Mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo. Luc.* 2. 51. Poſtquam etiam audivit Maria Paſtores Chriſtum laudantes, & mirabilia quæ de eo dicebantur, enarrantes, *conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo: Ib. v.* 19. eodem autem modo memoriæ conſignanda, & in corde conferenda Concionatorum verba. Numquam a concione exeas, quin aliquid memoriæ mandaveris; & deinde cum ad propria redieris, ea quæ adnotaſti in memoriam revoca, ea mente revolve; ut iis ad bene faciendum movearis; eaque filiis & domeſticis enarra, ut & illi ad declinandum a malo, & ad proficiendum in bono alliciantur.

Præceperat olim Judæis Deus, *Deut. 6. & 11:* ut legem ſuam in manibus ligarent, in fronte gererent, in ædium foribus ſcriberent, eamque ſero & mane, in omni loco & tempore meditarentur, & mente revolverent. Sic tu, cum concionem audis, Dei verba a Concionatore propalata retine, ut deinde ea ſæpe ad memoriam revoces, mente verſes, cogitatione revolvas, iiſque ad profectum tuum ſpiritualem utaris. At ſi Dei verbum eſt memoria retinendum; *eſt etiam corde credendum.*

## SECUNDA PARS.

*Verbum Dei eſt corde credendum.*

VEritas, quæ de Cælo orta eſt, infenſiſſimos in terra habet hoſtes, qui ei inſidiantur, qui eam male recipiunt; variiſque modis odium, quo illam proſequuntur, manifeſtant. Sed veritatem odio habeant homines, quantum voluerint; quicumque tamen eam perſpicue cognoſcet, ei in corde aſſentietur; nec enim quis in corde ſuo id negare, & non credere poteſt, quod verum eſſe cognoſcit: quare ut Dei verbo credendum ſuadeam, dicam ſolummodo, illud eſſe veriſſimum. De quo nullus dubitare poterit, cum probavero, quod Deus, a quo prolatum eſt illud verbum: 1. Nunquam mentitur: 2. Non amat mentiri: 3. Non poteſt mentiri.

1. Qui alicujus criminis ſunt rei, alios ejuſdem criminis reos eſſe facile credunt; qui avari ſunt, alios avaritiæ arguere ſolent; qui libidini dediti ſunt, alios ſimiliter libidinoſos eſſe cenſent; qui ſuperbi, alios ſuperbos; qui invidi, alios invidos; qui tandem alicui vitio obnoxii ſunt, alios omnes eidem vitio obnoxios eſſe imaginantur. Quare cum omnes homines mendaces ſint; non deſunt qui Deum ſicut illos mendacem eſſe ſentiant: ſed nunquam mentitur Deus; nec eſt ſimilis hominibus qui omnes mentiri ſolent: *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur. Num.* 23. 19.

Apud mortales nil mendacio communius: ubique fraudes, ubique doli, ubique mendacia. Apud Poetas, fingere & mentiri familiare & uſitatiſſimum eſt. Ut auditoribus placeant Oratores, veritatem ſæpiſſime adulterant: quod nigrum & malum eſt, tamquam album & bonum quandoque delineare & objiciunt. Quis ex profanis Hiſtoricis fabulas, & falſa pro veris non refert? Quid in Scholis Philoſophorum audimus, niſi homines de eodem aſſerentes, quod ſit & non ſit, quod poſſit & non poſſit eſſe, quod idem ſit verum & falſum? Quid tandem in Aulis Principum, in foro, in Mercatorum tabernis, & ubique, niſi fraudes & mendacia? Ubicumque ſunt homines, ibi ſunt mendaces: quia *omnis homo mendax: Pſ.* 115. 11. vel ut habet alia verſio, *omnis homo mendacium.* At non ſic ſentiendum de Deo: Deus enim, qui eſt ſuprema Veritas, non mentitur ſicut homines: *Non mentitur Deus. Ad Tit.* 1. 2. Quare cum non mentiatur Deus, fatendum veriſſimum eſſe verbum ejus. Sed eſt etiam veriſſimum, quia *Deus mentiri non amat.*

2. Deus eſt prima & eſſentialis Veritas, a qua omne verum manat; eſt etiam auctor veritatis, qui veritatem amat: & ideo mentiri non diligit: *Non amat falſum veritas.*

Infinita eſt oppoſitio Deum inter & dæmonem; ſed præcipue ratione veritatis: quia eam Deus ſummopere amat, dæmon autem eam maxime odit. *Tertull. l. 2. de ſpect. c.* 23. Odio habet veritatem dæmon; & mentiri amat: doloſus eſt, fraudulentus eſt, verſipellis, fallax, mendax, & mendacii pater eſt, qui mendaciis & fraudibus ſuis, hominibus continue inſidiatur: *Mendax eſt, & pater ejus. Jo.* 8. 44. Deus vero mentiri non amat; quin contra quam maxime mendacium odio proſequitur. Unde inter plurima, quæ a Deo odio haberi dicit Sapiens, mendacium non ultimum tenet locum: *Sex ſunt*, inquit, *quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus: oculos ſublimes, linguam mendacem*, *&c. Prov.* 6. 16. Quare cum Deus nec mentiatur, nec mentiri amet, quis non credat, veriſſimum eſſe verbum ejus? Sed eſt & veriſſimum, *quia Deus mentiri non poteſt.*

3. Cum veritas ſit de eſſentia Dei: ſicut impoſſibile eſt, Deum non eſſe Deum: ita & impoſſibile eſt, Deum mentiri: *Impoſſibile eſt mentiri Deum. Hebr.* 6. 18. Et ideo præclare dixit Tertullianus, Deum in hoc ſolum eſſe infirmum, quod mentiri non poſſit: *Deus ſolummodo de fallacia infirmus.* Si facienda ſint ſidera, cæli, mundus unus, & mille mundi, Deus quoad hæc non eſt infirmus, hæc omnia facillimo negotio operatur; unico verbo, & unico voluntatis ſuæ actu hæc omnia facere poteſt. Sed ſi de mendacio proferendo agatur, hoc non poteſt Deus, in hoc infirmus eſt. *Solummodo de fallacia infirmus.*

Fatentur omnes, Deum eſſe omnipotentem: non inde tamen inferendum, eum mentiri poſſe. Non dicendum: Deus omnia poteſt, ergo mentiri poteſt; quin contra, inquit Auguſtinus, ſi Deus mentiri poſſet, non eſſet omnipotens: quia mentiri eſt infirmitatis, & infirmitatem denotat in eo qui mentitur: *Deus, licet ſit omnipotens, tamen falli non poteſt, mentiri non poteſt; & idcirco omnipotens eſt, quia iſta non poteſt. Auguſtin. de Symbol. ad Cath. lib.* 1. *cap.* 1.

Auguſtino aſſentitur S. Joannes Chryſoſtomus, dicens; *Deus, licet omnipotens, tamen aliqua non poteſt; nimirum mentiri & fallere. Chryſoſt. hom.* 1. *in Symbol.* Cui concinit S. Ambroſius his verbis: *Deus falli, aut mentiri non poteſt, neque iſtud in Deo eſt infirmitatis; ſed potius virtutis & majeſtatis. Ambroſius epiſt.* 37.

Et revera, ſi mentiri poſſet Deus, aut ex ignorantia, aut ex malitia. Vel, quod idem eſt, ſi Deus mentiri poſſet; aut defectu ſcientiæ, aut defectu bonitatis: omne enim mendacium, aut ex defectu ſcientiæ,

aut-

Digitized by Google

aut ex defectu bonitatis procedit. In Deo autem non poteſt eſſe defectus ſcientiæ, cum omnia pateant oculis ejus, & ea quæ ſunt, & ea quæ non ſunt, cumque ſcientia ejus ſit infinita, nec aliquis error ei accidere poſſit. In eo etiam non poteſt eſſe defectus bonitatis, cum eſſentialiter ſit bonus, eique eſſentialis ſit bonitas: *Cujus natura bonitas*. Et ideo cum in Deo non poſſit eſſe defectus ſcientiæ, nec defectus bonitatis; fatendum, illum mentiri non poſſe. Quare cum Deus nec mentiatur, nec mentiri amet, nec mentiri poſſit; neceſſario concludendum, veriſſimum eſſe Dei verbum, ſi autem veriſſimum ſit, ei eſt credendum.

Cum Deus in mundi primordio per ſeipſum hominibus loquebatur, ei credendum erat; cum loquebatur per Prophetas, ei credendum erat; cum locutus eſt nobis per Filium, ei credendum fuit: & cum loquitur nobis per Concionatores, ei credendum eſt: quia ſive per ſeipſum, ſive per alios nobis loquatur, ſemper verbum ejus verum eſt, & ſemper verum erit, & ideo ſemper ei credendum.

Cum audiuntur Prædicatores Dei Evangelium annuntiantes, non accipienda verba quæ proferunt, ut verba hominum, ſed ut Dei verba, quæ ab hominibus proferuntur. Sicut cum Legatus, ex parte Regis, a quo miſſus eſt, loquitur, verba ejus inſpiciuntur, non ut verba Legati, ſed ut verba Regis, ore Legati prolata, ita Prædicatores ſunt quaſi Legati a Deo miſſi: *Pro Chriſto legatione fungimur*, 2. *Cor.* 5. 20. & ideo Prædicatorum, debite munere ſuo fungentium verba inſpici debent, non ut hominum, ſed ut Dei verba, ore eorum prolata: *Non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere, verbum Dei*. 1. *Theſſ.* 2. 13. Si autem inſpiciantur ut Dei verba, & vere ſint Dei verba, eis firmiter credendum, quia ſemper Dei verbum verum eſt, cum impoſſibile ſit mentiri Deum.

Fateor, quod ſi Concionator aliquis ita impius eſſet, ut non Dei verbum, ſed falſa annuntiaret, non ei credendum eſſet. Sed cum Concionator verba Dei loquitur, cum myſteria fidei docet, ei firmiter credendum, quia nil verbo Dei verius. Sed heu! quam multi verbo Dei a Concionatoribus prolato fidem non adhibent!

Dic, o peccator, quoties audiſti Prædicatores ex parte Dei dicentes, nullam tibi fore ſpem ſalutis, niſi in hoc mundo pœnitentiam egeris: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*. *Luc.* 13. 3. Credidiſtine hoc? Non utique, quia ſi credidiſſes, pœnitentiam egiſſes.

Dic, avare, nonne pluries tibi dictum & prædicatum eſt, reddenda cuique ſua, & non dimitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum? Idne credidiſti? Nequaquam; quia id credidiſſes, aliena quæ detines, jam reſtituiſſes. Dic, o homo ultionis avide, nonne tibi ſæpe annuntiata ſunt verba Chriſti, præcipientis, ut quiſque ſuos diligat inimicos: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*? Adhibuiſtine fidem his verbis? Nullatenus, quia ſi eis fidem adhibuiſſes, inimicis peperciſſes. Dic, o impie, multoties haud dubie audiſti, apertum eſſe os inferni, ut deglutiat omnes peccatores terræ, ibique in æternum cremandos, ſi in hoc mundo non convertantur? Hocne credidiſti? Neutiquam, quia ſi hoc credidiſſes, omnia mortalia, quibus inquinaſtis, deleviſſes. Dic tu, qui te Chriſtianum proclamas, nonne pluries audiſti, qui prædicarent; tamquam fide divina certum, Chriſtum Salvatorem eſſe vere & realiter in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento? Anne hoc firmiter credidiſti? Non: quia ſi firmiter credidiſſes, pluries illum intra te recepiſſes, illumque in Tabernaculis remanentem pluries viſitaſſes.

O miſeri, cur Dei verbis non creditis? Si vera ſint hæc verba, cur eis non creditis? Si veritatem dicant vobis Concionatores, cur eis fidem non adhibetis? *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Joann.* 8. 46. Hujus rei rationem adducit Sanctus Auguſtinus, dicens: Vis ſcire quare non credant? *Amant veritatem lucentem; oderunt eam redarguentem*. Si concionatores ei adularentur, & jucunda loquerentur, eis crederent, ſed quia eis terribilia annuntiant, eoſque acriter arguunt, verbis eorum non credunt. At verbo Dei ſemper credendum: quia veriſſimum eſt. *Et verbo Dei eſt etiam obtemperandum*.

## TERTIA PARS.

*Verbo Dei eſt obediendum.*

Concioni inter ſunt multi, non ut Prædicatorum dictis obediant, & ut meliores fiant; ſed ut meliores videantur, & a ſpectantibus pii cenſeantur: & hi ſunt hypocritæ, qui in Chriſti maledictionem incurrunt. *Væ vobis hypocritæ*. Alii ad concionem accedunt, non ut Dei verbo pareant: ſed ut de Concionatore cenſeant; ut judicent, an bene vel male munus ſuum obeat: & hi ſimiles ſunt œnopolis illis, qui omnia in foro deguſtant vina, non ut ipſi emant, ſed ut aliis dicant, quod ſit melius, & quod ſit deterius. Alii concionibus adſunt, non ut faciant, & inde ſanctiores evadant; ſed ut diſcant, & doctiores fiant: & hi ſunt ſimiles infirmis hujuſmodi, qui peritiſſimum audientes Medicum, ejus verba mirantur, & ab eo diſcunt remedia, quibus mediantibus, a morbis, quibus laborant, poſſent liberari; ſed ea adhibere non curant. Alii concionibus aſſiſtunt, non ut Concionatorum dictis obtemperent; ſed ut hominum corda ad ſui amorem alliciant: tales ſunt multæ adoleſcentulæ, quæ in medio auditorii, circumornatæ ut ſimilitudo Templi, & profanis veſtibus indutæ, ſe videndas omnibus exhibent. O quam pravæ ſunt prædictorum omnium auditorum intentiones! Ab hujuſmodi ſane intentionibus quiſque declinet neceſſe eſt; & ad concionem convenire debent omnes, non ut æſtiment, non ut de Prædicatore judicent, non ut diſcant; ſed ut faciant, & verbo Dei obediant. Eique obedire quiſque tenetur; 1. Ut Dei gratiam obtineat: 2. Ut æternam beatitudinem aſſequatur: 3. ut ad inferni ſupplicia non condemnetur.

1. Gratia ſanctificans, inquit Doctor Angelicus, eſt theſaurus inæſtimabilis, qui toti terrarum orbi prævalet. Immo cum ſit ſpiritualis, & ordinis ſupernaturalis; mundus vero ſit corporeus, minimus hujus gratiæ gradus omnibus mundi bonis antecellit. Ut autem peccator juſtificetur, & gratiam juſtificantem obtineat, verbo Dei obedire debet, & ea facere quæ Concionator facienda dicit. Quia, ut ait Divus Paulus, non juſtificantur, & gratiam ſanctificantem non obtinent hi, qui concionem attente & modeſte audiunt; ſed hi, qui audita concione,

ea

Digitized by Google

ea faciunt quæ ad juſtificationem, & ad ſalutem neceſſario facienda docuit Concionator: *Non auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis juſtificabuntur. Rom.* 2. 13.

Superno lumine illuſtratus Ezechiel Propheta, vidit Cherubinos, habentes manus ſimiles hominum manibus: *Apparuit in Cherubim ſimilitudo manus hominis. Ezech.* 10. 8. Quid hi ſignificant Cherubini, humanas geſtantes manus? Cur Cherubinis, qui toti ſpirituales ſunt, manus dantur humanæ? Ut hoc intelligatur: ſciendum, per hos Cherubinos denotari ſcientiam; quia *Cherubim eſt plenitudo ſcientiæ*, ſed hi Cherubini manus geſtant: ut inde diſcamus, quod mox ut verbum Dei audimus, & eo edocemur, manus eſt adhibenda operi, eaque facere debet peccator, quæ facienda docet Prædicator. Quia ſi hæc non faciat, gratiam ſanctificantem non obtinebit, nec juſtificabitur; *Non enim auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores.* Obedite ergo Dei verbo, ut Dei gratiam obtineatis: *ac etiam ut æternam beatitudinem aſſequamini.*

2. Verum eſt quod Deus beatos fore dicat eos, qui Dei verbum audiunt; *Beati qui audiunt verbum Dei, Luc.* 11. 28. ſed unam ſubdit conditionem: modo ſcilicet ei obediant: *& cuſtodiunt illud.* Si enim Dei verbo non obtemperarent, nec ea facerent, quæ ut ad ſalutem neceſſaria proponit Concionator, beati non forent, nec æternam beatitudinem obtinerent. Et ideo S. Joannes Evangeliſta in Apocalypſi, eos quidem beatos declarat, qui Dei verbum audiunt: *Beatus qui audit verba prophetiæ hujus; Apoc.* 1. 3. ſed mox ſubjungit, eos eſſe beatos, modo ea faciant & ſervent, quæ a verbo Dei facienda præcipiuntur: *& ſervat ea.* Si enim ea, quæ verbo Dei præcipiuntur, non facerent, beati non forent, nec æternam beatitudinem aſſequerentur.

De Dei verbo ait Propheta; quod magna velocitate currat; *Velociter currit ſermo ejus. Pſ.* 147. 15. Divinum hoc verbum a ſinu Dei, in quo conceptum eſt, tranſit ad Sacræ Scripturæ Libros, a Sacris his Codicibus ad Concionatoris mentem migrat, a mente ad linguam illius transfertur, a lingua ejus ad auditorum aures fertur, ab auribus ad corda illorum currit; ſed hic hærere non debet Dei verbum: a cordibus enim eorum ad manus tranſeat neceſſe eſt: ita ut ea faciant quæ Dei verbo præcipiuntur. Si enim ea non faciant, & Dei verbo non obediant, Paradiſi gloriam non obtinebunt, quia beatitudo datur ſolummodo iis, qui illud audiunt, eique obediunt; *Beati qui audiunt & cuſtodiunt.* Sed ſi Dei verbo obedire teneantur auditores, ut æternam beatitudinem aſſequantur: ei etiam obtemperare debent, *ut ad diriora inferni ſupplicia non condemnentur.*

3. Hanc rationem deſumo ex S. Chryſoſtomo: qui cum die quadam ad populum Antiochenum ſermonem haberet, ſic auditores ſuos affatus eſt. Scio N. N. quo ad audiendum Dei verbum frequenter accedatis: ſingulis fere diebus huc convenitis, ut me dicentem audiatis. Non ſine magna voluptate vos meis concionibus audiendis aſſiduos video: ſed quid vobis proderit, quod frequentiſſime Dei verbum audiatis, ſi ei non obediatis, & ſi ea facere renuatis, quæ a Dei verbo facienda jubentur? O invide, quid tibi proderit audiſſe me adverſus invidos concionantem, ſi audita concione, tabentem invidiæ ſpiritum e corde non evellas, & proximum non diligas! Quid tibi proderit, o libidinoſe pluribus aſtitiſſe concionibus, verboque divino ad recte vivendum fuiſſe concitatum, ſi libidinibus non abrenunties, & caſte non vivas? Quid tibi proderit, o avare, pluries interfuiſſe concioni, ſi ea audita, quæ injuſte detines, proximo tuo non reſtituas? Tantum abeſt, ut ſubdit Os illud aureum, quod proſit vobis Dei verbum audiſſe, quin contra hoc vobis in majoris damnationis occaſionem erit: *Non ſolum vobis non prodeſſet, verum majoris fieret occaſio damnationis. Chryſoſt. hom.* 78. *ad pop.*

Quod Antiocheno populo Chryſoſtomus, hoc idem dico vobis. Velim, vos ſacris concionibus audiendis eſſe aſſiduos. Velim; ut maxima aſſiduitate, & mirabili cordis voluptate Dei verbum audiatis, ſi eo audito, injurias inimicis non condonetis, ſi non reſtituatis aliena, ſi pravos e cordibus veſtris non eradicetis habitus, ſi de perpetratis criminibus pœnitentiam non agatis, ſi tandem verbo Dei non pareatis, & ea, quæ a Dei verbo jubentur, non agatis; *non ſolum hoc vobis non proderit, verum majoris fiet occaſio damnationis.*

Conqueritur Ezechiel Propheta de multis, qui Dei verbum, inſtar cantilenæ a Concionatore decantatæ, audiunt. Hujuſmodi autem dicit eſſe eos, qui, audito Concionatore, ea non faciunt, quæ Dei verbo facienda imperantur: *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos; quia in canticum oris ſui vertunt illos. Ezech.* 33. 31.

Cum nocturno tempore in alicujus civitatis vicis & compitis gratiſſimis quidam fit concentus, qui eum audiunt, ſi lecto decumbant, attentas præbent aures, caput aliquantulum erigunt, ut varios hujus harmoniæ tonos diſtinctius percipiant. Immo & nonnunquam e lecto ſurgunt, & ad cubiculi feneſtras ſe conferunt, ſed mox ut factus eſt concentus, quiſque ad cubile ſuum redit, & in eo decumbit ſicut antea. Similem in modum, cum illuſtris quidam Concionator ſermonem ad populum eſt habiturus, ad eum audiendum accurrunt omnes; cumque de morte, de Dei Judiciis, de formidandis inferni ſuppliciis, vel de alia hujuſmodi materia dicit, peſſimi quique peccatores ſua erigunt capita, attente, quæ dicuntur, audiunt: piis motibus intus cientur, immo & a peccatis ſurgere, & pie vivere quodammodo ſtatuunt. Tunc ebrioſus vult ſobrius fieri: ſuperbus tunc humilitatem ſectari deſiderat, tunc impudicus caſte vivere optat, & quamdiu cantat Concionator, omnes in melius vitam ſuam mutare volunt; ſed finita concione, quiſque ad propria redit, auditum Dei verbum oblivioni traditur, & in peccato ſuo quiſque jacet & dormit ſicut antea, *Sermones in canticum vertunt.* Heu! quid proderit Dei verbum audiſſe, ſi eo audito, a viis veſtris peſſimis non convertamini: *Non ſolum hoc vobis non proderit, verum majoris fiet occaſio damnationis.*

Quare non ſolum Dei verbum memoria retineatis, non illud ſolum corde credatis, ſed & illi obedite: eaque facite, quæ Dei verbo præcipiuntur. Hoc ſane quiſque facere deberet, ſed heu! *Quis mihi tribuat auditorem? Job* 31. 35. Quis det auditores, qui ſollicite Dei verbum retineant, qui illud humiliter credant, & qui illi obediant, illudque opere exequantur? Rariſſimi ſunt hujuſmodi auditores, ſicut & rariſſi-

riſſimi ſunt qui ſalvantur. Sed, o homines terreſtres, Dei verbum debite audite; *Terra, terra, terra, audi verbum Domini. Jer. 22. 29.* Dei verbum ita audite, ut illud memoria retineatis, ita ut illud firmiter credatis; ita ut ei obtemperatis. Et poſtquam in hoc mundo ea feceritis, quæ Dei verbo præcipiuntur, æternam in Cælo felicitatem obtinebitis. *Amen.*

## DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

## DE MORTE CHRISTI PRO OMNIBUS.

*Tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagella erint, occidens eum.* Luc. 18. 32.

TOto cælo, ſemper & in omnibus differt ſpiritus Eccleſiæ a ſæculi ſpiritu, ſed ab eo differt iſto præcipue ſaturnalium tempore; in quo dum mundus gaudet, triſtatur Eccleſia, dum mundus profanas componit cantilenas, Cantica ſpiritualia Eccleſia emittit; dum veſtes ſuperbas mundus præfert, Eccleſia lugubribus utitur ornamentis, & ut paucis multa dicam, dum hoc tempore mundus totus eſt luxui, vanitati, ludis, conviviis, & libidinibus; Eccleſia, ut ad omnia, quæ mundi ſunt, ſpernenda, & projicienda inducat, legendum nobis exhibet Evangelium, in quo narrantur dira ſupplicia, quæ Chriſtus ſuſtinuit, & acerba mors, quam pro omnium hominum ſalute, ſummo cordis affectu pertulit; *Tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint occident eum.*

Profana, vana, & exitioſa mundi gaudia verbo & exemplo damnavit Chriſtus, dum in ſæculo viveret, & qui recte ſapiet, ab his omnibus nunc abſtinebit gaudiis, ut cogitet de Chriſto, utque mortem ejus ſerio perpendat, & mente revolvat.

Non jam ſigillatim meditanda proponam cuncta: quæ Chriſtus paſſus eſt ſupplicia; nec omnes mortis ejus enarrabo circumſtantias, ſed ut ad mundi contemptum, & ad Chriſti Salvatoris amorem inducantur omnes; cum pro omnibus hominibus mortuum eſſe dicam, &c. *Ave.*

CHriſti mors conſiderari poteſt in Dei decreto, in Chriſti morientis oblatione, & in fructu quem ex morte ejus homines percipiunt. Mors, inquam, Chriſti conſiderari poteſt in æterno Dei decreto; in oblatione, quam Chriſtus moriens in cruce fecit; & in fructu, qui ex illa morte ab hominibus in tempore percipitur.

Sciunt omnes & fatentur, acerbiſſimam illam mortem, quam paſſus eſt Chriſtus, fuiſſe a Deo decretam ab æterno, oblatam a Chriſto in cruce, & utilem homini in tempore. Sed ut pateat, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe: dico, quod hoc decretum, hæc oblatio, & hic fructus, ad omnes penitus homines, tam reprobos, quam juſtus, extendantur.

Si Chriſtus pro aliquibus ſolum, & non pro omnibus mortuus eſſet hominibus; hoc eſſet, *vel* quia Chriſtus (ut Verbum) in æterno ſuo decreto non ſtatuiſſet mori pro omnibus omnino hominibus, *vel* quia in cruce Chriſtus mortem ſuam non obtuliſſet pro omnibus hominibus, *vel* quia in tempore fructum mortis ejus non omnes penitus homines percepiſſent. Quare ut pleniſſime conſtet, & clariſſime pateat, Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe; dico, quod Chriſti mors: 1. Decreta eſt ab æterno pro omnibus hominibus, *ſine ulla exceptione*: 2. Oblata eſt in cruce pro omnibus hominibus, *ſine ulla excluſione*: 3. Utilis eſt in tempore omnibus hominibus, *ſine ulla limitatione*. En tres hujus concionis partes, quibus Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe conſtabit.

### PRIMA PARS.

*Mors Chriſti decreta fuit ab æterno pro omnibus hominibus, ſine ulla exceptione.*

LIcet unicus ſit intrinſece divinæ voluntatis actus, ille tamen actus multiplex eſt terminative, ſeu reſpectu diverſorum objectorum ad quæ terminatur. Quare varia in divina voluntate diſtinguimus decreta: non quod intrinſece plures & diverſi ſint actus illius voluntatis æternæ; ſed quia unicus ille actus ad varia objecta terminatur, cum ordine quodam præſuppoſitionis unius ad aliud.

Horum autem Dei decretorum ordo, reſpectu rerum creatarum, a Scotiſtis (ſi bene memini) ſic concipi ſolet. Quod ſcilicet, poſtquam Deus ab æterno, infinita ſua ſcientia, novit omnes creaturas poſſibiles, ex illis omnibus decrevit in primo inſtanti producere Chriſtum, tanquam omnium entium creabilium nobiliſſimum, in cujus productione quam maxime divina elucet bonitas: quia producendo Chriſtum, Deus ad extra infinite ſe communicat. In eodem etiam inſtanti decrevit Deus producere Angelos, & homines, qui in tempore producti ſunt, quorum Chriſtus primogenitus eſt & caput. Et in hoc inſtanti decrevit Deus Chriſti Incarnationem quoad ſubſtantiam ſolum; abſtrahendo a modis quibus fieret: an ſcilicet modo paſſibili, vel modo impaſſibili.

In ſequenti inſtanti prævidit Deus lapſum Adami, totiuſque generis humani in eo: quare lapſæ per Adami peccatum naturæ humanæ miſertus Dominus, in inſtanti immediate ſequenti decrevit illam per Chriſtum redimere, & tunc decrevit, quod Chriſtus incarnaretur modo paſſibili, ac pro hominibus mortem obiret; non pro aliquibus ſolum, ſed pro omnibus. Sicut enim omnes homines ad æternam mortem erant deſtinati; ita & Chriſtum ad mortem pro omnium hominum redemptione ſubeundam Deus deſtinavit.

Tanta Patris æterni in homines fuit caritas, tantus in illos amor, ut decreverit. Chriſtum non pro aliquibus duntaxat, ſed pro omnibus, ſine ulla exceptione hominibus moriturum. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit*, inquit Div. Paulus, *ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Rom. 8. 32.* Quomodo Pater æternus tradidit Filium ſuum pro omnibus? Non quidem inſpirando Judæis, ut eum traderent & occiderent, ſed æterno ſuo decreto deſtinando eum ad mortem pro omnibus hominibus ſuſtinendam, tradidit illum pro omnibus hominibus, inquit Doctor Angelicus: *quia æterna ſua voluntate præordinavit paſſionem Chriſti ad humani generis liberationem. D. Th. 3. par. quæſt. 47. art. 3. ad 6.*

Chriſtus in ſacris Codicibus vocatur Agnus *qui*

*occiſus*

Digitized by Google

*occiſus eſt ab origine mundi*. *Apoc.* 13. 8. Quomodo a mundi origine occiſus fuit Chriſtus? Dici poſſet rum ab origine mundi occiſum: quia ipſius mors omnibus hominibus ab ipſa mundi origine profuit, ſicut & ipſis uſque ad conſummationem ſæculorum profutura eſt. Sed Chriſtus eſt etiam Agnus ab origine mundi occiſus, quia ab æterno, mox ut Deus hominem lapſum prævidit, Chriſti mortem pro omnium hominum redemptione ordinavit. Unde Chriſtus adumbrat nobis duos Agnos immaculatos, qui quotidie in veteri Lege Deo immolabantur; & quorum unus mane, & alter veſpere offerebatur: *Unum offeretis mane, & alterum ad veſperum*. *Num.* 28. Non enim ſolum veſpere in cruce immolatus eſt Chriſtus; ſed etiam mane, ſeu ab æterno immolatus eſt in decreto divino quo ſtatuit, eum in cruce pro omnium hominum ſalute immolandum.

Cum Iſaac, lignis holocauſti onuſtus, a Patre in Montem immolandus duceretur, rogavit Patrem, ut diceret; ubi eſſet victima immolanda; Cui reſpondit pius Pater: *Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi*. *Gen.* 22. 8. Nos miſeri, communi piaculo onuſti, æternis eramus ignibus cremandi; ſed Pater Abrahami & Deus miſericordiarum, ab æterno providit victimam pro nobis immolandam; Chriſtum ſcilicet, qui eſt Agnus ab origine mundi; & ab æterno in Dei decreto occiſus. Sed pro quibus hanc immolandam fore victimam, ab æterno prævidit Deus; pro quibus Chriſtum immolandum decrevit; pro ſolis forte electis? Non, ſed *pro nobis omnibus tradidit illum*, inquit D. Paulus. Quæ Apoſtoli verba ponderans S. Ambroſius; ait quod mire addiderit D. Paulus, Deum pro nobis omnibus tradidiſſe Filium: *Ut oſtendat; quod Deus ita homines diligat, ut dilectiſſimum Filium ſuum pro omnibus tradiderit*. *S. Ambr. l. de Jacob. & vita beata c.* 8. O ineffabilem Dei in homines dignationem! Quæ tanta eſt, ut non pro aliquibus ſolum, ſed pro omnibus hominibus Chriſtum immolandum ab æterno decreverit.

Lapſus eſt in peccatum Angelus, lapſus eſt in peccatum homo: lapſo Angelo, nullum in ejus favorem remedium Deus præordinavit, ſed lapſo homini Deus ſubvenire decrevit, illumque redimere ab æterno ſtatuit. Redemptionem unam Deus ab æterno invenit: *Æterna redemptione inventa*. *Hebr.* 9. 12. Non plures, ſed unam Deus ab æterno redemptionem invenit, quia non pro Angelis, Cherubinis, & Seraphinis, ſed pro ſolis hominibus redemptionem invenit, & decrevit: (Angelus, inquit S. Gregorius, ſua malitia cecidit; homo vero aliena malitia, ſcilicet Adami; quare ſuperbus ſpiritus reparari non potuit & perditus homo reparari debuit. *S. Greg. l.* 4. *Mor.* 10.) Ex quibus ſummi Pontificis verbis conſtat, quod ideo ab æterno Deus non Angelum, ſed hominem redimere decrevit, quia Angelus ſua culpa, homo vero, non ſua, ſed aliena ceciderat. Cujus rei aliam etiam rationem adducit, dicens; *Ibid. cap.* 9. (Duas creaturas ad intelligendum ſe fecerat Deus, Angelicam & humanam; ſed una tegmen carnis habuit: alia vero nihil infirmum de carne habuit: miſertus ergo Creator ut redimeret, illam ad ſe debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid conſtat habuiſſe, humanam ſcilicet.) Præclara videtur hæc ratio; quod ſcilicet Deus non Angelos, ſed homines redimere decreverit, quia homo ex infirmitate ceciderat; Angelus vero non ex infirmitate, ſed ex malitia. Sed quidquid ſit de ratione, quam Deus in mente habuit; certum eſt, quod Deus ab æterno, non Angelos, ſed homines redimere ſtatuerit. Nec aliquos ſolum, ſed omnes penitus homines Deus ab æterno redimere, ac pro iis mori decrevit; ab æterno enim ſtatuit, quod ſemetipſum in cruce immolaret, ut ſua morte omnes penitus homines redimeret. *Unus Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*. 1. *Tim.* 2. 6.

O magnum Chriſti in homines amorem! Qui tantus fuit, ut ab æterno ſtatuerit illos redimere: non alicujus Angeli, vel Archangeli miniſterio, ſed per ſeme ipſum. Multum quidem deberemus Deo, ſi Angelum nobis ab æterno in redemptorem obtuliſſet; ſed hoc alteri committere noluit, voluit quippe ipſe Redemptor noſter fieri, & ideo ab æterno decrevit, ſe morte propria, non aliquos ſolum, ſed omnes penitus homines redempturum. O portentoſum Dei in nos amorem!

Magnus quidem fuit amor Jonathæ in Davidem, ovium Paſtorculum, quando pro ejus ſalute peroravit apud Saulem. 1. *Reg.* 19. Sed quanto majori amore nos proſecutus eſt Chriſtus, qui non ſolum pro nobis Patrem deprecatus eſt; verum ab æterno ſe obtulit in noſtræ redemptionis pretium? Ab æterno cum Chriſtus (ut Verbum) decrevit, ſe naturam humanam aſſumpturum; & in cruce pro hominum ſalute moriturum. Quid autem vita ſua pretioſius pro nobis offerre poteſt? Qua in re ſuum in nos amorem magis manifeſtare volebat?

Cum Tigranes, Armeniæ Rex, ſimul cum uxore, a Cyro captus fuiſſet; *Apud Xenop. in vita Cyri*, rogatus, quid pro uxoris dilectiſſimæ redemptione daturus eſſet? Nihil, inquit, mihi pretioſius propria vita, quam libenter pro ſponſæ meæ redemptione offero, indicans, ſe alia libenter oblaturum, ſi quid pretioſius haberet. Magnus quidem Regis illius in uxorem amor; ſed in infinitum magis homines dilexit Chriſtus, qui pro iis omnibus, licet indignis, licet ingratis, vitam propriam, qua nihil in mundo pretioſius, libenter ab æterno obtulit, ac ſe pro iis omnibus moriturum decrevit.

Miramini hunc Chriſti in vos amorem, & amate eum, qui tanto in vos amore exarſit. Ne ingrati ſitis in tantum benefactorem, ne in illum peccetis; ſed amore ejus ardeant corda veſtra. Amate eum, quia ita homines dilexit, ut ab æterno decreverit, ſe in tempore pro omnium ſalute moriturum, *& qui revera in cruce pro omnibus omnino hominibus mortuus eſt*.

## SECUNDA PARS.

*Mors Chriſti oblata fuit in cruce pro omnibus hominibus, ſine ulla excluſione.*

SAnguis Chriſti, ratione unionis hypoſtaticæ, tanti erat pretii, ut minima ejus gutta ſufficiens extitiſſet pretium, non ſolum ad homines futuros, & poſſibiles, ſed etiam ad omnes dæmones redimendos, ſi pro eis oblata fuiſſet. At non pro dæmonibus Chriſtus in cruce ſanguinem fudit, ſed pro ſolis homi-

hominibus, illumque in cruce obtulit, tam pro infidelibus, quam pro fidelibus, tam pro reprobis, quam pro prædeſtinatis, ac generaliter pro omnibus, ut omnes redimeret, utque ſanguinis ſui virtute, æternam ſalutem omnes conſequi valerent.

Verum eſt, quod finem ultimum, propter quem Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, ſeu æternam beatitudinem multi non obtineant; quia pretioſo Chriſti ſanguine, id eſt gratiis ſibi hujus ſanguinis virtute datis, male, & in ſui perniciem utuntur. Certum tamen, quod Chriſtus vere pro omnibus omnino hominibus in cruce mortuus ſit, & mortem ſuam obtulerit: *Etſi*, inquit Concilium Tridentinum, *Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt. Trid. ſeſſ. 6. c. 2.* Ex quo patet, Chriſtum mortuum eſſe, & in cruce ſanguinem obtuliſſe, *tam* pro prædeſtinatis, qui ultimum ſanguinis ejus beneficium, ſeu æternam beatitudinem percipiunt, *quam* pro reprobis, qui ultimum illud beneficium non recipiunt. Quod & aſſerit S. Chryſoſtomus, dicens; *Chriſtus non ſolum pro fidelibus, ſed pro univerſo mundo guſtavit mortem. Chryſoſt. hom. 4. in epiſt. ad Heb.* Et ut ait S. Anſelmus, *Chriſtus mortem ſuſtinuit pro omnibus, ut omnes ſua morte redimeret. Anſelmus in cap. 2. epiſt. 1. ad Timoth.*

Hoc idem probari poſſet ex Concilio Rhemenſi, in quo adverſus Goteſchalcum hæc edita eſt propoſitio; *Nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit Chriſtus.* Probari etiam poſſet ex Alexandro VII. Innocentio XI. & aliis nonnullis Summis Pontificibus, qui tamquam de fide certum definierunt, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe. Probari ſimiliter poſſet ex SS. Patribus, qui paſſim dicunt, quod Chriſtus, non pro aliquibus dumtaxat, ſed pro omnibus hominibus mortuus eſt, quodque *Salvator eſt, non horum quidem, illorum vero non, ſed omnium. Clem. Alex. 7. ſtrom.*

At id verbis, quibus clariora eſſe non poſſunt, decidere videtur D. Paulus. Si enim ab eo quæras, an Chriſtus pro aliquibus ſolum, vel pro omnibus hominibus mortuus ſit? non reſpondebit, quod pro aliquibus dumtaxat, ſed quod pro omnibus mortuus ſit; *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. 2. Cor. 5. 14.* Dic, o ſancte Apoſtole, eſtne mortuus Chriſtus, etiam pro infidelibus, & hæreticis, quorum infinitus eſt numerus? *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Sed forte non eſt mortuus pro Judæis & barbaris? *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Sed eſtne credibile, cum mortuum eſſe etiam pro iis, qui eum flagellaverunt, ſpinis coronarunt, & cruci affixerunt? Non ſolum pro his, ſed etiam *pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Quid clarius illis D. Pauli verbis? Sed audiamus adhuc illum hac de re loquentem.

*Chriſtus*, inquit Apoſtolus, *eſt Salvator omnium, maxime fidelium. 1. Tim. 4. 10.* Quaſi dicat, Chriſtus eſt Salvator Judæorum, Gentilium, hæreticorum, infidelium, & omnium omnino hominum, quia pro omnibus mortuus eſt, omnibuſque media, quibus ſalvari poſſint, exhibuit; maxime tamen eſt Salvator fidelium, quia virtute mortis ſuæ, majores eis gratias, majoraque iis, quam aliis, ſalutis adjumenta confert. Sed licet hoc modo Chriſtus fidelium magis, quam infidelium ſit Salvator; eſt tamen vere infidelium, & omnium Salvator. *Chriſtus eſt Salvator omnium.* Quomodo autem omnium Salvator eſt Chriſtus, niſi quia pro omnibus mortuus eſt? Nec enim hominum Salvator dicitur, niſi quia pro iis mortem obiit, & ſanguinem ſuum fudit.

Dicite nunc, quæſo, an clarius loqui poſſit Apoſtolus? Et quis aſſerere audebit, Chriſtum non eſſe Salvatorem omnium; cum expreſſe dicat Paulus: *Chriſtus eſt Salvator omnium?* Quis etiam docere pertentabit, Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum: cum dicat Apoſtolus; *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus?* Talia docere non poſſunt; niſi viri pertinaces, protervi, & hæretici. Hujuſmodi farinæ, vel potius hujuſmodi furfuris viri dicunt: Chriſtus non eſt Salvator omnium; & D. Paulus ait: *Chriſtus eſt Salvator omnium.* Dicunt illi: Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus, & D. Paulus ait: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Cui, quæſo, credendum? Anne illis hæreticis, qui a plurimis ſanctis Pontificibus, & a variis Conciliis condemnati ſunt, vel D. Paulo, qui eſt magnus Chriſti Apoſtolus, Prædicator veritatis, & Doctor Gentium? Illi dicunt, Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus, & Paulus ait: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Nonne Pauli verbis adhærendum? Nonne dicendum cum Apoſtolo; *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, nullo excepto?

Hoc ſane dicendum, & hoc firmiter credendum; ſed & pro tanto beneficio immortales Chriſto gratiæ ſunt referendæ. O homo, *gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris; dedit enim pro te animam ſuam. Eccli. 29. 20.* Fidejuſſor hic, eſt Chriſtus, qui pro te in cruce animam, ſeu vitam ſuam dedit: *Fidejuſſor* hic eſt Chriſtus, qui immolatione ſua, tibi apertum clauſit infernum; tibique clauſum Paradiſum aperuit, ita ut jam tibi facile ſit inferni ſupplicia devitare, & Paradiſi gaudia obtinere. *Fidejuſſor* hic, eſt Chriſtus, qui pro tui ſalute in cruce paſſus, & in cruce mortuus eſt; quare *gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris*: ſed pro tanto beneficio, ei gratias agere non deſinas.

Perpende ſerio, *quod* non vilis pecuniæ pretio, ſed ſanguine ſuo, ſuppliciis multis, & dira morte redemit te Chriſtus: *quod* hæc ſupplicia, illamque mortem tanta caritate pertulit, ut alia plurima & acerbiora libenter paſſus eſſet, ſi hoc pro tui ſalute neceſſe fuiſſet; *quod* tandem ex mera bonitate ſua, abſque ulla ſpe retributionis ex parte tua, & ſine ullis tuis præcedentibus meritis, tot ſupplicia, & tam acerbam mortem paſſus ſit. Hæc ſerio recogita, & nil non ſuſpicias, ut debitas tanto benefactori grates rependas. Sed & ama, ac ardenter ama eum, qui non tantum ita te dilexit, ut ab æterno pro tui ſalute mori decreverit, verum & qui ita te amavit, ut revera pro te in cruce mortuus ſit.

Ita dilexerat te Chriſtus, ut de Cælo in terram deſcenderit propter te, ita etiam te amaverat, ut qui erat Deus inviſibilis in ſinu Patris, homo viſibilis in ventre fœmineo factus fuerit. Sed nondum conſummata erat Chriſti in te dilectio: nihil enim tibi profuiſſet, quod Homo factus eſſet, ſi pro te paſſus & mortuus non fuiſſet, quare ut majora adhuc amoris ſui teſtimonia tibi daret, pro te pati, & mori voluit: *In tantum dilexit eos, ut moreretur pro eis. S. Auguſt. tract. 55. in Joann.* O amorem omni alio amore majorem! Ecquis non amet eum, qui ita omnes amavit homines, ut pro iis omnibus mori dignatus ſit! Quis ita ingratus, ut tanto ama-

tori.

Digitized by Google

tori amorem ſuum deneget? Quis amore reciproco non langueat, totuſque in Chriſtum amore non ſuccendatur? Sed quis tantum amatorem offendere audeat? Heu! offendere eum, qui pro nobis mortuus eſt, o quantam ingratitudinem! Peccare in eum, qui pro nobis libentiſſime ſanguinem fundere, & mori voluit, o qualem immanitatem! o quantam perfidiam! Sed o quam multi ingrati, & perfidi ſunt in hoc mundo? Quam multi peccant in eum, qui pro iis mori dignatus eſt? Deſine, o peccator, inique agere. Ne amplius pecces in Deum tuum, Creatorem tuum, & Redemptorem tuum: qui tanto te amore proſecutus eſt, ut pro te, & pro omnium hominum ſalute in cruce mortuus ſit. Sed ſi Chriſti mors oblata ſit in cruce pro omnibus hominibus, ſine ulla exceptione; *utilis eſt etiam in tempore omnibus hominibus, ſine ulla limitatione.*

## T E R T I A  P A R S.

*Mors Chriſti eſt utilis omnibus, ſine ulla limitatione.*

INnumera ſunt emolumenta, quæ ex Chriſti morte eliciunt viri pii, qui eam ſerio & ſæpe meditantur. *Nunc* enim in cordibus eorum accenditur caritatis ignis, cum attente conſiderant, quanto cum amoris exceſſu Chriſtus pro omnium ſalute flagellari, conſpui, crui affigi, & immolari voluerit. *Nunc* ſpes illorum firmatur, & roboratur: quid enim ſperare non poſſunt ab eo, qui pro iis libenter, & gratuito vitam tradidit? Nonne merito ſperare debent, quod minora non denegabit, qui vitam ſuam, qua nihil pretioſius eſt, pro iis libenti animo dedit? *Nunc* hujuſmodi viri ad patientiæ amorem inflammantur, paſſionis enim Chriſti meditatio eſt ſtimulus excitans ad imitandum Chriſti exemplum, & ad ſequenda ejus veſtigia, nec poteſt quis conſiderare dira ſupplicia, & acerbam mortem, quam pro omnibus hominibus perpeſſus eſt Chriſtus, quin ad cum Chriſto, & pro Chriſto patiendum moveatur. Chriſtus tandem in cruce moriens, eſt Liber apertus, in quo humilitatem, paupertatem, manſuetudinem, mortificationem, aliaſque omnes virtutes diſcunt qui illum legunt, & qui Chriſti mortem ſedulo meditantur.

Has & alias multas ex Chriſti morte eliciunt utilitates, qui ejus meditationi ſe dedunt. Sed & hi, & omnes penitus homines, alia plurima ex Chriſti Salvatoris paſſione percipiunt emolumenta, ex quibus duo ſolummodo recenſebo. *Primum*, quod virtute paſſionis & mortis Chriſti omnibus omnino hominibus datur gratia ad ſalutem ſufficiens. *Secundum*, quod ab ejuſdem Chriſti morte habent omnes homines, quod ſalvari poſſint, ita ut qui jam damnantur, non Chriſti, ſed ſua culpa damnentur.

1. Nullus equidem eſt, ſive Græcus ille ſit, ſive Barbarus, ſive fidelis, ſive infidelis, cui non detur gratia, & auxilium ad ſalutem ſufficiens: gratia hæc in omnes diffunditur, & ut loquitur S. Chryſoſtomus, *gratia in omnes diffuſa eſt; non Judæum, non Græcum, non Barbarum excipit, aut dedignatur: omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Chryſoſt. hom. 7. in Joann.* Et revera, *ſi non daretur omnibus gratia*; qui gratiam non haberent, non peccarent, cum Dei præcepta violarent, quia ſine Dei gratia ſalvari non poſſunt. *Si non daretur omnibus gratia*; ſalvari nequirent qui gratia carerent, quia ſine gratia impoſſibile eſt aliquem ſervari. *Si non daretur omnibus gratia*; Dei mandata aliquibus eſſent impoſſibilia; iis ſcilicet, qui non haberent gratiam, ſine gratia enim Dei mandata ſervari non poſſunt. Dei autem mandata non poſſunt eſſe aliquibus impoſſibilia: quia, ut ait Concilium Tridentinum, *Deus impoſſibilia non jubet. Rom. 7.*

His & aliis rationibus, quæ adduci poſſent, certiſſime conſtat, gratiam & auxilia ad ſalutem ſufficientia omnibus dari. Sed a quo habent homines hanc gratiam? Nonne a Chriſti morte? Nonne Chriſtus hanc nobis meruit gratiam, pretioſiſſimi Sanguinis effuſione, & dira morte, quam pro omnium ſalute obiit? Si in cruce mortuus non fuiſſet Chriſtus, omnipotenti ejus gratia privati fuiſſemus, & quia pro omnibus mortuus eſt, hæc gratia omnibus datur: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Quare omnibus omnino hominibus utiliſſima eſt Chriſti mors, cum ejus virtute omnes, nullo excepto, gratias ad ſalutem ſufficientes recipiant. Sed Chriſti mors eſt etiam omnibus omnino utiliſſima, *quia ab ea habent omnes, quod ſalvari poſſint.*

2. Si Chriſtus pro noſtra ſalute mortuus non fuiſſet, ſalvari non potuiſſemus, januæ enim Cæli omnibus ſemper clauſæ fuiſſent, nec ullus unquam in Cælum intrare valuiſſet. Sed crux Chriſti fuit quaſi clavis, qua reſeratæ ſunt Paradiſi fores, ita ut, Chriſto jam pro nobis mortuo, nullus ſit, qui quæ ſalutis ſunt, facere, & vitam æternam obtinere non poſſit. Unde ſi quis nunc non ſalvetur, ſua culpa non ſalvatur, quia ſcilicet, mediis a Chriſto datis uti non vult, *qui non ſalvantur, non eſt quod de Deo, vel de Mediatore poſſint conqueri; ſed de ſeipſis qui nec redemptionem, nec ſalutem, quam Deus obtulit, voluerunt accipere. D. Anſel. in hæc D. Pauli verba. Deus vult omnes ſalvos fieri.*

Deus alia aſſumere potuiſſet media ad ſalvandos homines, ſed nullum ſapientiæ ejus viſum eſt convenientius, quam Chriſti mors, & ideo Chriſtum pro omnibus moriturum decrevit. Hoc eſt medium ſalutis, quod nobis dedit: quare ſi Chriſtus mortuus pro nobis non fuiſset, nullus ſalvatus fuiſset. Jam autem omnes, virtute mortis Chriſti ſalvari poſsunt, quia mors illa, quæ infiniti fuit meriti, in omnes omnino homines influit, ad omnes ſe extendit, & ejus virtute, omnibus media ad ſalutem neceſsaria conferuntur. Unde præclare dixit Doctor Angelicus, quod Chriſti paſſio fuit *cauſſa univerſalis noſtræ ſalutis; D. Th. 3. p. q. 52. art. 7. ad 2.* quia ſcilicet paſſione & morte Chriſti omnibus hominibus datum eſt, quo ſalvari poſſint.

O quam magna hæc paſſionis Chriſti utilitas! Quam magnum hoc emolumentum, quod a Chriſti morte eliciunt omnes! O quam felices cuncti penitus homines: cum a Chriſti paſſione & morte habeant omnes, quod ſalvari poſſint, quo quidem nil eis utilius eſse poteſt! Sed advertant, quod non ſalvabuntur, niſi qui paſſionis & mortis Chriſti fructum ſibi applicaverint per Baptiſmum, Pœnitentiam, aliaque Sacramenta, necnon per ſuam cooperationem ad gratias, quæ virtute paſſionis Chriſti illis dantur. Cauſſa enim univerſalis nihil efficit, niſi per aliam parti-

ticu-

ticularem ad effectum applicetur: quare licet Chriſti mors ſit cauſſa univerſalis, qua dantur omnibus hominibus media ad ſalutem neceſſaria; non tamen ſalvabuntur, niſi qui, ut cauſſæ particulares, fructum paſſionum, & mortis Chriſti ſibi applicabunt. Quod præclare docet Doctor Angelicus, dicens: *Meritum paſſionis Chriſti ſufficienter operatur, ut quædam cauſſa univerſalis ſalutis humanæ. Sed oportet hanc cauſſam applicari ſingulis per Sacramenta, & per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur. S. Th. q. 2. de verit. art. 7. ad 8.*

Magna quidem fecit Chriſtus pro hominum ſalute; ſed non omnia fecit. *Magna fecit: Coloſſ.* 1. quia paſſione ſua nos redemit, nobiſque dedit media ad ſalutem neceſſaria; *ſed non omnia fecit:* quia inſuper quiſque hæc media aſſumere, & illorum auxilio fretus operari debet, ut ſalvetur: vel, ut cum D. Paulo loquar, adimplere quiſque debet quæ deſunt paſſionum Chriſti.

*Adimpleo*, inquit Apoſtolus, *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti*. Si ſufficientiam ſpectes, nihil deeſt paſſioni Chriſti: ſufficiens namque eſt mille mundis redimendis & ſalvandis; ſed ſi applicationem & efficaciam attendas, applicatio ſæpe deeſt ex parte noſtra; unde fit, quod paſſio Chriſti, quæ ex ſe eſt ſufficiens, reſpectu noſtri non ſit efficax. Illud autem quod paſſioni Chriſti deeſſe ſciebat D. Paulus, ſeu applicationem ejus, adimplebat. Adimpleamus nos quoque quæ deſunt paſſioni Chriſti: applicemus nobiſmetipſis Chriſti paſſionem per frequentem Sacramentorum receptionem, & per fidei, obedientiæ, caritatis, aliarumque virtutum opera, quæ ex illius paſſione, & ex morte ejus pretium habeant, & meritum.

Potuiſſet Chriſtus, ſi voluiſset, ita morte ſua nos redimere, ut ad ſalutem obtinendam nihil ex parte noſtra faciendum remaneret: ſed hoc modo nos redimere ei non placuit: voluit enim, ut ex parte noſtra aliquid agendum ſupereſset: voluit, ut paſſionem ſuam quiſque ſibi applicaret Sacramentorum perceptione, & virtutum exercitio. Adimplete ergo quæ deſunt paſſionum Chriſti: applicate vobis Chriſti merita per frequentem Sacramentorum receptionem, & per pia opera: Si enim fructum paſſionis Chriſti vobis non applicaveritis, ad ſalutem nullo modo vobis prodierit.

Familiari iſta ſimilitudine utitur egregius quidam Prædicator, ut hæc explicet: (Sit, inquit, ſtagnum, aquarum multitudine plenum, ſufficiens ad irrigandum totam quæ circumcirca eſt, terram: ſi foramen ex quo aqua exire queat non fiat, arida profecto, & infœcunda ipſa humus tibi manebit; non propter aquarum penuriam, ſatis enim erat in ſtagno: ſed quia illam tibi utilem & fructuoſam, aditus per quos exiret ad irrigandum terram patefaciendo, facere noluiſti. Ita paſſio, & mors ſacratiſſima Chriſti Redemptoris noſtri, ſtagnum quidem aquarum infiniti valoris extitit: ſi vero eam tibi non applicas, viamque per quam ipſa aqua in animam tuam profluat, non aperis, arida, infructifera, & infertilis remanebit non quidem ob defectum meritorum Chriſti; ſed ob tuam negligentiam & malitiam. Suſpiria autem, lacrymæ, labores patienter tolerari, uſus divinorum Sacramentorum, ac denique cetera pia opera ſunt foramina, per quæ divina hæc aqua in hominum corda dilabitur: & quanto ampliores ſunt illi aditus, tanto major in hominum corda fluit aquarum copia. *Domin. 2. poſt Paſch. conc. 1. in fine.*) Quare hos aditus aperi: fac ut ad te veniant uberes gratiarum fontes, quas paſſione ſua omnibus meruit Chriſtus: applica tibi fructum paſſionum ejus per frequentem & piam Sacramentorum receptionem, per bona opera, & per multos virtutum actus. Hoc ſi facias, nil, reſpectu tui, deerit paſſioni Chriſti; ejuſque virtute æternam beatitudinem obtinebis. *Amen.*

## DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

# DE OBSEQUIO SOLI DEO PRÆSTANDO.

*Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Matth. 4.

TAnta Dei Majeſtas, celſitudo tanta, tantaque ejus in omnes homines bonitas, ut mirum ſit, inveniri unum aliquem qui ei ſervire, ejuſque obſequio ſe mancipare renuat.

O homo, dic, quæſo, quid habes, quod a Deo non acceperis? Sed *dic mihi, quid deſiderare potes, quod non plene inveniatur in Deo? Si te delectat ſapientia; ſapientiſſimus eſt: ſi pulchritudo; ſpecioſiſſimus eſt: ſi gloria: ſi divitiæ; gloria & divitiæ in domo ejus: ſi voluptas, & delectatio; delectationes in dextra ejus uſque in finem. Si ſaturitas, & abundantia; inebriabuntur ab ubertate ejus, qui poſſident eum. S. Thom. a Villan. de Transfig.* Quis ergo non ſerviat Deo qui tantus, tamque erga homines beneficus eſt? Ei quidem ſervire, eique omnes obſequi debent. Sed heu! obſequio ejus ſe multi ſubtrahunt, ut peccato, & dæmoni ſerviant: Clamant Concionatores, clamant Confeſſarii, dicentes, non dæmoni, ſed Deo ſoli ſerviendum; & tamen innumeri, derelicto Deo, ad peccati & dæmonis partes declinant.

Audio Chriſtum, dæmoni hodie dicentem; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Quod Chriſtus dæmoni, hoc ego omnibus hominibus dico: totaque hac concione hoc unum dicam, quod non dæmoni, ſed Deo ſoli ſerviendum, &c. *Ave.*

DUo ſunt Domini, qui expanſis vexillis, omnes homines ad ſui obſequium allicere ſatagunt. Deus ſcilicet & dæmon. *Deus*, cui omne obſequium, omniſque debetur honor & gloria: *Dæmon*, qui omni ſupplicio omnique exerratione dignus eſt.

In Dei vexillo depicta eſt crux, quam Deus offert omnibus ut medium ad ſalutem neceſſarium: in dæmonis vero vexillo delineatæ ſunt carnis deliciæ, & mundi divitiæ, ut quid ſumme optabile. Quare cum dura diſpliceant, blanda placeant, ad crucem pauci, & ad delicias multi advolant, pluteſque dæmoni, quam Deo, ſuum dant nomen. Sed ſi probe ſcirent homines, quis ſit Deus, & quis ſit dæmon; abjecto peſſimo dæmone, totos ſe Dei obſequio haud dubie manciparent & conſecrarent.

Quis, quæſo, diviti, potenti, & fideli potius, quam pauperi, debili, & fallaci domino ſervire non malit? Nullus ſane ita ſtolidus, ita ſtultus nemo,

quia

qui a pauperis, debilis, & infidelis domini partibus non declinet, ut ditiſſimi, potentiſſimi, & fideliſſimi domini obſequio ſe ſubdat. Quare, ablegato dæmone, omnes Deo ſervire ambient, ſi ſerio perpendant, quod dæmon eſt pauper, debilis, & fallax; 1. *Dæmon eſt pauper*, & Deus ditiſſimus: *Dæmon eſt debilis*; & Deus potentiſſimus: 4 *Dæmon eſt fallax*, & Deus fideliſſimus. En tres rationes, quibus ad ſoli Deo ſerviendum quiſque excitari debet: *Dominum Deum tuum adorabis: & illi ſoli ſervies.*

## PRIMA PARS.

*Dæmon eſt pauper, & Deus ditiſſimus.*

1. DEus ab initio dæmonem pretioſiſſimis gratiæ, & ſpiritualium bonorum theſauris ditaverat, eique cæleſtium omnium bonorum gazas aperire paratus erat. Sed infelix, & rebellis ille ſpiritus ita prodigus fuit, ut in momento, ſuam omnem diſſipaverit ſubſtantiam, inæſtimabilia gratiæ dona perdiderit, ac ita pauper evaſerit ut nec vel minimæ cujuſque rei poſſeſſor remanſerit.

Verum eſt, quod vocetur *princeps hujus mundi*: *Joann.* 12. quia impiis, omnibuſque peccati & mundi amatoribus dominatur, eoſque inique regit; Sed non eſt hujus mundi princeps: ita ut mundo huic viſibili præſit, omniumque mundi facultatum ſit dominus: cum ita pauper ſit & miſer, ut nec minimæ cujuſque rei ſit poſſeſſor & dominus: *Nihil maligni ſpiritus in hoc mundo proprium poſſident. S. Gregor. hom. 3. in Evang.*

In hodierno Evangelio pauperem ſe prodit diabolus; dum non cibos exquiſitos, immo nec panes Chriſto, ſed lapides tantum offert: quos ſi comedere velit, in panes convertat: *Dic, ut lapides iſti panes fiant. Matth.* 43. Et cur aſtutus dæmon, ut Chriſtum ad gulæ peccatum alliciat, duros ſolummodo offert lapides? Cur perdices, phaſianos, vel alia pretioſa & palato ſuavia non objicit cibaria; quorum odore, vel aſpectu ſolo Chriſtum illaqueare pertentet? Cur non magnificum parat convivium; quo, ut incentivo, ad gulæ indulgendum eum alliciat? Hoc feciſſet haud dubie, ſi potuiſſet! ſed tanta erat ejus paupertas, ut nec fruſtum panis dare poſſet. Et ideo lapides ſolummodo obtulit. *Quia non invenit cibum, quem offerret eſurienti, poſtulat in cibum ſaxa mutari. Undique excluſus, undique fraudatus, ad pavimenta ſe confert. S. Amb. ſer. 3. de jejun.* O quam magna dæmonis paupertas! Quid cum tibi daturum ſperas, cum Chriſto lapides ſolummodo offerat?

Divitem, omniumque regnorum mundi dominum ſe dicit ſatanas; cum regna omnia Chriſto offerat, modo ipſum adoret: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Matth.* 4. 9. Immo ut ait S. Lucas Evangeliſta, poſtquam dæmon Chriſto omnia mundi regna oſtendit, dixit ei: *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa. Luc.* 4. 6. Habetne omnia mundi regna diabolus, ut illa det? Non: ut enim ait S. Maximus; *dæmon Chriſto offert, quod non habet. S. Maxim.* 4. Poteſtne dæmon dare Chriſto regna mundi, quæ ei pollicetur? Non, ait enim Chryſologus, *hæc dicit, non quod poſſit dare, ſed quia vult fallere. Chryſol. ſerm.* 13. Omnia offert, omnia pollicetur, ut decipiat; ſed nec minimum quid dat, nec dare poteſt. Chriſto offert omnia mundi regna, modo cadens adoret illum: avaro montes aureos promittit, modo aliena inique rapiat: ſuperbo dignitates pollicetur eminentiores, modo peccatis animam ſuam inquinet: omnibus promittit quæcumque deſiderare poſſunt. Aſt magna eſt differentia inter promittere, & dare: promittit enim omnibus omnia, offert omnibus omnia, quia fallax eſt; ſed nil ulli dat, nec dare poteſt; quia ita pauper eſt, ut nullius rei ſit dominus.

Sibi ſuadent nonnulli, dæmones perditarum rerum, necnon theſaurorum ſub terra reconditorum, eſſe dominos; ſed errant qui ita ſentiunt. Si enim dæmones theſaurorum eſſent domini, auro & argento omnes fere homines obſequio ſuo manciparent: quia homines ita temporalium bonorum ſunt cupidi, ut ſi eos dæmon ditare poſſet, omnes fere ad illum advolarent. Quare Deus non ſolum ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus dæmones bonis ſpoliatos eſſe voluit; *Expolians principatus, & poteſtates. Coloſſ.* 1. 15. Illoſque ita hujuſmodi bonis ſpoliavit, ut nec minimum quid in hoc mundo poſſideant: *Nihil maligni ſpiritus in hoc mundo proprium poſſident.*

2. O quam miſer, & pauper eſt dæmon, qui promittere quidem omnia poteſt, ſed nihil dare poteſt! Deus autem ditiſſimus eſt: cum cæli, terræ, mundi totius, & omnium quæ in mundo ſunt, ſit Dominus: nec ulla ſit creatura, quæ ejus dominio non ſubdatur: *Domini eſt terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo. Pſ.* 23. 1.

Bovum, taurorum, & aliorum quorumdam animalium ſacrificia Deo offerre ſoliti erant Judæi, in teſtimonium ſupremi ejus dominii in omnes creaturas. Sed in his ſacrificiis nil Deo offerebant, nilque ei offerre poterant, quod ejus non eſſet: quia non ſolum boves, oves, & omnia animalia ad eum attinent; ſed & omnia creata, quorum ſupremus eſt Dominus. Ut enim ipſe loquitur: *Meæ ſunt omnes feræ ſilvarum, jumenta in montibus & boves. Meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Pſ.* 49. 10.

Credidit Philo Judæus, nullum Imperatorem, nullum Regem, nullumque hominem eſſe ullius rei dominum; Deumque uſum ſolummodo rerum hominibus conceſſiſſe, ſibi vero omnium dominium reſervaſſe: *Deus ſibi omnium vindicavit dominium, uſum vero diſtribuit ſuis ſubditis. Philo. de Cherub.* Ejuſdem ſententiæ fuiſſe videtur Chryſoſtomus, dicens: *Omnes uſum habemus, dominium autem nemo. Chryſ. hom. 2. ad pop.* Dici tamen poteſt cum omnibus fere aliis Doctoribus, homines, ſimul cum Deo, eſſe rerum dominos. Verum eſt, hominum in res ſuas dominium eſſe dependens, ſubordinatum, & tranſitorium: quia rerum ſunt domini dependenter a Deo, & ad breviſſimum tempus, quo in hoc mundo vivunt. Sed Dei in omnes creaturas dominium eſt ſupremum, independens, & æternum: earum omnium eſt, & ſemper erit Dominus: nec eſt aliqua creatura, quæ ejus dominio non ſubſit: ejus ſunt, & ſemper erunt, cælum, terra, & omnia mundi bona: *Tua ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* 1. *Paral.* 29. 14.

Præclare dixit D. Auguſtinus, Deum non eſſe divitem pecunia, ſed omnipotentia: *Deus dives eſt, non pecunia, ſed omnipotentia.* Quomodo, & in quo ſen-

ſenſu dici poteſt, Deum non eſſe divitem *pecunia*? Nonne ipſius æque ſunt pecuniæ, ac alia omnia? Nonne ipſius eſt omne aurum, & argentum? Nonne dicit ipſe: *Meum eſt argentum, & meum eſt aurum? Aggæi 2. 9.* Si autem Dei eſt omne aurum, & argentum; cur dixit Auguſtinus, Deum non eſſe divitem pecunia? Hoc dixit, ut doceat, non credendum, quod Deus inſtar divitum ſæculi, arcas auro, & argento referras habeat. Cum enim dicimus, Deum eſſe ditiſſimum, non intelligendum, magnam pecuniarum copiam, & congeriem cum aliquo in loco feciſſe. Non quidem ſic dives Deus; ſed alio modo dives eſt, & actu, & omnipotentia. *Dives eſt actu*: quia aurum, argentum, & omnia creata ad illum actu pertinent. *Dives eſt omnipotentia*; tum quia montes aureos, & mille mundos, omni divitiarum genere plenos, facere poteſt; tum quia homines ditare valet, quantum placuerit: tum quia eis temporalia, ſpiritualia, & æterna bona conferre poteſt, prout libuerit; tum quia poteſtatem habet tribuendi eis hujus mundi, & Cæli regna, cum voluerit; nec alius quiſquam hanc habet poteſtatem: *Non tribuamus dandi Regni atque Imperii poteſtatem, niſi Deo vero, qui dat felicitatem in regno Cælorum ſolis piis: regnum vero terrenum, & piis, & impiis, ſicut ei placet. Aug. l. 5. de Civ. c. 21.*

O quam dives eſt Dominus, qui omnia habet, omnia poſſidet, & omnia dare poteſt! Ecquis, abjecto dæmonis obſequio, non ſe totum Domino conſecrabit? O homo inſenſate, nonne abrenuntiare debes dæmoni, qui pauper eſt, qui nihil habet, & qui nihil dare poteſt? Nonne, inquam, ei abrenuntiare debes, ut te pietati, virtutum exercitio, & Dei obſequio totaliter dedas? Certe, ſi ſapias, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

In Baptiſmate abrenuntiaſti ſatanæ, & tamen, o miſer, derelicto Deo tuo, ablegato Creatore, & Redemptore tuo, tamquam dæmoni adhæſiſti, quamdiu in ſtatu mortalis peccati permanſiſti. Sed nunc tuam deteſtare miſeriam, infelicitatem tuam deplora, & abrenuntia dæmoni, ut Deo fideliter ſervias. Ac ſemper in ore tuo hæc verſentur verba: *Abrenuntio tibi ſatana, & conjungor tibi Chriſte. Chryſoſt. hom. 21. ad Popul.*

Dic, quæſo, o peccator, quam utilitatem, quod emolumentum a dæmone percepiſti eo tempore, quo illi obſecutus es, & quo in ſtatu lethalis peccati perſeveraſti: *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Roman. 6. 22.* Accepiſtine ab illo magna præmia, divitias in æternum permanſuras, vel aliquid pretio æſtimabile? Nequaquam: quia hic ita pauper eſt, ut nihil habeat, nihilque dare valeat. Quare cum dæmon ſit pauperrimus, Deus vero ſit ita dives, ut omnia habeat, omnia poſſideat, omnia dare valeat; & æterna bona tibi dare diſponat, modo ei fideliter ſervieris, abrenuntia ſatanæ, ut Deo ſedulo, ferventer & fideliter ſervias. Dic, ſæpe dic, & ex corde ſincero dic: *Abrenuntio tibi ſatana, & conjungor tibi Chriſte.* At ſi non dæmoni, ſed Deo ſerviendum, quia dæmon pauperrimus eſt, & Deus ditiſſimus; Deo etiam ſerviendum: *quia dæmon debilis eſt, Deus autem potentiſſimus.*

## SECUNDA PARS.

*Dæmon eſt debilis, & Deus potentiſſimus.*

SI ligatam a Deo poteſtatem non haberet dæmon, omnia quæ in mundo ſunt, vaſtaret, & everteret; omneſque juſtos, immo & *omne genus mortalium a facie terræ deleret. S. Baſil. hom. 13*: Sed ita ligata ejus eſt poteſtas, ut jam infirmus, debilis, & impotentiſſimus videatur.

Prodit ſe debilem, & impotentem in hodierno Evangelio, in quo dicitur, quod Chriſtum quidem ſupra Templi pinnaculum ſtatuere potuit, quia hoc ipſe ei permiſit: cum tamen dejicere non potuit. Dixit Chriſto; *mitte te deorſum*; ſed illum deorſum mittere, & præcipitare non potuit. *Non impulit, non tetigit, non appropinquavit; ſed tantum dixit; Mitte te deorſum. Nam diabolus ad malum hortari poteſt, cogere non poteſt. Chryſoſt. hom. 5. oper. imperf.*

Ante Chriſti adventum audaciores, & ferociores erant dæmones: ſed ita eorum poteſtatem debilitavit, & ligavit Salvator, ut jam blandiri, ſuadere, tamquam leones circuire & rugire poſſint; ſed ſi eis reſiſtatur, nullam habent poteſtatem in homines. Unde ſimiles videntur dæmones priſcis Gallis quorum indolem deſcribens Plinius, ait, eos in primo conflictu audaciſſimos, temerarios, formidandos, & plus quam viros fuiſſe; ſed cum primus eorum impetus retardabatur, primuſque ardor reſtinguebatur, deinde debiles, effeminati, & minus quam viri fiebant: *Priora eorum prælia plus quam virorum, poſtrema minus fœminarum. Tit. Liv. l.* 10. Idem dici poteſt de dæmonibus, qui in primis illis certaminibus, quæ ante Chriſti adventum inibant, feroces, audaces nimis, & hominibus erant terribiles. Sed a Chriſti adventu, ita debilis, infirmus, & effeminatus factus eſt dæmon; ut ſi ei reſiſtatur, mox vertatur in fugam: *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis. Jacob 4. 7.*

Adnotarunt rerum naturalium Scriptores inter innumeros piſces, qui in mari ſunt, unum aliquem reperiri, qui *enſis marinus* dicitur: *Rondel. l. 2. piſc.* eo quod os longum, inſtar enſis acutum, fronte gerat. Piſcis ille, qui ſemper enſe ſuo armatus incedit, ſpectantibus terribilis & formidandus videtur, ſed revera ita ignavus, & debilis eſt, ut minimi quique alii piſces illi illudant. Huic autem piſci aliquo modo ſimilis eſt dæmon, formidandus enim cuique videtur; ipſum ejus nomen terrorem incutit; at a Chriſti adventu, ita debilis eſt, ut quiſque ei illudere queat, *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. Pſ. 103. 26.*

Diriſſima olim Romanos inter & Carthaginenſes inita ſunt prælia, quibus rebellem Carthaginem Romani debellare quidem poterant; ſed dominio ſuo perfecte ſubdere nequibant. Quare ſtatuere tandem Romani, rebellem & formidandam hanc ſolo æquare Carthaginem, novamque ædificare, quæ Carthago vocaretur; ſed quæ Carthago eſſet nomine ſolum, & non generoſitate, ac fortitudine. *Supereſſe Carthaginem, ſed non formidabilem. Rodig. l. 14. c. 34.* Sic dæmon, ante Chriſti adventum terribilis, & formidandus erat hoſtis, qui Dei amicos terrebat, & facile vincebat, tunc erat leo, qui non ſolum rugiebat,

bat, ſed & facile debellabat, & devorabat. At a Chriſti adventu, dæmon eſt quidem ſemper leo; ſed non amplius eſt leo formidandus; nec eſt, quod eum jam timeamus. Illi enim, inquit S. Baſilius, illudere poſſumus, ſicut leonis pelli illuderemus: *Non amplius velut leonem timemus, ſed velut pellem conculcamus. S. Baſil. epiſt. ult.*

Et revera, cur dæmonem timeamus? Cur hunc pertimeſcamus hoſtem; qui ita debilis eſt, ut in rebus ſalutis, nec in minimo nobis nocere poſſit, niſi eum nobis nocere velimus? Non timendus hic animæ & ſalutis noſtræ inimicus; non timendus ille canis; qui ut ait Auguſtinus, *latrare poteſt; ſed mordere non poteſt, niſi volentem.*

Non imaginandum, datam dæmoni poteſtatem aliquam ſupra hominis voluntatem: ita ut hominem ad malum compellere & neceſſitare poſſit. Latrare enim poteſt, ſuadere poteſt, inſpirare poteſt: ſed cogere & neceſſitare non poteſt, quia *liberi arbitrii nos fecit Deus: & nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſario trahimur. Hieron. l. 2. contra Jovin.* Vis ſcire, inquit S. Chryſoſtomus, quam in homines poteſtatem dæmon habeat? *Præter latratum nihil habet: Chryſoſt. de Sacerd. l. 6.* ſeu nihil poteſt, niſi latrare, ſuadere virtutis fugam, & vitii amorem inſpirare. Sed ſi nolimus, & ſi ei reſiſtamus; non poteſt nos a virtutis amore revocare, & ad vitii affectum compellere. *Diabolus poteſt ad malum invitare, non poteſt trahere. Aug. ſerm. 7. de temp.*

Adverſarius noſter diabolus, *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. 1. Petr. 4.* circuit quidem ut devoret; ſed nec ferit, nec devorat, niſi volentem. Rugire ille poteſt, & quærere quem devoret; ſed devorare non poteſt, niſi in fauces ejus ſe libens quiſpiam intrudat: *Rugire dæmon poteſt, ferire non poteſt. S. Bern. ſer. in Pſ. qui habitat.* Rugiat, quantum voluerit, nihil in nos poteſt, niſi nos velimus: tanta ejus reſpectu noſtri eſt debilitas, ut nec ad minimum peccatum veniale nos inclinare poſſit, niſi velimus. Quam enim poteſtatem in nos habere poteſt dæmon, qui nec in porcos poteſtatem habet? Nec enim in illos intrare potuit, ſine accepta a Chriſto ad hoc licentia. *In homines nihil licet, quibus in porcos juſſum eſt, ut liceret. Chryſolog. ſerm. 16.* Nihil in nos poteſt dæmon, & reſpectu noſtri debiliſſimus eſt. Sed contra, Deus potentiſſimus eſt.

2. Quid enim non poteſt Deus, qui omnia poteſt? Non hoc ſolum, aut illud, ſed omnia quæ poſſibilia ſunt, poteſt (excepto peccato) quod facere non poteſt, quia peccare, non poteſtatis eſt, ſed infirmitatis. Si eliciendus ſit mundus ex nihilo, & homo ex luto; hoc poteſt Deus. Si vertenda ſint, aqua in ſanguinem, virga in ſerpentem, mulier in ſtatuam ſalis, aqua in vinum; & panis in Chriſti corpus, hoc facere poteſt. Si faciendi eſſent mille mundi, iſto ampliores & pulchriores, hoc facere poſſet Deus: quia per omnipotentiam ſuam ſine ullo labore, ſine ulla difficultate, & ſine ulla reſiſtentia facere poteſt, quidquid poſſibile eſt.

Sicut in mundi creatione, cum dicebat Deus ut fierent Cælum, & terra; mox Cælum & terra fiebant: cum dicebat ut fierent ſol, luna, ſidera, & omnes creaturæ, ſtatim illa facta erant: *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Ita tanta ejus eſt potentia, ut ſi jam diceret, fiant mille mundi, iſto noſtro mundo pulchriores, ditiores, ornatiores, & majores; ſtatim hi omnes mundi facti eſſent, quia unico voluntatis ſuæ actu, omnia quæ voluerit, facere poteſt.

O magnam Dei potentiam! Sed quid non poteſt, reſpectu noſtri? Nonne poteſt nos ſalvare, vel damnare? Immenſa quidem Paradiſi præmia omnibus proponit; omnes ſalvari vult, omnibuſque dat media ad ſalutem neceſſaria, quibus ſi bene utantur, ſalvabuntur; ſed ſi iis abutantur, eos ad æterna tartari ſupplicia condemnare poteſt: *Poteſt, & animam, & corpus perdere in gehennam. Matth. 10. 28.*

O homo, quid times a dæmone, qui ita debilis & impotens eſt, ut nullam in te habeat poteſtatem? Quid metuis a tam infirmo domino, qui hanc ſolam in te habet poteſtatem, quam tu illi das? Ne timeas dæmonem, nec ejus te obſequio mancipes; ſed time Deum, qui omnia poteſt, time Deum, eique fideliter obſequere: quia niſi ei fideliter ſervieris, æternis te ignibus adjudicabit.

Deus ſumme bonus eſt, infinita ejus eſt bonitas; ſervis ſuis infinitam in Cælo præparat mercedem, & regnum æternum; omneſque qui ei ſedulo & fideliter ſervierint in hoc mundo, audient Chriſtum, in die judicii dicentem: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Sed eos, qui ei non fideliter ſervierint, mittere poteſt, & mittet in infernum, æternum cruciandos, quare in perpetuum ſervum te totaliter Deo dedica. Ne ſervias mundo, peccato, dæmoni; ſed Deo tuo, & Domino tuo: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Ne ſervias dæmoni, qui ita debilis eſt, ut nullam adverſus te habeat poteſtatem; ſed Deo obſequere, qui omnia poteſt, & qui in æternam tartari gehennam te mittere valet. At ſi non dæmoni, ſed Deo ſerviendum, quia dæmon eſt debilis, & Deus potentiſſimus; Deo etiam, & non dæmoni ſerviendum, *quia dæmon fallax eſt, & Deus fideliſſimus.*

## TERTIA PARS.

*Dæmon eſt mendax, & Deus fideliſſimus.*

MEndax, fallax, & infidelis eſt ſatanas, qui plurima bona promittere ſolet; non ut det, ſed ut decipiat. A mundi primordio mendax fuit, cum in Paradiſo terreſtri primos Parentes mendaciis ſuis fefellit; promiſit enim eis immortalitatem: *Nequaquam moriemini*; pollicitus eſt eis etiam divinitatem: *eritis ſicut dii*, ac tandem promiſit eis ſcientiam boni, & mali: *ſcientes bonum & malum.* Sed rei eventus illum mendaciſſimum, & fallaciſſimum eſſe demonſtravit: non enim ad immortalitatem, ad divinitatem, & ad eminentem ſcientiam evecti ſunt; ſed poſtquam, nimium creduli, falſis dæmonis ſuaſionibus adhærentes, de ligno vetito comederunt: non immortales, ſed morti obnoxii, non dii, ſed jumentis inſipientibus ſimiles: non doctiores, ſed ignari facti ſunt.

O quam mendax, & fallax fuit dæmon, reſpectu primorum Parentum! Sed & eum fallaciſſimum eſſe, in hodierno patet Evangelio, in quo ut refert S. Lucas, aſſerit dæmon, omnia mundi regna ſua eſſe, & de iis ad arbitrium poſſe diſponere: *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum: quia mihi*



Digitized by Google

*tradita ſunt, & cui volo, do illa. Luc. 4. 6.* Mentitur, inquit S. Irenæus, in eo, quod aſſerit, ſibi tradita eſſe omnia regna cum poteſtate gubernandi, & donandi ea ad libitum: diabolus enim nihil in mundo habet, quod ſuum appellare poſſit; ac per conſequens, nec aliquid dare poteſt. *S. Iren. lib. 5. contra Hæreſ.* Mentitur ſecundo dæmon, cum ait, ſe dare gloriam regnorum; divitias ſcilicet, & honores; nam, ut ait S. Cyprianus, ad illum talia non pertinent, nec hujuſmodi dare valet: *Tu, impie, ac mendax, quid habes, quod dare poſſis? S. Cyprian. tract. de jejun. & tentat. Chriſti.* Mentitur tandem, inquit S. Chryſoſtomus: *quia nullatenus intendebat dare quod promittebat: Chryſoſt. homil. 5. oper. imperf.* ſi enim uni omnia mundi regna dediſſet, nil illi aliis dandum ſuperfuiſſet: quis autem credat, quod pro uno lucrando, omnes alios ſervos amittere vellet?

Hoc non eſt credibile; ſed certum eſt, quod mendaciis ſuis Chriſtum decipere voluerit: ſicut & certiſſimum eſt, quod fallaciis, & fallacibus promiſſis homines quotidie decipiat. Chriſtum, cujus ſapientia erat infinita, decipere non potuit, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*; ſed multos homines quotidie decipit, dicens cuique: *Hæc omnia tibi dabo.* Avaris promittit pinguem fortunam, magnam bonorum temporalium copiam, & divitias quibus diu gaudebunt; modo fraudibus, uſuris, & aliis viis iniquis, aliena rapere ſtudeant: iiſque dicit: *Hæc omnia vobis dabo.* Superbis pollicetur altiores mundi dignitates, honores & gloriam ſæculi, modo latam, & ſpatioſam perditionis ſequantur viam; illiſque dicit: *Hæc omnia vobis dabo.* Voluptuoſis delicias offert plurimas & perennes, modo a via regia ſanctæ crucis declinare velint. Iis, & omnibus aliis, quos ad peccatum allicere intendit, plurima promittit, dicens: *Hæc omnia vobis dabo.* Sed ut ait D. Auguſtinus: *non ſolum mendax eſt, ſed etiam mendacii pater: S. Aug. de Civit. l. 14. c. 3.* quia promittit, non quod dare velit; ſed quia decipere intendit.

Aſtrologos judiciarios dire objurgat S. Auguſtinus, eoſque vocat *ſeductores*: quia fingentes, ſe ex ſiderum influxibus quæ cuique eventura ſint, cognoſcere, fallunt homines, prædicendo eis multa bona, non quod ſciant, hæc illis eventura; ſed ut illos decipiant, & aliquid ab eis extorqueant. At quanto magis mendaces, & ſeductores ſunt dæmones? Prædicunt enim, & promittunt cuique ea quæ eum optare cognoſcunt; avaro divitias, voluptuoſo delicias, & cuique ea quæ appetit, pollicentur: non ut ea illis tribuant; ſed ut illos ſeducant, & ad tartara ducant.

2. O quam mendax, & fallax eſt dæmon! Sed e contra, fideliſſimus eſt Deus, qui cum ſit ſuprema, æterna, & infallibilis Veritas, nec fallere, nec mentiri poteſt.

Infinita eſt oppoſitio Deum inter & mendacium; cum enim Deus ſit ſumma & eſſentialis Veritas, infinite opponitur mendacio; & ſicut impoſſibile eſt eum eſſe ſimul Deum, & non Deum; ita impoſſibile eſt eum eſſe Deum, & mendacem. Si enim Deus eſt, neceſſario non eſt mendax; & ſi mendax eſt, neceſſario Deus non eſt. Quare cum Deus ſit, non mendacem, ſed in promiſſis executioni mandandis eum fideliſſimum eſſe, fatendum eſt. Pollicitus eſt Deus gratiam ſanctificantem recipientibus Baptiſmum; peccatorum remiſſionem pœnitentiam agentibus; æternam gloriam perſeverantibus, & mandata cuſtodientibus: facite quæ præcipit, & dabit ille quæ promittit; quia impoſſibile eſt eum mentiri, & promiſſa non ſervare.

Non eſt imaginandum, Deum in ſermonibus ſuis eſſe nobis ſimilem, & ſicut nos mutari, ita ut jam unum dicat, & jam aliud; ita ut jam dicat: hoc eſt; & jam: hoc non eſt. Hujuſmodi mutationibus non eſt obnoxius Deus: ut enim ait D. Paulus: *fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo Eſt, & Non. 2. Corinth. 1. 18.* Deus non eſt infidelis, ita ut jam neget, quod antea affirmaverat; & ita ut promiſſis non ſtet. Sed ut præfata verba exponit Doctor Angelicus, *fidelis Deus, id eſt ſervat promiſſa ſua.* Quare cum Deus ſit fideliſſimus, & dæmon infidelis, non dæmoni, ſed Deo ſerviendum.

Deus ditiſſimus eſt, & dæmon pauper; Deus potentiſſimus eſt, & dæmon debilis: Deus fideliſſimus eſt, & dæmon mendax & infidelis: quare non dæmoni pauperi, non dæmoni debili, non dæmoni infideli; ſed Deo ſoli, qui ditiſſimus, potentiſſimus, & fideliſſimus eſt, ex toto corde ſerviendum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Hoc ſciunt omnes; nullum latet, quod ablegato ſatana, ſoli Deo ſit ſerviendum. Sed heu! quam multi, relicto Deo ſuo, dæmoni miſere obſequuntur!

Dic, quæſo, cui a juventute tua ſerviviſti? Nonne peccato? Nonne dæmoni? Pluries Confeſſarios & Concionatores audiſti, dicentes, te non poſſe ſimul ſervire Deo & avaritiæ, Deo & luxuriæ, Deo & iniquitati, Deo & dæmoni; ſed quod, iis omnibus procul pulſis, ſoli Deo eſſet adhærendum. Cui, quæro, adhæſiſti? Nonne, relicto Deo, te avaritiæ, libidini, vel alteri cuidam vitio totaliter dediſti? Dicebant Confeſſarii, dicebant Concionatores, dicebant tibi: *Soli Deo ſervies*: & tu, o miſer, in corde tuo dicebas: avaritiæ ſerviam, gulæ ſerviam, luxuriæ, & aliis vitiis ſerviam. Deus per ſe, & per Angelos ſæpe intus dixit tibi: o miſer, abrenuntia huic creaturæ, quæ te decipit; frange pravæ conſuetudinis vincula, quæ te captivum detinent; valedic proximæ huic occaſioni, quæ te ad peccata inclinat; deteſtare ſatanam, qui te ad tartara ducit; ut mihi, & mihi ſoli obſequaris. Sic, ſic Deus in corde tuo ſæpe locutus eſt; ſed tu verbis ejus aures occluſiſti, ac dæmoni, quam Deo, ſervire maluiſti.

O infelix, tuam deteſtare cæcitatem: & videns, in infinitum melius eſſe ſervire Deo, quam dæmoni, firmiter ſtatue in corde tuo, te impoſterum Dei obſequio totaliter adhæſurum. Non amplius peccato & dæmoni, ſed ſoli Deo ſervias: ac in Dei obſequio Angelos imitare; de quibus in hodierno Evangelio dicitur, quod poſtquam Chriſtum dæmon reliquit, hi acceſſerunt, ut Chriſto miniſtrarent; *Reliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Matth. 10. 11.* Quomodo Chriſto miniſtrarunt Angeli? Ita ſane, ut ejus voluntatem in omnibus adimplerent: *Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Pſ. 102. 21.* Sic ſimiliter tu Deo ſervias; ita ei obſequere, ut ſemper & in omnibus voluntatem ejus adimpleas.

Vi-

Digitized by Google

Vide quid a te Deus poſtulet; quid velit; quid deſideret; *Poſtulat*, ut ab omni vitiorum genere declines: hoc faciendum eſt. *Vult*, ut conſcientiam tuam ab omni labe peccati mundes & purifices: hoc agendum eſt. *Deſiderat*, ut pœnitentiæ, & omni virtutum generi te dedas: hoc adimplendum eſt. In omnibus tandem adimple Dei voluntatem: & Deus, qui ditiſſimus, potentiſſimus, & fideliſſimus eſt, æternis illis te ditabit bonis, quæ diligentibus, & ſibi ſervientibus promiſit. *Amen*.

## DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

# DE CHRISTI TRANSFIGURATIONE.

*Transfiguratus eſt ante eos.* Matthæi 17. 1.

CHriſtus Dominus, quamdiu cum hominibus converſatus eſt, viator quidem fuit; ſed fuit etiam comprehenſor, & beatus, ſaltem quoad animam, quæ a primo inſtanti creationis ſuæ, ac unionis cum Verbo, Dei viſione gaviſa, & beata fuit: ejuſque beatitudo in corpus ſemper redundaſſet ſecundum ſuas dotes, niſi ex alto Dei conſilio repreſſa eſſet. Ut enim pati, & cum hominibus converſari poſſet Chriſtus: claritas, aliæque corporis glorioſi dotes in beata ejus anima repreſſæ fuerunt, ne in corpus ſe diffunderent.

Miraculum erat, quod Chriſti corpus glorioſis non frueretur dotibus, ſibi, non ſolum ratione unionis hypoſtaticæ, ſed etiam ratione beatitudinis animæ debitis. Sed hodie ceſſat miraculum, ſaltem quoad claritatis dotem, quæ corpori Chriſti communicatur. Et ideo transfigurari dicitur: quia externam ſpeciem mutat, mirabilemque ſplendorem, & claritatem aſſumit, qua omnes ſpectantes in admirationem rapit.

Magnum eſt illud Transfigurationis Chriſti myſterium, cujus teſtes extitere nonnulli Apoſtoli: quod contemplati ſunt Moyſes & Elias; quod ſancta Romana Eccleſia pluries ſingulis annis nobis proponit; quodque nos jam pro modulo noſtro explicare pertentabimus, &c. *Ave*.

CErtum eſt, quod transfiguret ſe dæmon, transfiguret ſe homo, transfiguret ſe Chriſtus. *Transfigurat ſe dæmon*, ſeque interdum in Angelum lucis, & in amicum benevolum transformat, & exterius immutat, ut homines decipiat, & perdat. *Transfigurat ſe homo*, aliquando in bonum, cum ſcilicet a ſtatu peccati ad gratiæ ſtatum migrat: & aliquando in malum, nempe cum a ſtatu gratiæ ad lethalis peccati ſtatum declinat. *Transfigurat ſe Chriſtus* hodie, cum vultus, totiuſque corporis ſui externam ſpeciem mutat, & mirabili claritate fulgentem ſe exhibet.

Dæmonis transfiguratio maligna eſt, & doloſa: hominis transfiguratio aliquando bona eſt, & aliquando mala: Chriſti transfiguratio mirabilis in ſe eſt, & hominum ſaluti plurimum utilis.

Dæmonem transfiguratum reformidemus: hominem a malo in bonum transfiguratum imitari conemur, & Chriſtum coram Apoſtolis, Moyſe, & Elia hodie transfiguratum attente contemplemur; ac ſedulo perpendamus; 1. Quomodo ſit transfiguratus: 2. Quare ſit transfiguratus: 3. Ubi ſit transfiguratus. Vel, ut aliis verbis mentem meam explicem: videamus transfigurationis Chriſti modum, finem, & locum: *modum*, quo facta eſt; *finem*, ob quem facta eſt; *locum*, in quo facta eſt. En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Quomodo facta eſt Chriſti Transfiguratio.*

NOn ita coram tribus Apoſtolis transfiguravit ſe Chriſtus, ut ſuam eis oſtenderit divinitatem, eo modo quo illam Beatis in Cælo manifeſtat: divinitas enim oculis corporeis videri nequit. Sed ita ſe transfiguravit, ut in facie, in veſte, & in toto corpore novam protulerit claritatem: 1. *In facie*, quæ mirabiliter reſplenduit: 2. *In veſte*, quæ alba facta eſt: 3. *In toto corpore*, quod mirum in modum refulſit.

1. In Chriſti transfiguratione non mutata eſt vultus eſſentia; ſed ingens quidam ſplendor, quaſi divinus, ab ipſa Chriſti anima, utpote beata, & hypoſtatice Verbo unita, in faciem ejus emanavit: quo ſicut ſol, & magis quam ſol reſplenduit. Verum eſt, quod dicat Scriptura, Chriſti faciem ſicut ſolem reſplenduiſſe: *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol*. Sed dici poteſt, quod etiam ſupra ſolem refulſerit. Claritas enim illa in Chriſti facie apparens multo auguſtior, & magnificentior erat ſolis claritate; quia claritas ſolis naturalis eſt; claritas vero in Chriſti vultu fulgens, erat ſupernaturalis: cum a principio, ac radice ſupernaturali venerit, a beatitudine nempe animæ, & ab unione hypoſtatica.

S. Antonius Patavinus ait, ſplendorem vultus Chriſti excellentiorem fuiſſe ſolis luce: dicitur tamen, quod facies ejus reſplenduerit ſicut ſol, ſplendorque faciei ejus ſplendori ſolis comparatur: quia in his ſenſibilibus non eſt quid clarius & ſplendidius, cui poſſit comparari. *S. Anton. Pad. ſer. in 2. Domin. Quadrag.* Non ergo judicandum, quod facies Chriſti inſtar ſolis ſolum fulſerit, ſed per hoc palpabile exemplum inveſtigare debemus magnitudinem ſplendoris, quo facies Chriſti refulſit.

Si Chriſtus totum divinæ gloriæ fulgorem coram Apoſtolis exhibuiſſet, cum adhuc pro humanæ vitæ conditione tantum ſplendorem ferre non potuiſſent; non ab eo lætificari, ſed potius obcæcati fuiſſent. Quare vultus ſui ſplendorem Chriſtus temperavit, ita ut ſole ſplendidior eſſet, & tamen ſplendor ille Apoſtolorum oculis tolerabilis eſſet & jucundus, eoſque ingenti gaudio recrearet. *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol*; inquit S. Joannes Damaſcenus, *non quod ſole ſplendidior non eſſet, ſed quantum intueri poterant ſpectatores; nam ſi univerſam gloriæ claritatem oſtendiſſet, illi penitus exarſiſſent. Damaſ. orat. de Transfig. Abul. quæſt. 2.*

2. O quam mirabilis eſt ille modus, quo Chriſtus transfiguratus eſt *quoad faciem*! Sed mirabilis etiam eſt modus, quo transfiguratus eſt *quoad veſtem*. Ut enim ſacrum refert Evangelium, *veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix*. Facies Chriſti inſtar ſolis merito rutilavit, quia divina hæc facies, paſſionis tem-

tempore conſpuenda, maximeque deformanda erat, magnæ autem confuſioni, magna gloria jure debebatur. Sed a Chriſti facie, immo & a toto ejus corpore ad veſtimenta ejus quidem manavit fulgor, a quo alba facta ſunt; ita ut ſi prius Chriſti veſtes eſſent nigræ, vel violaceæ, in transfiguratione factæ ſint albæ, & ſi prius eſſent albæ, ut arbitratur Toſtatus, factæ ſint albiores, & albæ ſicut nix, *Veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix*.

A Chriſti facie, & a toto ejus corpore ſplendor quidam in veſtimenta redundavit, a quo lucida ſimul & alba facta ſunt. Ipſe ſplendor in Chriſti facie radiabat ut ſol aureus & fulvus; transfuſus vero in veſtes, factus eſt albus. Sicut lux ſolis, dum a ſole diffunditur, in ipſo ſole aurea apparet & fulva, in altera autem re excipiente, & a ſole diverſa, ſenſibus alba videtur, ita fulgor quo Chriſti facies rutilabat, in ipſa Chriſti facie quaſi aureus cernebatur, ad veſtes vero transfuſus, non aureus, ſed albus, & nivis albedinem præferens videbatur; *Veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix*.

Sicut luna, cum exceptis ſolis radiis illuminatur, alba videtur. Sicut etiam nubes ſoli objectæ, colorem album ac lacteum reddunt, ita & fulgor ille, qui in Chriſti facie inſtar ſolis rutilat, ad veſtimenta ejus transfuſus, albus apparet quaſi nix. *Veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*.

3. Ecce modum, quo transfiguratus eſt Chriſtus quoad veſtem, ſed transfiguratus eſt etiam quoad totum corpus, quod mirum in modum refulſit: *Chriſtus*, inquit S. Ephrem, *toto ſuo corpore, tamquam ſol ſuis radiis, reſplenduit gloria ſuæ divinitatis. S. Ephrem orat. de Transfigur.*

Non ſola Chriſti facies reſplenduit; non ſoli faciei, ſed etiam manibus, pedibus, totique ejus corpori mirabilis ille fulgor inhæſit, Chriſti enim transfiguratio fuit perfecta & plena, & ideo dicendum, quod totum ejus corpus nitore reſplenduerit. Unde ſi ſancti Evangeliſtæ ſolam Chriſti faciem commemorent, per faciem tamquam partem principaliorem, magiſque ſpectabilem, cætera membra intelligenda ſunt, quæ omnia mirabiliter reſplenduerunt, & ut loquitur S. Ephrem, *ex toto corpore gloria ejus ſcaturivit, & ex totis ejus membris reſplenduerunt radii. Ib.*

Ex toto Chriſti corpore fulgentiſſimi manarunt radii, tantaque fuit totius corporis ejus in transfiguratione gloria, ut prohibuerit Apoſtolis, ne eam aliis hominibus revelarent; *Nemini dixeritis viſionem*. Mandat viſionem hanc taceri, quia tanta tunc fuit corporis Chriſti gloria, ut ſi hominibus annunciata fuiſſet, incredibilis eis viſa fuiſſet, *Non vult Chriſtus hoc in populis prædicari, ne & incredibile hoc eſſet pro rei magnitudine*. Et ut loquitur Sanctus Chryſoſtomus: *Mandavit ut nemini dicant: quia in populis rudibus id videretur incredibile. S. Chryſoſt. hom. 57. in Matth.*

Tanta fuit etiam Chriſti in transfiguratione claritas, tantus tunc, tamque jucundus ex corpore ejus fulgor manavit, ut Petrus, quaſi extra ſe raptus, eo viſo, terrena cuncta deſpiciat, dicens; *Domine, bonum eſt nos hic eſſe*.

O Petre, bonum tibi videtur, quod in monte Thabor præſens adſis, quia Chriſtum ibi vides mirabili modo transfiguratum in facie, in veſte, & in toto corpore, ſed quam melius erit tibi, quando cum Chriſto in æternum vives, & in Cælo regnabis? Ineffabili gaudes ſuavitate, quia Chriſtum transfiguratum, & claritate cæleſti radiantem, aliquibus duntaxat momentis intueris: ſed quanto majori ſuavitate perfrueris, cum non ſolum aliquibus momentis, ſed per infinita ſæcula divinam eſſentiam in Cælo contemplaberis? In comprehenſibili affluis gaudio; quia breviſſimo tempore Chriſti carnem claritate nova fulgentem vides, ſed quanto majori afficieris lætitia, quanto eminentiori potieris beatitudine, cum in æternum, non ſolum Chriſti Salvatoris carnem, radiis cæleſtibus fulgentem, ſed ipſam ejus divinitatem facie ad faciem videbis?

O N. N. ſurſum corda noſtra ſublevemus ad cæleſtem hanc beatitudinem, oculos, & mentem extollamus, & ſi Chriſtum in hoc mundo, mirabili modo transfiguratum, videre nequeamus, ad cæleſtem anhelemus beatitudinem, in qua eum transfiguratum, & ineffabili gloria fulgentem, in æternum contemplabimur. Non in hoc mundo terrenis, & tranſitoriis bonis noſtra ligamus corda, ſed ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. Obvii quique nos non deterreant labores, quia pro æterna gloria adipiſcenda omnis labor exilis, omniſque pœna ſuavis. Momentaneis ſæculi deliciis, a tanti boni aſſecutione non avertamur, quia, ut ait S. Auguſtinus, nulla major inſania, nulla major ſtultitia, quam pro delectatione momentanea perdere æterna, & tam indicibilia gaudia, quæ habentur in viſione divina, & Chriſti Jeſu præſentia glorioſiſſima.

Expergiſcimini ergo nunc, peccatores! A gloria, quam Chriſtus in transfiguratione exhibet, cæleſtis beatitudinis gloriam inveſtigate; a felicitate, qua fruitur Petrus, eo quod Chriſtum mirabili modo transfiguratum cernat, inferte, quanta futura ſit veſtra felicitas, ſi ad cæleſtem beatitudinem pervenire valeatis. Sed identidem ad tantam felicitatem ſuſpirate, eam toto corde concupiſcite, & pro ea acquirenda fortiter laborate; non enim otioſis & deſidioſis datur hæc beatitudo, ſed his ſolummodo, qui fideliter in Chriſti vinea laborant. De his ſolummodo dicet Chriſtus: *Voca operarios, & da illis mercedem*: eos, & non alios, in cæleſti regno præmiabit. Quare laborate fideliter: Dei obſequio ſubdite vos, ea facite quæ a vobis exigit, ut cæleſtem beatitudinem aſſequi valeatis. Hic eſt fructus, qui ex modo, quo transfiguratus eſt Chriſtus, elici debet. Videamus nunc *quare transfiguratus ſit*.

## SECUNDA PARS.

*Quare facta eſt Chriſti Transfiguratio.*

CHriſtus, qui hominum gloriam ſumma ſollicitudine fugere ſolitus erat, coram Apoſtolis ſuis hodie transfigurari, & gloria circumdatus videri voluit multas ob rationes. Ex quibus ut aliquas adducam, dico, quod transfigurari voluerit: 1. Ut fidem noſtram firmaret: 2. Ut ad deſiderandam beatitudinem nos excitaret: 3. Ut ad pugnandum pro ea nos induceret.

1. Ante Chriſti adventum, Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium occultum erat, & a fidelibus implicite ſolum credebatur, ſed adveniente Chriſto, major altiſſimi hujus myſterii hominibus data eſt notitia:

tum per ipſum Chriſtum, qui pluries manifeſtavit, tres eſſe in Divinitate Perſonas, tum per Apoſtolos, quos in univerſum mundum miſit, ut hoc myſterium prædicarent, & ut in nomine trium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis baptizarent: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28. 19.* Sed ut hoc myſterium hominibus magis innoteſceret, & ab iis firmius crederetur, transfigurari voluit Chriſtus, & per transfigurationem ſuam illud magis manifeſtare. Per eam enim manifeſtatus eſt Pater, qui auditus eſt de Chriſto dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus. Matth. 17.* Per eam manifeſtatus eſt Filius, qui ineffabili claritate qua fulſit, ſe Deum eſſe probavit. Per eam manifeſtatus eſt Spiritus Sanctus, in nube ſcilicet lucida, quæ Chriſtum & Apoſtolos obumbravit: ut enim ait Ven. Beda: *Hic eſt Spiritus Sanctus in nube lucida, ſicut in Jordane fuit in columba.*

At non ſolum transfigurari voluit Chriſtus, ut fidem noſtram firmaret circa Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, verum & ut fidem noſtram firmaret circa myſterium Reſurrectionis. Prædixerat Chriſtus reſurrectura, & fulgida in Cælo futura juſtorum corpora, dicens: *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. Matth. 13.* Vix autem credi poterat, quod corpus terrenum & vile, tardum & immundum, fragile & corruptibile, ſolis claritatem, pernicitatem, & incorruptionem induere poſſet: quare ut Chriſtus homines in futuræ corporum reſurrectionis fide firmaret, voluit ſeipſum transfigurare, quaſi ſol rutilare, & corporis ſui claritate manifeſtare, qualia in reſurrectione futura eſſent hominum corpora. Transfiguratus eſt ergo Chriſtus, ut fidem noſtram firmaret; *ac etiam ut ad deſiderandam cæleſtem beatitudinem nos excitaret.*

2. Plerique hominum, Dei, cæleſtiúmque bonorum amore & deſiderio non afficiuntur: cum enim neſciant, quam ſuavis ſit Dominus, ac quanta ſint Cæli bona ignorent, de iis comparandis non cogitant, nec ea acquirendi deſiderio flagrant. Sicut initium transfigurationis Chriſti non viderant Apoſtoli, quia ſopore gravati erant, ita hominum plerique, vitiorum ſuorum veneno conſopiti, ad æternorum bonorum conſiderationem oculos non extollunt, nec ea bona deſiderant, quæ in Cælo Deus diligentibus ſe præparavit. Quare Chriſtus coram Apoſtolis transfigurari voluit, ut Diſcipulos, & omnes homines ad ſpiritualia, cæleſtia, & æterna bona deſideranda concitet. Cum enim Chriſtus ineffabili claritate circumfuſum ſeſe illis exhibuit, idem fuit ac ſi dixiſſet, videte quanta ſit gloria, qua circumdatus ſum. Attendite quantam ex corporis mei transfigurati viſione jam percipiatis ſuavitatem, & ſcitote, quod in æterna gloria longe majori ſuavitate, & ineffabili dulcedine perfruentur Sancti; & ideo non terrena a vobis, ſed cæleſtia bona ſummo affectu ſunt concupiſcenda.

Cum terram promiſſionis adire non ſatis deſideraret populus Hebræorum, jamque fatigatus, in Ægyptum regredi cogitaret, miſit Moyſes exploratores in terram illam, qui inde revertentes, ficus, malogranata, & portentoſæ magnitudinis uvas portaverunt, ut oſtenderent, feraciſſimam eſſe illam terram, eoſque ad illam deſiderandam excitarent. Refert ſacer Textus, quod exploratores illi, in terra hac exiſtentes, *abſciderunt palmitem cum uva ſua; quem portaverunt in vecte duo viri; Num. 13. 24.* & ut populum ad deſideranda m fertiliſſimam illam terram allicerent, reverſi ad omnem cœtum filiorum Iſrael, *omni multitudini oſtenderunt fructus terræ, & narraverunt; dicentes: Venimus in terram ad quam miſiſti nos, quæ revera fluit lacte, & melle, ut ex iis fructibus cognoſci poteſt;* O mirabilem hanc, qua uſus eſt Moyſes, artem, ut Iſraelitas ad optandam promiſſionis terram accenderet! Conſimili autem, & longe perfectiori utitur induſtria Chriſtus, ut homines ad cæleſtia bona deſideranda excitet: cæleſtis enim illius patriæ uberes eis fructus exhibet, & ut eos ad cæleſtia concupiſcenda incitet, aliquam bonorum illorum ſpeciem in eis oſtendit, cum coram ipſis ſe transfigurat. Cæli ergo bona optate, ſummo affectu ea concupiſcite, toto cordis deſiderio ad ea anhelate: cum transfiguretur Chriſtus, ut ad deſiderandam cæleſtem beatitudinem nos excitet: *ſed transfiguratur etiam, ut ad pugnandum pro acquirenda cæleſti beatitudine corda noſtra inflammet.*

Militia eſt vita hominis ſuper terram: ad acquirendam enim cæleſtem coronam pugnare quiſque debet adverſus aereas poteſtates, adverſus proprias paſſiones, & adverſus omnes ſalutis ſuæ hoſtes. Quare Chriſtus, ut homines ad generoſe decertandum excitet, aliquam cæleſtis illius gloriæ, quæ victoribus datur, ſpeciem eis exhibet. Quaſi dicat, non turbetur cor veſtrum, neque formidet, non terreant vos inimici, cum quibus certamen vobis ineundum, ſed generoſe pugnate, quia ſi de iis triumphetis, ineffabilia, & in infinitum majora, quam illa quæ jam exhibeo, vos in Cælo bona poſſidebitis in æternum.

De ethnico quodam Rege profanæ narrant Hiſtoriæ, *Sanchez Domin. 2. Quad. conc. 2.* quod ut militibus ſuis animos adderet, utque belli difficultatibus & periculis territi, animo non caderent, opima quædam ſpolia ab hoſtibus ablata, oculis eorum objecerit, dicens, hæc ſunt, o milites, ſpolia, pro quibus pugnatis. Idipſum Chriſtus efficit hodie, ſcit enim, quam grave, quam durum, quam periculoſum ſit bellum, quod cum animæ noſtræ hoſtibus in hoc mundo gerimus; quare ut nos ad generoſe pugnandum excitet, aliqua cæleſtis gloriæ ſpolia, ſeu aliquam cæleſtis beatitudinis ſpeciem nobis oſtendit, quaſi dicat aſpicite in me, videte ſplendorem & mirabilem pulchritudinem, qua fulgeo. Hæc ſunt, o milites, ſpolia, pro quibus pugnatis, quare pugnate fortes in fide, ut hujuſmodi ſpolia in Cælo obtineatis.

Cum aliquando Cajus Marius *Maſol. tom. 3. Canic. coll. 2.* e regione hoſtium in loco, ubi nullæ erant aquæ, caſtrametatus eſſet, animadvertens, pleroſque ex ſuis murmurare, & indignari, eo quod ſiti affligerentur: ſublato digito, eminus fluvium caſtra hoſtium præterlabentem oſtendit, adjiciens, quod ad habendam aquam, neceſſario pugnandum erat. Simili modo Chriſtus, ut nos ad ſpiritualem pugnam excitet, transfiguratione ſua oſtendit uberes in Cælo eſſe deliciarum torrentes, & fluvios pro quibus comparandis decertandum eſt.

*Si quis ſitit,* inquit Chriſtus, *veniat ad me, & bibat. Ioann. 7. 37.* At cum autem hodie ſitientes nonnulli cum Apoſtoli, claritatem ejus contemplantur,

tur, hujuſque aquæ ſuavitate quaſi inebriatur Petrus. Heu! quis non cupiat bibere ex hac aqua? Quis non optet eadem frui felicitate qua Petrus? Quis pugnare recuſet pro obtinendo tanto bono? Sed quanto magis pugnandum pro aſſequenda æterna beatitudine, ubi ſunt torrentes voluptatis, quibus inebriabuntur qui illam obtinebunt? Pugnemus ergo pro obtinenda æterna beatitudine: cum hodie transfiguretur Chriſtus, ut ad pugnandum pro ea acquirenda nos excitet. Ecce rationes propter quas Chriſtus transfiguratus eſt. *Videamus nunc quo in loco transfiguratus ſit.*

## TERTIA PARS.

### *Ubi facta eſt Chriſti Transfiguratio.*

SIcut modus, quo Chriſtus transfiguratus eſt, & finis ob quem transfiguratus eſt, myſteria multa nobis exhibent; ita locus, in quo transfiguratus eſt, a myſterio non vacat. Et ideo locum transfigurationis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſpecialiter adnotat ſacer Evangeliſta, dicens, quod transfiguratus ſit: 1: In monte: 2. In monte excelſo: 3. In monte excelſo ſeorſum: *Duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt. Matth.* 17. Hæc omnia explicemus, & ad mores recte componendos, quantum fas erit, deducamus.

1. Transfiguratus eſt Chriſtus *in monte*: Poterat Dominus in convallibus, vel in locis campeſtribus, & planis transfigurari: cur igitur in montem aſcendit ubi acceſſus arduus, & iter aſperum eſt? Non caſu quidem, nec fortuito id factum eſt, hoc enim fecit Chriſtus, ut doceret, non in hac valle lacrymarum, ſed in Cælo, & in monte ſancto ejus, quærendam beatitudinem: *Ut oſtendat Diſcipulis ſuis, quatenus gloriam divinæ claritatis, non in hujus ſæculi profundo quærant, ſed in cæleſtis beatitudinis regno. Remig. in c. 7. Matth.*

Duo montes maxime oppoſiti nobis proponuntur a Divo Matthæo. Unus, ad quem diabolus Chriſtum aſſumpſit: *Aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde. Matth.* 4. 8. Alter vero, ad quem aliquos ex Apoſtolis Chriſtus ſecum duxit: *Duxit illos in montem excelſum. Matth.* 17. In monte autem unum oſtendit Chriſtus, & aliud oſtendit diabolus: in monte oſtendit diabolus Chriſto omnia regna mundi, & gloriam eorum, Chriſtus autem in monte Diſcipulis ſuis oſtendit regnum Cælorum, & gloriam ejus. Oſtendit diabolus regna mundi, & gloriam eorum, ut hominibus ſuadeat, terrena amanda, iis comparandis inſudandum, & in iis totam felicitatem collocandam. Chriſtus vero non terrena, ſed ſpiritualia, & cæleſtia in monte oſtendit, ut doceat, terrenis non adhærendum, in quibus nulla felicitas, ſed ad Cælum anhelandum, ubi vera beatitudo.

O N. N. quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram; terrena deſpicite: iis cor nolite apponere. Maligno non credatis dæmoni, ſuadenti, beatitudinem in ſæculi bonis inveniri, ſed aſcendite ad montem Domini; videte Chriſtum in monte transfiguratum, & cæleſti gloria radiantem, ut oſtendat beatitudinem, non in hoc mundo, ſed in Cælo inquirendam; ibi eam quærite. Hic eſt primus fructus, quem ex loco, in quo transfiguratus eſt Chriſtus, quiſque eligere debet; ſed ut alium inde hauriamus fructum, perpendamus, quod non ſolum in monte, ſed etiam in monte excelſo transfiguratus ſit: *Duxit illos in montem excelſum.*

2. In monte excelſo transfiguratur Dominus, ut oſtendat, aſcendendum, & laborandum eſſe ad acquirendam gloriam cæleſtem: regnum enim Cælorum laboribus, & ſudoribus multis comparatur: quia æquiſſimam legem tulit Chriſtus, qua cavetur, ut æterna gloria nemo fruatur, ſi prius montem non aſcenderit, & arduam ad ejus cacumen viam non arripuerit.

Videte qua via ad montem Domini aſcenderit Chriſtus, videte quam tenuerit viam, ut regnum Cælorum, ſibi jure hæreditario debitum, compararet. Nonne laboravit, jejunavit, & gravia perpeſſus eſt? *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc.* 24. 26. Heu! ſi Chriſtum pati oportuit, & ita intrare in gloriam ſuam, licet Filius Dei naturalis eſſet, quo jure, qua fronte nos, qui filii inutiles ſumus, ſine ullo labore luxui, & voluptatibus vacantes, in Cælum ingredi cogitamus? Si Chriſtus, qui eſt Filius dilectus, in quo ſibi Pater bene complacuit, laboribus, & paſſionibus multis ad Cælum aſcendit, quomodo ad illud aſcendere poſſumus, præcepta Dei violando, indulgendo nobis, & pravis corporis propenſionibus deſerviendo? Hoc fieri nequit: excelſus enim eſt mons Domini, & ſicut ad illum laboribus multis aſcendit Chriſtus, ita & laboribus multis ad illum aſcendere debemus. Ecce quid doceat nos Chriſtus, cum in die transfigurationis Diſcipulos duxit in montem excelſum: ſed duxit etiam illos ſeorſum: *Duxit illos in montem excelſum ſeorſum.*

3. Paſſus eſt Chriſtus in Jeruſalem coram innumeris hominibus, ſed cum transfigurari, & cæleſti claritate fulgere voluit, abiit *in montem excelſum ſeorſum*, ſeu valde ſeparatum, & valde diſtantem ab hominum conſortio, ut doceret nos, quod impiorum conſortia fugere debeat qui æternam beatitudinem obtinere cupit. Qui enim ſanctus fieri vult, cum perſonis piis & ſanctis converſari debet. Quia ſancti non fiunt qui impiorum, ſed qui piorum conſortia amant & quærunt: *Cum Sancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris. Pſ.* 17. 26.

Quod exemplo Lot probari poteſt: qui poſtquam ab Angelis ſubverſionem Sodomæ didicit, ab urbe egredi morabatur, cum generis ſui verba faciens, ut eos ab imminente periculo ſalvos eriperet, ſed eum e civitate exire coegerunt Angeli, ne ipſe cum aliis Sodomitis periret: *Cumque eſſet mane, cogebant eum Angeli, dicentes, ſurge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes; ne & tu pariter pereas in ſcelere civitatis. Gen.* 19. 15. In hoc negotio officia charitatis exercebat Lot, & tamen periclitabatur, quia tam periculoſe quis agit inter iniquos, ut etiam qui inter eos charitatis munera exercent, ſi nimis cum iis immorentur, in peccandi, & ſalutis periculo verſentur.

Quare ſi Deum in Cælo gloria infinita radiantem videre cupiatis, ſi ad cæleſtia regna pervenire optetis, non ſolum in hujus mundi bonis felicitas veſtra non eſt collocanda, non ſolum pro æterna beatitudine aſſequenda eſt fortiter laborandum, ſed & pravorum conſortia ſunt fugienda. Non ergo in hac

lacy-

Digitized by Google

lacrymarum valle terrenis bonis adhæreatis, ſed mente aſcendite in montem, aſcendite in Cælum, ubi vera ſunt bona. Non etiam in hoc mundo turpi vacetis otio; ſed per multos labores aſcendite in montem excelſum, aſcendite ad Cælos, qui excelſi ſunt, & ad quos non ſine multo labore migrare poſſumus. Non tandem impiorum conſortio vos immiſceatis, ſed ſtate ſeorſum, ſalutis declinate pericula, & æternam ſalutem conſequemini. *Amen.*

## DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

# DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

*Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11. 14.

DÆmonum, de quibus factum loquitur Evangelium, alii nimis, & alii non ſatis loquebantur. Nimis haud dubie loquebantur hi, quibus Chriſtus, ne loquerentur prohibuit; *Et increpans, non ſinebat ea loqui. Luc. 4. 41.* Non ſatis loquebatur ille, de quo in hodierno Evangelio legitur, quod eſſet mutus; *Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.*

Duo hæc dæmoniorum genera indicant, dæmonem homines ad mala provocare, nunc eos excitando ad plurima & indebita verba proferenda, & nunc eos adducendo ad exitioſum ſilentium pertinaciter ſervandum.

Vides hominem, qui linguam ſuam ad blaſphemias, imprecationes, detractiones, perjuria, aliaque impia verba ſolvit, hic a dæmone loquaci, & ad nimiam loquacitatem impellente poſſidetur. Vides alium, qui crimina ſua in confeſſione non declarat, aut debite non confitetur, hic mutum habet dæmonium, quod ejus os obſtruit, illumque mutum efficit; timens, ne per veram peccatorum ſuorum confeſſionem, ab iis ſolvatur, & ad Deum convertatur.

Non jam meæ mentis eſt de his diſſerere, quos dæmon nimia & indebita loquacitate ad peccandum trahit, ſed de his ſolummodo, quos in ſacro Pœnitentiæ Tribunali mutos efficit, &c. *Ave.*

CHriſtiani, qui ad ſtatus ſui perfectionem anhelant, ſua ſæpe, integre, & perfecte confiteri ſolent peccata. *Sæpe* quidem, ut Dei gratiam aſſequantur, utque conſcientiam ſuam ab omni inquinamento peccati mundam & liberam ſemper habeant: *integre*, ut ſacrilegii notam devitent, utque novo peccato animas ſuas non inquinent; *perfecte*, ut Deo gratiores ſiant, utque majorem gratiarum abundantiam percipere mereantur.

O quam ſapientes, & felices ſunt, quorum confeſſio frequens, integra, & perfecta! Sed o quam infelices, qui a ſtatu ſuo declinantes, non ſæpe, ſed raro, non integre, ſed partim, non debite & perfecte, ſed indebite, & imperfecte peccata ſua confitentur.

Præfati omnes, muti ſane dici poſſunt, & revera muti ſunt, reſpectu confeſſionis. Muti ſunt, qui non ſæpe; muti ſunt, qui non integre; muti ſunt, qui non debite ſua confitentur crimina. Quare ut hos omnes mutos ad loquendum pertraham, dico: 1. Quod confitendum eſt ſæpe: 2. Quod confitendum eſt integre: 3. Quod confitendum eſt debite. Vel, quod idem eſt, dico, quod confeſſio debeat eſſe frequens, integra, & modo debito facta.

## PRIMA PARS.

*Confitendum ſæpe.*

SI quæ ex frequenti confeſſione prodeunt emolumenta, recenſere vellem: dici poſſet, quod qui frequenter confitentur, ſuas ab omni inquinamento peccati animas totaliter abluant, pravos quoſque eradicent habitus quibus ligati detinebantur, peccandi occaſiones generoſe devitent, in priſtina raro relabantur peccata, omnis affectum peccati e corde ſuo tollant, Deo pro pœna peccatis ſuis debita penitus ſatisfaciant, gratiarum abundantiam a Deo impetrent, in omni virtutum genere proficiant, certamque & ſecuram ſibi ad Cælum viam præparent. Sed prætermiſſis omnibus his emolumentis quæ ex frequenti confeſſione oriri ſolent, & quorum quodlibet eſt nova, & urgentiſſima ratio, qua quiſque ad frequentem confeſſionem excitari debet: dicam ſolummodo, ſæpe confitenda peccata: quia, qui raro confitentur: 1. Multorum peccatorum ſordibus inquinantur: 2. A perpetratis raro emendantur: 3. Ad graviora ſæpe ruunt.

1. Ubi frequenter domus verritur, ibi munditia: ubi vero raro, ibi plurimæ ſordes eſſe ſolent. In Palatiis & Conclavibus Principum, ſordes non inveniuntur, quia quotidie purgantur & mundantur: e contra vero in tabernis publicis, & in ruſticorum tuguriolis omnia ſordida, quia raro mundantur. Par ratio de confeſſione debite facta; ſi enim frequens ſit, per eam anima ab omni, etiam minima, labe peccati purgatur, ſed ſi raro ſiat, anima multis inquinatur ſordibus, ac ſemper magis, magiſque ſordeſcit.

Sicut Naaman, qui leproſus erat, ſepties in Jordane lotus, tenellam acquiſivit carnem, velut pueri parvuli, ac totaliter a lepra mundatus eſt: *Reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt; 4. Reg. 5. 14.* Ita & qui crebro confitentur, nitidam, puram, infantilem, & ab omni peccati macula immunem conſcientiam acquirunt, qui autem raro confitentur, ſordibus multis ſuas inquinant animas. Confeſſio enim debite facta virtutem habet contractas abſtergendi peccatorum ſordes, & a futuris præſervandi. Unde quo frequentius confiteberis, eo magis animam tuam a peccati ſordibus lavabis, eoque magis ne impoſterum ſordeſcat, præcavebis: & contra, quo rarius confiteberis, eo pluribus peccatis inquinaberis.

Hoc ipſa docet ratio, quia quo quis ſua frequentius peccata confitetur, eo plures actus doloris de perpetratis peccatis elicit; eo magis jam commiſſa deteſtatur peccata, eo pluries firmiter proponit, ſe non amplius in peccata caſurum, eo plura monita & conſilia a Confeſſariis audit, eo plures a Deo gratias ad non reincidendum recipit: ac proinde, quo frequentius confitetur, eo longius ab anima ſua omnes peccati ſordes expellit. Sed contra, quo quis rarius pio Confeſſario peccata ſua declarat, eo etiam rarius ea deteſtatur, eo rarius firmum non amplius

plius

plius peccandi propoſitum elicit; eo rarius a Confeſſario monetur & eruditur, eo minus gratiarum per Pœnitentiæ Sacramentum a Deo impetrat, ac per conſequens, quo rarius confitetur, eo plures peccati ſordes contrahit. Quod & ipſa docet experientia, qui enim ſæpiſſime confitentur, ita ab omnibus peccatis, etiam leviſſimis, immunes fieri ſolent, ut ſæpe abſolutionis materia careant; qui vero raro confitentur, turpes peccatorum theſauros aggregant, & variorum criminum ſordibus ita inquinantur, ut horrorem Confeſſariis incutiant. Sæpe ergo veſtra confitemini peccata, quia qui raro confitentur, multorum peccatorum ſordibus inquinantur, *ac etiam raro emendantur*.

2. Confeſſionem ſacramentalem inſtituit Chriſtus, non ſolum ut per eam præterita deleantur peccata, ſed etiam ut quiſque per eam emendetur, & a peccatis committendis abſtineat. Unde Divus Bernardus, verum pœnitentem non eſſe dicit, eum, qui ſolummodo de præteritis abluendis, & non de mutatione morum, nec de futuris criminibus præcavendis ſollicitus eſt; *Irriſor eſt, & non vere pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet; pœnitentia enim eſt, ſic plangere commiſſa, ut non committantur plangenda*. In eodem ſenſu dicit Divus Auguſtinus, inanem eſſe pœnitentiam, ſi qui eam agit, de emendatione non curet, & in peccata reincidat: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens inquinat culpa: & nihil proſunt lamenta, ſi iterentur peccata. S. Aug. cit. in Decret. D. 3. de pœnit.*

Qui autem ſua frequenter confitentur peccata, ſe emendare, vitamque ſuam in melius mutare ſoliti ſunt, *tum* quia eos pudet eadem peccata ſæpe confiteri: *tum* quia gratiam in Sacramento recipiunt, qua ad morum emendationem adjuvantur: *tum* quia a Confeſſariis dire corriperentur, ſi emendationi ſuæ non ſtuderent. Sed e contra, qui raro confitentur, vitam ſuam in melius non mutant, in eadem peccata relabi ſolent, nullaque in iis morum emendatio apparet. Videmus enim, quod qui ſemel, aut bis dumtaxat in anno confitentur, iiſdem ſemper aſſueti ſint peccatis, ſi in proxime præterita confeſſione blaſphemi, detractores, & ebrioſi erant, in proxime futura blaſphemi, detractores, & ebrioſi invenientur: ſi in una confeſſione accuſent ſemetipſos, quod in perjuria, in fornicationes, & in adulteria inciderint; in aliis confeſſionibus, eorumdem ſe criminum accuſabunt: quia in his qui raro confitentur, rariſſima, & nulla eſſe ſolet emendatio. Immo non ſolum non emendantur, *verum & in graviora crimina ſæpe ruunt*.

3. Sicut ad meliora, & ad perfectiora Deus homines trahere ſatagit, ita eos dæmon ad majora, & ad graviora peccata ſuggeſtionibus & machinationibus ſuis allicere conatur. Sed qui prudenti Confeſſario conſcientiæ ſuæ maculas, variaſque dæmonis ſuggeſtiones ſæpe aperit, de dæmone facile triumphat, nec ad graviora peccata declinat.

Sicut Rex Syriæ nil potuit in Regem Iſrael, quamdiu Eliſæus Propheta Regi Iſrael omnia ejus conſilia detexit; 4. *Reg.* 6. Ita dæmon ad graviora peccata allicere non poteſt illos, qui per crebram confeſſionem malignas ejus ſuggeſtiones, omniaque ejus machinamenta prudenti & pio Confeſſario manifeſtant. At contra qui raro confitentur, ad plura, & ad graviora peccata, *tum* dæmonis ſuggeſtione, *tum* ipſo peccati pondere trahuntur. Ut enim ait S. Gregorius, *peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit*. Et ut ipſa conſtat experientia, qui raro confitentur, in graviora ſæpe labuntur.

Scimus, Davidem adulterio corpus & animam ſuam fœdaſſe. Et quia non ſtatim ſuum confeſſus eſt adulterium, dicens; *peccavi Domino*: quia primum illud peccatum non a ſe prompte per pœnitentiam ejecit, ab illo adulterio in alia, & graviora peccata incidit; Uriam enim ebriavit, & poſtea hoſti cædendum objecit. Hoc idem accidere ſolet iis, qui frequenti confeſſione, ſua non purgant ſcelera, & qui poſt perpetratum grave aliquod peccatum, ad pœnitentiam tarde, & raro accurrunt; hi etenim ab uno in plura, & a minus gravibus ad graviora peccata declinant, ac tandem peccatorum ſuorum pondere ita aggravantur, ut eo deprimantur, & pene ad deſperationem agantur: *Peccatum eorum agravatum eſt nimis. Gen.* 18. 20. Hinc fit, ut raro bene moriantur qui raro conſcientiam ſuam per confeſſionem expurgare ſoliti ſunt. Cum enim hi plurimas peccatorum ſordes contrahant, non emendentur, & ad graviora ſemper declinent; adveniente mortis tempore ita peccatis ſuis obruuntur, & intricantur, ut vix ea tunc in confeſſione explicare, ac de iis verum doloris actum elicere valeant, & ideo miſere moriuntur, ac ex hoc mundo ad tartara æternum cruciandi migrant; quare peccata veſtra confiteri ne differatis. Ne dicatis tunc mea confitebor crimina, cum ab hoc & illo negotio emerſero; cum Paſchalium Feſtorum tempus advenerit, vel cum mortis hora appropinquabit: Sed ad ſacræ confeſſionis tribunal prompte properate: per ſacramentalem confeſſionem ab omni inquinamento peccati veſtram ſæpe conſcientiam abluite: peccata veſtra confitemini frequenter; *ac etiam integre*.

## SECUNDA PARS.

*Confitendum integre.*

NOn ſolum muti cenſendi ſunt qui peccata ſua, aut non confitentur, aut raro confitentur; ſed ii etiam, qui ea integre non confitentur. Iſti quidem loquuntur, ut aliqua peccata confiteantur, ſed in hoc muti ſunt, quod aliqua, eaque graviora, in confeſſione taceant.

Tres cauſæ ſunt, quæ pœnitentes ſic mutos faciunt, & quæ eos ad omnia ſua peccata mortalia non confitenda impellunt, hypocriſis ſcilicet, amor proprius, & pudor. Sed ab integra peccatorum confeſſione impediri non debent: 1. Nec hypocriſi: 2. Nec amore proprio; 3. Nec pudore.

1. Nonnulli reperiuntur pœnitentes hypocritæ; qui ut a Confeſſariis boni & pii cenſeantur, graviorum in quæ inciderunt peccatorum, non ſe accuſant. Iis quidem levia quædam, in quæ lapſi ſunt, peccata libenter declarant, bona etiam quæ fecerunt opera iis ex animo manifeſtant; ſed gravia ſua reticent crimina, & quo graviora ſunt, eo minus ea aperiunt.

Se tacuiſſe dicit Propheta, cum clamaret: *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die. Pſalmo* 31. 13. Si tacuit, quomodo clamavit?

vit? ſi clamavit, quomodo tacuit? *Tacuit peccata ſua*, inquit Divus Auguſtinus: *clamavit merita ſua*. Similem in modum pœnitentes hypocritæ, ſua in confeſſione propalant merita, peccata tegunt; clamant, ut quidquid boni fecerunt, manifeſtent: tacent, ne gravia ſua ſcelera aperiant. Hi ſimiles ſunt ſuperbo Phariſæo, qui jejunia, eleemoſynas, aliaque ſua bona opera prædicabat; ſed peccata ſua occultabat. Inſtar enim illius Phariſæi, bona ſua opera, ſuaſque virtutes Confeſſario enarrant; de gravibus vero, quæ perpetrarunt, peccatis nil dicunt.

O quam maligni illi hypocritæ, qui graviora ſua ſcelera in confeſſione reticent! Si ſaperent, ſanctiſſimo Concilio Tridentino obtemperarent, dicenti: *Oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.* Sed væ illis hypocritis, qui ſua integre non confitentur peccata: *Væ vobis hypocritæ*. Væ illis: quia confeſſionibus ſuis non juſtificabuntur; væ illis: quia detruncatis ſuis confeſſionibus pejores fient; væ illis; quia dum abſolutionem a Sacerdote percipere credent, a Chriſto ad inferna condemnabuntur; dumque Sacerdos dicet: *ego te abſolvo*, dicet Chriſtus: *ego te condemno*. Quare omnia veſtra ſincere Confeſſario declarate peccata, nec ab iis manifeſtandis vos arceat hypocriſis, *nec etiam amor proprius*.

2. Amor ille ſui, hominum oculis velamen quoddam malitiæ ſuperponit: quo ſit, ut facile ſibi ſuadeant, maxima quæque peccata, in quæ inciderunt, non eſſe peccata: aut leviſſima dumtaxat eſſe peccata, quæ non ſunt materia neceſſaria confeſſionis. Cum quis hoc proprii amoris velamine mentem obvelatam gerit, ſibi facile ſuadet, lucrum uſurarium eſſe legitimum, rem ſimoniace acquiſitam, eſſe mercedem juſto titulo comparatam, avaritiam inſatiabilem eſſe prudentiam; bona inique ablata, eſſe ex debito juſtitiæ data, ac omnia crimina, virtutes potius eſse, quam crimina, quare cum ea, aut crimina non eſse, aut leviſſima peccata eſse ſupponant, ea non confitentur. Mordet interdum conſcientia; intus eos lancinat; ac iis exprobrat, quod uſuras, ſimonias, aliaque ſcelera perpetraverint; ſed accurrit ſemper proprius amor, qui conſcientiæ ſtimulos ſopire conatur; & ſuadet, nulla, aut leviſſima ibi eſse peccata. Unde ſit, ut integre non confiteantur, & aliqua ſolummodo, eaque minus gravia, Confeſſario peccata aperiant. Sed de proprio hoc triumphate amore; veſtra omnia integre confitemini peccata, alias nulla vobis erit pax in vita, in morte, & poſt mortem.

*Non quidem in vita*, quia quantumvis ſuadeat proprius amor, hæc non eſſe peccata; ſemper tamen torquebit vos intus conſcientia; clamabitque ſemper, hæc eſſe peccata gravia, quæ per confeſſionem, & per pœnitentiam expianda ſunt. *Non etiam in morte*; quia tunc auferetur velamen, magiſque tunc vos intus ſtimulabit conſcientia, accuſans vos de omnibus criminibus, quæ in confeſſione celaſtis. *Nec tandem poſt mortem*; quia tunc mordebit vos intus vermis conſcientiæ: tunc menti veſtræ objicientur omnia & ſingula crimina, quæ in confeſſione tacuiſtis; ac quiſque veſtrum plorans dicet; o me miſerum! o quam magna mea miſeria! Poteram enim horrenda hæc, quæ patior, ſupplicia devitare; eaque revera devitaſſem, ſi hoc & illud crimen Confeſſario meo manifeſtaſſem, ſed quia magis amori proprio falſa ſuadenti, quam propriæ conſcientiæ me ad omnia peccata confitenda ſtimulanti, credidi, æternis ſuppliciis adjudicatus ſum. Quare omnia quæ perpetraſtis, mortalia integre confitemini; nec ab integra eorum confeſſione vos impediat proprius amor, *nec etiam pudor*.

3. Maxima dæmonis ad perdendos homines ars & ſollicitudo, hæc eſt, quod omnem ab eorum cordibus pudorem tollat, ut eos ad peccandum alliciat, & quod eis pudorem & verecundiam ingerat, ut eos a peccatis confitendis avertat, probe ſciens, quod ſi grave quoddam peccatum in confeſſione ex verecundia reticeant, infallibiliter damnabuntur. Unde de S. Cyrillo Epiſcopo fertur, quod in hebdomada ſancta inter multos pœnitentes, qui confitendi opportunitatem expectabant, diabolum, pœnitentis habitu indutum, ex Dei voluntate agnoverit. Cui Sanctus. *Quid agis, cruenta beſtia, inter pœnitentes?* Reſpondit dæmon: *Reddo quod abſtuli, verecundiam enim abſtuli, & verecundiam modo reſtituo*. Quaſi dicat: feci, ut non erubeſcerent homines ad peccandum; nunc facio, ut erubeſcant ad pœnitendum.

Non dubium, quin hic pudor a dæmone ſit, qui in corde peccatoris, de confeſſione cogitantis, ait: ſi horrendum hoc peccatum, quod perpetraſti, Confeſſario aperias, te plurimum deſpiciet, ab illo imposterum ut homo peſſimus inſpicieris, coram illo ultra apparere non audebis; quare alia ei peccata manifeſta; hoc vero & illud, quæ gravia & pudenda ſunt, ei occulta.

Ecce artem & malitiam dæmonis, de qua quiſque triumphare, ac omnia ſua peccata, quantumvis horrenda, Confeſſario declarare debet. Ad hoc movebitur, ſi conſideret, quod ſi vel unicum mortale ex verecundia reticeat, gratiam Sacramenti non recipiet, novo peccato mortali inquinabitur, ac tandem ad inferni ſupplicia damnabitur. Qui enim in Pœnitentiæ tribunali gravia ſua occultant peccata, grave perpetrant ſacrilegium; cujus ſi pœnitentiam non agant, in tremendo Dei judicio ad inferna damnabuntur. Unde S. Zeno, Veronenſis Antiſtes, ait, quod in tribunali Pœnitentiæ *eſt novum judicii genus, in quo ſi reus crimen excuſaverit, damnabitur; ſi fateatur, abſolvetur*. Non ergo os tuum obſtruat verecundia; non te pudeat omnia tua confiteri peccata, ea omnia integre fatere, ut non in æternum damneris.

Cum impudica puella ſtupro concepit; ne infamia notetur; uterum ſtringit, & conceptum tegit; ſed quouſque? Uſque ad tempus partus, tunc enim verecundia ſuffunditur, & doloribus obruitur. Idem accidet peccatori, qui peccatum ſuum Confeſſario celat; veniet enim tempus, cum in die judicii, peccatum ejus omnibus gentibus manifeſtabitur. Tunc coram Deo, Angelis, & hominibus rubore ſuffundetur; ac deinde ad inferni ſupplicia in æternum condemnabitur. Ut enim ait D. Auguſtinus, qui in hoc mundo non confeſſus latet, in alio inconfeſſus damnabitur: *Si non confeſſus lates, inconfeſſus damnaberis. Auguſt. ſerm. 3. ad fratr. in erem.*

O quam melius eſt, ſua omnia peccata in hoc mundo integre confiteri, quam æternis inferni ſuppli-

ciis

Digitized by Google

O peccator, multa & magna ſunt crimina, quæ in Deum tuum perpetraſti, Deus tamen illuminat, luxque gratiæ ejus te circumfulget, ut tibi fœditatem animæ tuæ manifeſtet, utque te ad confitenda peccata alliciat. Quid autem faciendum ſupereſt? Hoc ſolummodo, quod Confeſſario dicas: *Domine, quid me vis facere?* Supereſt ſolum, quod ei dicas: Domine, & Pater mi, jube quod vis, impone mihi pœnitentiam quam volueris; ſive jejunia, ſive eleemoſynas, ſive orationes, ſive peregrinationes, & libenter obediam.

Heu! quid ſunt pœnæ a Confeſſariis impoſitæ, quantumvis graves in ſe illæ videantur, reſpectu peccatorum, etiam venialium, quæ perpetravimus? Heu! qui peccatis ſuis factus erat reus inferni, vel purgatorii, poteritne pœnitentiam ſibi a Confeſſario impoſitam, gravem & duram cenſere? Poteritne, qui mille nummorum erat debitor; dicere, nimis ab ipſo exigi, cum pro mille nummorum ſolutione unicus ab illo aſſis petitur? Certe quaſi nihilum ſunt omnes pœnitentiæ pœnitentibus a Confeſſariis impoſitæ, reſpectu eorum, quorum erant debitores. Quare, o N. N. ad ſacrum Pœnitentiæ tribunal in ſpiritu obedientiæ accedite; & Confeſſariis monentibus, pœnitentiaſque ſalutares & diſcretas imponentibus, ex animo obedite. Confitemini tandem ſæpe, prompte & debite, regnaque cæleſtia vobis confeſſio aperiet. *Amen.*

## DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

# DE DIVITUM OBLIGATIONIBUS.

*Accepit Jeſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Joann. 6. 11.

QUamvis divitiæ nil in ſe mali habeant; ſintque ex hoc rerum ordine, quas poſſidere nec bonum, nec malum eſt: tanta tamen earum ſunt lenocinia, tantæ illecebræ, ut iis ad peccandum homines quam facillime alliciantur. Et ideo videtur, aliquem non poſſe ſimul divitem eſſe & innocentem; nec amplius poſſe divitiis affluere, quin in peccata incidat: *Si dives fueris, non eris immunis a delicto.* Eccli. 11. 10.

Probe novi, Davidem, Jobum, S. Ludovicum Galliæ Regem, & alios nonnullos, feliciter in ſemetipſis divitias & innocentiam conjunxiſſe, eoſque ſimul divites & ſanctos extitiſſe, ſed hæc ſunt prodigia, quæ in orbe raro videntur. Divites enim ſpiritualibus divinæ gratiæ bonis comparandis non facile invigilant: & plerumque temporalibus acquirendis ita ſe totos dedunt, ut prava hac concupiſcentia illecti, ad peccata facillime declinent.

O divites, divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere: ne nimis confidatis in divitiis veſtris, quas an diu ſitis poſſeſſuri incertum eſt. Audite Spiritum Sanctum, cuilibet ex divitibus dicentem: *Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Eccli. 4. 36. Chriſtum imitamini, qui bona quæ in manibus habebat, libenter *diſtribuit diſcumbentibus*: bona ſimiliter quæ in manibus, & in poteſtate veſtra habetis, aliis diſtribuite, quando lex, charitas, & ratio hoc a vobis exigent. Quæ ſint divitum obligationes ad diſtribuenda bona quæ poſſident, iſta explicabit concio, &c. *Ave.*

TAnta divitum multorum, & Magnatum eſt cæcitas, ut ſe ab omni lege liberos æſtiment; aut ſaltem ita vivant, ac ſi nulla lege ligarentur, omniaque iis eſſent licita. Certum tamen, quod præter obligationes omnibus Chriſtianis communes, aliquæ ſint divitibus particulares, aut ſaltem quæ iis frequentius quam aliis conveniunt.

Taceo quæ Deo, & Eccleſiæ, parentibus, & amicis debent divites; eorum obligationes inſpicio ſolummodo reſpectu creditorum, mercenariorum, & pauperum: *reſpectu creditorum*, & aliorum, quorum bona detinent: *reſpectu mercenariorum*, & operariorum, qui pro ipſis laboraverunt: *reſpectu pauperum*, & aliorum, quorum neceſſitates norunt. Divites autem debent reſtituere, mercedem tribuere, & eleemoſynam dare. Debent: 1. *Reſtituere* creditoribus, & aliis, quorum bona retinent: 2. *Mercedem tribuere* domeſticis, & aliis qui pro ipſis laboraverunt: 3. *Eleemoſynam dare pauperibus*, & aliis, quorum neceſſitates norunt. O Divites! aliena reſtituite, operariis mercedem tribuite, & pauperibus eleemoſynam date. En tria, ad quæ executioni mandanda tenemini, ut tribus hujus concionis partibus conſtabit.

## PRIMA PARS.

*Divites debent reſtituere creditoribus, & aliis quorum bona retinent.*

CReditoribus, aliiſque quibus damnum intulerunt, vel quorum bona retinent, reſtituere quidem tenentur omnes homines; ſed ad hoc frequentius adſtricti ſunt divites: quia hi aliena rapere & retinere ſoliti ſunt, nec de eorum reſtitutione quomodocumque curant. Hi ſæpe ludis, comeſſationibus, vanitatibus, & illicitis voluptatibus facultates ſuas inique expendunt, dum gemunt ſutores, laniones, propolæ, mercatores, & creditores, quorum bona injuſte retinent. Hi ſæpe inutilium domeſticorum catervæ, canum venaticorum turbæ, gulonum & nebulonum cohorti, immo & nonnunquam ſcortis ſua voranda exponunt; dum viduas & orphanos, pauperes & inopes, quæ ſibi debita ſunt petentes, tamquam importunos ejiciunt, & foras mittunt.

Norunt haud dubie divites, ſe ad iis omnibuſque quorum bona retinent, reſtituendum teneri; ſed ut ſuam hanc obligationem altius mentibus ſuis infigant; velim, ſciant, quod omni legum genere, omnique jure ad hoc teneantur. Ipſa lex naturalis, ſeu recta ratio dictat, quod jus ſuum cuique tribuendum, quodque ſua cuique reſtituenda: nec eſt aliquis homo, ſi ſtultus non ſit, & omnis inops rationis, qui de hoc dubitet. Jure gentium homines ad aliena reſtituenda teneri docet Gentilis Philoſophus, dicens; *Æquiſſima vox eſt, & jus gentium præſeferens; redde quod debes.* Seneca lib. 3. de benefic. c. 14. Hoc idem lege divina ſancitum eſt, quæ crebro ſua cuique reddere præcipit: & in veteri Teſtamento juſſerat Deus, non ſolum ut res ablatæ reſtituerentur; verum & ut damnum illatum reſarciretur; ac inſuper quinta damni pars daretur: *Ipſum quod intulit damni reſtituet, & quintam partem ponat ſupra.* Levit. 5. 16.

Digitized by Google

5. 16. Lex Eccleſiaſtica, quæ numquam a divina aberrat, crebro declarat in ſacro Canone, quemque ad aliena reſtituenda teneri, nec remitti poſſe peccatum, quin reſtituatur ablatum. Lex tandem Civilis uſurarios, omneſque iniquos alienorum detentores, ad ſua cuique reddenda cogit: totumque Jus Civile ad hoc ſolum inſtitutum videtur, ut agnoſcatur quid cuique competat, & ut ſuum cuique reddatur. Sed avari divites lumen rationis, reſtitutionem ſuadens, in ſemetipſis extinguunt, gentium jura contemnunt, Dei, & utriuſque Juris leges impudenter infringunt, ac quaſi nulla lege ligarentur, aliena nequaquam reſtituunt: in quo graviter, & periculoſe peccant. Ut enim ait Doctor Angelicus, *non eſt peccatum ita periculoſum, ut non reſtitutio male ablati. D. Thom. tract. de decem praecept.*

Peccatum quidem illud periculoſum; qu a hoc peccatum eſt quaſi maligna radix, e qua omnia fere oriuntur peccata: *Radix omnium malorum eſt cupiditas. 1. Tim. 6. 10.* Sed eſt etiam periculoſum; quia quamdiu quis aliena inique detinet, impoſſibile eſt, ut vere pœnitentiam agat: *Qui bona alterius injuſte detinet, ſciat ſe veram pœnitentiam non poſſe agere. De pœn. D. 5. c. falſa.* Uſurarios multos reperire eſt, qui cum intra breve tempus ditiſſimi facti ſint, ſibimetipſis ſuadere conantur, ſe tuta conſcientia inique ablata poſſe poſſidere; hi doctos adire nolunt Confeſſarios, ut ab iis veritatem audiant; nolunt in claram ſuarum obligationum notitiam venire. Timent, ne iis dicatur, quod ad reſtitutionem teneantur; & tamen hi tempore Paſchatis, & aliis temporibus, ad ſacrum Pœnitentiæ tribunal accedunt; ſed ſciant, pœnitentiam eorum eſſe falſam, nullam, & ſacrilegam: *Sciat, ſe veram pœnitentiam non poſſe agere.* Multi ſunt hæredes, qui cum ex ordinatione parentum ad aliqua in pios uſus expendenda, vel reſtituenda teneantur, ea reſtituere negligunt, & recuſant: & quaſi in hoc nec leviter peccarent, conſiteutur ſicut alii, ſacra Communione reficiuntur ſicut alii; ſed certi ſint, pœnitentiam ſuam eſſe nullam: *Sciat ſe veram pœnitentiam non poſſe agere.* Innumeri graves proximo damnum intulerunt, tum per ſe, tum per alios, tum pravis conſiliis, tum conſenſu, vel juſſione; & quia durum iis eſt illata damna reparare, & iis qui illa paſſi ſunt ſatisfacere, mordentem ſopire conantur conſcientiam, ac ſibi perſuadere, quod nec ad damna reſarcienda, nec ad quidquam damnificatis reſtituendum teneantur; cumque ad ſua peccata confitenda Confeſſarium conveniunt, nil hac de re ei dicunt; ſed ſciant, confeſſionem & pœnitentiam ſuam eſſe nullam. Horum tandem omnium falſa, & nulla eſt pœnitentia, qui cum reſtituere poſſint, aliena non reſtituunt: *Sciat ſe veram pœnitentiam non poſſe agere.*

Cumque jam manifeſtum eſſe incipit, divites, & omnes qui aliena detinent, ad ea reſtituenda teneri; cum ad hoc omnes leges, omniaque jura eos adſtringant, cumque graviter peccent, & nulla ſit eorum pœnitentia, ſi non reſtituant; ſed ut magis pateat, eos ſtrictiſſime teneri ad reſtituendum; dico, quod ad hoc ita tenentur, ut ſi non reſtituant, numquam ſalvandi, nec æternam beatitudinem obtenturi ſint.

Arctam eſſe viam, qua itur ad cælum, aſſeruit Chriſtus: *Arcta via eſt quæ ducit ad vitam Matth. 7. 14.* Arcta hæc via, qua tranſire debent omnes peccatores, ut ad Paradiſum pergant, eſt via pœnitentiæ; ſed in hac via unum aliquod invenitur foramen, inquit S. Vincentius Ferrerius, quo tranſire debent quicumque aliena detinent, ut ſalvari poſſint: *Si vis ſalvari*, ait, *fac ut ſerpens, oportet tranſire per arctum foramen; vade per arctum foramen reſtitutionis uſque ad ultimum obolum. S. Vincent. Dom. 7. poſt Trinit. conc. 5.* Non ait, hoc, aut illud ſolummodo reſtituendum, ut vitam æternam habeas; ſed omnia penitus reſtituenda, *uſque ad ultimum obolum*: hoc eſt foramen, hæc via, qua tranſeundum, ut vitam æternam habeas.

Maledicit Chriſtus divitibus illis avaris, qui aliena auferunt & retinent: *Væ vobis divitibus. Luc. 6. 24.* Æterna eos maledictione ferit: quia ſi aliena non reſtituant, æternam beatitudinem numquam obtinebunt: *Neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. 1. Cor. 6. 10.* O avari divites; qui aliena reſtituere renuitis; certi eſtote, quod ſi non reſtituatis cuique quod ſuum eſt, æternam numquam beatitudinem poſſidebitis, ſed ad æterna inferni ſupplicia damnabimini. Væ vobis divitibus, qui congregatis quæ veſtra non ſunt. Væ vobis, quia ſi ea non reſtituatis, dum ridebit uxor vidua, vos in inferno plorabitis: & dum gaudebunt hæredes veſtri, æterna, & horrenda inferni ſupplicia perferetis.

Ita ſtulti ſunt qui aliena retinent, ut non de ſe, ſed de filiis & uxore ſolliciti ſint: non cogitant quid de ipſis fiet poſt mortem; ſed quid de uxore, quid de filiis & hæredibus. O ſtulti, & tardi corde miſeremini animæ veſtræ! *Miſerere animæ tuæ, placens Deo. Eccli. 30. 24.* Ne tam ſollicitis ſitis de divitiis hæredibus veſtris teſtamento relinquendis, quam de ſalvanda anima: quid enim vobis proderit, ſi univerſum mundum lucremini, & filiis veſtris poſſidendum relinquatis; animæ vero veſtræ detrimentum patiamini? O quam durum vobis erit, æterna pati ſupplicia, propter ingratos filios, qui pro vobis nec minimum quid pati vellent! Hoc mente ſerio revolvite; & ad ſanam mentem revertentes, aliena reſtituite.

Narrat *Petrus de Palude enarratione ſecunda*, quod cum avarus quidam, qui aliena multa inique uſurpaverat, extremo morbo cum morte colluctaret, Confeſſarium ad aliena reſtituenda hortantem audire, ejuſque conſiliis obtemperare renueret; prudens Confeſſarius, ut ad intentum finem perveniret, Medicum tecte inſtituit, qui a Confeſſario edoctus, ægrotum adis, de illo conclamatum eſſe annuntiat; nec quocumque modo vitam ejus prorogari poſſe declarat, niſi ex cujuſdam filiorum adipe inungeretur. Quo audito, infirmus, qui ad longiorem vitam ardentiſſime anhelabat, reſpirare cœpit; & coacta omni familia, beneficia iis præſtita, ac ingentes theſauros, quos illis tanto labore comparaverat, exaggeravit; ac proinde horum intuitu, hoc poſtremum ſe ab iis efflagitare dixit; quod ſcilicet unam aut alteram adipis guttam non denegarent, ut parentem a mortis faucibus eriperent, & longiore vita donarent. Cui annuentes filii, accerſito cereo accenſo, nunc unus, nunc ex eis alius propriam carnem urendam admovit; ſed eorum nullus tanto tempore eam ſupra ignem detinere valuit, donec vel unica adipis diſtilleret guttula, qua ſanaretur æger. Ex quo occaſio-

nem

nem ſumens Confeſſarius affandi infirmum, dixit ei: Fierine poteſt, ut tu tuis tantam tranſcribas hæreditatem filiis, & teipſum æternis incendiis tradas? Fierine poteſt, ut cum illi nec pauxillum temporis pro tui amore accenſæ candelæ ardorem ſuſtinere potuerint, tu pro illis horrendarum inferni flammarum vim in æternum perferre velis? Qua ſalubri exhortatione ad ſe reverſus infirmus, ſua cuique reſtituit, ut ſalutem æternam conſequeretur.

O vos omnes, qui ære alieno obſtricti eſtis: vos qui aliena injque detinetis; terribili hoc exemplo docti, ſua cuique reddite. Ne reſpiciatis ad filios, uxores, & hæredes veſtros; ſed vosmetipſos, & ſalutem veſtram inſpicite; ac intus dicite: ita ad aliena reſtituenda teneor, ut ſi non reſtituam, nulla ea ſit pœnitentia, nullaque ſalus: quare reſtituere volo, & omnia non mea, uſque ad ultimum obolum, mox reſtituam. Ecce primam divitum obligationem: at non ſolum aliena reſtituere; *verum & mercenariis mercedem tribuere debent.*

## SECUNDA PARS.

*Divites mercedem tribuere debent mercenariis.*

MErcenarii ſunt in triplici differentia, eorumque *alii* dicuntur artifices, qui ſcilicet in conficiendis veſtimentis, calceamentis, & aliis ſimilibus manus, & artis operibus ex conventione laborant. *Alii* vocantur operarii, qui in dies conducuntur, ut expoliant hortos, vineas, agros. *Alii* ſunt famuli, ancillæ, & alii domeſtici, qui ad ſex menſes; ad unum, vel ad plures annos conducuntur; ut familiæ operibus vacent.

Cujuſvis autem generis ſint mercenarii, promiſſam eis mercedem ſolvere tenentur divites: præcipit enim Deus, ut eis mercedem tribuant, & cito tribuant, dicens: *non morabitur opus Mercenarii tui apud te uſque mane. Levit. 19. 13.* Non ait Deus, ſolvendos nunquam mercenarios, ut faciunt plurimi: non ait, ſolvendos ſolummodo poſt tres, aut etiam poſt decem annos, ut facere ſolent alii: non ait, tunc ſolum ſolvendos, cum obtenta condemnatione ad hoc compelluntur, ut faciunt aliqui; ſed præcipit Deus, ut ſolvantur mercenarii, mox ut opus perfecerint, vel tempus ſolutionis ex conventione indictum advenerit. Non ultra procraſtinanda eſt mercenariorum ſolutio, nec etiam uſque ad mane: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane.*

Tobias, vir ille ſanctiſſimus, mercenariorum mercedem non fraudabat: ſed eodem die, quo opus perfecerant, eos juſte remunerabat, filiumque ſuum ad idem juſtitiæ debitum erudiebat, dicens: *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue; & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. Tobiæ 4. 15.* Quod Tobias filium docet, hoc idem & Deus omnibus divitibus, & omnibus heris præcipit; jubet enim, ut ſtatim, & ſine ulla mora mercenarii mercedem perſolvant: *Non negabis*, inquit, *mercedem indigenti; ſed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam: ne clamet contra te ad Dominum. Deut. 24. 4.*

Mercenariis ſtatim perſolvenda quidem merces: quia Deus hoc præcipit, ſed eſt etiam ſtatim perſolvenda; quia mercenarii communiter pauperes ſunt, qui ſingulis diebus egent mercede ſua, ut ſibi, & familiæ conſulant: & ideo ait Deus, quod eadem die, & ante ſolis occaſum, cuilibet mercenario ſolvenda merces, *quia pauper eſt*; ſolvite ergo, & ſolvite prompte quod mercenariis debetis: quia pauperes ſunt. Sed aliam adhuc ſubdit Deus rationem, cur prompte merces ſit mercenariis tribuenda; ne ſcilicet mercenarii, quorum merces detinetur, adverſus illos, qui eos fraudant, clament ad Dominum: eodem die, inquit Deus, & ante ſolis occaſum, cuilibet mercenario mercedem ſuam reddes, *ne clamet contra te ad Dominum.*

Plurimi ſunt heri, qui cum trium, quatuor, & plurium annorum ſpatio famulos, & ancillas obſequio ſuo mancipatos habuerint, de mercede iis tribuenda non cogitant. Non audent famuli laborum ſuorum mercedem petere, timentes, ne adverſus eos dominus & domina iraſcantur: non audent etiam e domo illorum diſcedere; timentes, ne iis diſpliceant, & ne unquam præteritorum laborum mercedem accipiant; quare ſemper iiſdem dominis ſerviunt, & ab iis nunquam remunerantur. En quod vindictam clamat ad Dominum: *Merces operariorum, quæ fraudata eſt a vobis clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Jac. 1.*

Qui confeſſionibus audiendis vacare ſolent, perſæpe inveniunt miſeros, qui adverſus divites murmuraſſe, iiſque maledixiſſe, ac plurima peroptaſſe mala confitentur. Cumque ab iis petitur, cur hæc murmura, cur hæ maledictiones & imprecationes? Reſpondent, o Pater, miſeriis opprimor, ad extremam redactus ſum egeſtatem, & tamen hic dominus, & hæc domina, quibus diuturno tempore fideliter ſervivi, nullam unquam mihi mercedem dederunt, & quidquid faciam, eos ad paupertatem meam ſublevandam movere nequeo; quare tandem in illos linguam ſolvo, ac in maledictiones, & imprecationes nonnunquam prorumpo. Ecce quod quotidie accidere ſolet, & tamen hi heri, qui famulorum mercedem fraudant, ſe nullius ſceleris reos arbitrantur, ſed certum eſt, eos graviter peccare: eorumque peccatum ad Deum clamare; *Clamor eorum in aures Dei introivit.*

Sed quot ſunt artifices, quot operarii, qui poſt multos exantlatos labores, nec os aperire audent, ut retributionem poſtulent? Quot ſunt miſeri, qui fame pereunt, & qui ad panem mendicandum redacti ſunt; quia hic & ille dominus, hæc & illa domina mercedem juſte debitam defraudarunt? Dominus talis, inquiunt, hoc, & illud mihi debet, nec petere audeo; domina talis a pluribus annis hoc & illud mihi debet, nec quomodocumque eam ad mihi ſatisfaciendum allicere poſſum. O quam iniqui ſunt hujuſmodi, qui mercenariorum mercedem injuſte detinent! Hi sane in continuo mortali peccati ſtatu vivunt; ac gemitus & clamores eorum, quos defraudant, ad cœlum aſcendunt, ut a Deo vindictam poſtulent; *Clamor eorum in aures Dei introivit.*

Ad Deum aſcendunt clamores eorum, quorum merces defraudatur, ad Deum aſcendunt, & ſæpe eum ad vindictam movent; Deus enim ſæpe, etiam in hoc mundo, dire plectit iniquos illos heros, qui

mer-

mercenariorum mercedem defraudant; Deus ſæpe de his vindictam ſumit, *Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum. Pſ.* 139. 13. Moritur tibi puer, quem tanto affectu diligebas; ecce Dei manum, a qua plecteris: quia famulum hunc non ſolviſti. Cum minus cogitas, repentina mors maritum tibi, tuæque familiæ maxime neceſſarium, ex hoc mundo auſert; ecce flagellum, quo te Deus ferit: quia huic ancillæ, vel huic opifici debitam mercedem non tribuiſti. Suboritur tibi grave negotium; morbi in familia tua ingraveſcunt; in magnam facultatum jacturam incurris; ecce vindictam, quam de te ſumit Deus, quia mercenarios inique defraudaſti.

Sed quid hæc, reſpectu vindictæ, quam in inferno ſumet Deus de iis, qui mercenariorum mercedem fraudaverunt? Gravia in hoc mundo ſunt illorum crimina, & gravia in inferno erunt eorum ſupplicia.

Ne arbitremini, leviter peccare eum, qui mercenariis debitam mercedem non tribuit; ne credatis, hoc peccatum inter leviſſima recenſendum: graviſſimum enim eſt, ac ſæpe multorum cauſa peccatorum.

Cum hunc famulum, hanc ancillam, hunc artificem conducis, polliceris eis, te hanc & illam eis mercedem daturum. Fide hac a te accepta, tuo ſe obſequio mancipant, libertate ſua ſe privant, in ſudore vultus ſui pro te laborant, pondus diei & æſtus fuerunt, noctes ſæpe inſomnes ducunt; quare ſi cum tempus mercedis dandæ advenit, mercedem eis denegas, vel minuis, graviter peccas contra fidem, quam iis dediſti, & contra juſtitiam, qua teneris ad dandam iis mercedem ratione conventionis initæ, & pollicitationis iis factæ, graviter peccas, multorumque es cauſa peccatorum: quia hi, quorum mercedem fraudas, adverſus te multa maledicta proferent. Cum ergo gravia ſint peccata eorum, qui operariorum mercedem fraudant: gravia etiam in inferno erunt eorum ſupplicia.

O N. N. nonne melius eſt huic famulo, huic ancillæ, & huic artifici, viginti, centum, & plures dare nummos, quam dira inferni tormenta pati? Nonne ſatius eſt, mercedem iis promiſſam totaliter, & prompte tribuere, quam procraſtinare, cum iis altercari, ad iracundiam illos provocare, & tandem ad æterna ſupplicia condemnari? Hoc certe ſatius & melius: quare mox ut operarii veſtri conſtitutum tempus & opus compleverint, vocate illos, & cuique mercedem ſuam tribuite. Non expectetis, ut veniant ad vos, ut fuſis lacrymis rogent vos, ut intentata lite cogant vos ad illos ſolvendos; ſed cum tempus ſolutionis advenerit, voluntarie vocate illos, & omnia eis debita prompte ſolvite: *Voca operarios, & redde illis mercedem. Matth.* 20. 8. Ecce ad quid teneantur divites; *ſed & pauperibus eleemoſynam dare debent.*

## TERTIA PARS.

*Divites eleemoſynam pauperibus dare debent.*

Nil durius antiquis quibuſdam Philoſophis viſum eſt, quam inæqualitas bonorum temporalium: vix enim concipere poterant, cur hominum, qui ejuſdem erant naturæ, & quibus nativitatis idem jus ad omnia mundi bona dare videbatur, ſors ita eſſet diverſa, ut ex iis alii divites, & alii pauperes eſſent. Sed hi hanc inæqualitatem juſtam, & bonam eſſe cenſuiſſent; ſi noſſent hoc ita ordinatum a Dei providentia, quæ ex hominibus aliquos divites eſſe voluit, non ut theſauros multos congregarent; non ut ſuperflua in uſus profanos impenderent; ſed ut ea pauperibus erogarent.

Vult quidem Deus, ut bonis ſuis utantur divites, ad ſubveniendum neceſſitatibus perſonæ, & familiæ ſuæ; ſed ſuperflua ſtatui & perſonæ ſuæ, pauperibus, ſaltem neceſſitatem patientibus, erogari præcipit; *Quod ſupereſt*, inquit Chriſtus, *date eleemoſynam*: Non ait, ſuperflua danda ganeonibus, canibus, & meretricibus: non ait etiam, illa in ludos, vanitates, & illicitas voluptates profundenda; ſed ea pauperibus dari jubet. Non credendum, inquit Doctor Angelicus, divites ad ſuperflua pauperibus tribuenda teneri ſolummodo ex conſilio, ad hoc enim tenentur ex præcepto: ita ut graviter peccent ſi ea pauperibus neceſſitatem patientibus non diſtribuant: *Eleemoſynam de ſuperfluo dare neceſſitatem patienti, eſt in præcepto.*

Ad hoc ſe teneri non dubitabunt divites, ſi advertant, quod pauperes in ſuperflua eorum jus habeant, tamquam in patrimonium ſuum: ut enim ait S. Ambroſius, *ſuperflua divitum, ſunt patrimonia pauperum*. Deus, qui & divitum & pauperum pater eſt, divites bonorum hujus mundi quaſi hæredes inſtituit; pauperes vero non ut filios ſpurios abjecit, ſed pro hæreditatis legitima portione dedit eis quæ divitibus eſſent ſuperflua: hoc eſt patrimonium illorum; quod ſi non eis dent divites, contra Dei ordinationem peccant, & patrimonium illorum ſuffurantur.

Non me latet, quod dicere ſoleant divites, nil ſibi eſſe ſuperfluum: omnia, inquiunt, quæ poſſideo, mihi, aut familiæ meæ pluſquam neceſſaria ſunt: tantum abeſt, aliqua mihi eſſe ſuperflua; quin contra multa mihi deſunt. Sed ſi bene advertant, multa apud ipſos ſuperflua eſſent, & inaniter profundi invenient. O quot ſuperflua in divitum domibus, quæ pauperibus erogari deberent? O divites, tot in domibus veſtris ſunt ſervi, tot ancillæ, tot pediſſequi, tot ganeones, qui Deum toties quoties blaſphemant, nec prima Fidei rudimenta ſciunt: & tamen magnis ſumptibus nutriendi, & remunerandi ſunt: *Ibi eſt aliquid ſuperfluum.* Ut mulier, vel aliqua ex filiabus veſtris vanitati ſuæ ſatisfaciat, veſtibus pretioſis induta incedit; multoſque proventus effundit, ut ſuperflua ſuppellectile gaudeat: *Ibi eſt aliquid ſuperfluum.* In domibus veſtris ſæpe ſunt veſtes, calcei, & alia quæ vel in arca latent, vel in cameris volvuntur. *Ibi eſt aliquid ſuperfluum.* In horreis veſtris ad multos annos ſunt frumenta, quæ putreſcunt: *Ibi eſt aliquid ſuperfluum*: omnia autem hæc ſuperflua pauperibus impendere tenemini: quia hæc ſunt patrimonia, quæ Pater cæleſtis pauperibus teſtamento reliquit. Pupillis patrimonium tutores reddere tenentur eo tempore, quo Leges jubent, pauperes autem ſunt quaſi pupilli, quos Deus ſub divitum tutela conſtituit, præcipiens eis, ut horum pupillorum curam habeant: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. Pſ.* 9. 41. Præcipit etiam, ut eis ſuperflua tribuant, quæ patri-

Digitized by Google

trimonia eorum ſunt: *Superflua divitum, ſunt patrimonia pauperum*.

Cum exprobramus divitibus nimias impenſas, quas in ludis, comeſſationibus, conviviis, & libidinibus faciunt: reſpondere ſolent, ſe nulli injuriam facere, ſeque ſolummodo id quod ſuum eſt, expendere; ſed falluntur: quia quæ inaniter profundunt & omnia quæ apud eos ſunt ſuperflua, non ad illos, ſed ad pauperes attinent; hæc ſunt patrimonium pauperum, quod ad illos pertinet. O dives, inquit S. Baſilius, *eſt panis famelici, quem tu tenes: eſt nudi tunica quam in conclavi conſervas; diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit; indigentis argentum, quod poſſides inhumatum*. Quaſi dicat: panis ille, quo tot canes venaticos, tot inutiles domeſticos, & forte ſcorta nutris, non tuus, ſed pauperum eſt: *eſt panis famelici, quem tu tenes*. Veſtes illæ, quæ ſine numero apud te ſunt; veſtes illæ ſuperfluæ, quas in arca, vel in camera reconditas habes, non tuæ ſunt, ſed pauperum illorum, qui quo veſtiantur non habent: *Eſt nudi tunica, quam in conclavi conſervas*. Calcei illi, qui ſub cubilibus volutantur & putreſcunt, ad pauperes illos attinent, qui quo calceati incedant non habent: *Eſt diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit*. Argentum etiam illud, inquit S. Ambroſius, quo non eges, quodque ſub terra reconditum conſervas, non tuum, ſed egenorum eſt: *Indigentis argentum, quod poſſides inhumatum*. Omnia tandem quæ perſonæ & ſtatui tuo ſuperflua ſunt, ad pauperes attinent, eaque illis erogare teneris.

Unde D. Bernardus pauperes, ſic divites illos qui ſuperflua in profanos & malos uſus effundunt, alloquentes inducit: *Noſtrum eſt quod effunditis; nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter vos expenditis. D. Bern. epiſt. 2. ad Henric.* Quaſi dicant: o divites, non ad hoc a Deo bona accepiſtis, ut ſuperflua in deliciis abſumatis; ſed ut ea in eleemoſynas erogetis: hæc non tam veſtra ſunt, quam noſtra, & ſi veſtra non ſint, ea noſtra facere tenemini, ea nobis impertiendo: *Noſtrum eſt quod effunditis*. Et ideo raptores ſimul eſtis & crudeles; *raptores*: quia quæ noſtra ſunt detinetis & effunditis; *crudeles* vero, quia crudeliter nobis ſubtrahitis quæ nobis neceſſaria ſunt: *Nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter vos expenditis*. Divites ergo, ut conſtat ex jam dictis, ſuperflua, & quæ ſunt ultra decentiam ſtatus, tenentur in eleemoſynas erogare: *Quod eſt ultra decentiam ſtatus, debet in eleemoſynas diſpenſari, & hoc cadit ſub præcepto. D. Thom. in 4. diſt. 25. art. 2.*

Magna quidem hæc divitum erga pauperes obligatio: ſed ad majora adhuc tenentur reſpectu pauperum; cum eos in graviſſima, vel extrema neceſſitate conſtitutos eſſe norunt; tunc enim non ſolum tenentur ad ſuperflua, ſed etiam ad ſibi neceſſaria eis impendenda, niſi & ipſi parem neceſſitatem patiantur. Unde communiter cum S. Ambroſio docent Auctores, quod ſi quis magnam, qua pauper aliquis gravatur, neceſſitatem agnoſcens, non ei ſubveniat, cum poſſit, homicida eſt, & reus mortis illius pauperis, ſi defectu ſubſidii pereat. *Si non paviſti, occidiſti*. Vides pauperem nudum, qui ob graviſſimum quod patitur frigus, perit: quod non accidiſſet, ſi ei veſtem dediſſes obſoletam, quæ in domo tua putreſcit; reus es mortis ejus: *occidiſti*. Vides pauperem, qui graviter infirmatur, cui ſi ſubvenires, ad priſtinam ſanitatem reverteretur; & qui moritur, quia ei tuum auxilium denegaſti; reus es mortis ejus: *occidiſti*.

O quot hujuſmodi homicidæ in hoc mundo! Quot ſunt divites, qui cum iis quæ pauperibus debent, non ſatisfaciant, homicidæ illorum ſunt! Ex his homicidis fuit dives ille epulo, qui pauperi Lazaro cadentes e menſa micas denegavit; ex his homicidis ſunt, qui non occurrunt extremæ neceſſitati pauperum quæ ipſis nota eſt. Ille, qui pauperi Lazaro panis fruſtum dare noluit, in inferno nec aquæ guttam obtinere potuit; & iſti, qui pauperibus dare recuſant ea, quæ iis ex Dei præcepto debent, æternis inferni cruciatibus addicentur.

Clamant in hoc mundo pauperes ad januam divitis, ut ab eo eleemoſynam impetrent; & clamabunt avari divites in inferno, ut a Deo miſericordiam conſequantur. Sed eadem illos menſura Deus metietur, qua & ipſos mendicos menſi ſunt, & quia in hoc mundo duri, & immiſericordes fuerunt erga pauperes; Deus ſimiliter erga illos erit immiſericors, nullamque unquam ab eo gratiam & miſericordiam obtinebunt: ſed in æternum ab eo inferno plectentur.

O quales tunc divitum lacrymæ! o quales gemitus! o quam maxime tunc optarent ſuis in hoc mundo ſatisfeciſſe obligationibus! Tunc vellent aliena reſtituiſſe, mercenariis juſtam mercedem tribuiſſe, & pauperibus largas eleemoſynas dediſſe. Tunc dicent, o utinam credidiſſem Concionatoribus, & Confeſſariis, qui ad facienda quæ mei muneris erant, me ſollicitabant! Tunc clamabunt, o utinam meis omnibus obligationibus feciſſem ſatis! Sed vana hæc erunt divitum vota; inutilia hæc eorum erunt deſideria. Quare, o divites, facite nunc quod tunc quiſque veſtrum feciſſe optaret; aliena nunc propriis dominis reddite: mercenariis debitam mercedem prompte tribuite, pauperibus eleemoſynam date, & Pater cæleſtis æternam vobis mercedem concedet. *Amen*.

## DOMINICA PASSIONIS
## DE
# VITÆ INNOCENTIA.

*Quis ex vobis arguet me de peccato?*
Joann. 8. 46.

CUm iniquis & peccatoribus in hoc mundo mixti ſunt juſti & innocentes; ibi habitat agnus cum pardo, lupus cum agno, & innocens cum homine peccatore. Verum eſt, quod novit Deus, qui ſint ejus, juſtos, & innocentes agnoſcit, eos fovet, illos protegit, iiſque benefacere non deſinit; ſed dum innocentium & *juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, in eos tela ſua vibrant impii, adverſus illos inique proſequuntur.

Hoc videre eſt in hodierno Evangelio, in quo fertur, adverſus Chriſtum, omnis innocentiæ magiſtrum, inſurrexiſſe Scribas & Phariſæos; qui eum Samaritanum vocant, qui illum dæmonium habere dicunt, quique lapides tollunt, ut in illum jaciant.



Digitized by Google

Deteſtanda quidem hæc hominum impiorum malitia; ſed æmulanda magis Chriſti Domini innocentia, quæ tanta extitit, ut nec leviſſimi peccati vere argui potuerit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Chriſti innocentiam, ut exemplar a nobis imitandum, in hac concione proponam, &c. *Ave*.

INnocens eſt, qui in nullum unquam peccatum incidit; *Innocentior*, qui non ſolum omni peccato, verum & omni ad peccatum affectu caruit; *Innocentiſſimus*, qui non ſolum peccatum, & affectum ad peccatum, ſed nec aliquam etiam peccati ſpeciem habuit. Talis autem extitit innocentia Chriſti Salvatoris, qui quidem nullius peccati reus fuit, cum de fide ſit, eum nec peccaſſe, nec peccare potuiſſe, *ipſe peccatum non fecit?* 1. *Joann.* 3. qui etiam nullum affectum ad peccatum habuit, cum illud ſummo odio proſecutus ſit, ac ad illud deſtruendum venerit, *Apparuit, ut peccata noſtra tolleret*; qui tandem nullam peccati ſpeciem & umbram prætulit, cum fuerit ita *ſanctus, innocens, impollutus, & ſegregatus a peccatoribus*, ut nullus eum vere peccati alicujus arguere potuerit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

O mirabilem Chriſti innocentiam! Sed da alterum in hoc mundo, cujus tanta extiterit innocentia, ut nec peccatum, nec peccandi affectum, nec ſpeciem peccati habuerit. Certe nullum talem reperire eſt, hæc tamen æmulanda eſt innocentia, & quiſque pro viribus contendere debet, ut a ſeipſo omne peccatum, omnem affectum ad peccatum, omnemque peccati ſpeciem tollat. Unuſquiſque a ſeipſo tollere debet, 1. Omne peccatum, 2. Omnem affectum ad peccatum, 3. Omnem ſpeciem peccati.

## PRIMA PARS.

### *Tollendum eſt omne peccatum.*

TAnta Chriſti extitit innocentia, ut nec vel minimi cujuſvis peccati argui potuerit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hæc autem æmulanda eſt innocentia, ſaltem reſpectu gravium peccatorum, ita ut nec unicum unquam in nobis regnat mortale peccatum. Quod expreſſe docet Spiritus Sanctus, aſſerens illum multa bona perdere, qui vel unicum grave crimen perpetraverit, *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. Eccle.* 9. 18. Homo juſtus aurea charitate nitet, gratiæ divinæ theſauris eſt dives, Dei amicitia gaudet, juſque ad æternam felicitatem habet; ſed ſi in unicum incidat mortale peccatum, hæc omnia bona perdit, quia adveniens mortale peccatum, hæc & alia multa bona e corde juſti obliterat, & ut præfata Eccleſiaſtæ verba exponit S. Dorotheus: *Si decies cuique bene operari contigerit, & ſemel tantum facere malum, id unicum tanta illa bona perdet ac deſtruit.*

Negationem malignæ eſſe naturæ aſſerunt Philoſophi; ejuſque in hoc conſiſtit malitia, quod omnia eam ſubſequentia deſtruat: *Negatio malignantis eſt naturæ, quidquid poſt ſe invenit, deſtruit.* Dic, aliquem eſſe juſtum, ſapientem, & doctum: da illi quos volueris gloriæ titulos; ſi omnibus his titulis unicam præponas negationem, ſi unicum *non* præeat, omnia ſubſequentia deſtruet, ita ut qui antea dicebatur juſtus, ſapiens, & doctus, poſtea dicatur non-juſtus, non ſapiens, non doctus. Eadem, ac longe major eſt mortalis peccati malitia: quantumvis enim quis ut juſtus, velim, quod innumeris fulgeat virtutibus & meritis, ſi unicum adveniat mortale peccatum, hæc omnia deſtruet: *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.* Quare cum tanta ſit mortalis peccati malitia, omnia penitus tollenda & eliminanda ſunt peccata mortalia.

Perbelle dixit Cicero, hominem probum & juſtum eſſe ſimilem verſui, ſeu metro Poetico, cui ſi vel ſyllaba deſit, aut exerret, totum vitioſum eſt, & publico ſibilo, aut convicio excipitur: *Cui ſi ſyllaba deſit, aut exerret, exſibilaris. Cic. in paradox.* 5. Idem ſane dicendum de quolibet homine juſto; eſt enim quaſi verſus, & quaſi carmen Poeticum; quia ſi peccet mortaliter, ſive per exceſſum ſive per defectum, juſtus eſſe deſinit, & peccator evadit. Oret quis aſſidue, jejunet, eleemoſynas largiter eroget, aliiſque multis niteat virtutibus, ſi luxuriæ, gulæ, vel alteri cuidam vitio indulgeat, licet in unicum mortale incidat, per illud unicum mortale juſtus eſſe deſinit, ac peccator fit & malus. Quare tollenda, & fuganda a nobis omnia peccata mortalia, ita ut nec unico animas noſtras inquinari patiamur.

Cum Alexander magnus, ut Deus honorari voluit, omnibuſque ſibi ſubditis imperavit, ut ſibi divinos honores impenderent ac ut Deum venerarentur, Caliſthenes Philoſophus, qua majori potuit modeſtia & humilitate, eum commonuit, hos honores homini mortali non deberi. Quod monitum ita Regi diſplicuit, ut Caliſthenem naribus, auribus, labiiſque truncatum, cum cane cavea incluſum circumferri, ac tandem occidi imperaverit. O infandum Alexandri crimen! Quod, licet unicum, omnes heroicas tanti Principis virtutes obſcuraſſe, & quaſi ſuſtuliſſe, aſſerit Seneca, *hoc eſt*, inquit, *Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Seneca quæſt. nat. l. 6. cap.* 23. Non dicas, tantam eſſe Alexandri gloriam, ut multa Perſarum millia trucidarit, nam in promptu reſpondebit Seneca: *quoties quis dixerit, occidit Perſarum multa millia, opponetur, & Caliſthenem occidit.* Non dicas, famoſum hunc Principem, Darium Perſarum Regem occidiſſe, reſpondebit enim Seneca, *Quoties dictum erit, occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat, opponetur, & Caliſthenem occidit.* Non dicas, Alexandrum omnia fere totius mundi ſubjugaſſe Regna, ac Imperii ſui terminos quam longiſſime protendiſſe, nam reſpondet Seneca: *Quoties dictum erit, omnia Oceano tenus vicit, ipſum quoque tentavit novis Claſſibus, & imperium ex angulo Thraciæ, uſque ad Orientis terminos protulit, dicetur: ſed Caliſthenem occidit.* O graviſſimum Alexandri crimen! quod (licet unicum) tantam tamen nomini & gloriæ ejus maculam inuſſit, ut omnia præclara ejus facta denigraverit, & quaſi annihilarit. Quod autem de Alexandro Seneca; hoc, & de omnibus penitus hominibus dici poteſt. Si vir prudentia inſignis, corporis afflictatione famoſus, charitate erga pauperes mirabilis, humilitate & patientia illuſtris, ſi unicum ſcelus perpetraſſe dignoſcatur, ut ſi unico vitio addictus ſit, illud unicum vitium omnes ejus virtutes obſcurat, Dicet quis, adoleſcens ille bonæ indolis eſt,

ac

Digitized by Google

ac pietatis exercitiis aſſiduus. Mercator hic quotidie ſacris intereſt, ac erga pauperes eſt liberalis; iſte Cauſidicus pupillorum jura tuetur, ac orphanis eſt adjutor. Fateor hæc omnia bona eſſe, & laudabilia, ſed ſi hic adoleſcens, Mercator ille, & iſte Cauſidicus, ſint vel unius criminis rei, hoc unicum crimen omnes eorum virtutes denigrat, obſcurat, & deſtruit. Quare non ſufficit, quod quis aliquibus floreat virtutibus, ſi omnia penitus crimina non emendet, & tollat: *niſi totum emendaſti, nondum quidquam feciſſe puta. Chryſ. hom. 19. ad Pop.*

Hoc præclare docuit vir quidam nobilis & ingenioſus, dum in gentilitiam teſſeram, ſibi lernæam adlegit hydram, cum brevi hoc lemmate. *Aut omnia, aut nullum*. Noſtis ſepticipitem fuiſſe hanc hydram, nec debellari potuiſſe, niſi uno ictu ſeptem ejus capita ſimul truncarentur, quia ſi unicum tantum amputatum eſſet, ex illius capitis trunco ſeptem alia orta eſſent. Et ideo victor fuit Hercules; quia unico ictu ſeptem hæc capita demeſſuit. O præclarum ſymbolum, quo docemur, quomodo ſepticeps peccatorum hydra, ſeu ſeptem peccata capitalia a nobis debellanda ſint; non enim aliqua ſolum, ſed omnia prorſus ſunt abſcindenda, & a conſcientia noſtra expellenda, ita ut nec unicum in nobis remaneat, *Aut omnia, aut nullum*.

Leproſo Naaman, Syriæ Principi, imperavit Eliſæus Propheta, ut ſepties in Jordane lavaret ſe: *Vade, & lavare ſepties in Jordane, & recipiet ſanitatem caro tua, & mundaberis. 4. Reg. 5. 10.* Cur ab eo petit Eliſæus, ut ſepties laver ſe in aquis Jordanis? Certum eſt, quod ab his aquis, phyſice agentibus, ſanari non deberet, ſed ideo ſanandus erat, quia Prophetæ imperanti obtemperabat. Cur ergo Prophetæ, ut probet leproſi hujus obedientiam, & ut illum ſanet a lepra, non ei imperat, ut bis, ter, vel decies, ſed ut ſepties lavet ſe in Jordane: *Lavare ſepties*? Hoc ad noſtram inſtructionem factum eſt, ut ſcilicet diſcamus, eos, qui a peccatorum lepra mundari voluerint ſepties, ſeu ab omnibus peccatis mortalibus, quæ ad ſeptem reducuntur, lavari debere, ita ut qui unicum lavare negligeret, nullum lavaret, & a peccati lepra nullo modo ſanaretur. Lavare ergo ſepties: lava, & in temetipſo omnia penitus deſtrue mortalia, ita ut nec unicum in te maneat.

Joſue & Iſraelitis præcepit Deus, ut civitatem Jericho everterent: hoc præceptum ab iis ita adimpleri voluit. Primo, ut ſepties hanc circuirent civitatem: *Septieſque circuibitis civitatem*. Secundo, ut populus voce magna clamaret: *Conclamabit populus vociferatione maxima*. Tertio, ut non ſolum aliqua pars, ſed tota penitus civitas deſtrueretur: *Et muri funditus corruent civitatis. Joſue 6.* Ecce quid facere debeat homo peccator: Jericho enim *iniquitatem* ſignificat, quare quiſque peccator Jericho, ſeu iniquitatem deſtruere debet. Ut autem illam deſtruat, ſepties, id eſt pluries mente circuire debet interiora conſcientiæ ſuæ, ut agnoſcat quæ ibi peccata lateant. Deinde ad Deum clamet neceſſe eſt, ut ab eo gratiam & miſericordiam poſtulet. Ac tandem non partem ſolum, ſed totam civitatem Jericho, ſeu omnia peccata mortalia debet funditus evertere, ita ut nullum in corde ſuo mortale peccatum relinquat. Si enim vel unicum relinquat, hoc nil ei proderit.

Quid prodeſt, civitatem mœnibus eſſe cinctam, fortiſſimis vallis inacceſſam, propugnaculis & arce munitam, ſi unicus hoſti pateat aditus, quo facile in eam ingredi, eamque invadere poſſit? Quid prodeſt, adverſus aquarum impetum, denſum extruxiſſe aggerem, ſi vel unica remaneat rimula, qua domus deſtruatur? Quid prodeſt, ſex e domo expuliſſe latrones, ſi ſeptimus in ea abſconditus remaneat, qui ſolus dominum domus ſit occiſurus, & bona ejus direpturus? Sicut hæc omnia parum prodeſſent, ita parum prodetit, ſi quis omnia e corde ſuo expellere conetur mortalia, uno excepto, quia per illud hoſti patebit aditus, per illud bonis ſpiritualibus ſpoliabitur, & per illud ſpiritualiter occidetur.

Hoc novit callidus ſatanas, & ideo hominibus ſuadere conatur, ut uni ſaltem mortali peccato adhæreant. Erga illos ſe habet, inquit Chryſoſtomus, ſicut ſe habere ſolet puer erga aviculam, cujus modo pedem unico filo ligatum teneat, eam hinc inde volitare ſinit, quantum voluerit: ſic, ut ait Os illud aureum, dæmon parum curat, quod quis jejunet, facultates pauperibus diſtribuat, Sacramenta frequenter recipiat, multaque alia bona opera faciat, modo illum unico mortali peccato vinctum teneat, ſciens, hæc omnia non eſſe meritoria, ac videns, unicum hoc mortale ſufficere ad mortem ſpiritualem & æternam ei dandam. Quare non hæc ſolum, aut illa, ſed omnia penitus peccata mortalia a ſe quiſque tollere & eliminare debet.

Quærit S. Baſilius, an homo, qui multa bona opera fecerit, propter unicum malum opus, ſeu propter unicum mortale, cujus pœnitentiam non egerit, ſit damnandus, ac æternis cruciatibus addicendus: *Numquid ex omnibus recte factis, ſi unum aliquod alicui tantum obſuerit, is propterea ſalutem non adipiſcatur?* Eandem quæſtionem agitant multi Doctores, variiſque tum auctoritatibus, tum rationibus probant, eum revera fore damnandum. Quod & aſſerit S. Baſilius, *S. Baſil. in reg. brev. interrog. 233.* idque probat exemplo S. Petri; qui licet præclara multa pro Chriſti amore fecerit, atque ab eo *Beatus* ſit appellatus; quia tamen una tantum in re, ab obedientia viſus eſt diſcedere, ei dixit Chriſtus: *Niſi lavero te, non habebis partem mecum*: id eſt, ſalvus non eris, ſed in æternum peribis. Ecce quo ducit unicum mortale: ſemel mortaliter peccaſſe, æternum periiſſe eſt, per unicam lethiferam noxam, quæ per pœnitentiam non deletur, omnis optatæ felicitatis ſpes evertitur; & pœnarum æternitas incurritur. Quare non aliqua dumtaxat, ſed omnia prorſus tollenda ſunt peccata mortalia: *ac etiam omnis affectus ad peccatum*.

## SECUNDA PARS.

*Tollendus eſt omnis affectus ad peccatum.*

CUm invenit Chriſtus hominem, qui ab immani dæmonum legione torquebatur, eos omnes ſimul ejecit, ita ut nec unicum e tartareis illis hoſpitibus ibi remanere permiſerit. Cur non jam aliquos, deinde alios, ſed omnes ſimul Chriſtus expulit? Reſpondet Auguſtinus, hoc feciſſe, ut oſten-



Digitized by Google

deret omnia peccata mortalia per pœnitentiam eſſe expellenda, ita ut nullum remaneat: *Oſtendens, quod ſi etiam peccata ſint mille, oportet de omnibus pœnitere. Aug. l. de pœnit.* Hoc ſane ita fieri neceſſe eſt, quia impoſſibile eſt, unum mortale remitti ſine alio, ſed omnia ſimul remittuntur, aut nullum, quare omnia mortalia ſunt ſimul neceſſario tollenda. Sed tollendus eſt etiam omnis affectus ad peccatum mortale.

Hoc præclare docuit pereximius pœnitentiæ Præco S. Joannes Baptiſta, qui poſtquam prædicavit populis, omnium peccatorum agendam eſſe pœnitentiam: *Pœnitentiam agite. Matth. 3. 2.* talem docet eſſe debere pœnitentiam, ut peccatorum radices, ſeu affectus pravi, a quibus, tamquam a radicibus, exterius pullulant peccata, penitus eradicentur. *Jam*, inquit, *ſecuris ad radicem poſita ſit*; non ait, excutienda peccatorum folia, vel aliquos eorum ramos exſcindendos, ſed ſecurim ad radices eſſe ponendam, ita ut affectus pravi, a quibus, veluti a radice, oriuntur peccata, penitus extirpentur: *Securis ad radices peccati ponenda eſt, ut irreparabiliter extirpentur. Chryſ. hom. 3. in c. 2. Matth.* Quod ita neceſſe cenſet D. Bernardus, ut pœnitentiam, qua non eradicatur affectus ad peccatum, ſeu voluntas peccandi, non tam pœnitentiam, quam fictionem execrandam eſſe aſſerat: *An vero*, inquit, *aliud eſt quam fictio execranda, ſi peccata ſuperficie tenus radas, non intrinſecus eradices? Certus eſto, quoniam pullulabunt ulterius. Quod periculum ſi volumus declinare, ſecurim ponamus neceſſe eſt ad radices. S. Bern. ſer. 2. de Aſſumpt.*

Dixit Deus Abrahamo: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi. Geneſ. 12. 1.* Jam de domo & terra ſua egreſſus erat Abraham, cum præcepit ei Deus, ut egrederetur: cur ergo ei egredi imperat, cum jam egreſſus ſit? Myſterium explicat Rupertus Abbas, dicens ei præcepiſſe Deum ut de domo, & de terra egrederetur, de quibus egreſſus erat; quia volebat, ut ex iis egrederetur affectu, qui ex iis jam corpore egreſſus erat: *Ut ſicut de terra Chaldæorum corpore egreſſus erat, ita affectu egrederetur.* Eandem fere explicationem adducit S. Auguſtinus, ajens, Abrahamo Deum præcepiſſe, *non ut corpus inde ejiceret, quod jam fecerat, ſed ut cor inde evelleret, quod forte non fecerat.* O præclaram explicationem, quæ optime propoſito noſtro congruit! terra enim, in qua morabatur Abraham, erat terra Chaldæorum, quæ iniquitatem ſignificat: e terrâ autem Chaldæorum, ſeu iniquitatis, egredi debet peccator, non ſolum actu, ſed etiam corde & affectu, ita ut peccandi voluntatem, & affectum ad peccatum tollat. Non enim ſatis eſt, quod quis ab actibus externis luxuriæ, avaritiæ, gulæ, & aliorum vitiorum abſtineat, ſed neceſſe eſt, ut ab iis egrediatur corde: ita ut voluntatem & affectum ad hujuſmodi peccata penitus tollat.

Iſraelitico populo ex parte Dei imperavit Samuel, ut omnia idola de medio ſui tolleret. *Auferte deos alienos de medio veſtri. 1. Reg. 7. 4.* Advertunt autem S. Gregorius, & Toſtatus, tunc nulla extitiſſe idola in Iſrael, quia omnia penitus ablata erant, cur ergo præcipit eis Samuel, ut auferant idola de medio ſui? Hoc præcipit, ut doceat eos, tollendum eſſe affectum ad idola. Jam illa revera abjecerant e Templis & domibus ſuis, ſed remanebant adhuc in medio eorum, ſeu in corde per affectum, quare præcipit Samuel ut tollant ea de medio ſui: ſeu ut e corde ſuo affectum ad idola tollant. Salubre quidem hoc Samuelis præceptum, quod & ad noſtram eruditionem factum eſt: idola enim hominum ſunt peccata, quæ colunt, unius idolum eſt avaritia, alterius luxuria, & alterius gula. Hæc autem idola totaliter tollenda ſunt, non ſolum actu, verum & affectu, ita ut omnis penitus tollatur affectus ad hujuſmodi idola.

Hujus rei præclaram ideam dedit purpuratus quidam Præſul, cum in camera tabellam expoſuit, in qua picta erat pœnitentia, non ciliciis & flagellis armata, non jejuniis, & vigiliis extenuata, nec vilibus induta veſtibus, ſed ad modum nobilis cujusdam matronæ modeſte veſtitæ, & accenſas duas faces portantis, quarum una manus, & altera cor hominis pœnitentis comburebat. Ejus urebat manus, ut oſtenderet, peccata exterius eſſe abſcindenda, ejuſque cor cremabat, ut manifeſtaret, hominem vere pœnitentem, non ſolum actu & exterius, ſed etiam interius, ac toto corde & affectu peccata ſua debere tollere. Non enim ſatis eſt, peccata exterius ſuſtuliſſe, ſed e corde etiam ſunt penitus tollenda, ita ut nulla peccandi voluntas, nulluſque ad peccatum affectus remaneat.

Curioſe inquiſierunt nonnulli, quo flagitii genere plures ad tartara ducantur? Variaque circa hoc Auctorum fuere judicia. Carolus Scribanus arbitratur, e centum qui aliena detinent, ob injuſtitiam, ſeu ob defectum reſtitutionis, facile nonaginta æternum perire. S. Remigius aſſeruit, quod, *demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci ſalvantur.* S. Antonius ait: *S. Anton. Chron. Min. tom. 2. l. 10. c. 32.* ob idololatriam & hæreſim innumeros ad infernum ruere, & Cauſidicos gregatim ut porcos illuc properare. Sed dicam, unum eſſe malum, a quo dæmones & homines ad inferos præcipitantur: illud malum, eſt mala voluntas, quia omne peccatum voluntarium eſt, ac a voluntate eſt. Et ut ait D. Auguſtinus; *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Ipſam etiam voluntatem peccandi eſſe peccatum, manifeſtavit Chriſtus, cum dixit, non ſolum hunc peccare mortaliter qui alterius mulierem carnaliter cognoverit, verum & qui eam cognoſcere voluerit, & concupierit: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo. Matth. 5. 28.* Quare non externa ſolum tollenda ſunt peccata, verum & ipſa voluntas, & affectus peccandi. Et ratio eſt: quia pravus ille affectus, non ſolum in ſe malus eſt, ſed eſt etiam quaſi catena in medio cordis poſita, qua homo ad priora peccata facillime trahitur. Hæc eſt catena, quam a medio cordis tollendam clamat Iſaias Propheta, dicens: *Si abſtuleris de medio tui catenam.*

Sunt nonnulli, inquit Iſaias, *Iſa. 58. 9.* qui catenam habent in collo: hi ſcilicet, quibus dæmon ita collum ſtringit, ut impediat eos, ne peccata ſua in confeſſione fateantur. Pudenda tua Confeſſario manifeſtare renuis? Catena in collo ſtringeris: furta tua declarare non vis, quia ad reſtitutionem cogi timeſ?

Digitized by Google

mes? Catena collum tuum vincitur & ſtringitur. Hæ autem colli tui catenæ ſolvendæ ſunt, declarando omnia & ſingula peccata tua, ſaltem mortalia: *Solve vincula colli tui*. Solvendæ ſunt hæ catenæ, ac omnia mortalia ſunt humiliter confitenda, alioquin in æternum peribis. Sed inſuper ſolvenda alia catena, qua cor tuum ſtringitur, ſolvendus & tollendus pravus affectus, quo veluti catena ad peccatum traheris, hæc catena e medio tui tollenda eſt: *Si abſtuleris de medio tui catenam*. *Iſa*. 52. 2.

Sed o quam pauci hanc de medio ſui catenam auferunt! Adveniente die ſolemni, furta, calumnias, blaſphemias, uſuras, libidines, ac omnia peccata ſua confitentur multi: ſed plerique affectum ad eadem peccata retinent: ore dicunt, ſe firmum habere propoſitum omnia peccata tollendi, ſed catenam, qua ad illa iterum trahantur, ſeu pravum affectum in corde ſuo conſervant. Uxor Lot, Sodomam corpore quidem reliquit, ſed non corde & affectu, & ideo poſt ſe verſus Sodomam reſpexit: *Gen*. 19. multi ſimiliter peccatores actu, ſed non affectu dimittunt, ea Confeſſario dilucide manifeſtant, eaque ore deteſtantur, ſed affectu ea retinent, & ideo facillime in ea recidunt. Unde, quæſo, tot poſt peractam pœnitentiam recidivæ? Unde fit, ut qui uſurarius, vel libidinoſus erat ante confeſſionem, poſtea in uſuras, & libidines, iterum incidat? Unde, ut qui blaſphemus & detractor erat ante confeſſionem, poſt eam blaſphemus etiam ſit, & detractor? Hoc inde evenit, quod hi catenam e medio ſui, ſeu pravos ad peccatum affectus e cordibus ſuis non tollant. Quare non ſolum peccata, verum & omnes ad peccatum affectus tollendi ſunt, *ac etiam omnis peccati ſpecies*.

## TERTIA PARS.

*Tollenda eſt omnis peccati ſpecies.*

QUamvis bonis operibus incumbere indeſinenter debeat homo Chriſtianus; quandoque tamen ab iis abſtineat neceſſe eſt. Et ut docet Guillelmus Pariſienſis *Guill. ſer. 4. in Apoſt. dicta*, a triplici bono abſtinendum, a bono ſcilicet quod poteſt eſſe occaſio mali, a bono, quod a majoribus bonis impedit, & a bono, *quod habet ſpeciem mali*. Non ſolum ab homicidio, furto, blaſphemia, ſimonia, & aliis criminibus abſtinendum, verum & ab omni quod mali ſpeciem præfert, & redolet: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*. 1. *Theſſ*. 5. Non ſolum ab iſta, vel illa, ſed ab omni ſpecie mali abſtinendum: non enim ſufficit, quod quis a ſpecie avaritiæ, vel luxuriæ abſtineat, ſed ab omni mali ſpecie abſtinere debet, ac exterius ita ſe gerere, ut nullius peccati conſcius appareat. *Abſtinere debet homo ab omni, quod ſpeciem mali prætendit. Et hæc debet caveri, tam in doctrina, quam in operatione*. *Hugo Cardin. in* 1. *Theſſ*. 5.

Mirabilis fuit viſio Regis Nabuchodonoſor, quam ipſemet his verbis enarrat, *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens cælum; aſpectus illius erat uſque ad terminos univerſæ terræ. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & eſca univerſorum in ea. Sub ea eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis ejus converſabantur volucres cæli, & ex ea veſcebatur omnis caro. Videbam in viſione capitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce vigil, & ſanctus de cælo deſcendit. Clamavit fortiter, & ſic ait: ſuccidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & diſpergite fructus ejus*. *Dan*. 4. 7. Cenſet D. Hieronymus, c. 4. *Dan*. hanc viſionem non ad ſolius Nabuchodonoſor, ſed etiam ad omnium hominum peccatorum eruditionem factam eſſe: in peccatore enim peccatum eſt arbor mala, quæ naſcitur ex radice concupiſcentiæ: *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum*. *Jac*. 1. 15. Tanta hujus arboris eſt proceritas, ut uſque ad cælum, & ad majeſtatem Dei, quam offendit, infeliciter pertingat: *Aſcendit malitia ejus coram me*. *Jonæ* 1. 2. Extenduntur rami ejus uſque ad terminos univerſæ terræ: quia peccator ab uno bona aufert, alterum honore ſpoliat, puellis eſt in ſcandalum, viduis in ruinam, matrimonio junctis in familiæ dedecus, omnibus tandem, & undique malus eſt. Sub illius arboris umbra quieſcunt animalia & beſtiæ: quia peccator guloſus animam habet lupinam, laſcivus ſuinam, iracundus caninam, ſuperbus pavoninam: ita ut omnium beſtiarum ſpecies & mores in anima ſua exhibere videatur. Quid remedii? Amputetur arbor: *deſtruatur corpus peccati*: *Rom*. 6. 2. in ſemetipſo deſtruat peccator iram, vindictam, luxuriam, & omnia peccata. At non ſolum deſtruere debet arborem, ſeu peccata, verum & debet præſcindere ramos, excutere folia, ſeu delere debet & tollere omnem peccati ſpeciem: ita ut in illo nil exterius appareat, quod mali ſpeciem præſeferat. Homo carnalis, non ſolum libidinibus valedicat, verum & ne quidem cum meretricibus loquatur, ac illam quam domi detinet, puellam ejiciat. Guloſus non ſolum a gula, & ebrietatibus abſtineat; ſed etiam helluonum conſortia vitet, & ne quidem cauponam ingrediatur. Uſurarius tandem, ſuperbus, omniſque peccator, non ſolum peccata, ſed & omnem mali ſpeciem & apparentiam tollat: *Abſtinere debet homo ab omni, quod ſpeciem mali prætendit*.

Omnibus mundi theſauris fama præferenda eſt, nam *melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*. *Eccli*. 41. 15. Et ideo monet Sapiens, ut bonam famam ſollicite ſervemus; *Curam habe de bono nomine*. Et D. Auguſtinus crudeles vocat eos, qui de fama ſua non ſunt ſolliciti: *Qui famam negligit, crudelis eſt*. Ut autem quis de fama ſua ſit ſollicitus, non debet quidem eſſe hypocrita; ſed ita pius debet eſſe, ut non ſolum omnia peccata, verum & umbram ac ſpeciem peccati fugiat: *Quæ habent ſimilitudinem malitiæ vitare debemus*. *D. Thom. in* 1. *Theſſ*. 5. Ab omni ergo ſpecie mali abſtinere debemus, ad propriam famam ſervandam; ſed & abſtinendum ab omni ſpecie peccati, ad vitandum ſcandalum puſillorum: *Ab omni ſpecie mali abſtinete vos*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *ita quod non ſolum veraciter, verum & apparenter malum vitetur, ne quis ſcandalizetur*.

Docent Caſuiſtæ, ad vitandum ſcandalum puſillorum, non ſolum omittendas actiones malas, ſed etiam indifferentes: immo & quandoque bonas, quæ non cadunt ſub præcepto, ſi ſcilicet ſcandalum aliter vitari nequeat. Si ergo omitti debeant actiones indifferentes & bonæ ut vitetur ſcandalum infirmorum;

quanto magis vitari debent malæ, & mali ſpeciem præſeferentes; quæ ſcandali occaſionem dare poſſent? Ab his certe ſollicite abſtinendum eſt, ne quis ſcandalizetur. Non ſolum abſtinendum a blaſphemia; ſed nec proferenda verba, quæ blaſphemiam redoleant: non ſolum abſtinendum a verbis ſcurrilibus & impudicis, verum & ab æquivocis, quæ ſub uno ſenſu libidinem ſonent: non ſolum illiciti, ſed etiam liciti ludi ſunt vitandi; ac abſtinendum ab omni quod mali ſpeciem præfert; *ne quis ſcandalizetur*. Licet ſciret D. Paulus, non eſſe malum manducare carnem; conteſtatur tamen, ſe nunquam manducaturum carnem, ſi inde aliquis occaſionem ſcandali eſſet acceptutus: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum*. 1. Cor. 8. Si autem ab eo, quod de ſe eſt indifferens, abſtinet D. Paulus, ut vitet ſcandalum puſillorum, quanto magis abſtinere debet quiſque ab his, quæ mali ſpeciem habent, ne quis ſcandalizetur?

*Uſquequo*, inquit Propheta! *judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis? Pſ.* 81. 5. Seu, ut exponit Hugo Cardinalis; *Uſquequo vos facies Angelorum, vel hominum peccatorum ſumitis?* Facies Luciferi primi peccatoris ſuperbia; hanc ſumit, qui eum in ſuperbia imitatur. Facies Adæ, libido ſciendi: facies Cain, invidia; Lamech, crudelitas; Nembroth, ambitio: Pharaonis, oppreſſio ſubditorum. Horum autem Angelorum, & hominum peccatorum, non ſolum non ſumenda ſunt peccata, ſed nec facies, vel ſpecies peccatorum, quibus hi addicti fuere; non ſolum tollenda ſunt ſuperbia, libido ſciendi, invidia, crudelitas, & alia peccata; ſed etiam eorum ſpecies, ne alii inde occaſionem ſcandali ſumant.

Sed heu! quam multi, non ſolum peccati ſpeciem, ſed etiam rem præſeferunt! Quam multi criminibus, quæ palam perpetrant, ſunt aliis in ſcandalum? Væ hujuſmodi peccatoribus ſcandaloſis; væ tibi o pater: væ tibi, o Judex, væ vobis omnibus, qui peccatis veſtris alios ſcandalizatis: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Matth.* 18. 7. Sed væ etiam illis, qui ſunt aliis in ſcandalum: quia peccati ſpeciem præſeferunt, unicuique enim mandavit Deus, ut proximum corripiat, ac ſaluti ejus invigilet, & tu ſumendo faciem peccatoris, proximum ſcandalizas, væ tibi, o miſer! *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit!*

Multos videre eſt, qui in peccatis ſuis palam gloriantur, immo & aliquando in peccatis, quæ nuſquam perpetrarunt, quaſi illa perpetraſſent. Dic, ſtulte, cur in peccatis gloriaris, *Quid gloriaris in malitia? Pſ.* 51. 3. An ignoras, quod non liceat gloriari, etiam in ſapientia, in divitiis, vel in fortitudine, *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis? Jer.* 9. 23. Quanto autem minus in peccatis gloriari licet? Cur ergo *gloriaris in malitia?* Sed adverte, o miſer, quod poſt commiſſum peccatum flere, plangere, cor tuum ſcindere, ac vere pœnitere debeas, ut Deum adverſus te iratum placare valeas: cur ergo non compungeris, ſed in peccatis gloriaris: *Quid gloriaris in malitia?* Ne glorieris, o miſer, ſed erubeſce, ac peccatorum tuorum pœnitentiam age, erubeſce, & ſi peccator coram hominibus viſus es; fac ut te pœnitentem & pium videant: ſi peccatis tuis illis fuiſti in ſcandalum, fac ut impoſterum bonis tuis operibus illis luceas, illoſque ad Deum glorificandum allicias: *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*. Tolle ergo omnia peccata, tolle omnem affectum ad peccatum, tolle omnem peccati ſpeciem; ac bonis fulgeas operibus, ut æternam merearis gloriam obtinere. *Amen*.

## DOMINICA PALMARUM.

# DE MUNDI DIGNITATIBUS.

*Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam*. Matth. 21. 5.

NAturale eſt homini in altum tendere, primum locum appetere, & altiores ambire dignitates. Poſtquam enim protoparentes, qui in amœniſſimo verſabantur Paradiſo, quique juſtitia originali, & aliis cæleſtibus donis erant inſtructi, cæca ambitione *rapere voluerunt dignitatem*: ab his ad poſteros fœda hæc dominandi libido tranſmiſſa eſt, & in miſeram eorum progeniem ventoſa dignitatum & præeminentiæ irrepſit ambitio, illudque malum ita commune & univerſale factum eſt, ut *non fere quiſquam ſit, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam*. *Aug. in Pſ.* 1.

Quis, obſecro, perfectior, quis ſanctior Apoſtolis, qui omnem ſanctitatem in Chriſti ſchola didicere? Et tamen ſancti illi viri, qui in humilitatis, & omnis ſanctitatis exemplaria nobis proponuntur, ambitionis labe non fuere immunes. Ipſi ſiquidem in Chriſti regno primatum ambierunt, & ex iis duo filii Zebedæi, Joannes ſcilicet & Jacobus, matris miniſterio, ambitioſe unus ad dexteram, & alter ad Chriſti ſiniſtram ſedere petierunt; *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo. Matth.* 20. 21.

Lethiferum hoc ambitionis vitium damnat hodie Chriſtus, qui licet totius mundi verus ſit Monarcha, in triumphali tamen pompa, humili inſidet jumento; ut doceat nos quanti facere debeamus hujus mundi honores, & altiores quiſque ſæculi dignitates. Quod & nos docere pertentabimus in hac concione, quæ de fuga, & contemptu dignitatum erit, &c. *Ave*.

MUndi dignitates æſtimant, amant, & inquirunt viri ambitioſi; eas *æſtimant* plurimum, *amant* ardenter, *inquirunt* avide. *Hi* dignitates ſæculi inſpiciunt, tamquam legitimum meritorum ſuorum argumentum, & veluti glorioſum honoris & reverentiæ ſibi debitæ titulum; quare eas magni ducunt, & multum æſtimant. *Hi* in poſſeſſione dignitatum quietem, voluptates, honores, & delicias multas auſpicantur; quare eas ardenter amant. *Hi* tandem in dignitatibus ſummum ſuum bonum, ſuæque felicitatis culmen, & complementum ſtatuunt; quare ad eas ſummo affectu anhelant, eaſque ſollicite & avide inquirunt.

Ecce quæ ſint hominum ambitioſorum vota, qui eorum motus & affectus. At maxima eorum eſt cæcitas: æſtimant enim quod contemnendum: amant

quod

Digitized by Google

quod timendum, & inquirunt quod fugiendum. Quod patebit, cum probaverimus, mundi dignitates eſſe contemnendas, timendas, & fugiendas. Mundi dignitates *ſunt contemnendæ*, en primam hujus concionis partem; *ſunt timendæ*, en ſecundam; *ſunt fugiendæ*, en tertiam.

## PRIMA PARS.

*Mundi dignitates ſunt contemnendæ.*

INſignes quatuor ſtatuas Sacra Scriptura commemorat. *Prima*, eſt vitulus, quem ex auro conflarunt Hebræi in deſerto. *Secunda*, eſt ſtatua illa, quam ex auro etiam fabricaverunt ſibi Samaritani. *Tertia*, eſt ſtatua Babyloniorum; & hæc quoque aurea fuit. *Quarta* tandem eſt, quam in ſomno vidit Rex Nabuchodonoſor; & hæc non ſolum ex auro, verum & ex argento, ære, ferro, & luto conſtructa erat. Quatuor illas ſtatuas, verum dignitatum hujus ſæculi ſymbolum & figuram extitiſſe, docet Theodoretus: tres enim priores, inquit, ex ſolo auro, opera & arte hominum fuere conflatæ: quia hi falſo ſibi ſuadent, quod quidquid in dignitatibus ſæculi rutilat, eſt aurum puriſſimum; in quarta vero ſtatua, quæ non ab hominibus, ſed a Deo facta fuerat, non ſolum erat aurum, ſed & cuprum, ferrum, & lutum: ut ſignificetur, quod ſi in mundi dignitatibus aliquantulum auri luceat, quo fit ut æſtimentur; in iis tamen ſunt alia multa vilia, & contemptibilia, quæ homines ad eas deſpiciendas non parum movere debent. Et revera ſunt contemnendæ, quia ſunt: 1. Tranſitoriæ & fugaces: 2. Doloſæ & fallaces: 3. Vanæ & inanes.

1. Tranſitorias eſſe mundi dignitates indicaverunt Apoſtoli: cum non ſedentes, ſed incedentes, de primatu diſputarunt: *Siquidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet. Marci 9.* Non ſedent, vel quieſcunt Apoſtoli, ut quis ipſorum ſit primatu dignior, exquirant: non ſedent, ſed incedunt: quia ſicut qui incedit & pertranſit locum quem acquirit, ſubito deſerit; ita & ſæculi dignitates, de quibus contendunt Apoſtoli, ſunt ita inſtabiles & fugaces, ut in iis homo non ſedeat, ſed tranſeat. Vix enim eas ſumus adepti, quod deficere incipiant: & cum illas ad multos annos poſſidere credimus, ſubito abſcurrunt, & nos deſerunt: *Principatus ſicut ingreditur, ſic deſeritur; & quamdiu tenetur, labitur. S. Hieron. in c. 9. Marci.*

Hanc dignitatum labilitatem & fugacitatem præclare exprimit Spiritus Sanctus, cum eas lanugini, ſpumæ, & fumo aſſimilat: *Spes impii tamquam lanugo eſt, quæ a vento tollitur: & tamquam ſpuma gracilis; quæ a procella diſpergitur: & tamquam fumus, qui a vento diffuſus eſt. Sap. 5. 15.* Dignitates, & omnem mundi gloriam, *primo* comparat lanugini, quæ eſt floſculus quidam exilis, ſimilis lanæ tenui, qui facillime vento rapitur. Quæ comparatio legitima eſt; quia revera omnia mundi ſceptra, coronæ omnes, & quævis dignitates, ad quas homines evehuntur, tam ſubito evaneſcunt, ut nil aliud quam lanugo quædam vento agitata eſſe videantur: *Spes impii tamquam lanugo eſt.* Mundi dignitates Spiritus Sanctus *ſecundo* confert cum ſpuma, quæ nil aliud eſt, quam aqua in varias bullas, aere ſolum refertas, inflata: quæ quidem ſupernatant; ſed facillime rumpuntur, diſſolvuntur, & evaneſcunt. Qui enim ad ſæculi dignitates ſublimantur, inflari ſolent, & ſupra aliorum capita incedere; ſed omnis illorum gloria, nil aliud eſt, quam ſpuma illa inflata, quæ a modico vento diſpergitur & diſſipatur: quia hi quam citiſſime deprimuntur, & his omnibus dignitatibus exuuntur: *Tamquam ſpuma gracilis, quæ a procella diſpergitur.* Dignitates *tertio* aſſimilantur fumo, qui ſurgendo evaneſcit, & quaſi annihilatur: *Fumus aſcendendo deficit, & ſeſe dilatando evaneſcit. S. Gregor.* Mundi enim dignitates ita fugaces ſunt & labiles; ut qui ad eas evehuntur, tamquam fumus cito tranſeant, & ſimul cum dignitatibus ſuis evaneſcant: *Mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Pſal. 36. 20.* Ecce nativam imaginem dignitatum ſæculi, quæ ita tranſitoriæ & labiles ſunt, ut lanugo, ſpuma, & fumus eſſe videantur.

Sed earum fugacitas & labilitas videtur adhuc eſſe major; quia fumus & ſpuma aliquandiu ſubſiſtunt; ſed mundi dignitates ita tranſitoriæ ſunt, omniſque gloria ſæculi ita fugax eſt, ut de ea potius dici debeat, quod tranſierit, quam quod ſit, & aliquantulum ſubſiſtat. Quod optime indicat Eccleſiaſtes, dicens: *Ego, Eccleſiaſtes, fui Rex Iſrael in Jeruſalem. Eccleſ. 1. 12.* Cur non dicit: ego ſum Rex, ſed *fui Rex?* Tunc enim regno potiebatur, tunc ſceptrum & coronam Iſraeliticam geſtabat, tunc illi ut ſuo Regi obtemperabant Iſraelitæ, tuncque vere regnabat in Jeruſalem: cur ergo non ait: ego ſum Rex, ſed *fui Rex?* Sic locutus eſt Eccleſiaſtes, ut doceret, ita tranſitorias eſſe mundi dignitates: ut de iis potius dici debeat, quod fuerint, quam quod ſint: *Dicit: Rex fui, & non Rex ſum,* inquit Hugo de Sancto Victore: *quia ſic labitur humanus ſtatus, & ſic fluunt univerſæ res hominum, ut verius de unaquaque re poſſit affirmari, quod fuerit, quam quod ſit. Hugo hom. 5.* Quare non æſtimandæ, ſed potius contemnendæ mundi dignitates; cum tranſitoriæ ſint & fugaces, ſed contemnendæ etiam *quia doloſæ ſunt, & fallaces.*

2. In multis fallaces ſunt mundi dignitates; ſed in hoc præcipue, quod ſatietatem promittant; nunquam tamen ſatiant illos, qui eas poſſident. Facile quiſque ſibi ſuadet, quod cum hanc, vel illam dignitatem adeptus fuerit, ſuæ ibi ambitionis figet terminum, nec altius evehi cupiet; ſed falluntur omnes: ambitio namque nunquam dicit; Sufficit: eſtque quaſi ignis, qui lignis ſuperpoſitis non extinguitur, ſed iis magis & magis augetur. Ambitioſus, inquit S. Bernardus, altiores ſemper appetit gradus, & ad eminentiores ſublimari dignitates continue deſiderat, nec unquam ſatiatur. *Eſt infinita ambitio, & inſatiabilis; cum primos honorum gradus obtinuerit quis in Eccleſia, non ideo cor quieſcit, duplici ſemper æſtuans deſiderio, quo utique magis ac magis dilatetur in plura & ad celſiora ſublimetur. S. Bernard. epiſt. 42. ad Henricum Archiep. Senon.* Et deinde ad caſus ſpeciales deſcendens, ait: *Cum ſtatim quis fuit in quacumque Eccleſia Decanus, Præpoſitus, Archidiaconus, aut aliquid hujuſmodi; non contentus uno in una plures, ſibi, immo quotquot valet conquirere honores, ſata-*

*git, tam in una, quam in pluribus: quibus tamen omnibus libenter unius præferres Epiſcopi dignitatem. Factus quis Epiſcopus, Archiepiſcopus eſſe deſiderat; quo forte adepto, rurſus neſcio quid altius ſomnians, laborioſis itineribus, & ſumptuoſis familiaritatibus Romanum ſtatuis frequentare Palatinm, quæſtuoſas ſibi quaſdam exinde comparans amicitias.*

Hoc idem clariſſime ipſa manifeſtat experientia, qua conſtat, virum ambitioſum adeptis nunquam ſatiari dignitatibus; ſed ſemper ad alias & alias in infinitum anhelare. *Sicut avari*, ait Sanctus Chryſoſtomus, *quanto plura acceperint, tanto pluribus egent; ita ambitioſi, quanto majori fulguntur honore, tanto plus ambire concupiſcunt. Chryſoſt. hom. 43. ad Ppp.*

Quod Seneca familiari explicat ſimilitudine canis famelici, qui fruſtulo panis illi projecto non ſatiatur; ſed poſtquam illud deglutivit, aliud & aliud ſibi projici avide appetit: *Vidiſti*, inquit, *aliquando canem miſſa a domino fruſta panis, aut carnis, aperto ore captantem? Quidquid accepit, protinus integrum devorat, & ſemper ad ſpem futuri inhiat. Idem evenit nobis: quidquid enim expectantibus fortuna projecit, id ſine ulla voluptate recipimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti, & attenti. Senec. ep. 73.* Nec mirum: quia cor hominis ambitioſi eſt inſatiabile, nec illud explere poſſunt omnes mundi dignitates: *Expleri neſcit honorum cupido; celerem habituræ rei finem ſine fine quæritur. S. Hieron. epiſt. ad Deme.r.* Parvi pendendæ ergo & contemnendæ mundi dignitates: Cum ita fallaces ſint, ut ſatietatem ſemper polliceantur, & nunquam ſatient. Sed contemnendæ etiam: *quia vanæ ſunt & inanes.*

5. *Vanum*, inquit D. Baſilius, *eſt id quod vacuum dicitur, quod nomen quidem habet, rem vero ipſam non habet. Baſil. in Pſalm. 4.* Hujuſmodi autem ſunt mundi dignitates, quæ habent nomina ſine re; habent nomina vacua, quæ dignitatem ſonant, & dignitates non ſunt. Ut enim D. Chryſoſtomus, dignitates ſæculi non ſunt dignitates, ſed ſolummodo nomina dignitatum; *Dignitates temporales haud quaquam quis dignitates dixerit; ſed dignitatum nomina dumtaxat. Chryſoſt. hom. 1. in Epiſt. ad Roman.*

Vanum dicitur, quod exterius bonum, & aliqua æſtimatione dignum videtur; intus vero nullius eſt pretii, omnique caret bonitate: ſic dicimus de nuce, quæ exterius pulchra & bona apparet, ejus pulchritudinem & bonitatem eſſe vanas, ſi intus nucleo careat. Et juxta hanc regulam, mundi dignitates, quæ quidem exterius nitent, & bonitatem aliquam apparentem præſeferunt, vanæ dicendæ ſunt; quia in re, & interius bonitate carent: vel ſi aliqua polleant bonitate, hæc ita exilis & contemptibilis eſt, ut pulveri, qui a vento jactitur, & pedibus teritur, eam ſimilem eſſe cenſeat D. Gregorius, dicens: *Quid ſunt labentium dignitatum inſulæ, niſi pulvis? D. Greg. in l. 1. Reg.* Quam ſtulti ergo, qui mundi dignitates magni faciunt: non enim æſtimandæ, ſed potius deſpiciendæ: quia tranſitoriæ, fallaces, & vanæ. *Sed mundi dignitates ſunt etiam timendæ.*

## SECUNDA PARS.

*Mundi dignitates ſunt timendæ.*

PLerique quidquid ſplendoris in mundi pompa, ejuſque dignitatibus elucet, plurimum admirantur; ac erronee credentes, nullum in iis eſſe periculum, abſque ulla formidine in altum ſublimari appetunt, & *non deterrentur periculis, quæ ambitione excæcati non vident. D. Bern. epiſt. 42. ad Henric.* Si tamen Doctori gentium fidem adhibeamus, nullatenus ambiendæ, ſed potius reformidandæ mundi dignitates: *Noli altum ſapere, ſed time. Rom. 11. 20.* Timendæ quidem: quia qui ad eas elevantur: 1. Pro ſuis ſubditis ſpondent: 2. De ſuis ſubditis rationem reddent: 3. Pro ſuis ſubditis punientur.

1. In ipſo inſtanti quo quis aliis præponitur, & ad terrenas dignitates ſublimatur, apud Deum fit ſponſor & fidejuſſor pro omnibus ſuæ curæ commiſſis: ita ut ex hoc momento, ad reddendam rationem de omnibus, qui ejus incuria & defectu in peccata labentur, ſtrictiſſime ſeſe obliget. Quod quidem certum eſſe conſtat ipſo ſapientiſſimi Salomonis teſtimonio dicentis, eos qui ad mundi dignitates elevantur, ſpondere pro amicis, ſeu ſubditis ſuis, ſuamque ſponſionem manu & ore confirmare: *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Proverb. 6. 1.* Scio, ad varios ſenſus hæc verba a nonnullis detorqueri; ſed D. Gregorius illa de Prælatis exponit; aitque, *Gregor. 3. part. Paſt. admonit. 5.* quod cum in dignitatum ſuarum poſſeſſionem veniunt, pro omnium ſibi ſubditorum animabus Deo ſpondent; ac pollicentur, quod eos manu & ore, ſeu opere & doctrina ſalvare conabuntur. Præfata etiam Salomonis verba eodem modo Venerabilis Beda exponit, expenditque de Prælato aut Superiore, qui dignitatem iniens, eo ipſo pro ſubditorum ſalute fidejuſſorem ſeſe offert: *Spopondiſti pro amico*, inquit, *id eſt, pro ſubdito, qui tibi cordi eſſe debet quam fidelis amicus.*

Ecce ſponſionem quam faciunt quicumque dignitates adeunt: ex tunc quilibet pro ſubditorum animabus propriam oppignorat animam. Et ideo Doctor Angelicus Præpoſitos alloquens, ait: *O Paſtor, obligaſti te Deo: ut pro grege tuo impendas manum & os tuum; ut quidquid ore potes proloqui, & quidquid manu potes operari pro ſalute gregis tui, hoc ex ſponſione tua tenearis præſtare: nimirum paſcere gregem tuum omnis virtutis exemplo, & perennis doctrinæ eloquio.* Timendæ ergo mundi dignitates: quia qui ad eas elevantur, pro ſuis ſubditis ſpondent; *ac etiam quia de ſuis ſubditis rationem reddent.*

2. Cum ad dignitates aliqui ſublimantur, ut tunc tacite pro animabus ſubditorum Deo ſpondent, ac debitum contrahunt rationem de iis reddendi, & revera de iis in die judicii rationem Deo ſunt reddituri: *Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Heb. 13. 18.* Hæc ratio, quam ab iis Deus exiget, ſtricta erit & terribilis: cum enim pro ſubditis ſuis ſpoponderunt; Deus benigne eos audivit, eique plurimum placuit talis ſponſio; ſed ſi promiſſis non ſteterint, Deus, ut

in-

infenſiſſimus hoſtis, ab iis rationem requiret: & ut ait D. Bernardus, *Deus, qui amicus fuit in ſponſione, extraneus erit in exigenda ratione.*

In tremendo extremi judicii die, cuilibet Epiſcopo, Prælato, & Superiori Chriſtus voce terribili dicet: *Ubi eſt grex qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? Jer.* 13. 20. Quaſi dicat; redde rationem gregis tibi commiſſi: quomodo illum cuſtodiſti? Qua doctrina illum paviſti? Quibus illum exemplis foviſti? Quibus armis illum a tartareis protexiſti hoſtibus? Qua cura & vigilantia illum a via prava averciſti; & per juſtitiæ ſemitas deduxiſti? *Ezech.* 34. Redde rationem, inquiet: redde rationem, o Paſtor nequam, an quod in grege tuo infirmum fuit conſolidaveris, an quod ægrotum fuit ſanaveris, quod fuit confractum alligaveris, quod abjectum fuit reduxeris, & quod perierat quæſieris? O Paſtores & Superiores, hæc vobis de inferioribus reddenda eſt ratio; quæ tam ſtricta, & terribilis erit, ut vix credat Chryſoſtomus, aliquem ex Superioribus ſalvandum, *Omnium quos regis*, inquit, *tibi reddenda eſt ratio. Miror, an fieri poſſit, ut aliquis ex Superioribus ſit ſalvus. Chryſoſt. in c.* 13. *ep. ad Hebr.* Timeant ergo quicumque aliis præſunt: quia de omnibus curæ ſuæ demandatis rationem ſunt reddituri. Heu! ſi timeant, qui de ſua ſolummodo anima rationem reddere debent; quanto timore & tremore concuti debent Superiores, qui de ſubditorum omnium animabus rationem ſunt reddituri? *Penſet quæ ad ſatisfaciendam diſtricto Judici de ſua tantum anima vix ſufficit; quia quot regendis ſubditis præeſt, totidem apud Deum ei reddendæ rationis onus ineſt. S. Gregor.* 24. *Moral. c. ult.* Si centum, aut mille ſubditis præſis, de centum, aut mille rationem es Deo redditurus: o quale onus! o quam timendæ dignitates! *Sed ſunt etiam timendæ: quia qui eas exercent, pro ſuis ſubditis punientur.*

3. Si enim peccatum aliquod perpetraverint ſubditi, Prælatis conſentientibus, annuentibus, applaudentibus, vel non renitentibus: ſi etiam a peccatis committendis ſubditos pro viribus non averterint, vel de commiſſis non corripuerint Prælati, ipſi pro ſubditis plectentur. Cujus rei præclara adduci poteſt probatio ex Libro Numeri, ubi habetur, quod poſtquam peccavit populus Iſrael, juſſit Deus, ut Principes populi ſuſpenderentur in patibulis contra ſolem. *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis. Num.* 25. Cur peccante populo, ſuſpenduntur in patibulis, & ſevere puniuntur eorum Præpoſiti? Ratio eſt, quia inferiorum culpæ ad deſides & negligentes Superiores referuntur, iiſque a Deo imputantur; quare pro iis merito plectuntur. Quod perbelle adnotavit Petrus Damiani, dicens: *Quid eſt quod populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum Præpoſitos vindicatur? Subditi delinquunt, & Principes in patibulis ſuſpenduntur? Scilicet alius eſt qui peccat, & alius qui vapulat. Cur hoc? niſi quia culpa ſubditorum in Præpoſitorum redundat opprobrium, & quod ab ovibus erratur, negligentiæ Paſtoris adſcribitur. Vide quam ſit formidoloſa conditio Præſidentium; ut non modo pro ſuis, ſed etiam pro ſubditorum puniantur offenſis. Petrus Dam. lib.* 4. *ep.* 15.

Alia multa & præclara hujus rei exempla nobis ſacræ ſuppeditant Paginæ, ex quibus unum dumtaxat referam de Heli Sacerdote, quem objurgans Deus, ait: *Quare calce abjeciſti victimam meam, & munera mea quæ præcepi, ut offerrentur in templo: & magis honoraſti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis ſacrificii Iſrael populi mei? Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum.* 1. *Reg.* 2. 29. Sacræ Regum Hiſtoriæ expoſitores aſſerunt, non Heli, ſed filios ejus talia perpetraſſe peccata: non enim Heli, ſed ejus filii primitias ſacrificiorum abſumebant: cur ergo Heli Sacerdotem tam acriter objurgat Deus? Cur Heli, de quo teſtatur Chryſoſtomus, quod ſine querela Judæos rexerit, quodque virtutibus claruerit, tam ſevere a Deo punitur? Non aliam ſane ob cauſam, quam quia peccata filiorum, de quorum ſalute Heli parum fuit ſollicitus, ipſi imputantur: *Quia*, inquit Chryſoſtomus, *illi cura non fuerat, & diligentiſſima, & vehemens ſalutis liberorum, nihil excuſare eum potuit, quominus & miſere, & infeliciter periret. Chryſ. lib.* 3. *adv. vitup. vit. Monaſt.* Quis ergo ad dignitates evehi non timeat? Timendum eſt, inquit Divus Auguſtinus; *quia quanto major honor datur, tanto majus periculum comparatur. Aug. ſerm.* 61. *ad Fratr.* Timendum eſt, ait Sanctus Antoninus, quia *dignitates temporales ſunt plenæ periculis. Anton. p.* 2. *tit.* 3. *c.* 5. §. 3. Suſcipere dignitates metuendum eſt, inquit Chryſoſtomus, ſuper eos namque qui eas poſſident, *periculum imminet divinæ juſtitiæ.* Sed maxime etiam metuendum eſt, quia qui ad dignitates ſublimantur, pro ſuis ſubditis ſpondent, de iis rationem reddent, & pro iis punientur. Non ergo ambiendæ, ſed plurimum timendæ ſunt ſæculi dignitates, *quæ etiam fugiendæ ſunt.*

## TERTIA PARS.

*Mundi dignitates ſunt fugiendæ.*

AB omni peccato fugiendum, tamquam a facie colubri: *Quaſi a facie colubri fuge peccata. Eccli.* 21. 2. Sed ambitio dignitatum eſt præcipue fugienda, quia ſæculi dignitates ſunt quaſi colubri & ſerpentes venenoſi, qui animabus illorum, qui eas poſſident, virus & venenum peſſimum infundere ſolent. Quod ſane indicavit Deus, cum Moyſi, quem in populi ſui Judicem electurus erat, præcepit, ut portentoſam hanc virgam, quam manu geſtabat, in terram projiceret; ipſe etenim Dei mandato obtemperans, eam projecit, ſtatimque in horribilem & venenoſam ſerpentem converſa eſt, ut notum fieret, dignitates ſæculi in ſe conſideratas, eſſe quaſi venenoſos ſerpentes, a quibus fugiendum. Et revera ab iis fugerunt viri ſancti; eaſque fugere docuit Chriſtus, 1. Naſcens in præſepio; Fugiens in montem; 3. In cruce moriens.

1. Dei Genitrix Maria Chriſto naſcenti non Thronos, non ſuperba Palatia, non Regiam paravit; ſed in humili Præſepio eum inter duo animalia collocavit: *Et reclinavit eum in Præſepio, Luc.* 2. 7. Et ideo de Chriſto recens nato ait Tertullianus, quod *paſſus eſt moleſtos Cæſaris cenſus, & diverſoria anguſta, & ſordidos pannos, & dura præſepia. Tertull. lib. de Incarn. Chriſti cap.* 2. Miror, cum Verbum æternum, humana carne indutum, in anguſto Præſepio jacentem intueor; & in ſtuporem rapior, cum Dominum æternæ majeſtatis in vili Præſepio

va-

vagientem audio, miror, ac tantæ humiliationis & vilificationis cauſam ſtudioſe inquiro. Dic, obſecro, cur ſic humiliavit ſe, abbreviavit ſe, & exinanivit ſe Deus tantæ majeſtatis? Cur ille, quem vidit Iſaias ſedentem ſupra thronum excelſum & elevatum; cur ille, quem cæli & terra capere non poſſunt; cur ille, qui Angelorum & hominum, necnon cæli, & terræ Rex & Dominus eſt, in exiguo commorari ſtabulo, & in anguſto elegit recumbere præſepio? Cur ita, o Domine? Cur ſic tua humiliari voluit majeſtas? Sic humiliari voluit, ut fugeret & reprobaret mundi gloriam, & ejus dignitates: *In ſtabulo naſcitur Chriſtus, & in præſepio reclinatur, plane ut reprobet gloriam mundi, damnet ſæculi vanitatem. S. Bern. ferm. 1. de Nativ. Chriſti.*

O admirabile altiſſimæ humilitatis exemplum! O quam præclare docet nos Chriſtus, tranſitorias hujus mundi dignitates fugere! Sed o quam imprudentes, & ſtolidi ſunt Chriſtiani illi, qui ſcientes & credentes Chriſtum humiliari, & quaſi annichilari voluiſſe in præſepio, mundi dignitates non fugiunt, ſed ad eas ſublimari ſummo affectu ambiunt: *Quid autem magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cæli, parvulum factum, apponat ultra homo magnificare ſe ſuper terram? Intolerabilis impudentia eſt, ut ubi ſeſe exinanivit majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat. Ibid.* Abſit a vobis tam deteſtandus tumor: ne ſtulte ambiatis labiles & periculoſas ſæculi dignitates; ſed ad eas ſublimari fugite, cum hoc doceat Chriſtus naſcens in præſepio; *ac etiam in montem fugiens.*

2. Poſtquam Chriſtus turbam multam & famelicam quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiavit; ſciens, quod ex gratitudinis debito, eum in Regem eligere vellent, ab iis aufugit, & in montem ſe contulit; *Jeſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Joann. 6. 5.* Cur fugit Chriſtus: cum eum in Regem eligere, & ut Regem venerari volunt populi? Fugere poterat Chriſtus, cum Judas, Pontifices, & ſatellites eum quærebant ad mortem; eorum manus & malitiam declinare, ei tunc erat facillimum: & tamen tunc non fugit; quin contra, hoſtibus ſuis a quibus erat flagellandus, conſpuendus, tradendus, & crucifigendus, obviam ivit, iiſque ultro ſe obtulit: cur autem non fugit Chriſtus, cum ad mortem quæritur, & fugit, cum inquiritur, ut ad thronum regium ſublimetur? Non fugit, cum ad mortem quæritur: quia voluntarie venerat, ut mortem pro mundi ſalute subiret: *Oblatus eſt quia ipſe voluit; Iſa. 53. 7.* ſed fugit Chriſtus, cum ad ſolium regium ſublimandus inquiritur, *ut nos doceat honores, prælationes fugere*, inquit Dionyſius Carthuſianus. Quam etiam rationem adducit Tertullianus, dicens: *Si Chriſtus Regem fieri refugit, pleniſſime dedit formam ſuis de fugiendo omni faſtigio tam dignitatis, quam poteſtatis. Tertull. lib. de idol. c. 13.* Chriſtus haud dubie totius mundi Rex erat, & Dominus ſuæque dignitatis regiæ conſcius erat & poſſeſſor: ac licet eam non exterius exerceret, eam tamen exercere, & ut Rex honorari poterat; ſed regios ſibi debitos fugit honores, ut doceat nos honores & dignitates ſæculi fugere, atque nobis det formam eas fugiendi.

Miramini præclarum hoc humilitatis exemplum; ſed & Chriſtum, dignitates ſæculi fugientem, imitamini. *Fruſtra appellantur Chriſtiani, ſi imitatores non fuerimus Chriſti. S. Leo ſer. de Nat.* quare imitamini Chriſtum, pompam, & mundi dignitates fugientem: Chriſtiani plurimi imitari optarent Chriſtum miracula facientem, in Thabore luce divina radiantem, vel omnium applauſus concionibus ſuis ſibi conciliantem; ſed illum deſpectum, opprobriis laceſſitum, & dignitates fugientem imitari renuunt. O Chriſtiane, non dedigneris facere quod fecit Chriſtus: *Non dedignetur, quod facit Chriſtus, facere Chriſtianus. Aug. tract. 58. in Joann.* Imitare Chriſtum, qui docet nos dignitates fugere, cum fugit in montem; *ac etiam cum in cruce moritur.*

3. Chriſtus Dominus toto vitæ ſuæ tempore altioris humilitatis viam tenuit: domicilio enim fuit incertus, veſtitu incultus, vultu & aſpectu inglorius; cum pauperibus converſans, & humilia quævis amplectens; ſed in morte honores potiſſimum fugit, & humilitatem profundiorem ſectatus eſt. Ut enim de Chriſto moriente loquitur Tertullianus, *deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur. Tertull. l. de pat. c. 3.* Cur, quæſo, Chriſtus in morte tot opprobriis & contumeliis affici vult? Cur graviſſimis crucis ſuppliciis, & diræ quam patitur morti, ſuperaddi vult ludibria, deriſiones, & omnis generis humiliationes? Certe ſic deſpici, & abjici vult, ut doceat nos ſuperbiam, & honorum ambitum fugere: *Ad hæc contumeliarum ludibria, & irriſionum opprobria toleravit, ut ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. S. Greg. lib. 34. Mor. 18.*

Hanc etiam honorum & dignitatum ambitionem e cordibus noſtris eradicare, & fugere docuit nos Chriſtus moriens, cum morte ignominioſa & turpiſſima plecti voluit. Pro hominum ſalute mori volens Chriſtus, poteſtatem habebat eligendi genus mortis, quod ſibi magis placuiſſet, & tamen genus mortis elegit, quod viliſſimum & turpiſſimum erat: mori voluit, ſed in cruce: crucifigi voluit, ſed inter duos latrones: & tanto cum dedecore & confuſione, ut Chriſtum ſic vilificatum videntes ſtupeant & Angeli & homines. Quæ eum cauſa ad turpiſſimam mortem præeligendam impulit? Sane unica; ut ſcilicet homines doceat humilitatem ſectari, & ambitionem fugere; *Chriſtus*, inquit Chryſoſtomus, *ſuſtinuit mortem; cur ignominioſe? Non propter aliud, quam nos docens, ut gloriam, quæ ab hominibus datur, nihili ducamus, & fugiamus. Chryſ. hom. 28. in c. 12. epiſt. ad Hebr.* O quam præclare docet nos Chriſtus dignitates, & honores mundi fugere!

Quod etiam nos docet Chriſtus moriens: cum antequam divinam efflet animam, caput ſuum inclinat: *Et inclinato capite, tradidit ſpiritum. Joann. 19. 30.* Nos prius expiramus, inquit Chryſoſtomus, & poſtea caput decidit; ſed Chriſtus primo inclinavit caput ſua voluntate, & poſtea expiravit. Cur Chriſtus, antequam moriatur, voluntarie caput inclinat? Præclare, & propoſito noſtro congrue reſpondet D. Bernardus, Chriſtum morientem caput inclinaſſe: *quia crucis titulum fugiebat.* Juſſerat Præſes, ut ſupra Chriſti caput cruci affigeretur titulus, quo Chriſtus Judæorum Rex nominaretur: *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper*

cru-

crucem. *Erat autem ſcriptum: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. Joan.* 19. 19. Chriſtum autem caput ſuum inclinavit, & quantum potuit, ab hoc titulo elongavit, ut ſe regiam fugere dignitatem oſtenderet: *Caput inclinavit, quia titulum crucis fugiebat.*

Heu! quis jam mundi dignitates æſtimet, ambiat, & quærat? Sed quis eas non parvi pendat, timeat, & fugiat? Tranſitoriæ ſunt, fallaces ſunt, vanæ ſunt, quare non æſtimandæ, ſed contemnendæ. Qui ad eas elevantur, pro ſubditis ſuis ſpondent, de iis rationem reddent, & pro iis plectentur: quare non ambiendæ ſunt, ſed timendæ. Eas fugere docuit nos Chriſtus naſcens in Præſepio, fugiens in montem, & in cruce moriens: quare non inquirendæ, ſed fugiendæ. Terrenas ergo dignitates contemnite, & fugite in hoc mundo, & cæleſtes in alio dabit Dominus. *Amen.*

## DOMINICA PASCHATIS.

## DE

# CHRISTI RESURRECTIONE.

*Valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum.* Marci 16. 2.

ANgeli, Petrus, & Sanctæ quædam mulieres ad Chriſti ſepulchrum ſe contulerunt; *Angeli*, ut eum reſurrexiſſe annuntiarent; *Petrus*, ut Magiſtri corpus videret: *Sanctæ mulieres*, ut corpus ejus ungerent: *Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum, & valde mane veniunt ad monumentum.*

Angelos, Petrum, & Sanctas mulieres, ad Chriſti ſepulchrum properantes, hodie comitemur, ad divinum hoc monumentum mente, & animo nos conferamus; non ut Chriſti corpus videamus, & ungamus, ſed ut ſepulchri ejus gloriam admiremur. Nec eſt, quod timeamus fœtorem, qui ex hujuſmodi locis exhalari ſolet, cum omnia in ea ſuaviſſime oleant. Non eſt, quod timeamus milites ad illud cuſtodiendum miſſos; cum præ timore, animi deliquium paſſi ſint. Non eſt, quod timeamus Judæorum invidiam, cum jam ſuam agnoſcant malitiam: jamque fateantur, verum Deum eſſe eum, quem antea Doctorem habere noluerant. *Vere Filius Dei erat iſte.* Adeamus ergo cum fiducia ad Chriſti ſepulchrum, ut ejus gloriam contemplemur, &c. *Ave.*

CUm contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, ut magis eniteat ſepulchri & reſurrectionis Chriſti gloria, Lazari mortui monumentum mente revolvo, ac ejus ſepulchrum, & reſurrectionem, ſepulchro, & Chriſti reſurrectioni oppono. Et ideo Lazarum, fato functum, in triplici ſtatu conſidero; ſcilicet antequam reſurgat, cum actu reſurgit, & poſtquam reſurrexit.

Antequam reſurgat Lazarus, corpus ejus in ſepulchro putridum eſt, & fœtidum: *Jam fœtet, Joann.* 11. Cum reſurgit, hoc non virtute ſua facit; ſed Chriſti, qui eum extra ſepulchrum vocat: *Lazare, veni foras.* Poſtquam reſurrexit, non immortalis fuit; ſed elapſo quadam tempore, iterum mortuus eſt, ſicut, & alii homines, qui omnes moriuntur: *Quis eſt homo qui vivet, & non videbit mortem? Pſalm.* 88. 49.

A Lazari ſepulchro ad Chriſti ſepulchrum propero, in quo omnia contraria, omniaque Chriſto glorioſa video, & admiror. Non enim in ſepulchro fœtet Chriſtus, non aliena virtute ſurgit; nec vitam reſumit, ut iterum moriatur, non fœtet, ſed incorruptibilis remanet, non aliena, ſed propria ac ſibi innata virtute reſurgit, non vitam reſumit, ut iterum moriatur, ſed ut in perpetuum vivat. Quæ omnia ut clarius, & ordinatius probentur, dicamus, quod Chriſtus eſt in ſepulchro, egreditur de ſepulcro, & vivit extra ſepulchrum. Chriſtus: 1. *Eſt in ſepulcro* ſine corruptione: 2. *Egreditur de ſepulchro* ſine auxilio extraneo: 3. *Vivit extra ſepulchrum* ſine relapſu. En tria puncta, quibus quam glorioſum ſit Chriſti ſepulchrum, omnibus patebit.

## PRIMA PARS.

*Chriſti corpus eſt in ſepulchro ſine corruptione.*

NEſcio quo ſenſu Tertullianus hominum ſepulchra *aſylum mortis, & requiem ſepulturæ* vocet: certum enim, corpora noſtra in ſepulchris, non ut in aſylo, & in loco quietis, ſed ut in horroris, perſecutionis, & corruptionis loco reſidere, cum ibi vermes, buffones, ſerpentes, & humor corpora noſtra perſequi, corrumpere, & in fœdam putredinem redigere ſoleant. Aſt, quod de noſtris ſepulchris dici nequit, hoc Chriſti ſepulchro perfectiſſime convenit. ibi enim corpus ejus, ut in aſylo ſecuriſſimo, tribus diebus remanſit: ibi vere requievit, quia neque a vermibus, nec ab alio quoquam corruptum fuit. Illud enim corpus, quod, permittente Deo, a Judæis vulneratum & occiſum eſt, in ſepulchro incorruptum remanſit: *Factum eſt incorruptibile, quod potuit occidi. S. Leo ſerm. 2. de Reſur. eſt.*

A Judæis Chriſtus vulnerari, & occidi paſſus eſt, quia vulnera, & mors ejus nobis utilia, necnon ad ſalutem noſtram neceſſaria erant; corporis autem Chriſti corruptio nec neceſſaria, nec utilis nobis erat; quia per illam Chriſtus nec mereri tunc poterat, nec pro nobis ſatisfacere. Quin contra hæc corruptio ſaluti noſtræ obfuiſſet, quia ſi in ſepulchro corruptum eſſet corpus Chriſti, multi inde ſumpſiſſent occaſionem dubitandi, aut de veritate voluntariæ mortis, reſurrectioniſve aut de virtute divinitatis illius corpori conjunctæ. Quare licet propter utilitatem noſtram vulnerari, & mori voluerit, noluit tamen corpus ſuum corrumpi; ſed ad majorem ſui gloriam, illud incorruptum ſervavit.

Mirabile hoc corporis Chriſti privilegium prædixerat Regius Vates, his verbis: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Pſal.* 15. Hoc *Sanctum*, quod nullam viſurum erat corruptionem, eſt corpus Chriſti: licet enim aliorum hominum corpora corruptioni obnoxia ſint, Chriſti tamen corpus, utpote Verbo divino, incorruptionis principio, unitum, nulli corruptioni ſubjacuit, noluitque Deus, ſanctum hoc corpus putrefieri & corrumpi. Sicut, inquit D. Petrus, anima Chriſti in inferno non

Digitized by Google

non remanſit; ita nec corpus ejus in ſepulchro corruptum eſt, *Neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Act. 2. 31.*

Cæleſte illud manna, quod ſexta die a Judæis colligebatur, ſequenti Sabbato ſemper ſervabatur incorruptum, *Non computruit, nec vermibus ſcaturivit. Exod.* 16. Cæleſte ſimiliter & divinum manna exitit corpus Chriſti, manna iſtud ſexta feria, ſeu die Veneris ſancto de cruce eſt collectum, & toto Sabbato immediate ſequenti in ſepulchro remanſit incorruptum.

Hanc corporis Chriſti in ſepulchro incorruptionem ſub pacis & requiei metaphora, præclare edocuit Pſaltes Regius, dum ſic Chriſtum loquentem inducit. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Pſalm.* 4. Aliorum corpora non in pace requieſcunt in ſepulchris, ut primum enim terræ mandantur, a vermibus, & humido ita impugnantur, ut brevi corruptionem patiantur. At hæc eſt gloria corporis Chriſti mortui, & ſepulchro mandati, ut non ſolum pacem, & requiem habeat ab omni labore; verum, & ab omni prorſus corruptione. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Seu, ut explicat Divus Hieronymus. *Erit in pace ſepultura ejus, quia caro ejus non videbit corruptionem.*

Cum exercituum Duces glorioſam de ſuperbo hoſte victoriam reportarunt, in virtutis & generoſitatis ſuæ teſtimonium & titulum, arma, & inſtrumenta victoriæ ſollicite ſervant, ſtudioſe cuſtodiunt, & in tuto loco, ne æruginent, collocare ſolent. Chriſtus ſimiliter, qui glorioſam de dæmonibus victoriam retulerat, ad ſui gloriam, & ad oſtenſionem virtutis ſuæ, corpus, cujus miniſterio tartareas has poteſtates debellarat, ſollicite cuſtodivit, illæſum ſervavit, nec illud corrumpi paſſus eſt. *Chriſtus*, inquit Doctor Angelicus, *noluit corpus ſuum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque reſolvi: ſed ad oſtenſionem virtutis divinæ, voluit illud corpus incorrumptum permanere. D. Th. 3. p. q. 51. art. 3.*

Magna, inquit Sanctus Chryſoſtomus, eſt differentia Chriſtum inter & terrenos Principes. Iſti dum in hoc mundo vivunt, facultates, potentiam, & gloriam ſuam manifeſtant, ſed adveniente morte, poteſtas, honor, divitiæ, ac omnia cum ipſis pereunt, *Ipſis pereuntibus, omnia pereunt. S. Chryſoſt. apud D. Thom. ubi ſupr.* At in Chriſto omnia præpoſtere & aliter evenerunt, *nam ante crucem omnia ſunt mœſta, & infirma: ut autem crucifixus eſt, omnia clariora ſunt facta.* In Chriſto quidem omnia oppoſita fuere, & contraria, quia dum in hoc mundo viveret, vocatus eſt filius fabri, amicus peccatorum, ſeductor plebis, dæmonis organum, Religionis Judaicæ infenſiſſimus hoſtis, & pacis publicæ turbator, ipſe etiam hominibus diu ignotus eſſe voluit; diſcipulos humili loco natos ſibi elegit, ac paupertatem tantam ſectatus eſt, ut dixerit, ſe non habere, ubi caput reclinaret; in ipſo denique, dum viveret, omnia mœſta & infirma. Sed poſtquam Chriſtus crucifixus eſt, poteſtas, majeſtas, & divinitas ejus coram hominibus enituere. Tunc *omnia clariora ſunt facta*, ſol enim obſcuratus eſt, terra tremuit, velum Templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum, monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Ipſo tandem mortuo, innocentiam ejus prædicant inimici, armati trepidant cuſtodes; & ipſi vermes ſacrum ejus venerantur corpus, ac adverſus ſanctuarium illud nihil moliuntur, quia ipſe ad oſtenſionem virtutis divinæ, voluit corpus ſuum incorruptum permanere.

O magnam ſepulchri Chriſti gloriam! Alia monumenta, quantumcumque extrinſecus ſplendida, ac quantumvis auro, gemmis, lapidibuſque pretioſis rutilantia, corpora jam corrupta, aut corruptioni obnoxia continent & includunt; at tanta ſepulchri Chriſti gloria, ut nullus ibi fœtor, nulla putredo; ſed Chriſti corpus penitus incorruptum, & ab omni corruptione alienum requieſcat.

Refert Plutarchus, in ſepulchro Semyramidis hoc inſcriptum fuiſſe epitaphium. *Quiſquis Regum pecuniis egueris, demolias monumentum, & quotquot velis ſumpto. Plutarch. in Semyram.* Rex Darius, illius theſauri amore allectus, aperuit ſepulchrum, & nil aliud quam oſſa putrida, & fœtida invenit. Idem ſane inveniret, qui aliorum Magnatum monumenta aperiet, ſi quis revolveret lapides, quibus ſepulchra Cæſarum, Regum, & Principum teguntur; nil ibi niſi vermes, putredinem, aut oſſa quædam fœtida reperiret, quare nullus ſuperbiam, ſed humilitatem ſectari quiſque debet.

Quamdiu in hoc mundo vivunt homines, alii æſtimantur, contemnuntur alii; *æſtimantur*, & honorantur, qui divites, qui ſapientes, & qui potentes ſunt in ſæculo; *contemnuntur*, & deſpiciuntur, qui pauperes, qui ignari, & qui ignobiles. Sed in ſepulchro pares erunt omnes, & æquales, ibi nulla fiet diſtinctio pauperis a divite, ignari a docto, & nobilis a plebejo; ibi omnium corpora corruptioni erunt obnoxia; ibi non minus fœtida erunt Magnatum, quam ruſticorum cadavera. O homo, ſive magnus, ſive parvus fueris, corpus tuum in ſepulchro putreſcet, ac in limum fœtidum, & in pulverem convertetur; quare ne ſuperbias, & ne altum ſapias. Voluit enim Deus, hominum corpora in pulverem, & putredinem redigenda, ut hi procul a ſe ſuperbiam pellant, utque humilitatem ſectentur: *Pulvis es, & in pulverem reverteris; ut non apponas ultra magnificare te ſuper terram. Gregor. Nyſſen.* Non ergo apponatis magnificare vos ſupra terram; ſed proſpicientes qualia in ſepulchro futura ſint corpora veſtra, humiliamini, & voſmetipſos deſpicite.

Humiliamini, prævidentes, quales futuri ſitis in ſepulchris, ſed identidem Chriſti in ſepulchro exiſtentis admiramini gloriam, quæ tanta exitit, ut nullus ibi fœtor, nulla putredo; ſed ibi corpus ejus incorruptum maneat. Ecce primum radium gloriæ, qui in Chriſti ſepulchro rutilat, tranſeamus ad ſecundum. Et poſtquam vidimus, Chriſtum in ſepulchro fuiſſe ſine corruptione, dicamus, eum e ſepulchro exiſſe propria virtute, *& ſine ullo auxilio extraneo.*

## S E C U N D A P A R S.

*Chriſtus egreditur de ſepulchro ſine auxilio extraneo*

DUm in hoc mundo viveret Chriſtus, ab inimicis ſeductor, Samaritanus, dæmonium habens, &

dæ-

Digitized by Google

dæmones conſulens dicebatur; qui autem pie de illo judicabant, hoc ſolum ſentiebant, quod eſſet Elias, aut Jeremias, aut aliquis ex Prophetis. Sed omnibus notum facere voluit Chriſtus, ſe eſſe verum Deum. *Notus ero in oculis multarum gentium, & ſcient quia ego Dominus. Ezechiel.* 38. Hoc quidem hominibus notum fecit, ac potiſſimum argumentum quod adhibuit ad manifeſtandum, & probandum, ſe eſſe Filium Dei naturalem, eſt triumphus reſurrectionis, quo propria virtute, ac inſita vi, & potentia, abſque ullo auxilio extraneo, ſeipſum a mortuis ſuſcitavit, & in vitam revocavit.

Chriſtus, ut ait D. Paulus, *prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute. Roman.* 1. ſeu, ut explicat D. Damaſcenus, *declaratus eſt Filius Dei in virtute. Damaſc. l. 4. de fide c.* 19. Multiplici quidem virtute, quæ in eo eluxit, aliquo modo declaratus, & agnitus eſt Filius Dei, virtute, ſcilicet, homines ſanctificandi, mortuos ſuſcitandi, & alia miracula faciendi; ſed magna, & præcipua virtus, qua Chriſtus declaratur, & agnoſcitur Filius Dei, hæc eſt, quod propria virtute ſeipſum ſuſcitaverit. Nullus ſeipſum ſuſcitare valet, niſi ſit ipſe Deus, quare ut probaret ac manifeſtaret, ſe eſſe Deum, propria virtute, & abſque ullo adjutorio externo ſeipſum ſuſcitavit. *Factus ſum ſine adjutorio inter mortuos liber. Pſ.* 87. Alii nonnulli, ſuſcitati, & a ſepulchro facti ſunt liberi aliena virtute, ſic filius viduæ Naim ſuſcitatus, & a morte liber factus eſt, non propria, ſed Chriſti virtute; ſic Tabitha a mortuis ſurrexit, non propria, ſed Sancti Petri virtute. Sed non eſt auditum, quod aliquis ſeipſum ſuſcitaverit; omnibus puris hominibus hæc præcluſa eſt via; nullus hanc virtutem habuit: ſingulare hoc Chriſti fuit privilegium: hæc eſt Chriſti gloria, quod ſeipſum propria virtute, & ſine ullo auxilio externo ſuſcitaverit: *Factus ſum ſine adjutorio inter mortuos liber.*

Chriſtum Dominum in die Reſurrectionis induiſſe ſe fortitudine & virtute, ait Vates Regius: *Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute. Pſ.* 92. 1. Chriſti fortitudo ſemper infinita fuerat; ſed in reſurrectione dicitur ſpecialiter virtute & fortitudine indutus; quia ſicut manifeſtantur, & exterius apparent ea, quibus induimur & præcingimur; ita & Chriſtus in reſurrectione dicitur virtute & fortitudine indutus, quia tunc virtutem & fortitudinem ſuam maxime manifeſtavit in hoc, quod ſeipſum propria virtute ſuſcitaverit. Prædixerat Chriſtus, ſe virtute propria a mortuis ſuſcitandum, cum ſcilicet de proprio loquens corpore, Judæis dixerat: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Joann.* 2. 19. Ipſe autem hodie induitur fortitudine, præcingit ſe virtute, ac virtutem ſuam manifeſtat; quia templum hoc excitat, ac ſeipſum propria virtute ſuſcitat.

Job perſonam Chriſti agens, prophetice dixit; *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies. Job* 29. 28. alia tranſlatio, quam refert Ven. Beda, habet; *Sicut phœnix multiplicabo dies meos. Beda in Job comment.* 12. De phœnice, Chriſtum adumbrante, docent varii Auctores, quod cum infirma, & morti proxima eſt, naturæ inſtinctu, ligna quædam odorifera, & aromatica colligat, ex quibus facta ſtrue, ſuper illam alas quatit, donec hoc concuſſu ligna accendantur, & ex iis fiat ignis; in quo mirabilis hæc avis comburitur, & ex cineribus ejus oritur vermiculus, ex quo vermiculo alia naſcitur phœnix. Unde videtur phœnix ex ſeipſa renaſci, & quaſi ſe reproducere: *Phœnix ſemetipſam funerans renovat. Tertull. de reſurrect. carn. c.* 13. Sic Chriſtus, velut altera phœnix, die Veneris ſancto crucem portans, ligna collegiſſe videtur, ſuper quæ moriturus erat: divina autem hæc phœnix, ſeu Chriſtus, jacens in ſepulchro, circumdatus odoribus & aromatibus pretioſis (centum quippe libræ Myrrhæ, & Aloes emptæ fuerant ad ſacrum corpus condiendum. *Joann.* 19.) non aliena, ſed propria virtute renatus, & ſuſcitatus eſt: non alterius adjutorio, ſed virtute ſibi innata, reſumit animam ſuam, quam poſuerat: *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Joan.* 10. Unde ipſius ſepulchro hoc epitaphium jure merito inſculpi poſſet: *Surrexit.* Aliorum, qui extranea virtute ſuſcitati ſunt, pro epitaphio hæc verba apponi poſſent, *Suſcitatus eſt*, hic ſuſcitatus eſt a Divo Petro, hic ſuſcitatus eſt a Divo Paulo: ſed ſolius Chriſti ſepulchro hoc epitaphium convenit, *Surrexit*; quia ille ſolus propria virtute, & abſque alterius auxilio ſurrexit, & de ſepulchro egreſſus eſt.

Hoc probe noverant Angeli, qui illud epitaphium ad Chriſti gloriam pronuntiarant, quærentibus enim Chriſtum in ſepulchro, dixerunt: *Surrexit, non eſt hic.* Cum viri ingenioſi in ſæculo epitaphia in defunctorum Magnatum honorem componunt, his ſemper utuntur verbis, *hic jacet*, hic jacet, inquiunt, talis Imperator, hic jacet talis Rex. Sua ſemper epitaphia ab his verbis incipiunt, *hic jacet.* Sed epitaphium toto cælo oppoſitum ad Chriſti gloriam hodie proferunt Angeli, de illo enim non dicunt, quod in ſepulchro jaceat, ſed quod e ſepulchro propria virtute ſurrexit; *Surrexit.*

Illuſtrium virorum ſepulchra, omni ævo adornari, & inſigniri conſueverunt epitaphiis: quæ ſunt quaſi virtutum & facinorum cujuſque compendia & præcones. Sic ad Alexandri ſepulchrum delineatæ ſunt Aſia & Europa, cum hac epigraphe, *Alexandri victoria*, ut omnibus manifeſtaretur, ab Alexandro Aſiam & Europam fuiſſe devictas. *Carthag. hom. 3. de Reſurr.* Sic Cyrus illud ſepulchro ſuo epitaphium affigi voluit: *Hic jacet Perſarum debellator*: ut omnibus notum fieret, ab illo Perſas fuiſſe debellatos. Sic in ſepulchro Joſue: in glorioſum emblema, & in honorificum epitaphium, ſol depictus eſt cum hac inſcriptione: *Sol contra Gabaonem ne movearis*, ut omnibus innoteſceret, Joſue ſolum velociſſimo curſu properantem coercuiſſe. Glorioſa quidem hæc epitaphia, ſed his omnibus longe glorioſius eſt illud Chriſti epitaphium, *Surrexit.* Quia nullus alius ſeipſum ſuſcitare valuit, hoc ſoli Chriſto competit, qui ſeipſum propria virtute, & abſque ullo extraneo auxilio ſuſcitavit.

Magdalena anxie quærens, quis Chriſtum e ſepulchro ſuſtulerit, ipſi Chriſto ſuſcitato, quem non agnoſcebat, dixit, *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, Joan.* 20. 15. Congrua certe interrogatio, quia ipſe Chriſtus, quem alloquebatur, & interrogabat, ſeipſum ſuſcitaverat, & e ſepulchro ſuſtulerat: *Recte interrogat*, inquit Sanctus Auguſtinus, *ſi tu ſuſtuli-*

ſti

*ſi eum: ipſe enim tulit corpus ſuum, qui illud protulit de ſepulchro; ipſe tulit corpus, qui illud jacens & dormiens ſua aſpiratione collegit; ipſe tulit corpus ſuum, qui illud divinitatis virtute geſtans, portavit ad Cælos. D. Auguſtinus ſerm. 133. de tempore.*

Chriſtus e sepulchro tulit semetipsum; Chriſtus jam mortuus, seipsum ad vitam revocavit; qui non habebat vitam, ſibi ipſi vitam dedit, ac seipsum suscitavit. Hæc omnia paradoxa ſunt, & quaſi incomprehenſibilia: hoc tamen ita explicari poteſt, quod scilicet Chriſtus seipsum suscitaverit: quia virtute divinitatis, corpus ejus eſt suscitatum. Hoc enim corpus, etiam ab anima separatum, & sepultum, divinitati semper erat unitum. Unde ſicut per communicationem idiomatum dicebatur: hic mortuus Deus eſt, & Deus eſt hic mortuus, ita, licet virtute divina Chriſtus suscitatus ſit, dici poteſt, quod hic mortuus seipsum propria virtute suscitaverit; quia virtus divina, qua suscitatus eſt, ipſi erat unita.

Ecce ſecundum gloriæ radium, quo illuſtratur Chriſti ſepulchrum: quid enim glorioſius, quam quod ipſe propria virtute a sepulchro surrexerit: *Chriſtus ſeipſum a mortuis ſuſcitavit*, inquit Procopius: *quis unquam hominum muſcipula mortis captus, clauſuſque ſemel, inde potuit vi ſua atque virtute liber egredi? Aut quem gigantum hactenus experti ſumus ita fortem, ut mortuus, atque in ſepulchro clauſus, ſeipſum potuerit inde vivum liberumque ſuſcitare? Procop. in hæc verba Iſaiæ 5. Gigantes non reſurgant.* Certe nullus purus homo, ſive gigas ille ſit, ſive Rex, ſive plebejus, hoc potuit facere: illud privilegium Homini Deo eſt speciale: hæc gloria soli Chriſto debetur: ipse solus a sepulchro surrexit ſine auxilio extraneo. Sed tandem: *Chriſtus extra ſepulchrum vivit ſine relapſu.*

## TERTIA PARS:

*Chriſtus vivit extra ſepulchrum, vivit ſine relapſu.*

Corpori Chriſti hypoſtatice unitum erat Verbum: & ideo ex vitalis unionis ratione, corpori ejus debebantur immenſibilitas & immortalitas. Quia tamen Verbum divinum copioſam voluit eſſe noſtram redemptionem, miraculose suspendit influxum vitæ, qui ratione hujus unionis, carni Chriſti communicari debebat; & ut loquitur Clemens Alexandrinus: *Verbum caro factum permiſit carni, ut ſua pateretur; Clemen. Alexand. lib. 4. in Joann.* hac ergo permiſſione data carni Chriſti, tanto ipſe erga nos amore accenſus eſt, ut pro nobis gravia pati, & acerbam mortem ſubire voluerit. At in resurrectione Chriſti, sublata eſt hæc facultas: tunc ceſſavit miraculum quo impediebatur, ne Verbum vitam carni Dominicæ communicaret: quare ita a mortuis ſurrexit Chriſtus, ut non amplius eſſet moriturus: *De ſepulchro ſe reddidit vivum, numquam deinde moriturus. S. Auguſt. tractat. 91. in Joann.* Hanc carnem morti obnoxiam sumpserat Chriſtus, ut Patri pro peccatis noſtris satisfaceret, & ut nos a dæmonis captivitate redimeret; sed quia ceſſante fine, ceſſant & media ad finem; ideo facta jam redemptione noſtra, noluit carnem suam eſſe amplius paſſibilem, & mortalem; ac ita seipsum suscitavit, ut non amplius caro ejus morti eſſet obnoxia; *Tertia die reſurrexit in carne noſtra, ſed nequaquam ulterius moritura. S. Auguſtinus lib. de Symbol.*

Hanc Chriſti a mortuis suscitati immortalitatem declarat ipse, dum ait: *Fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum, Apoc. 1. 18.* Fuit mortuus Chriſtus propter nos; hic fuit Agnus pro ſalute noſtra occiſus: mori voluit, ut peccata noſtra suo sanguine lavaret, sed poſtquam per paſſionem suam noſtra lavit peccata, surrexit non iterum moriturus; *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Roman 6. 9.* Mortis imperio se semel subdidit, ut nos a peccatis redimeret: sed poſtquam resurrexit, *mors illi ultra non dominabitur*, quia ita surrexit, ut non amplius ſit moriturus, nec in sepulchrum reversurus.

Chriſtum ait Divus Paulus eſſe primum eorum, qui a mortuis surrexerunt, *Chriſtus ſurrexit a mortuis, primitiæ dormientium. 1. Cor. 15. 20.* Cur Chriſtum vocat primum, qui a mortuis surrexit? Nonne prius a mortuis surrexerant Lazarus, & filius viduæ Naim, quos ipse Chriſtus suscitaverat? Nonne etiam ab Elia & Eliſæo mortui quidam prius fuerant suscitati? Cur ergo Chriſtum Paulus mortuorum, qui miraculose suscitari fuere, primum vocat? Ratio eſt, inquit Sanctus Epiphanius, quia Lazarus, filius viduæ Naim, & alii, qui miraculo se fuere suscitati, ita surrexerunt, ut iterum eſſent morituri: sed ita surrexit Chriſtus, ut non iterum eſſet moriturus; & ideo primus vocatur: *Licet ante ipſum Lazarus, & multi alii fuerint reſuſcitati; hoc tamen fuit ad vitam mortalem, quæ magis dicitur mors, quam vita: vera reſurrectio fit ad vitam immortalem: ad quam Chriſtus reſurrexit primus. Lyran. in cap. 1. Apoc.* Chriſti resurrectio apud Prophetam vocatur *nativitas*, ſic enim Patrem Æternum Chriſto loquentem inducit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pſalm. 2. 7.* Cum quis filium vidit periculose vulneratum, & quaſi mortuum; ei poſtmodum gratulari solet, ſi a tali vulnere salvus evadat: ipsaque die, qua illum extra mortis periculum perspicit, ei dicit: o fili, hodie mihi natus es: hodie incipio eſſe pater tuus. Eodem modo Pater Æternus, Chriſtum videns tertia die a morte liberatum, atque prorsus illæsum, gratulatur illi dicens: *Ego hodie genui te*: hodie videris natus mihi, cum a mortuis surrexiſti. *Chartag. ubi ſup.* Et revera Chriſti resurrectio eſt quaſi nativitas, primæ ejus nativitati in pluribus ſimilis; ſiquidem ſicut in Virginis utero anima fuit corpori unita; ita in sepulchro fuit ei iterum unita; ſicut etiam Chriſtus a Mariæ thalamo exiit inviolato virgineo clauſtro: ita in reſurrectione exiit e sepulchro irrupta petra, & inviolatis ſigillis, quibus ſignatum erat monumentum: ſicut tandem Dominus de Matris vulva vivus exivit; ſic de sepultura vivus surrexit. Ecce duas Chriſti nativitates plurimum ſimiles: sed ut ait Sanctus Ambroſius, secunda eſt prima glorioſior: quia cum natus eſt e Virginis utero, morti obnoxius erat: e sepulchro vero natus eſt, & surrexit immortalis: *Glorioſior iſta eſt, quam illa nativitas; illa enim corpus mortale, hæc immortale dedit. S. Ambroſ. ſerm. 48.* Quod & confirmat Sanctus Petrus Chrysologus, dum ait, Chriſti sepulchrum eſſe veluti uterum, in quo concipitur Chri-

Digitized by Google

Chriſtus mortuus: *Uteri nova forma mortuum concipit, parit vivum*. Si in mulierum utero fœtus ſit mortuus paritur, & non vivus; at uteri iſtius eſt nova forma, quia Chriſtum concipit mortuum, parit vivum, & ita vivum, inquit Chryſologus, ut nusquam amplius ſit moriturus: *Reſurgentium lux mori non poteſt. Chryſol. ſerm.* 79. Chriſtus, qui eſt lux, & exemplar eorum omnium qui reſurrecturi ſunt, ita e ſepulchro ſurrexit, ut non amplius ſit moriturus. Ecce tertium gloriæ radium, qui in Chriſti ſepulchro rutilat.

Chriſti ſepulchrum glorioſum fore prædixerat Iſaias: *Erit ſepulchrum ejus glorioſum. Iſaiæ* 11. 10. Hoc quidem ſepulchrum eſt glorioſum; quia in eo Chriſtus remanet, ab eo ſurgit, & extra illud vivit, in eo Chriſtus remanet abſque ulla corruptione, ab eo ſurgit abſque ullo auxilio externo, extra illud vivit abſque ullo relapſu. Contemplemur gloriam Chriſti in ſepulchro abſque ulla corruptione triduo remanentis, admiremur virtutem Chriſti e ſepulchro abſque ullo auxilio externo egredientis, ſed potiſſimum hæreamus in meditatione Chriſti extra ſepulchrum abſque relapſu viventis, ut inde aliquem ad mores recte componendos fructum eliciamus. Si enim Chriſtus extra ſepulchrum vixit ſine relapſu, & ſi ita ſurrexit, ut non iterum mortuus ſit, inde moveri debemus ad non iterum labendum in peccatum: *Debemus perfecte mori peccato, ut non redeamus ad illud: ſicut & Chriſtus non rediit ad vitam, ut iterum moreretur. Hugo Card. in cap. 6. Epiſt. ad Rom. verſ.* 9.

Paſcha apud Judæos nil aliud erat, quam tranſitus, *Phaſe, id eſt tranſitus*: ſi ergo Paſchalia Feſta digne peregimus, tranſitum fecimus de peccato ad vitam, quia, ut ait Sanctus Maximus, Taurinenſis Epiſcopus, *bonus tranſitus eſt, tranſire de peccatis ad juſtitiam, de vitiis ad virtutes*. Si jam autem bonum hunc tranſitum fecimus, non debemus in priora peccata relabi; ſi per pœnitentiam vere a peccatis ſurreximus, & tranſivimus de morte ad vitam, non debemus iterum mori, recidendo in priſtina peccata. Sed heu! a peccatis ita reſurgunt plurimi, ut ſtatim in ea revertantur, *Paſcha eſt illis magis in reditum, quam in tranſitum: S. Bern. ſerm. 1. de Reſurr.* quia in priora peccata mox relabuntur, ac poſt Paſchalia Feſta iidem ſunt qui antea.

Ingenioſe adnotavit nonnullus, quod peccatores ſacro Paſcharis tempore dicere ſoleant verſiculum; *Gloria Patri, & Filio, &c.* Prima die, ſeu ipſa die Paſchatis, peccata ſua confitentur, ad ſacram Synaxim accedunt, concioni interſunt, aliaque Chriſtiani hominis munia adimplent, ac vere Deum glorificant, unde hac die dicere videntur: *Gloria Patri*. Secunda die, aliquantulum de fervore remittunt, adhuc tamen glorificare ſtatuunt Dei Filium, cujus meritis a peccatis ſurrexerunt; unde hac die dicere videntur, *& Filio*. Tertia die, ſpiritualibus adhuc remiſſius vacant, quia tamen gratiæ per Spiritum Sanctum acceptæ nondum totaliter ſunt immemores, illum adhuc glorificant, & dicere videntur, & *Spiritui Sancto*. At ubi Feſta tranſierunt, perficiunt verſiculum, ſunt enim iidem qui ante Feſta, ſunt perjuri, blaſphemi, potatores, & iiſdem vitiis dediti, quibus ante Feſta addicti erant; tunc, *ſicut erat in principio*. At non ita eſt reſurgendum, ut in priora recidamus peccata, ſed ita ut amplius per peccatum in ſpiritualem animæ mortem non incurramus.

Mementote, inquit Sanctus Bernardus. quod Chriſtus non recidit, ſed reſurrexit; non rediit, *ſed tranſiit; tranſmigravit, non remeavit*: ſurgamus & nos ita, ut non recidamus, ita tranſeamus, ut non redeamus; ita tranſmigremus a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, ut non amplius ad peccata remeemus; *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur*: ſic ſi nos a peccati morte ſurrexerimus, non ultra per peccatum moriamur, ſed peccatis, & terrenis cunctis ablegatis, quæ ſurſum ſunt quæramus: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite*. Si autem ſollicite gratiam & gloriam quæramus, *gratiam & gloriam dabit Dominus*. Amen.

## DOMINICA IN ALBIS.

## DE

# CHRISTI VULNERIBUS.

*Oſtendit ei manus, & latus*. Joann. 20. 20.

Mirabimini forte, fratres chariſſimi, quod hodierna die Chriſtum Salvatorem vulneribus ſauciatum oculis veſtris objiciam; mirabimini, quod poſtquam, paucis ab hinc diebus, Chriſtum in Reſurrectione ſua ineffabili gloria radiantem vidiſtis, cum jam variis affectum vulneribus proponam. Sed de Chriſto vulnerato, ſeu de Chriſti vulneribus diſſerere, hodiernum invitat Evangelium, ſuadet ratio, & ipſe Chriſtus docet. *Hodiernum quidem invitat Evangelium*: cum enarret Chriſtum Apoſtolis apparuiſſe, ſuaque eis vulnera exhibuiſſe. *Ratio etiam hoc ſuadet*: quia rationi nil magis conſentaneum, quam quod omni tempore ſacra hæc mente revolvamus vulnera, quæ fuere veluti fontes uberrimi, ex quibus redemptionis noſtræ pretium feliciter manavit. *Hoc tandem docet Chriſtus*, quia Apoſtolis ſuas hodie cicatrices exhibet, ut diſcant Concionatores, ſui muneris eſſe, Chriſti paſſionem, ejusque vulnera populis ſuis objicere, eaque illis in mentem revocare.

Venite ergo, ut ſacra hæc mecum hodie contemplemini vulnera: accedite, ut admiremini plagas illas, quas ad totius humani generis redemptionem Chriſtus conſtanter pertulit: venite tandem, & has mente volvite cicatrices, quas ut cruentos amoris ſui characteres, & veluti illuſtriora triumphi ſui ſigna, Chriſtus Apoſtolis oſtendit; *Oſtendit ei manus & latus*.

Sacra hæc vulnera paſſus eſt Chriſtus: ea intulerunt Judæi: viderunt ea Apoſtoli; Thomas illa tetigit; ea cum dolore contemplata eſt Maria; & nos pro modulo noſtro de iis diſſeremus, &c. *Ave*.

Chriſtus Salvator vulnera paſſus eſt, oſtendit, & in corpore ſuo retinuit. Ea paſſus eſt in monte Calvariæ: ea oſtendit in cœnaculo: & illa, aut ſaltem eorum cicatrices retinuit in Cælo. Ea Chriſtus paſſus eſt: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; Iſa.* 53. 5. illa Chriſtus oſtendit: *Oſtendit eis manus, & latus*: Illa tandem Chriſtus

reti-

Digitized by Google

retinuit, eaque poſt mortem palpari voluit: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum. Joann.* 20. 17.

Miror maxime, quod Chriſtus, cujus innocentia ſumma, & qui unico voluntatis ſuæ actu nos redimere poterat, tot in corpore ſuo vulnera perpeti voluerit. Miror magis, quod poſt reſurrectionem Chriſtus Apoſtolis apparens, ut eos conſoletur, eis vulnera exhibeat, quæ afflictionis eorum motivum erant & cauſa. Miror tandem, quod vulnera Chriſtus retineat etiam in Cælo, quod eſt omnis voluptatis locus, ubi nullus dolor, nullaque afflictio eſſe poteſt; *Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. Apoc.* 21. 4.

Hæc omnia myſteria hac concione evolvere intendo: has omnes difficultates explanare ſtatui, ac explicare: cur Chriſtus innocens vulnera perferat? cur Chriſtus a mortuis excitatus, vulnera oſtendat? cur Chriſtus glorificatus, vulnera retineat? Videamus ergo: 1. Cur Chriſtus vulnera patitur? 2. Cur Chriſtus vulnera oſtendit? 3. Cur Chriſtus vulnera retinet? En tres quæſtiones, quarum ſolutione, tota iſta perficietur concio.

## PRIMA PARS.

*Cur Chriſtus vulnera paſſus eſt?*

CHriſtus Dominus in hunc mundum venit, ut Mediatoris, Redemptoris & Salvatoris munus obiret. Mediator fuit: *Unus Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus*, 1. *Tim.* 2. Hominum etiam Redemptor extitit: *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Epheſ.* 2. 5. Eorum tandem Salvator fuit: *Cujus gratia eſtis ſalvati*. Chriſtus autem vulnera in corpore ſuo pertulit, & paſſus eſt tamquam Mediator, Redemptor, & Salvator: 1. *Tamquam Mediator*, ut nos Æterno Patri reconciliaret: 2. *Tamquam Redemptor*, ut nos a dæmonis ſervitute redimeret: 3. *Tamquam Salvator*, ut nobis Paradiſi portas reſeraret.

1. Per Adami peccatum facti eramus Dei inimici: per exitioſum illud ſcelus in Æterni Patris offenſionem incurreramus: ita ut nec homo, nec Angelus, nec creatura aliqua, ſed ſolus Deus nos illi reconciliare poſſet, Chriſtus autem, quia Deus erat, ut nos Æterno Patri reconciliaret, Mediatoris munere fungi dignatus eſt, ac ut Mediatoris munus perfecte adimpleret, in Calvariæ montem aſcendit, ibique acerbis vulneribus ſauciatus eſt, quibus mediantibus, nos Patri reconciliavit, & in priſtinam ejus amicitiam reduxit; *Et vos cum eſſetis aliquando alienati, & inimici: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem. Coloſſ.* 1. Divinus ille Mediator, non in vanum vulnerari voluit, inutilia eſſe noluit vulnera, quæ in corpore ſuo pertulit: mediantibus enim illis, Æternum Patrem placare, homines illi reconciliare, eoſque in ejus amicitiam revocare voluit. Et ideo Chriſti vulnera ab Iſaia Propheta vocantur *diſciplina pacis noſtræ*, *Iſa.* 53. 5. quia ſcilicet mediantibus illis, facta eſt pacis compoſitio, & homines Æterno Patri reconciliati ſunt.

Per Prophetam ſuum aſſerit Chriſtus, quod nos in manibus ſuis deſcripſerit: *Ecce in manibus meis deſcripſi te. Iſa.* 49. 16. Sanguinolentis characteribus, non in pulvere, vel papyro, ſed in propriis manibus deſcripſit nos Chriſtus. Sed cur, & quomodo ibi nos deſcripſit? Ut hoc explicem, ſciendum, quod Pater Æternus, Adami caſum videns, ſcripto privato nos rebelles, & hoſtes ſuos denuntiaverit. Chriſtus autem in hunc mundum veniens ut Mediator, ſcriptum illud ſcidit, & cruci affixit: *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. Coloſſ.* 2. 14. Poſtquam Chriſtus ſcriptum illud a Patre Æterno adverſus nos factum conſcidit, aliud noſtri gratia fecit ipſemet; Pacis enim noſtræ cum Patre Æterno compoſitionem ſcriptis mandavit, ad quod ſcriptum faciendum clavos in calamos, & proprium ſanguinem in atramentum aſſumpſit; ac in propriis manibus hanc pacis compoſitionem ſcripſit: *In manibus meis deſcripſi te. Iſa.* 49. 16. Sed quid movit Patrem Æternum ad conſentiendum huic pacis compoſitioni? Quid illum inclinavit ad homines in ſui gratia recipiendos? Chriſti utique vulnera. Unde Chriſtus ea hodie Apoſtolis oſtendens, ait: *Pax vobis*. Quaſi dicat: Ecce vulnera, quibus mediantibus, pax veſtra cum Patre Æterno facta eſt, & cum illo eſtis reconciliati. Sed ſi Chriſtus vulnera paſſus eſt, ut nos Æterno Patri reconciliaret; *ea etiam paſſus eſt, ut nos a dæmonis ſervitute redimeret.*

2. Adami peccato, non ſolum Dei inimici, ſed etiam dæmonis ſervi facti eramus; ita ut omnes homines ſub dira ejus ſervitute naſcerentur, & viverent. Sed tanto Chriſtus in nos exarſit amore, quod cruci affigi, cruentiſque plagis ſauciari voluerit, ut nos ab infelici, & tyrannica hac ſervitute redimeret; *dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret. Ad Titum* 2. 14. Non auro, non argento nos redemit; ſed paſſione ſua, ſed vulneribus in corpore ſuo perceptis, & pretioſo Sanguine qui ex iis manavit. *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti.* 1. *Pet.* 1. 18.

Ex Angelis & Archangelis, ex Cherubinis & Seraphinis peccaverant multi; ex iis plures ſervi facti erant peccato, iis tamen omnibus Chriſtus gratiam redemptionis denegavit: ad illos redimendos nec unicum e corde ſuſpirium mittere, nec vel minimam ex oculis lacrymam fundere voluit; & ideo æternæ ſubjacebunt ſervituti, ac in inferno tetris vinculis ligati, in æternum ingemiſcent. *Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, vinculis æternum ſub caligine reſervavit. Epiſt. Jud. verſ.* 6. At Chriſtus Dominus majori nos amore proſecutus eſt, quia ut nos redimeret, in laboribus fuit a juventute ſua, ac flagellari, ſpinis coronari, & ſauciari voluit. Et ideo hortatur nos Apoſtolus, ut Chriſtum laudemus, & toto corde glorificemus, quia ſcilicet redemit nos pretio magno; *Empti eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* 1. *Corinth.* 6. 20. Angelos nec minimo pretio redimere voluit, nos vero pretio magno redemit, quia ut nos redimeret, flevit amare, ſudavit plurimum, laboravit ſupra modum, & flagellis excidi, ac vulnerati dignatus eſt. Sed ſi vulnera paſſus ſit Chriſtus, ut nos a dœmonis ſervitute redimeret, ea etiam paſſus eſt, *ut Paradiſi fores nobis aperiret.*

3. Per Adami peccatum non ſolum dæmoni ſervi

facti

Digitized by Google

facti eramus, ſed etiam a cælo exulabamus, per illud nobis clauſæ erant Paradiſi fores. Sed Chriſtus in hunc mundum veniens, ſauciari, latuſque, manus, & pedes ſibi aperiri voluit, ut acceptis in corpore ſuo vulneribus, Paradiſi nobis oſtia aperiret: *Se totum mihi aperuit*, inquit Abbas Guerricus, *ut ingrederer in locum Tabernaculi*.

Chriſti Salvatoris corpus ſimile fuiſse videtur Arcæ Noemiticæ, in qua erat janua, qua intrarunt animalia hæc, quæ a diluvio ſalva facta ſunt. Corpus enim Chriſti erat Arca ſacra, in qua repoſiti erant omnes divinitatis theſauri: voluit autem Chriſtus huic Arcæ portas fieri, voluit in pedibus, & manibus ſuis fieri vulnera & aperturas, quibus mediantibus, ab iræ divinæ diluvio ſalvari, & in cælum ingredi valeremus. Et ideo Doctor Seraphicus Chriſti vulnera vocat *aperta ad quietem oſtia*, quia ſcilicet hæc vulnera pati voluit Chriſtus, ut Paradiſum nobis aperiret, ac ut in eo æternum quieſceremus.

In famoſo Salomonis Templo erat janua a latere dextro, qua ad omnes Templi manſiones aſcendebatur; corpus autem Chriſti erat Spiritus Sancti Templum, in quo januas aperiri, ſeu vulnera fieri voluit, quæ ſunt quaſi januæ apertæ, quibus in cælum aſcenditur & intratur. Unde S. Bernardus ait, clavos, quibus vulneratus eſt Chriſtus, fuiſse ſimul clavos & claves: fuerunt clavi diriſſimi, quibus ſauciatus eſt Chriſtus; & fuerunt claves, quibus nobis apertæ ſunt Paradiſi januæ: *Clavus penetrans, clavis reſerans. S. Bern. ſer. 61. in Cant.* 4. O quam mirabilia & efficacia fuere Chriſti vulnera! Sed o quam amabilis Chriſtus, qui hæc vulnera paſsus eſt, ut nos Patri reconciliaret, ut nos redimeret, & ut cæli januas nobis aperiret!

O N. N. Chriſtus tot & tanta pro nobis paſsus eſt, & nos illius gratia nihil pati volumus, ipſe ſuum pro nobis corpus ſauciari, & vulnerari voluit, & nos vel minimum quid pro illius gloria pati dedignamur. Dic, quæſo, quid toto vitæ tuæ tempore paſsus es pro Chriſto, qui tot & tam gravia pro tui amore perpeſsus eſt? Ubi ſunt vulnera, quæ pro illius honore pertuliſti? Anne tuum pro ipſo ſanguinem ſudiſti? Quid dico vulnera? Quid dico ſanguinem? Forte nec unicum verbum adverſus te prolatum, pro illius amore patienter tuliſti? Sed ſcito, quod Chriſti vulnera januas cæli tibi non aperient, nec ſalvabunt te, niſi particeps fueris paſſionum ejus: *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus*, ait D. Paulus; 2. *Tim.* 2. 12. ſed ſi cum Chriſto pati nolimus, cum ipſo ad Cælum ire, & in Cælo regnare nequimus. Eſtote ergo participes paſſionum, ut ſitis & conſolationum: generoſe & conſtanter portate quidquid in Chriſti lege durum, & aſperum eſt; & Chriſti vulnera Cælum vobis aperient. Ecce cur vulnera Chriſtus paſſus ſit. Videamus jam, *cur illa Apoſtolis oſtenderit*.

## SECUNDA PARS.

*Cur Chriſtus vulnera ſua Apoſtolis oſtendit?*

NOn ſine myſterio Chriſtus Apoſtolis ſua oſtendit vulnera. Hujus rei multæ rationes adduci poſsent, quas inveſtigare prolixum nimis foret. Quare ut brevitati conſulam, dico, Chriſtum ſua Apoſtolis oſtendiſse vulnera: 1. Ut ſuum iis manifeſtaret amorem: 2. Ut eos in fide firmaret: 3. Ut eos ad patientiam excitaret.

1. Chriſtus Dominus Apoſtolis poſt Reſurrectionem apparens, ſua eis oſtendit vulnera, dicens: *Videte manus meas & pedes meos. Lucæ* 24. 39. Quaſi dicat, videte, quo affectu, quo ardore vos dilexerim, videte meum in vos amorem, qui tantus extitit, ut pro vobis hæc vulnera æquo animo pertulerim. Unde Eminentiſſimus Hugo Cardinalis hæc Chriſti exponens verba, ſic ait. *Videte affectus meos erga vos & alios*: Seu, in vulneribus quæ oſtendo vobis, & quæ pro vobis paſsus ſum, videte quanto affectu vos amaverim.

Per Prophetam ſuum declarat Deus, quod nos dilexerit: *Dilexi vos. Malac.* 1. 2. Multi tamen ita ingrati ſunt, ut acceptorum a Deo beneficiorum immemores, petant, in quo Deus eos dilexerit: *Dilexi vos, dicit Dominus; & dixiſtis, in quo dilexiſti nos?* Heu! ſi quæreremus a Deo, in quo nos dilexerit; nonne innumera recenſere poſset beneficia, quæ ſui in nos amoris egregia ſunt monumenta? Nonne a Deo ſunt bona animæ & corporis, bona gratiæ, naturæ, fortunæ, & omnia quibus fruimur? Quid habes, homo, quod non accepiſti? Nil certe in te boni, quod non a Deo ſit, & quod ſui in te amoris teſtimonium non ſit. Sed ſi ſcire velis, in quo te ſpecialiter Deus dilexerit; vide vulnera, quæ pro te paſsus eſt: *Videte manus meas & pedes meos, videte affectus meos.* Hæc Apoſtolis hodie oſtendit Chriſtus; quaſi dicat, ecce in quo dilexi vos, ecce quantus extitit meus in vos amor.

Adnotat S. Joannes Evangeliſta, quod Chriſtus Apoſtolis apparens, eis ſpecialiter lateris ſui vulnus oſtenderit; *Oſtendit ei manus & latus.* Hoc lateris vulnus ſpeciali attentione contemplantur Sancti Patres, ac quærunt, cur illud Apoſtolis Chriſtus oſtenderit? nec hærent in danda hujus rei ratione; reſpondent enim unanimiter cum Sancto Bernardo, quod ſacrum hoc vulnus Chriſtus oſtenderit, *ut per vulnus viſibile, vulnus amoris inviſibile videremus. D. Bern. ſer. de Paſſ.* Sed quod de lateris vulnere dicunt Sancti Patres, hoc & de omnibus externis corporis Chriſti vulneribus dici debet. Oſtendit enim Chriſtus Apoſtolis vulnera externa corporis; ut per hæc vulnera, quaſi per rimas & aperturas viderent vulnus amoris, quo ſauciatum erat cor ejus, & agnoſcerent quanto eos amore proſecutus eſset. Sed ſi Chriſtus ſua Apoſtolis oſtendit vulnera, ut ſuum iis manifeſtaret amorem; *ea etiam oſtendit ut eos & nos in fide firmaret.*

2. Cum Chriſtus Apoſtolis apparuit, dixit eis: *Videte manus meas, & pedes meos. Luc.* 24. 39. Dixit eis etiam: *Palpate, & videte.* Quaſi dicat: videte: immo & ſi velitis, mea tangite vulnera; & certi eſtote, quod non ſim phantaſma vacuum & inane: ſed quod ſim Dominus & Magiſter veſter, quod ſim ipſemet qui vobiſcum tanto tempore verſatus ſum: quod ſim ipſe qui coram vobis tot prodigia operatus ſum, & qui pro vobis mortuus ſum: hæc ſcitote, nec ullo modo de iis dubitetis: *Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate, & videte.* Cur toties Chriſtus Apoſtolos ad videnda vulnera invitat, dicens: *Videte? videte?* Nonne ſatis

ſis erat, quod eis vulnera videnda exhiberet? Ad quid ergo hæc iterat verba: *Videte, videte?* Ea iterat, eoſque ad videnda vulnera pluries invitat, ut viſione vulnerum firmentur in fide Reſurrectionis Chriſti, & deinde Reſurrtctionis fidem in univerſo orbe prædicent: *Palpate, & videte*, inquit S. Petrus Chryſologus, *ut effundant toto orbe terrarum hæc vulnera fidem. Chryſol. ſer.* 48.

S. Thomas, qui cum aliis Apoſtolis non erat, cum Chriſtus eis ſua oſtendit vulnera, eum reſurrexiſſe credere non poterat; & ideo dicebat: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam: Joann.* 20. 25. Alii Apoſtoli, poſtquam etiam Chriſti ſuſcitati vulnera viderunt, eum reſurrexiſſe, non adhuc firmiter credebant: *Adhuc autem illis non credentibus. Luc.* 24. 47. Si autem Apoſtoli, poſtquam Chriſti a mortuis excitati vulnera viderunt, eum a mortuis ſurrexiſſe vix crediderunt; quomodo ejus Reſurrectionem credidiſſent, ſi ejus vulnera non vidiſſent? De ea forte plus dubitaſſent, quam Thomas. Et ſi Apoſtoli, qui erant Eccleſiæ columnæ, nutaſſent in fide, & de Chriſti Reſurrectione dubitaſſent, quis eum reſurrexiſſe credidiſſet? Nullus equidem. Et ſi nullus eum reſurrexiſſe credidiſſet, nullus etiam credidiſſet eum vere fuiſſe Meſſiam: nullua etiam fidem adhibuiſſet Sacramentis, quæ ipſe inſtituerat, & myſteriis quæ revelaverat; quia, ut docent Sancti Patres, Chriſti Reſurrectio eſt ſigillum, probatio, & confirmatio omnium myſteriorum, quæ operatus eſt in hoc mundo. Ideo ergo ſua Chriſtus Apoſtolis oſtendit vulnera, ut firmiter ipſum reſurrexiſſe credant, & ut Reſurrectionis fidem per totum orbem effundant: *Ut effundant toto orbe terrarum hæc vulnera fidem*. Sed ſua etiam Chriſtus Apoſtolis oſtendit vulnera, *ut eos ad patientiam excitet*.

3. Prævidebat Salvator, Apoſtolos dira perpeſſuros in prædicatione Evangelii; ſcientia ſua infinita agnoſcebat, quanta ipſi paſſuri eſſent a Judæis, a Gentilibus, ab Imperatoribus, & a Tyrannis; & ideo ut eos ad gravia quæque patienter ferenda excitaret, ſua eis oſtendit vulnera: *Oſtendit eis manus & latus*. Quaſi dicat: o Apoſtoli mei, probe ſcio, quod illuc carceribus mancipari, & graviſſimis ſuppliciis affici debeatis; non me latent omnia tormenta quæ paſſuri eſtis. Sed ſicut pro amore veſtri hæc vulnera, quæ oſtendo vobis, æquanimiter perpeſſus ſum; ita peto a vobia, ut pro mei amore dira quævis ſupplicia perferatis.

In Libro primo Machabæorum legitur, milites ſanguinem, aut ſanguinis aliquam ſpeciem, ut mori vel uvæ rubræ, elephantis oſtendiſſe, ut eos ad prælium accenderent; *Elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos ad prælium*. 1. *Machab.* 6. 34. Sic Chriſtus totum terrarum orbem ut prælii locum inſpicit, in quo & Apoſtoli, & Martyres, & omnes fideles certaturi, & gravia paſſuri ſunt; quare ut eos ad generoſe decertandum, & ad gravia patienter ſuſtinenda excitet, vulnera, ex quibus pretioſus fluxit ſanguis, Apoſtolis oſtendit. Aut, ut loquitur S. Bernardus, eis ſua oſtendit vulnera, *ut animos erigat, utque exemplo ſui, eos reddat ad tolerandum fortiores. S. Bernard. ſerm.* 61. *in Cant.*

Hæc vulnera, quæ Chriſtus Apoſtolis objicit, ſunt quaſi ora aperta, quæ clamant; *Clamat clavus, clamant vulnera*, inquit S. Bernardus. Quid hæc clamant vulnera? Certe non Apoſtolis tantum, ſed omnibus etiam hominibus clamant, ut inſtar Chriſti, omnia adverſa benigne, patienter, & æquanimiter ferant. O homo; ſi podagra, dyſenteria, calculo, vel gravi alio quodam laboras morbo, inſpice Chriſti vulnera, quæ clamant, omnia patienter ferenda; *Clamat clavus, clamant vulnera*. Si paupertate maxima gravaris, ſi ab omnibus derelinqueris, ab hoſtibus opprimeris, & aliis multis adverſis affligeris, ſi natura & paſſiones mœſtitiam, impatientiam, iram, & deſperationem tibi ſuadent, reſpice Chriſti vulnera, quæ clamant, omnia, quantumvis dura & aſpera, pro ejus amore patienter toleranda.

Cum aliquando S. Petrus Martyr accuſaretur gravis cujuſdam criminis, cujus erat innocens, cumque hanc diu calumniam æquo animo perpeſſus eſſet, tandem tædio confectus, coram Chriſti crucifixi imagine orans, dicebat: O Domine, tu meam noſti innocentiam, tu ſcis, me inſontem eſſe criminis, quo accuſor, cur ergo ſinis, me tam gravi calumnia affici? Cur permittis me tam diram perſecutionem pati? Cui Chriſtus crucifixus reſpondit: Et ego quid mali feceram? Nonne eram te innocentior? Et tamen diriores paſſus ſum calumnias, & perſecutiones, quam tu; quare exemplo meo diſce dura quævis patienter tolerare. O N. N. hoc & vos omnes diſcite, cumque aliquid adverſi vobis accidit, reſpicite in faciem Chriſti veſtri, ad Chriſti crucifixi effigiem oculos convertite, videte vulnera, quæ pro vobis paſſus eſt: quæ clamabunt, vobiſque dicent, omnia patienter ferenda pro amore illius, qui tot & tanta pro vobis pertulit. Patienter ergo portate quævis adverſa, aſpicientes vulnera Chriſti, qui tam gravia pro vobis paſſus eſt: *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei. Hebr.* 12. 2. Ecce rationes, propter quas Chriſtus Apoſtolis vulnera ſua oſtendit. *Videamus, cur illa, aut ſaltem eorum cicatrices in corpore ſuo ſervat.*

## TERTIA PARS.

*Cur Chriſtus vulnera in corpore ſua retinet?*

CHriſtus, cujus potentia infinita, ita quidem vulnera ſua curare poterat, ut nullum eorum remaneret veſtigium, cicatrices ita tollere poterat, ut nullæ paſſionum & tormentorum reliquiæ in corpore ejus apparerent. Voluit tamen, ut ait Rupertus Abbas, quinque vulnerum cicatrices retinere; ad ſui gloriam, ad noſtri bonum, & ad reproborum confuſionem. 1. Ad ſui gloriam. *Sibi ad gloriam*. 2. Ad noſtri bonum. *Nobis ad gratiam*. 3. Ad reproborum confuſionem. *Inimicis vero ad criminatricem ſententiam*.

1. Putat D. Auguſtinus, *lib.* 22. *de Civ. lib.* 20. Martyres cum vulnerum ſuorum cicatricibus reſurrecturos, eaſque perpetuo retenturos ad majorem ſui gloriam, quia cum cauſa vulnerum præclara eſt, cicatrices quæ ex eis remanent, ſunt ſigna glorioſa meritorum, & virtutis in eo qui illa ex-

ce-

Digitized by Google

cepit. Sicut autem Martyres ad ſui gloriam, vulnerum cicatrices in corpore ſuo retinebunt, ita & Chriſtus ad ſui gloriam, cicatrices retinuit. Poterat Chriſtus manuum, pedum, & lateris cicatrices abolere, inquit Venerab. Beda, ſed eas ad ſui gloriam retinere voluit, ut ſcilicet in perpetuum eſſent ſigna triumphi, quem de hoſtibus reportavit: *Ob ſignum perpetuæ victoriæ, vulnerum cicatrices cælo inferre maluit, quam abolere. Ven. Beda in c. 24. Luc.*

Si aliquis fortiſſimus miles, inquit Ven. Beda, jubente Rege ſuo, pro totius gentis ſalute, ſingulari certamine deſudans, multis quidem vulneribus exceptis, hoſtem tamen interficiat, & victoriam ſuæ genti reportet; maximam ſibi comparabit gloriam. Si autem peritus adveniens Medicus, dicat illi, poſſum tua curare vulnera eo modo, quo volueris: ſi velis, ita ea curabo, ut nulla eorum veſtigia remaneant, vel ſi malueris, ita ea curabo, ut cicatrices remaneant, deformitas tamen prorſus omnis abſit. Reſpondebit ille haud dubie, ſe malle ſanari ita, ut remaneant cicatrices, quia hæ ſunt glorioſa ſuæ virtutis, & triumphi ſui ſigna. Sic Chriſtus, qui perceptis plurimis in paſſione ſua vulneribus, de tartareo hoſte glorioſe triumphaverat, poterat quidem ita ſua ſanare vulnera, ut nec minimum eorum relinqueretur veſtigium, pro ſua tamen gloria vulnerum cicatrices remanere voluit, ut eſſent in perpetuum ſignum victoriæ, quam de humani generis hoſtibus reportaverat: *Ob ſignum perpetuæ victoriæ, vulnerum cicatrices cælo inferre maluit, quam abolere.* At Chriſtus non ſolum ad ſui gloriam cicatrices retinuit, *ſed etiam ad noſtri bonum.*

2. Eas etiam retinuit, ut cæleſti illas Patri commonſtraret, utque iis uteretur ad intercedendum pro nobis apud ipſum, & ad iram ejus in nos, licet juſtiſſimam, facilius exarmandam. Unde S. Ambroſius ait, quinque vulnerum Chriſti foramina eſſe quaſi tot aperta ora ad Deum pro nobis clamantia gratiam & miſericordiam: *Tot ora, quot vulnera. S. Ambroſ. in cap. ult. Luc.*

Cum Chriſtus cruci affixus eſſet, divinum os ſuum aperire dignatus eſt, ut gratiam & miſericordiam a Patre pro inimicis poſtularet; *Pater, dimitte illis. Luc. 23. 34.* Sed in cælo non eſt neceſſe, quod os ſuum aperiat, ut Patrem pro nobis exoret, nobiſque eum propitium reddat; oportet ſolummodo, ut vulnerum ſuorum cicatrices oculis ejus objiciat. Non eſt neceſſe, ut ad emolliendum Patris cor, in cælo clamet, dicens: *Pater*, quia cum vulnerum cicatrices ei oſtendit, idem eſt ac ſi dicat, tu es Pater meus, & ego Filius tuus, ſuamque Filius ita obediens, ut pro tui amore hæc vulnera pati non recuſarim. Non eſt etiam neceſſe, ut ad obtinendam nobis a Patre gratiam & miſericordiam, clamet ad Patrem: *Dimitte illis*: quia cum ei ſua repræſentat vulnera, idem eſt ac ſi dicat: Pater, ſupplex te rogo per hæc vulnera, quæ in Calvariæ monte pro tui amore paſſus ſum, ut peccatoribus indulgeas. Hæc tandem Chriſtus ſervare voluit vulnerum veſtigia, ut eſſent quaſi ora aperta ad noſtri bonum; ſeu ut, mediantibus illis, gratiam & miſericordiam nobis impetraret. *Tot ora, quot vulnera.*

Antipater Idumæus, magni Herodis pater, poſtquam in bellis pro Imperatore ſuſceptis, plurimis ſauciatus fuiſſet vulneribus, apud ipſum graviſſimi cujuſdam criminis calumnioſe accuſatus eſt. Poterat ipſe amicorum interceſſione, vel Magnatum protectione veniam obtinere; ſed aliam viam, eamque efficaciſſimam tenuit, nam ad Cæſarem venit, & aperto pectore, cicatrices in bello pro ipſius cauſa ſuſceptas oſtendit, dicens: *Ego, Cæſar, nolo me verbis apud te excuſare: ſed iſta vulnera, quæ ſuſcepi pro te, loquantur pro me.* Et revera pro illo hæc vulnera ita locuta ſunt, ut ab Imperatore gratiam, & veniam obtinuerit. Ecce quid agat Salvator; adſtans Æterni Patris tribunali, ei exhibet cicatrices vulnerum, quæ pro ejus gloria, & noſtri ſalute paſſus eſt, hæc illi obedientiæ, fidelitatis, & paſſionis ſuæ ſigna oſtendit, ut eum ad nobis indulgendum moveat; ſua oculis ejus objicit vulnera, veluti ora facunda, & diſerta, quæ illi ſuadent, ut miſericordem, & benignum erga nos ſe exhibeat. O quam bonum nobis eſt, quod has cicatrices Chriſtus in corpore ſuo retinuerit; cum eas ſervaverit ad gratiam nobis obtinendam. Sed o quam terribile erit reprobis in judicio, quod Chriſtus has cicatrices retinuerit, *cum tunc eas ad illorum confuſionem ſit oſtenſurus!*

3. Dicere ſolitus erat Alexander Magnus, quod *quantumvis ſanetur vulnus, quod illatum eſt, maneat tamen cicatrix, Apud Eraſm. l. 8. Apophr.* id eſt, quod maneat ſemper memoria acceptæ injuriæ, licet dolor abſceſſerit. Ita ſane, licet Chriſtus a multo tempore gravem paſſus ſit injuriam a peccatoribus, nec ullum amplius dolorem ſentiat; manebit tamen memoria ſcelerum contra impœnitentes, & ideo ut eis confuſionem ingerat, in die judicii eis oſtendet vulnera, quæ pro eorum ſalute paſſus eſt. Omnes quidem hæc videbunt vulnera; juſti, ut ea demirentur, & ut benefactori ſuo gratias agant; reprobi vero, ut confundantur, eo quod ex gratiis per illa vulnera acceptis, nullum emolumentum perceperint: *Reprobi videbunt in quem transfixerunt, Joann. 18. 37:* videbunt vulnera, quæ ad delenda eorum peccata Chriſtus pertulit. Hæc videbunt, & operientur confuſione, eo quod ex Chriſti vulneribus, & ex ſanguine ejus pro illis fuſo, nullum fructum elicuerint.

Spiritu Prophetico a Chriſto petebat Ezechiel Propheta, ut ſua peccatoribus vulnera ad eorum confuſionem oſtenderet. *Tu autem, Fili Hominis, oſtende domui Iſrael Templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis. Ezech. 43. 10.* O peccatores, hoc ſane Templum, quod criminibus veſtris dirutum eſt, Chriſtus in die judicii vobis oſtendet, vulnera tunc exhibebit quæ pro vobis paſſus eſt, ac ad veſtri confuſionem dicet. *Ecce Hominem quem crucifixiſtis, videtis vulnera quæ inflexiſtis, agnoſcitis latus quod pupugiſtis, quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis. S. Aug. l. 2. de Symb. c. 8.* Quanta erit peccatoribus confuſio, cum Chriſtum vulnera oſtendentem, & ſic loquentem audient? Quantum tunc confundentur, qui ſacratiſſima hæc vulnera blaſphemo ſuo ore tam facile proſciderunt? Quanta confuſione perfundentur, qui hos ſalutis fontes contempſerunt & neglexerunt?

O peccator, menti tuæ objice Chriſtum in extremo judicio ſua tibi vulnera oſtendentem, ac dicentem, vide vulnera, quæ pro tui ſalute ſuſcepi, vi-

de hæc vulnera, quæ pertuli, ut Æterno Patri te reconciliarem, ut a peccati ſervitute te redimerem, & ut tibi oſtia Paradiſi aperirem; vide hæc vulnera, e quibus fluxit ſanguis ad tui, totiuſque orbis lavanda crimina, vide tandem hæc vulnera, quæ toties Patri repræſentavi, ut ab ipſo gratiam & miſericordiam tibi impetrarem; & tu ita ingratus fuiſti, ut me, meaque vulnera contempſeris, ac ſanguinem meum conculcaveris; ſed ſcito, quod non amplius gratiam, & miſericordiam pro te poſtulabunt hæc vulnera; quin contra, indeſinenter clamabunt ad Patrem, ut vindictam ſumat de inimicis meis. O terrorem! o formidinem! o confuſionem! Quare, o peccator, dum adhuc hæc vulnera ſunt quaſi ora aperta, quæ pro tui ſalute loquuntur ad Patrem, ad has civitates refugii advola; ingredere in hæc foramina petræ; in foſſa hac humo quære præſidium, & ſolatium. *Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo a facie timoris Domini. Iſa.* 2. 10. Enixe Deum roga, ut horum vulnerum virtute, gratiam tibi in hoc mundo, & gloriam in Paradiſo conferat. *Amen.*

## DOMINICA II. POST PASCHA.

# DE BONO PASTORE.

*Ego ſum Paſtor bonus.* Joann. 10.

CUm Chriſtus cæli, terræque Dominus ſit, noſtris non eget opibus, noſtra non indiget opera, nilque ad ſui emolumentum a nobis expectat. Sed licet nec opibus, nec ſubſidio noſtro opus habeat; ſingulari tamen nos amore proſequitur: utque ſuum in nos manifeſtet amorem, varia, nunc Nutritii, nunc Medici; jam Magiſtri, & jam Paſtoris ſortitur nomina; quæ omnia ſuum in nos amorem mirum in modum pateſaciunt.

Si eſuriamus, ipſe ſe nutritium noſtrum dicit: *Ego quaſi nutritius Ephraim. Oſee* 11. 13. Si animæ & corporis infirmitatibus gravemur, ipſe in hunc mundum venit ut Medicus, *qui omnes male habentes curavit. Matth.* 8. 16. Si ignorantiæ tenebris involvamur, ipſe ſe Magiſtrum noſtrum exhibet, vultque Magiſter noſter eſſe, & vocari: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. Joan.* 13. 13. Ac tandem totum genus humanum velut gregem ſuum inſpiciens, ſe bonum Paſtorem declarat: *Ego ſum Paſtor bonus.*

Non dicit hodie Chriſtus: ego ſum Judex, ut adverſus vos ſententiam dicam: ego ſum Tyrannus, ut vos opprimam, ego ſum Dominus, ut veſtra omnia rapiam. Sed ut nos ad ſui amorem alliciat, ait: *Ego ſum Paſtor bonus.*

Vere Paſtor bonus eſt Chriſtus, qui omnia boni Paſtoris munera reſpectu gregis ſibi crediti ſummo affectu obiit. Vere Paſtor bonus eſt Chriſtus, omniumque paſtorum exemplar, ad quod reſpicere debent omnes animarum paſtores, ut ei conformes fiant. Eum in hac concione in exemplum, ab animarum paſtoribus imitandum, proponam, &c. *Ave.*

TOtum genus humanum grex eſt Chriſti Salvatoris, qui tot regimini ſuo commiſſas habet oves, quot homines a Deo conditi ſunt. Nec ulli melius committi poterant, quam zelantiſſimo huic paſtori, qui gregem ſuam pavit verbo, præivit exemplo, & curavit ſubſidio. *Gregem quidem ſuum pavit verbo*, cum in vicis, & plateis, in montibus & in cruce, populis prædicaverit; Apoſtoloſque in univerſum mundum miſerit, ut undique prædicationis ſonus audiretur. *Gregem etiam ſuum præivit exemplo*, cum miranda humilitatis, patientiæ, charitatis, omniumque virtutum exempla ſemper, & ubique ediderit. *Gregem tandem ſuum curavit ſubſidio*, cum non ſolum toto vitæ ſuæ tempore, pro ovium ſuarum profectu laboraverit; ſed etiam pro earum ſalute acerbam mortem obierit, animamque generoſe poſuerit: *Animam meam pono pro ovibus meis. Joann.* 10. 14.

Ecce qualis paſtor fuerit Chriſtus, & ecce etiam quales eſſe debeant paſtores animarum. Ut enim ſuo debite fungantur officio, gregi ſuo debent verbum, exemplum, & curas ſuas. Vel quod idem eſt, gregem ſuum debent paſcere, præire, & curare; 1. *Paſcere* verbo: 2. *Præire* exemplo: 3. *Curare* ſubſidio.

## PRIMA PARS.

*Paſtores animarum gregem ſuum paſcere debent verbo.*

VErbum Dei eſt animæ cibus; & ſicut cibus materialis neceſſarius eſt corpori, ita verbum Dei neceſſarium eſt animæ. Unde ſicut caro ſine materiali cibo attenuatur, debilitatur, & moritur; ita & anima, ſi verbi divini cibo non paſcatur, areſcit, & ad omne bonum inutilis efficitur; *Quomodo caro per famem ſicca, & tenuis velut quoddam ſimulacrum efficitur: ita & anima, ſi verbi Dei cibo non paſcitur, arida, inutilis, & ad nullum opus bonum congrua invenitur. Aug. ſer.* 56. *de temp.*

Populus quidem ſpirituali hoc verbi Dei cibo indiget; ſed quis dabit populo hunc panem ad manducandum? Quis exhortabitur eum in omni patientia & doctrina? Ad hoc ſane tenentur omnes Prædicatores, juxta talenta ſibi a Deo concredita. Si enim talentis ſibi datis ad proximi ſalutem non utantur, in eandem forte pœnam incurrent, quam ſubiit inutilis ille ſervus, qui in terra abſcondit talentum ſibi a Domino ſuo traditum; de quo dicitur, quod æternis adjudicatus fuerit ſuppliciis: *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores. Matth.* 25. 30.

Terribilem hanc ſententiam timere quidem debent quotquot a Deo ad Apoſtolicum prædicandi munus vocati ſunt. Sed & trepid re magis debent animarum paſtores; quia eis ex officio incumbit onus paſcendi gregem, ſeu verbum Dei diſſeminandi. His etenim ſpecialiter dicitur: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum. Iſa.* 58. 1. Iis etiam ſpecialiter declarat Spiritus Sanctus, quod ſi culpa eorum perierit impius, quia ſcilicet noluerint eum monere, & exhortari in doctrina ſana, ſanguinem ejus ab iis requiret, ſeu ab iis rationem exiget animæ illius, quæ culpa eorum periit. *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Ezechiel.* 3. 18. Timeant ergo paſtores illi, qui quaſi canes muti latrare non valent: timeant animarum paſtores, quibus licet

ex

ex officio omni prædicandi, & Dei verbum annunriandi incumbat, eructare neſciunt verbum bonum, populumque, defectu cibi ſpiritualis, fame perire ſinunt: timeant, ne animarum ſua culpa perditarum rationem ab iis Deus requirat.

Cum Chriſtus Dominus Sanctum Petrum univerſalis Eccleſiæ paſtorem inſtituere voluit, interrogavit illum primo de amore, dicens: *Simon Joannis amas me?* Ideo illum primo de amore interrogat: quia prima virtus, qua florere debent animarum paſtores, eſt charitas in Deum. Sed poſtquam ſemel, bis, & ter audivit Chriſtus Petrum reſpondentem: *Tu ſcis Domine, quia amo te*; ſemel, bis, & ter præcepit ei ut gregem ſuum paſceret: *Paſce oves meas, paſce agnos meos*. Cur toties hæc verba repetit Chriſtus? Cur toties ſummum Eccleſiæ paſtorem Petrum, ad paſcendum gregem excitat? Quia poſtquam animarum paſtores Deo reddiderunt quæ Deo debentur, totos ſe dare tenentur ſaluti animarum: eaſque, quantum fas erit, paſcere debent verbi Dei pabulo, ut illas ſpiritualiter nutriant, & ſalvent. Unde S. Petrus, qui paſtorale a Chriſto onus acceperat, aliis omnibus animarum paſtoribus dicit: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei*. 1. *Petr.* 5. 2. Quaſi dicat: *paſcite* gregem curæ veſtræ demandatum: *paſcite* eum in doctrina bona & ſana: *paſcite* eum, ut Dei voluntati pareatis: *paſcite* eum, ut ſanguinem ejus de manu veſtra Deus non requirat, & ut reprobi non efficiamini.

Caſtigabit corpus ſuum D. Paulus, illudque diris cruciabat mortificationibus, *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*. 1. *Cor.* 9. 27.

Cujus rei rationem adducit, dicens: *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Timebat reprobus fieri Apoſtolus, cum prædicaverit. Sed nonnulli ex animarum paſtoribus timere debent terribilem reprobationis ſententiam, & cum prædicant, & cum non prædicant: *cum prædicant*, quia vana, ridicula, & exitioſa ſæpe prædicant, quia ſæpe ſpecialia auditorum vitia magno cum ſcandalo promulgant, quia non Dei, ſed ſui gloriam, ſuamque utilitatem quærunt, vel quia clamant, non ut Deum glorificent, ſed ut inordinatarum paſſionum ſuarum impetui ſatisfaciant; hi timere debent, ne a Deo reprobentur, quia gregem non paſcunt, ſed ſcandalizant, quia populo non panem, ſeu Dei verbum, ſed verba, quæ paſſio, vel imprudentia ſuggerit, adminiſtrant. Timeant paſtores, cum ſic prædicant; ſed & timere debent, *cum non prædicant*, quia ſi parvulis panem non frangant; ſi pueros, rudes, & ignaros non erudiant: ſi adverſus vitia non clament; & ſi defectu pabuli oves eis commiſſæ pereant, ipſi ſimul cum ovibus peribunt, & reprobabuntur.

Eximius paſtor Paulus, congregatis multis, quibus prædicaverat, ait: Vos ſcitis, *quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos*. Et paucis interjectis, ſubdit *quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium*. *Actor.* 20. O quam felix D. Paulus, qui mundus eſt a ſanguine ovium ſuarum, & cujus culpa nulla ex ovibus periit! O quam felix etiam quilibet alius paſtor, qui cum D. Paulo dicere poteſt, *mundus ſum a ſanguine omnium*: vel *mundus ſum a ſanguine ovium*: quia nulla ex eis eſt, cui cibum ſpiritualem non adminiſtraverim, nullaque ex eis culpa mea periit. Beatus ſane ille ſervus, quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem, a diſtribuendo ſpirituali cibo non deſiſtentem; ac ita verbum Dei annuntiantem, ut ignaros erudiat, rebelles comprimat, peccantes corripiat, nullaque ex ovibus ſua culpa pereat. Certe hujusmodi paſtorem magna Deus in cælo dignitate donabit, & *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*. *Matth.* 24. 47. Sed væ paſtoribus improbis, qui plus de venatione, quam de prædicatione ſatagunt; qui plus de colligendis pecuniis, quam de diſtribuendo pane ſpirituali curant; qui toti ſibi ſunt, ſuisque temporalibus emolumentis, & parum, aut nil de grege ſunt ſolliciti: unde fit, ut eorum culpa oves pereant. Væ his paſtoribus, quia de ovibus perditis rationem ſunt reddituri, ac forte æternis ignibus adjudicandi, quia mundi non ſunt a ſanguine ovium ſuarum.

Cum Iſaias propheta cæleſtes audiiſſet ſpiritus, ſumma cum reverentia Deum laudantes, ac ineffabili cordis affectu clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*; *Iſa.* 6. ſe infelicem cenſebat, eo quod taceret ipſe, nec ſimili affectu in Dei laudes prorumperet: *Væ mihi! quia tacui*. O quam infelices illi paſtores, qui a Dei laudibus abſtinent, qui minus religioſe preces ſuas recitant, aut qui aliquam earum partem omiterunt! hi ſane dicere poſſent: *Væ mihi, quia tacui*. Sed hoc potiſſimum dicere deberent muti illi paſtores, qui gregem ſuum Dei verbo paſcere, aut neſcierunt, aut noluerunt: hoc ſane dicere deberent, & hoc quisque eorum in inferno dicet, & millies repetet. Quisque ex his paſtoribus, in inferno exiſtens, mente revolvet quotquot ex ovibus ſuis defectu pabuli ſpiritualis perierint, ac intra ſe dicet: ſi hos & illos homines docuiſſem myſteria fidei, jam ob ſuam ignorantiam hic non cruciarentur: ſi hos & illos impios fortiter corripuiſſem, a peccatis declinaſſent, & in hunc locum tormentorum non veniſſent: ſi verbum Dei diſſeminaſſem, tum afflictis, tum infirmis, tum inſignibus his & his peccatoribus, ac omnibus qui meo regimini erant demandati, ex his multi ſalvi facti eſſent, & ego æternis iſtis ſuppliciis addictus non fuiſſem: quare *væ, væ mihi! quia tacui*.

Sic clamabunt in inferno paſtores, qui oves ſuas cæleſtis doctrinæ pabulo in hoc mundo non nutrierunt. Quare, o paſtores animarum, ut vos non tædeat tacuiſſe, & in inferno non dicatis: *Væ mihi! quia tacui*, ne taceatis nunc; ſed clamate fortiter, magno cum zelo prædicate, & populi veſtri peccata generoſe corripite: *Clama, ne ceſſes*. Clamate, prædicate, peccatores arguite, obſecrate, increpate, ut eos a peccatis revocetis: *Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. 2. *Timoth.* 4. 2.

Noc dicatis, duros & rudes eſſe auditores veſtros: quia non omnes auditores veſtri tales ſunt; & ſi ex his aliqui ſint duri, qui verbo Dei reſiſtant; alii dociles invenientur, quorum aliquis benigne recipiet verbum, & ex eo plurimum eliciet emolumentum. Sed inſuper advertite, quod ſi prima, ſecunda, & tertia vice peccatori non ſuadeatis, ut derelinquat vias ſuas, hoc forte facietis quarta,



Digitized by Google

vel quinta vice: ac tandem faciet Deus, ut rebelles & indurati quique peccatores, vel totaliter convertantur, vel ſaltem minus peccent. Quare conſtanter verbo Dei oves paſcite, monete, corripite, & expectate in omni patientia, & longanimitate.

Ne deſpiciatis pauperes; quia talium magis quam aliorum eſt regnum cælorum: & Chriſtus miſſus eſt præcipue, ut pauperibus evangelizaret: *Spiritus Domini ſuper me, evangelizare pauperibus miſit me. Luc.* 4. 18.

Nec dedignemini fidei elementa pueros docere: hoc etenim facere non dedignati ſunt Apoſtoli, necnon inſignes Eccleſiæ Doctores; & de Joanne Gerſone, licet Cancellario Pariſienſi, fertur, quod hoc munus ſæpe & jucunde obire ſolitus ſit. Cumque obtrectarent nonnulli, tanquam hoc tanto viro indignum eſſet; ad Chriſtum orationem ſuam dirigens, ait; O Bone Jeſu, quis ultra poſt te verecundabitur eſſe humilis ad parvulos, quando tu uſque ad caſtiſſimos puerorum amplexus brachia inclinas, & circumligas? Abſit ergo, ut indignum ſit parvulorum animas plantare, & rigare. Venite igitur parvuli ad me; ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis: ſic Angelos noſtros viciſſim lætificabimus.) Sic o paſtores, non ſolum magnos, ſed etiam parvos, ac omnes curæ veſtræ demandatos paſcite, & verbo ſalutis imbuite. At ſi animarum paſtores gregem ſuum debeant paſcere verbo; *debent etiam præire exemplo.*

## SECUNDA PARS.

*Paſtores animarum gregem ſuum debent præire exemplo.*

NOn ſatis eſt, quod animarum paſtor gregem verbo paſcat: quid enim prodeſt verbo docere, ſi exemplo non confirmet quod dicit? Quid proderit, ſi unum dicat, & aliud faciat? Qua ratione docebit alios, mundi divitias, & honores contemnere, ſi ipſe ea quærat & ambiat? Quomodo humilitatem ſuadebit ſuperbus, caſtitatem libidinoſus, liberalitatem avarus, manſuetudinem iracundus? Quid proderit, quod verbis quid faciendum ſit, dicat, ſi operibus contradicat? Hoc quidem parum, aut nihil prodeſſet. Immo qui unum prædicaret, & aliud faceret, daret auditoribus occaſionem murmurandi, ac dicendi: *Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis. Roman.* 2. 21. Et ideo S. Hieronymus: *Non confundant ſermonem tuum opera tua: ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: Cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis?*

Hoc ſane dicerent auditores, ſi paſtor exemplo ſuo, & bonis moribus non præluceret: quare paſtor virtutibus, & exemplo ſuo gregem anteire debet, ut verbum prædicationis cum fructu oſtendat. Sed paſtor oves, ſeu eos, qui regimini ejus ſubduntur, debet etiam virtutibus anteire, ut eos ad bene faciendum alliciat. Ut enim præclare dixit Plutarchus, *efficaciſſimum exhortationis genus eſt, id Principem facere, quod ab aliis fieri velit. Plutarch. in Lacon.* Dic tu, quod efficaciſſimum exhortationis genus eſt, id paſtorem facere, quod ab aliis fieri velit: quia paſtorum exempla ſubditos alliciunt ad id faciendum quod a paſtoribus fieri vident: & erubeſcerent ſubditi, ſi bonum non facerent, quod faciunt Paſtores; ac ſi iiſdem non incumberent virtutibus, quibus Paſtores fulgent.

De Ageſilao Lacedæmoniorum Principe fertur, *Plut. ibid.* quod cum milites ſuos ad aliquod opus peragendum inducere vellet, primus ipſe coram illis ad tale opus faciendum ſe accingeret: quo exemplo milites ejus, quaſi pudore confuſi, ad idem opus agendum ſtimulabantur, moxque manum operi admovebant. Idem ſane accidit animarum Paſtoribus: cum enim actionibus humilitatis, patientiæ, manſuetudinis, charitatis, & aliarum virtutum hi ſe exercent, qui eorum curæ commiſſi ſunt, eorum exemplo ad ſimilia agenda excitantur; & erubeſcerent, ſi Paſtorem præclaris virtutibus inſignitum aliquo modo non imitarentur. Erubeſcerent ſubditi, ſi eſſent guloſi coram Paſtore, abſtinentiæ virtute inſignito; ſi eſſent immodeſti coram Paſtore, modeſtiæ virtute prædito: ſi loquaces coram Paſtore taciturno; ſi ſuperbi ſub paſtore humili: quia, ut ait S. Bernardus, *erubeſcunt ſuperbi eſſe diſcipuli, ſi eos in humilitate præceſſerint Magiſtri. S. Bern. in ſent.*

Narrat Diodorus Siculus, quod Aulici Regum Æthiopiæ indecorum arbitrabantur, ſi Rege eorum claudo, vel monoculo, ipſi recte incederent, & duos oculos haberent: *Turpe exiſtimabant, Rege claudo, non omnes amicos claudos eſſe. Diod. lib.* 4. *rerum antiq.* Sed erubeſcerent, turpiuſque cenſerent inferiores bene morati, ſi Paſtore præclaris virtutibus fulgente, ipſi iiſdem non incumberent. Oves ergo ſuas exemplo anteeant Paſtores; ac ferventer omnis virtutis actibus incumbant, ut rubore perfuſi ſubditi eorum, ad ſimiles actus eliciendos excitentur. Sed & Paſtores bono exemplo oves præire debent; *quia oves in Paſtores reſpicere ſolent, eorumque ſive bona, ſive prava exempla imitari.*

Quod præclare docet S. Dionyſius, cum paſtorem animarum vocat *ſpeculum ſubditorum: Dion. l. de cæleſt. Hier. c.* 16. Paſtores enim animarum ſunt vere ſubditorum ſpecula. Quia ſicut ad præſentiam ſpeculi faciem & geſtus ſuos componere ſolent mulieres; ita ad vitam, mores, & actiones paſtorum ſe componere ſolent, qui eorum regimini ſubduntur: eoſque mores, ſive bonos, ſive malos, ut plurimum induunt ſubditi, quos in paſtoribus apprehendunt. Unde dicit Spiritus Sanctus, quod *qualis Rector eſt civitatis, tales & inhabitantes in ea. Eccli.* 10. 2. Quod & de paſtoribus animarum dici debet; qualis enim paſtor, tales ſunt & oves. Si paſtores ſint humiles, manſueti, caſti, & ſobrii, tales etiam eſſe ſolent ſubditi; & e contra: ſi paſtores ſint elati, ſuperbi, diſcordes, & libidinoſi, tales etiam plerumque ſunt, qui eorum curæ demandantur; ac tales ſunt oves, qualis eſt Paſtor, qui illas præit.

Quod ut quam verum ſit, pateat, non diſplicebit hic adducere Dionyſii Syracuſani exemplum, de quo refert Plutarchus, quod relicto Philoſophiæ ſtudio, cui plurimum deditus fuerat, ad fœdas voluptates, & ad delicias, quas nec nominare licet, declinaverit. Hunc autem, & bene, & male agentem imitati ſunt ejus Aulici, ſeque totos ad ejus mores finxerunt. Cum enim potentiſſimus ille Princeps litterarum ſtudio incubuit, ipſi etiam litteris dederunt operam; & cum ille libidi-

ni-

nibus adhæſit, adhæſerunt & illi. *Plutar. in Mor.*

Ecce quid accidere ſoleat omnibus animarum paſtoribus: qualis enim paſtorum eſt vita, talis & eſſe ſolet vita gregis; quales ſunt paſtoris mores, tales & illorum, qui ejus regimini ſubſunt; quia Superiorum actiones plerumque imitantur ſubditi, eorumque moribus conformari ſolent; & præcipue cum paſtores liberiori vitæ indulgent, & aliquid mali perpetrant.

Videte quid factum ſit, nato Chriſto. Narrat ſacer Textus, quod cum audiſſet Herodes, natum eſſe Regem Judæorum, ille *turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo. Matth. 2. 3.* Quod turbetur Herodes, non eſt mirum; quia timet, ne Rex ille recens natus eum e ſolio deturbet, eumque regno ſpoliet. Sed cur timet, & turbatur Jeroſolyma, quæ civitas Regis magni eſt, & quæ Chriſti Salvatoris adventum diu concupierat, ſummoque affectu optaverat? Gaudere debebat Jeroſolyma, & non trepidare; lætari, & non turbari: cur ergo trepidat, & turbatur ſimul cum Herode? Hujus rei cauſa eſt, inquit Bernardus, quia Jeroſolymitani iniquo ſe Regi conformant, eumque imitantur: *Videte fratres*, inquit, *quantum noceat iniqua poteſtas, quomodo caput impium ſubditos quoque ſuæ conformet impietati. D. Bern. ſer. 3. de Epiphan.* Idem plane in qualibet Communitate, & in quocumque grege accidere ſolet: inferiores enim, Superiorum, paſtorumque ſuorum exempla ſpeculari ſolent: & ſi eos ſuperbos, avaros, libidinoſos, ebrioſos, vel aliis vitiis deditos eſſe adnotent, eos imitantur. Quod ſi quis eos de ſuperbia, avaritia, libidine, vel alio quodam vitio corripere velit; reſpondent: Cur non faciam quod facit paſtor meus? Quare paſtores potiſſimum conari debent, ut non prava, ſed bona gregi exempla exhibeant. Et hoc adhuc magis agere tenentur: quia malæ paſtorum actiones, pravaque eorum exempla *ſunt quaſi peſtes, quæ gregem infeſtant, & ad vitia trahunt.*

Fatentur omnes, ſenſum & cogitationes hominis ad malum prona eſſe; ac quemque prava ſua propenſione ad malum facile trahi. Si autem qui ex ſe ad malum eſt propenſus, pravo etiam paſtoris ſui exemplo ad illud alliciatur, quid non faciet? in quod peccatum non incidet? Nullum ſane tam grave, tamque turpe ſcelus, ad quod non trahatur. Ut enim ait S. Chryſoſtomus: *Si etiam ſine exemplis mala homines per ſe facile inveniunt: quid non facturi exiſtimentur, ſi pravo aliorum exemplo ad pernicioſos actus invitentur? Chryſ. lib. 1. de prov.* Quaſi dicat, nullum eſſe malum, ad quod perpetrandum non ſit paratus, qui pravo aliorum ducitur exemplo. Quod præcipue dici debet de pravis paſtorum exemplis; quæ ſunt quaſi peſtes, a quibus grex inficitur, & clientum mores corrumpuntur. Et ideo hujuſmodi paſtores, non in veritatis & juſtitiæ, ſed in peſtilentiæ cathedra ſedere dicuntur: quia ſcilicet pravæ eorum actiones ſunt quaſi peſtes, quæ inferiorum mores corrumpunt; hi, inquit Hugo a S. Victore, in cathedra peſtilentiæ ſedent: *quia pravum opus in exemplum veniens, plures corrumpit. Sicut enim peſtilentia facile & efficaciter illos corrumpit, quibus adhæret: ſic malum exemplum facile & efficaciter nocet. Hugo lib. ſent. c. 1.* Quare, o Paſtores, a pravis quibuſque actionibus, velut a contagioſa peſte, abſtinete: nullum in vobis videatur peſtilens exemplum; ſed bonis exemplis prælucete, & gregem anteite.

Ad hoc mille rationibus adduci deberent animarum paſtores; ſed ut in infinitum mea non protendatur oratio, præcedentibus unicam ſubjungam; ac dicam, paſtores bonorum operum exemplis gregem præire debere, ne a Deo maledicantur. Heu! ſi olim maledixerit Deus paſtoribus Iſrael, eo quod gregi neceſſaria non ſuppeditarint, dicens: *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis. Ezechiel. 34. 4.* quanto majori ratione iis maledicet animarum paſtoribus, qui oves, pretioſo Chriſti ſanguine emptas, non ſolum non paverunt, & non curarunt; ſed, quod pejus eſt, pravis eas exemplis ad vitia & ad tartara duxerunt? Certe duriſſimum in hujuſmodi paſtores erit Dei judicium: *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Sap. 6.* Duriſſimum & formidandum in eos erit Dei judicium: quia æterna haud dubie maledictione ferientur; audientque Chriſtum iis dicentem: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* Quod ut vitare valeant gregem præire debent exemplo, *ac etiam curare ſubſidio.*

## TERTIA PARS.

*Paſtores animarum gregem ſuum debent curare ſubſidio.*

PAſtores animarum a Deo & Eccleſia ſunt inſtituti, non ut tota die quieſcant, non ut turpi otio indulgeant, non ut ſomno gravi uſque ad prandium ſopiantur, non ut longe a commiſſo ſibi grege divagentur, non ut lac & lanam ſolummodo curent, non ut ſeipſos & conſanguineos opibus & honore impleant, non ut iniquis litibus gregem conturbent, diſſipent, & vaſtent; ſed ut portent pondus diei & æſtus; ut infirmos viſitent, mœſtos conſolentur, pauperum neceſſitatibus occurrant, puſillanimes ad virtutis amorem excitent, peccatores a viis iniquis avertant; ut evellant & deſtruant, ædificent & plantent; ut gregi ſumma cura invigilent; utque erga illum omnia charitatis officia ſedulo impendant. Ut enim ait S. Joannes Chryſoſtomus, *non eſt boni Paſtoris quieſcere; ſed pro grege ſibi credito laborare. Chryſ. hom. 29. ad Rom.*

Hæc eſt differentia inter bonum, & mercenarium paſtorem, quod mercenario non eſt cura de ovibus, ſed de lucro & honore. *Non pertinet ad eum de ovibus.* Fame pereant oves, infirmentur, peccatis obruantur, officiis divinis non interſint, diebus Feſtis a ſacroſancto Miſſæ ſacrificio abſint, animam ſalutari pœnitentiæ baptiſmo mundare tentent, ad ſacram Synaxim etiam tempore Paſchali non accedant; de his non curat mercenarius, ſed ſolum de mercede, de lucro, de ditandis parentibus, & de facultatibus ampliandis: *Non pertinet ad eum de ovibus. Joann. 10. 13.* E contra vero bonus paſtor ovium curæ totus incumbit; in omnibus neceſſitatibus, ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus, eis ſubvenit; quod infirmum eſt conſolidat, quod ægrotum ſanat, quod confractum alligat, quod diſperſum quærit; ac omnibus modis gregi ſubvenit, quaſi de eo rationem redditurus: *Ipſi pervigilant, quaſi ra-*



Digitized by Google

*tionem pro animabus veſtris reddituri*. *Hebr.* 13. O quam recte ſapiunt qui non mercenarios, ſed bonos paſtores imitantur, & qui ovibus debita ſubſidia non denegant, ut ſupremo Judici ſui muneris rationem reddere valeant.

Bonus paſtor debet eſſe paratus ad dandam propriam vitam pro ovium ſibi commiſſarum ſalute: ut enim ait Chriſtus, *bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Hoc facit bonus paſtor; & hoc agere tenentur omnes animarum paſtores, cum de ovium ſalute agitur. Majus enim bonum eſt ovium æterna ſalus, quam temporanea paſtoris vita: quare ſanguinem, vitamque profundere tenentur paſtores, cum hoc pro animarum ipſis demandatum ſalute neceſſarium eſt. Et non ſolum ſemel ad hoc faciendum tenentur, ſed etiam millies, ſi fieri poſſet: *Bonus Paſtor*, inquit Chryſoſtomus, *innumeris etiam mortibus ſeipſum pro ovibus exponere debet*. *Chryſ. ibid.* Si autem animarum Paſtor pro grege vitam dare teneatur, cum id neceſſitas exigit; quanto magis ovibus neceſſitatem patientibus debet dare ſua? quanto magis tenetur oves eſurientes paſcere, errantes reducere, infirmas curare? quanto magis in ſpiritualibus & temporalibus ovium neceſſitatibus, labores & temporalia bona iis impendere debet?

Animarum Paſtor ſuper ſe primo, & deinde ſuper gregem vigilare tenetur. Super ſe quidem primo, ut ſaluti ſuæ conſulat: deinde ſuper gregem, non ut oves ſuas temporalibus bonis ſpoliet, non ut ſcrutetur, quid lanæ, quid pinguedinis, quid lactis ex hac, & illa gregis ſui ove elicere poſſit; ſed vigilare debet ſuper gregem, quaſi de qualibet ex ovibus ſuis rationem Deo redditurus: *Ipſi pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. *Heb.* 13. 17. Dic, quæſo, o Paſtor, quomodo ſuper gregem vigilares, ſi certo ſcires, & ſedulo cogitares, te intra breve tempus moriturum, Deoque de grege rationem redditurum? Quomodo pauperum neceſſitatibus ſubvenires? quomodo infirmos viſeres? quanto fervore Sacramenta adminiſtrares? quanto zelo peccatores ad viam ſalutis reducere conareris? quanto ſtudio pro cujuſque ſalute laborares? Sic, ſic gregi invigilare, & pro grege laborare debes: quia brevi moriturus es, & de grege Deo rationem redditurus.

Egregium vigilantis Paſtoris animarum exemplum habemus in Jacob, pecorum Paſtore, qui ovium ſibi concreditarum Socero ſuo Labano reddens rationem; ait: *Viginti annis fui tecum; oves tuæ & capræ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum a beſtia oſtendi tibi. Ego damnum omnem reddebam. Diu noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*. *Gen.* 31. 37. O quam vigilans, quam indefeſſus pecorum paſtor extitit Jacob! Sed, ut ait S. Gregorius, *ſi ſic vigilat & laborat, qui paſcit oves Labani, quanto labore quantiſque vigiliis debet intendere qui paſcit oves Dei? Greg. l.* 7. *epiſt.* 48. Vigilate ergo Paſtores, ſtrenue laborate pro Dei ovibus vobis commiſſis, de quibus rationem eſtis reddituri.

Omnes animarum Paſtores ſunt patres ſpirituales reſpectu ovium ſuarum, ſed quia major matrum, quam patrum, in filios eſt vigilantia, majorque cura & ſollicitudo, optabat D. Auguſtinus, ut omnes animarum Paſtores eſſent quaſi matres reſpectu gregis ſui; volebatque ipſe ſanctus Doctor, ab omnibus ſuo regimini commiſſis, ut mater inſpici, dicens: *Me putate matrem animarum veſtrarum*. *S. Aug. l.* 50. *Homil. homil.* 29. Videte, quæſo, quanto affectu, quanta ſollicitudine, quantoque labore matres filiis enutriendis, educandis, & ditandis incumbant; attendite, quid non faciant matres pro filiis, cum infirmantur, cum ab inimicis perſecutionem patiuntur, cum in vitæ periculo verſantur; inveſtigate, quot noctes inſomnes ducant, quot labores obeant, quot ſubeant pericula, ut ſua filiis ſubſidia præſtent, tota fere matrum cura, filiorum ſolatio & ſubſidio incumbit. O animarum Paſtores, eſtote matres reſpectu gregis, hoc pro vobis agite, quod pro filiis faciunt matres: quamlibet ex ovibus veſtris, ut filium inſpicite, pro quolibet ex his, qui curæ veſtræ ſunt demandati, ſic vigilate, ſic laborate, ac ſi veſter eſſet filius, ac tanto cordis affectu pro grege laborate, ut vos oves non ſolum ut Paſtorem & Patrem, ſed etiam ut matrem inſpiciant, & æſtiment. *Me putate matrem*.

Oh quam infelices Paſtores illi, qui non ſunt quaſi matres ſpirituales reſpectu gregis! Quam infelices, qui de grege non ſunt ſolliciti, & qui ei in neceſſitatibus, tum corporalibus, tum ſpiritualibus, non ſubveniunt! Infelices quidem hi, quia quotieſcumque de bonis Eccleſiaſticis comedunt, judicium ſibi manducant. Sicut enim qui indigne manducat corpus Chriſti, *judicium ſibi manducat*, ita & cum Paſtor, qui gregem non curat, de proventibus Eccleſiaſticis paſcitur, judicium ſibi manducat. *Indignus lacte & lana convincitur, ſi non paſcit oves. Si non vigilat in cuſtodia gregis, judicium ſibi manducat. S. Bern. Declam.*

Hujuſmodi ſane Paſtores judicium ſibi manducant, & ad extremum Dei judicium tremebundi accedent, ut ultimam condemnationis ſententiam audiant. *Venient ante tribunal Chriſti: audietur populorum querela gravis; accuſatio dura eorum, quorum vixere ſtipendiis, nec diluere peccata: & eorum, quorum facti ſunt duces cæci, fraudulenti mediatores*. *S. Bern. ib.* Auditis autem his accuſantibus, ad æterna inferni ſupplicia condemnabuntur.

O inique Paſtor, quid tunc tibi proderit divitiis, & deliciis affluxiſſe? *Quid tibi, inſipiens, deliciæ ſapiunt? Quid oculos tuos delectant oculos divitiæ illæ, quibus mercaris tam grave judicium? S. Bern. ibid.* Certe tunc optabis pecunias in mundo non congregaſſe, ac de bonis Eccleſiæ ea ſolummodo ſumpſiſſe, quæ victui & veſtitui neceſſaria erant. Sed & tunc te tædebit, non paviſſe gregem verbo, exemplo non illum præiſſe, & non illum curaſſe ſubſidio. Fac nunc quod tunc feciſſe velles in hoc mundo. Imitare Chriſtum, qui gregem ſuum pavit verbo, præivit exemplo, curavit ſubſidio; & poſtquam illum imitatus fueris in hoc mundo, cum illo regnabis in Cælo. *Amen*.

DO-

Digitized by Google

## DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

# DE LACRYMIS.

*Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Joann. 16. 20.

PRo famulis mortuis, & pro modico pecuniæ detrimento lugere ſolent homines: animam autem quotidie perdentes, de ea ne cogitant quidem. At certe ſterilis eſt omnis effuſio lacrymarum, quæ ob temporalium bonorum jacturam fit; inanes ſunt lacrymæ, quas damnum, vel temporale quoddam incommodum extorquet: non enim pro his rebus, ſed pro commiſſis peccatis flendum.

Iſta potiſſima, & quaſi unica fletuum noſtrorum debet eſſe cauſa: *Flere debemus peccata quæ commiſimus*; inquit D. Auguſtinus; *Iſte fletus ſit panis noſter, quem die ac nocte comedere debemus. S. Auguſt. ſerm. 21. ad Frat. in erem.* Et divus Bernardus explicans illa divi Pauli verba; *Flere cum flentibus*, ait: (Numquid Apoſtolus præcipit flere temporalium rerum amiſſionem, filiorum mortes, morborum vim, gravitatem inopiæ, aut fortium potentiam? Abſit. Plorandi enim ſunt qui taliter plorant: nam religioſa triſtitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium. *S. Bernard. ſerm. de S. Maria Magd.*

Non de externis, ſed de internis lacrymis; ſeu, quod idem eſt, de interiore dolore intelligenda ſunt prææallata ſanctorum Auguſtini & Bernardi verba; quorum ingenio ut me componam, de deteſtatione, & dolore peccati ſub nomine lacrymarum diſſeram; maximamque earum, pro peccatis fuſarum, utilitatem explicare conabor, &c. *Ave*.

NOn facile capere poſſumus, quot & quanta ab elementis percipiamus emolumenta; & præcipue ab aqua, quæ ſitim extinguit, febris æſtum mitigat, hortos & montes irrigat, aridam fructificare facit terram, aliaque multa ad hominum utilitatem efficit; ex quibus tria ſolummodo recenſebo, quæ mihi nunc in mentem veniunt, & quæ propoſito meo opportune occurrunt. Hæc autem ſunt; quod aquæ naturales, quas ad uſus noſtros Deus nobis in hoc mundo conceſſit, habent virtutem lavandi, extinguendi, & portandi: habent virtutem lavandi ſordes, extinguendi ignem, & portandi homines, naves, & merces in varias orbis partes.

Magna ſane aquarum illarum utilitas: cum ſordida quæque lavare valeant: cum ignem noſtrum ſublunarem facile extinguant: cumque onera, quantumvis gravia, in varias & diſſitas Provincias facillime deferant. Sed his aquis aliæ ſunt longe utiliores; lacrymæ ſcilicet: quia lavant, extinguunt, & portant: 1. Lavant ſordes peccati: 2. Extinguunt ignem inferni: 3. Portant ad Regnum Dei.

## PRIMA PARS.

*Lacrymæ lavant ſordes peccati.*

QUanta ſit turpitudo animæ exiſtentis in ſtatu peccati mortalis; quantæ ſint ſordes criminum, quibus inquinatur, non facile concipimus. Sed ſciunt cuncti, hujuſmodi ſordes lavari Baptiſmo, martyrio, & Chriſti paſſione. Quod autem mirum eſt, in lacrymis ex corde contrito manantibus eſt quodammodo virtus Baptiſmi, martyrii, & paſſionis Chriſti: quia hæ lacrymæ lavant criminum ſordes: 1. Sicut Baptiſmus: 2. Sicut martyrium: 3. Sicut Chriſti paſſio.

1. Certum eſt, quod per Baptiſmi ſuſceptionem omnia eluantur peccata, etiam actualia. Baptiſmus enim *eſt mors criminum: S. Cyp. l. 2. epiſt. 2. ad Donat.* quia mox ut recipitur, in ſuſcipientis anima omnis culpa tollitur, & penitus abluitur: ita ut homo poſt Baptiſmi debitam receptionem; ab omni macula & ſorde peccati liber remaneat. Velim, animam non originali ſolum, ſed turpibus, & enormibus quibuſque aliis criminibus fœdari; tanta eſt Baptiſmi efficacitas, ut has omnes ſordes facillime tollat, animamque ab iis mundam & immunem efficiat: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Ezech. 36. 25.*

O mirabilem Baptiſmi virtutem! Sed o mirandam etiam lacrymarum hominis pœnitentis & contriti vim! quæ tanta eſt, ut ſint quaſi alter Baptiſmus, quo omnes penitus peccati ſordes poſt Baptiſmum contractæ eluuntur, & mundantur: *Eſt & Baptiſmus aliquis in compunctione cordis, & lacrymarum aſſiduitate. S. Bern. ſerm. 1. in octav. Paſch.* Erraret qui aquam roſaceam, aquam cinnamomi, violarum, vel aliam, per alembycum, vel arte chymica expreſſam, ad baptizandum aſſumeret. Aſt aquæ illæ, quæ ex corde hominis pœnitentis ab ardentiſſimo Dei amore educuntur, & per oculos eliquantur, animam baptizant, & ab omnium peccatorum ſordibus lavant. Hæ ſunt aquæ luſtrales ſaluberrimæ, quæ omnis peccati maculam ab anima tollunt: *O aqua ſalutaris, per quam omne peccatum deſtruitur! C. Aug. ſerm. 11. ad Frat.*

His aquis S. Petrus poſt trinam Chriſti negationem baptizatus eſt. Graviter quidem in Chriſtum peccaverat, cum eum ter negaverat; triplici negatione animam ſuam coinquinarat: ſed amare flevit & lacrymæ ejus ex corde contrito manantes, fuere veluti baptiſmus, quo omnes peccatorum ejus ſordes lotæ ſunt: *Felices, ſancte Apoſtole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuere baptiſmatis. S. Leo ſerm. 9. de Paſſ.*

Eandem virtutem habuere lacrymæ Magdalenæ pœnitentis. Erat illa *mulier in civitate peccatrix*, quæ multis enormium peccatorum ſordibus animam ſuam fœdaverat, ſed mulier illa, quæ graviter peccaverat, amariſſime flevit; ejuſque lacrymæ, non ſolum lavandis Chriſti pedibus inſervierunt: verum & ſacer fuere baptiſmus, quo peccatricis anima lota, omniumque criminum ejus ſordes purgatæ ſunt. *Dominicos pedes lavat lacrymis, crinibus tergit, in peccatricis caput purgandis criminibus reſtuebat unda, ut ſuo fonte mulier in novum baptiſma ſuorum dilueret illuviem peccatorum. Chryſol. ſerm. 93. de Magdal.*

Iſte lacrymarum baptiſmus non eſt quidem Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum: in aliquo tamen Baptiſmi Sacramentum excedere videtur; quia Baptiſmus, ut Sacramentum, iterari nequit: baptiſmus vero lacrymarum eſt iterabilis. Quotieſcumque

que enim quis peccaverit, toties peccatorum ſuorum ſordes abluet, ſi de iis doleat, & lacrymas ex corde contrito manantes effundat. Quia hæ lacrymæ ſunt *felix lavacrum, quod toties vales ad purgandum, quoties purgari indiget cor humanum. S. Aug. ibid.* Lacrymæ ergo lavant criminum ſordes ſicut Baptiſmus; *ſed eas etiam lavant ſicut martyrium.*

2. Omnibus compertum eſt, martyrio cuncta ablui & deleri peccata: eo ipſo enim quo quis Martyr pro Chriſto occubuit, anima ejus ab omni peccatorum ſorde libera ad cælum evolat. Unde martyrium vocari ſolet baptiſmus ſanguinis; quia martyrium eſt quaſi alter baptiſmus, quo non per aquam, ſed per fuſum ſanguinem omnes abluuntur peccatorum ſordes. Sed quod mirum eſt, eadem eſt lacrymarum ac martyrii virtus, ſuntque lacrymæ quaſi baptiſmus ſanguinis, quo omnia lavantur peccata. Non loquor de muliercularum illarum lacrymis, quæ flent ex impetu naturæ, & ut ſibi ſatisfaciant; ſed de lacrymis ex corde contrito procedentibus; *Iſtæ lacrymæ*, inquit Chryſoſtomus, *ſunt velut baptiſmus ſanguinis: Chryſoſt. in Pſ. 50.* quia ſcilicet omnes criminum ſordes abluunt ſicut martyrium, quod eſt baptiſmus ſanguinis.

Ad cujus rei probationem affert Chryſoſtomus S. Petri, & S. Mariæ Magdalenæ exempla, dicens; (ſi Martyres effundunt ſanguinem, peccatores effundunt lacrymas. Meretrix illa non fudit ſanguinem, ſed fontes lacrymarum profudit, & delevit peccata ſua. Petrus amare fudit lacrymas, & abſterſit peccatum; *quia iſtæ lacrymæ ſunt velut baptiſmus ſanguinis.*)

O mirandam lacrymarum virtutem! Non omnes ad martyrii palmam vocati ſunt; non omnibus datum eſt pro Chriſto ſanguinem fundere; ſed omnibus datum eſt lacrymari, ſeu de peccatis dolere, & criminum ſuorum ſordes lacrymis abluere: quare lavate lacrymis maculas criminis, ſacrum ex lacrymis veſtris vobis conficite lavacrum; animarum veſtrarum maculas baptiſmo lacrymarum abluite. Cum quis novit aliquam in facie ſua eſſe maculam, ſtatim eam lavat; ſic, ſtatim atque aliquam peccati maculam in animabus veſtris eſſe cognoveritis, amare flete, & lacrymæ erunt ſicut martyrium, & ſicut baptiſmus ſanguinis, quo omnia peccata veſtra abluentur. Sed ſi lacrymæ lavant criminum ſordes ſicut martyrium; *lavant etiam eas ſicut Chriſti paſſio.*

3. Certum eſt, virtute paſſionis Chriſti omnia hominum lota eſſe peccata: aut ſaltem in paſſione Chriſtum obtuliſſe pretioſiſſimum ſuum ſanguinem, ut eo omnia lavarentur. Et ideo S. Joannes Evangeliſta, quod Chriſtus laverit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo; *Lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Apocal. 1. 5.*

Magna quidem hæc paſſionis Chriſti virtus; ſed magna etiam virtus lacrymarum ex corde contrito pro peccatis fuſarum. Quia ſicut in paſſione Chriſtus ex ſuo ſanguine lavacrum fecit, quo omnium hominum crimina lavarentur; ita & lacrymæ pro peccatis fuſæ ſunt quaſi lavacrum, quo ab omni inquinamento peccati lavantur. Et ut ait S. Chryſoſtomus, lacrymæ non aliqua dumtaxat, ſed omnia quæ in anima ſunt, peccata abluunt; *Lavant lacrymæ congeriem peccatorum. Chryſoſt. hom. 2. in Pſ. 50.* Unde D. Auguſtinus ait, quod *lacrymæ ſunt paſſionum Chriſti vicariæ.* Lacrymæ enim ſunt paſſionis Chriſti vicariæ, quia in paſſione obtulit Chriſtus pretioſum ſuum ſanguinem, tamquam ſacrum lavacrum, quo ablui poterant omnes peccatorum ſordes: & lacrymæ, tamquam paſſionis Chriſti vicariæ, virtute ſanguinis illius in cruce fuſi, nos a peccatis omnibus abluunt.

Miramini lacrymarum virtutem, quæ tanta eſt, ut omnium criminum ſordes abluant. Quare lacrymas fundite, non ob propinquorum mortem, vel ob temporalium bonorum jacturam; ſed ad delenda in vobis peccata, & ad tollendas ab animabus veſtris horrendas criminum ſordes: *Triſtitia enim nobis data eſt, non ut in morte, aut in alia re doleamus; ſed ut deleamus peccata. Chryſoſt. hom. 5. ad pop.*

Audite Chriſtum prohibentem mulieribus, ne ſuper ipſum lacrymas fundant, *Nolite flere ſuper me. Luc. 23. 28.* Cur, o bone Jeſu, flere ſuper te vetas? Tu fundis ſanguinem, & nos lacrymas fundere prohibes? Omnia lugent elementa, vel ipſa plorant ſaxa; & nos pro quibus graviſſima pateris, nec flere permittis? Non prohibet lacrymas Chriſtus, ſed indicat, ipſi gratius fore, ſi ſuper nos, & ad delenda noſtra crimina, quam ſi ſuper ipſum eas fundamus: unde ſubdit; *ſed ſuper vos ipſas flete.* Heu! ſi arguantur flentes Chriſtum, eo quod præſtet lugere propria ſcelera; quid ſentiendum de his, qui deflent, ſcorta a ſe auferri; qui deflent, occaſiones peccati a ſe violenter tolli; qui deflent, mancipia diaboli a ſe ſe morte ſeparari? Hi certe ſtultiſſimi ſunt; nos autem, ſi ſapimus, ſuper noſipſos flebimus, ut peccata noſtra abluamus. Hic debet eſſe ſcopus, hic finis, hoc objectum lacrymarum noſtrarum. Peccaſti? plora, & toto corde ingemiſce, ut peccata laves, & deleas.

Uberes David fundebat lacrymas: *Exitus aquarum*, inquit, *deduxerunt oculi mei.* Sed ad quid tot ejus lacrymæ, Cur ita flet? Quid ploras, o Rex ſanctiſſime? Num Bethſabeam repentina morte ſublatam? Num filium, aut filiam extinctam? Num ab hoſte profligatum exercitum? Num ob falſorum amicorum conjurationes? Num ob perſecutionem, quam a vaſſallo tuo pateris? Audite Ambroſium, cauſſam lacrymarum Davidis explicantem: *A ſancto viro*, inquit, *plus culpa, quam ærumna defletur. S. Ambr. in Pſ. 118. ſer. 17.* Flet, & exitus aquarum deducunt oculi ejus, ut peccata abluat, quæ perpetravit non cuſtodiendo Dei legem: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam.* Ecce finem, & motivum, quo ad fundendas lacrymas adduci debemus, non quia puer mortuus, non quia ablatæ facultates, non ob damnum aliquod temporale, ſed ad abluendam animam a peccatis in Deum commiſſis. Flete ergo ob peccata; flete, & interius flete, ſeu internus vobis ſit dolor de peccatis, & hæ lacrymæ peccatorum veſtrorum ſordes lavabunt, *ac etiam ignem inferni extinguent.*

## SECUNDA PARS.

*Lacrymæ extinguunt ignem inferni.*

ERraret graviſſime, qui verum dolorem, ſcelerum expiatorem, in ſolis exterioribus lacrymis ſtatueret. Licet enim externæ illæ lacrymæ inter-

ni

Digitized by Google

ni doloris aliquando ſint ſigna, ſæpe tamen ex complexione tenera & humida; ſæpe etiam ex motivo mere naturali promanant, & tunc tales lacrymæ, quantumvis copioſæ, nec minimam venialis peccati maculam abluere valent. Unde D. Auguſtinus non externas, ſed internas a Deo petebat lacrymas, dicens: *Da mihi, quæſo, Domine Jeſu, lacrymas ex toto affectu internas*, *Auguſt. medit. cap.* 37. Verus hic & internus dolor de peccatis, internæ illæ lacrymæ deſcendunt uſque ad infernum, tantaque illarum eſt virtus, ut inferni ignem extinguant: 1. Si multæ ſint; 2. Etiamſi paucæ ſint: 3. Etiamſi unica ſit.

1. Multas in inferno lacrymas fundunt damnati, ibi amare & uberrime flent: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Matth.* 12. 13. Sed hæ lacrymæ, licet multæ ſint, tartareum non extinguunt ignem, quia ex corde contrito non procedunt. Hunc etiam ignem extinguere non valent rivi, neque flumina ad infernum uſque deducta, ſed lacrymæ e contrito corde manantes facile hunc extinguunt: *Lacrymæ rigant cælum, diluunt terram, extinguunt gehennam. Chryſoſt. ſerm.* 93.

Peccaverat David, & in inferni rogum mitti timebat, ſed multis lacrymis, quas fudit, paratum ſibi tartareum ignem extinxit; *Tales lacrymæ, quales erant Davidis; ipſum etiam gehennæ incendium norunt extinguere. Chryſoſt. in cap.* 16. *Luc. hom.* 1. *de Lazaro*. Flete ſimiliter vos, qui peccaſtis: flete, & toto corde ingemiſcite: flete interius, totoque corde vos peccaſſe pœniteat: & hæ lacrymæ inferni ignem reſpectu veſtri extinguent; quia in illum non mittemini.

Præclare dixit D. Auguſtinus; alios flere *gemitu carnis*, & alios *gemitu cordis. S. Auguſt. in Pſalm.* 32. Flent multi, aut quia infirmantur in corpore, aut quia litem perdiderunt, aut quia diruta ſunt prædia, aut quia ablatæ facultates, aut quia a Magnatum gratia ceciderunt, aut quia ſperatam dignitatem non ſunt conſecuti, aut quia a deliciis, quas ambierant, deſtituti ſunt, & hi omnes flent *gemitu carnis*; eorumque lacrymæ inferni ignem extinguere nequeunt. Sed plangunt alii ex Dei amore, vel ex dolore interno de peccato in Deum perpetrato, & iſti flent *gemitu cordis*, iſti flent ſicut David, cujus lacrymæ ex intimo corde manabant, *Rugiebam a gemitu cordis mei*. Flete ſicut Regius ille Vates, amaras, multaſque ex corde manantes ſimul cum illo effundite lacrymas, & hæ lacrymæ ignem inferni vobis extinguent: *Tales lacrymæ, quales erant Davidis, ipſum etiam gehennæ incendium norunt extinguere*. Sed velim, ut non tot lacrymas fundas, quot fudit ille Propheta; licet enim paucas fundas, modo ex corde contrito procedant, inferni ignem extinguent: lacrymæ enim hunc extinguunt ignem, *etiamſi paucæ ſint*.

2. Adverſus Deum graviter peccaverat Magdalena; criminibus ſuis in inferni rogum mitti juſte meruerat; ſed paucis lacrymis, quibus Chriſti pedes rigavit, accenſum hunc rogum extinxit: *Meretrix illa lacrymis unius horæ, ſed fervidis, rogum extinguit peccatorum. Antioch. hom.* 107. *de compunct.* Imitamini Magdalenam pœnitentem; amaras ex corde elicite lacrymas, & licet innumera, eaque graviſſima peccata perpetraveritis; licet jam accenſus ſit tartareus rogus ad vos devorandos, paucis cum lacrymis extinguetis: *Rogum peccatorum extinguimus, non jam aquis multis, ſed lacrymis paucis. Chryſoſt. hom.* 5. *de pænit.*

Flammæ e Babylonica fornace exundantes, adſtantes Miniſtros penitus abſumpſere: ac in cineres redegere: Regi tamen propius accedenti nec minimum damnum intulere. *Dan.* 3. Cur ignis hic Regem a Miniſtris diſcernit, illoque illæſo, Miniſtros abſumit? Reſpondet Chryſoſtomus, Regem ſceleris ſui pœnituiſſe; nec illum attingere potuiſſe flammas fornacis; quia lacrymantes oculos præferebat, *Non pertimeſcebat flammas comburentes, qui ſecum ferebat lacrymas eas extinguentes. Chryſoſt. homil. de trib. puer.* Ecce veram figuram flammarum fornacis tartareæ, quæ peccatores, qui in hoc mundo pœnitentiam non egerunt, abſumunt; ſed veros pœnitentes nequaquam attingunt: quia iſti paucis lacrymis has ſibi flammas extinxerunt: *Rogum peccatorum extinguimus lacrymis paucis.*

Cum ſanctiſſimus Præſul Mammertus civitatem Vienenſem in Gallia, gravi incendio vaſtari videret, ad fontes & ad flumina currentes monuit, *hoc incendium aqua potius oculorum, quam fluminum reſtinguendum*. O peccatores, portentoſus in inferno ad vos æternum cruciandos accenſus eſt rogus: hic eſt ignis, quem adverſum vos accendit Deus in furore ſuo; ſed in promptu vobis ſunt aquæ ad hunc ignem extinguendum idoneæ, lacrymæ ſcilicet: *Hoc incendium aqua oculorum eſt extinguendum*. Vel paucas ex magno cordis dolore lacrymas fundite, & illud extinguetis: quia hominis pœnitentis lacrymæ ignem inferni extinguunt, etiamſi paucæ ſint: *Immo etiamſi unica ſit*.

3. *Multus peccati ignis eſt*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *& modica lacryma illum extinguit*. Multus quidem, magnus, portentoſus, acerbiſſimus, & voraciſſimus eſt ignis tartareus, quem ob hominum peccata accendit Deus in furore ſuo: tanta tamen lacrymarum eſt virtus, ut hunc ignem extinguere valeat una lacryma, & unicus veri doloris actus, *Modica lacryma illum extinguit*. Quantumvis gravia ſint crimina, quæ quis perpetravit, ſi vel unica e corde contrito ſtillet lacryma, tartareæ fornacis ignes extinguit. *Lacryma portas refringit inferni, carbones extinguit tartareæ fornacis. Petr. Cell. de Panib. cap.* 12.

Macedonum Regi Alexandro cum graves de matre calumnias ſcripſiſſet Antipater, Rex, litteris perlectis, ingenioſe reſpondit: *Ignorat Antipater, unicam matris lacrymulam, multarum calumniarum epiſtolas eſſe deleturam*. Idem ergo de enormibus quibuſque ſceleratorum hominum criminibus dixero: unica enim lacrymula, ſi ex corde contrito pendeat, unicus veri doloris actus omnia lavare crimina, ac tartareos rogos extinguere valet. (Omnes aquæ, ait Divus Auguſtinus, non extinguerent unam ſcintillam in inferno; *ſed ſi una lacryma de puro, & contrito corde proceſſerit: totum ignem inferni extinguit. S. Aug. in Pſal.* 94.) Quod ita verum eſſe cenſuit S. Vincentius Ferrerius, ut aſſerat, quod ſi damnatus, qui cruciatur in inferno, unicam compunctionis lacrymam ex corde contrito emittere poſſet, ignem inferni, reſpectu ſui, totaliter extingueret, & ab eo incolumis evaderet: *Si anima unius damnati poſſet habere*

unam

Digitized by Google

*unam guttam lacrymarum veræ contritionis, Deus illam ſervaret.*

Hoc veriſſimum eſſe comprobatur in divite epulone, qui cum acerrimis averni flammis cruciaretur, elevatis in cælum oculis, clamavit: *Pater Abram, miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma, Luc. 16. 24.* Deus bone! quale refrigetlum infortunatus ille, interminato flammarum veſuvio circumdatus, ex unica aquæ guttula ſperare poteſt? Maximum ſane, ſi credamus Divo Hieronymo; qui præfata divitis verba explanans, ait, quod aquæ communis guttam non petat, ſed quod recordetur lacrymarum, quas abunde in ſui Palatii ſuperliminio fuderat Lazarus, & unicam illarum lacrymarum guttam expoſcit, optime ſciens, quod ſi unicam pœnitentiæ lacrymam fundere potuiſſet, infernales illos rogos omnino ſibi extinxiſſet, quia vel unica veti doloris lacryma ignem inferni extinguit. *Unam ſolam guttam poſcit, quia una ſola ad extinguendam gehennam ſatis erat. Thr. 9. 18.* Ut ergo infernalem illum togum adverſus te accenſum extinguas, pœnitentiæ funde lacrymas. *Deduc quaſi torrentem lacrymas, per diem, & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

In tartateos illos ignes mitti plurimum timebat S. Bernardus; ſed ut illos vitaret, crebras fundebat lacrymas. *Paveo gehennam,* inquit, *paveo Judicis vultum, ipſis quoque tremendum Angelicis Poteſtatibus; contremiſco ab ira Potentis, a facie furoris ejus; ſed præveniam fletibus fletum. S. Bern. ſerm. 61. in Cant.* Sanctum hunc Abbatem imitare; tua in hoc mundo defle peccata, ut in æternum in mediis inferni ignibus non lugeas; funde vel unicam lacrymam ex corde contrito manantem; pœniteat te peccaſſe, & inferni ignem extingues, necnon ad cæleſtia ſidera exaltaberis, quia *lacrymæ ad cælum avehunt, & portant.*

## TERTIA PARS.

### *Lacrymæ portant ad regnum cælorum.*

LAcrymæ, quæ ex corde contrito prodeunt, ad maxillam quidem deſcendunt; ſed, ut ait Sapiens, eædem lacrymæ *a maxilla aſcendunt uſque ad cælum. Eccl. 35. 18.* Et non ſolum ad cælum aſcendunt hæ lacrymæ; ſed etiam ad cælum lugentes ducunt & portant, quia cælum. 1. Lugentibus promittitur. 2. Lugentibus debetur. 3. Lugentibus datur.

1. Pauperibus ſpiritu, manſuetis, cor mundum habentibus, & aliis nonnullis regnum cælorum Chriſtus pollicitus eſt; ſed ſpecialiter iis, qui e corde contrito ob commiſſa peccata plorant. *Beati qui lugent,* inquit Chriſtus, *quoniam ipſi conſolabuntur. Matth. 5.* Non promittit Chriſtus cælum iis qui lugent ob amiſſionem opum, amicorum, vel propinquorum; ſed iis qui lugent ob peccata quæ in Deum perpetrarunt: *Lugentibus æternæ beatitudinis ſolatia Dominus repromittit, non quidem lugentibus orbitates, aut contumelias, aut damna temporalia, ſed flentibus peccata. S. Hilar. can. 4. in Matth.* Peccatoribus illis, qui exultant cum male fecerint, & qui gaudio, omnique mundana proſperitate affluunt, promittit Chriſtus, quod ſi non convertantur, in inferno æternum lugebunt. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Luc. 6. 25.* E contra vero iis qui peccata ſua deteſtantur, & qui de iis dolent, promittit Chriſtus regnum cælorum, ubi æternæ conſolationis mercede perfruentur.

Hanc a Chriſto lugentibus factam promiſſionem ingenioſe exponit S. Auguſtinus, dicens. *Non eſt res tam vicina miſeriæ, quam lacrymæ, & nulla longior miſeria, quam beatitudo, & tamen dicitur: Beati qui lugent. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 85.* Qua ratione beati eſſe poſſunt, qui lugent? Beati ſunt, inquit, in promiſſione, & ratione rei promiſſæ, quia promittit iis Chriſtus regnum cælorum, ubi æterno ſolatio fruentur. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Quare dicamus, lacrymas ad cælum portare, cum lacrymas fundentibus regnum cælorum promittatur, *ac etiam debeatur.*

2. Ita lugentibus debetur regnum cælorum, ut iis denegari non poſſit. Certum eſt enim, quod juſtis ita debeatur regnum cælorum, ut iis negari nequeat: quantumvis autem quis peccator ſit, ſi vere doleat de peccato, ex peccatore fit juſtus, quare negari ei non poteſt regnum cælorum (ſi ſaltem in juſtitia perſeveret).

Quod ita verum eſt, ut licet aliquis peccator divino decreto ad æternos damnatus eſſet cruciatus, Deuſque illum æterna beatitudine privare ſtatuiſſet, lacrymæ ex corde contrito manantes habent vim (ſi ita dicere fas eſt) divinam delendi, ac ſaltem metaphorice mutandi ſententiam; ac proinde faciendi, ut ei æterna beatitudo non denegetur. Ut enim ait ſanctus Petrus Chryſologus, *lacrymæ delent in omne facinus latam divina promulgatione ſententiam. Chryſoſt. ſerm. 93.*

Magna eſt differentia, inquit Chryſoſtomus, divina inter & ſæcularia judicia, quia *in ſæcularibus judiciis, quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris, & lugeas, non tamen effugies flendo judicium; hic vero, ſi toto corde ingemueris ad Deum, ſolviſti repente ſententiam. Chryſoſt. hom. in Matth.* Et ratio eſt: quia decreta, quibus Deus peccatores ad æterna ſupplicia condemnat, ſunt ſolum conditionata, ſi ſcilicet hi non amare fleant, ſuaque per veram pœnitentiam non deteſtentur peccata. Quare ſi veræ pœnitentiæ lacrymas fundant, talibus hi non amplius ſubſunt decretis; ſed ex peccatoribus juſti fiunt; eiſque tunc ita debetur regnum cælorum, ut iis negari non poſſit, modo in ſtatu juſtitiæ perſeverent. Lacrymæ ergo ad cælum portant, cum regnum cælorum lugentibus debeatur, *ac etiam iis detur.*

3. Non omnibus datur regnum cælorum; ſed iis qui vim ſibi fecerint: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11. 12.* Violenti, illi, quibus datur cælum, ſunt, vel juſti, qui ut in peccata gravia non cadant, magnam ſibi vim faciunt, vel etiam peccatores, qui poſtquam ad gravia declinarunt ſcelera, magnam ſibi vim inferunt, ut ab iis ſurgant, & ea veræ pœnitentiæ lacrymis deleant. Hi vim cælo faciunt; hi cælum rapiunt, iiſque, ſi in nova peccata non cadant, regnum cælorum infallibiliter datur. Et ideo præclare dixit Petrus Cellenſis, regnum cælorum ad lacrymas pertinere, *O lacryma humilis, tua eſt potentia, tuum eſt regnum. Petr. Cell. l. de panibus cap. 12.* Ad lacrymas quidem regnum cælorum pertinet, quia iis datur, qui ad delenda peccata amare flent.

Pec-

Peccatoribus clauſæ ſunt Paradiſi fores, in cælum intrare nequeunt, quamdiu in peccatis perſeverant; ſed ſi ex corde contrito lacrymas fundant, ad cælum properabunt & in cælo recipientur. *In fletu venient, & in miſericordiam reducam eos. Jer. 31. 9.* Sicut per aquas quilibet facile ducitur ad terram, ſic in navi pœnitentiæ, inquit Doctor Seraphicus, per aquam fletuum, per torrentem lacrymarum adducitur quis ad patriam cæleſtem. *D. Bonav. ſerm. 1. in Domin. 9. poſt Pent.*

Refert Moyſes, aquis diluvii Arcam Noemiticam in ſublime a terra fuiſſe elevatam, ſic animus in limo profundi, & luto peccatorum gravatus, aquis lacrymarum, tamquam ſalubri diluvio, ad cælum tollitur. Hoc eſt felix diluvium, quo peccatores ad cælum portantur, *O felix diluvium, o felices lacrymas, quæ animum delentem levant, & peccatorem limo tartareo infixum, ſublevant in ſublime. Greg. Naz. orat. 3.*

Quare, o peccatores, ſi adverſus Altiſſimum peccaſtis, uberes fundite lacrymas. Flete, non tam oculorum, quam cordis lacrymis, flete, & bene flete; flete, ſed ſicut oportet. Ne fleatis ſicut hi, de quibus ait Auguſtinus, quod male fleant. *Multi gemunt, gemo & ego, & hoc gemo, quia male gemunt. S. Aug. ſerm. 45. de ſanctis.* Plangunt multi bonorum temporalium jacturam, & non plangunt jacturam bonorum æternorum; plangunt ob ſua emolumenta, & ob zelum honoris divini plangere nolunt; plangunt ob nimium erga terrena affectum, & non ob bonorum cæleſtium deſiderium: plangunt capti amore mundi, & ob cælum, cujus obliti ſunt, non plangunt. Hi omnes gemendi ſunt, quia *male gemunt*. Non ſic gemendum; non hæc eſſe debet lacrymarum cauſſa, ſed flendum, & gemendum ob perpetrata peccata, quia iis Deus offenditur, gratia ſanctificans deſtruitur, cælum clauditur, & æternæ damnationis periculum incurritur. Flete igitur ob peccata commiſſa, flete plus gemitu cordis, quam oculorum, flete, & verum doloris actum elicite. *Verum* dico, & non apparentem, *verum*, & ex corde procedentem, *verum*, & qui ad omnia peccata veſtra ſe extendat, *verum*, & qui ex amore Dei procedat, *verum*, & qui propoſitum non amplius peccandi in ſe includat, *verum*, & qui ad omnia peccata confitenda inducat. Hæ ſunt lacrymæ, quæ criminum ſordes lavant, quæ inferni ignem extinguunt, & ad regnum cælorum portant.

Flete igitur, o peccatores, non taceat pupilla oculi veſtri, amaras fundite lacrymas; fletibus irrigate thorum. Quod ſi externis oculis flere nequeatis, non turbetur cor veſtrum, neque formidet, quia lacrymæ interiores, ſeu dolor internus, prævalet externo. *Dolor internus præeminet dolori externo. D. Thom. t. 2. quæſt. 35. art. 2.* Immo dolor ille externus per lacrymas expreſſus, non eſt abſolute neceſſarius, quare, ſi in externas lacrymas erumpere non valeatis, internas, quæ abſolute neceſſariæ ſunt, habere contendite. Lugeat cor veſtrum, peccata coram Domino deteſtetur, doleat ſincere ob patrata ſcelera, & talis dolor criminum veſtrorum ſordes lavabit, ignem inferni extinguet; & ad regna cælorum vos perducet. *Amen.*

## DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

# DE MUNDI PROSPERITATE.

*Expedit vobis, ut ego vadam.* Joann. 16. 7.

NUlla in hoc mundo tam magna proſperitas, quæ aliquibus adverſitatibus non permiſceatur. Quemadmodum enim Jacob dilectum filium Joſeph polymita, id eſt, multicolori veſte induit; ita Deus homines, quos creavit, varia, multicolori, ſeu ex proſperis, adverſiſque rebus contexta vita exornat. Ac, ut loquitur S. Joannes Chryſoſtomus, *Deus tum ex adverſis, tum ex proſperis hominum vitam, quaſi admirabili varietate contexuit.*

Hoc ipſa docet experientia; & hoc facile ſibi ſuadebit qui vitam noſtram telæ ſimilem eſſe advertetit; *Præciſa eſt, velut a texente, vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me. Iſa. 38. 12.* Noſtis, quod telæ fila non omnia tendant eodem; ſed alia recta, & alia tranſverſa ſint; ita & vitæ noſtræ dies alii recti, & alii tranſverſi, ſeu alii læti, & alii mœſtitia pleni, alii in adverſitate, & alii in proſperitate contingunt.

Hujuſmodi haud dubie fuit vita Diſcipulorum Chriſti, qui nunc gaudio, nunc triſtitia afficiebantur, qui gaudebant ex Chriſti Salvatoris præſentia, & triſtabantur ex ejus abſentia. Expediebat tamen, ut Chriſtus abiret, & ab iis diſcederet; *Expedit vobis, ut ego vadam.* Hoc illis expediebat, quia adverſitas melior & ſalubrior eſſe ſolet proſperitate, ut patebit, cum de mundi proſperitate dixerimus, &c. *Ave.*

PRoſperitas temporalis, quæ nihil aliud eſt, quam quædam conjunctio honorum, dignitatum, divitiarum, ſanitatis, auctoritatis, & aliorum ſimilium, in quibus homines plerumque felicitatem ſuam auſpicantur. Proſperitas, inquam, illa temporalis, ex ſui natura, nec bona, nec mala eſt, inquit D. Auguſtinus. *S. Aug. l. 2. de Civ. c. 23.* Quod & ipſa ratio docet, quia non ſolum reprobi, ſed etiam electi, proſpera in hoc mundo gaudent fortuna, nec ideo mali, & peccatores cenſendi ſunt. Et ſi Paradiſi, infernique incolas nunc intueri poſſemus, in inferno plurimos videremus, qui gravibus in hoc mundo adverſitatibus concuſſi fuerant, & in paradiſo multos cerneremus, qui dum in ſæculo viverent, magna proſperitate gaviſi erant.

At licet mundi proſperitas ex ſe ſit indifferens, & ex ſui natura, nec bona ſit, nec mala, dicam tamen, quod mundi proſperitatem deſpicere, fugere, & timere debeamus. *Deſpicere*, quia contemptibilis eſt. *Fugere*, quia tranſitoria eſt. *Timere*, quia periculoſa eſt. Mundi proſperitas, 1. Contemptibilis eſt. 2. Tranſitoria eſt. 3. Periculoſa eſt.

## PRIMA PARS.

*Mundi proſperitas contemptibilis eſt.*

REges & Principes venerari debemus, eiſque debitum honorem impendere. Sed divitias, honores, & de-

Digitized by Google

& delicias ſæculi, necnon omnem proſperitatem, qua illi, & omnes homines gaudent, deſpicere quiſque debet. Omnis enim mundi proſperitas exigua, & contemptibilis eſt, 1. In ſe, 2. Reſpectu conſolationum ſpiritualium, & internarum, quibus fruuntur juſti in hoc mundo, 3. Reſpectu gaudiorum, quæ Sancti in cælo poſſident.

1. Omnis mundi proſperitas, in ſe ſpectata, modica, puerilis, nugatoria, & contemptilis eſt. Immo ita contemptibilis, ut errent, & riſu digni ſint qui eam æſtimant, & qui ei adhærent, *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? Eccleſ. 1. 2.*

Et revera, quid ſunt omnia, quæ mundanam conſtituunt proſperitatem? Quid aurum, niſi terra? Quid argentum? Quid lapides, quos pretioſos dicimus? Quid omnes mundi divitiæ, niſi viles terræ fœtus? Quid veſtes, quibus tanto faſtu ornantur homines, niſi vel pelles, vel pili animalium; vel excrementa bombycum? Quid gaudii & voluptatis habent gula & ebrietas; in quibus ſuam multi conſtituunt felicitatem? Nonne modicum? Quid choreæ? Quid ad lyræ, cytharæ, vel alterius inſtrumenti muſici ſonum ſaltare? Quid omnia mundi gaudia, niſi mera vanitas, & nihilum? *Quid lætamini in nihilo? Amos 6. 14.* Quid omnes mundi honores & dignitates homini conferunt? Certe nil niſi fumum, perinde enim agit mundus te laudans, & honorans, ac ſi thuris fumum aliquem coram te accenderet, & tibi adoleret. Omnia tandem illa mundi bona, ex quibus mundana conſtituitur felicitas & proſperitas, exigua & contemptibilia ſunt.

Hæc dicimus, hæc aſſerimus, hæc vera certaque ſunt, ſed forte ab omnibus non facile crederentur. Quare ut quiſque ſibi ſuadeat, modicam & contemptibilem in ſe eſſe mundanam proſperitatem: velim, ut quid de ea ſentiant Reges & Principes, quiſque audiat. Hi ſane æquiſſimi judices, qui in ſe ipſis experti ſunt, quanta ſit mundi proſperitas: ſi tamen ab iis quæratur, quanti faciant mundanam proſperitatem, eam modicam, vanam, & contemptibilem dicent. Quantus, quæſo, Rex fuit Salomon? Quot divitiis, quot honoribus, quot voluptatibus, quanta proſperitate potitus eſt? Et tamen, his omnibus æqua lance ponderatis, aſſerit, hæc omnia eſſe vana, & nullius momenti. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Eccleſ. 2. 11.* Quam ſapiens, & potens erat Alphonſus Siciliæ, Neapolis, & Arragoniæ Rex? Eo certe nullus felicior videbatur: dicebat tamen, aſinos Regibus feliciores eſſe: quia exonerantur, ſaltem dum edunt: Reges vero nunquam. Cum Carolus V. Philippo filio ſuas Bruxellis ditiones reſignaret, coram Senatu flens, proteſtatus eſt, ſe toto regni tempore, nec ad unum horæ quadrantem, vera potitum eſſe lætitia. Nonne filio ſuo dixit Antigonus Rex, dignitatem regiam ſplendidam eſſe ſervitutem; quodque *ſi quis noſſet, quantis malis diadema eſſet refertum, nec e terra illud tollere dignaretur?* Quis ergo æſtimet mundi proſperitatem? vel potius quis eam non contemnat? Contemptibilis ſane eſt in ſe. Sed contemptibilis etiam eſt, *reſpectu internarum & ſpiritualium conſolationum, quibus fruuntur juſti in hoc mundo.*

2. Servos Dei perpetua melancholia affici, triſtitia continua laborare, tædio indeſinenter gravari, nec ullo unquam gaudio frui, exiſtimant nonnulli. Sed falluntur graviter: quia viri juſti, qui Deo fideliter ſerviunt, in ipſis calamitatibus, immo in mediis ſuppliciis, interno fruuntur gaudio, quod naſcitur ex bonæ conſcientiæ pace, ex Spiritus Sancti gratia, & ex æternæ beatitudinis expectatione, illudque gaudium tantum eſt, ut, reſpectu illius, exilia ſint omnia externa gaudia, & contemptibilis omnis mundana proſperitas.

Internum illud gaudium, quod experiuntur ſervi Dei, eſt manna abſconditum, quod Deus dat iis qui de dæmone, & de paſſionibus ſuis triumphant. *Vincenti dabo manna abſconditum.* Eſt quidem manna abſconditum, quia nemo ſcit, quanta ſint hæc gaudia, niſi qui iis fruuntur: ſi tamen iis credatur, tanta ſunt, ut comparatione illorum, nihil ſint omnia terrena ſolatia. Et ideo, qui vel ad breviſſimum tempus interna illa expertus eſt gaudia, omnia mundi bona, omnemque mundi proſperitatem contemnit, deſpicit, & pro nihilo habet.

Qui toto vitæ ſuæ tempore nil niſi aquam bibit, nilque aliud novit, quo poſſit extinguere ſitis, nullum eſſe potum aqua meliorem exiſtimat, ſed ſi ducatur ad cauponam, eique ſelectiſſimum propinetur vinum, guſtato illo, ſententiam mutat, & aquam ſpernit, nulliuſque valoris eam eſſe credit, reſpectu vini. Similem in modum, quamdiu, qui in mundo ſunt, non deguſtarunt gaudia ſpiritualia, quibus frui ſolent ſervi Dei, ea ſpernunt, & pro nihilo habent, ſuamque totam conſolationem in mundana proſperitate conſtituunt, ſed ſi ſpiritualia gaudia in ſemetipſis experirentur, ea ſane omnibus externis mundi gaudiis, & omni mundanæ felicitati præferrent. Vel, ut congruentius loquar, omnem mundanam felicitatem, reſpectu illorum, contemnerent; quia ſpiritualia gaudia ſunt ordinis ſuperioris, & omne terrenum, reſpectu ſpiritualium, eſt contemptibile. Sed ſi mundana proſperitas eſt contemptibilis, reſpectu conſolationum ſpiritualium, quibus in hoc mundo gaudent ſervi Dei, eſt etiam contemptibilis, *reſpectu gaudiorum, quæ Sancti in cælo poſſident.*

3. Omnis hujus mundi proſperitas, omniaque ſæculi bona, parva ſunt, pauca ſunt, & contemptibilia, comparatione cæleſtium: *Omnia quæ in præſenti habemus, licet magna, & plurima videantur, comparatione futurorum, parva, & pauca dicuntur.* Quid dico, *parva?* quid dico, *pauca?* quid dico, *contemptibilia?* Nimis dico, cum talia dico, omnis enim mundi proſperitas, omniaque ſæculi bona, reſpectu cæleſtium, viliſſima ſunt, omni contemptu digna ſunt, aut, ut congruentius loquar, mala potius quam bona dicenda ſunt. Quid, quæſo, omnis mundi lætitia, reſpectu gaudiorum ineffabilium, quibus fruuntur Beati in cælo, niſi luctus, niſi mœror, & amariſſima triſtitia? Quid omnes ſæculi deliciæ reſpectu torrentis illius voluptatum, quo Sancti inebriantur in Cælo, niſi labores, niſi adverſitates & cruces? Quid omnis mulierum, & Magnatum ornatus, reſpectu veſtis nuptialis, quæ invitatis ad nuptias Agni datur; niſi peniculi, & viliſſimi panni? Quid omnis iſte mundus, reſpectu totius regni cælorum, niſi carcer teterrimus, exiguum tuguriolum, & horrendum exilium? Dicite nunc, ſi contemptibilis, immo horribilis

Digitized by Google

bilis non ſit hujus mundi proſperitas, reſpectu immenſæ, & incomprehenſibilis felicitatis, qua in Cælo Sancti potiuntur.

Contemptibilis ſane eſt, & ita contemptibilis, ut ſi omnis proſperitas, quæ a mundi principio fuit, quæ nunc eſt, & quæ uſque ad mundi finem erit, cum momentaneo Cæli gaudio conferatus, nihil ſit, amaritudo ſit, infelicitas ſit. Quare ſpiritualia & cæleſtia concupiſcite bona, omnem vero mundi felicitatem & proſperitatem deſpicite. Mementote, quod primi Chriſtiani veri contemptores mundi, ac rerum ſpiritualium & cæleſtium æquiſſimi æſtimatores, ſuarum poſſeſſionum pretia ad pedes Apoſtolorum afferebant; ut oſtenderent, omnem mundi proſperitatem, omniaque terrena bona, non habenda in mente & in corde, ita ut æſtimentur & amentur: ſed pedibus eſſe calcanda, & nihil facienda. Sed ſi mundi proſperitas eſt contemptibilis; *eſt etiam tranſitoria.*

## SECUNDA PARS.

*Mundi proſperitas tranſitoria eſt.*

OMnia quæ poſſidet homo, cito tranſeunt, omnes ejus divitiæ, deliciæ omnes, omneſque ejus honores, velut fumus evaneſcunt, & veluti vapor ad modicum apparens. Omnis denique ejus proſperitas tam cito præterit, ut dici poſſit, quod ſit quaſi folium, quaſi hedera, & quaſi rota: 1. *Quaſi folium*, quod cito vento rapitur: 2. *Quaſi hedera*, quæ brevi marceſcit: 3. *Quaſi rota*, quæ citiſſime vertitur.

2. Tranſitoriam, & momentaneam hanc mundi proſperitatem mirifice depinxiſſe videntur, qui bullæ, quam ex aqua & ſapone faciunt pueri, eam comparant. Vidiſtis nonnunquam pueros in aliqua paternæ domus feneſtra bullas facientes? Unico flatu puer bullam excitat, aliquando majorem, & aliquando minorem; alii pueri, qui in platea ſunt, expectant ut projiciantur bullæ, quas in aere volantes videre, & deinde in pileis recipere cupiunt. Sed hæ bullæ quæ projiciuntur, ſicut modico flatu factæ erant, ita modico flatu pereunt, & in momento evaneſcunt. Idem ſane dicendum de proſperitate mundana, quam quidem pueri & inſipientes demirantur; ſed hæc proſperitas tranſitoria eſt, labilis eſt, & veluti bulla citiſſime perit & evaneſcit.

O mirandam proſperitatis & felicitatis mundanæ ſimilitudinem! Sed dici etiam poteſt, quod mundi proſperitas ſit veluti folium, quod vento rapitur. Non eſt ſimilis folio, quod arbori adhæret, quia ibi diu videri & ſpectari poteſt. Sed eſt ſimilis folio, quod vento rapitur, quod breviſſimo tempore avolat, & ſpectantium oculis ſubducitur, deliciæ enim, divitiæ, honores, & omnia quæ mundanam proſperitatem conſtituunt, cito tranſeunt, ſicut folium, quod vento rapitur. Immo citius, quia hæc tranſierunt, antequam habeantur, & perfecte poſſideantur. *Tranſierunt hæc omnia.* Sap. 5. 4. O quam tranſitoria mundi proſperitas! quæ tranſit quaſi folium, quod vento rapitur, *ac etiam ſicut hedera*, quæ brevi marceſcit.

1. Mundi proſperitas perfectiſſime delineata videtur in hedera, quam præparavit Deus ſuper caput Jonæ, ut ſole æſtuante illi umbram faceret, utque illum æſtu laborantem protegeret. Cum enim hanc hederam ſibi a Deo præparatam vidit, *lætatus eſt Jonas ſuper hedera lætitia magna.* Jonæ 5. 6. Ecce hominem aliquo modo felicem, aut ſaltem qui ſe felicem arbitratur, eo quod protectione divina ab æſtu quo laborabat, liberetur. Sed quamdiu duravit hæc felicitas? quamdiu hæc hedera obumbravit eum? Breviſſimo ſane tempore, quia mox a verme rodente, & a vento calido exſiccata eſt. Ut enim loquitur ſacer Textus, *Paravit Deus vermem aſcenſu diluculi in craſtinum; & percuſſit hederam, & exaruit.*

Hedera hæc perfecte deſignat voluptates, honores, divitias, omnemque mundi proſperitatem; quæ quidem umbram homini facit, & gaudium aliquod parit, ſed cito veniunt vermis rodens, & ventus urens, cito exſiccatur hedera, omniſque proſperitas citiſſime perditur, & evaneſcit. Ac ita cito, ut unico momento durare videatur. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Job 20. 5. Hæc ita tranſitoria eſt, ut veluti hedera, mox, & quaſi in puncto marceſcat & tranſeat. Sed adhuc, eam eſſe tranſitoriam, magis patebit, *ſi comparetur rotæ verſatili.*

4. Propheta Regius, qui zelabat ſuper iniquos, pacem peccatorum videns, enixe Deum rogabat, ut eorum proſperitas, inſtar rotæ, foret verſatilis, *Deus meus pone illos ut rotam.* Pſalm. 82. 14. Rota, quem evehit, mox deprimit, ſic qui mundi proſperitate evehuntur, *elevati ſunt ad modicum*, Job 24. 24. & mox deprimuntur, eorumque proſperitas cito tranſit.

De Soſeſtre, Ægyptiorum Rege, fertur, quod cum populos multos jugo ſuo ſubdidiſſet, ſuperbia & arrogantia inflatus, curru ex auro, lapidibuſque pretioſis conſtructo vehi ſoleret, qui non ab equis, ſed a quatuor Regibus ab ipſo devictis trahebatur. Horum unus fixa palpebra rotas, quibus volvebatur currus, aſpiciebat, quod advertens Soſeſtres, cauſſam ab eo petiit, cur tam attente rotarum volubilitatem aſpiceret. Cui ille: *Intuens rotæ volubilitatem, cum ſtupore eam admiror, in qua ſumma cito fiunt ima: & cogito fortunæ inſtabilitatem, alias excelſa humiliantem, alias humilia exaltantem.* Ecce quam volubilia, & tranſitoria ſunt omnia mundi bona: hæc omnia continue inſtar rotarum volvuntur, unde homines jam deprimi, & jam exaltari videmus; nec ullus ita eſt exaltatus, qui cito non deprimatur: quia cito rota vertitur. Et ideo dicit Propheta, quod impium vidit exaltatum, & in ſuprema rotæ parte exiſtentem, ſed ſubdit, quod citiſſime depreſſus eſt: *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat, & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus;* Pſalm. 36. 35. O quot videmus, qui in mundo ſunt exaltati: & qui, licet impii ſint, proſpera gaudent fortuna! Eos cuncti honorant, eorum felicitatem admirantur plerique; ſed expectate parumper; & quos jam exaltatos cernitis, brevi depreſſos videbitis: quia proſperitas mundi, ut rota volubilis, cito deprimit quos exaltaverat.

Quis ergo proſperitatem temporalem æſtimet? quis eam amet? quis ei adhæreat? vel potius, quis eam contemnat, ut ad æternam Paradiſi felicitatem aſpiret, & ſuſpiret? O homo, menti tuæ fortiter infige, quod tranſitorium & momentaneum eſt hujus mundi gaudium, momentanea ejus pompa, momentanei honores, momentanea proſperitas: ſed cæli

bona

bona ſunt omnia æterna: quare ibi fixa ſint corda, ubi vera & æterna ſunt bona. Terrenam ergo proſperitatem ne ardentius quam par eſt appetas, ne ſtudioſe nimis illam proſequaris; ſed potius illam deſpice: quia contemptibilis, & tranſitoria eſt; *ac etiam quia periculoſa.*

TERTIA PARS.

*Mundi proſperitas periculoſa eſt.*

Licet proſperitas ex ſui natura non ſit mala; timenda tamen, ut & periculoſa: quia qui proſperitate in hoc mundo fruuntur: 1. Sæpe in gravia peccata cadunt: 2. Sæpe cæleſtibus bonis privantur: 3. Sæpe ad tartara præcipitantur.

1. Juſtis & perfectis viris omnia cooperantur in bonum; ſive adverſa, ſive proſpera illa ſint. Et ſicut apes mel ſuum, ſive ex domeſticis, ſive ex ſilveſtribus floribus faciunt; ita viri ſancti, ſive ex adverſis, ſive ex proſperis, virtutis materiam eliciunt. Timenda tamen ſunt & periculoſa mundi hujus proſpera: quia qui proſperitate gaudent, ſæpe ſuperbia inflantur, ambitione pulſantur, gulæ indulgent, ad libidines declinant, & in alia multa incidunt peccata, in quæ cadere non ſolent qui adverſitatibus concutiuntur.

Videmus communiter, pauperes eſſe humiles, caſtos, pietatis operibus addictos, & a peccandi propenſione alienos. Divites e contra, & qui proſpera gaudent fortuna, plerumque ſuperbi, inflati, guloſi, libidinoſi, & aliis multis vitiis dediti ſunt. Unde, quæſo, in iſtis tot crimina, *Prodit quaſi ex adipe iniquitas eorum; Pſ. 72. 7.* omnia eorum crimina ex pinguedine, ex abundantia, & ex proſperitate oriuntur. Qui enim proſperitate in hoc mundo fruuntur, plerumque de futura morte ſua non cogitant, mortiſque memoriam a ſe repellunt, ne mœſtitiæ nubem aliquam animo offundant. Et ideo cum a ſe repellant mortis memoriam, quæ eſt frænum, quo homines detinentur, ne in peccata cadant, in plurima peccata facile decidunt; *Quia non eſt reſpectus morti eorum.. ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Ibid.* Periculoſa ergo mundi proſperitas; cum qui ea fruuntur, ſæpe in gravia peccata cadant: ſed periculoſa etiam, *quia qui ea fruuntur, cæleſtibus bonis ſæpe privantur.*

2. Certum eſt, nonnullos in hoc mundo eſſe divites, ad dignitates ſublimatos, & magna proſperitate gaudentes, qui cæleſtia regna poſt mortem obtinent; quia ſcilicet in proſperitate ſua vim ſibi fecerunt, humilitatem ſervarunt, largas pauperibus eleemoſynas largiti ſunt, de acceptis beneficiis Deo gratias egerunt; a peccatis abſtinuerunt, & omnia fecerunt, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Sed dicamus eos ambulaſſe per vias difficiles: quia ita difficile eſt, quod quis proſpera in hoc mundo gaudens fortuna, æterna in alio bona obtineat, ut dicere non vereatur S. Joannes Chryſoſtomus, hoc moraliter eſſe impoſſibile; *Impoſſibile eſt, ut hic & illic quis requie fruatur. Fieri non poteſt, ut qui hic in ſocordia, ſecuritateque vixerit, qui in diliciis omnibus aſſidue dies conſumpſerit, qui temere, neglecteque tranſegerit ætatem, illic honorem conſequatur. Chryſoſt. hom. 3. de Lazaro.* Hoc impoſſibile eſſe, & hoc fieri non poſſe dicit; quia difficile multum eſt, ut qui in hoc mundo proſperitate gaudent, cæleſtia regna in alio aſſequantur. Et ſæpiſſime fit, immo fere ſemper, quod qui in hoc mundo proſperitate fruuntur, cæleſti beatitudine in alio priventur.

Videte quomodo divitem epulonem, in inferno clamantem, alloquatur Pater Abraham. Infelix ille avarus clamabat: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma. Cui Pater Abraham: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem ille conſolatur, tu vero cruciaris. Luc. 16. 25.* Quaſi dicat: non potes habere duos Paradiſos; in vita unum, poſt mortem alterum: non potes bis eſſe beatus, & ante mortem, & poſt mortem; quare cum in vita, & ante mortem beatus fueris, & proſpera gaviſus ſis fortuna, jam beatus eſſe nequis in cælo, & æterna præmia obtinere non vales. Timete divites, trepidate potentes in ſæculo, & qui proſpera in mundo gaudetis fortuna: quia in maximo non obtinendæ beatitudinis æternæ periculo verſamini: qui enim proſperitate in hoc mundo fruuntur, ſæpe, & fere ſemper cæleſtibus bonis privantur; *ac ſæpe æternis ſuppliciis adjudicantur, & ad tartara præcipitantur.*

3. Humana proſperitas videtur quidem fauſtus & proſper ventus; ſed hoc proſpero vento ad orcum navigatur. Sicut adverſitatis ventus ad cælum; ita proſperitatis humanæ flatus ad tartara ducit.

Videte Lazarum, & divitem avarum. Primus vento adverſitatis agitabatur: & ſecundus, vento proſperitatis. Flatus autem paupertatis & adverſitatis Lazarum in ſinum Abrahæ, veluti in portum tranquilliſſimum duxit: & contra, proſper divitiarum ventus, plenis velis, divitem in orcum impulit: *Iſte*, ut ait Chryſoſtomus, *ſecundo navigabat vento, & ideo ad naufragium feſtinabat. Chryſoſt. hom. 1. de Lazaro.* O feliciſſimam infelicitatem, quæ pauperem Lazarum ad æternam duxit felicitatem! O infeliciſſimam felicitatem & proſperitatem, quæ divitem ad æternam infelicitatem traxit!

Ecce quo trahi & præcipitari ſolent qui humana proſperitate in hoc mundo gaudent. Sicut enim ſegetem nimia proſternit ubertas; ita qui proſpera gaudent fortuna, proſperitate ſua, nimiaque rerum affluentia, ad peccatum, & ad infernum proſternuntur, & præcipitantur. Vel dicamus, quod ſicut saginatur, & libere vagari permittitur bos, qui paratur ad victimam, & qui ad macellum deſtinatur; & poſtquam ſaginatus eſt, illico mactatur & occiditur; ita divites, & qui proſpera in hoc mundo fruuntur fortuna, plerumque ſunt quaſi tauri devoti victimæ, & ad inferni ſupplicia deſtinati; *Attende illos ſuperbos indiſciplinatos; attende taurum devotum victimæ, permiſſum errare libere, & vaſtare quæ poteſt uſque ad diem occiſionis. S. Aug. in Pſ. 72.* Qui proſpera in hoc mundo gaudent fortuna, ad occiſionem, & ad inferni ſupplicia plerumque ſunt deſtinati. *hi ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Job 21. 13.*

En quo ducere ſolet humana proſperitas: quare non invideatis iis, quibus omnia proſpera ſunt in hoc mundo. Si oves, quæ in monte paucis & aridis herbulis veſcuntur, intelligentes eſſent, non utique inviderent iis, quæ in vallibus laſcivientes, uno, alterove menſe ſaginantur ad macellum. Sic tu non invideas iis

iis qui ducunt in bonis dies ſuos, & qui pingui gaudent fortuna: quia plerumque hi quaſi impinguantur, ut ad macellum, & ad infernum mactandi trahantur. Non eis invideas; ſed potius deſpice, & time omnem mundi proſperitatem; quia contemptibilis, tranſitoria, & periculoſa eſt. Ne ames periculum, quia in eo perires; ſed potius ama cruces & tribulationes, in quibus eſt ſecuritas. Memento, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. *Act.* 14. 25. non per multas divitias, non per multas delicias, non per magnam proſperitatem; ſed *per multas tribulationes*. Deſpice ergo, contemne, & time mundi proſperitatem: ama vero, amplectere, & hilariter porta tribulationes, quæ te ad cæleſtia regna portabunt. *Amen.*

## DOMINICA QUINTA
## POST PASCHA.

# DE ORATIONE.

*Petite, & accipietis.* Jo: 16. 24.

CUm Magnates, & potentes in ſæculo, non orare, ſed imperare conſueverint, orationem plerumque inſpiciunt, non ut quid magnum, & ab hominibus appetendum; ſed veluti unicum pauperum, debilium, & miſerorum perfugium. At qui recte & chriſtiane de oratione judicabit, ea nihil ſublimius, nihilque præclarius eſſe cenſebit: quia per eam ad Dei thronum mente aſcendimus, cum illo ſermocinamur, ejuſque mitigamus iram, illum exarmamus, eumque inclinamus ad concedenda nobis quæcumque petierimus: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joann.* 16.23.

Orationem ut quid vile, & contemptibile non reputabat S. Gregorius Nyſſenus: cum eam omnibus ſæculi bonis antecellere prædicaret: *Nihil orationi præſtat. S. Greg. Nyſſen. de Orat. Dom.* Et a Sancti illius Patris mente alienus non erat D. Auguſtinus, qui pium orationis exercitium non ſatis laudare poterat; dicebatque, oratione nihil eſſe præclarius, nihil utilius, nihil amabilius: *Quid eſt oratione præclarius? quid vitæ noſtræ utilius? quid animo dulcius? quid in tota noſtra Religione ſublimius?*

Talia audire non poſſum, quin ad orationis ſtudium accendar: ad illud accendor magis, cum Chriſtum audio promittentem, quod quæ petierimus, aſſequemur: *Petite, & accipietis.* Opto, ut eodem orationis amore ardeat cor veſtrum: quod ut fiat, de oratione erit iſta concio, &c. *Ave.*

SUmmo ſtudio conatur diabolus homines ab orationis exercitio avertere. Scit veterator ſatanas, quantum Deo placeat oblatum ſibi ab hominibus ſacrificium laudis: ſcit, quanta bona, quantaque emolumenta ex oratione homines percipere ſoleant. Quare, ſicut Pharaon, ut Iſraelitas a ſacrificiis Deo offerendis impediret, eos diſtrahebat ad paleas conquirendas, fingendoſque lateres; ita dæmon, ut homines ab orationis exercitio abducat, eos paleis bonorum temporalium conquirendis, ac lateribus faciendis occupat. Sed qui ſapiunt dæmonis aſtutiam, facile declinabunt, & orationis exercitio ſtudioſe vabunt. Quod haud dubie facient, ſi attendant, quod orationis exercitio: 1. Nihil magis neceſſarium: 2. Nihil magis utile: 3. Nihil magis amabile. Quam neceſſarium, quam utile, & quam amabile ſit orationis exercitium. En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Quam neceſſarium ſit hominis orationis exercitium.*

DEus, qui ſumme ſcius, & infinite miſericors eſt, novit omnia quibus egemus, noſtriſque optat occurrere neceſſitatibus; ſed vult ſæpe, ut favores & gratias, quas ab æterno nobis largiri ſtatuit, non recipiamus, niſi prius eas humiliter & pie poſtulaverimus. Et ideo neceſſario orare debemus, non ut noſtras Deo manifeſtemus neceſſitates, cum eas perfecte cognoſcat: non etiam ut illum determinemus ad danda hic & nunc, quæ ab æterno nobis dare ſtatuit; ſed ut ea quæ nobis ab æterno dare decrevit, obtineamus modo, quo vult ut ea aſſequamur; ſcilicet per orationem. Et hoc modo neceſſaria eſt oratio peccatoribus, juſtis, & omnibus: 1. *Peccatoribus*, ut convertantur: 2. *Juſtis*, ut perſeverent: 3. *Omnibus*, ut ſalventur.

1. Converſio, eſt Dei ſimul & peccatoris opus: *Dei*, qui converſionis gratiam peccatori infundit; *& peccatoris*, qui huic gratiæ cooperatur. Unde duo ad converſionem neceſſaria ſunt, nempe gratia & cooperatio. *Gratia*, ex parte Dei: & *cooperatio*, ex parte peccatoris. Sed quomodo hanc peccator obtinebit gratiam, ſine qua converti nequit? Ut illam impetret, orare, illamque ſupplex a Deo poſtulare debet: quia hanc Deus gratiam illis ſolummodo dare conſuevit, qui illam piis & ferventibus precibus petunt: & ut ait D. Auguſtinus, *credimus, nullum, niſi orantem, anxiliari*.

Scio, Deum nonnunquam tunc peccatores ad pœnitentiam vocare, eiſque tunc converſionis dare gratiam, cum nec de Deo, nec de converſione cogitant. Immo, præ nimia qua Deus pollet bonitate, hanc aliquando peccatoribus largitur gratiam, non quando illam petunt, ſed quando in peccatis voluntantur, & omni penitus gratia indigni videntur. Aſt hæc ſunt ſpecialia, & extraordinaria miſericordiæ divinæ opera; hæc ſunt privilegia, quæ aliquibus dumtaxat, & pauciſſimis conceduntur: nam ſecundum ordinarium providentiæ divinæ agendi modum, converſionis gratia orantibus, & poſtulantibus ſolum datur: *Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Lucæ* 11. 13. Non ait, quod detur gratia iis qui non orant, & qui eam non petunt; ſed quod detur *petentibus*: quia oratio eſt neceſſaria peccatoribus, ut converſionis gratiam impetrent. Licet enim orationibus ſuis gratiam converſionis mereri non poſſint; vult tamen Deus hanc illis gratiam dare, mediantibus eorum orationibus: nec hanc illis Deus gratiam daret, niſi orarent, eamque debite peterent. Eſt ergo oratio neceſſaria peccatoribus, ut convertantur: *ſed eſt etiam neceſſaria juſtis, ut in ſtatu gratiæ perſeverent.*

2. Cum juſtificantur peccatores, habitualem, ſeu ſanctificantem a Deo recipiunt gratiam, quæ animabus illorum inhæret, & quæ eſt forma juſtificationis, qua juſti formaliter fiunt. Illa autem gratia, licet

ex ſe ſit permanens, non tamen inamiſſibilis eſt, nec modo inamiſſibili animam informat. Theſaurus quidem magnus hic eſt: ſed qui perdi poteſt: immo, qui facile perditur, ſi Deus juſtis non det gratias actuales, quarum auxilio freti, gratiam hanc habitualem conſervent, & in ea perſeverent. Nec ad perſeverandum ſufficiunt gratiæ actuales communes; ſed inſuper ſpecialis & ſelecta requiritur gratia, quam vocamus *donum perſeverantiæ*, ſine quo homo juſtus diu in ſtatu gratiæ perſeverare nequit: *Si quis dixerit, hominem juſtificatum poſſe ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare, anathema ſit. Trident.* Quomodo autem poterunt juſti a Deo impetrare ſpecialia hæc auxilia, ad perſeverandum neceſſaria? Oratione illa obtinebunt: nec ea dare ſolet Deus, niſi iis qui humiliter ea poſtulaverint: *Conſtat*, inquit Auguſtinus, *Deum nobis aliqua, etiam non orantibus dare; ut initium fidei: alia non niſi pro orantibus præparaſſe; ſicut perſeverantiam in finem. Aug. l. de dono perſev. c. 16.*

Hæc eſt differentia inter Sanctos qui in cælo triumphant, & juſtos qui in hoc mundo militant; quod Sancti in cælo hoſtes non habeant, adverſus quos decertare teneantur, nulliſque tentationibus & periculis ſint expoſiti; & ideo non indigent oratione, ut hoſtes debellare, pericula evadere, tentationibus reſiſtere, & in Dei amicitia perſeverare valeant. Sed juſti in hoc mundo tot tantiſque ſubjiciuntur tentationibus, totque peccandi periculis ſunt expoſiti, ut non peccare non poſſint, ſi ſpecialibus Dei auxiliis non adjuventur: quare ut non peccent mortaliter, & ut in ſtatu gratiæ perſeverent, orare, & frequenter orare debent, ac ſæpe a Deo petere gratiam, qua vincere, & perſeverare valeant. Eſt ergo oratio juſtis neceſſaria, ut perſeverent; *ſed eſt etiam neceſſaria omnibus, ut ſalventur.*

3. Si oratio ſit neceſſaria peccatoribus, ut convertantur, & juſtis, ut perſeverent; optime inde ſequitur, omnibus eſſe neceſſariam, ut ſalventur: quia omnes homines ſunt juſti, aut peccatores; juſti autem non poſſunt ſalvari, niſi perſeverent; nec peccatores, niſi convertantur: & ideo oratio omnibus hominibus, ſive juſtis, ſive peccatoribus, neceſſaria eſt, ut ſalventur.

Hæc ratio perſpicua eſt. Cui ut aliam quaſi ſimilem addam; dico, orationem omnibus eſſe ad ſalutem neceſſariam: quia oratio eſt ſub præcepto, tamquam medium ad Dei legem ſervandam neceſſarium. Verum eſt, quod in Decalogo nullum ſit præceptum formale & explicitum de oratione; ſed in eo implicite præcipitur oratio. Quia, ut docent Theologi, quando aliquid expreſſe per aliquam legem præcipitur, eo ipſo implicite præcipiuntur ea omnia, quæ ad hanc legem ſervandam ſunt neceſſaria. Oratio autem eſt ad legem Dei ſervandam neceſſaria: *tum* quia ſicut civitas ſine muris cuſtodiri non poteſt; ita nec Dei lex ſine oratione, quæ eſt quaſi murus ad repellendos dæmonis impetus: *tum* quia omnia Dei mandata ſervari non poſſunt ſine gratia, nec gratia obtineri ſolet ſine oratione. Et ideo oratio neceſſaria eſt ad ſervanda mandata, ac proinde ad obtinendam ſalutem: quia non poteſt quis æternam ſalutem conſequi, niſi ſervet mandata: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Matth. 19. 17.*

Ecce quam neceſſaria tibi ſit oratio. Si peccator es, neceſſaria tibi eſt, ut ad Deum convertaris; ſi juſtus es, neceſſaria tibi eſt, ut in Dei gratia perſeveres; ſed ſive peccator, ſive juſtus ſis, neceſſaria tibi eſt ad ſalutem. Quare ora; in tentationibus ora: cum eſt periculum peccandi, ora; & quam frequentiſſime poteris, ora.

Nec dicas: miles ſum, artifex ſum, mercator ſum; tantiſque opprimor negotiis, ut vix valeam de Deo cogitare. Verum eſt, quod tandiu orationi vacare non debeat miles, vel artifex, quandiu Monachus; ſed ſive miles, ſive alius quiſque ſis, ab omnibus aliis te extricare debes negotiis, ut ſingulis diebus aliquandiu orationi vaces. Non tanta pro certo negotiorum mole premeris, quanta David, qui Rex erat, qui militiæ Dux erat; & tamen veſpere, mane, & meridie orationi incumbebat, ſepties in die laudem Deo dicebat: immo & media nocte ad confitendum Deo ſurgebat. *Pſ.* 118. Cur & tu qualibet die, relictis ſæcularibus negotiis, aliquandiu orationis exercitio non incumbes? Cur mane non orabis, cum e lecto ſurrexeris? Cur non ſero, antequam cubitum eas? Cur ſingulis diebus ſanctiſſimo non adſtabis ſacrificio, ut Dei auxilium invoces? Cur in cubiculo ſingulis diebus non aliquamdiu latebis, ut Deum in fervore cordis depreceris? Ora; & frequenter ora: quia orationis exercitium eſt maxime neceſſarium. Sed orandum etiam; *quia orationis exercitium eſt maxime utile.*

## SECUNDA PARS.

*Quam utile ſit homini orationis exercitium.*

Sicut de pietate dicitur, quod ad omnia utilis ſit: *Pietas autem ad omnia utilis eſt; Timoth.* 4. 8. ita & orationis utilitas ad omnia ſe extendit. Et ideo oratio jam vocatur *armatura*, cujus virtute ſalutis noſtræ hoſtes debellamus; jam dicitur *clypeus*, quo dæmonis & carnis tentationes repellimus; nunc *clavis*, cæleſtes theſauros aperiens, nuncupatur; & nunc *theſaurus* appellatur, in quo omnes divitiæ ſpirituales inveniuntur. Hæc omnia hominibus utiliſſimum eſſe orationis exercitium non parum indicant; ſed ut utilitates & emolumenta, quæ ex oratione elicere poſſumus, clarius explicem, dico, orationem nobis eſſe utiliſſimam; quia orationibus noſtris: 1. Dei iram placamus: 2. Dei juſtitiam exarmamus. 3. Dei bonitatem ad innumera beneficia nobis impendenda inclinamus.

1. *Multum valet deprecatio juſti aſſidua, Jac.* 5. 16. inquit S. Jacobus. Multum quidem valet, & ad multa utilis eſt oratio debite facta; ſed potiſſimum utilis eſt ad placandam Dei iram. Eſt enim oratio noſtra quaſi muſica Deo gratiſſima, quæ illum adverſus homines iratum placat & lenit: *Oratio Deum lenit. Gloſſa in c. 3. Job.*

Tanta dexteritate lyram pulſabat Orpheus, tamque ſuavem ejus cithara ſonum edebat; ut non ſolum homines, ſed etiam deos muſica ſua incantaret, demulceret, & placaret. Ex hac fabula infert D. Hieronymus, orationes noſtras eſſe lyram, & muſicam, qua Dei aures longe melius demulcemus, ejuſque iram placamus: *Oratio*, inquit, *eſt lyra noſtra, hac cythara noſtra, in hac cantamus Domino; In Pſ.* 146. immo ea excantamus Dominum. Et ideo ubi verſio vulgata habet: *Pſallite Deo noſtro in citha-*

Digitized by Google

*cithara*, Septuaginta vertunt: *excantate*: quia orationes noſtræ ſunt muſica, quæ incantatur & placatur Deus: *Oratio Deum placat; Theodoretus.* O peccator, toties criminibus tuis Deum exacerbaſti; illius iram toties adverſum te accendiſti; ſume nunc lyram, & citharam; orationis ſuavem decanta muſicam, & Deum adverſum te iratum placabis. O magnam orationis utilitatem! Quæ etiam utiliſſima eſt: *quia juſtitiam Dei exarmat*.

2. Iſraeliticus populus adoratione vituli Deum ad iracundiam provocaverat: accenſus erat Dei furor; utque de tanta injuria vindictam ſumeret, jam arma ſua præ manibus tenebat; jamque ad vibrandas adverſus ingratum hunc populum ſagittas ſuas, paratus erat. Moyſes autem Deo juſte irato oratione ſua reſtitit, ejuſque juſtitiam exarmavit.

Refert ſacer Textus, quod oranti Moyſi dixerit Deus: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos. Exod. 32.* Licentiam feriendi populum a Moyſe petit, qui Moyſen fecit. Moyſen rogat Deus, & ab eo licentiam puniendi ingratum populum efflagitat: quia Moyſis oratio Deum, licet omnipotentem, ligabat, ejuſque juſtitiam exarmabat, ne populum feriret: *Dei potentiam ſervi preces impediebant. Hieron. epiſt. 1.*

Dicebat Deus Moyſi: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos.* Quaſi diceret: o Moyſes, intermitte preces tuas, quibus a percutiendo ingrato hoc populo impedior; deſine pro hoc populo orare, ut dire plectam illum. Moyſes autem orare non deſtitit: *Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum, dicens: Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna? Exod. 32.* Orare non ceſſavit Moyſes, & oratione ſua vicit Invincibilem, Omnipotentem ligavit, iratum Deum mitigavit, ejuſque juſtitiam, ne puniret populum, exarmavit: nam, ut ſubjungit ſacer Textus, *placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum. Ib.* O magnam orationis virtutem! Sed o magnam etiam orationis utilitatem! quæ tanta eſt, ut virtute illius, Deum adverſus nos armatum, & ad vindictam de peccatis noſtris ſumendam paratum, exarmare poſſimus. Sed tanta adhuc eſt orationis utilitas, ut, ea mediante, *innumera a Deo beneficia impetrare valeamus*.

3. Pactum ſolemne, inquit S. Auguſtinus, initum eſt inter Dei miſericordiam, & hominis orationem; quo ſe adſtrinxit divina miſericordia, ad nihil orationibus hominum debite factis denegandum: ita ut quotieſcumque homo debitis cum circumſtantiis aliquid a Deo petet, ſecurus eſſe debeat, ſe illud impetraturum: *Cum videris non a te amotam orationem, ſecurus eſto, quia a te amota non eſt miſericordia.*

Magnifica eſt promiſſio, qua ſe obligavit Chriſtus ad danda hominibus omnia quæ orationibus ſuis debite petierint: *Omnia quacumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. Marc. 11. 24.* Magnifica quidem hæc promiſſio; ſed explicatione indiget. Quod ut fiat, videamus quid Chriſtus his verbis promittat. Promittit Chriſtus his verbis, ſe nobis daturum omnia quæ petierimus, etiamſi mala ſint? Non: quia hæc promiſſio eſt in petentium favorem; & ideo non pollicitus eſt, ſe daturum eis mala, ſi mala, ſibique noxia petant. Promiſitne etiam Chriſtus præfatis verbis, ſe daturum nobis ſanitatem, rerum abundantiam, mundi dignitates, & alia temporalia bona, quotieſcumque ea poſcemus? Non: quia ſi hæc nobis ſemper concederentur, eſſent nobis ſæpe noxia, & damnationis occaſio: quare non pollicitus eſt, nobis ſemper talia conceſſurum; ſed ſolum cum ad ſui gloriam, vel ad profectum noſtrum ſpiritualem hæc nobis concedi expedit: ut enim ait Auguſtinus, *non ſemper dat Deus quod vis, ſed quod dari expedit. Aug. tract. 6. in Joan.* Et ideo hæc temporalia non abſolute, ſed ſub conditione a nobis petenda ſunt; ſi ſcilicet hæc nobis dari expediat.

Sed quid de humilitate, patientia, charitate, gratia, & aliis bonis ſpiritualibus? Hæc abſolute, & abſque ulla conditione a nobis petenda ſunt: quia hæc ſemper ad noſtram ſalutem bona ſunt. Et hæc bona ſpiritualia, necnon bona temporalia, quæ ad ſalutem noſtram neceſſaria ſunt, infallibiliter dabit nobis Chriſtus, ſi ea debite, id eſt pie, humiliter, cum fervore & perſeverantia poſtulaverimus. Et ſic generalis illa promiſſio, qua pollicetur Chriſtus, ſe nobis omnia quæ petierimus daturum, intelligenda eſt de omnibus quæ ad ſalutem noſtram utilia & neceſſaria ſunt; quæ omnia infallibiliter dabit, ſi debite petierimus: *Dabit*, inquit Doctor Angelicus, *ſi pro te petas neceſſaria ad ſalutem: ſi pie, ſi perſeveranter. D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 15. ad 2.*

O quam magna hæc Chriſti promiſſio! ſed o quam magna etiam eſt orationis utilitas! cum ejus virtute, Dei iram placare, juſtitiam exarmare, & bonitatem ad innumera bona nobis impendenda inclinare valeamus. Quare cum tanta ſit orationis utilitas, orationis exercitio ſedulo vacate; orate, ferventer orate; pie & conſtanter orate, ut Deum placare & exarmare valeatis, utque obtineatis quæ ad ſalutem vobis neceſſaria ſunt. Ne imitemini multos, qui ita orant, quaſi Deum irrideant, illumque ad iracundiam provocare velint; ſed petite quæ ſalutis veſtræ ſunt, ea humiliter, pie, & conſtanter poſtulate: dabitque vobis Deus quidquid petieritis. Ecce quam utilis ſit oratio; *videamus quam ſit amabilis*.

## TERTIA PARS.

*Quam amabile ſit orationis exercitium.*

VIx capere queunt, amabile eſſe orationis exercitium, qui orationi vacare non ſolent: iniqui & trepidi nauſeant ſuper cibo illo leviſſimo: orationis hora eſt illis tædii & mœroris tempus. Sed revera orationis exercitium eſt ſumme amabile; nilque in hoc mundo videtur amabilius, quam in oratione: 1. De Deo cogitare: 2. Cum Deo fabulari: 3. Deo frui.

1. Qui vere orat, de Deo cogitat: cum oratio ſit *mentis in Deum elevatio, S. Damaſc.* Multi tamen, qui orationis exercitio certis horis incumbere profitentur, pretioſo hoc orationis tempore, non de Deo; ſed de terrenis, de mundanis, de inutilibus & vanis cogitant: & ab his haud dubie non amatur pium, ſanctum, & totis affectibus amabile orationis exercitium. Sed qui in oratione de Deo, deque infinitis ejus perfectionibus cogitare ſoliti ſunt,

nil in hoc mundo amabilius experiuntur, quam orationis exercitio incumbere.

Vellem, ut quiſque expertos, & viros ſpirituales, hac de re conſuleret: ab illis enim omnibus audiret quiſque, quod orationis *rara hora, parva mora: S. Bernardus*; quodque nil in hoc mundo amabilius, quam in oratione de Deo ſumme bono, & infinite amabili cogitare. Et licet id dicere nollent, hoc ſatis ipſa ratio ſuadet: quid enim amabilius eſſe poteſt, quam cogitare de Deo, in quo omnia, a quo omnia, & per quem omnia? Quid delectabilius, quam mente revolvere infinitam Dei Majeſtatem, inexhauſtam ejus bonitatem, ſapientiam ejus incomprehenſibilem, & potentiam interminatam? Quid ſuavius, quam fixum in oratione habere animum objecto illi beatifico, cujus contemplatione beatificantur, extra ſe rapiuntur, & ineffabili conſolatione afficiuntur Sancti? Heu! ſi in hoc mundo inveniantur, quibus nil ſuavius, quam de creatura aliqua, quam diligunt, cogitare; quid dulcius homini, qui guſtavit quam ſuavis eſt Dominus, quam de eo in oratione cogitare, ejuſque infinitas perfectiones mente revolvere?

Si quis a patria longe exulans, diſceret, patrem ſuum eſſe Regem potentiſſimum, ſapientiſſimum, ditiſſimum, & erga omnes beneficum; quid illi jucundius, & amabilius eſſe poſſet, quam animo volvere honores quibus fruitur pater, delicias quibus gaudet, & divitias quas poſſidet, quarum ſe hæredem futurum ſperaret? Sed heu! ſi gauderet ille; quanto non afficitur gaudio, quanta non potitur conſolatione, qui in oratione, de Patre ſuo qui in Cælis eſt, ſerio cogitat? Quid illi amabilius, quam mente verſare, Patrem ſuum in Cælo cum Sanctis regnare, glorioſe triumphare, ineffabilibus affluere gaudiis, immenſos poſſidere cæleſtium bonorum theſauros, ſibique parare regnum, cujus fines extenduntur in infinitum; in quo nullus luctus, nullus fletus, nulla triſtitia, inopia nulla: ſed in quo quiſque in æternum poſſidebit omnia quæcumque optare poterit? Ament avari terrenas opes; illicitas appetant voluptates impudici: honores ambiant Aulici: nil in hoc mundo amabilius quam in oratione de Deo cogitare, *& in oratione cum Deo fabulari*.

2. In oratione non ſolum de Deo cogitamus; ſed incomprehenſibili privilegio, a Deo nobis conceſſo, ibi cum eo colloquimur, & familiariter confabulamur: *Grande miraculum, ut homo, terra, & cinis; in ſua puriſſima oratione cum Deo fabuletur. Aug. ſer. 6. de commun.* Quis non admiretur, & magnam Dei in homines dignationem, & magnam hominis felicitatem? Magna Dei in homines eſt dignatio, quod ipſe, cujus majeſtas eſt infinita, ad ſuum colloquium homines admittere velit: maxima etiam hominis eſt felicitas, quod ipſe cum Deo familiariter in oratione converſetur. *Conſidera, quanta tibi conceſſa felicitas, quanta gloria attributa orationibus, fabulari cum Deo, cum Chriſto miſcere colloquium. S. Chryſ. l. 2. de orando Deo.*

Felices ſe exiſtimant, qui cum terreno Rege aliquantulum verſantur: nil amabilius cenſent illo tempore, quo ab eo audiuntur, & cum illo fabulantur. Sed quanto feliciores, qui orationi vacant? Hi enim non cum terreno Principe; ſed cum ipſo Deo loquuntur, non ſemel, & aliquibus ſolum momentis; ſed quoties, & quamdiu voluerint. Ibi cum Deo familiariter loquuntur, ſicut filii cum patre, ſicut amici cum amico, & ſicut ſponſa cum ſponſo. Nec tædium aliquod, ſed maximam felicitatem parit converſatio Dei cum hominibus; *non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Sapien. 8. 16.* O quam amabilis eſt oratio, in qua homo cum Deo loquitur, ſed & amabilis eſt oratio, quia Deus in ea poſſidetur, *nec aliquid eſt amabilius, quam Deum in oratione poſſidere.*

3. Verum eſt, quod numquam in terra, ſed in Cælo perfecte poſſideatur Deus, certum eſt, quod in terra numquam pro eo perfecte, & conſtanter fruamur per claram ejus viſionem, & amorem beatificum; in oratione tamen ſæpe Deus mentibus noſtris illabitur, cordibuſque noſtris ſeſe ſpeciali modo communicat. *Ibi* hominum, etiam rudiorum, mentes ſæpe gloria ſua ita irradiat, ut divina myſteria nonnumquam perfectius agnoſcant hi, quam ſubtiliores quique Theologi. *Ibi* ſancto amoris ſui igne corda noſtra accendit. *Ibi* cæleſtes delicias interdum prægustamus, Deumque in nobis mirabili modo effuſum experimur. *Ibi* nos ſupra noſmetipſos erigimus; ita ut terrena cuncta ſub pedibus noſtris, ac quaſi nihilum inſpiciamus, & in cellam vinariam, ſeu in Cælum quodammodo introducamur, ut Deo frui incipiamus: *Introduxit me Rex in cellam vinariam. Cant. 2. 4.*

Hoc norunt, qui orationi ſtudioſe incumbunt, & qui delicias, non in creaturarum, ſed in Creatoris converſatione quærunt: hoc ſciunt, qui ſoli cum ſolo colloquia ſacra miſcere conſueverunt. *Dicant* hi, quot in oratione altiſſima divinitatis myſteria penetrare meruerint? *Dicant*, ſi poſſint, quot in oratione veritates, famoſioribus ſæculi Doctoribus ignotas, clariſſime noverint? *Dicant*, quot ſanctis, & cæleſtibus deliciis in oratione affecti, & quaſi inebriati ſint? Nonne tantam in oratione ſuavitatem, totque delicias multi deguſtarunt, ut extra ſe rapti, viſus, tactus, guſtus, aliorumque ſenſuum uſu privati ſint? Nonne multorum animæ in oratione quaſi a corpore ſolvi cœperunt, ut ad Deum volarent, eoque fruerentur? Sed nonne ſæpe in oratione aliqui a Deo omnino penetrantur; ita ut nil in iis terrenum remaneat, ac in Deum quodammodo transformentur, ſimileſque Chriſto fiant, qui, dum oraret, totus transfiguratus eſt: *Aſcendit in montem ut oraret. Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera. Lucæ 9. 28.*

O quam amabile orationis exercitium, in quo homo Deum contemplatur, cum Deo loquitur, & Deo quodammodo fruitur! Non ſolum neceſſarium & utiliſſimum, ſed etiam ſumme amabile eſt hoc exercitium: quare orate, frequenter orate, *ſine intermiſſione orate: 1. Theſſalon. 1. 16.* in omni loco, in omni tempore orate. Imitamini viros illos ſanctiſſimos, de quibus ait S. Joannes Clymacus; quod continue orarent; ita ut orare, & reſpirare apud eos quaſi unum & idem eſſet. *Clymac. grad.* 28. Orate ſemper, orate debite, & perfecte, & oratio clavis erit aurea, qua vobis aperientur regna cælorum. *Amen.*

DO-

Digitized by Google

## DOMINICA
## INFRA OCTAVAM
## ASCENSIONIS.

# DE SCANDALO.

*Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.* Joann. 16. 1.

CHriſtiane dixit Ethnicus quidam, primam legem inter amicos ſervandam hanc eſſe, quod nullus verbo, vel facto, alium ad peccandum alliciat. *Cicero.* Hanc eamdem legem, non ſolum ab amicis, ſed etiam ab omnibus hominibus ſervandam, majori cum auctoritate tulit Legiſlatorum Princeps Chriſtus Dominus, qui cum in hunc mundum veniſſet, non ut homines perderet, ſed ut omnes ſalvaret, nominatim prohibuit, ne aliquis alium ad peccatum induceret: ac maledicto feriit homines illos ſcandaloſos, qui legem hanc violant, & qui ſive verbis indebite prolatis, ſive pravis ſuis operibus, & exemplis, peccandi occaſionem aliis præbent: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit!* *Matth.* 18. 7.

Nil huic legi contrarium agere poterat Chriſtus, cum impeccabilis eſſet, nilque mali dicere, vel facere poſſet, quo alii ad peccandum allicerentur: timebat tamen, ne etiam ex bonis ſuis actionibus Apoſtoli occaſionem peccandi arriperent; & ne de ipſa ſua paſſione ſcandalizarentur. Quare ut a cadendi periculo illos amoveret, & ut impediret, ne ſcandalum paterentur, illos de futura ſua paſſione, & de Spiritus Sancti adventu præmonuit: *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.*

Heu! ſi Chriſtus timet, ne ex paſſione ſua, qua nihil ſanctius, nihil melius, nihil ad hominum ſalutem utilius, peccandi occaſionem ſumant Diſcipuli, eſt ſane quod timeant, & toto corde contremiſcant viri illi ſcandaloſi, qui verbis indebite prolatis, & malis ſuis exemplis alios ſcandalizant, & ad peccata pertrahunt. Ut autem majorem illis timorem incutiamus, eoſque ad reſipiſcendum inducamus, iſtam de ſcandalo inſtituemus concionem, &c. *Ave.*

SCandalum, dicitur peccatum occaſionatum, ſeu ex occaſione proveniens: Tripliciter autem peccare quis poteſt ex occaſione. *Primo*, cum quis pravis ſuis verbis, vel iniquis actionibus, peccandi occaſionem aliis præbet, & hoc eſt ſcandalum activum: *Secundo*, cum quis ex pravis aliorum verbis, vel exemplis peccandi occaſionem ſumit: & hoc eſt ſcandalum paſſivum puſillorum. *Tertio*, cum quis non ex malis, ſed ex bonis aliorum verbis & actionibus occaſionem capit in peccatum cadendi, & hoc eſt ſcandalum paſſivum Phariſæorum, qui ita maligni fuerint, ut ex Chriſti miraculis & virtutibus, occaſionem invidendi illi, in illum murmurandi, aliaque peccata faciendi arripuerint.

De paſſivo, ſive puſillorum, ſive Phariſæorum ſcandalo agere jam mei non eſt inſtituti. De activo ſolummodo diſſerere intendo, & de viris illis ſcandaloſis, qui conſilio, ſuaſione, conſenſu, præcepto, vel malis ſuis verbis & exemplis, alios ad peccandum alliciunt, ac qui in hoc peccant, quod alii peccandi occaſionem præbeant. De hoc autem ſcandali peccato dicam: 1. Quam commune ſit: 2. Quam grave ſit: 3. Quanta pœna dignum ſit.

## PRIMA PARS.

*Quam commune ſit ſcandali peccatum.*

SIcut non per ſe ſolum, ſed etiam per Apoſtolos, & viros Apoſtolicos Chriſtus hominum ſaluti incubuit, ita & dæmon, non per ſe ſolum, ſed etiam per viros ſcandaloſos, homines ad peccandum allicit, & a via Paradiſi avertit. Hi quos aſſumpſit Chriſtus, ut hominum ſaluti ſecum laborarent, pauci ſunt: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci*, *Matth.* 9. ſed viri ſcandaloſi, quibus utitur dæmon, ut cæteros ad peccandum inducat, & perdat, innumeri ſunt. Ut enim ait S. Bernardinus, *ſcandaloſi ſunt: S. Bern. in tom.* 1. *ſer.* 36. qui alios docent turpes cantilenas ad laſciviam provocantes; ac etiam qui adoleſcentulas docent fucare vultum, nimis ſuperbe, vel impudice ſe ornare, & conſimilia operari: *Scandaloſi ſunt*, qui iniquis conſiliis, ſuaſionibus perverſis, ſævis comminationibus, vel impiis præceptionibus, alios ad uſuram, ad furtum, ad rapinam, & ad alia multa flectunt: *Scandaloſi ſunt*, qui verbis inhoneſtis, geſtibus illicitis, aliiſque modis perſonas ſeducunt, ad libidines ſtimulant, & ad turpia inclinant: *Scandaloſi ſunt*, qui diabolica doctrina docent infirmitates curare, dæmones invocare, per incantationes amiſſa recuperare, brevibus, & aliis ſortilegiis fidem dare. *Scandaloſi ſunt*, qui alios a Sacramentorum receptione, a fide prædicationibus adhibenda, ab aliorum reſtitutione, & aliis ad ſalutem neceſſariis avertunt: *Scandaloſi ſunt*, qui malis ſuis verbis, & exemplis, proximum quocumque modo ſcandalizant, & ad malum inducunt. O quam multæ hujuſmodi perſonæ ſcandaloſæ! O quam multa in mundo ſcandala! Certe totus mundus plenus eſt ſcandalis: quia plenus eſt perſonis improbis, licentiori vitæ deditis, imprudentibus, & cupidis, quæ ut paſſionibus ſuis ſatisfaciant, alios ſcandalizant, & ad peccata alliciunt.

Hoc ſcandali peccatum ita commune eſt ut in omnibus locis, omnibuſque ſtatibus, quantumvis ſanctis, reperiatur; quia ubique ſunt qui verbis, vel malis exemplis alios ſcandalizant, & ad peccatum inclinant, vel iis ſaltem peccandi occaſionem præbent. Nonne hoc ſcandali peccatum commiſſum eſt in Cælo, cum Lucifer ſuaſione, & exemplo tertiam Angelorum partem ad ſuperbiendum, & Dei voluntati reſiſtendum induxit? *Apoc.* 12. 4. Nonne perpetratum eſt hoc peccatum in Paradiſo terreſtri; cum dæmon Evam, & Eva Adamum, ad manducandum de fructu vetito ſollicitavit? *Geneſ.* 3. Nonne hoc peccatum admiſſum eſt in Cœtu Apoſtolico: ubi unus ex Apoſtolis ad Principes Sacerdotum ſe contulit, ut iis Magiſtrum venderet, illoſque ad eum morti tradendum inſtigaret? *Matth.* 26. Nonne illud peccatum in pleriſque Congregationibus, quantumvis ſanctis, patratur; ubi ſere ſemper aliquis invenitur Judas, ſeu aliquis ſcandaloſus, qui pravis ſuis verbis, & malis exemplis dat aliis occaſionem peccandi? In omnibus quidem illis locis invenitur ſcandali peccatum. Sed heu! ſi hoc peccatum committitur in Cælo, in terreſtri Paradiſo, in Apoſtolorum Collegio, & in



Digitized by Google

& in ſanctioribus Congregationibus: quanto magis in Aulis Principum, in exercitibus, in urbibus, in vicis, in locis profanis, inter Mercatores, inter Cauſidicos, inter Artifices, inter licentioris vitæ homines, & inter omnes, qui mundi vanitatibus, & voluptatibus immerſi ſunt? Certe in hujuſmodi locis, & apud talis generis perſonas, immo in omnibus mundi locis nil communius ſcandalo: quia ubique repe-riuntur, qui alios ad peccandum alliciant. Unde dixit Chriſtus: *Væ mundo a ſcandalis!* *Matth.* 18. 7. Non dixit ſolum: væ aliquibus mundi hominibus, ſed, *Væ mundo a ſcandalis*] quia totus mundus ſcandalis, & hominibus ſcandalum dantibus plenus eſt.

S. Antonius, in extaſim raptus, totum mundum laqueis plenum vidit. Quid hi laquei? Crediderim, hos laqueos, eſſe viros ſcandaloſos, qui ſunt quaſi laquei, quibus utuntur dæmones, ut homines capiant, & ad peccatum trahant. Scimus, ſanctum quemdam Epiſcopum, famoſam & ſcandaloſam mulierem vocaſſe *laqueum diaboli*, quia erat quaſi laqueus, quo juvenes, & viros etiam pios, diabolus capiebat. Sed & ſic vocari debent omnes perſonæ ſcandaloſæ, quæ alios ad peccandum alliciunt, ſcandaloſi enim, non ſolum ſunt Apoſtoli dæmonii, verum & ejus ſunt laquei: quia iis utitur dæmon ad capiendas animas. Vere laqueus diaboli fuit ſcandaloſus Arius, qui innumeros Chriſti & Eccleſiæ filios cepit, decepit, & ad dæmonis partes traxit. Laqueus diaboli fuit Vicleffus, qui totam Angliam & Bohæmiam infeſtavit. Laquei diaboli fuere Luther & Calvinus, qui Germaniam, Galliam, Daniam, & Sveviam a vera Chriſti fide averterunt, & ad ſatanæ partes adduxerunt. Laquei diaboli ſunt omnes Hæreſiarchæ, qui tot capiunt homines, quot ad ſuas hæreſes inclinant. Sed nonne etiam laquei diaboli ſunt meretrices, ebrioſi, & alii omnes, qui peccata publice perpetrant, & verbis, vel pravis ſuis moribus, aliis occaſionem peccandi præbent? Hi omnes ſunt vere laquei diaboli, munduſque plenus eſt his laqueis, & perſonis ſcandaloſis, quæ alios ad peccandum alliciunt. *Væ mundo:* quia illis laqueis, ſcandalis, & perſonis ſcandaloſis plenus eſt.

His laqueis capi timebat S. Bernardus, & plus ſcandaloſos, quibus utitur diabolus ad capiendas animas, quam ipſum diabolum formidabat; *Utinam*, inquiebat, *ſoli nos impugnarent maligni ſpiritus cum ſuggeſtionibus ſuis, & nihil nocerent homines pernicioſis exemplis, perſuaſionibus importunis, atque aliis mille modis. S. Bern. ſer. 1. in Sept.* Merito S. Abbas ſcandalosos magis quam dæmonem pertimeſcebat: plus etenim timendi ſunt. *Tum* quia dæmon ſola cogitatione, & maligna inſpiratione homines ad peccata allicit; ſcandaloſi vero alios ſuaſionibus, minis, mercede, pravis exemplis, aliiſque mille modis ad peccata pertrahunt. *Tum* quia ſicut cuique unicus dari ſolet Angelus Cuſtos, ita & cuique unicus datur Angelus tentator, ſed non unicus nobis in hoc mundo occurrit vir ſcandaloſus, qui peccandi nobis occaſionem præbeat; hujuſmodi enim viris circumdamur, totque ſunt viri ſcandaloſi, qui verbis indebitis, & pravis exemplis, nobis peccandi occaſionem præbent, ut difficile, & quaſi impoſſibile ſit, non eſſe ſcandala, ſeu homines, qui nos ſcandalizent, nobiſque peccandi occaſionem præbeant: *Neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala. Matth.* 18.

Timete viros illos ſcandaloſos, qui in via ſalutis ſcandala, ſeu offendicula vobis objiciunt, ut cadendi dent occaſionem; timete perſonas illas, quæ verbis, geſtibus vel iniquis actionibus, vos ad peccandum allicere conantur. Timete eas, & quamvis ſanguinis, & amicitiæ vinculis vobis junctæ ſint, ſi occaſionem peccandi vobis præbeant, voſque ad peccata trahant, fugiendæ ſunt, & ab iis longe diſcedendum. Velim, hanc & illam perſonam, quæ tibi eſt occaſio peccandi, a te diligi ut pupillam oculi, velim, te hac perſona non minus egere, quam dextera tua, totamque tuam in hoc mundo felicitatem ab ea pendere: abſcindenda tamen eſt, relinquenda eſt, fugienda eſt, quia, ut ait Salvator, melius eſt, quod hic oculus tuus eruatur, & hæc manus tua abſcindatur, quam ſi tu totus in æternum ignem mittaris: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum; quam totum corpus tuum eat in gehennam. Matth.* 5. 29.

Dic, quæſo; ſi unum e duobus tibi neceſſario eligendum eſſet, aut in profundum abyſſum præcipitari, aut unum ex oculis tibi erui: nonne malles tibi erui oculum, quam cum evidenti mortis periculo, in altam abyſſum projici? Nonne malles unum ex corporis tui membris, quam totum teipſum perire? Malles utique uno orbari oculo, quam mori. Cur ergo non idem pro animæ tuæ ſalute facies? Cur hanc perſonam, quæ oculo tuo tibi carior eſt, a te erui non patieris, ut animam tuam ſalves? Cur non abſcindi, & a te ſeparari voles hanc creaturam, quæ te ad peccandum allicit, ut æterna morte non plectaris, & ad infernum non præcipiteris? Abſcinde, & projice abs te hanc, & omnes perſonas, quæ tibi occaſionem peccandi præbent, & quæ te ad peccatum provocant. Time, & quantum fas erit, fuge ſcandaloſos, & ſcandala, quorum infinitus eſt numerus. Sed ſi ſcandalum activum eſt peccatum commune; *eſt etiam peccatum grave.*

## SECUNDA PARS.

*Quam grave ſit ſcandali peccatum.*

SCandalum activum, de quo nunc agimus; *eſt dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ. D. Bonav. in ſpec. c.* 3. Unde toties quis ſcandali peccatum perpetrat, quoties coram aliqua, vel aliquibus perſonis, aliquid mali dicit, vel facit, quod ex ſua natura eſt aptum ad dandam ſpectantibus occaſionem peccandi, licet adſtantes non inde peccandi occaſionem ſumant, nec ideo in peccata cadant; at ad ea perpetranda datur illis occaſio.

Grave eſſe illud peccatum facile judicabit, quicumque ejus naturam intelliget; patet enim, grave eſſe, quod quis occaſionem ruinæ præbeat animabus, pro quarum ſalute Chriſtus Salvator tot labores exantlavit, ac duriſſimam mortem obiit. Hoc quidem grave eſt, & tunc præcipue cum ſcandalizans, verbo, vel facto minus recto, alteri dat occaſionem peccandi mortaliter; ac etiam cum directe, in materia gravi, proximi ruinam intendit.

Hu-

Digitized by Google

Hujus peccati gravitas mirum in modum delineatur in Sacra Scriptura; ubi qui alios ſcandalizant, vocantur viri peſtilentes; quia ſicut peſtis eſt graviſſimum malum, quod ab eo qui peſte laborat, in alios ſe diffundit, & aliis communicatur; & ita ſcandaloſi, ſunt viri peſtilentes, qui non ſolum ſibi nocent, ſed virus ſuum undique effundunt, & nonnumquam civitates integras diſſipant & vaſtant: *Homines peſtilentes diſſipant civitatem*. *Prov. 29. 8.* Unde ſcandali peccatum gravius videtur hypocriſi in hoc, quod hypocrita ſibi ſoli noceat, ſcandaloſus vero ſibi primo noceat, & deinde proximo, cui peccandi præbet occaſionem, & hoc ſæpe non uni ſolum homini, verum & civitatibus, provinciis, & regnis integris, quibus contagionem ſuam communicat, *homines peſtilentes diſſipant civitatem*.

O quam grave illud ſcandalizantium peccatum! grave quidem, & graviſſimum: cum ſcandaloſi ſint pejores hypocritis illis quos ita exhorruit Chriſtus, quos toties objurgavit, quoſque maledictione ſua feriit. Sed ſi credamus Sancto Gregorio, Pontifici Maximo, gravius adhuc eſt ſcandali peccatum; quia qui alios ſcandalizant, pejores ſunt prædonibus, qui in domibus, in viis publicis, & in ſylvis homines bonis temporalibus ſpoliant. Cujus rei rationem adducit, dicens, quod prædones ea ſolummodo invadere ambiant quæ extra nos ſunt, & quæ bona fortunæ vocamus: ſcandaloſi vero nos prædari interius, & divinæ gratiæ bona a nobis auferre ſatagant: *illi ſtudent rapere bona exteriora, quia placent, iſti ſatagunt interiora bona diſſipare, quia diſplicent*. *S. Greg. lib. 26. in Job c. 9.* Ac proinde, quanto bona gratiæ ſunt temporalibus meliora, tanto ſcandaloſi, qui gratiæ bona a nobis auferunt, pejores ſunt prædonibus, qui homines temporalibus ſolum bonis ſpoliant.

Simili ratione probat Chryſoſtomus, quod licet graviſſime peccent, qui Eccleſias diruunt & vaſtant, gravius tamen peccent illi, qui alios ſcandalizant, & qui aliis ruinæ ſpiritualis occaſionem præbent. Templum templo comparat Chryſoſtomus: templum ſcilicet materiale templo ſpirituali; ac proinde, cum homo ſit templum ſpirituale, gravius peccant, qui verbis, & exemplis, hominibus occaſionem ruinæ præbent, quam qui templa materialia deſtruunt; *Si ergo*, inquit Os illud aureum, *Eccleſiam deſtruere grave eſt, & ſceleſtum, multo magis ſi templo ſpirituali hoc fiat. Auguſtior enim eſt homo, magiſque venerandus, quam Eccleſia. Non enim propter parietes mortuus eſt Chriſtus, ſed propter iſta Spiritus Sancti templa*. *Chryſoſt. hom. 25. in Epiſt. ad Rom.*

Ex jam dictis ſatis conſtat, graviſſimum eſſe ſcandali peccatum, ſed ut peccati illius gravitatem magis manifeſtet S. Bernardinus Senenſis, illud comparat veneno, quod hominibus bibendum traditur, & ſcandaloſos cum iis confert, qui ad occidendos homines venenum præparant. Et recte quidem hujuſmodi viris comparantur ſcandaloſi: quia cum iſti verba minus recta effundunt, vel grave aliquod peccatum coram aliis perpetrant, ſpectantibus quaſi venena, quibus ſpiritualiter occiduntur, præparant, & tradunt. Quis autem, inquit S. Bernardinus, ita inſanus eſt, ut non credat, grave eſſe peccatum, præparare venenum ad homines occidendos? Et ſi gravem culpam exiſtimas occidere corpora moritura; quanto gravius cenſere debes animas occidere, Dei imagine inſignitas, & perpetuo duraturas? *S. Bern. com. 1. ſerm. 36. art. 1. c. 3.*

Cum quis hominem quemdam de medio tollit, communem illi cum cæteris animantibus vitam adimit; ſed ſcandaloſus, qui alium ad ſcelus aliquod perpetrandum inducit, eſt homicida, qui illi vitam animæ eripit: vitam dico ſpiritualem, quam a gratia habet, quæ naturali Angelorum vita præſtantior eſt. Cum homicida aliquem interimit, animam ejus a corpore avocat: ſed qui ſcandalis ſuis alium ad gravia crimina allicit, animam ejus occidit, eamque divinæ gratiæ vita privat. Et ideo gravius peccat ſcandaloſus, qui alium ad mortaliter peccandum inique inducit, quam homicida qui aliquem quoad corpus occidit. Immo, ut ait S. Bernardus, qui alium ſcandalizat, gravius peccat, graviusque Chriſtum perſequitur, quam Judæi, qui illum crucifixerunt, & morti tradiderunt. *Videtur Chriſtus ab eo graviorem ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione, avertit ab eo animas quas redemit; quam a Judæo, qui ſanguinem ejus fudit. Horrendum penitus ſacrilegium; quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino Majeſtatis manus ſacrilegas injecerunt*. *S. Bern. ſerm. de converſ. S. Pauli.*

O ſcandaloſe! attende, & ſerio recogita, quam grave ſit tuum crimen. Credis, te leviter peccare, cum juvenem prava doces, cum adoleſcentulam ad illicita inclinas, vel quemcumque alium verbis, aut factis tuis ad mortaliter peccandum inducis? Sed ſcito, graviſſimum eſſe illud ſcandali peccatum, quod perpetras. *Graviſſimum eſt*: quia eſt veluti quædam peſtis contagioſa, quia fratri occaſionem ruinæ præbes. *Graviſſimum eſt*: quia hypocritarum, prædonum, & Eccleſias evertentium crimina gravitate ſua antecedit. *Graviſſimum eſt*; quia eſt venenum, quod aliis bibendum adminiſtras, quia eſt homicidium, quo proximi animam interficis, & quia eſt quaſi Deicidium; quo dirius Chriſtum perſequeris, quam Judæi, a quibus eſt in crucem actus. Nam ſi illi eum occiderunt, tu illi eripis animas, quarum cauſa vitam Chriſtus libentiſſime profudit.

O horrendum crimen! O quam maligni, qui ſuas hoc ſcelere coinquinant animas! Sed o quam imprudentes; & ſtulti, qui hujuſmodi ſcandalizantium conſortio ſe immiſcent! *Rogo vos, fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis*. *Rom. 16. 17.* Obſervate, qui ſint viri ſcandaloſi, a quibus ad peccandum allici poſſetis: obſervate eos: & ab iis fugite; ac cavete, ne cum illis unquam fœdus ineatis: *Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam*. *Exod. 34. 12.* At non ſolum cavendum a viris ſcandaloſis, ſed etiam a ſcandalis; ſummaque cura quiſque invigilare debet, ut neminem ſcandalizet: quia ſcandali crimen eſt graviſſimum, *ac etiam quia graviſſima pœna dignum eſt*.

## TERTIA PARS.

*Quanta pœna dignum ſit ſcandali peccatum.*

Certum eſt, nullum eſſe peccatum, cui aliqua non debeatur pœna; nullumque eſſe peccato-

 rem,

Digitized by Google

rem, qui puniri non debeat: ſed præcipue illum, qui pravis ſuis verbis, vel actionibus homines ſcandalizavit, & ad peccandum induxit: Alii enim peccatores puniri quidem debent, quia peccaverunt; ſed ſcandalizans, duplici ratione plecti debet, quia ſcilicet peccavit, & quia alios peccare fecit. Et ideo Jeroboam dire a Deo punitus eſt, non ſolum quia peccaverat, ſed etiam quia Iſraeliticum populum peccare fecerat: *Qui peccavit, & peccare fecit Iſrael*. 3. *Reg*. 14. 17.

Quanta pœna digni ſint, qui alios ſcandalizant, indicat Salvator, cum ait, quod præſtat mergi in mare, ſeu mori, & diro quovis ſupplicio e vita exterminari, quam aliquem ſcandalizare, eique mortaliter peccandi occaſionem dare. *Væ illi*, inquit, *per quem veniunt ſcandala. Utilius eſt illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis. Luc*. 17. 2.

Væ vobis, patres iniqui, qui filios vindictam, blaſphemiam, avaritiam, impietatem, libidines aliaque plurima vitia, tum verbis, tum pravis exemplis docetis! Væ vobis, crudeles matres, vel potius novercæ; quæ exitioſa, & contagioſa vanitatis, invidiæ, impudicitiæ, iræ, otioſitatis, & irreligionis exempla filiabus veſtris exhibetis. Væ vobis, Pictores, qui ad libidinem provocantia depingitis. Væ vobis, Poetæ impudici, qui fœda canitis. Væ vobis, Comœdi, & alii omnes, qui homines ſcandalizatis, & ad peccandum allicitis: melius enim eſſet vobis mori, & in profundum maris demergi, quam proximum ſcandalizare, eique peccandi occaſionem dare.

Mori timebat S. Bernardus; mori tamen maluiſſet, quam alicui præbere occaſionem lapſus in peccatum: *Mori timeo*, inquit, *quia non ſum paratus. Malo tamen mori, & miſericordiæ Dei me committere; quam de mea converſatione alicui ſcandalum facere. S. Bern. de inter. Dom. cap*. 35. O patres, o matres, o ſuperiores, o vos omnes, qui aliis in exemplum a Deo eſtis poſiti, mori præeligite, quam alicui dare occaſionem ruinæ. Dicat quiſque veſtrum intra ſe: malo mori, quam filio, quam ſubdito, quam cuivis occaſionem cadendi præbere. Hoc dicite corde & ore: hoc dicite, & hoc facite: melius enim vobis eſſet mori, & in mare mergi, quam aliquem ſcandalizare: quia pœna, qua plectuntur, qui alios ſcandalizant, eſt temporali morte longe gravior. Scire vultis, inquit Sanctus Bernardus, cur dixerit Chriſtus, utilius eſſe alicui, quod in mare projiciatur, quam quod alium ſcandalizet? *Hoc dixit, ut ſignificaret, tam gravia impoſterum manere tormenta, ut eis comparata mors temporalis, nec pœnalis eſſe videatur, ſed commoda. S. Bern. epiſt. 7. ad Adam*. Eodem fere modo reſpondet Sanctus Hieronymus, dicens, ſic locutum eſſe Chriſtum; quia revera hoc utilius foret ei qui alium ſcandalizat. *Quia multo melius eſt pro culpa brevem recipere pœnam, quam æternis ſervari cruciatibus*.

Ecce pœnam qua plectuntur, qui alios ſcandalizant, dictiſque ſuis & factis minus rectis, proximo dant occaſionem ruinæ. Hi cruciatibus addicentur æternis; pœnaſque dabunt in interitu ſempiternas. *Qui ſeminat iniquitatem*, inquit Sapiens, *metet mala*: ille autem iniquitatem ſeminat, qui alios ſcandalizat, & qui verbo, aut exemplo ſuam iniquitatem in alios ſpargit: & hic metet æterna mala; quia in ſui criminis pœnam, æternis ſuppliciis adjudicabitur. Sic præfata verba explicat V. Beda, dicens: *Qui verbo, aut exemplo ſuam iniquitatem in alios ſpargit, meſſe tota æternam vindictam recipiet. Prov*. 22. 8.

O quam gravis erit hæc ſcandalizantium pœna! O quam durum erit eis, ardentibus immergi ignibus, & in medio flammarum æternum cruciari! O formidandum hujuſmodi perſonarum ſupplicium! O pœnam; cujus gravitas humanam omnem excedit eloquentiam! Quæ tamen adhuc gravior erit, ex male dictis & execrationibus, quas in ſcandaloſos evoment illi, quibus damnationis occaſionem præbuerunt: cum in mediis inferni ignibus erit qui alios ſcandalizavit, improperantes, execrantes, & maledicentes audiet illos, quos pravis actionibus, & verbis ad peccata allexit.

Quemadmodum hi qui in Cælo ſunt, multis afficiunt laudibus eum, quem ſalutis ſuæ auctorem agnoſcunt; ita in inferno, qui ſempiternis ſuppliciis addicti ſunt, plurima maledicta evoment in eos, qui ipſis ruinæ & damnationis occaſionem præbuerunt; ac a Deo vindictam exigent in illos, a quibus ad tam acerba ſupplicia adducti ſunt.

O quam acriter torqueberis, o ſcandaloſe peccator, cum in inferno æternis ignibus addictus eris; & cum ibi una cum eis verſaberis, qui tui cauſa ſe in æternum damnatos videbunt, & qui in te maledicta conjicere non deſinent. Heu! nonne melius eſt proximum non ſcandalizare, quam in tanta ſupplicia incurrere? Nonne melius eſt nullum ſcandalizare, quam æternorum ignium vim perferre? Nonne melius eſt, nulli occaſionem peccandi dare, quam maledicta & execrationes toto æternitatis decurſu audire?

Siſte ergo, o peccator, ne animas criminis labe inficias, ne Chriſto animas, pretioſo ejus ſanguine emptas, rapias, ne Chriſtum pretioſiſſimi ſanguinis ſui fructu fraudes: ſed ne etiam te horrendis & æternis ſuppliciis perferendis exponas.

Timens D. Paulus, ne aliquibus eſſet ſcandalo, ſi coram illis carnes manducaret, dicebat: *Non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*. 1. *Cor*. 8. 13. Dic tu ſimiliter: hæc & illa quæ facere ſolitus ſum, impoſterum non faciam, *ne fratrem meum ſcandalizem*. Dic tu: & in hunc illum locum non me conferam, ubi peccandi occaſionem pluries dedi; a vanis his & illis corporis abſtinebo ornamentis, quæ aliis occaſionem ruinæ præbere poſſent; hæc & illa coram filiis, coram domeſticis, & coram aliis non faciam, *ne fratrem meum ſcandalizem*.

A futuris abſtine ſcandalis; ſed & de præteritis pœnitentiam age; multis dele lacrymis peccata quæ perpetraſti, & ad quæ perpetranda alios induxiſti; ac etiam, quantum fas erit, repara damna, quæ verbis, & factis tuis proximo intuliſti. Imitare Magdalenam, quæ quia oculis, capillis, & unguentis pretioſis peccaverat, alioſque ad peccandum allexerat, oculis ad flendum, capillis ad Chriſti pedes abſtergendos, unguentis ad caput ejus inungendum uſa eſt, omniaque quæ ad peccandum illicia fuerant, in virtutum incentiva convertit. Fac tu

ſimi-

ſimiliter, veniam a Deo ſupplex poſtula, ob varias ſcandali occaſiones, quas proximo dediſti, & ſi alios usque ad præsens tempus ad peccandum induxiſti, ſic in futuro tuos mores compone; ſic vive, ut ſis illis in virtutis exemplum. Hoc ſi facias, ſcandalizantibus debitam non obibis pœnam, ſed æternam cum juſtis in cælo gloriam obtinebis. *Amen.*

## DOMINICA PENTECOSTES.

## DE

# SPIRITU SANCTO.

*Tu qui es?* Joann. 1. 19.

SI Judæi, audientes mirabilia magna, quæ ſanctiſſimus Chriſti Præcursor operabatur, miſerunt Sacerdotes & Levitas, qui ſtudioſe perquirerent, quis ille eſſet: *Tu quis es?* Non abs re erit, ſi iisdem jam utar verbis, ac ſi ſedulo exquiram & petam, quis ſit portentoſus ille Spiritus, qui hodie ſuper Apoſtolos deſcendens, tot in Cœnaculo prodigia operatur.

Petitio mea hæc, audax quidem, ſed identidem pia erit & ſancta. *Audax ſane*: cum ſancti Spiritus, qui Deus eſt abſconditus, & qui a ſe ſolo perfecte cognoſci poteſt, cognitionem inquiram. *Pia tamen & ſancta*: cum ſicut Philippus cognitionem Patris ſollicite petebat, dicens: *Domine, oſtende nobis Patrem*; ita & ego Spiritus illius, qui a Patre procedit, cognitionem aſſequi poſtulem.

Sed nonne juſtum eſt, ut pro captu noſtro, & in ſpiritu humilitatis indagare ſatagamus, quid ſit ille Spiritus qui erudit nos, roborat nos, vivificat nos, & ad omne bonum nos allicit? Nonne æquitati, & juſtitiæ conſonum, ut inveſtigare velimus, qui ſit ille Spiritus, qui ad nos per gratiam ſuam venit, ut nos a criminum ſordibus lavet, ut juſtos & ſanctos nos efficiat, utque ad opera æternæ gloriæ meritoria facienda nos excitet? Nonne tandem ipſa ratio naturalis a nobis exigit, ut in agnitionem venire ambiamus illius Spiritus, qui Pater noſter eſt; Deus noſter eſt, & merces noſtra magna nimis? Juſtum quidem, æquum, & rationabile eſt, ut inquiramus quis ſit ille Spiritus. *Tu quis es?* Quæramus ergo, & pro viribus explicemus, quis ſit Spiritus Sanctus, &c. *Ave.*

SPiritum Sanctum inſpicio in altiſſimo ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio, in ſanctæ Eccleſiæ ſinu, & in hominis juſti anima. Spiritus Sanctus eſt in ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio: cum ſit tertia auguſtiſſimi illius myſterii Perſona, quæ a Patre, Filioque procedit, & quæ *cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur*. Spiritus Sanctus eſt etiam in ſanctæ Eccleſiæ ſinu; cum eam gratiis & auxiliis ſuis ſemper foveat & protegat: cumque ad eam miſſus ſit, ut illam inviſibiliter gubernet & regat: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater.* Joann. 14. Spiritus Sanctus eſt tandem in hominis juſti anima: cum in ea per gratiam ſuam ſanctificantem habitet: *Spiritus Dei habitat in vobis.* 1. *Cor.* 3.

Ut autem ad ſuſceptum opus, & ad finem intentum veniam; ſeu, ut explicem quis ſit ille Spiritus Sanctus, qui hodie ſuper congregatos in Cœnaculo Apoſtolos deſcendit; dicam quid ſit, *tum* in auguſtiſſimo Trinitatis myſterio, *tum* in ſanctæ Eccleſiæ ſinu, *tum* in hominis juſti anima. Videamus ergo: 1. Quis ſit Spiritus Sanctus in ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio: 2. Quis ſit Spiritus Sanctus in ſanctæ Eccleſiæ ſinu: 3. Quis ſit Spiritus Sanctus in hominis juſti anima. Tribus his quæſtionibus explicare conabimur, quis ſit Spiritus Sanctus. *Tu quis es?*

## PRIMA PARS.

*Quis ſit Spiritus Sanctus in ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio?*

NOrunt omnes qui Catholicam profitentur Fidem, tres in Divinitate eſſe Perſonas; quarum una dicitur Spiritus Sanctus, de quo nunc loquimur. Sed ut clarius agnoſcatur, quæ ſit divina illa Perſona, illam conſidero reſpectu duarum aliarum Perſonarum, Patris ſcilicet, & Filii; & dico, Spiritum Sanctum eſſe Perſonam illam divinam: 1. Quam Pater & Filius producunt: 2. Quia Pater & Filius ſe diligunt: 3. Quam Pater & Filius mittunt.

1. Ab ævo docuit ſancta Romana Eccleſia, Spiritum Sanctum a Patre ſimul & a Filio, tamquam ab unico principio procedere: & ſingulis fere diebus in ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio canit, eum ab utroque procedere. *Qui a Patre, Filioque procedit.* Et ideo de hac Spiritus Sancti a Patre & Filio proceſſione loquor, non tam ut probem, quam ut eam quodammodo explicem.

Præclara ſunt, quæ hac de re in Sancti Athanaſii Symbolo habentur verba, dum dicitur: *Spiritus Sanctus a Patre & Filio, non factus, non creatus, nec genitus, ſed procedens.* Qui ſi dicat, non cenſendum, Spiritum Sanctum a Patre & Filio eſſe factum, eodem modo quo opus aliquod ab opifice ſuo factum eſt: ſi enim hoc eſſet, Spiritus Sanctus non eſſet Deus, ſed opus Dei: *Non factus.* Spiritus Sanctus non eſt etiam a Patre & Filio creatus: aliter ille non eſſet omnium Creator, ſed creatura: *Non creatus.* Non dicendum tandem, ipſum a Patre & Filio eſſe genitum; genitus enim eſſe non poteſt; cum ex vi proceſſionis ſuæ, non procedat a Patre & Filio in ſimilitudinem naturæ: *Non genitus.* Sed licet ab his non ſit factus, nec creatus, nec genitus; verum tamen eſt, quod ab iis procedat, quodque ab iis producatur: non factus, nec creatus, nec genitus: *ſed procedens.*

Alia, eaque mirabilia, habet verba S. Athanaſius, quibus clare, & ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, & Sancti Spiritus a Patre & Filio proceſſio probantur, & explicantur, *Unus*, inquit, *eſt Deus Pater, & ipſe ingenitus, unus Filius, & ipſe unigenitus; unus Spiritus Sanctus, & ipſe ab utroque procedens. Athan. de paſſ. Chriſti cap.* 4. Adnotate, quæſo, quomodo de tribus ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonis loquatur. In Trinitate, ait, unus eſt Pater, & ille nec factus, nec creatus, nec genitus, nec ab alio quoque principio eſt productus: ita ut, ſicut Filius & Spiritus Sanctus ſuas habent notiones, quibus ab invicem diſtinguuntur: Filius ſcilicet diſtinguitur ab aliis per filiationem, & Spiritus Sanctus per ſpirationem paſſivam, ſic notio

pro-

Digitized by Google

propria Patris, eſt innaſcibilitas: ſeu quod ab alia Perſona divina non ſit productus; *Unus eſt Pater, & ipſe ingenitus.* In Trinitate eſt alia Perſona, quæ vocatur Filius; & iſte a Patre eſt vere genitus; eſtque hæc unica Trinitatis Perſona quæ eſt genita, quia Pater Æternus hunc generans Filium, in natura ſua infinitum, totam exhauſit intellectus ſui fœcunditatem: ita ut alium Filium generare nequiret: *Unus eſt Filius, & ipſe unigenitus.* In Trinitate tandem eſt alia Perſona, quæ Spiritus Sanctus dicitur: & iſte non eſt genitus ſicut Filius, nec improductus ſicut Pater; ſed ab utroque procedit & productus eſt: *Unus Spiritus ſanctus, & ipſe ab utroque procedens.* Sanctus ergo Spiritus eſt Perſona, quam Pater & Filius producunt, *ſed eſt etiam Perſona, qua Pater & Filius ſe diligunt. Auguſt. 6. de Trin. c. 5.*

2. Hoc clare docuit D. Auguſtinus, dicens: *Spiritus eſt, quo Genitus a Generante diligitur, Genitoremque ſuum diligit.* Idem aſſerit ſanctus Bernardus, cujus hæc ſunt verba: *Spiritus ſanctus eſt Patris & Filii individuus amor. S. Bern. ſerm. 8. in Cant.* Sicut enim Sapientia, ſi abſolute conſideretur, eſt nomen commune tribus Perſonis, quia omnes infinite ſapientes ſunt; appropriatur tamen Filio, quia procedit per intellectum, ad quem pertinet Sapientia: ſic nomen amoris abſolute ſumptum eſt nomen commune tribus Perſonis; nomen vero amoris ſpirati, eſt proprium Spiritus Sancti, quia ſolus Spiritus Sanctus a Patre & Filio, ſe mutuo amantibus, ſpiratur. Et in hoc ſenſu Spiritus Sanctus eſt illa Perſona, qua Pater & Filius ſe diligunt, ſeu quam ſe invicem diligentes ſpirant & producunt.

Quærit Doctor Angelicus, an Pater & Filius diligant ſe Spiritu Sancto? *D. Thom. 1. p. q. 37. c. 9.* Cui quæſtioni reſpondet, quod diligere in divinis ſumatur eſſentialiter, & notionaliter; ſi autem, inquit, diligere ſumatur eſſentialiter, & prout diligere eſt quid commune tribus Perſonis; ſic Pater & Filius diligunt ſe eſſentia ſua, & non Spiritu Sancto. Sed ſi diligere ſumatur notionaliter: tunc diligere nihil aliud eſt, quam ſpirare amorem, ſicut dicere eſt producere verbum, & florere eſt producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, quos producit; ita Pater & Filius dicuntur diligentes ſe Spiritu Sancto, quem ſe mutuo amantes producunt. Et ſic Spiritus Sanctus eſt Perſona, qua Pater & Filius ſe diligunt; quia eſt Perſona, quam ſe diligentes ſpirant & producunt. *Sed Spiritus ſanctus eſt etiam Perſona, quam Pater & Filius mittunt.*

3. Spiritus Sanctus eſt Deus cum Patre & Filio, ab utroque independens, & utrique æqualis. Sed licet Spiritus Sanctus Deus ſit, independens ſit, Patrique & Filio æqualis ſit; verum tamen & certum eſt, eum & a Patre, & Filio mitti. Mittitur a Patre: *Spiritus ſanctus, quem mittet Pater. Joann. 14.* Mittitur a Filio: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Joann. 15.*

A Patre & Filio mittitur Spiritus Sanctus, hoc de fide eſt. Sed ſi ab iis mittatur Spiritus Sanctus, quomodo dici poteſt, eum eſſe Deum, & independentem? Videtur enim, quod qui mittitur, non ſit Deus: & quod ab eo dependeat, a quo mittitur. Ut dubium hoc explicetur; ſciendum, quod quis mitti poteſt quinque modis: 1. Per imperium, ſeu alio imperante, ſicut dominus mittit ſervum; & hæc miſſio non eſt in Perſonis divinis, quia ſunt omnino æquales, nec una alteri imperare poteſt. 2. Per modum conſilii, aut ſuaſionis, ſeu alio conſulente, aut ſuadente; ut quando Conſiliarii mittunt Regem ad bellum; & hæc etiam miſſio reperiri non poteſt in Perſonis divinis: nulla enim perſona alieno eget conſilio cum quælibet infinite ſapiens ſit, 3. Rogando & obſecrando; cum ſcilicet aliquis rogatur & obſecratur, ut aliquo ſe conferat, & hæc miſſio non eſt in Perſonis divinis, una enim Perſona aliam rogare non poteſt, quia qui rogat, eſt inferior: una autem Perſona alteri inferior eſſe non poteſt, 4. Quis mitti poteſt miſſione dicente motum localem; ſicut mittitur epiſtola, vel Legatus ad aliquem locum; & hæc miſſio Perſonis divinis non competit. Cum enim quælibet Perſona ſit ubique, nulla Perſona mitti poteſt ad aliquem locum, 5. Eſt altera miſſionis ſpecies, quam Theologi vocant miſſionem originis, quæ miſſio nil aliud eſt, quam alicujus Perſonæ divinæ procedentis manifeſtatio per aliquem effectum de novo productum in creaturis. Unde quoties aliqua ex Perſonis divinis, quæ ab alia procedit, novum aliquem effectum producit in creaturis, toties illa Perſona mitti dicitur ab illa Perſona, a qua procedit & originem ducit, licet ab illa non dependeat, nec illa minor ſit. Ex quo patet quod Pater Æternus non mittatur, quia ab alia Perſona non procedit, Filius vero a Patre mittitur, quia ab eo procedit, tuncque a Patre miſſus eſt, cum naturam humanam aſſumpſit. Sed tandem Spiritus Sanctus a Patre & Filio mittitur, quia ab utroque procedit, tuncque ab iis mitti dicitur, cum novos io nobis producit effectus inviſibiles, vel viſibiles, *inviſibiles*, per gratias internas quas nobis communicat, *viſibiles*, cum jam ſub forma ignis, jam ſub ſpecie columbæ, & jam ſub figura venti vehementis appareat. Unde Spiritus Sanctus mittitur miſſione origmis, viſibiliter, & inviſibiliter, *viſibiliter*, cum effectus viſibiles, *& inviſibiliter*, cum effectus inviſibiles operatur. Sanctus ergo Spiritus non ſolum eſt Perſona, quam Pater & Filius producunt, & qua ſe diligunt, ſed eſt etiam Perſona, quam mittunt. Ecce quis ſit Spiritus Sanctus in ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio. Videamus, *quis ille ſit in ſancta Eccleſiæ ſinu.*

## SECUNDA PARS:

*Quis ſit Spiritus Sanctus in Eccleſiæ ſinu.*

Sancta Eccleſia Catholica dici poteſt corpus, navis, & regnum. *Eſt corpus myſticum*, mirabiliter compactum: *Eſt navis*, variis jactata tempeſtatibus; *Eſt regnum*, a Chriſto Salvatore conſtitutum. Ut autem notum faciam, quis ſit Spiritus Sanctus in ſinu Eccleſiæ; dico, quod ſit, 1. Anima illius corporis: 2. Gubernator navis illius: 3. Rex hujus regni.

1. Eccleſia, ut dicunt Sancti Patres, eſt corpus myſticum & mirabile, ex variis membris compactum. Chriſtus eſt ejus caput; *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius Epheſ. 1. 22.*

San-

Digitized by Google

Sanctiſſima Virgo Maria eſt hujus corporis collum: quia ſicut a capite ad inferiores corporis partes per collum deſcendunt ſpiritus animales; ita a Chriſto, Eccleſiæ capite, ad fideles per Mariam veniunt gratiæ cæleſtes. Prælati dicuntur hujus corporis oculi: quia commiſſo ſibi gregi invigilare debent. Doctores ſunt ejus lingua; quia per eos nobis Eccleſia loquitur, & Scripturas interpretatur. Miſericordes tandem, ſunt corporis hujus pedes & manus; quia hi currunt & laborant, ut pauperum, infirmorum, & aliorum miſerorum neceſſitatibus ſubveniant. Ecce myſticum Eccleſiæ corpus, quod reipſa præclarum eſt. Sed quæ eſt hujus corporis anima? Illius anima eſt Spiritus Sanctus, qui eidem Eccleſiæ, qua anima corpori, officia impendit: *Quod eſt anima corpori hominis, hoc eſt Spiritus Sanctus corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia. S. Auguſt. ſerm. 2. de fer. 2. Pentec.*

Luculenter dixit S. Auguſtinus, Spiritum Sanctum in ſanctæ Eccleſiæ myſtico corpore eadem obire munia, quæ anima rationalis in humano corpore obit, *Hoc agit Spiritus ſanctus in tota Eccleſia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis S. Aug. ibid.* Quod ut quam verum ſit, pateat, advertendum, animæ in corpore humano operationes triplicis eſſe generis; aliæ enim ejus operationes ſunt vitales, animales aliæ, & aliæ rationales. Spiritus Sanctus autem eaſdem in myſtico Eccleſiæ corpore operationes habet; *Vitales quidem*, cum illud vivificet, illudque vita gratiæ vivere faciat; *Animales etiam*, cum illud adverſus Tyrannos, & aereas poteſtates roboret; *Rationales tandem*, cum fidelium intellectibus omnium veritatum ad ſalutem neceſſariarum notitiam infundat, *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joann. 16. 13.* Quare cum Spiritus Sanctus, eaſdem in myſtico Eccleſiæ, quas anima rationalis in humano corpore, functiones exerceat; fatendum, quod Spiritus Sanctus ſit myſtici Eccleſiæ corporis anima. *Sed Eccleſia eſt etiam navis, cujus Spiritus ſanctus eſt Gubernator.*

2. Totus terrarum orbis eſt procelloſum mare, in quo ſancta Chriſti Eccleſia eſt quaſi navis omni tempeſtatum generi expoſita. Eam quidem navem eſſe dicunt Summi Pontifices, ſanctique Eccleſiæ Doctores, eamque tot agitatam tempeſtatibus, tot procellis jactatam fuiſſe conſtat ut ea naufragium paſſura videretur: *ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth. 8. 24.* Quot, quæſo, fluctus, quaſve tempeſtates adverſus Eccleſiam non excitarunt Nero, Domitianus, Diocletianus, Trajanus, Maximinus, aliique plures Imperatores, Principes, & Tyranni, qui eam ferro, & flammis, omnique ſuppliciorum genere extinguere conati ſunt? Quid adverſus eam moliti non ſunt Simon Magus cum Simoniacis, Arius cum Arianis, Pelagius cum Pelagianis, Neſtorius cum Neſtorianis, Macedonicus cum Macedonianis, Luther & Calvinus cum Lutheranis & Calviniſtis; ac tandem omnes Hereſiarchæ cum ſuis ſectatoribus? Sed nonne quotidie jactatur a propriis filiis, qui eam criminibus ſuis dedecorant, qui leges ejus violant, & qui adverſus eam ſe protervos & rebelles exhibent? Sed quidem eam procellis non jactabit Antichriſtus? Certe ſi bene ſpectetur Eccleſia, navis quidem dicenda eſt; ſed ea eſt navis quæ ſemper fuit, ſemper eſt, ſemperque variis perſecutionum agitata erit fluctibus. At adverſi quique flent perſecutionum venti, commoveatur mare, & plenitudo ejus, ſæviant Tyranni, clament hæretici; ipſi quoque dæmones, quantum potuerint, tempeſtates adverſus Eccleſiam excitent; illa ſemper triumphabit, nec unquam ſubmergetur: quia navis illius Gubernator eſt Spiritus Sanctus, qui mari dominatur, & qui omnes perſecutionum fluctus adverſus Eccleſiam excitatos mitigare, & comprimere novit: *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas. Pſ. 88. 10.*

Cum aliis multis ait ſanctus Ambroſius, Eccleſiam eſſe navim, quæ nullum pati poteſt naufragium: *Navis eſt Eccleſia, quæ numquam poteſt ſuſtinere naufragium.* Cujus rei rationem, propoſito noſtro idoneam, ſubdit, dicens, eam pati non poſſe naufragium: quia *in arbore ejus, id eſt in cruce, Chriſtus erigitur, in puppi Pater reſidet Gubernator, proram Paraclitus ſervat Spiritus Sanctus? S. Ambroſius in l. de Salom. c. 2.* O quam tuta & ſecura eſt hæc navis in mediis tempeſtatibus, & perſecutionibus; cum tres ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ ſaluti ejus invigilent: ac Spiritus Sanctus, ut Gubernator, eam regat: *Gubernator proram Paraclitus ſervat Spiritus.* Sed tandem Eccleſia eſt regnum, *cujus Rex eſt Spiritus ſanctus.*

3. Eccleſia Catholica eſt regnum mirabile, quod terrena omnia regna ſuperat amplitudine, duratione, incremento, legibus & Regis eminentia. *Amplitudine* quidem, quia alia orbis regna ſingula, nonniſi partem aliquam orbis, eamque exiguam continent. Eccleſia vero omnes mundi nationes, etiam prius incognitas, imperio ſuo ſubdidit: aut ſi quæ adhuc ſuperſunt, impoſterum ſibi ſubjiciet. *Duratione*, quia alia omnia orbis terrarum regna, aut cito perierunt, aut cito peribunt: Eccleſiæ vero Chriſti regnum a mille ſexcentis nonaginta, & pluribus annis ſtetit, ac ſtabit in æternum, ſeu uſque ad mundi exitum. *Incremento*, quia alia regna ampliantur armis, opibus, fraudibus, aut variis politicorum ſtratagemmatibus: Eccleſia vero ad portentoſam amplitudinem venit per crucem, & contemptum opum, honorum, & voluptatum; per doctrinæ novæ, & difficilis prædicationem; immo & per varias Tyrannorum perſecutiones, & per effuſionem ſanguinis multorum millium Martyrum. Et ideo Tertullianus ait, quod *ſanguis Martyrum, ſemen eſt Chriſtianorum. Tert. in Apol. c. ult.* Alia ergo regna mirabili ſuo incremento ſuperat Eccleſia, ſed ea etiam ſuperat *legibus ſuis*, aliorum enim regnorum leges ad Reipublicæ pacem, conſervationem, augmentum, & terrenam proſperitatem procurandam ſolummodo ſpectant; & ideo in eorum legibus aliqua nonumquam abſurda & iniqua permiſcentur. At Eccleſiæ leges peccata omnia vitare jubent; injuſtitiam omnem cavent; omne malum prohibent; omnem ſanctimoniam, innocentiam, caſtitatem, & perfectionem præſcribunt; & Dei cultum imprimis urgent. Nec mirum, ſi tam ſanctæ ſint Eccleſiæ leges, cum illius regni Rex ſit ipſe Spiritus Sanctus, qui inviſibiliter illi præeſt, illudque regit & gubernat.

Eccleſiæ viſibiliter præerat Chriſtus, antequam in Cælum aſcenderet; hic fuit Rex qui illud regnum

insti-

Digitized by Google

inſtituit, ac viſibiliter rexit; ſed poſtquam in Cælum aſcendit, miſit Spiritum Sanctum, ut huic regno inviſibiliter præeſſet. Unde fideles indeſinenter Spiritus Sancti auxilium implorant, illumque ut Regem ſuum invocant. Et in Conciliis Generalibus, quæ univerſam Eccleſiam repræſentant, invocatur & advocatur Spiritus Sanctus, ut Præſes, & Rex inviſibilis; ejus gratia petitur, & omne quod determinatur, ejus determinatione definitur. Unde Apoſtoli in primo Concilio, ab ipſis congregato, ſic determinationem ſuam explicarunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis. Act. 15. 28.* Quaſi dicant: *Viſum eſt Spiritui ſancto*, qui Concilio noſtro præfuit; & qui toti Eccleſiæ præeſt ut Rex illius, *& nobis*. Ecce quis ſit Spiritus Sanctus in ſinu Eccleſiæ. Videamus; *quis ille ſit in anima hominis juſti*.

## TERTIA PARS.

*Quis eſt Spiritus ſanctus in hominis juſti anima.*

Cum Apoſtoli eſſent ſimul in Cœnaculo congregati, Spiritus Sanctus ad eos venit ſub ſpecie venti, linguarum, & ignis: *Sub ſpecie venti validi & vehementis, linguarum diſpertitarum, & ignis ſuper capita eorum deſcendentis: Factus eſt repente de Cælo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis. Act. 2. 3.*

Externa hæc ſigna, & ſymbola indicant, quis ſit Spiritus Sanctus in anima juſti, in ea enim eſt lingua, ignis, & ventus: Eſt: 1. *Lingua* divina, quæ eum erudit: 2. *Ignis* ſacer, qui eum accendit: 3. *Ventus* cæleſtis, qui eum ad virtutem excitat.

1. Per Doctores, Concionatores, & Confeſſarios exterius erudimur, verba tamen eorum nil aliud eſſent quam verba per aerem volantia, ſi intus non loqueretur Spiritus Sanctus, & quæ ſalutis ſunt, nos non doceret; ſed ipſe eſt Doctor internus, & lingua divina in corde hominis juſti loquens, quæ eum de myſteriis fidei erudit, eumque omnia quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt docet: *Dum autem venerit ille Spiritus veritatis*, inquit Chriſtus, *docebit vos omnem veritatem. Joann. 16. 13.* Quaſi dicat: Spiritus Sanctus erit veluti lingua quædam interna, quæ in cordibus veſtris loquetur, voſque omnem docebit veritatem: non omnem ſimpliciter, & abſolute, ut exponit Doctor Angelicus; ſed omnem veritatem ad ſalutem neceſſariam.

S. Bernardus ait, quod quatuor ſpiritus in hominis corde loquantur, *ſpiritus mundi, ſpiritus carnis, ſpiritus diaboli, ſpiritus Dei*. Cum in corde vocem audis, quæ ad vanitatem, ad ſuperbiam, & ad ambitionem te vocat; hic eſt mundi ſpiritus, qui in corde tuo loquitur: *Spiritus mundi*. Cum internam audis vocem, dicentem tibi, ut carnis voluptatibus indulgeas, corporis deliciis incumbis, pravis carnis affectibus acquieſcas, hic eſt carnis ſpiritus: *Spiritus carnis*. Cum in te excitantur motus odii, iracundiæ, & vindictæ; ecce ſpiritum dæmonis: *Spiritus diaboli*. Sed tandem cum intus audis vocem, bona & ſancta ſuadentem, de faciendis & vitandis te monentem, ad virtutes ſectandas te moventem, teque de rebus ſalutis erudientem; ecce *ſpiritum Dei*: ecce linguam Spiritus Sancti. Sed ſi Spiritus Sanctus in corde hominis juſti ſit lingua divina quæ eum erudit; *eſt etiam ignis ſacer, qui eum accendit.*

2. Verum eſt, inquit S. Bernardus, quod Spiritus Sanctus ſit lingua, quæ hominem juſtum erudit; ſed eſt etiam ignis, qui cor ejus accendit & inflammat: *Intellectum illuminat, & affectum inflammat.*

Quære a S. Leone, Summo Pontifice; quis ſit Spiritus Sanctus? reſpondebit, eſſe ſacrum ignem, qui juſtorum corda ardenter inflammat: *Spiritus ſanctus ſacrata pectora fervore accendit. S. Leo hom. 13. de pœnit.* Vides hominem, qui propter Deum terrena cuncta deſpicit, qui mundi gloriam pro nihilo habet, qui omnes ſæculi divitias veluti ſtercora, omnes ejus delicias tamquam ſupplicia, omneſque honores ut dedecus inſpicit; Spiritus Sancti igne ille exardeſcit. Vides illum, qui nil niſi amorem ſacrum ſpirat, qui ſemper de Deo cogitat, de Deo loquitur, & ad Deum amoris effectu fertur; illius cor Spiritus Sancti igne inflammatur. Vides alios, qui propter Deum corpora feris diſcerpenda, flagellis dilanianda, rotis terebranda, ignibus cremanda, & omnibus ſuppliciis torquenda exponunt; eorum ſane corda Sancti Spiritus igne uruntur. Sed nonne quandoque cor tuum ad virtutem ſectandam pronum, promptum ad ea facienda quæ ſalutis ſunt, Deique amore accenſum experiris? Internus ille ardor eſt a Spiritu Sancto, qui ignis eſt corda juſtorum accendens. *Spiritus ſanctus ſacrata pectora fervore accendit.* Sed Spiritus Sanctus eſt tandem *ventus cæleſtis, qui juſtum ad virtutem excitat.*

3. Hodie Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit cum ſpiritu, ſeu vento valido & vehementi; non ſolum ad deſignandum, quod ſicut ventus aerem purgat; ſic Spiritus Sanctus animam purgat a peccatis. Sed etiam ut diſcamus, quod ſicut ventus naves impellit; ita & Spiritus Sanctus juſtorum corda ad bona opera facienda, & ad virtutem ſectandam excitat.

Hoc vento cientur & aguntur viri Juſti. *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei. Rom. 8. 14.* Juſti autem hoc Spiritus Sancti vento aguntur, non ut ipſi nihil agant, ſed ut agant, & virtutis operibus ſedulo vacent. *Juſti*, inquit D. Auguſtinus, *ſpiritu Dei aguntur ut agant, non ut ipſi nihil agant. Aug. lib. de corrept. & grat. c. 2.* Juſti hoc Spiritus Sancti vento aguntur, non ut ſopiantur, non ut deſides, ignavi, inertes, & ad bona opera inepti fiant; ſed ut ad charitatis, humilitatis, patientiæ, & omnium virtutum opera excitentur & impellantur.

Scitis, quæ & quanta operaretur Sampſon. Jam enim leones, quaſi hœdos, in fruſta diſcerpebat; nunc funes, quibus ligabatur, facile ſolvebat, & quaſi ſtupæ filum rumpebat; nunc, arrepta una aſini maxilla, hoſtes profligabat, & non minus quam mille occidebat. Nunc utraque manu apprehenſis & concuſſis columnis, quibus innitebatur domus, eam evertebat, aliaque multa portentoſa faciebat; ſed antequam talia operaretur, irruebat in eum Spiritus Domini, qui eum ad talia agenda impellebat & adjuvabat: *Irruit Spiritus Domini in Sampſon. Judic. 14. & ſeq.* Sic cum juſti in mundo valedicunt, terrena cuncta abjiciunt, ſe Deo per vota Religionis conſecrant, ardua humilitatis, charitatis,

vel

Digitized by Google

vel aliarum virtutum opera faciunt, hoc agunt flante Spiritus Sancti vento, qui eos ad talia excitat.

Ecce quis ſit Spiritus Sanctus in ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio, in Eccleſiæ ſinu, & in hominis juſti anima. Supereſt ſolum, ut quiſque Spiritum Sanctum ad ſe attrahat: quid enim prodeſſet noſſe, quis ille ſit; ſi eum ad nos non attrahamus, ut in nobis operetur? Divinum ergo hunc Spiritum ad vos trahere ſatagite, & ut eum ad vos attrahatis, videte quomodo illum Apoſtoli ad ſe traxerint.

Apoſtoli puri erant, & puritate ſua Spiritum Sanctum ad ſe traxerunt, ſic & vos purificate corda veſtra, & ut Spiritum Sanctum ad vos trahatis, animas veſtras ab omni mortalis peccati inquinamento mundate, quia Spiritus ille bonus non habitabit in eo corpore ſubdito peccatis. Ipſi etiam *erant omnes pariter in eodem loco*, *act.* 2. eorumque unum erat cor, & una anima, ſic, ut ad vos Spiritum Sanctum alliciatis, omne odium deponite, injurias condonate, proximum diligite. Ipſi tandem erant perſeverantes in oratione, ſic, ut Spiritum Sanctum ad vos vocetis, orate attente, orate ferventer, orate perſeveranter, & Deus, qui dat Spiritum ſuum bonum debite poſtulantibus, dabit vobis Spiritum Sanctum, qui ad vos per gratiam ſuam veniet, & qui vos ad cæleſtia regna perducet. *Amen.*

## DOMINICA TRINITATIS. DE SANCTISSIMA TRINITATE.

*Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* 1. Joann. 5. 7.

Non hodie de ſanctis Martyribus & Confeſſoribus, non de Apoſtolis & Evangeliſtis, non de Angelis & Archangelis, vel de alia aliqua creatura; ſed de altiſſimo ſanctiſſimæ Trinitatis Myſterio inſtituendus eſt ſermo. Arduum ſane opus, ad quod digne pertractandum non Hieronymus, non Auguſtinus, non Principatus, non Poteſtates; immo nec ipſi Seraphini idonei, & ſufficientes ſunt; *Vox ſilet; non mea tantum, ſed etiam Angelorum. Ambr. l. de fide c. 5.*

Heu! ſi Doctores celeberrimi, famoſiſſimi Concionatores, ac ipſi ſancti Eccleſiæ Romanæ Patres, de Joanne Baptiſta, de Petro, Bartholomæo, & aliis viris ſanctis dicere pertimuerunt, quis adorandum ſacroſanctæ Triadis myſterium digno proſequeretur eloquio? Meam hac in parte fateor infirmitatem; ac libenter a tanta materia pertractanda abſtinerem. Sed quia Concionatores parati eſſe debent ad reddendam rationem de ea, quæ in nobis eſt, fide, ſtylo humili, & omni quo potero ordine, de arcano hoc myſterio diſſerere conabor.

Vana curioſitate ductus, in ſanctiſſimæ Trinitatis Sanctuarium non intrabo, ut ibi recondita & abſtruſa nimis arcana ſcrutari pertentem, quia haud dubie opprimerer a gloria. Sed fidei principiis innixus, ea de Trinitate dicam, quæ ad Dei gloriam, myſterii notitiam, & auditorum utilitatem conferre cenſebo. Quem finem ut conſequi valeam, rogemus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ut mihi faveant, mediante Dei Genetricis interceſſione, &c. *Ave.*

Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti myſteria incomprehenſibilia, credibilia, & adoranda ſunt. *Incomprehenſibilia* quidem: quia humana mens concipere non valet, quomodo Verbum divinum, ſine ulla majeſtatis ſuæ jactura, ſine ulla ſui mutatione, ac idem in ſeipſo manens, humanam naturam aſſumere, naſci, pati, & reſurgere dicatur. *Credibilia*, quia licet hæc humanam rationem ſuperent; nil tamen contra rectam rationem continent, ac tot oraculis, tot miraculis, totque teſtimoniis ſunt confirmata, ut credibilia facta ſint nimis; nec aliquis homo (ſi ſanæ mentis ſit) de iis dubitare poſſit. *Adoranda*; quia in his omnibus nobis proponitur Verbum incarnatum, ſeu Chriſtus Dei Filius, quem non ſolum homines, verum & Angeli adorare debent; *Adorent eum omnes Angeli Dei. Heb. 1. 6.*

Quod autem de præfatis myſteriis jam diximus, eodem, vel potiori jure de altiſſimo Trinitatis myſterio dicenda ſunt: iſtud enim myſterium præ omnibus aliis incomprehenſibile videtur, non minus quam alia, credibile eſt, ac ſimul cum aliis eſt adorandum. Iſtud myſterium ita incomprehenſibile eſt, ut ab humana & Angelica mente nullo modo comprehendi queat, ita eſt credibile, ut de eo nullus dubitare poſſit; ita adorandum eſt, ut ſupremus latriæ cultus ei denegari nequeat. Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium eſt: 1. Incomprehenſibile: 2. Credibile: 3. Adorandum. En tres hujus concionis partes.

### PRIMA PARS.

*Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium eſt incomprehenſibile.*

Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium admirabile, ineffabile, & incomprehenſibile eſſe docet ſanctus Auguſtinus, dicens: *Trinitas ſupermirabilis, ſuperenarrabilis, & ſuperincomprehenſibilis. in Soliloq. c.* 31. Incomprehenſibile quidem Trinitatis divinæ myſterium, quia ſi Deus unus, quomodo trinus? Si trinus in Perſonis, quomodo unus in natura? Si Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt unum & idem, quomodo Pater generat, & non Filius, quomodo Pater & Filius producunt, & non Spiritus Sanctus? Hæc ſane ſunt incomprehenſibilia. Sed dicat quis, an concipiat, quomodo eadem divinitas in tribus Perſonis ſubſiſtat, & tamen tres illæ Perſonæ, non tres, ſed unus ſint Deus? Quomodo Pater non ſit unus cum Filio, nec Filius unus cum Spiritu Sancto, licet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum ſint? Quomodo Pater Filium, & Pater cum Filio Spiritum Sanctum producat, & tamen Pater Filio, & Filius Spiritu Sancto non ſit antiquior? Hæc omnia humanæ mentis aciem ſuperant.

Velim, ut omnes Philoſophorum Academiæ, & ſubtiliſſimi quique Theologi altiſſimum ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium ſcrutentur, meditentur, ſpeculentur; numquam concipient, quomodo fieri poſſit, ut cum Patris, Filii, & Spiritus Sancti idem ſit intellectus, hic tamen intellectus ſit in Patre fæcundus,

dus, quia generat Filium: in Filio vero & Spiritu Sancto ſit ſterilis: quia Filius & Spiritus Sanctus alium Filium per intellectum generare non poſſunt. Quod dixi de intellectu, de voluntate pariter dicendum eſt; quomodo ſcilicet fieri poſſit, ut voluntas, quæ in tribus Perſonis eadem eſt, in Patre & Filio ſit fœcunda: quia per voluntatem producunt Spiritum Sanctum: ſit autem ſterilis in Spiritu Sancto, quia hic non poteſt alium Spiritum Sanctum producere. Hæc & alia multa in ſanctiſſima Trinitate latent myſteria, quæ ab hominibus explicari & concipi nequeunt; Trinitas eſt *ſuperincomprehenſibilis*.

Quodlibet divinitatis myſterium eſt quaſi abyſſus magna, quam humana mens ſolo lumine naturali vix penetrare poteſt: *Judicia tua abyſſus multa. Pſal. 35. 7.* Sed cum altiſſimum ſanctæ Triados myſterium contemplari volo, nil niſi abyſſos multas, eaſque impenetrabiles in eo intueor; abyſſos video in Patre, abyſſos in Filio, abyſſos in Spiritu Sancto. *De Patre* dicimus, quod producat Filium: ſed quis explicet quomodo illum producat eundem in natura individua? Quomodo ei eandem numero naturam, non tamen perſonam ſuam communicet? Quomodo, cum Pater ſit infinite fœcundus, alium Filium producere nequeat? Ecce abyſſos impenetrabiles. *De Filio* certum eſt, quod a Patre ſit genitus, ſed quis concipiat quomodo a mente fœcunda Patris generetur? Quomodo Genitori ſit coæternus? Quomodo ipſe alium Filium gignere non poſſit? Hæ ſunt abyſſi impenetrabiles. *De Spiritu ſancto* docet fides, quod a Patre & Filio procedat; ſed quis capere valeat, quomodo Spiritus Sanctus non poſſit dici Filius Patris, a quo productus eſt? Quomodo ipſe generare & ſpirare non poſſit, licet non minus potens ſit, quam Pater & Filius? Quomodo ipſe, cum ſit æternus, ab illis ſibi coæternis procedat? Sicut enim homo oculis corporeis obviam ſibi terræ ſuperficiem videt; ſed videre non poteſt abyſſos multas in terræ ſitu reconditas, ita homo, mentis ſuæ oculo rimari quidem poteſt multa naturæ ſecreta, Dei etiam exiſtentiam & unitatem ſolo lumine naturali cognoſcere valet: ſed abyſſos in ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio reconditas penetrare nequit: non eſt ei poſſibile illas ſolo naturæ lumine concipere. *Impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis pervenire. D. Th. 1. p. q. 32.*

Scio, quod nonnulli Doctores multis utantur ſimilitudinibus, ſymbolis, comparationibus & figuris, ut aliquam ſanctiſſimæ Trinitatis notitiam mentibus noſtris ingerant. *Aliqui* ad hunc finem utuntur comparatione ſolis, in quo tria conſiderant, ipſam ſcilicet ſolis ſubſtantiam, radium, & calorem, ac dicunt, quod ſicut ſol a nulla creatura factus eſt, ita Pater Æternus a nullo procedit, ſicut radius a ſole oritur, ita Filius a Patre generatur, ſicut calor a ſole & radio progreditur, ita Spiritus Sanctus a Patre & Filio procedit. *Alii* utuntur ſimilitudine fontis; ac dicunt, quod ſicut fons generat rivulum, ita Pater generat Filium; quod ſicut fons & rivulus faciunt ſtagnum, ita Pater & Filius ſpirant Spiritum Sanctum: quod tandem ſicut in fonte, rivulo, & ſtagno eſt eadem aqua, ita in Patre, Filio, & Spiritu Sancto eſt eadem ſubſtantia. D. Auguſtinus, ad explicandam Sanctiſſimam Trinitatem, utitur analogia animæ rationalis, & trium potentiarum ejus: (Sicut, inquit, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tres Dii, ſed unus Deus, habens tres Perſonas; ita & anima eſt intellectus, & anima eſt voluntas, & anima eſt memoria: non tamen tres animæ, ſed una anima tres habens dignitates & facultates. *S. Auguſt. lib. 11. de Civit. c. 28.*

Hæ quidem, & aliæ plurimæ ſimilitudines, quæ adduci ſolent, Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium aliquo modo explicant: ſed non perfecte: illud quodammodo nobis aperiunt, ſed non patefaciunt: aliquid lucis animis noſtris afferunt: ſed non perfectum diem. Sicut enim nocte ſerena ſingulæ ſtellæ, firmamento affixæ, aliquam lucem habent, non tamen tantam, ut noctem tollant, & diem faciant; ita quælibet ex iis ſimilitudinibus aliquam animis noſtris lucem ingerit: non tamen tantam, ut per eam Trinitatis myſterium clare cognoſcamus, & perfecte concipiamus: illud enim ratione naturali comprehendere nobis eſt impoſſibile: *Impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis pervenire.*

Nec de hoc dubitabit, qui ſciet, nec ipſos Angelos altiſſimum Trinitatis myſterium comprehendere, non Raphael, non Michael, nec ſupremi quique Seraphini illud perfecte capiunt. Trinitatem indeſinenter contemplantur, laudant & adorant: ſed Trinitatem non comprehendunt; quia ſola Trinitas ſeipſam integre cognoſcere valet, ejuſque cognitio exſuperat omnem intellectum creatum, etiam Angelicum: *Soli tibi Trinitas integre nota es, ſupereſſentialiter exſuperans omnem intellectum, etiam Angelorum. Aug. in Soliloq. c. 31.* Verum eſt, quod ſupernæ illæ intelligentiæ, mentis acie perſpicaciſſimæ, ac beatifico lumine illuſtratæ, Trinitatem continue intueantur, & clariſſime conſpiciant: non tamen illam comprehendunt. Sicut enim qui in maris littore conſiſtit, mare clare intuetur, inſurgentes fluctus, varioſque ejus motus adnotat; Oceanum tamen viſu ſuo non complectitur: ita Angeli Trinitatem aſſidue vident, eam facie ad faciem contemplantur, in ea perfectionum oceanum advertunt, illam tamen mente comprehendere non poſſunt; quia Trinitatis myſterium Angelicum intellectum ſuperat, & ipſis Angelis eſt incomprehenſibile.

Sed heu! quanto minus tantum myſterium comprehendent homines infirmi, homines ignari, qui in mediis ignorantiæ tenebris ambulant? Certe de tanto myſterio judicant homines, ſicut cæcus de coloribus. Dic homini a nativitate cæco, corvum eſſe nigrum, cycnum eſſe album, & ignem eſſe rubrum; ſciet ille, quod corvus ſit niger, cycnus albus, & ignis ruber: ſed non concipiet, quid ſit eſſe album, nigrum, & rubrum: nec aliquam horum colorum ideam habebit. Sic cum quis dicit, in Divinitate eſſe tres Perſonas coæternas & coæquales, quarum una eſt Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus: quarum una non producitur & producit, alia producitur & producit: & alia producitur & non producit, & tamen quod trium illarum Perſonarum una eſt natura; ea capere non poſſumus: hæc mentes noſtras tranſcendunt.

Nec mirum, ſi altiſſimum Sanctiſſimæ Triados myſterium homo capere non poſſit, cum nec terrena, corporea, & ea quæ ſub ſenſu cadunt, capere valeat. Dic, o Philoſophe: dic, o ſciole, qui Trinita-

Digitized by Google

nitatis myſterium penetrare ſatagis, dic, ſi capias, quomodo Baſiliſcus ſolo intuitu hominem occidat? Quo pacto Salamandra in igne vivat, & illæſa maneat? Quomodo Remora magnam navim, plenis velis volantem, in medio motu ſubito ſiſtat? Qua virtute magnes ferrum ad ſe trahat? Qua arte araneæ ſua tela conficiant? Sed quis hactenus ventorum naturam, maris æſtum, & varios cælorum motus perfecte novit? Ad faciliora deſcendo: noſtine ex qua materia ſit compoſitus oculus unius aviculæ; quot in eo ſint tunicæ; quot humores, & quomodo objecta ſibi obvia videat? Noſtine, ex quo conſtet unius apis ala, an ex partibus, ac ex punctis? Hæc & alia innumera, quæ trita, & nullius momenti videntur, mens humana concipere nequit: quomodo ergo concipiet altiſſimum, & reconditum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium? Hoc ei eſt impoſſibile. Sicut enim impoſſibile eſt, quod totum cælum dextera mea comprehendam, quia manus mea infinite minor eſt cælo: ita impoſſibile eſt, ut mens humana, cujus notitia exigua eſt & limitata, altiſſimum, æternum, profundum, & immenſum Trinitatis myſterium comprehendat. Sed licet hoc myſterium ſit incomprehenſibile: *eſt tamen credibile, & firmiter credendum.*

## SECUNDA PARS.

*Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium eſt credibile.*

Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium non nobis credibile videbitur, ſi ſolas creaturas in hoc mundo exiſtentes interrogemus, quia creaturæ Deum quidem exiſtere prædicant, eumque infinite ſapientem, bonum & potentem eſſe ſuadent: ſed eum trinum eſſe non arguunt. Sicut cum aliquam cernimus ſtatuam egregie elaboratam, ex ejus pulchritudine & perfectione facile inferimus, hominem, a quo facta eſt, eſſe peritum & induſtrium; non tamen inde cognoſcimus, an ſit nobilis vel ruſticus, an audax vel ignavus; ita cum mundi creaturas aſpicimus, cum cælum, ſolem, ſtellas, & alia Dei opera contemplamur, ex his Deum, a quo hæc facta ſunt, eſſe omnipotentem, & infinite ſapientem, & facile judicamus, & credimus; ſed hæc nullo modo indicant, nec ad credendum inducunt, Deum eſſe trinum, & tres in Divinitate eſſe Perſonas.

Sanctiſſimæ quidem Trinitatis myſterium non fit credibile contemplatione creaturarum, quæ a Deo factæ ſunt; ſed non fit etiam credibile per ſenſuum noſtrorum operationem: quia ſenſus noſtri non de ſpiritualibus, quæ ſunt extra ſphæram activitatis eorum; ſed ſolummodo de coloribus, de rerum corporearum figuris, & de aliis accidentibus externis judicant. Quare, ſicut Abraham, Deo unigenitum ſacrificaturus, ſervos ad montis radices reliquit *Geneſ.* 22. ita ſi aſcendere velimus in montem contemplationis, ad indagandum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, non adducendæ, ſed penitus ablegandæ omnes ſenſuum operationes.

Sed quid de intellectu noſtro? Poteritne altiſſimum Sanctæ Triadis myſterium inveſtigare, ac facere ut nobis credibile fiat? Certe ſi intellectus noſter per ſe ſolum abſque auxilio ſupernaturali tantum myſterium ſcrutari ſuſcipiat, in vanum laborabit, & opprimetur a gloria. *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria. Proverb.* 25. 27. Sicut enim qui fixis oculis ſolem aſpicere pertentaret, non perſpicacior, ſed forte cæcus evaderet; ita qui inacceſſum Sanctiſſimæ Trinitatis lumen ſola ratione naturali contemplaretur, majorem tanti myſterii notitiam non aſſequeretur; ſed potius in majorem ejus ignorantiam, & forte in errorem deveniret; quia ut ait S. Gregorius Nazianzenus, quanto magis ſolo lumine naturali Trinitatem agnoſcere pertentamus, tanto minus eam agnoſcimus; *Quantum Deus percipitur, tantundem ſe ſubducit. Nazianz. in Apol.*

Si autem nec per creaturas, nec per ſenſus, nec per ſolam intellectus noſtri operationem nobis credibile fiat Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, a quo fiet credibile? a Dei utique revelatione, qua poſita, non ſolum hoc, ſed & omnia myſteria credibilia, certiſſima, & abſque ulla hæſitatione credenda ſunt.

Quod ut cuique perſpicuum fiat; dic, quæſo, nonne verum eſt, quod certo credas, eſſe aliquam urbem, quæ Roma dicitur? Hoc credis: ac ita credis, ut nullo modo de hoc dubites, nec in controverſiam vocare hoc auderes, ne ſtultus videreris. Sed quare credis exiſtere Romam, quam numquam vidiſti? Hoc credis propter revelationem hominum: hoc credis, quia omnes homines, dicunt, Romam eſſe. Unde, poſita hac hominum revelatione, ſic tuus ratiocinatur intellectus. Viri ſapientes, viri non mendaces, ac fere omnes homines dicunt, Romam eſſe: ergo certiſſime credo, Romam exiſtere.

Optima quidem hæc videtur ratio. Sed ſi credas hominibus dicentibus, Romam eſſe, cur non credes Deo, qui eſt ſuprema Veritas, & cui fallere & falli impoſſibile eſt? Cur, inquam, non credis Deo revelanti & dicenti, tres in Divinitate eſſe Perſonas? Certum & evidens eſt, quod Deo magis quam hominibus credendum ſit. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.* 1. *Joann.* 5. 9. Quare ſi Deus revelaverit, tres in divinis eſſe Perſonas, non ambigendum, non dubitandum, ſed hoc firmiter credendum. Inquiramus ergo, an Deus hoc revelaverit, evolvamus ſacram Scripturam, quæ eſt Liber, quo Deus hominibus loquitur, pervolutemus eam, ut ſciamus quid Deus de Sanctiſſima Trinitate dixerit.

In ipſo ſacræ Scripturæ principio legitur, quod cum Deus primum hominem creare voluit, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Geneſ.* 1. 26. Quod indicat pluralitatem Perſonarum; ſi enim unica fuiſſet Perſona, non dixiſſet, faciamus ad ſimilitudinem noſtram, ſed *faciam ad ſimilitudinem meam*. Quod indicat etiam unitatem naturæ: ſi enim in Deo plures eſſent naturæ, dixiſſet: *ad imagines & ſimilitudines*; & non *ad imaginem & ſimilitudinem*.

Apud Iſaiam legitur, quod Angeli clamant, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Iſa.* 6. 3. Per hoc quod dicitur ter, *Sanctus*, indicatur Perſonarum Trinitas; & per hoc quod dicitur ſemel, *Dominus*, intelligitur unitas naturæ.

Sanctiſſima etiam Trinitas in Chriſti baptiſmo clariſſime eſt indicata; ibi enim audita eſt vox Patris, dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus. Maxim. homil.* 7. *de Epiph.* Ibi Filii Perſona incarnata ade-

Digitized by Google

aderat, & ibi Spiritum Sanctum nivea columba demouſtrabat. *Trinitas ſe hodie homini revelavit. Pater auditur in voce, Filius manifeſtatur in homine, Spiritus Sanctus dignoſci ur in columba.*

D. Thomas ait, quod in Transfiguratione tota Trinitas apparuit. *Pater* in voce, *Filius* in homine, *Spiritus ſanctus* in nube clara. *D. Th. 3. part. q. 45. art. 4.* Indicat autem nubes Spiritum Sanctum: quoniam inſtar fulgidæ nubis hominem illuminat, tegit, & obumbrat.

Clarius manifeſtatur myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ipſiſſimis Chriſti verbis, qui vult ut Diſcipuli baptizent, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: Matth. 28. 19.* ecce tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonas diſtincte nominatas. Sed hoc myſterium apertius declarat Sanctus Joannes Evangeliſta, dicens: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. 1. Joann. 5.* Quibus verbis clare explicat Trinitatem Perſonarum. Sed ſubdit: *& hi tres unum ſunt:* quo indicatur naturæ unitas. Ac proinde, ecce Deum unum & trinum, unum in natura, & trinum in Perſonis. Quid clarius? & quis de revelatione hujus myſterii dubitare poteſt? Nemo equidem. Et ſi quis de hoc ambigeret, in teſtes adduceremus Concilia plurima, quæ de fide determinarunt, hoc a Deo eſſe revelatum; in teſtes vocaremus Apoſtolos, qui hoc myſterium, tamquam a Deo revelatum, ubique prædicaverunt; & innumeros Martyres, qui ad hujus myſterii veritatem ſuſtinendam proprium ſanguinem glorioſe fuderunt: quare cum Deus hoc myſterium revelaverit, non ſolum credibile, ſed etiam firmiter credendum eſt.

Credimus, eſſe Hiſpaniam, eſſe leones & elephantes; & hæc ita credimus, ut nullo modo de iis dubitemus: cur ea credimus, quæ numquam vidimus? Credimus, quia homines dicunt ſic eſſe. Sed ſi credimus hominibus dicentibus eſſe Hiſpaniam, eſſe leones, & elephantes; cur non magis credemus Deo revelanti, & dicenti, tres in Divinitate eſſe Perſonas? Certe magis Deo, quam hominibus credendum eſt: *Si homini credimus, credamus magis Deo. S. Greg. l. 4. Dial. cap. 2.*

Deo ſane hoc myſterium revelanti credendum: ac quiſque ei dicere debet: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Marc. 9.* Ei quiſque dicat: loquere, o Veritas æterna: loquere, quia audit ſervus tuus: loquere, quia firmiter credo quidquid dixeris. Adorandum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium Eccleſiæ tuæ revelaſti: *Credo Domine.* Omnibus fidelibus tuis præcipis ut credant, tres divinas in una eſſentia eſſe Perſonas: *Credo Domine.* Vis, ut credamus, Patrem eſſe ingenitum, Filium a Patre eſſe genitum, & Spiritum Sanctum a Patre & Filio eſſe productum: *credo Domine.* Vis, credamus, Patris, Filii & Spiritus Sancti eandem eſſe ſapientiam, eandem potentiam & bonitatem: *Credo Domine.* Ac licet intellectus meus concipere nequeat, quomodo ea ſint, vel fiant; ea tamen firmiter credo, quia hæc ita eſſe revelaſti. Senſus mei, ratio mea, ac perfectiones quas in creaturis intueor, Trinitatis myſterium nullo modo mihi aperiunt: ſed tu, qui falli & fallere non potes, illud me docere voluiſti: quare tibi plus quam oculis, plus quam rationi meæ, & plus quam omnibus creaturis credo. At non ſolum credibile & credendum eſt Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, *verum & adorandum.*

## TERTIA PARS.

*Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium eſt adorandum.*

SI altiſſimum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium mente comprehendere non valeamus; illud ſaltem religioſo, & ſummo cultu venerari debemus. Si tanti myſterii profunditatem & majeſtatem intellectus noſter concipere nequeat; ſaltem & intellectum, & voluntatem, & totos nos componere debemus, ut Sanctiſſimam Trinitatem humiliter adoremus.

Licet quis totam unius fluminis aquam bibere nequeat: ex ea tamen bibit quantum ei neceſſarium eſt: licet quis fixis oculis ſolem intueri non poſſit, ejus tamen luce utitur quantum ei commoda eſt. Ita, licet Sanctiſſima Trinitas lucem habitet inacceſſam, & a mente noſtra concipi nequeat: illam tamen humiliter venerari debemus: & quamdiu in hoc mundo vivimus, quiſque in terris imitari debet cæleſtes Spiritus, qui in Cælis indeſinenter ſanctiſſimam venerantur Trinitatem, ac inceſſabili voce proclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.*

Idola ſibi olim fabricabant Judæi, quæ ut Deos ſuos colebant, & adorabant: unus Veneri, Jovi alter, Baccho multi, & multi diis aliis incenſa offerebant. Quod ſtricte prohibuit Deus, dicens: (Non habebis Deos alienos coram me, Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra: *Non adorabis ea, Exod. 20. 4.*) Hoc Dei præceptum religioſe & fideliter ſervant Chriſtiani: apud illos enim non ſunt ſculptilia. Hi lignea & marmorea non adorant idola; ſed proh dolor! unus avaritiæ, alter concupiſcentiæ, & alter ſuperbiæ idolum adorat. Eſt miſeranda, maligna, & diabolica quædam Trinitas, quæ a S. Joanne vocatur, *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: 1. Joann. 2. 16.* hi ſunt Dii, quos adorant multi. Et ut loquitur Poeta: *Hæc tria pro trino Numine mundus habet.*

O quam inſenſati, & quam maligni, qui hujuſmodi Deos venerantur. Non enim illis, ſed ſoli Deo *omnis honor & gloria. Pſalm. 65. 4.* Sicut Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum in Cælo adorant omnes Angeli; ita & in terra omnes homines Deum trinum & unum adorare debent: *Omnis terra adoret te, Deus, & pſallat tibi.*

D. Paolus ait, quod Deus ab omni creatura eſt in æternum adorandus: quia ex ipſo, & per ipſum omnes creaturæ factæ ſunt: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; ipſi gloria in ſæcula. Rom. 11. 36.* Quæ verba de Sanctiſſima Trinitate exponens Doctor Angelicus, ait, totam Trinitatem in æternum a cunctis creaturis eſſe adorandam; quia ab ipſa, & per ipſam omnia creata ſunt; *Ex eo quod ex ipſa, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, debetur ei honor & reverentia, & ſubjectio a tota creatura, idque in omni æternitate.* Veneranda quidem, & in æternum adoranda ſanctiſſima Trinitas; ac quidquid unquam cultus, & venerationis ſanctis Virginibus, Confeſſoribus, Martyribus, Apoſtolis, Dei Genitrici Mariæ, & Chriſti humanitati

a nobis

Digitized by Google

a mortalibus ubique terrarum uſquam exhibitum eſt, id omni modo longe excellentiori Sanctiſſimæ Triadi debetur; non ſolum quia ipſa eſt primum principium, a quo ſunt omnia; ſed etiam propter infinitam ejus magnitudinem. Si enim res veneramur & adoramus propter excellentiam, quæ in iis elucet; Trinitatem haud dubie ſummo latriæ cultu adorare debemus; cum ejus excellentia ſit infinita, nec magnitudinis ejus ullius ſit finis; *Magnitudinis ejus non eſt finis.*

Sanctiſſimam Trinitatem eſſe adorandam, non eſt qui non fateatur. Sed heu! multi non eam adorant; quin contra, in eam blaſphemias proferunt: non eam adorant; quin contra in eam peccant, eamque multis criminibus offendunt. Vel dicamus, quod multi eam quidem adorant; ſed eam adorant ſicut hypocritæ, & Samaritani Deum adorabant.

1. Hypocritæ labiis, & ſignis exterioribus, non autem corde, & ſpiritu Deum adorabant, ideo de iis conqueritur Deus, dicens: *Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me; cor autem ejus longe a me. Iſaiæ 29. 13.* Quod etiam ſui ævi hypocritis exprobravit Chriſtus his verbis: *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe eſt a me. Matth. 15. 7.* O quales adoratores, qui Deum labiis, affectata vultus compoſitione, & exquiſitis externis quibuſdam ſignis ſolummodo adorant! Illos imitantur nonnulli Chriſtiani, quorum corda vanitati, voluptati, & omni vitiorum generi ſunt conſecrata; Deumque labiis, verbis, & externis quibuſdam ſolum operibus honorant. O N. N. *veri adoratores adorabunt in ſpiritu, & veritate. Joann. 4. 25.* Deus enim, qui ſpiritus eſt, in ſpiritu coli, & adorari vult. Quare non adoremus Deum inſtar hypocritarum, qui illum labiis ſolummodo adorant. *Sed non eſt etiam adorandus inſtar Samaritanorum.*

2. Samaritani Deum quidem colebant; ſed ſimul cum Deo vero deos alienos, & idola ſua adorabant; *Cum Dominum colerent, diis quoque ſuis ſerviebant juxta conſuetudinem gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam.* Ecce quomodo Deum verum colunt, ut & diis alienis ſerviant. Deum verum colere, & adorare profitentur; erga illum varios actus fidei, ſpei, amoris, & reverentiæ exhibent; ſed apud ſe habent alios deos quos venerantur. Unus habet in domo concubinam, quam plus quam Deum diligit; alius habet divitias plurimas, quibus, & non Deo, cor ſuum conſecrat; aliorum deus venter eſt, & aliorum deus eſt ambitio, vel concupiſcentia. O malignos adoratores, qui ſimul cum Deo vero, diis aliis ſervire volunt! Unus eſt Deus, quem ſolum ut Deum adorare, & cui ſoli ſervire debemus; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Matthæi 4. 7.*

O N. N. ne vobis deos alienos faciatis, ſed Deum unum in eſſentia, & trinum in Perſonis religioſo cultu adorare; per pios fidei, ſpei, charitatis, religionis, & adorationis actus eum ſæpe colite. Illum indeſinenter in Cælo adorant Angeli; eum ſimiliter in terra, quantum fas erit, ſæpiſſime adorate. Benedicite Patrem & Filium cum Sancto Spiritu: laudate, ſuperexaltate, & adorate eum in ſæcula.

Inſtituit Summus Pontifex Damaſus, ut in Pſalmorum recitatione, ſive in choro publice, ſive in privatis Officiis, pro cujuslibet Pſalmi coronide, in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, hæc verba recitarentur; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Brevis oratio, ſed quæ plurimis viris piis ita familiaris extitit, ut illam continue ore verſarentur. Brevis oratio, quam moriens Ven. Beda, cycnea voce protulit, & quam, ſive in vita, ſive in morte, magno cordis affectu quiſque ſæpe proferre deberet. Quid enim æquius, quam ſæpiſſime adorare eum, a quo habemus omnia, & cui debetur omnis honor & gloria? Quid glorioſius, quam ſanctos imitari Angelos, qui aſſidue Deum unum & trinum laudant, & reverenter adorant? Quid utilius, quam per pios religionis, & adorationis actus Deum honorare, & propitium reddere? Sed quid facilius, quam Deum laudare & adorare? Nonne quiſque internos adorationis actus elicere poteſt? Nonne facile eſt cuilibet, etiam mulierculæ, quantum placuerit, dicere, & iterare hæc verba; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto?*

Nonnulli viri ſancti, ut crebrius Sanctiſſimam Trinitatem adorent, recitare ſoliti ſunt Roſarium tres habens decades, & in quolibet ex tribus majoribus granis dicunt; *Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu, laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula:* in quolibet vero ex minoribus dicunt: *Gloria Patri, & Filio, &c.* Optarem, ut Roſarium hoc ſingulis diebus recitarent omnes: aut ſaltem, ut frequentibus fidei, religionis, amoris, & adorationis actibus Sanctiſſimam Trinitatem venerarentur. Sed o utinam debito cultu eam ego proſequar! Utinam omnia & ſingula mea opera ad ejus gloriam dirigam! O beata Trinitas, da ut in omnibus, per omnia, & ubique meminerim tui, diligam te, adorem te, ſuſpirem ad te, ac poſt mortem poſſideam te in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

## DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

## DE COENA MAGNA:

### Quam Deus hominibus facit.

*Homo quidem fecit cœnam magnam.*
Luc. 14. 16.

ASſuerus Rex, qui ſuper centum viginti ſeptem Provincias regnabat, *ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ ſuæ, Eſther 1.* tertio imperii ſui anno magnum ſtruxit convivium, ad quod Perſarum, & Medorum Principes, ac Præſides, & Magiſtratus vocavit: quibus in loco amœniſſimo, in vaſis aureis mire elaboratis, cibos exquiſitiſſimos, & vinum magnificentia regia dignum, omni qui deſiderari poterat ordine, miniſtrari curavit, illudque convivium centum & octoginta diebus, ſeu medio anni tempore duravit.

Miror Regis illius magnificentiam, ſed quid in infinitum majus, & magnificentius in Deo, omnium Re-

gum Rege, intueor! Deus enim, qui omnibus cæli, terræque Provinciis longe lateque dominatur, cujus potentia nullis terminis circumſcribitur; ut gloriam, potentiam, liberalitatem, benevolentiamque erga homines ſuam oſtendat, convivium, quo nullum majus, nullum magnificentius, nullum mirabilius concipi poteſt, facit in Cælo, facit in Eccleſia, & facit in toto terrarum orbe. Hic in quolibet ex illis locis facit vere cœnam magnam, ad quam multos vocat, ut videbimus, &c. *Ave*.

Licet unicus ſit mundus, qui omnia creata complectitur, in hoc tamen unico mundo triplex mundus diſtingui poteſt; vel ut ita dicam, in magno hoc mundo triplex alius continetur mundus: ſublunaris ſcilicet, Eccleſiaſticus, & cæleſtis. *Mundus ſublunaris*, eſt orbis terrarum, qui intra orbis lunaris concavum clauditur. *Mundus Eccleſiaſticus*, eſt ipſa Eccleſia Romana, a Chriſto Domino inſtitura. *Mundus cæleſtis*, eſt cælum empyreum, in quo Deus cum Angelis & Sanctis ſuis regnat. In quolibet autem ex tribus illis mundis cœnam magnam, magnumque convivium Deus facit. *In mundo quidem ſublunari*, ubi dat eſcam omni carni. *In mundo Eccleſiaſtico*, ubi juge ſanctiſſimæ Euchariſtiæ convivium præparavit. *In mundo cæleſti*, ubi Sanctos ſuos cibo divino ſatiat, & torrente voluptatis inebriat: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*. *Pſ. 35. 9.*

Unica concione omnis trium illorum conviviorum apparatus perfecte delineari non poſſet: quare aliqua ſolum de quolibet ex illis breviter attingam, ut Dei in homines magnificentiam aliquo modo patefaciam. Ut autem ordine quodam in tota hac oratione procedam: dico, quod Deus faciat magnum convivium in terra, in Eccleſia, & in Cælo: 1. *In terra*, omnibus hominibus. 2. *In Eccleſia*, omnibus fidelibus: 3. *In Cælo*, omnibus Beatis.

## PRIMA PARS.

*Deus fecit magnum convivium in terra.*

Deus, qui omnium Pater & Creator eſt, omnia animantia quæ producit, in terram, velut in ampliſſimum convivii locum, inducit: ubi ea paſcit, & cuique cibum propenſioni, & appetitui ejus conſonum apponit. Ibi piſces, ibi volucres, ibi alia animalia Deus paſcit; tantaque, tamque mira ejus eſt providentia, ut cuique piſci, cuique volucri, & cuilibet animanti cibos apponat guſtui & appetitui ejus conſentaneos: *Dat eſcam omni carni*. *Pſ. 135. 25.*

O quam magnum, & admirabile eſt illud, quod Deus in orbe terrarum omnibus animantibus facit convivium! Sed quia homo eſt præcipuus conviva, propter quam omnia alia fecit Deus, contemplemur, & admiremur ſolummodo magnum illud convivium, reſpectu omnium hominum, quos Deus in hoc mundo: 1. Paſcit affluenter: 2. Paſcit delicate: 3. Paſcit conſtanter.

1. Præclare obſervat Procopius, Deum creaſſe mundum, & ea quæ in mundo ſunt, eodem fere ordine, quo magnifica quædam præparari ſolet cœna. Cum enim quis amicos, propinquos, viroſque nobiles ad cœnam invitavit; in primis mundari curat locum in quo fieri debet, ne obviæ aliquæ ſordes convivas offendant: deinde epulæ parantur, & menſæ ſternuntur: lucernæ poſtea accenduntur, & dapes ad menſas afferuntur, ac tandem, paratis omnibus, ingrediuntur convivæ. Similem in modum Deus convivium ſuum ab origine mundi paravit. Primo enim creavit terram & lucem, deinde ſeparavit terram & aquas a firmamento, ſtruxitque cœnaculum, poſtea herbis terram inſtravit, menſaſque inſtruxit, producendo omnis generis fruges. Tum animalia ab hominibus comedenda introduxit, ac tandem homines in orbem terrarum, velut convivas vocavit, & continue vocat, ibique eos omnes abunde paſcit. Tantam enim ad hominum uſum dat ciborum copiam, ut ſi fœda quorumdam avaritia hos cibos æqua lance diſtribui fineret; non ſolum ad omnes homines nutriendos ſufficerent; verum & affluerent, quia certiſſimum eſt, quod Dominus *dat omnibus affluenter*. *Jacob. 1.*

Scio, hominum alios eſſe divites, & alios pauperes, qui divites ſunt, cunctis abundant, pauperes vero multis egent. Sed ſi juxta præſcriptam a Deo legem, divites pauperibus ſuperflua largirentur ad victum: & divites, & pauperes haberent, quo paſcerentur, non ſolum ad ſufficientiam, ſed etiam ad abundantiam. Et ſic verum eſt, Deum omnes homines paſcere affluenter in magno convivio, quod in terra facit, ſed eos etiam paſcit *delicate*.

2. Non amara ſolum, & quæ vix hauriri poſſint, eis Deus apponit: ſed ſapida, dulcia, ſucceſa, ac talia quæ appetitum acuant, guſtum recreent & delectent. Quod ſi aliqua ex natura ſua ſapore careant, dat Deus condimenta, quibus palato jucunda & ſapida reddantur; ſalem ſcilicet, ſaccharum, mel, lac, & alia his ſimilia: quæ omnia, tamquam liberaliſſimus pater-familias, hominibus præbet, ut jucunde, & delicate in conſpectu ſuo epulentur.

Quod ut adhuc jucundius faciant homines, dat Deus eſculentis illis & potibus decorem, gratiam, & pulchritudinem aliquam; quæ eſt quaſi illecebra, qua homines ad edendum & bibendum alliciuntur. Et ſic vino Deus dat ſplendorem album, aureum, aut rubicundum: pomis ac piris genas dat ſæpe rubore perfuſas: frugibus aliis varios dat colores, variaſque formas & figuras, eaſque diverſiſſimas, ne homines, eandem ſemper formam & figuram videntes, ſuper illis cibi nauſeent. Sed quot diverſa piſcium, volatilium, & animantium genera homini apponit, ut quod magis placuerit eligat? Certe quidquid volat, natat, repit, graditur, hoc providit & permiſit homini, ut delicate epuletur.

Advertit Eminentiſſimus Cardinalis Petrus Damianus, quod ut Deus hominibus det, quo lautius, & delicatius epulentur, non eis ejuſdem generis cibos ſemper adminiſtrat; ſed diverſis temporibus, nunc unius, & nunc alterius generis cibos eis apponit; (Sed nec ipſos quoque proventus arborum, aut agrorum, inquit, omnipotens Conditor in unam quodammodo congeriem coacervat; ſed diverſa diverſis temporibus edenda diſpenſat. Nam ſi eodem tempore cuncta ad veſcendum poma concurrerent, & faſtidium congeſta veſcentibus gignerent, & ſimul conſumpta de copia inopiam generarent. Sed nunc ita diverſis ſunt variata temporibus, ut dum illa comeduntur, hæc matureſcant; & dum alia con-

ſum-

ſumpta pertranſeunt, alia mox maturata ſuccedant. *Petrus Damianus l. 1. ep ſt. 17. ad Alexand.* ) O mirandam Dei providentiam, qui homines laute, & delicate paſcit; *ac etiam conſtanter*.

3. A mundi enim principio uſque ad finem ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: mirabilique conſtantia dat omnibus, ſive bonis, ſive malis, quo paſcantur & vivant. Vix reperiretur, qui vel uno die paſcere velit inimicum ſuum; & tamen Deus non ſolum juſtos, ſed etiam infenſiſſimos ſibi inimicos, & peccatores, qui innumeris illum injuriis afficiunt, ab origine mundi conſtanter paſcit. Non ſubtrahit cibum Gentilibus, qui eum non noverunt; non Turcis, Arabibus, & Judæis, qui ipſum perſequuntur & blaſphemant: non malis Chriſtianis, qui ipſius donis in ſui perniciem, & Dei injuriam abutuntur: omnes, nullo excepto, ad convivium ſuum vocat, omnibuſque conſtanter quo paſcantur exhibet: ita ut quiſque dicere poſſit, quod a Deo paſcantur ab adoleſcentia, & toto vitæ ſuæ tempore; *Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem*. *Geneſ.* 48. 15.

O quam magnum, & mirabile eſt convivium, quod Deus hominibus in hoc mundo viventibus facit! *Magnum eſt*, ratione Dei, qui eſt convivii hujus inſtructor. *Magnum eſt*, ratione durationis; quia durat a tempore quo factus eſt mundus, & durabit uſque ad ejus finem. *Magnum eſt*, ratione loci in quo fit; qui non eſt alius, quam totius terræ ſuperficies. *Magnum eſt*, ratione multitudinis, varietatis, & pretii ciborum: qui non alii ſunt, quam quotquot ſunt piſces in mari, aves in aere, animantia, & fruges ſuper terram. *Magnum eſt*, ratione convivarum; cum ad tam magnificum convivium non vocentur aliqui ſolum Principes, & Magnates: ſed quotquot fuerunt, ſunt, & futuri ſunt in mundo homines; quibus omnibus dat Deus, quo ſufficienter, ac etiam ſæpe quo abunde, jucunde, & opipare veſcantur.

Tantum miramini convivium, ac Deo gratias agite, quod tam magnificum epulum hominibus voluerit præparare. Sed & ei ſpeciales grates rependite, quod tanti convivii vos participes eſſe voluerit, quodque ab infantia dederit vobis cibos, quibus paſti eſtis. Immo quotieſcumque ad tantum convivium acceditis, quotieſcumque a Deo datos ſumitis cibos, ei pro tanto beneficio gratiæ ſunt referendæ; hos enim cibos Deus creavit, vobiſque dedit, ut eos cum gratiarum actione percipiatis; *Quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione*. 1. *Timoth.* 4. 3.

Pie dicebat Seraphicus Pater, quod imitari debeamus *alaudas*; quæ quaſi ratione polleant, poſtquam in terra cibos ad neceſſitati ſubveniendam comederunt, verſus cœlum ſe erigunt, & plurimum elevantur, continue cantantes, ut ſuo modo gratias Deo referant pro accepto de manu ejus cibo ad ſuſtentationem neceſſario. Sic, inquit S. Franciſcus, poſt ſumptos de manu Dei cibos, & poſt quamlibet refectionem, mentem ad cœlos elevare debemus, ut Deo benefactori noſtro gratias referamus. O homo, ab infantia uſque ad præſentem diem, a Deo cibos victui neceſſarios, & forte uberiores, percepiſti, ne benefactori tuo injuriam irroges, non maledicas ei qui benefecit tibi; non lapides projicias in eum qui dedit tibi panem; non pecces in eum a quo nunc uſque paſtus es: ſed ex toto corde ei gratias age, & quotieſcumque ex cibis a Deo datis comederis, ei gratias age: *Cum comederis, & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo*. *Deuteron.* 8. 10. Ecce quid mihi dicendum occurrit de primo Dei convivio; tranſeamus ad ſecundum, ſeu *ad Euchariſticum, quod eſt magnum convivium, quod Deus facit in Eccleſia*.

## SECUNDA PARS.

*Deus facit magnum convivium in Eccleſia.*

*Homo quidam*, ut in hodierno dicitur Evangelio, *fecit cœnam magnam*. Homo ille, inquit Auguſtinus, eſt ipſe Chriſtus Dominus, qui in ipſa nocte cœnæ, ipſo tempore, quo de illius morte cogitabant Judæi, hominum amore captus, cœnam magnam, hoc eſt, admirabile convivium Euchariſticum inſtituit; *Quis eſt iſte homo, qui fecit cœnam magnam, & vocavit multos, niſi Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus Jeſus? S. Aug. verb. Dom. ſerm.* 11.

Magnum eſt illud convivium, ratione loci in quo factum eſt. Dominus enim Jeſus, qui in ſtabulo voluit naſci, in præſepio reclinari, & in monte Calvariæ, loco videlicet vili, & abjecto, crucifigi, necnon in anguſto ſepulchro poni, noluit tamen convivium Euchariſticum in humili loco celebrare; ſed in ipſa civitate Jeroſolymitana, & in cœnaculo grandi, ſtrato, & magna pompa adornato: *Cœnaculum grande, ſtratum*. *Marc.* 14. 15.

Magnum ergo eſt illud convivium, ratione loci in quo inſtitutum eſt, & in quo fieri cœpit; ſed magnum eſt etiam, ratione durationis; quia in Eccleſia fiet, & perſeverabit uſque ad mundi finem. Quamdiu enim durabit Eccleſia, in omni loco offeretur Domino oblatio munda, a Sacerdotibus renovabitur admirabile illud convivium, & fideles ad divinum illud epulum accedent.

Dici etiam poſſet, magnum eſſe Euchariſticum convivium, ratione convivarum, qui ad illud vocati ſunt, & continue vocantur: non enim ad hoc convivium vocantur ſolum Apoſtoli, vel alii eximiæ ſanctitatis viri; verum & omnes penitus homines. Nec ab hoc convivio excluduntur pauperes illi, vel imbecilles, qui gratiæ opibus carent; nec cæci illi, qui luce charitatis privati ſunt: neque claudi, qui peccando claudicant. Hi enim, & omnes penitus peccatores, non ſecus ac juſti, ad hoc convivium vocantur, & in eo benigne recipiantur, modo prius peccatorum ſarcinam depoſuerint, & nuptiali divinæ gratiæ veſte ſe induerint. *Pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*. *Luc.* 14.

Præfatis quidem rationibus magnum eſt Euchariſticum convivium, ſed maximum, omnibus ſæculis admirandum, & portentoſum eſt ratione ingentis cibi, qui in nocte Cœnæ Apoſtolis appoſitus eſt, & qui fidelibus, ad ſacram Synaxim accedentibus, quotidie apponitur. Non enim ibi aſſus apponitur agnus, non lactucæ agreſtes, non azymi panes, non pecorum aut volucrum carnes, non dulcia bellaria; ſed ipſe Chriſtus Dominus, qui ſemetipſum nobis in cibum dat.



Digitized by Google

Cœnam Euchariſticam præceſſerat myſtica veteris legis Cœna, in qua appoſiti fuerant azymi panes, & Agnus Paſchalis, cum lactucis agreſtibus. Sed facta hac Cœna, Euchariſticum convivium inſtituit Chriſtus, in quo ſeipſum Apoſtolis manducandum tradidit, dicens: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*. 1. *Corinth.* 12. 24. Quaſi dicat, non jam vobis appono azymos panes, Agnum Paſchalem, vel aliquid corporis mei figurativum, ſed ipſum corpus meum, quod Spiritus Sancti virtute formatum eſt, ipſum corpus meum, quod de Maria Virgine natum eſt, ipſum corpus meum, quod mirabilia multa pro mundi ſalute obiit, & quod cruci affigi debet. *Accipite & manducate; hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Hoc eſt corpus, quod vobis trado, & quia corpus meum eſt vivens, & Verbo divino unitum, ſimul cum corpore meo animam, divinitatem, & totum meipſum vobis appono, meque totum vobis in cibum exhibeo, necnon me totum uſque ad mundi finem fidelibus in ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento dabo.

O menſa regia! o altare ſanctum! ubi non cibaria corruptioni obnoxia, ſed ſacratiſſimum Chriſti corpus, totaſque Chriſtus fidelibus manducandus traditur. Faceſſant procul profana illa convivia, quæ tanta cum eloquentia apud Auctores commendantur, in infinitum mirabilius eſt illud, quod Deus & Homo Chriſtus fecit, non enim infima fercula in eo appoſuit, ſed ſemetipſum Deum Hominemque verum, manducandum propoſuit; ſeque quotidie in ſacra menſa manducandum exhibet, ut hominem ipſo Deo impleat, & ſatiet, utque multa ſpiritualia bona homini conferat.

O vere magnum convivium, ratione ferculi quod ibi datur, quod idem eſt cum ferculo, quod Beatis in Cælo apponitur. Sicut enim in terra, ita & in Cælo magnum fit convivium, & in utroque convivio idem eſt ferculum, Deus ſcilicet, qui tum in Cælo, tum in terra, voluit eſſe hominum cibus. Cum hac tamen differentia, quod in cæleſti convivio Beatos Deus paſcat, ſeipſum illis perſpicue, & ſine ullo velamine conſpiciendum exhibens, in Euchariſtico vero convivio fideles paſcat Chriſtus, ſeipſum, panis & vini ſpeciebus velatum, tradens; *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur*. Vere ſacrum, vere mirabile, vere divinum, vere omnibus ſæculis prædicandum illud convivium, in quo Chriſtus Deus & Homo nobis in cibum datur, & in quo nobis idem quod & Angelis ferculum miniſtratur. Ecquis non admirabitur? Ecquis non obſtupeſcet, cum Euchariſtici convivii epulas mente revolvit?

De Cleopatra fertur, quod cum centies ſeſtertium una cœna abſumere ſtatuiſſet, præclariſſimum pretii illius unionem aceto immerſerit, ac liquefactum ſorbuerit. *Plin. l.* 19. *c.* 35. Mirati ſunt, qui hoc viderunt, & audierunt, dicentes: o quam pretioſus ille cibus! Sed quid hoc pretii, ſi cum cibo Euchariſtico conferatur? Velim, Cleopatram, vel alium aliquem, unica cœna quemdam tanti pretii cibum hauſiſſe, ut omnibus terrenis opibus æquipolleat: quid hoc eſſet, reſpectu convivii Euchariſtici, in quo Chriſtiani ipſum Chriſtum ſumunt, qui omne quod mente concipi poteſt, pretium longe ſuperat?

Magnum ſane, & admirabile eſt ſacroſanctum Euchariſtiæ convivium. Sed heu! quam pauci ex tanto convivio proficiunt! Quam paucis prodeſt ad Chriſtum in Euchariſtia latentem accedere! Accedunt multi, accedunt ſæpe, & tamen, aut nullus, aut minutiſſimus in ſpirituali vita profectus elucet; quinimmo, qui frequenter Euchariſticum cibum ſumunt, nonnunquam in deterius vergunt. Cur quæſo, accedentes ad Chriſtum, & in ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento manducantes Chriſtum, qui omnium gratiarum auctor, omniumque bonorum eſt principium, nullum inde ſpirituale eliciunt emolumentum? Cur cum in Euchariſtia frequenter recipiamus Chriſtum Salvatorem a quo ſanctificari, bonis ſpiritualibus repleri, & quaſi deificari deberemus, in moribus tamen, ac vivendi ratione non proficimus? Hujus profecto rei cauſa eſt, quia terrena ſapimus, terrena nimium diligimus, & terrenis immergimur.

Nonnunquam accidit, ut puer aliquis maxima cura, & ſollecitudine a parentibus alatur, cibiſque optimis nutriatur; nec tamen inde pinguior evadat, quin contra, macilentior, & pallidior ſemper fiat. Quod ſi rogentur Medici, ut hujus rei cauſam aperiant, reſpondent, puerum haud dubie clam terram comedere; & ideo licet gallinis, aliiſque optimis cibis veſci ſoleat, non inde pinguiorem, & ſaniorem evadere. Hæc eſt ratio, cur puer ille pinguior non fiat; & hæc eſt ratio, cur multi, qui ad ſacrum Euchariſtiæ convivium accedunt, in ſpirituali vita non proficiant; non enim proficiunt, quia terram comedunt, ſeu quia terrenis divitiis, honoribus, & terrenis voluptatibus nimium adhærent. Vel etiam hoc accidit, quia peccatis non valedicunt; vel etiam quia præviis fidei, charitatis, humilitatis, aliarumque virtutum actibus ad tantum Sacramentum digne recipiendum non ſe præparant. Quare antequam ad ſacrum hoc convivium accedatis, a terrenis corda veſtra elongate, omne peccatum procul a vobis pellite, multiſque virtutum actibus vos præparate. Hoc ſi faciatis, magna ex convivio Euchariſtico emolumenta elicietis, & digni fietis *convivio cæleſti, quod maximum eſt*.

## TERTIA PARS.

*Deus facit magnum convivium in cælo.*

PRæfatam parabolam hominis illius, qui fecit cœnam magnam, intelligunt multi ſacræ Scripturæ Interpretes de Deo, qui homo dicitur, ratione benignitatis ſuæ, & qui in cælo cœnam, conviviumque facit, quod vere magnum eſt, non ſolum quia ab ipſo Deo paratur, ſed etiam quia magna ſunt: 1. *Locus* in quo fit; 2. *Convivæ*, qui ad illud vocantur: 3. *Fercula*, quæ apponuntur: 4. *Duratio* hujus convivii.

1. Locus in quo convivium cæleſte fit, eſt ipſa ſplendidiſſima cælorum aula; cujus pulchritudinem, excellentiam, & amplitudinem nullus humanus intellectus concipere valet. Locum deſcripſit Scriptura, in quo Rex Aſſuerus convivium fecit; cujus pulchritudinem omnes convivæ admirati ſunt; ſed quid ille locus, quid omnia Regum Palatia, quid totus terrarum orbis, reſpectu cæli empyrei, quod eſt locus in quo fit convivium cæleſte? Certe hæc omnia,

omnia, reſpectu cœli, ſunt veluti hirundinum nidi: hæc omnia vilia ſunt, nihil ſunt, reſpectu cœli, cujus tanta amplitudo, tantus ſplendor, tanta dignitas, tantæ deliciæ, tantæque divitiæ, ut ab humano intellectu concipi nequeant.

Si a mundi primordio uſque nunc, omnes penitus homines tota arte ſua, toto ſuo ingenio, totis conatibus unico palatio conficiendo laboraſſent; magnum haud dubie illud palatium cenſeretur: illo tamen palatio aliud majus, & præſtantius facere poſſet minimus Angelorum, quippe qui omnibus hominibus longe potentior eſt. Sed quanto adhuc præſtantius palatium efficerent omnes Hierarchiæ cœleſtes, ſi in unum conjungerentur? Certe ita pulchrum, ita præclarum conſtruerent palatium, ut ejus conſpectu omnes in admirationem raperentur. Sed quid illa omnia reſpectu palatii cœleſtis quod factum eſt ab ipſo ſummo rerum omnium Conditore, qui homines, & Angelos ex nihilo creavit? Quid illa omnia reſpectu Palatii Regii cœleſtis, & Domus Dei? Hæc omnia, ſi ſano judicio cenſeantur, nihil ſunt reſpectu cœli empirei, & loci, in quo cœleſte fit convivium. *O Iſrael, quam magna eſt Domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus! Magna eſt, & non habet finem; excelſus, & immenſus. Baruch* 3. 24. Quare convivium cœleſte eſt vere magnum, reſpectu loci in quo fit; ſed eſt etiam *magnum reſpectu convivarum.*

2. Convivæ enim ſunt Angeli, & homines beati: *Angeli*, quorum numerus eſt pene infinitus: *Homines beati*, qui licet reſpectu damnatorum pauci ſunt; in ſe tamen multi ſunt, & tot, ut vix dinumerari poſſint, juxta illud Apocalypſis: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante Thronum. Apocal.* 7. 9.

Cœleſtis hujus cœnæ conviva eſt beatiſſima Chriſti Mater Virgo Maria, convivæ ſunt novem Angelorum Ordines, de quorum numero differens Daniel, ait: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Daniel.* 7. 10. Ibi convivæ ſunt Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, & omnes Sancti; qui omnes nobiles ſunt, omnes Reges; omnes filii Dei, Deoque ſimiles. Ut enim ait S. Joannes: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* 1. *Joann.* 3.

O quam magnifica, jucunda, & optabilis eſt illa cœna, quæ tot, tam nobiles, tantoque honore dignos habet convivas! Quam ſuave, quam jucundum cum Angelis & Archangelis, cum Cherubinis & Seraphinis, cumque Sanctis omnibus, menſæ Dei accumbere, convivere, & epulari, intimaque eorum familiaritate frui! Magnum ſane eſt cœleſte convivium, ratione convivarum; *ſed maximum eſt, ratione ferculorum quæ apponuntur.*

3. Si terrenæ epulæ dulces ſunt, quales credis fore cœleſtes? Si Deus probos & improbos ſuaviter & affluenter in hoc mundo paſcat; qua ſuavitate non afficiet convivas cœleſtes, qui omnes electi ſunt, juſti ſunt, & amici ejus ſunt? Si in terreno hoc carcere nos exules opipare excipiat, & exquiſitis cibis recreet; qua pompa, qua magnificentia, quibus dapibus in cœleſti ſuo Palatio domeſticos & aulicos ſuos non cibabit? Unicum quidem cibum eis apponet Deus; ſeipſum ſcilicet: ſed in Deo invenient omnia, guſtabunt omnia, ejuſque contemplatione ita delectabuntur, & ſatiabuntur, ut nihil ultra deſiderare poſſint.

O optabile, & totis affectibus deſiderabile convivium, in quo ipſe Deus cibus eſt! Non ibi unus cibus Domino, & alius invitatis apponitur: ſed ſicut ipſe Deus veſcitur & fruitur ſua eſſentia; ita convivæ eadem divina eſſentia veſcuntur, & perfruuntur; ejuſque fruitione ita ſatiantur & beatificantur, ut nihil ultra optare queant. Immo, tanti ponderis & momenti eſt voluptas, quam ex divino illo cibo percipiunt, ut illam ferre non poſſent, niſi Deus ſimul & hac eos voluptate afficeret, & ad eam portandam ſuſtentaret.

Manna erat cibus quem dedit Deus Iſraelitis, ad veſcendum, & in hoc unico cibo omnem ſuavitatem, quæ in aliis cibis reperitur, deguſtabant: nec ex hoc cibo unus unam, & alius aliam menſuram colligebat; ſed poſtquam de cœlo ceciderat manna, quiſque eandem menſuram, quæ Gomor vocabatur, ſumebat, *Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum; colligat unuſquiſque ex eo quanto ſufficit ad veſcendum, Gomor per ſingula capita. Exod.* 16. 16. Mirabile certe eſt, quod in unico hoc cibo Iſraelitæ omne delectamentum inveniant, & quod unica illius cibi menſura magnis & parvis ad ſatietatem, & ad delicias ſufficiat. Sed quid de cœleſti cibo? Quid de eſſentia divina, quæ eſt unicus cibus, quo in cœlo paſcuntur Sancti? Nonne in hoc unico cibo ſatietatem, & voluptatem invenient? Nonne ſatiabuntur, cum apparuerit gloria Dei? Nonne torrente voluptatis inebriabuntur, cum infinitam Dei eſſentiam facie ad faciem contemplabuntur? Certe in hoc unico cibo omnia invenient, & ex ejus contemplatione mirabilem, ineffabilem, & continuam voluptatem percipient. O quam magnum eſt cœleſte illud convivium, ratione ferculorum quæ apponuntur! *Sed eſt etiam magnum ratione durationis.*

4. Convivia quæ in terris fiunt, brevi temporis ſpatio durant, & voluptas quæ ex ciborum guſtu percipitur, breviſſime tranſit. Quæ prius guſtui placebant, cito faſtidium generant; nullaque in eis tam mellea voluptas, quæ ſucceſſu temporis faſtidium non pariat, & in fel non degeneret. At cœleſte convivium æternum eſt, epularumque cœleſtium dulcedo, Beatorum mentes mirabiliter oblectat in ſempiternum. Nullum ibi faſtidium; nulla nauſea; poſt centena millia, & millia annorum, tam nova, tamque grata erit cœleſtium convivarum voluptas; quam in primo inſtanti, quo in Dei gaudium ingreſſi ſunt, & quo illis dictum eſt, *Intra in gaudium Domini tui. Matth.* 25. 21.

Cœleſti menſæ ſemper accumbunt, ſemperque accumbent Beati; dulciſſimis ibi veſcuntur epulis, nec faſtidioſa aliqua ſatietate affici poſſunt; ſed ſemper ſuaviſſimis ſatiabuntur cibis, nec ullo unquam faſtidio capientur. Semper vident, ſemperque videbunt, ac ſemper videre deſiderabunt faciem Patris; hacque viſione ſemper delectabuntur, & ſatiabuntur, ita tamen, ut nulla ex ſatietate oriatur nauſea, quia, ut ait Sanctus Gregorius, *deſiderium ſemper ſatietas comitatur, & ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur. Sanctus Gregorius lib.* 18. *Moral. cap.* 28.

O convivium admirabile! O epulum deſiderabile!



Digitized by Google

O quam beatus, *qui manducat panem in regno Dei!* *Luc.* 14. Sed quis ad hoc convivium vocabitur? Ad illud Deus omnes vocat, nunc internis inſpirationibus, nunc Concionatorum verbis, nunc auxiliis & nunc favoribus multis. Immo, fame, ſiti, morbis, aliiſque flagellis ad illud ſæpe eos quodammodo venire compellit, *Compelle intrare*. Sed ſi vocati non veniant per arctam mandatorum viam, in cæleſti convivio nunquam recipientur, nec ullus, quamvis vocatus, ſuaves cæleſtis convivii cibos guſtabit, niſi Dei mandata ſervaverit. *Nemo illorum qui vocati ſunt, guſtabit cænam meam. Ib.*

Iſraelitæ ad terram promiſſionis lacte, melleque manantem, vocati erant, ſed quia Dei mandatis non obtemperaverunt, ab ea repulſi ſunt, juravitque Deus, quod ad illam nunquam eſſent ingreſſuri: *Juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam: Pſ.* 94. 11. Eundem in modum ad cæleſtem promiſſionis terram vocat nos Deus; ad cæleſte epulum, & ad dulciſſima beatæ patriæ mella nos invitat; ſed ſi Dei mandatis obedientiam non præſtiterimus, a tali convivio repellemur: quare divinis obtemperemus mandatis, ut in æternam Paradiſi requiem, in æternum illud Sabbathum, conviviumque beatiſſimum ingredi valeamus.

Chriſtus ad Cælum aſcendit, ut omnia ad noſtri receptionem diſponat; ibi omnia præparat, ut ad convivium cæleſte recipiamur: *Ego*, inquit, *diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Luc.* 22. 30. Ad beatum illud convivium Chriſtus nos invitat, nos vocat, nos compellit, noſque in eo recipi optat, ſed ut in illo recipiamur, neceſſario in hoc mundo ſervanda ſunt Dei mandata, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Matth.* 19. 17. Non ergo vanas, frivolas, & ridiculas adducatis excuſationes, ut Dei mandata non ſervetis; ſed ea ſervate religioſe & fideliter, ut ad æternum Paradiſi convivium vocari, ac in eo ſedere, & Deo frui valeatis. *Amen.*

## DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

### DE DEI IN HOMINES AMORE.

*Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Lucæ 15. 6.

DIvini cordis intima penetrare non valemus, ut ibi qualis & quantus ſit Dei in homines amor, fixa palpebra inſpiciamus; ſed Deus ſummis & innumeris, quibus nos afficere dignatur, beneficiis ſuum nobis ita patefacit amorem, ut nullus tam cæcus, & tam mentis inops reperiatur, qui ſe divini amoris objectum eſſe, non evidentiſſime cognoſcat.

Nihil odit Deus eorum quæ fecit; & maxime diligit hominem, propter quem omnia fecit. Omne genus humanum unus Dei grex eſt, & quilibet homo eſt Dei ovis, quam ipſe magno affectu proſequitur, *Univerſarum gentium idem Deus, & Dominus, & Paſtor eſt. Tertull. l. de pudicit.* 7. Hic eſt Paſtor univerſalis & beneficus, qui omnes penitus homines, veluti gregis ſui oves inſpicit, fovet, nutrit, diligit, multiſque beneficiis afficit; & tunc maxime cum aliquam ex iis ovibus errantem, ad ovile ſuum revocat. Tunc Angelos & homines ad ſibi congratulandum invitat; tunc omnibus creaturis rationalibus dicit: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Videamus, & ſedulo perpendamus, quantus ſit Dei in homines amor, &c. *Ave.*

OMnes penitus homines, qui in hoc mundo vivunt, ſunt aut peccatores, aut pœnitentes, aut juſti. *Sunt peccatores*, quandiu lethalis cujuſdam peccati macula inquinantur. *Sunt pœnitentes*, cum a peccatis, quibus inquinabantur, per pœnitentiam mundantur. *Sunt juſti*, cum ab omni mortali peccato liberi, in ſtatu gratiæ ſanctificantis vivunt.

*Homines peccatores*, ſunt oves perditæ, quæ a Chriſto Paſtore ſuo aberrant; *Homines pœnitentes*, ſunt oves quæ inveniuntur, & ad Chriſti ovili revertuntur. *Homines juſti*, ſunt oves, quæ a Chriſto per mortale peccatum nunquam exierunt, vel quæ ad ipſum per pœnitentiam redierunt. Omnes autem illas oves Deus maxime diligit, omnes homines, ſive peccatores, ſive pœnitentes, ſive juſtos, magno affectu proſequitur, iiſque omnibus portentoſa amoris ſui teſtimonia exhibet. Hoc haud dubie norunt omnes fideles: ſed hoc evidentius patebit, cum probaverimus, quod Deus diligit: 1. Homines peccatores: 2. Homines pœnitentes: 3. Homines juſtos.

## PRIMA PARS.

*Deus diligit homines peccatores.*

DIſputant nonnulli, an Deus amet, vel odio habeat peccatores? Quam difficultatem facile ſolvet qui dicet, Deum peccatores ut peccatores odio habere, eos vero ut homines, & ut creaturas ſuas diligere: Vel, qui cum D. Auguſtino reſpondebit, quod Deus amet peccatorem: peccata vero quæ perpetrat, odio habeat: *Amat te; odit tua.*

Amat revera Deus homines peccatores & ab æterno illos amat: licet enim eos omnis beneficii indignos & ingratos fore præviderit: eos tamen creare, & beneficiis multis afficere ab æterno decrevit. Antequam quidquam Deus faceret a principio; antequam extenderet cælos, necdum erant abyſſi, adhuc terram non fecerat, nec montes fundaverat, necdum fontes eruperant, cum homines peccatores creare, ad ſui imaginem condere, ac rationis participes, & ſempiternæ beatitudinis capaces facere præordinavit.

Hoc ab æterno Deus in gratiam hominum peccatorum ſtatuit; & hoc quod tunc ſtatuerat, nunc executioni mandat: peccatores enim jam creat, eos rationis compotes, ac æternæ felicitatis capaces facit; & in majus amoris ſui in peccatores teſtimonium, multas ad eorum uſum, multas ad eorum ſuſtentationem, multas ad eruditionem, multas ad conſolationem, multas ad delectationem, & multas ut eis ſubſint, creaturas producit.

Fatere, o peccator, Deum te plurimum dilexiſſe: cum fecerit te, & fecerit tam multa propter te. Sed ma-

Digitized by Google

majora adhuc ſuæ in te dilectionis teſtimonia exhibuit; quia pro tui ſalute, & ut te redimeret, humanam carnem aſſumere, frater tuus fieri, in humili præſepio naſci, vilibus involvi pannis, temporum injuriis exponi, Herodis & Pharifæorum perſecutiones pati, flagellis cædi, alapis percuti, cruci affigi, & diriſſimam mortem obire voluit. O exceſſum! O ſtuporem! O immenſam Dei in peccatores charitatem!

Nulla inter homines major eſſe poſſe videtur charitas, quam quod quis pro amicis ſuis ſanguinem fundat, & animam ponat; *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Joan. 15. 13.* Sed longe major Dei in peccatores extitit charitas: quia licet hi infenſiſſimi ejus eſſent inimici, eos tamen ita amavit, ut pro eorum ſalute incarnari, annihilari, flagris excipi, crucifigi, & pretioſiſſimum ſanguinem effundere dignatus ſit. Cui charitati, inquit S. Bernardus, nulla alia ſimilis eſſe, fuiſſe, vel fore videtur; *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Tu vero, clementiſſime Jeſu, majorem oſtendiſti, ponens eam etiam pro inimicis: cum enim adhuc inimici eſſemus, per mortem tuam & tibi reconciliati ſumus, & Patri: quænam alia videtur eſſe, vel fuiſſe, vel fore huic ſimilis charitas? S. Bern. ſerm. fer. 4. poſt Dom. Paſſ.*

Nulla quidem major inveniri poteſt charitas, ſed hujus charitatis magnitudo inde magis patet, quod Chriſtus hæc omnia non ex neceſſitate & coacte, ſed voluntarie pro peccatoribus paſſus ſit. Unica enim ſanguinis ſui gutta, immo unico voluntatis ſuæ actu, omnes peccatores redimere poterat: ſed tantus ejus in illos amor extitit, ut pro iis totum ſanguinem ſuum fundere voluerit. O portentoſum Dei in peccatores amorem! qui inde magis adhuc eluceſcit, quod Chriſtus graviora, & prolixiora pro eorum redemptione tormenta pati voluiſſet & deſideraſſet. Unde, ut adnotat Venerab. Beda, cum Chriſtus in cruce hæc verba profert. *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* conqueritur, non propter tormenta quæ patitur; *ſed quia Pater non ei longiorem concedit vitam, ut plura pro peccatorum redemptione pati poſſit. Beda in c. 17. Matthæi.*

Inenarrabilia prorſus, & incomprehenſibilia ſunt hæc amoris teſtimonia, quæ Chriſtus peccatoribus dedit, cum pro eorum ſalute crucifigi, & mori voluit. Sed ibi non hæſit Dei in peccatores amor; nihil enim jam non facit, ut cuique peccatori in hoc mundo viventi, ſuum amorem teſtetur, nil non facit, ut quemlibet peccatorem ab inferni faucibus eripiat, a peccatis eruat, juſtificet, & ſalvet.

Dic, o peccator, quoties peccatis tuis meruiſti, ut in infernum te Deus præcipitaret; & tamen ne infernum caderes impedivit? Quoties deſcendiſti usque ad portas inferni, & ne illuc intrares retenuit? Quoties appropinquaſti uſque ad portas mortis; & ne ipſæ te caperent, ille obſtitit? Si in hoc & in illo caſu quem tu noſti, mors te occupaſſet, nonne mox infernus animam tuam ſuſcepiſſet, ac perpetuo damnatus fuiſſes? Et tamen tantus Dei in te fuit amor, ut de corporis & animæ morte te eripuerit. Forte millies Deus te juſte damnare potuiſſet, ſi voluiſſet; ſed noluit, quia amabat te. Trahebat te tartareus draco, ac deglutire te paratus erat; ſed Deus per miſericordiam ſuam deſcendit te uſque nunc, & ab ore ejus extraxit, nec in infernum, quo dignus eras, te projici permiſit. O magnum Dei in te amorem!

At non ibi eſt terminus amoris & beneficiorum Dei in peccatores; nihil enim omittit eorum quæ facere poteſt, ut eos a peccatis eripiat, juſtificet, & ſalvet. Eos magna cum patientia expectat, ut per pœnitentiam ad ipſum veniant: eos ſuperno lumine ſæpe irradiat, ut quanto in ſuæ ſalutis periculo verſentur, agnoſcant: eorum conſcientiam interdum lancinat, ut illos ad peccatis valedicendum inducat: Suos mittit Angelos, ut eos ad viam ſalutis revocare conentur: ſed & ipſe per gratiam ſuam peccatores interius monet & ad bene faciendum excitat: auxiliares manus per ſe, per Paſtores, per Concionatores, & per Confeſſarios illis offert, ut e criminum ſuorum cœno egredi & juſtificari valeant: facit tandem quidquid juxta infinitæ ſapientiæ ſuæ leges debet, & poteſt, ut eos convertat, juſtificet, & ſalvet: *Quid eſt hoc quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Iſaiæ 5. 4.*

O quot & quanta Dei in peccatores amoris teſtimonia! Quam magna eis impendit beneficia! Quæ inde etiam majora quiſque cenſebit, quod omnino gratuita ſint. O peccator, merueraſne, ut Deus te crearet, hominem te faceret, a dæmonis ſervitute te redimeret, te ab inferni faucibus eriperet, teque ad pœnitentiam expectaret, & vocaret? Nil ſane eorum promerueras: immo tot & tantorum beneficiorum totaliter indignus eras; & Deus ex mera bonitate ſua, te iis affecit. Quare gratias age Deo, qui tot & tanta tibi gratis beneficia exhibuit; ama Deum, qui tantopere te dilexit.

Dic, o peccator; ſi quis oculorum lumen; ſi quis uſum aurium, vel manuum tibi dediſſet; ſi quis pedem tibi præpeditum aliquomodo reparaſſe videretur; vel, ſi quis ſopitam quavis occaſione excitaſſet in te rationem; nonne eum plurimum amares? Nonne æternas ei gratiarum actiones rependeres? At quanto magis Deum amare, eique gratias agere debes; cum ille non aliquorum ſolummodo membrorum uſum dederit; ſed pedes, oculos, caput, omnia corporis membra, omnes animæ tuæ potentias, teque totum creaverit, ac te totum tibi dederit?

Dic iterum, o peccator; ſi quis a dira te Maurorum, vel Turcarum ſervitute eripuiſſet; nonne ei gratias rependeres? Nonne eum ut benefactorem & liberatorem tuum ardenter amares? Certe, niſi inhumanus & ferreus eſſes, te totum in amoris, & gratiarum actionis actus effunderes. Sed quanto magis Deo gratias agere debes, quanto ardentius illum amare teneris, cum graviſſima paſſus ſit, & acerbiſſimam mortem obierit; ut te a diriſſima dæmonis & peccati ſervitute liberaret?

Dic tandem, o peccator; nonne ardentiſſime diligeres eum, qui a formidando te eruiſſet præcipitio, quique a præparato tibi rogo te liberaſſet? Eum ſane ſummo proſequereris amore, eique immortales gratias rependeres. Sed multo magis Deum amare, eique gratias referre debes, cum ab inferni præcipitio & rogo, in quem projici pluries merueras, te ex mera ſui bonitate eripuerit. Ama ergo Deum, qui ita te amavit. Dic illi ex intimo cordis affectu: diligam te, Deus meus, Creator meus, Redemptor meus, Liberator meus. Dic illi cum D. Auguſtino:



Digitized by Google

*Diligam te, Domine, virtus mea: diligam te, omnis exultatio mea: diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea, & totis viribus meis, & etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis, & momentis, quibus fruar bonis miſericordiæ tuæ. Sicut enim nulla hora eſt, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; ſic nullum erit momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea. S. Aug. ſoliloq. c. 7.* Hoc dic, & fac quod te facturum dixeris, ama, & ardenter ama, & toto vitæ tuæ tempore ama Deum, qui te prior dilexit. At Deus amat non ſolum hominem peccatorem; *ſed etiam hominem pœnitentem.*

## SECUNDA PARS.

*Deus diligit homines pœnitentes.*

HOmines Deus ad pœnitentiam vocat; eos ex peccatoribus pœnitentes fieri deſiderat; moxque ut veram pœnitentiam ſuſceperint, eos ardentius amat; eiſque majora amoris ſui teſtimonia exhibet: 1. Quia eos benigne recipit: 2. Quia omnia iis peccata dimittit: 3. Quia æternæ iis pœnæ reatum remittit: 4. Quia amiſſam gratiam, primoſque iis honores reſtituit.

1. Indignus erat peccator, ut a Deo, cui injuriam fecerat, benigne reciperetur; Dei juſtitia potius, quam ejus miſericordia dignus erat. Cum tamen ex peccatore fit pœnitens, tantus in eum Dei eſt amor, ut illum benigne recipiat, eumque quaſi deſponſet: *Sponſabo te mihi in ſempiternum. Oſee 2. 19.*

Cum uxor a viro diſceſſit, aliumque virum ſictum duxit, a primo ſponſo non benigne recipi ſolet; ſed tantus eſt Dei, animarum noſtrarum ſponſi, in peccatores amor, ut licet ab eo per peccatum receſſerint, & aliis amatoribus cor ſuum dederint: ſi tamen ad ipſum per pœnitentiam redire voluerint, eos benigne recipiat, & in æternum ſponſet. *Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eum ultra? Numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. Jer. 3. 1.* Audi, peccator, Deum promittentem tibi: quod ſi ad eum per pœnitentiam redieris, benigne te recipiet, *& ego ſuſcipiam te.* O magnum Dei in homines pœnitentes amorem!

2. Magnus quidem hic Dei in homines pœnitentes amor, quod ſcilicet eos, licet indignos, benigne recipiat; ſed tanto adhuc illos amore proſequitur, ut non aliqua dumtaxat, verum & omnia, quantumvis gravia, & enormia, peccata dimittat. *Si impius*, inquit Deus, *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt: omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. Ezech. 18. 21.* Ita hominis pœnitentis peccata Deus delet, ut eorum amplius non recordetur ad vindictam, ac pœnitentes ita amet, quaſi nunquam peccaverint. O eximium Dei in homines pœnitentes amorem! Sed eos magis adhuc diligit: quia non eis ſolum omnia peccata dimittit; *verum & iis æternæ pœnæ reatum remittit.*

3. Quamdiu quis in ſtatu lethalis peccati vivit, æternis cruciatibus obnoxius eſt, ita ut ſi in hoc ſtatu ex hoc mundo exeat, mox in infernum, æternum cruciandus projiciatur. O quam miſere vivit, qui in hoc ſtatu vivit! Sed o quam felix homo pœnitens, quia cum pœnitentiam agit, Deus ita illum diligit, ut hunc pœnæ æternæ reatum illi remittat, faciatque ut æternis ſuppliciis non amplius obnoxius ſit. Sempiternis illis cruciatibus peccatores Deus juſto ſuo judicio deſtinat, niſi reſipiſcant, ſed ex nimia bonitate ſua iis, pœnitentiam agentibus, hanc pœnam tollit, iiſque veniam concedit: *Qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit, dicens ad populum, pœnitere, & ſalvum faciam te. Tertull. l. de pœnit. 4.*

4. Ecce aliqua, eaque eximia, amoris Dei in pœnitentes teſtimonia; ſed majus amoris ejus in illos teſtimonium hoc eſt, quod iis amiſſam gratiam reſtituat, ac primos reddat honores. Mox enim ut quis pœnitentiam agit, gratiæ juſtificantis ſtolam ei Deus tradit, & non ſecus ac filii prodigi pater, clamat, dicens: *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus. Luc. 15. 22.* Quæ verba, de Patre Æterno explicans Chryſologus, ait, Deum ita hominem pœnitentem diligere, ut non ei ſolum ſtolam gratiæ juſtificantis, ſed etiam priſtinos honores reſtituat: *Paterna pietas contenta non eſt innocentiam reparare ſolam, niſi priſtinum reſtituat & honorem. Chryſoſt. ſer. 1. de duobus fil.*

Cum Nabuchodonoſor, ad ſe reverſus, agnovit Altiſſimum, & peccatorum quæ patraverat pœnitentiam ſuſcepit; ei Deus non ſolum gratiam juſtificantem contulit, ſed & illi regni honorem reſtituit; ſic cum peccator crimina ſua per pœnitentiam delet, non ſolum dat ei Deus gratiam juſtificantem; ſed & illi priſtinos honores confert. Immo Deus hominibus pœnitentibus non ſolum amiſſam gratiam ad æqualitatem, verum etiam ſæpe cum additione & fœnore reſtituit. Sicut enim filii Iſrael ex Ægypto ditiores egreſſi ſunt, quam in Ægyptum ingreſſi fuerunt, nam Deus *eduxit eos cum argento, & auro; Pſ. 103.* ita homines per pœnitentiam ſæpe a peccatis ſuis, gratia, & bonis ſpiritualibus ditiores reſurgunt, quam ante caſum fuerint. Sicut etiam prodigi illius filii pater benignius, lautius, & feſtivius erga illum redeuntem ſe geſſit, quam antequam ab illo exiret; ita & Deus erga peccatores, ad eum per pœnitentiam revertentes, ſe liberaliorem ſæpe exhibet, quam antequam ab illo per peccatum diſcederent: iis ſæpe abundantiores gratias tribuit, eoſque ad altiores honorum gradus elevat.

O quam magnus Dei in homines pœnitentes amor! *Eos amat*: cum eos, licet indignos, benigne recipiat: *Eos amat*: cum iis indulgeat, omniaque peccata, quantumvis gravia, multa, & inveterata, dimittat: *Eos amat*, cum æternorum inferni ſuppliciorum iis reatum remittat: *Eos amat*, cum amiſſam iis gratiam, & primos honores reſtituat.

Vide, o homo pœnitens, quantum diligat te Deus; ſed vide identidem, an redames eum, qui tantopere te dilexit; vide, an pro tot acceptis beneficiis eum laudaveris, ac debitas ei gratias rependeris. Forte nondum oculos in altum ſuſtuliſti, ut gratias ageres benefactori & amatori tuo? Forte poſt tot accepta beneficia, & poſt tot in te amoris teſtimonia,

obli-

oblitus es Dei tui, dereliquiſti amatorem tuum, & in priſtina peccata iterum cecidiſti?

*Cum Deus nobis magna beneficia præſtat, nihil exigit a nobis, niſi ut eum diligamus. Divus Baſilius in cap. 10. Deuter.* eique gratias referamus. Dic, o homo pœnitens, qui tot beneficia, totque amoris ſigna a Deo recepiſti, dic, inquam, ubi eſt amor tuus? Ubi gratiarum actiones, quas Deo rependiſti? Itane eum dilexiſti, ut a tempore quo pœnitentiam egiſti, nullo modo in eum peccaveris? Itane ei addictus fuiſti, ut omnia ad ejus laudem, & gloriam feceris? Hæccine reddidiſti Deo amatori, & benefactori tuo? *Hæccine reddis Domino? Deuter.* 32. Forte retribuiſti mala pro bonis? Forte poſt acceptam a Deo veniam, & gratiam, pluries in eum peccaſti? Forte ſimilis fuiſti ingratis hujuſmodi, qui cum Deum diligere deberent, detrahebant illi; *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi? Pſ.* 108. Heu! ſi tanta tua fuerit ingratitudo, eam deteſtare, veniam a Deo ſupplex poſtula, & impoſterum ab omni abſtine peccato, omnibuſque cordis tui medullis lauda & ama eum, qui tantopere te dilexit. *At Deus non ſolum hominem pœnitentem; ſed etiam hominem juſtum maxime diligit.*

## TERTIA PARS.

*Deus diligit homines juſtos.*

DE juſtis ſpecialiter aſſerit Propheta, quod a Deo diligantur: *Dominus diligit juſtos. Pſ.* 145. Et ipſe Deus per alium Prophetam declarat, quod juſtos ut pupillam oculi ſui amet dicens: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Zach.* 2. In quæ verba D. Auguſtinus ait, Deum juſtos vocare pupillam oculi ſui. *Propter excellentiſſimum dilectionis affectum, quo eos proſequitur. S. Auguſt. de Civit. lib.* 20. *c.* 30.

Propter eundem affectum aſſerit Deus, quod ad juſtum veniat, & in illo maneat. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Joann.* 14. 23. Deus qui ubique eſt, ideoque immobilis, venit ad juſtos, & in iis manet, non per loci mutationem, ſed per novam operationem, & per ſpeciale quoddam amoris teſtimonium quod eis exhibet.

Ad eos venit Pater Æternus per ſuam potentiam, ut illos protegat; Filius per ſuam ſapientiam, ut eos illuminet: Spiritus Sanctus per ſuam gratiam, ut eos in juſtitia conſervet & promoveat; ad juſtos tandem tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ *veniunt ſubveniendo, illuminando promovendo; S. Auguſt.*; & in iis manent & habitant, quaſi in domo & templo ſancto ſuo: *Vos eſtis templum Dei vivi. 2. Corinth.* 6. Nec credas, in juſtis Deum tunc ſolummodo ſpecialiter eſſe & habitare, cum proſperitate gaudent, vel cum temporalibus bonis affluunt: in iis enim & cum iis etiam eſt, quando tribulantur, & gravia patiuntur: *Cum ipſo ſum in tribulatione. Pſalm.* 90. 15. Tunc cum eis eſt, ut eos adjuvet, conſoletur, corroboret, perficiat, & cælo dignos efficiat.

Ecce plurima divini amoris erga juſtos teſtimonia; ſed alia nonnulla ejuſdem amoris argumenta paucis verbis colligit Sapiens: dum ait; *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei: & dedit illi ſcientiam Sanctorum Sap.* 10. 10. Juſti non a mundi, vel carnis ſpiritu ducuntur; ſed a Deo, qui eos ducit per vias rectas charitatis, patientiæ, humilitatis, & obedientiæ; *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.* Et quia viæ illæ arduæ ſunt, & difficiles; ut eos ad hujuſmodi viis generoſe incedendum alliciat, in ſecreto contemplationis oſtendit illis regnum cælorum. Quaſi dicat, durum vobis eſt, viis charitatis, humilitatis, patientiæ, & obedientiæ incedere, durum vobis eſt amare eos qui vos perſequuntur, coram omnibus humiliari, dira quævis pro mei amore pati, & mandatis meis obtemperare; ſed videte paratum vobis cælorum regnum, quod dabo vobis ſi per has vias incedatis: *Et oſtendit illi regnum Dei.* Quid plura? *Et dedit illi ſcientiam Sanctorum:* Deus enim ita diligit juſtos, ut ab eorum mentibus deleat ſcientiam mundi, quæ docet vanitatem, & ſcientiam carnis quæ docet voluptatem; ac det illis *ſcientiam Sanctorum*, ſeu, ſcientiam illam cæleſtem, & practicam, qua quis ſtudet Deo per omnia ſervire & placere, ſeque totum ad ejus voluntatem convertere.

Ecce quomodo Deus juſtos diligat; ſed & alia multa amoris ſui teſtimonia eis exhibet, inter quæ, non mihi parvum quid videtur lætitia illa ſpiritualis, & interna, qua eos replet. Miſeri peccatores nulla unquam vera pace, & lætitia fruuntur: non eſt gaudere impiis, dicit Dominus, ſed *vox exultationis, & ſalutis in Tabernaculis juſtorum. Pſalm.* 117. 15. Lætantur juſti ob teſtimonium conſcientiæ; lætantur, quia Dei amicos & filios ſe eſſe confidunt; ſed lætantur potiſſimum, & juſte lætantur ob certam ſpem, quam de futura gloria habent. Quis enim non lætetur *in ſpe gloriæ filiorum Dei? Roman.* 5. Quid triſte poteſt accidere ei, qui poſt modicum ſperat cum Deo regnare, inter Angelos ſociari, & felicitatis æternæ gaudia poſſidere? Ruat mundus, diſſolvatur orbis, terra dehiſcat, ſi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Non enim contriſtabitur juſtus quidquid acciderit ei, quin contra ſemper lætabitur, & in mediis etiam tribulationibus gaudio ſuperabundabit: *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione. 2. Corinth.* 7. 4. Mirabilem Dei erga homines juſtos amorem, qui tantus eſt, ut etiam in hoc mundo, interna eos lætitia, & conſolatione repleat. Sed & illos Deus ita amat, ut alia multa iis bona largiatur; & ideo filio ſuo dicebat Tobias: *Multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum. Tobiæ* 4. 23.

Quæ & quanta in hoc mundo juſtis Deus largiatur bona, & impendat beneficia, facile auſpicabitur qui adverterit, viros juſtos qui hujuſmodi bonis fruuntur, omnia alia mundi bona & ſolatia parvipendere, ac veluti ſtercora inſpicere. Conſule Prophetas, Apoſtolos, Doctores, conſule Religioſos, Monachos, Eremitas, conſule Antonium, Paulum, Hilarionem, & alios Sanctos qui in eremo ſolitarii, ſilveſtres inter beſtias diutiſſime vixerunt: pete ab illis, quid ſuavitatis in ſolitudine invenerunt? Quid inter rupes & ſaxa illos detinebat? Cur non redibant ad mundi ſolatia? Propter quid ſæculi divitias & delicias non repetebant? Certe quia Deus tot illos bonis ſpiritualibus, totque & tantis deliciis replebat, ut, comparatione eorum, omnia mundi bona & ſolatia parvipenderent, pro nihilo haberent, ac veluti lutum arbitrarentur, & deſpicerent.

O quam

Digitized by Google

O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Quam magna ſunt ſpiritualia bona, quibus juſtos etiam in hoc mundo reples! Sed quid erit in Paradiſo? Quæ & quanta erunt cæleſtia illa bona, quæ a Deo recipient? Ibi Deus, qui eos amavit, dum in ſæculo viverent, illos Infinito proſequetur amore, ineffabilibus eos bonis replebit, & ſempiterna illos gloria coronabit.

Quando moritur peccator, pereunt omnes cogitationes ejus, omnia negotia, omnes fraudes, omnes ſollicitudines, omnia ſolatia, omnia denique opera, quæ in fovenda, nutrienda, & ſaginanda carne expenſa ſunt: nil illius remanet niſi ſola miſeta anima, quæ perpetuo incendio punienda reſervatur. Sed juſti poſt mortem, amplam retributionem, & mercedem copioſam percipiunt; intrant in gaudium Domini ſui, & ad cæli ſedes ſublimantur, ubi perpetua & inenarrabili gloria perfruuntur. Hæc eſt pars juſtorum, hæc ſors timentium Deum, & cuſtodientium præcepta ejus.

*Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet. Pſalm.* 111. 10. Ad tormentum ſuum videbit peccator juſtorum felicitatem & gloriam, videbit quid amiſit, & videndo iraſcetur, ac dentibus ſuis in ſeipſum fremet & tabeſcet: quia tanta bona tam ſtulte perdidit. Merito fremet, & juſte contabeſcet peccator; quia cum poſſet per viam juſtitiæ ire ad cæleſtem gloriam, elegit pos us per vias difficiles, per ſaxa, & ſpinas tendere in gehennam.

Heu, quo fremitu, quo ejulatu, quibus clamoribus hanc ſuam ſtoliditatem & cæcitatem deplorabunt peccatores! Sed o quanta juſtorum erunt gaudia, quanta ſolatia, quanta præmia! Quis non timeat cruciari dum impiis, & quis non ambiat cum juſtis præmiari? Timete impii, trepidate, & a via iniquitatis diſcedite, ut in juſtitiæ via ambuletis. Deſinite in ſtatu peccati vivere, ad ſemitas juſtitiæ tranſite. Eſtote juſti; & Deus ita vos amabit, ut in hoc mundo vos ſpiritualibus bonis repleat, ac in alio cæleſtibus, & æternis vos afficiat. *Amen.*

## DOMENICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

## DE VERBO DEI.

*Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.* Lucæ 5. 1.

TRinum eſt Dei Verbum: unum, quod ex mente Dei; aliud, quod ex corde Dei; & aliud, quod ex Dei ore procedit. *Verbum*, quod ex Dei mente procedit, eſt ipſum Verbum æternum & increatum, quod ab Æterni Patris intellectu producitur in ſimilitudinem naturæ. *Verbum*, quod ex Dei corde procedit, eſt Verbum illud bonum, quod cor ejus eructavit, cum Verbum æternum, ex nimio ſui in homines amore, in beatiſſimæ Virginis utero, ad eorum ſalutem incarnari voluit. *Verbum* tandem, quod ex Dei ore procedit, ſunt eloquia ſancta, a Deo per ſeipſum, vel per alios prolata, quibus de his quæ ad ſalutem credenda, ſperanda, vitanda, & facienda ſunt, erudimur, & ad recte vivendum accendimur.

*Verbum mentis* ſemel dumtaxat prolatum eſt; cum ſcilicet ab æterno Filium ſuum Pater Æternus genuit. *Verbum cordis* ſemel etiam ſolum dictum eſt; nempe cum Verbum æternum in beatiſſimæ Virginis utero eſt incarnatum. *Sed Verbum oris Dei* a mundi primordio populis prædicatum eſt, & uſque ad mundi finem prædicabitur: illudque Chriſtus divino ſuo ore, tanto fervore, eloquentia tanta, tanto verborum lepore, tantaque ſententiarum vi, hominibus annuntiavit, ut populi ſummo illum audiendi deſiderio ſuccenſi, illum ſequerentur, & in illum irruerent: *Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei.* Sedulo inſpiciamus, quomodo ſe habuerint populi reſpectu Chriſti prædicantis, & inde ſumamus occaſionem docendi, quomodo ſe gerere debeant Chriſtiani: cum eis Dei verbum per Concionatores annuntiatur, &c. *Ave.*

POpuli, qui Chriſtum ſequebantur, ejus concionibus audiendis erant aſſidui & ferventes; cum in eum irruerent, ut eum prædicantem audirent; *Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei.* Hi etiam populi ſermonibus ejus erant attenti, cum verbis illius ita intentos haberent animos, ut nec manducare, nec bibere recordarentur; pluribuſque diebus eum, nec manducantes, nec bibentes ſequerentur: *Ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Marc.* 8. 2. Hi tandem populi multam ex concionibus ejus percipiebant utilitatem, cum innumeri converterentur, & pravis abrenuntiantes moribus, ſe totos Dei obſequio conſecrarent.

Illi populi Chriſtianos docent, qua ratione ſe habere debeant, cum palam dicunt Concionatores: eos enim, 1. Audire debent aſſidue; ita ut ſine gravi cauſa a Concionibus non abſint: 2. Eorum verbis debent eſſe attenti, ita ut dum habetur concio, nec garriant, nec rideant, nec quocumque modo animos ſuos alio ferant: 3. Ex concionibus utilitatem percipere debent: ita ut Concionatorum verbis ad debitam morum ſuorum compoſitionem utantur; Conciones tandem audiri debent aſſidue, attente, & utiliter. En tres hujus orationis partes.

### PRIMA PARS.

*Conciones audiri debent aſſidue.*

MIratur jure merito Sanctus Ambroſius fervorem illorum populorum, qui in Chriſtum irruunt, ut audiant verbum ejus. Nox imminebat, Chriſtus in navi prædicabat; non ideo tamen ab eo diſceſſerunt; ſed illum prædicantem aſſidue audierunt: *Veſper incubuit, ſequebantur, ſtagnum occurrit, urgebant, & ideo aſcendit in navim. Ambroſius lib. 4. in Luc. cap. 5.*

Poterant hi multa cum ratione a Chriſto ſe ſubducere: *tum* quia tempore incommodo, veſpertino ſcilicet, & nocte imminente, concionem haberet: *tum* quia prædicaret in loco minime ſacro, & ſub dio: ubi & ipſe, & auditores variis temporum injuriis erant expoſiti; *tum* quia ad littus ſtagni, & ex inſolita cathedra, fluctuante videlicet vili navicula, verba faceret. Verum nihil eorum populos ab audiendo Dei verbo deterret, quin contra, ſancto ſuccenſi fervore, irruunt in Chriſtum, ut eum prædicantem audiant.

O uti-

Digitized by Google

O utinam eodem fervore arderent hujuſce ævi Chriſtiani! Utinam ut ſe concionibus audiendis aſſiduos præberent, omnia quæ obſtant, ſedulo removerent! Sed heu! minimo quovis accedente impedimento; immo & ſine ulla legitima cauſa, ex mera negligentia, vel pietatis Chriſtianæ defectu, ab iis audiendis ſe ſubtrahunt.

Ut autem iſtius temporis populos ad conciones aſſidue audiendas inducam; velim, ſerio perpendant, hoc verbum, quod a Concionatoribus profertur, non eſſe aliud, quam Dei verbum, & Chriſti Evangelium. Verum eſt, quod non prædicamus Evangelium de verbo ad verbum, ſed prædicamus Evangelii ſenſum. Prædicamus, jejunandum, injurias condonandas, honorandos parentes, aliena reſtituenda, pœnitentiam agendam, & alia his ſimilia Sacri Evangelii dogmata, quæ qui prædicat, Evangelium prædicat: quia, ut ait S. Hieronymus, *in verbis Scripturarum non eſt Evangelium, ſed in ſenſu. D. Hieron. in Epiſt. ad Galat.* Quare cum Evangelium, & Dei verbum prædicemus, ei audiendo vos aſſiduos præbete: *Audite verbum Domini gentes.*

Ut Iſraelitas ad cuſtodiendam Legem Deus induceret, dicebat, ſe locutum eſſe: *Dominus locutus eſt. Jerem.* 31. 10. Sic, ut ad audiendas conciones alliciamini, perpendite, Deum ore Concionatorum loqui, & ab iis Dei verba proferri. Non ab iis fabulæ & figmenta, ut quid certum proponuntur, ſed ab illis verbum Dei ad auditorum eruditionem, converſionem, & ſalutem prædicatur: quare audiendo Dei verbo eſtote aſſidui.

Videmus, quod cum ſatanæ miniſtri in Novatorum Templis, Lutheri, Calvini, vel alterius cujusque Hereſiarchæ errores prædicant, ad eos audiendos currunt ſectatores, ſuntque maxime aſſidui ad audiendos ſermones hominum impiorum, qui prædicant: non ut ſalvent; ſed ut in errorem, & in damnationem æternam inducant. Sed heu! quanto majori fervore audiri debent Concionatores a Deo miſſi? Quanto magis viri Catholici aſſiduos ſe præbere debent audiendis concionibus, in quibus verbum Dei ad converſionem, & ſalutem auditorum prædicatur!

Ad audiendum aſſidue Dei verbum adduci ſane deberent Catholici hoc ſolo, quod *Verbum Dei* ſit illud, quod iis prædicatur. Sed ad illud aſſidue audiendum vehementius excitabuntur, ſi advertant, hanc eſſe differentiam inter eos qui ex Deo ſunt, & eos qui ex Deo non ſunt; quod primi verbum Dei audire ament, ſecundi vero illud audire recuſent; ut enim Judæis dicebat Chriſtus Salvator: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Joan.* 8. 47. Unde hanc univerſalem ſtatuit regulam Chryſoſtomus, quod qui ex Deo ſunt, ſeu perſonæ virtutem ſectantes, Dei verbum maxima cum voluptate audiant; qui vero ex Deo non ſunt, ſeu impii, illud audire renuant, illudque raro audiant: *Regula hæc univerſalis eſt: nemo in virtute viventium Dei ſermonem fugit; in multa vero malitia viventium nemo, præter paucos, ſermonem admittit. Chryſoſt. hom. 50. ad popul.* Audiendum ergo aſſidue Dei verbum, ut Dei filii ſitis, ſed audiendum eſt etiam aſſidue, ſi attendatis mirabiles effectus, quos Dei verbum in auditorum cordibus producere ſolet.

D. Ambroſius, ait, verbum Dei eſſe remedium, lumen, & fontem: *Verbum tuum medicina eſt, verbum tuum lumen eſt, verbum tuum fons eſt. Ambr. præfat. in Pſ. 45.* Eſt quidem medicina, ad ſanandas omnes animæ infirmitates idonea, eſt etiam lumen, quo ignari de rebus ſalutis erudiuntur, & eſt fons, a quo innumera beneficia in auditores fluunt. Ut enim ajunt Sancti Doctores, verbum Dei illuminat intellectum, voluntatem ad bene faciendum inflammat, mentem in Dei obſequio roborat, ſolatur in adverſis, in proſperis erudit, præſervat a vitiis, ad pœnitentiam ſuſcipiendam excitat. Addi poſſet ex Regio Propheta, verbum Dei: 1. Cedros confringere, ſeu humiliare ſuperbos, qui ut cedri elevari ambiunt, *Vox Domini confringentis cedros; Pſ.* 28. 5. 2. Inferni ignem extinguere, ita ut in inferni flammas non projiciantur qui Dei verbum audiunt, & ex illo utilitatem percipere conatur: *Vox Domini intercidentis flammam ignis;* 3. Corda deſerta & indurata concutere, & mollire: *Vox Domini concutientis deſertum;* 4. Peccatores qui ut cervi a Deo fugiunt, ad virtutem ſectandam præparare: *Vox Domini præparantis cervos.* O quam præclari effectus, quos Dei verbum producit! Quare prompti, ferventes, & aſſidui eſſe debetis in audiendo Dei verbo, ut ex eo tales effectus percipere valeatis.

Aſſidui ſane eſſetis verbo Dei audiendo, ſi vos ab ejus auditu non averteret ſatanas, ſed accedente concionis tempore, dæmones, ſcientes quantam utilitatem ex Dei verbo percipere poſſunt homines, undequaque vagantur, ut eos impediant, ne concionem adeant. Maligni illi ſpiritus, omnis generis perſonas tunc conveniunt, & dicunt *aliis*: ne ad concionem vos conferatis; quia hic Concionator acrior eſt in redarguendo, & in ſermonibus prolixior. *Aliis* intus inſpirant, non adeundam concionem; quia Concionator nil novi docet, ejuſque conciones non ſatis ſtudioſe cultæ, & elaboratæ ſunt. *Aliis* intus dicunt; non jam vobis tempus idoneum accedendi ad concionem, alia vos magis nunc urgent negotia: quare non hodie, ſed cras, vel altera die Concionatorem audietis. His, & aliis ſimilibus multis rationibus dæmones ab audiendo Dei verbo homines avertunt: *Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum. Luc.* 8. 12. Sed perverſis illis dæmonis inſpirationibus generoſe reſiſtendum, & aſſidue Dei verbum eſt audiendum, *ac etiam attente.*

## SECUNDA PARS.

*Conciones audiri debent attente.*

P*Rima* auditoris diſpoſitio, eſt recta intentio; ita ut ad concionem accedat cum intentione glorificandi Deum, & ex concione fructum ad sui ſalutem eliciendi. *Secunda* vero diſpoſitio, eſt oratio; antequam enim ad concionem audiendam quis accedat, Deum humiliter, & enixe orare debet, ut det cor docile, & ut animam ad debite audiendam concionem præparet. Prævits autem duabus illis diſpoſitionibus, quiſque Concionatorem audire debet magna cum attentione.

Dum ſit prædicatio, auditores hinc inde reſpicere non debent, ut adnotent quæ ſit veſtis unius, quis ſit alterius comitatus, quomodo ſe gerat iſte, quid faciat ille. Non etiam garrire, confabulari, vel geſticulationibus & ſe, & alios ab audiendo attente

Dei

Digitized by Google

Dei verbo avertere; nec quocumque modo animum alio ferre debent, ſed magna attentione debet recipi in corde verbum Dei. *Si enim*, inquit Chryſoſtomus, *cum Regis leguntur litteræ, ubique eſt ſilentium, omnium aures arriguntur, ut ſciant quæ Regis litteris manifeſtentur, & quiſquis vel parum tumultuatus fuerit, in magno periculo eſt, multo magis cum magno timore & tremore ſtandum, & altum ſilentium habendum, & pellendæ cogitationes turbulentæ, ut verba Dei intelligere poſſimus. Chryſoſt. hom. 34. in Geneſ.*

Quemadmodum terreni Reges aliquando per ſemetipſos loquuntur, aliquando per epiſtolam ſuam manifeſtant voluntatem, & aliquando Legatos mittunt, qui Regis perſonam gerant: ita Deus, primo per ſemetipſum hominibus locutus eſt, & *ſic olim ad Adam venit, ſic Cain increpavit, ſic cum Noe locutus eſt. Chryſoſt. hom. 2. in Geneſ.* Deinde Deus, ut ſuam hominibus manifeſtaret amicitiam, quaſi abſentibus litteras miſit, ſacram ſcilicet Scripturam, quæ nihil aliud eſt, quam epiſtola a Deo ad nos miſſa, ut ſuam nobis patefaciat voluntatem, utque ad vitii fugam, & ad virtutis amorem nos hortetur: *Quid eſt Scriptura, niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam? Ibid.* Deus tandem Legatos miſit, qui perſonam ejus gererent, ejuſque nobis litteras legerent. Hi legati a Deo miſſi, ſunt ipſi Apoſtoli, aliique Concionatores, qui ſacras Scripturas aperiunt; & qui litteras nobis a Deo miſſas legunt, cum concionantur, quare ſumma cum attentione audiendi.

Refert Panormitanus, quod cum Jannottus Manettus, Florentinorum Legatus, ad Regem Arragonum Alphonſum miſſus, *prolixam, nec minus elegantem orationem pronuntiaret, attentionem, patientiamque Regis apprime miratus eſt, quod ne oculos quidem a ſe diutiſſime dicente, minimum deflexiſſet, nec manus moviſſet. Panorm. in comment. Regis Alph. lib. 1.* Quod ſi hic & alii Legati a terrenis Principibus miſſi, tanta animi attentione audiantur, quanto attentius audiri debent Concionatores, qui ſunt Legati a Deo miſſi, ut ejus nobis aperiant voluntatem, utque nobis epiſtolas ab eo miſſas legant? iſti ſane Legati attentius audiri debent, quam illi. Sed tanta eſt hominum perverſitas, ut Legatos a terrenis Principibus miſſos attente audiant; Concionatores vero, qui ſunt Legati a Deo miſſi, nulla mentis attentione audire velint. Et ideo eos increpat D. Chryſoſtomus, dicens; *Itane, ſi a Rege quiſpiam miſſus veniat, omnes attenditis; a Deo autem venit, atque ex ipſis Cælis loquitur Propheta, & nemo eſt qui attendat? Annon creditis, quæ dicuntur hic, a Deo ſint? Epiſtolæ ſunt illa a Deo miſſæ. Chryſoſt. homil. 8. in Epiſt. ad Theſſal.*

Audiendi ſane Concionatores attente, quia ſunt Legati a Deo miſſi, qui voluntatem ejus nobis declarant & quia legunt & explicant nobis litteras ad homines miſſas, ſeu ſacras Scripturas. Sed debent etiam attente audiri Concionatores, ſi ſpectentur ea quæ prædicant, & verba quæ proferunt, quæ ſunt pretioſa munera, quæ a Deo nobis offeruntur, quæ cum ſint ſpiritualia dona, attenta mente colligi, & retineri debent.

(Vellem ſcire, inquit D. Auguſtinus, ſi ab illa hora qua verbum Dei prædicare incipimus, ſemper pretioſiſſimas gemmas & inaures, vel annulos aureos erogare vellemus, utrum ſtare, vel accipere vellent filiæ veſtræ? Sine ulla dubitatione cum grandi ambitione, quæ illis offerrentur, acciperent. Nos autem, quia ornamenta corporalia offerre nec poſſumus, nec debemus: ideo non libenter audimur. Sed non eſt juſtum, ut ſpiritualia miniſtrantes ſuperflui judicemur: qui enim verbum Dei libenter audit, inaures animæ de Patria Paradiſi tranſmiſſa ſe ſuſcepiſſe non dubitet. *S. Auguſt. homil. 6. ex 50.* Sic ratiocinatur D. Auguſtinus, cujus ratio clara eſt: ſi enim toto concionis tempore Concionator ramenta auri, inaures aureas, vel alia pretioſa monilia projiceret, omnes haud dubie ad illa colligenda eſſent attenti, ſed multo magis attenti debent eſſe auditores, ad mente colligenda verba Concionatorum, quæ ſunt munera a Deo ad nos miſſa, & quæ inauribus, necnon omnibus monilibus materialibus longe ſunt pretioſiora.

Certe hoc deberent auditores, ſed heu! quam pauci in concionibus attenti ſunt his quæ dicuntur? Ibi dormiunt multi, otioſis fabulis occupantur alii, & plerique alio mentes ſuas habent. Unus enim de venatione cogitat, alius de facultatibus ampliandis, iſte de comparandis mundi dignitatibus, ille de lite, de perſona quam diligit, vel de ſæculi voluptatibus, pauciſſimi vero Concionatorum verbis attentum habent animum.

Si quid novi in orbe publicetur, mox accurrunt omnes, & vana curioſitate ducti, magna cum attentione audiunt quæ enarrantur; ſed ſi Concionator, ſummo verborum apparatu beatitudinis æternæ gloriam, cæli divitias, vitæ ſpiritualis delicias, gratiæ divinæ myſteria, præclaras ſalutis vias, & alia ſacri Evangelii dogmata explicare pertentet; dormiunt multi, garriunt alii, & pauci ad ea quæ dicuntur, attendunt.

Cum quadam die Demoſthenes de Græciæ ſalute diſſereret, & ad ea quæ dicebat, non attendebant auditores; ſed alii ſomno indulgebant, confabulabantur alii, & alii oſcitantes, nunc in unam, & nunc in aliam partem ſe vertebant. Quod cum advertiſſet egregius Orator, relicta hac ſeria, & maximi momenti materia, alio ſermonem ſuum vertit, & fabulam quamdam de umbra aſini dicere cœpit; tuncque omnes arrectis auribus adſtantes, attentos dicenti habuere animos, eique facilem auditum præbuere.

Ecce quomodo ſe gerere ſoleant plerique Chriſtiani; ſi enim quis aliquid novi de rebus bellicis referat, vel ſi quis minus vana, fabuloſa, & ridicula dicat, mox omnes benignas, & attentas ei aures, attentumque præbent animum. Sed ſi Concionator de Dei perfectionibus, de gaudiis Paradiſi, de virtutis decore, de peccati deformitate, de formidandis Dei judiciis, vel de terribilibus inferni ſuppliciis ſermonem inſtituat, tædio conficiuntur multi, multique ſomno corripiuntur, & alii alio animos ſuos ferunt. O quam excæcati, & inſenſati ſunt, qui majorem fabulis, næniis, nugis, & ſcurrilitatibus, quam Chriſtianis veritatibus attentionem præbent! O viri Chriſtiani, eſtote aſſidui audiendo Dei verbo; eſtote attenti verbis quæ a Concionatore proferuntur, ſed & ex concionibus quas auditis, ſpiritualem aliquam utilitatem elicite; verbum enim Dei non ſolum aſſidue, & attente, *ſed etiam utiliter eſt audiendum.*

TER-

Digitized by Google

### T E R T I A   P A R S.

*Conciones audiri debent utiliter.*

IN Eccleſiis, & in auditoriis, in quibus fiunt prædicationes, videntur ſæpe ſtatuæ ligneæ, vel lapideæ, quæ ſemper in eodem ſtatu permanent, cumque ſint opera hominum, quæ oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, ex concionibus quæ ibi fiunt, nullam percipiunt; nec percipere poſſunt utilitatem. His autem ſtatuis ſimiles ſunt multi Chriſtiani, qui in mediis auditoriis ſtantes, audiunt quaſi non audiant, vident quaſi non videant, ſemperque iidem in ſe remanent, nec ullam unquam ex concionibus quas audiunt, utilitatem percipiunt.

At non ſic adſtandum concionibus: qui enim iis interſunt, aliquod ſemper ad animæ ſalutem emolumentum ex iis elicere debent. Cum Concionator de divinis perfectionibus dicit: mox auditores in earum admirationem rapi, ad Dei amorem excitari, ejuſque obſequio ſe in æternum mancipare debent: Cum de Paradiſi gloria loquitur Prædicator; mox debent auditores eam ambire, ad eam anhelare, firmoque propoſito ſtatuere, ſe ad illam obtinendam nihil non facturos. Cum de ultimo judicio, vel de formidandis inferni ſuppliciis ſermonem inſtituit Concionator: mox quilibet ex auditoribus in corde ſuo excitare debet pios timoris, contritionis, humilitatis, aliarumque virtutum affectus. Omnia tandem quæ dicunt Concionatores, quilibet auditor ad mores ſuos recte componendos convertere, & adhibere debet; ita ut nullus unquam concionem audiat, quin ex ea aliquam, ad profectum ſuum ſpiritualem, utilitatem eliciat.

Commune multis vitium eſt, ut quæ in concionibus audiunt, non ſibi, ſed aliis dicta exiſtiment. Hinc dicere conſueverunt: ſi hic & ille concioni adſtitiſſent, vidiſſent, quod eorum non obliviſceretur Concionator: o quam perfecte, inquiunt, Concionatoris verba quadrant in hos & illos! Vellem, ajunt, ut hic & ille coram fuiſſent, & audiſſent Concionatorem de iis quæ illos ſpectant, diſſerentem. His & aliis ſimilibus loquendi modis, quæ in concionibus audiunt, ad alios tranſmittunt, nihilque ſibi reſervant. Similes hi ſunt vini emptoribus, qui aliis non ſibi vina emenda delibant; ſimiles etiam ſunt coquis, & ciborum ſtructoribus, qui aliis edulia parant, eaque partiuntur convivantibus: ſibi ipſis vero nihil retinent, & reſervant. At non ad alios detorquere, ſed ad propriam utilitatem deflectere quiſque debet quæ a Concionatore dicuntur: non inſpiciendi alii, ſed quiſque ſeipſum inſpicere, & concionatoris verba ad propriam emendationem, & ad morum compoſitionem aſſumere debet: *Nos autem fratres, conſideremus in ea, quam audivimus, ſancti Evangelii lectione, ut proficiamus ex ea, & corrigamus ſi qua in nobis deprehendimus corrigenda. S. Bern. ſerm. 1. de 7. panibus.*

Quilibet ex auditoribus imitari debet eos, qui ſeipſos in ſpeculo conſiderant, qui advertentes aliquam in vultu ſuo eſſe maculam, mox eam abſtergunt: idque ſtatim componere ſatagunt, quod in ſemetipſis incompoſitum apprehendunt. Dei enim verbum eſt ſpeculum admirabile, quod ſine ullo fuco, ſine ulla adulatione cuique manifeſtat quæ ſint ejus animæ maculæ, necnon quid facere, & quid vitare teneatur: *Evangelium eſt ſpeculum veritatis, nemini blanditur, nullum ſeducit: talem in eo ſe quiſque reperiet, qualis fuerit, S. Bern. Ibid.* Quare cum quis huic ſe ſiſtit ſpeculo, ſeu, cum quis Dei verbum audit, mox ut advertit aliquam in anima ſua eſſe maculam, eam abſtergere, & per pœnitentiam delere debet, ac ea facere & vitare, quæ ex hujus ſpeculi conſideratione facienda, & vitanda eſſe cognoſcit.

Non imitandus ſtultus ille, qui cum obiter & perfunctorie nimis ſeipſum in ſpeculo contemplatus eſſet, abiit, & in alia incurrens objecta, oblitus eſt, qualem ſeſe in ſpeculo viderit, & ideo nec vultus ſui maculas abſterſit, nec id compoſuit, quod in ſe inordinatum & incompoſitum viderat: *Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Jacob. 1. 24.* Non ſic ſe gerere debent qui Dei verbum audiunt; in hoc ſpeculo non obiter, & ſegniter ſe contemplari debent; ſed dum verba facit Concionator, debent auditores ſcrutari, an quæ dicit, moribus ſuis conveniant; debent adnotare quid Dei verbum in iis inordinatum, & incompoſitum eſſe manifeſtet, & eo agnito, debent animæ ſuæ maculas delere, & quidquid in ſeipſis inordinatum intuentur, recte componere.

Hic fructus ex verbi divini prædicatione ab auditoribus eſt eliciendus: vult enim Deus, homines concionibus adeſſe, non ut Dei verbum ſolummodo audiant, ſed ut ex eo fructum percipiant. Et hoc ita vult Deus, ut diriſſimis ſint ſuppliciis addicendi, qui Dei verbum ita audiunt, ut nullam ex eo utilitatem percipiant: *O quam male peribis, & quam merito*, inquit ſanctus Bernardus, *ſi perieris in te tantum ſemen. S. Bern. ſerm. de S. Benedict.* Peccatores ſane qui Dei verbum audiunt, nec ideo convertuntur, fructumque a Deo intentum non eliciunt, in æternum peribunt, & male peribunt; quia haud dubie gravius in inferno plectentur, quam Barbari, Turcæ, & alii, ad quos non miſſi ſunt Prædicatores, qui eis Dei verbum annunciarent.

Cum quadam die ad populum Antiochenum ſermonem haberet S. Joannes Chryſoſtomus, auditoribus dixit: Multa cura, magnoque labore, Dei verbum vobis annunciamus; in vitia veſtra vehementer invehimur: nunc vos arguimus, nunc vos obſecramus, & nunc acerbe increpamus. Sed ſi, audito pluries Dei verbo, iidem ſemper maneatis, ſed ad Deum non convertamini, nec fructum ex Dei verbo percipiatis, in maximam incurretis damnationem: *Si nobis omne ſtudium exhibentibus, vos in eiſdem permaneatis, quanta vobis erit damnatio? Chryſoſtom. homil. 78. ad Pop.*

Idem dico vobis, fratres, iſto tempore operarii ſunt multi, Prædicatores plurimi, qui verbum Dei magno cum zelo annunciant. Audiſtis haud dubie multos, qui dixerunt, aliena reſtituenda, vitia extirpanda, virtutes ſectandas: forte millies audiſtis, qui prædicarent, pœnitentiam de perpetratis peccatis agendam, formidanda eſſe Dei judicia, terribilia eſſe inferni ſupplicia, nullamque ſupereſſe ſalutis ſpem iis, qui in ſtatu lethalis peccati ex hoc mundo exeunt. Sed ſi, audientes Dei verbum, peccatis non renunciatis, ſi ad Deum non convertamini, & ſi fructum ex Dei verbo non percipiatis, magna vo-

bis

Digitized by Google

bis erit damnatio. Quare Dei verbum utiliter audite, & fructum a Deo intentum ex eo elicite.

Credo, quod plures ex vobis, cum Dei verbum audiunt, ad declinandum a peccatis, & ad recte vivendum excitentur. Plurimi, cum audiunt Concionatorem de tartareo igne, vel de formidando Dei judicio dicentem, aliquando tremunt, amaras nonnumquam fundunt lacrymas, & a viis ſuis peſſimis declinare, ac ſalutis viam tenere ſtatuunt; ſed quod tunc ſtatuunt, numquam executioni mandant. Hoc autem non ſufficit: quia non ſatis eſt, quod quis, audiens Dei verbum, tremat, lugeat, converſionem in propoſito habeat, ſi quod proponit, opere non compleat.

Pictos nonnumquam in tapetibus vidiſtis gladiatores, qui evaginato enſe decertant: videturque ſemper, quod quilibet alium mox ferire, & in alterius pectus enſem mox infigere debeat, numquam tamen unus alium ferit, & in alterius pectus enſem numquam infigit. His imaginibus ſimiles ſunt plerique hominum: *In imagine pertranſit homo. Pſ. 38. 7.* multi enim, cum Dei verbum audiunt, adverſus propria concitantur peccata, in ea iraſcuntur, ea deſtruere, & in ſemetipſis jugulare ſtatuunt: immo & quandoque ita vivere incipiunt, ut quiſque credat, mox ab ipſis jugulanda peccata, novumque ab iis vitæ genus inſtituendum: ſed numquam opere complent quod ab iis mox complendum videtur: peccata ſua numquam jugulant, iidemque ſemper in ſe remanent.

O N. N. quid vobis proderit Dei verbum audiiſſe, fleviſſe, multa impoſterum facienda ſtatuiſſe; ſi ex verbo Dei ultimum non percipiatis fructum, ſeu ſi non convertamini, & ſi nunquam faciatis quæ facere ſtatuiſtis? Hoc vobis non proderit: ſed major vobis erit damnatio: *Si in eiſdem permaneatis, quanta vobis erit damnatio?* Quare non ſolum aſſidue & attente, ſed etiam utiliter Dei verbum audite, ut æternam vitetis damnationem, & cæleſtem beatitudinem obtineatis. *Amen.*

## DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

## DE ÆTERNITATE POENARUM INFERNI.

*Qui dixerit fratri ſuo: fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. 22.

INfernalium ſuppliciorum æternitatem mente revolvere non poſſumus, quin ſalubri timore concutiamur, & de recta vivendi ratione ſuſcipienda cogitemus. Quis enim non timeat æternum tartari ignem, æternum carcerem, æternas tenebras, æternam ſitim, æternum fœtorem, æternum luctum, & æternam illam malorum & dolorum omnium congeriem, quæ in damnatos irruet: *Omnis dolor irruet ſuper Eum. Job.* 20. Sed quis non exhorreſcat, quis non timeat, quis totis conatibus non fugiat mortale peccatum; quod, licet unicum ſit, hominem æternis illis ſuppliciis dignum efficit?

Velim, ut quis unici mortalis peccati conſcius ex hoc mundo migret: velim, ut quis ſemel dumtaxat toto vitæ ſuæ tempore peccaverit, fatuum vocando fratrem ſuum, pro unico hoc lethali peccato ſuppliciis adjudicabitur æternis, ſi ante mortem hoc peccatum per pœnitentiam non deleverit: *Qui dixerit fratri ſuo; fatue, reus erit gehennæ ignis.* Gravis quidem hæc pœna: ſed æquiſſima eſt; quia minimum quodque mortale peccatum æternis ſuppliciis juſte punitur, ut jam probabimus, &c. *Ave.*

QUi unico mortali peccato æterna non deberi ſupplicia erronee credunt, ut ſuo patrocinentur errori, rationes, *tum* ex parte Dei, cujus infinita eſt bonitas; *tum* ex parte peccati, cujus levis videtur eſſe malitia; *tum* ex parte peccatoris, cujus magna eſt infirmitas, ſtudioſe adducunt.

*Primam* rationem ſumunt ex parte Dei, qui infinite bonus eſt. Quomodo, inquiunt, fieri poteſt, ut Deus, cujus inexplicabilis bonitas, cujuſque miſericordia ſuperexaltat judicium, creaturas, quas ad ſui imaginem condidit, ac pretioſo ſanguine ſuo redemit, pro unico peccato æternis torqueri ignibus, & in ſempiternum cruciari velit? quis credat, ajunt, quod Deus, cujus miſericordia in æternum permanet, in filios ſuos, quos ardentiſſime dilexerat, ultricia in æternum ſupplicia præparet? Cur pro culpa tranſitoria, & nonnumquam momentanea, æternam pœnam irrogaret?

*Secundam* rationem ducunt ex peccati malitia, quam leviſſimam eſſe cenſent. Quomodo, inquiunt, commiſſum ab infirma creatura peccatum, Deo injuriam facere poteſt? Graviſſima quævis peccata tabernaculo Dei non appropinquant, magnitudini ejus nullo modo officiunt, ejuſque majeſtatem nequaquam lædunt: *Si peccaveris, quid ei nocebis? Et ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Job* 35. 6. Cur ergo tam dire, & tam crudeliter puniret Deus peccatum, cujus malitia levis videtur?

*Tertiam* rationem eliciunt ex ipſo homine peccatore, cujus infirmitas magna eſt, ac Deo notiſſima. *Ipſe cognovit figmentum noſtrum, recordatus eſt quoniam pulvis ſumus. Pſ.* 102. 14. Quis ergo credat, ajunt, quod contra abjectiſſimum illum pulverem inſurgat Deus? quod contra animatum illud lutum ſua vibret tela; quod contra folium illud quod vento rapitur, ſuam oſtendat potentiam; quodque hominem infirmum, unius ſolummodo lethalis noxæ reum, in æternum torqueri intendat?

Has adducere ſolent rationes, qui erronee credunt, eos qui in ſtatu peccati mortalis ex hoc mundo migrant, ſempiternis non plecti ſuppliciis, ſed iiſdem principiis, aut ſaltem rationibus ſumptis ex parte Dei, ex parte peccati, & ex parte peccatoris, eos impugnare mihi non erit difficile. Quamobrem dico, unicum mortale peccatum æquiſſime æterna pœna puniri, ſi inſpiciamus Deum, peccatum, & peccatorem; 1. *Deum*, qui infinite juſtus eſt: 2. *Peccatum mortale*, quod ſumme malignum eſt: 3. *Peccatorem*, qui ſummopere ingratus eſt.



Digitized by Google

PRIMA PARS.

*Unicum mortale peccatum, merito pœna punitur æterna, ſi inſpiciamus Deum, qui infinite juſtus eſt.*

QUamdiu in hoc mundo vivit peccator, eum Deus benigne reſpicit; ſanguinem ſuum, ſua Sacramenta, & gratias ſuas illi ſtudioſe offert, erga illum ſe patrem exhibet ita bonum, ut eo melior nullus eſſe poſſit: *Tam pater nemo, tam pius nemo. Tert.* At mortuo impio, Deus, reſpectu ejus, non eſt amplius Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, ſed eſt Judex ſeverus, qui *impios in inferno ardentes, ſiccis oculis videt. Rupert. lib. 1. in Joann.* 1. & qui æterna pœna eos plectit, & merito plectit: quia hoc infinita ejus juſtitia exigit: non enim ſolum miſericors eſt Deus; ſed etiam juſtus: *Miſericors & juſtus. Pſ.* 111. 4. Deus, *Ut miſericors*, peccatores in hoc mundo innumeris afficit beneficiis: ſed Deus, *Ut juſtus*, æternis ſuppliciis in inferno merito plectit.

In Deo ſunt omnes perfectiones, quæ poſſunt in ente uno reperiri; & hæ omnes perfectiones in ipſo ſunt infinitæ: infinita eſt ejus ſapientia, infinita bonitas, infinita potentia, infinita ſanctitas, & infinita juſtitia. Unde Deus non minus eſt juſtus quam bonus, non minus ſapiens quam miſericors, nec minus ſanctus quam potens: quia has omnes perfectiones ſub ratione infinitatis poſſidet. Licet autem hæ omnes perfectiones ſint in Deo infinitæ; ſpeciali tamen quodam titulo juſtitiam Tertullianus, divinitatis plenitudinem & complementum nuncupat: *Juſtitia, plenitudo eſt divinitatis ipſius. Tertul. l. 2. contra Marc. c.* 13. Juſtitiam vocat *divinitatis plenitudinem*; non quod ſapientia, bonitas, & aliæ divinæ perfectiones non æque divinitatem compleant & perficiant, ac juſtitia; ſed quia juſtitia injuriam Deo a peccatoribus irrogatam reſarcit, & reparat.

Peccator Dei bonitatem aggreditur, cum beneficiorum ejus eſt ingratus: illius ſapientiam offendit, cum ſanctas providentiæ ejus Leges non approbat; potentiam ejus deſpicit, cum mandata ejus violat; cunctis tandem perfectionibus divinis conviciatur, quoties mortaliter peccat; *Tendit adverſus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt: Job* 15. 25. Unde videtur, quod peccator criminibus ſuis Deo & ejus perfectionibus detrahat; & ſi ſic loqui fas eſt, eas quantum in ſe eſt aliquomodo minuat. Juſtitiæ autem eſt, injuriam Deo, ejuſque divinis perfectionibus irrogatam, ulciſci, & reparare: & ideo Dei juſtitia, *eſt plenitudo divinitatis*.

Verum quidem, quod quamdiu in hoc mundo vivit peccator, in corde Dei dormire videatur juſtitia: ſed cum infenſus ille divinitatis hoſtis animam efflavit; cum peccator fato functus eſt, quaſi e Dei corde exiens Juſtitia, ad manus ejus tranſit, eaſque replet: *Juſtitia plena eſt dextera tua*. Juſtitia autem illa, in manu Dei omnipotentis exiſtens, omnes injurias, omniaque convicia attributis, & perfectionibus ejus irrogata reparat, & ulciſcitur. Cumque Deus ſit infinitus, & infinita ſit quælibet ejus perfectio, juſtitia divina impios qui in bonum infinitum peccaverunt, pœna merito plectit infinita: non quidem infinita quoad intenſionem: quia non datur pœna infinite intenſa; ſed infinita quoad durationem, ſeu, quæ æterna, eſt & quæ in æternum durabit: ita ut hæc juſtitia in æternum contra peccatores exardeſcat, nec unquam ab ultione eorum ceſſet: *Deus quia juſtus eſt, ab impiorum ultione in perpetuum non ſedatur. S. Gregor. in Job c.* 41.

Dum in hoc mundo remanent peccatores, divina in eos raro irritatur juſtitia; adverſus illos Deus *non accendit omnem iram ſuam: Pſ.* 77. ſed leves ſolummodo iis infligit pœnas, vel, ſalutaris correctionis gratia: vel, ut eos ad meliorem vitæ frugem alliciat, vel, ut illos ad veram pœnitentiam, morumque converſionem perducat. Et ſi divina nimis contra miſeros peccatores nonnunquam exardeſcat juſtitia, aliæ Dei perfectiones eam ſæpe exarmant, eamque movent, ad dandum eis pœnitendi locum, & converſionis tempus. Sed ſi tandem acceptis beneficiis abutuntur peccatores, & ſi ex hoc mundo in ſtatu mortalis peccati exeant, irata in illos inſurgit Dei juſtitia: Et tantum abeſt, ut tunc aliæ Dei perfectiones ab impiorum partibus ſtent; quin contra pro injuria ſibi facta ſatisfactionem exigunt: & in toto juris rigore ſibi ſatisfieri poſtulant. Quare juſtitiæ, quæ eſt *plenitudo divinitatis*, ut aliis divinis perfectionibus, quæ infinitæ ſunt, plane & integre ſatisfaciat, pœnam merito peccatoribus imponit infinitam; non quidem in intenſione, ſed in duratione, ſeu, æternam, & in perpetuum duraturam.

Nec dicas, Deum, ſi juſtus eſt, non debere punire pœna æterna culpam quæ cito tranſiit: ſed debere commenſurare durationi culpæ durationem pœnæ. Hoc enim doctiſſime, & fuſe refellit D. Auguſtinus, dicens, nullum unquam Legiſlatorem, nullam Rempublicam, nullamque juſtitiam ordinaſſe, ut ſemper duratio pœnæ debeat commenſurari durationi culpæ: *Nullæ unquam juſtitia, nec lex decrevit, ut tanta mora temporis quiſque puniatur, quanta mora unde puniretur admiſit. S. Aug. lib.* 21. *de Civ. cap.* 11. Quin contra, videmus, quod Principes terræ, & Legiſlatores æquiſſimi, criminum brevi perpetratorum reos ad æterna ſupplicia ſæpe condemnent; eoſque pro momentaneo peccato ſempiternis pœnis plectant. Nonne pro unico adulterio quod brevi fuit perpetratum, pro furto quod intra breviſſimum temporis ſpatium factum eſt, pro unica ſclopeti emiſſione quæ in inſtanti tranſiit, & pro aliis multis criminibus cito evaneſcentibus, juſtitia ſæcularis pœnas irrogat perpetuas? Nonne talium criminum rei ad vincula perpetua, ad exilium perpetuum, ad triremes perpetuos; immo & ad mortem, quæ eſt perpetua vitæ privatio, quotidie damnantur? Cur ergo Deus, qui eſt Rex noſter, Legiſer noſter, Rex Regum, & Dominus Dominantium, pro culpis gravibus, quamvis cito tranſeuntibus, peccatores ad æterna ſupplicia non condemnabit? Cur Dei juſtitia, ut injuriam divinis perfectionibus irrogatam ulciſcatur, eos pœnis æternis non plectet? Certe Deus, qui juſtus eſt, eos pœnis æternis plectere debet, ſive eorum peccata cito, ſive non cito tranſeant, quia juſtitia ejus exigit, ut æternis puniantur ſuppliciis qui in infinitas Dei perfectiones peccaverunt.

O peccator, formidandam Dei juſtitiam time, hanc ſæpe mente revolve pœnarum æternitatem, quam tibi juſte infliget Deus, ſi in ſtatu peccati

mor-

Digitized by Google

mortalis ex hoc mundo exeas. Ne de bonitate ejus præſumas, ſed timens & trepidans dic ſæpe intra temetipſum: *Numquid in eternum projiciet Deus? Pſ. 76. 8.* Numquid in æternum projiciet me Deus a facie, in quam deſiderant Angeli conſpicere? Numquid in æternum projiciet me in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium? Numquid projiciet me in tartaream fornacem, ut ibi in æternum urar? Hanc pœnarum æternitatem, leviſſimo cuique peccato mortali debitam, crebro recogita; & tunc præcipue, cum peccandi ſeſe offert occaſio, cum gravis urget tentatio, cum cadendi ineſt periculum: tunc dic, & intus dic, ſi mortaliter peccavero, & peccati non me pœniteat, æternis in inferno ſuppliciis cruciabor: *quia hoc Dei juſtitia exigit; ac etiam mortalis peccati malitia.*

## SECUNDA PARS.

*Unicum mortale peccatum merito pœna punitur æterna, ſi inſpiciamus ipſum mortale peccatum, cujus malitia magna eſt.*

Juſtitia vindicativa æqualitatem, & proportionem aliquam requirit inter peccati malitiam, & peccati pœnam, & ideo, ut mortale peccatum juſte pœna plectatur æterna, ſeu infinita in duratione, malitia ejus debet eſſe infinita. Eſt autem peccati mortalis malitia quodammodo infinita, *tum* ex parte Dei, quem offendit: *tum* ex parte gratiæ, quam deſtruit: *tum* ex parte ſanguinis Chriſti, quem profundit. Quare dico, peccatum mortale juſte pœna æterna puniri: quia malitia ejus eſt infinita reſpectu Dei, gratiæ, & Sanguinis Chriſti: *Reſpectu Dei*, quem graviter offendit: 2. *Reſpectu gratiæ*, quam deſtruit, 3. *Reſpectu ſanguinis Chriſti*, quem profundit, & inutilem efficit.

1. Unanimi Doctorum ſententia conſtat, quod culpæ gravitas ſumatur ex dignitate perſonæ offenſæ, & vilitate perſonæ offendentis; ita ut tanto gravior ſit culpa, quanto dignior eſt perſona offenſa, & vilior perſona offendens. Gravitas injuriæ creſcit ex qualitate perſonæ offendentis, ſi ſit vilis & abjecta; & ex qualitate perſonæ offenſæ, ſi ſit nobilis, & dignitate ſublimis; quantoque perſona offendens eſt vilior, & perſona offenſa eſt nobilior, tanto etiam peccati malitia eſt gravior. Quare ut dignoſcatur quanta peccati mortalis ſit malitia, penſandum quanta ſit peccatoris, qui Deum offendit, vilitas, & quanta Dei, quem offendit, ſit majeſtas & celſitudo.

Penſate ergo jam quid ſit Deus, & quid ſit peccator; Deus eſt Creator omnium, & peccator eſt vilis creatura; Deus eſt ens a ſe, & infinitum; peccator eſt ens ab alio, & finitum; Deus eſt omnia, & peccator eſt merum nihil reſpectu Dei; *Tamquam nihilum ante te*, & tamen peccator, qui eſt vilis creatura, ſuum aggreditur Creatorem; peccator, cujus eſſe eſt finitum & limitatum, Deum, qui eſt ens infinitum, graviter offendit; peccator, qui eſt merum nihil, in Deum, qui omnia eſt, impudenter inſurgit: quare cum vilis creatura, & peccator indignus, per peccatum mortale quod perpetrat, Deum, qui eſt ens infinitum, graviter offendat, fatendum, malitiam criminis ſui eſſe infinitam; ac per conſequens, eum juſte puniri pœna æterna, ſeu pœna infinita, quoad durationem.

Hæc ratio paſſim circumfertur a Theologis, aſſerentibus, peccati mortalis malitiam eſſe infinitam; æternis ſuppliciis dignam, quia Deum, qui eſt ens infinitum, graviter offendit. Sed ut rationis illius vis clarius pateat, eam ſic explico, & deduco. Tanto gravior cenſetur culpa, quanto major eſt ille qui offenditur; ſi enim Baronem quis offendat, major eſt culpa, quam ſi plebejum ſolummodo offendiſſet; culpa adhuc major eſt, ſi Marchionem; adhuc major, ſi Principem; & longe major, ſi Regem offendat: quare cum Deus omnibus creaturis ſit infinite major, cumque Deus ſit infinitus in ſanctitate, in bonitate, in ſapientia, & in omni perfectionum genere, culpa, ſeu malitia peccati mortalis, qua offenditur Deus, eſt quodammodo infinita, & ideo cum pœna reſpondere debeat malitiæ peccati; pœna tali peccato debita, debet eſſe quodammodo infinita; non poteſt autem eſſe infinita quoad intenſionem, quia nulla datur, nec forte dari poteſt talis pœna; ergo debet eſſe æterna, ſeu infinita quoad durationem. Peccator ergo, etiam ob unicum mortale, quod perpetravit, in æternum cruciari debet: *Sed peccato mortali debetur etiam pœna æterna, quia malitia ejus eſt quodammodo infinita, reſpectu gratiæ, quam deſtruit.*

2. Si quis a me quærat, quanta ſit peccati mortalis malitia, ab eo petam, quanta ſit Dei magnitudo, quia tantum eſt peccatum mortale in gravitate & malitia, quantus eſt Deus in magnitudine & perfectione. Sed ab illo adhuc petam, quantus ſit gratiæ divinæ valor, quantumque ejus ſit pretium: quia ex valore & pretio gratiæ divinæ, quam peccatum deſtruit, dignoſcenda eſt peccati mortalis malitia; ejuſque malitiam infinitam eſſe cenſendam, ſi gratia ſit pretii & valoris infiniti. Inquiramus ergo, quantum ſit divinæ gratiæ pretium; illudque infinitum eſſe facile judicabit, qui advertet, quod per gratiam emitur & acquiritur vita æterna, quæ eſt infinita. Ut enim ait D. Paulus, *gratia Dei, vita æterna. Rom. 6. 23.* id eſt, gratia eſt pretium ad vitam æternam emendam, & comparandam, & per conſequens, cum peccatum mortale deſtruat gratiam, quæ eſt quodammodo infinita; malitia ejus eſt infinita, & ideo pœna æterna, ſeu pœna quoad durationem infinita, plecti debet.

Gratia divina dici ſolet *ſemen vitæ æternæ*: quia ſicut in ſemine continentur fructus; ita & vita æterna quodammodo continetur in gratia, tamquam fructus in ſuo ſemine: quare cum peccatum mortale deſtruat mirabile illud ſemen, quod in ſe continet fructum infiniti valoris; fatendum, quod infinita eſt mortalis peccati malitia, quodque pœnam mereatur infinitam.

Qui alterius arborem radicitus evellit, non ſolum arborem, ſed etiam pendentes illius arboris fructus ſolvere debet. Gratia autem eſt arbor ſacra, quæ æternos, ac æternæ vitæ dignos fructus producit, & peccator hanc maligne e corde ſuo evellit, & eradicat arborem; quare fructus illos æternos, quos diſſipat, ſolvere tenetur; non poteſt autem aliter æternos hos fructus ſolvere, quam æternas ſubeundo pœnas, & per conſequens peccator pœna dignus eſt æterna, quia per peccatum mortale, gratiam in ſemetipſo deſtruit: *ac etiam quia profundit, & inutilem in ſemetipſo facit Chriſti Sanguinem.*

3. Deus

3. Deus noluit, peccata noſtra hircorum & taurorum ſanguine expiari, brutorum animantium holocauſta pro ſceleribus noſtris abluendis non ei placuerunt; ſolus ei acceptabilis fuit Chriſti Sanguis, qui tanti valoris eſt, ut unica ejus gutta, ſufficiens humanæ redemptionis pretium extiterit: *Una gutta Sanguinis ejus fuit ſufficiens pretium redemptionis noſtræ. S. Bern.* Sanguis ille divinus, qui ratione unionis hypoſtaticæ, eſt valoris infiniti, a Chriſto oblatus eſt Æterno Patri, ut commune foret humani generis remedium: *Fuſus eſt ſanguis Medici*, inquit D. Auguſtinus, *& factum eſt medicamentum phrænetici*. Ecce divinum remedium, quod omnibus hominibus offert Chriſtus, *tum* ut illos a peccatis præſervet; *tum* ut illos, per peccatum mortuos, ad vitam revocet. Qui autem in ſtatu mortalis peccati moriuntur, hoc remedium, quod eſt valoris infiniti, ſpreverunt; ac inutile & inefficax fecerunt; quare pœnam æternam, ſeu in duratione infinitam merentur.

Ecce quanta ſit mortalis peccati malitia; ſed ecce etiam quanta ſit ejus pœna; quantiſque ſuppliciis plectatur, qui vel unicum mortale perpetraverit, ſi ante mortem pœnitentiam non egerit. O peccatores, ſæpe recogitate omnia mortalia, quæ toto vitæ veſtræ tempore perpetraſtis, eorum crebro ponderate malitiam; quæ tanta eſt, ut vos æternis ſuppliciis dignos efficiat. In amaritudine animæ veſtræ cogitate, & recogitate peccata, quæ in adoleſcentiæ, juventutis, & totius vitæ veſtræ annis commiſiſtis; ac Deum laudate, eo quod ſuppoſuerit manum ſuam, & per miſericordiam ſuam ab inferni tormentis, quæ toties meruiſtis, vos uſque ad præſens tempus præſervaverit. Dicite cum Jeremia: *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: Thren. 3.* aut cum Regio Pſalte, *Niſi quia Dominus adjuvit me: paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Pſ. 93. 19.* Certe jam a multis annis conſumpti eſſetis, & in inferno habitaretis, niſi adjuviſſet vos Deus: & niſi per infinitam miſericordiam ſuam a gehennæ incendio, quod toties meruiſtis, vos præſervaſſet; quare nunc ab eo veniam ſupplices petite; eum laudate & benedicite; prompte & ſincere pœnitentiam agite; ac cujuslibet mortalis peccati reformidate malitiam; quæ tanta eſt, ut ei debeatur æterna pœna. Sed cuilibet mortali peccato debetur etiam æterna pœna; *ſi inſpiciamus ipſum peccatorem, qui ſummopere ingratus eſt.*

## TERTIA PARS.

*Unicum mortale peccatum merito pœna punitur æterna; ſi inſpiciamus ipſum peccatorem, qui ſummopere ingratus eſt.*

QUicumque in tali ſe conſtituit ſtatu, a quo per ſeipſum exire numquam poteſt, cenſetur in tali ſtatu velle ſemper permanere, quicumque v. g. in altum ſe præcipitaret puteum, a quo numquam per ſeipſum, ſed ſolum, auxiliante alio, egredi poſſet; cenſeretur in hoc puteo remanere velle in æternum. Peccator autem cum in mortale labitu peccatum, in eo ſe conſtituit ſtatu, a quo nullo modo ſe liberare poteſt niſi adjuvante Deo; ergo in ſtatu peccati mortalis velle in æternum manere cenſetur. Ex quo inferunt nonnulli, quod cum peccator voluerit æternum in ſtatu peccati mortalis remanere, ratione æterni illius affectus ad peccatum, æternis ſuppliciis puniri juſte meretur. Ut enim ait S. Gregorius, *ad magnam juſtitiam judicantis pertinet, ut numquam careant ſupplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere peccato. S. Greg. l. 4. Dial. c. 44.*

Peccator ſane pœna dignus eſt æterna, ratione pravi, & perpetui affectus ſui ad perſeverandum in peccato. Sed æterna pœna magis dignus cenſetur peccator, ſi inſpiciatur ingratitudo ejus. O quam ingratus eſt peccator, qui poſt accepta a Deo innumera beneficia, quorum indignus erat, in illum mortaliter, & impudenter peccat & affectu perpetuo in peccato perſeverare vult! Hæc ingratitudo infinita videtur; quare ratione infinitæ hujus ingratitudinis, peccator æterna pœna dignus eſt.

Quomodo infinita, & pœna æterna digna ſit hæc peccatoris ingratitudo, clariſſime probat & explicat S. Bernardinus Senenſis, hac ratione. Si quis, inquit, ab aliquo infinita acciperet auri talenta, obligatio gratitudinis quam contraheret recipiens tale donum infinitum, cenſeretur infinita, ac quanto magis infinita eſſe videtur obligatio, qua quis tenetur Deo, ratione ſolius linguæ, vel oculi, tanto major adhuc eſt obligatio, qua quis Deo tenetur ratione totius corporis, quod ab eo accepit, quanto adhuc major ratione nobiliſſimæ animæ, ad Dei imaginem, & ſimilitudinem efformatæ, quam a Deo Creatore habet? Ex his ſane principiis infinita eſſe videtur peccatoris obligatio, ſed adhuc major eſt ejus obligatio ex hoc, quod anima illa quam a Deo accepit, ſit immortalis. Si enim anima humana per unius dumtaxat diei ſpatium durare, ſeu vivere deberet, homo peccator Deo eſſet obligatus, ratione vitæ diurnæ, & ſi anima ejus duraret duobus diebus, duplo major eſſet illius obligatio, ſi quatuor diebus, quadruplo major eſſet, & ſic, cum anima, quam a Deo accepit peccator, durare debeat in infinitum, ſeu in æternum, infinita eſt ejus obligatio ratione animæ immortalis, quam accepit a Deo; cum ergo infinita ſit peccatoris obligatio, infinita etiam peccatoris, in Deum mortaliter peccantis, eſt ingratitudo. Æquales ſunt, ait D. Bernardinus, obligatio, & illius obligationis tranſgreſſio, quare cum obligatio peccatoris ad Deum ſit infinita, tranſgreſſio etiam illius obligationis, ſeu ingratitudo peccatoris in mortale peccatum cadentis, neceſſario eſt infinita, & ideo peccatoris pœna merito debet eſſe infinita in duratione, ſeu perpetua, propter ejus ingratitudinem. *S. Bern. Tom. 2. ſer. 12. art. 2. c. 2.*

Tot & tanta a Deo accepimus beneficia ut ſi quis pro uno tantum inſtanti peccare, & in inſtanti immediate ſequenti pœnitere vellet, inſtantaneo illi crimini pœna deberetur æterna; & peccator pro momentaneo illo peccato in æternum puniri mereretur ob ſuam in Deum ingratitudinem; quanto ergo magis æternis ſuppliciis plecti debent peccatores, qui ita in Deum benefactorem ſuum ingrati ſunt, ut in illum mortaliter peccent, & in peccato ſuo vivere, mori & affectu perpetuo perſeverare velint? Iis haud dubie æterna debetur pœna.

Quare, o peccatores, *Confitemini Domino, quoniam bonus:* ſed fatemini etiam, quod Juſtus ſit. Clamate cum Propheta: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Pſ. 118. 137* Dicite in cordibus veſtris,

recte, Domine; & æquiſſime pro unico mortali peccato homines æternis adjudicas cruciatibus, æquiſſima eſt tua hæc ſententia, ſi inſpiciamus *te*, qui infinite juſtus es, *peccatum*, quod ſumme malignum eſt, *& peccatorem*, qui ſummopere ingratus eſt.

Clamabat S. Latro, in cruce pendens, *digna factis recipimus. Luc. 23. 4.* Clamant & peccatores in inferno, quod digna factis recipiant, & quod quantumvis gravia & diuturna ſint tartari ſupplicia, merito illa patiantur. Dicunt cum Joſephi Ægyptiaci fratribus, *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, Gen. 42. 21.* in Patrem noſtrum, & in Deum noſtrum. O peccatores, clamate in hoc mundo, ne in inferno clametis in æternum, clamate jam, quod *juſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis*, & quod æquiſſime, etiam pro unico mortali peccato commiſſo & non deleto, homines ad æterna tormenta condemnet. Clamate, & terribilem hanc mente revolventes veritatem, a peccatis ſurgite, *ſurge qui dormis. Epheſ. 5. 14.* O peccator, qui dormitaſti uſque nunc, evigilare tandem aliquando, evigilare, & perpendens, quod volatilis, futilis, & tranſitoria voluptas æternis plectatur pœnis, a pravis omnibus abſtine voluptatibus; evigilare, & ſciens quod moroſa delectatio, illicitum deſiderium, & quodvis mortale peccatum ad æterna trahat tartari ſupplicia, omne mortale peccatum time, horreſce, fuge.

O quam optarent qui nunc in inferno cruciantur, omnia in hoc mundo vitaſſe mortalia! O utinam, inquit eorum quilibet, non acceſſiſſet ad me malum, dum inter mortales viverem! Jam enim Dei flagellis non plecterer! O utinam, ait unuſquiſque, in innocentia cordis mei ambulaſſem, aut ſaltem peccatorum meorum pœnitentiam egiſſem! Jam enim intolerabiles non perferrem cruciatus, & ad æterna ſupplicia damnatus non eſſem. Sed inefficaces ſunt eorum clamores, gemitus inutiles, vana ſuſpiria, & lamentationes infructuoſæ. Quare, o peccatores, lugete in hoc mundo, ut in inferno æternum non lugeatis, flete, pœnitentiam agite, ac peccata veſtra amara contritione, humili confeſſione, & ſanctis veræ pœnitentiæ operibus delete, ut in ſempiternum cum ſanctis & Angelis in cælo gaudeatis, & regnetis. *Amen.*

## DOMINICA SEXTA
## POST PENTECOSTEN.
## DE
# HUMANI CORPORIS DIGNITATE.

*Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Marc. 8. 2.

QUamvis corpus humanum, Protoparentis peccato vitiatum, omni qua poſſunt eloquentia ſancti Patres inſectari ſoleant: Quamvis etiam omnibus apertum ſit, quod revera illud corpus ſit ſperma fœtidum cum concipitur, ſaccus ſtercorum cum vivit, & cibus vermium poſtquam mortuum eſt: Quamvis tandem, ut cum D. Auguſtino loquar, corporis noſtri materia ſit vilis, operatio turpis, ſtatus inſtabilis, flebilis exitus, mors triſtis, diſſolutio miſerabilis: humanum tamen corpus non deſpexit Verbum Æternum: cum certum ſit, quod illi hypoſtatice ſit unitum. Et in hodierno Evangelio dicitur, quod Chriſtus Salvator, non ſolum animas populorum qui illum ſequebantur, ſpirituali cibo paverit, verbis & exemplis excoluerit, boniſque moribus imbuerit, ſed etiam quod corporum curæ ſollicite incubuerit, ac turbæ famem patientis miſertus ſit: *Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduo ſuſtinent me.* Ex quo quiſque facile concipere poteſt, quod licet ſub multiplici reſpectu deſpicienda, & contemnenda ſint corpora noſtra; non tamen deſint rationes, quibus ad illa æſtimanda allici debeamus. Quæ ſint hæ rationes, iſta docebit concio, &c. *Ave.*

QUi corporis humani vilitatem & ignobilitatem exaggerant, illud in omnibus temporis differentiis vile & contemptibile eſſe probant. *In præterito* quidem, quia ex vili compactum materia, & turpi formatum eſt ſemine. *In præſenti* etiam, quia corpus noſtrum ſemper caro eſt, & caro infirma, fragili veſtita decore, onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiſcentiis, occupata paſſionibus, polluta illuſionibus, prona ſemper in malum, & in omne vitium proclivis. *In futuro* tandem, quia corpus noſtrum poſt mortem nil aliud erit quam cadaver fœtidum, cibus vermium, & forte tartarei ignis pabulum.

Fateor, hæc omnia eſſe veriſſima. Sed ſi in omnibus temporis differentiis aliquid vile & ſpernendum in corporibus noſtris adnotatur; in omnibus etiam temporis differentiis, eorum nobilitatem adnotare non eſt difficile. Corpus enim humanum eſt, fuit, & erit quid magnum: 1. *Eſt quid magnum* in mundo: 2. *Fuit quid magnum* in Chriſto: 3. *Erit quid magnum* in Cælo.

## PRIMA PARS.

*Corpus humanum eſt quid magnum in mundo.*

OMnia penitus entia corporea ab Auctore ſuo plurimum nobilitantur: utpote quia a Deo omnia facta ſunt. Sed modus ſpecialis, quo Deus corpus humanum fecit, illius nobilitatem præ ceteris rebus corporeis non modicum auget & manifeſtat: quia illud Deus propriis manibus ſummaque cura, & arte plaſmavit.

Ad alias creaturas producendas manus non aptaſſe videtur Deus: ipſe enim ſolum dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt. Sed corpus humanum propriis Dei manibus factum, plaſmatum & figuratum eſt: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me. Pſ. 118. 73.* In quæ verba præclare dixit D. Ambroſius: *Beſtias non fecerunt manus tuæ, ſed dixiſti: Producant aqua reptilia animarum viventium, & produxit terra ſecundum genus quadrupedia, & reptilia, & beſtias terræ. Me autem feciſti, me tuis manibus figuraſti.*

Verum quidem, quod aſſerat Deus, ſe cuncta manu propria feciſſe: *Omnia hæc manus mea fecit. Iſa. 66. 2.* At, ut luculenter adnotavit idem Ambroſius, corpori humano efformando duplicem; aliis vero creaturis faciendis unicam Deus manum adhibuit: de aliis creaturis dixit Deus: *Ego manu mea*

*ſoli-*

Digitized by Google

*ſolidavi cœlum, & omnia hæc manus mea fecit. S. Ambroſ. Ib.* At de hominis conſtitutione dicitur: *Manus tuæ plaſmaverunt me*. Cœlum una formavit manus, ut ſcriptum eſt; & utraque Dei manus hominem figuravit, ut legimus.

Infinita Dei ſapientia & potentia, ſunt myſticæ manus ejus, quas omnibus creaturis formandis haud dubie adhibuit. Sed ſpecialiter corpus humanum propriis manibus Deus feciſſe dicitur: quia ſpeciali ſapientiæ & omnipotentiæ ſuæ applicatione illud efformaſſe videtur. Unde Tertullianus Deum corpori humano conficiendo totaliter occupatum fuiſſe dicit: *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, & ipſa in primis affectione, quæ lineamenta dictabat. Tertull. l. de reſurr. carnis c. 6.*

O magnam humani corporis dignitatem! o quam vere quid in mundo magnum eſt corpus humanum; cum illud propriis manibus, tantaque cura & ſollicitudine Deus fecerit! Sed corpus humanum eſt quid in mundo magnum, ſi mirabilem ejus ſtructuram inſpiciamus; quam S. Clemens præclare delineat, dicens, *Videte in corpore hominis Artificis opus: quomodo oſſa velut columnas quaſdam, quibus caro ſuſtentetur, ac portetur, inſeruit: tum deinde æqualis ex utraque parte, id eſt, dextera, & læva, menſura ſervetur; ut congruat pes pedi, & manus manui, digitus quoque digitis, ut ſinguli ad ſingulos tota æqualitate concordent: ſed & oculus oculo, auris auri; quæ non ſolum conſona ſibi, & concordantia, ſed & uſibus neceſſariis apta formantur. Manus quidem, ut operi commodæ ſint, & pedes ut greſſibus: oculi ut viſui ſerviant, ſuperciliorum excubiis cuſtoditi; aures ad audiendum ita formatæ, ut cymbalo ſimiles, ſuſcepti verbi repercuſſum ſonitum altius reddant, & uſque ad ſenſum cordis emittant. Lingua autem ad loquendum labiis & dentibus plectri reddat officium. Ipſi vero dentes, alii ut incidant, & dividant cibos, & interioribus tradant; interiores autem in modum molæ conficiant, & comminuant, quo opportunius ſtomacho traditi coquantur: unde & molares appellati ſunt. Sed, & nares commeandi flatus, & reddendi, ac recipiendi gratia factæ ſunt, ut innovatione ſpiritus, calor naturalis, qui ex corde eſt, vel accendi, vel refrigerari, cum res popoſcerit, queat pulmonis officio, qui pectori inhærere datus eſt, ut mollitie ſua palpet, & foveat cordis vigorem. Sed quid dicam de ſubſtantia ſanguinis, qui velut fluvius ex fonte procedens, ex uno prius alveo invectus, tam deinde per innumeras venas derivatus, totam humani corporis terram vitalibus irrigat fluentis, jecoris ope miniſtratus, quod ad efficaciam digeſtionis ciborum, atque in ſanguinem mutandorum in dextero latere jacet. Quis ex his omnibus non agnoſcat rationis opus, & ſapientiam Conditoris?*

Certe mirabilis hæc humani corporis ſtructura ſupremi Artificis ſapientiam manifeſtat, ſimulque probat, corpus humanum eſſe quid magnum in mundo. Quod & probat ipſa unio humani corporis cum anima rationali, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis, omnia ſublunaria dignitate ſuperans, ac cum Angelis de nobilitate contendens; quæque Deo proxima eſt: *Magnum ſane*, inquit Tertullianus, *hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proximam Deo continet, Tert. ib.*

Anima rationalis non eſt ſolum forma aſſiſtens corpori, ipſumque movens ſicut nauta movet navim: ſed eſt ejus forma, ipſum vere informans, ipſique realiter unita. Non autem eſt credibile quod animam rationalem corpori Deus unire voluerit, niſi & corpus humanum eſſet quid magnum & nobile. Ut enim ratiocinatur Tertullianus: *Ibid.* gemmæ pretioſæ non ſolent inſeri plumbo, ferro, vel vili alteri materiæ; vina etiam & unguenta pretioſa vaſculis non reconduntur turpibus & ſordidis: pretioſis etiam gladiis pretioſæ aptantur vaginæ: quomodo ergo dici poſſet, quod Deus animam rationalem, quæ ejus inſignita eſt imagine, ejuſque eſt redempta ſanguine, immiſcuerit, inſeruerit, & intime unierit corpori humano, ſi tale corpus non eſſet quid magnum, quid nobile, & quid animæ rationalis dignitati quodammodo conveniens?

Quid ſane magnum in mundo eſt corpus humanum, ratione unionis ſuæ cum anima rationali? Et ut ait S. Bernardus, ſi corpus humanum attendatur ſecundum intimum illud commercium, & ſecundum ineffabilem hanc unionem quam habet cum anima rationali, omnibus rebus corporeis haud dubie præcellit: *Agnoſce, o homo, dignitatem tuam*, inquit Doctor Mellifluus, *agnoſce gloriam conditionis humanæ. Eſt enim tibi cum mundo corpus, quia decet eum qui conſtitutus eſt ſuper univerſam hujus creaturæ corporeæ molem, aliqua ei ſimilari ex parte: ſed eſt tibi etiam ſublimius aliquid, nec omnino comparandus es ceteris creaturis, compacta & confœderata ſunt in te caro & anima. S. Bern. ſer. 2. de nat. Dom.* Si corpus humanum ab anima rationali ſeponatur, & ſecundum proprias ſuas dotes ſolummodo conſideretur, aliis quidem omnibus creaturis corporeis non eminet: ſed ſi ſpectetur ſecundum intimam & mirabilem unionem quam habet cum anima, omnibus aliis creaturis corporeis longe antecellit: nec illi quomodocumque aliæ creaturæ corporeæ æquiparari poſſunt. Et revera a tali unione habet corpus, quod poſſit ratiocinari, ſeu ratiocinationi inſervire, Sacrificia offerre, Sacramenta recipere, & alia multa operari, quæ omnia illud haud dubie ſupra cetera corpora longe ſublimant, & extollunt.

Ex jam dictis ſatis ſuperque conſtat, corpus humanum eſſe quid magnum in mundo; ſed & hanc ejus in mundo magnitudinem prædicant bona & beneficia, quæ animæ præſtat. Corpus enim ad animæ ſanctificationem, & perfectionem plurimum confert, cum jejunat, cum flagella patitur, cum genua flectit, & ſitum orationi congruum ſervat; cum uberes fundit lacrymas, cum pectus tundit, & peccata confitetur; cum arduis ſe ſubdit laboribus, cum ſenſus a rebus vetitis retrahit, cum vigiliis & peregrinationibus pro Deo ſuſceptis ſe fatigat, cum ad eleemoſynas manus extendit & ſimilibus piis ſe exercet operibus, quæ ſine corpore anima facere nequiret.

O homo, adverte, & ſerio conſidera, corpus tuum eſſe quid magnum in mundo: ſed identidem erubeſce, quod corpus illud, a Deo factum, toties fœdaveris; quod mirabile illud opus, divinis compactum manibus, toties deformaveris; quod opus illud a Deo tanta cura & arte elaboratum, toties criminibus tuis deturpaveris: quod tandem corpus illud, animæ rationali vinculo ineffabili unitum, & ad multa bona opera facienda idoneum, toties deſpexeris, ac ad turpia & mala agenda aſſumpſeris.



Digitized by Google

Dic, quæſo, quibus operibus corpus tuum occupaſti? Anne humilitatis, abſtinentiæ, patientiæ, pœnitentiæ, mortificationis, aliiſque virtutis & eximiæ pietatis operibus? Forte gulæ, libidini, infandiſque voluptatibus illud indulgere paſſus es? Quare erubeſce, quod corpus tuum toties deturpaveris; illudque impoſterum inſpice ut quid magnum in mundo, & *ut quid magnum in Chriſto*.

## SECUNDA PARS.

*Corpus humanum fuit quid magnum in Chriſto.*

MAgnum eſt, immenſum, omnemque intellectum ſuperans Incarnationis Myſterium, in quo Verbum divinum naturam humanam aſſumpſit, & caro factum eſt: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Joann. 1. 14.*

Verbum illud æternum, & divinum, manens Verbum, manens in ſua Deitate, hypoſtaſi, majeſtate & gloria divina, factum eſt caro: non quod converſum ſit in carnem; ſed quod carnem & naturam humanam ſuſceperit, ſuppoſitaverit, terminaverit, & hypoſtatice ſibi unierit. Ita ut Perſona Verbi, facta ſit etiam Perſona naturæ humanæ quam aſſumpſit.

Verbum illud increatum, factum eſt caro; non eo modo aqua fit vinum, cum in vinum mutatur: non eo etiam modo, quo cibus fit caro noſtra, cum in eam convertitur; nec rurſus eo modo, quo aurum fit ſtatua, cum ad auri materiam accidentaria ſtatuæ forma accedit. Sed Verbum increatum, factum eſt caro: quia carnem & naturam humanam, exiſtentem quidem, non autem ſubſiſtentem aſſumpſit. Verbum enim æternum, non perſonam & ſubſiſtentiam, ſed eſſentiam, & exiſtentiam hominis, ſeu ipſam naturam humanam aſſumpſit eo ipſo temporis inſtanti, quo formata, & facta eſt a Spiritu Sancto. Et præveniens, ne hæc natura per ſe, ſeu per propriam perſonam ſubſiſteret, illam ſibi in unitate perſonæ ſuæ divinæ conjunxit; fecitque ut in eadem, & per eamdem Perſonam divinam ſubſiſteret.

Verbum divinum, non ſolum animam hominis, ſed etiam carnem accepit, & aſſumpſit: ita ut in Chriſto Deus, anima, & caro in unam coierint Perſonam Verbi: *Verbum, quod erat in principio apud Deum, & Deus erat; anima, quæ de nihilo creata eſt, & ante non erat; caro de maſſa corruptionis ſine corruptione aliqua divino ſegregata artificio, vinculo indiſſolubili in Perſona coeunt unitatem. S. Bern. ſer. 2. de nat. Dom.*

O quam glorioſum fuit animæ, corpori, & toti naturæ humanæ Chriſti, quod Perſonæ divinæ hypoſtatice unita fuit! Hac certe unione Filius Dei naturam humanam ita exaltavit, ut quo altius eveheretur non haberet: *Cerne, quam humili loco antea erat natura noſtra, & quam alte aſcenderit: neque enim deſcendere licuiſſet inferius, quam quo deſcenderat homo: neque aſcendere ſublimius, quam quo eum rurſus evexerat Chriſtus. Chryſ. ſerm. 9. de Aſcenſ. Dom.*

Non poterat quidem altius evehi natura humana, quia per Verbi incarnationem ad conſortium divinitatis ſublimata eſt; per Verbi enim incarnationem homo factus eſt Deus: Verbumque divinum ita humanæ naturæ unitum eſt; ut ſicut de Deo dicitur, quod factus ſit Homo, ita & de homine dicitur, quod factus ſit Deus. Et revera Chriſtus erat ſimul Deus & Homo, ac in eo natura divina & natura humana unica Verbi perſonalitate ita uniebantur, ut in eo vere diceretur: Deus eſt Homo, & Homo eſt Deus. In eo recte dicebatur, quod Deus eſſet Homo; ratione ſcilicet naturæ humanæ a Deo aſſumptæ, in eo etiam recte dicebatur, quod Homo eſſet Deus; ratione ſcilicet Perſonæ divinæ, quæ naturæ humanæ hypoſtatice uniebatur.

O magnam naturæ humanæ exaltationem! o quam magnum quid in Chriſto fuit non ſolum anima, ſed etiam corpus humanum! Certe non magis exaltari potuiſſe videtur illud corpus, quam per unionem hanc quam habuit cum Verbo divino: *Hac unione*, inquit Alenſis, *corpus humanum habet perfectiſſimam dignitatem in genere corporum: quia hæc unio præcellit & illam quæ eſt naturæ, & illam quæ eſt gloriæ.*

Per Incarnationem humiliavit ſe, exinanivit ſe, & quaſi contraxit ſe Deus; ut quod melius habebat, videlicet ſemetipſum, limo noſtro conjungeret. Sed e contrario etiam hac unione limus noſter, ſeu corpus noſtrum ita exaltatum eſt, ut hac unione nil carni noſtræ glorioſius excogitari poſſit. Et ideo dilectus Chriſti Diſcipulus, ut carnis, & corporis humani elogium perficeret, dixit ſolummodo, quod Verbo divino hypoſtatice unitum fuerat: *Et Verbum caro factum eſt.*

Sicut ruſtici & plebeii cujuſdam filia, ſi Regi nubat, Regina fit, & ad ſolium regium ſublimatur; ſic caro humana Verbo divino deſponſata, & hypoſtatice unita, ab ipſo deificatur, & ad ſolium ipſiuſmet Dei exaltatur. Unde ſanguini & carni Chriſti cultus latriæ, & ſupremus honor exhiberi ſolet propter hanc unionem quam habet cum Verbo: quia hac unione quodammodo deificatur.

Dei Genitrix Maria a S. Joanne Damaſceno merito vocatur *gloria luti noſtri, & humanæ naturæ venuſtas*: multum enim a Deipara decorata eſt caro noſtra. Sed multo magis honorata eſt ab ipſo Deo: nec ullus honor comparabilis eſt cum honore illo, quem Verbum Æternum carni humanæ contulit, cum illam aſſumpſit, eique hypoſtatice unitum eſt: quia tali unione caro noſtra quodammodo deificata eſt, & ad Dei ſolium exaltata.

Miramini hanc carnis humanæ gloriam, & exaltationem in Chriſto: ſed & advertite, hanc carnis noſtræ, & corporis humani exaltationem ad totam naturam humanam ſe effundere & refilire: quia per unionem hypoſtaticam tota natura humana mirum in modum evecta & ſublimata eſt. Sicut enim ſi quis Summus Pontifex, vel ſupremus quidam Monarcha in abjectam, ignotamque familiam ſe inſerat, eam nobilitate ſua plurimum illuſtrat, & extollit; ita etiam Dei Filius, univerſi terrarum orbis Princeps, deſpectæ & abjectæ hominum familiæ ſe inſerens, infinita ſua dignitate & nobilitate, eam totam maxime extulit & ſublimavit.

Sed heu! quamplurimi naturam humanam, quæ tanta, tamque ſublimis fuit in Chriſto, criminibus ſuis fœdant, deturpant, & totaliter denigrant: multi carnem ſuam, quæ nobilitata eſt in Chriſto, & a Chriſto, ad turpia & fœda crimina perpetranda inclinant. Immo multi corpora ſua, quæ ſunt quaſi

ma-

Digitized by Google

membra Chriſti, faciunt membra meretricis: *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis?* 1. *Corint.* 6. 15. O homo, abſit a te, quod Chriſti membra facias membra meretricis. Abſit a vobis omnis impudicitia, & ſi ad impudica aliquando declinaſtis, puritatem & caſtitatem Chriſtianam imposterum ſectemini: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Rom. 6. 19. O N.N. ſi corpus humanum nobilitatum & exaltatum eſt a Chriſto, corporibus veſtris nolite uti adverſus Chriſtum, ſed in iis potius humilitatem, patientiam, modeſtiam, puritatem, & vitam Chriſti exhibete: *Vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.* 2. *Cor.* 4. 11. Corpus humanum honoravit & exaltavit Chriſtus; nolite vos illud fædare; ſed illud ſemper inſpicite ut quid magnum in Chriſto; *ac etiam ut quid magnum in Cælo.*

## TERTIA PARS.

*Corpus humanum erit quid magnum in Cælo.*

QUamdiu in hoc mundo moramur, corpora noſtra obſcura, tarda, infirma, & corruptibilia ſunt. Sed in cælo mirabilibus quatuor afficientur dotibus, claritatis ſcilicet, impaſſibilitatis, agilitatis & ſubtilitatis, quibus qualitatibus quidquid in humano corpore vile eſt, tolletur, corpuſque humanum fiet quid magnum in cælo.

1. Clara & ſplendida erunt in cælo electorum corpora; & juxta majora, vel minora Sanctorum merita, major vel minor erit corporum claritas. Sentiunt tamen communiter SS. Doctores, quod minimus quiſque corporis beati ſplendor ſplendorem ſolis longe ſuperabit: *Corpora Sanctorum*, inquit S. Anſelmus, *erunt ſepties quam ſol ſplendidiora.* S. *Anſelm. in Elucidario.* Et ut ait S. Ephrem in oratione de judicio: *juſtorum corpora ſeptuplo ſolis radios ſuperabunt.*

Ratione mirabilis illius claritatis, qua fulgebit Beatorum caro, corpora eorum ſplendida, diaphana, & tranſparentia erunt, ita ut omnium oculis manifeſta futura ſint viſcera, venæ, nervi, omniſque corporum beatorum harmonia. Tunc oculis Beatorum conſpicuæ erunt omnium corporum partes, etiam minimæ, atque intimæ; tunc admirabilis illa, perpetuiſque laudibus celebranda patebit corporum ſtructura, in qua maxime elucet Conditoris ſapientia in æternum laudanda, & prædicanda: *omnes harmonia corporalis numeri non latebunt, intrinſecus, & extrinſecus, quorum aſpectu rationales mentes in tanti Artificis laudem, pulchritudinis tantæ delectatione ſuccendentur.*

2. O quam magna erunt in cælo corpora Beatorum, ratione claritatis. Sed & magna erunt ratione impaſſibilitatis & incorruptibilitatis, quia corpora noſtra, quæ jam paſſibilia & corruptibilia ſunt, in cælo penitus impaſſibilia & incorruptibilia erunt. Ut enim ait D. Paulus, *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* 1. *Cor.* 15. 53.

In illa cæleſtis regni gloria, caro, & ſanguis, quæ in hoc mundo corruptibilia ſunt, & paſſibilia, in cælo incorruptibilia & impaſſibilia erunt, ita ut nec corrumpi, nec mori, nec quidquam pati poſſint. Ibi enim nullum dolorem, nullam moleſtiam patientur; ſed omnino immortalia & impaſſibilia erunt. *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* *Apoc.* 21. 4.

3. O quam magna in cælo erunt Sanctorum corpora, ratione illius incorruptibilitatis, & impaſſibilitatis, ſed magna etiam erunt, ratione agilitatis. Ita enim erunt agilia, ut velociſſime & faciliſſime moveantur, tum progreſſivo motu, tum motu, qui volatui ſimilis erit. Et ut ait Iſaias Propheta, Sancti in cælo *aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* *Isa.* 40. 31.

Præſtabit Deus animabus Beatorum, ut corpora quibus unientur, quam velociſſime moveant, & a loco in locum transferant. *Tantaque*, inquit Sanctus Bernardus, *futura credenda eſt corporum levitas, & agilitas beatorum, ut poſſint, ſi velint, abſque omni mora, ſeu difficultate, ipſam quoque cogitationum noſtrarum ſequi ad omnia velocitatem.* S. *Bern. ſerm.* 2. *de omnibus Sanctis.* Et ut ait S. Anſelmus: *Tanta velocitas nos comitabitur, ut ipſis Angelis Dei æque celeres ſimus, qui a cælo ad terras, citius dicto dilabuntur.* S. *Anſelm. l. de ſimilitudinibus cap.* 51.

4. O quam magnum quid erit in cælo corpus beatum, ratione claritatis, impaſſibilitatis & agilitatis; ſed & erit quid magnum ratione ſubtilitatis; qua fiet, ut corpora quævis, quantumvis dura, & ſolida penetret, *ſicut Angelis nihil obſiſtit, quin cuncta penetrent; ita non erit aliquod obſtaculum, quod nos retardet, nulla clauſula quæ nobis obſtet.* *Anſelm. in Elucid.*

Corpori beato vis ad penetrandum ſemper a Deo præbebitur. Et ſicut Chriſti corpus, clauſo ſepulchro, a mortis ſurrexit, necnon ad diſcipulos obſeratis januis introivit, ita corpora Beatorum, dura & ſolida quævis alia corpora penetrabunt.

Miramini corpus humanum, quod quidem in cælo quid magnum erit ratione dotum quibus afficietur; ſed & quid maximum erit, ratione cæleſtium voluptatum, quibus potietur. *Delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit. Oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, jecur, pulmo, oſſa, medullæ, ſingulaque membra eorum, tam admirabili delectationis & dulcedinis ſenſu replebuntur, ut vere totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab ubertate domus ejus inebrietur.* S. *Anſelm. l. de ſimilitud. c.* 57.

Caro noſtra in Cælo per omnes ſenſus ſuos multimodis exuberabit deliciis. Delectabitur oculus in amabili Redemptoris aſpectu. Auditum harmonia Cælorum, & melodica cantica Civium ſupernorum non mediocriter demulcebunt. Fragrans ſuavitas cæleſtium odoramentorum, mira liquefactione reſperget odoratum. Indicibilis dulcedo omnium delectabilium, melliflua quadam & jucunda ſatietate, oris ſaginabit palatum. Ipſe demum tactus ſibi congruis abundabit deliciis, quas experti norunt.

O quam magnum quid erit in Cælo corpus noſtrum! ſed ut in Cælo ſit magnum, in hoc mundo caſtigandum, mortificandum, in ſervitutem redigendum: immo &, ut ita dicam, eſt occidendum.

Levitis quondam præceperat Moyſes, ut ſe gladio accin-



Digitized by Google

accingerent, neque quilibet proximum ſuum occideret: *Occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Exod. 31. 27.* Frater, amicus, & proximus ille, eſt corpus noſtrum, quod in hoc mundo occidendum, ut in Cælo magnum & glorioſum fiat: *Quid tam proximum, quam cor animæ? Levita verus ultor eſt ille, & vindex, qui carnem interimit, ut levet ſpiritum. Ambr. in Exhort.*

Convenit, ut ferrum ſemper manu teneamus, ſtringamuſque contra corpus noſtrum, quod infenſiſſimus eſt animæ noſtræ adverſarius: mactandus eſt ille hoſtis, gladio mortificationis occidendus, & interimendus eſt; ita tamen ut ſemper vivus remanear.

Mortuæ erant quæ olim Deo ſacrificabantur hoſtiæ; ſed oblatio corporis noſtri ita Deo facienda eſt, ut ſit hoſtia viva: *Hoſtiam viventem*. Per mortificationem occidi debet corpus noſtrum; ſed tali morte, quæ illud vivum relinquat; tali morte, quæ vitam non auferat; tali morte, *quæ vitam etſi adimit, non perimit. S. Bern. ep. 42.* Caſtigate ergo corpora veſtra, in ſervitutem ſpiritus illa redigite, mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, gladio mortificationis ea interimite, & in æternum magna erunt in Cælo. *Amen*.

## DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

## DE MALIS CHRISTIANIS.

*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*
Matth. 7. 19.

TAnta primorum Chriſtianorum erat probitas, innocentia tanta, tantaque ab omnibus vitiis abſtinentia, ut qui inter illos ſceleroſi, & aliquibus criminibus dediti adnotabantur, Chriſtiano nomine indigni cenſerentur: *Deſinunt Chriſtiani haberi penes nos. Tert. Apol. 46.* Licet enim certum ſit, fidem Chriſtianam ab hæreſi ſolum, vel ab infidelitate deſtrui; tanta tamen vitæ innocentia, tantaque morum integritate præditi erant primævi illi Chriſtiani, ut tanquam non Chriſtianos inſpicerent illos, qui ad gravia peccata declinaverant, quamvis a fide non cecidiſſent.

Pauci tunc erant ex malis hujuſmodi Chriſtianis, qui in gravia inciderent crimina. Sed heu! totus fere Eccleſiaſticus Orbis peſſimis hodie repletur Chriſtianis, qui gravibus inquinati ſunt ſceleribus, & qui in bonis operibus ſteriles ſunt, & infœcundi.

Mali iſti Chriſtiani ſimiles ſunt ſiccis arboribus, quæ cum fructus non afferant, exciduntur, & in ignem mittuntur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Ut enim ait Doctor Seraphicus, *arbor ſterilis, eſt malus Chriſtianus. D. Bonav. ſer. 2. in Dom. 7. poſt Pentec.* De ſterilibus illis arboribus, ſeu de malis Chriſtianis iſta erit concio, &c. *Ave.*

CHriſtiani per Baptiſma fiunt filii Dei, Chriſti diſcipuli, & Eccleſiæ membra. Per Baptiſmum fiunt filii Dei: quia per gratiam ſanctificantem, quam in Baptiſmo recipiunt, in Dei filios adoptantur. *Quorum adoptio eſt filiorum. Rom. 4. 9.* Per Baptiſmum fiunt etiam Chriſti diſcipuli: quia ſicut antiquitus Pythagorici, Platonici, & Epicurei a Magiſtris ſuis talia ſortiebantur nomina; ita Chriſtiani dicuntur a Chriſto, cujus fidem & doctrinam in Baptiſmi perceptione profeſſi ſunt: *Eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti. Rom. 1. 6.* Per Baptiſmum tandem fiunt Eccleſiæ membra: quia per eum intra Eccleſiam recipiuntur, & ſimul cum aliis Chriſtianis corpus Eccleſiæ componunt: *Omnes nos in unum corpus baptizati ſumus. 1. Cor. 12. 13.*

O quam glorioſum eſt homini Chriſtiano, quod ſit Dei filius, Chriſti diſcipulus, & Eccleſiæ membrum! At tali honore & dignitate indigni ſunt mali & ſceleroſi illi Chriſtiani, qui peſſimis ſe dedunt vitiis, & qui in gravium criminum cœno miſere volutantur: ipſi etenim gravem injuriam faciunt Deo, Chriſto, & Eccleſiæ. Hi injuriam faciunt: 1. *Deo*, cujus ſunt filii: 2. *Chriſto*, cujus ſunt diſcipuli: 3. *Eccleſiæ*, cujus ſunt membra.

### PRIMA PARS.

*Mali Chriſtiani gravem injuriam inferunt Deo, cujus ſunt filii.*

OMnes quidem homines ſunt Dei filii, tituli creationis, quia a Deo omnes creati ſunt; ſed Chriſtiani ſpecialiori titulo ſunt filii Dei: quia ſcilicet per baptiſmum, quem receperunt, *renati ſunt ad ſalutem, Aug. tract. 12. in Joann.* & in Dei filios adoptati. Unde, ut adnotat D. Auguſtinus, non præcepit Deus Iſraelitis, ut cum orarent, eum vocarent Patrem: *Numquid invenitur præceptum populo Iſrael, ut orarent Patrem Deum. Aug. l. 2. de ſerm. Domin. c. 8.* Hoc ſolis imperavit Chriſtianis, cum docuit eos, ut orantes dicerent: *Pater noſter, qui es in cælis*: quia ſoli Chriſtiani per Baptiſmum facti ſunt filii Dei adoptivi.

O quam magna hæc eſt Chriſtianorum dignitas! O quam magnus Dei in eos amor, quod eos in filios adoptarit, eoſque filios ſuos nominari, & eſſe voluerit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus. 1. Joan. 1. 1.* Tantus quidem eſt hic Dei in Chriſtianos amor, ut pro tanto beneficio numquam ſatis illum laudare, & benedicere poſſint. At tanta multorum Chriſtianorum in Deum eſt ingratitudo, ut non eum laudent, & benedicant, ſed peccatis ſuis gravem ei injuriam inferant: quia cum peccant, Deum factis ſuis negant.

Verum eſt, quod cum de Fide interrogantur Chriſtiani, palam profitentur ſe noſſe Deum, ſe in eum credere, ſeque omnibus myſteriis ab eo revelatis firmiſſime adhærere; ſed cum deinde in gravia peccata incidunt, factis negant, quem ore confeſſi ſunt: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Ad Tit. 1. 16.* Nec ſemel dumtaxat, ſed quoties mortaliter peccant, toties Deum negant. Quoties avaritiæ indulgent, vel luxuria fœdantur; quoties invidia, ambitione, vindicta, vel alio quodam ſcelere inquinantur; toties factis Deum negant: *Quoties Deum offendimus, toties negamur. Chryſ.* O quam graviter

Digitized by Google

ter Deum offendunt mali Chriſtiani, cum in mortalia incidunt? Certe graviſſime illum offendunt: quia eum factis negant, eumque toties negant, quoties mortaliter peccant. Sed graviorem adhuc ei tunc injuriam inferunt: quia cum mortaliter peccant, Deum deſerunt, ut dæmoni adhæreant.

Cum Baptiſmum perceperunt, dæmoni abrenuntiarunt, ut ſe totos Deo conſecrarent. Tunc ſuo, vel Patrum ſpiritualium ore dixerunt, ſe dæmoni abrenuntiare. Tunc Sacerdoti quærenti, an ſatanæ abrenuntiarent? Reſponderunt: *Abrenuntio*: Sed cum deinde in gravia peccata incidunt, factis ſuis Deo abrenuntiant, ut ſe dæmonis obſequio mancipent. Unde Salvianus quodlibet grave hominis Chriſtiani peccatum, apoſtaſiam vocat, qua a Deo deſciſcit, ut ad dæmonem declinet: *Quædam apoſtaſia eſt, quia revertitur ad diabolum, relinquit Deum. Salvian. l. 6. de provid.*

Videte quantam Deo injuriam inferant mali Chriſtiani, cum in mortalia peccata labuntur. Sed ut clarius adhuc pateat; quanta ſit injuriæ illius gravitas, comparemus peccata peccatis; peccata ſcilicet Chriſtianorum, peccatis Gentilium, & Idololatrarum; dicamuſque, quod, ceteris paribus, graviora ſint Chriſtianorum, quam Gentilium peccata; quodque graviorem Deo Chriſtiani, quam Ethnici peccantes, injuriam inferant. Ita ut, ſi in adulterium, v. g. cadant duo, quorum unus ſit Chriſtianus, & alius Gentilis, gravius peccet, gravioremque Deo injuriam irroget Chriſtianus, quam Gentilis. Quod certiſſimum eſſe probatur variis rationibus.

Prima ratio ſumitur ex dignitate, & eminentia perſonæ peccantis. Quo enim perſona quæ peccat, eſt dignior, & eminentior, eo peccatum ejus eſt gravius: quia, ut ait Doctor Angelicus, excellentia, & dignitas perſonæ peccantis, peccati gravitatem notabiliter auget. *D. Thom. 1. 2. quæſt. 73. art. 10.* Et ſic dicimus, quod, ceteris paribus, gravius ſit viri Religioſi, quam viri ſæcularis peccatum. Major autem eſt Chriſtianorum, quam Gentilium dignitas; non ſolum quia, ut ait S. Petrus, Chriſtiani ſunt *genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. 1. Petr. 2. 9.* Sed etiam quia Chriſtiani per Baptiſmum facti ſunt filii Dei adoptivi: ac proinde Chriſtiani peccantes, graviorem Deo injuriam inferunt, quam Gentiles, & alii, qui nomine Chriſtiano inſigniri non ſunt.

Secundam rationem elicio ex majori cognitione, qua pollent Chriſtiani. Cum enim Chriſtiani, non ſolum rationis, ſed etiam Fidei lumine gaudeant, majorem haud dubie de divinis perfectionibus, & de ſacris myſteriis notitiam habent, quam Ethnici. Quare cum Catholici clarius quam Ethnici cognoſcant Deum, in quem peccant, graviora ſunt Catholicorum, quam Ethnicorum peccata, majoremque Catholici, quam Ethnici, peccatis ſuis Deo injuriam irrogant: *Ceteris paribus, gravius peccat fidelis quam infidelis, propter notitiam veritatis ex fide. D. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 3. ad 3.*

Tertiam adjicio rationem, ſumptam ex inſtitutis a Deo Sacramentis, quibus abutuntur mali Chriſtiani. Deus enim ſeptem inſtituit Sacramenta, tamquam columnas ſeptem, quibus totus Eccleſiaſticus Orbis innititur; & tamquam ſeptem alveos aureos, quibus gratias ſuas hominibus communicat. Ethnici autem iis non abutuntur Sacramentis; cum nec ea cognoſcant. Mali vero Chriſtiani abutuntur Sacramento Baptiſmi, quem receperunt; & aliis Sacramentis, quæ recipere negligunt, aut indigne recipiunt: quare, ratione mali uſus, vel abuſus quem de Sacramentis mali Chriſtiani faciunt, gravius peccant, gravioremque peccatis ſuis Deo injuriam inferunt, quam Gentiles: *Ceteris paribus, gravius peccat fidelis, quam infidelis, propter Sacramenta fidei, quibus imbutus eſt, quia peccando contumeliam facit. Ib.*

Ex jam dictis ſatis conſtare videtur, maximam injuriam Deo inferre hominem Chriſtianum, cum mortaliter peccat. Sed ut magis, quanta ſit hæc injuria, omnium oculis pateat, ſcrutemur quanta ſit malitia unius lethalis peccati, ab homine Chriſtiano, & baptizato commiſſi; in unico enim mortali peccato ab eo perpetrato, non unica, ſed multiplex includi videtur malitia, vel circumſtantia aggravans. Si blaſphemat v. g. vel adulterio carnem ſuam fœdat, præter blaſphemiam, vel adulterium quod committit, ſpirituale quoddam ſacrilegium perpetrat: quia animam ſuam, quæ Dei templum eſt, violat: *Chriſtianus ſpirituale ſacrilegium in ſeipſum committit, & templum Dei violat, quandocumque mortale peccato ſe polluit. Guillel. Par. l. de Sacram. tract. de Baptiſmo c. 3.* Non ſolum ſacrilegium committit; ſed etiam ſpeciem quamdam ſpiritualis adulterii: quia cum animam ejus per Fidem Deus ſponſaverit: *Sponſabo te mihi in Fide. Oſee 2. 20.* quaſi adulterium committit: quia Deum relinquit, ut diabolo ſe addicat. In quolibet tandem peccato ab homine Chriſtiano perpetrato, præter ſacrilegii & adulterii malitiam, includitur maximæ ingratitudinis malitia: quis enim non videat, in Deum ingratiſſimum eſſe virum Chriſtianum, qui poſt acceptum Baptiſmum, & poſt perceptas innumeras a Deo gratias, in eum inique peccat, & ut loquitur S. Gregorius: *Acceptis contra Deum donis pugnat? S. Greg. lib. 33. Mor. c. 1. in fin.* Adde quod præter has omnes malitias, quodlibet mortale peccatum, in quod cadit homo Chriſtianus, includit etiam malitiam perfidiæ, & proditionis: *Perfidiæ* quidem: quia datam Deo de ſervandis mandatis fidem frangit; *Proditionis* vero: quia animam ſuam, quam illi Deus cuſtodiendam commiſerat, in manus dæmonis tradit.

Videte, o Chriſtiani, quantam Deo injuriam inferatis, cum in mortalia peccata caditis. Magnum quidem Chriſtiani nomen, magna ejus dignitas; ſed maxima & graviſſima ſunt peccata, quæ homo Chriſtianus perpetrat. Quare, o Chriſtiane, cave, ne in mortalia incidas; cave, ne poſt acceptam Baptiſmi gratiam, ad mortalia declines: quia Chriſtiani, qui mortaliter peccant, gravem injuriam inferunt Deo, cujus ſunt filii; *ac etiam Chriſto, cujus ſunt diſcipuli.*

## SECUNDA PARS.

*Mali Chriſtiani injuriam inferunt Chriſto, cujus ſunt diſcipuli.*

Fideles, qui ante Chriſti adventum in hoc mundo verſabantur, Chriſtiani dici potuiſſent: qui virtute meritorum Chriſti ſalvabantur ſicut & nos; non tamen vocati ſunt Chriſtiani: quia Chriſtum ut Magiſtrum non audierant, & motum Docto-

rem non habuerant. Sed a tempore quo Chriſtus in hunc mundum venit, ut homines omis perfectionis viam doceret, a divino hoc Magiſtro omnes fideles vocati ſunt Chriſtiani; &, ut loquitur S. Joannes Chryſoſtomus, *uno omnes appellamur nomine, Chriſtiano ſcilicet, omnium maximo atque præſtantiſſimo. Chryſoſt. hom. 18. in Joann.*

Judæi ſuum ſumpſere nomen a Juda, qui purus homo erat. Iſraelitæ dicti ſunt ab Iſraele, ſeu a Jacob, qui etiam purus homo erat. At nos non a puro homine, non a terreno quodam Principe, non ab Angelo, vel Archangelo; ſed a Deo & Homine Chriſto habemus nomen, & Chriſtiani vocamur.

Præclarum quidem & divinum eſt hoc nomen, maximaque nobis eſt gloria, quod hoc inſigniamur nomine; ſed ſi a Chriſto Domino nomen ſumimus, Chriſtum imitari debemus: *Si Chriſtianus es, Chriſtum Deum imitare. Noli vacuum ferre nomen atque inane: ſed plenum: tanti menſuram nominis imple: imple (inquam) operibus dignis nomine. S. Gregor. Nyſſen. tract. de profeſſ. nomineque Chriſt.*

Sicut in veteri Lege duodecim Patriarcharum nomina ferebat Pontifex, lapidibus inſculpta pretioſis, ita in nova Lege fideles, Chriſtianorum nomen, quod non a Patriarcha aliquo, ſed a Chriſto acceperunt, operibus ad Chriſti imitationem factis, & Chriſtiano nomine dignis, pretioſis veluti gemmis inſculptum ferre debent. Non enim ſolum nobis nomen reliquit Chriſtus; ſed ſimul cum nomine miranda nobis reliquit virtutum exempla; vultque ut ſimul nomen ſumamus, & exempla imitemur.

De Morali Philoſopho, ſeu de ſapientiſſimo viro, *Seneca*, refert Cornelius Tacitus; quod cum imminente mortis tempore, temporaneis omnibus orbatus eſſet bonis, nec quidquam haberet, quod amicis teſtamento dare poſſet: iis advocatis, dixit: Ecce amici mei, hinc diſcedens valedicere vobis volui; & licet nil mihi ex rebus temporalibus ſuperſit, quod teſtamento vobis dare valeam; nolo tamen ſine aliquo, ex rebus quas dare poſſum, legato vos deſerere. Vobis ergo, tamquam præclarum legatum, conſigno *imaginem vitæ meæ*.

Præclarum ſane legatum; cui ſimile, & longe pretioſius nobis Chriſtus reliquit: nos enim hæredes ſuos inſtituit, ſimulque cum nomine, nobis teſtamento ſuo reliquit *imaginem vitæ ſuæ*, ad cujus normam vult nos omnes vitam noſtram componere: ita ut omnes qui Chriſtiani nominantur, Chriſtum, a quo nomen habent, imitentur. *Qui Chriſtum per Baptiſmum induerunt, ejus in carne vitæ rationem imitari profeſſi ſunt. Concil. quini-ſextum Conſtantinop. in Trul. can. 96.*

Multis quidem rationibus Chriſtum imitari debent Chriſtiani; ſed ex hoc maxime, quod ſi, illum non imitantes, ad gravia peccata declinent, gravem illi injuriam inferunt: *Qui male vivunt, & Chriſtiani vocantur, injuriam Chriſto faciunt. Aug. tract. 50. in Joann.*

Quæ & quanta ſit hæc injuria, qua Chriſtum afficiunt, docet D. Paulus, dicens, quod illum rurſus crucifigant, & oſtentui habeant: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. Ad Hebræos 6.* Illum quidem contemnunt, & oſtentui habent, quia, illo relicto, ad dæmonis partes declinant. Illum etiam rurſum crucifigunt, non quod revera illum cruci affigant: neque enim cruci affigi, vel dolore aliquo affici poteſt Chriſtus, jam gloria & honore coronatus; ſed illum rurſus crucifigunt: quia id faciunt propter quod Chriſtus crucifixus eſt; ſeu quia faciunt peccatum, ad quod delendum Chriſtus cruci affixus eſt, & ad quod delendum, eum iterum crucifigi oporteret, ſi mors ejus ad omnia omnino peccata, etiam futura, & iteranda, non ſe extendiſſet.

O quam magna hæc eſt injuria, quam Chriſto faciunt Chriſtiani! Sed magnam adhuc injuriam ei inferunt: quia ſceleribus ſuis illum apud homines diffamant: *Cujus criminis rei ſint Chriſtiani, ex hoc uno intelligi poteſt, quod Chriſti nomen diffamant. Salvian. l. 4. de prov.* Sicut boni Chriſtiani ſanctis ſuis operibus faciunt, ut ab hominibus laudetur Chriſtus, ejuſque doctrina approbetur, & ſancta judicetur; ita mali Chriſtiani criminibus ſuis Chriſtum diffamant, faciuntque ut ab infidelibus credatur ſceleroſus, & mendax, ejuſque doctrina falſa cenſeatur.

Ethnici & infideles, a Chriſtianis quos vident, judicant qualis fuerit Chriſtus: *Æſtimari itaque de cultoribus ſuis poteſt ille qui colitur. Salvian. Ib.* Et ideo cum pie, & religioſe viventes Chriſtianos vident, inferunt, ſanctum fuiſſe Chriſtum, quem ut Magiſtrum & Deum ſuum colunt. E contra vero, cum Chriſtianos turpibus & graviſſimis criminibus deditos cernunt; inferunt, peſſimum hominem fuiſſe Chriſtum, a quo nomen & doctrinam acceperunt; ſuiſque criminibus, ut ait Tertullianus, probant *malam ſectam, & malum Auctorem. Tertull. Apol. c. 3.*

Quis non videat, maximam hanc eſſe injuriam, quam Chriſto faciunt mali Chriſtiani? Sed majorem adhuc ei injuriam faciunt, quia criminibus ſuis dant infidelibus occaſionem blaſphemandi ſanctiſſimum Chriſti nomen, & in ipſum Chriſtum blaſphemias proferendi. Cujus rei conqueritur D. Paulus, dicens: *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes. Roman. 2. 24.* Quæ D. Pauli verba exponens Liranus, ait, quod conqueratur Apoſtolus de quibuſdam Judæis, qui cum ſe Chriſti diſcipulos proclamarent, multis tamen vitiis indulgebant. Et ideo dicebat D. Paulus, quod per eos blaſphemaretur Chriſtus inter gentes; quia criminibus ſuis dabant occaſionem gentibus blaſphemandi Chriſtum, & dicendi, illum haud dubie malum fuiſſe, cum mali eſſent ejus diſcipuli.

Quod de illis Judæis dixit D. Paulus, hoc de omnibus Chriſtianis, qui non chriſtiane vivunt, & qui gravibus ſe dedunt criminibus, dicendum eſt. Vult enim Chriſtus, quod diſcipuli ſui ita vivant, ut infideles, bona eorum opera videntes, piis illorum exemplis, ad Deum glorificandum inducantur: ipſi vero e contrario, pravis ſuis exemplis, anſam præbent Chriſtum blaſphemandi: *Cum ipſe Servator noſter ad nos quotidie clamet: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant filii hominum opera veſtra bona, & magnificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt; nos ita vivimus e contrario, ut filii hominum videant opera noſtra mala, & blaſphement Patrem noſtrum, qui in cælis eſt. Salvian. ib.*

Vide, o Chriſtiane, quantam Chriſto injuriam irroges, cum ad prava opera declinas. Sed majorem adhuc ei injuriam inferre videris, quia criminibus

tuis

tuis anſam præbes infidelibus dicendi, quod Chriſtus, ejuſque doctrina ſint meræ fabulæ: *Ecquis ille Chriſtus cum ſua fabula? Tertull. Apoc.* 13. Eſt in cauſa, quod *fabula* habeatur Chriſti Divinitas; *fabula*, Incarnationis myſterium; *fabula*, Beatorum gloria; *fabula*, æternum inferni ſupplicium, & ut ait Clemens Alexandrinus, *ſublata morum probitate, fabula videtur Salvatoris œconomia. in lib.* 5. *Strom.*

O quam magnam injuriam Chriſto, Magiſtro, Redemptori, & Creatori ſuo inferunt mali Chriſtiani, qui peccatis indulgent, gravibuſque criminibus conſcientiam ſuam inquinant! Eum continue laudare, eique omnibus vitæ ſuæ momentis, pro acceptis ab illo beneficiis, gratias rependere deberent, & ita ingrati ſunt, ut criminibus ſuis illum rurſus crucifigant, diffament, blaſphemari faciant, virumque fabuloſum fuiſſe ſuadeant.

O Chriſtiane ſerio recognita, quantam ſceleribus tuis Chriſto injuriam feceris; pœniteat te, injuriam intuliſſe illi, a quo habes omne bonum; ab eo veniam ſupplex poſtula, & dele peccata illa; quæ tantam injuriam inferunt Chriſto; cujus es Diſcipulus: *ac etiam Eccleſiæ, cujus es membrum.*

## TERTIA PARS.

*Mali Chriſtiani injuriam inferunt Eccleſiæ, cujus ſunt membra.*

ECcleſia eſt corpus myſticum, cujus caput Chriſtus, cujuſque alia membra ſunt omnes fideles. Sicut autem in humano corpore quodlibet membrum ſic ſuo fungitur munere, ut non ſibi ſoli, ſed & aliis etiam membris operetur, & proſit: ita in præclaro Eccleſiæ Romanæ corpore, quiſque a Chriſto habet ſuum chariſma, ſuum officium, ſuum talentum, ſuamque functionem; qua non ſibi ſolum, ſed & aliis prodeſſe debet. Quare ſicut corpus humanum magnam patitur deformitatem, cum oculus non videt, lingua non loquitur, manus non operatur, vel aliquod aliud membrum ſuo munere non fungitur: ita & corpori Eccleſiæ magnam injuriam inferunt mali Chriſtiani; cum munere, ad quod ſunt vocati, non fungentes, ad prava opera declinant, & ſceleribus animam ſuam coinquinant.

Magna quidem hæc injuria, quam Eccleſiæ irrogant mali Chriſtiani. Sed majorem adhuc injuriam Eccleſiæ faciunt, quia ejus pulchritudinem denigrant, ſpeciem minuunt, & decorem tollunt. Sicut enim rugæ & maculæ corpus, quantumvis aliunde pulchrum, plurimum fœdant: ita mali Chriſtiani, in Eccleſiæ corpore, ſunt quaſi rugæ, quæ ejus decorem minuunt, & pulchritudinem tollunt: ut enim ait Sanctus Gregorius, *Rugæ ſanctæ Eccleſiæ ſunt, qui Fidem vocibus clamant, operibus negant. S. Greg. l.* 11. *Mor.* 3. Et revera, ſi omnes Chriſtiani pii eſſent, & boni, ſi omnes recte viverent, nil Eccleſiæ corpore eſſet pulchrius, mirabilius nihil; ſed quia in hoc corpore, mali ſimul cum bonis commixti ſunt; mali, ſunt quaſi rugæ, & quaſi fœdiſſimæ maculæ, quæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pulchritudini officiunt, ejuſque decorem deturpant, & fœdant; ac ideo non ei parvam injuriam faciunt.

Hoc ipſa luce clarius videtur. Sed aliunde etiam deſumo injuriam, quam Eccleſiæ faciunt mali Chriſtiani; ab occaſione ſcilicet ſcandali, quam extraneis præbent. Tenentur enim Chriſtiani probe vivere; ſuiſque bonis operibus, aliis omnibus hominibus prælucere: quia autem inter Chriſtianos mali, & ſceleroſi ſunt, aliis hominibus non lucent præclaris virtutum exemplis; ſed ſua pravitate eos ſcandalizant, eoſque ad malum ſtimulant. Et non ſolum eos ad malum ſtimulant; ſed illos etiam arcent, ne ad Eccleſiæ Romanæ gyrum ſe recipiant. Cum enim infideles videant Chriſtianos male moratos, Religionem Chriſtianam parvipendunt, & Eccleſiam, in qua vivunt Chriſtiani, veram eſſe dubitant; ideoque intra ſe dicunt: cur amplecteremur Religionem, cujus ſectatores ſunt ita mali? Cur nomen daremus Eccleſiæ, cujus filii tot vitiis ſunt obnoxii? Nonne Chriſtiani ſunt avari, libidinoſi, ebrioſi, vindictæ cupidi, & eorumdem ſcelerum rei, quorum & nos? Cur ergo, relicta ſecta noſtra, ad Eccleſiam Romanam nos conferemus?

Plurimi ſunt Chriſtiani ita mali, ut non tam Eccleſiæ membra, quam monſtra eſſe videantur. Sicut enim monſtrum diceremus animal illud, quod corpus equi haberet, caput vero leonis; vel quod in corpore bovis, alas gereret aquilæ: ita & monſtruoſi ſunt quidam Chriſtiani; qui ſcilicet Fidem habent Chriſtianam, mores vero Ethnicos; qui credunt ut fideles, & vivunt ut idololatræ; qui in parte ſunt Chriſtiani, & in parte Saraceni; qui lingua & mente ſunt Chriſtiani; qui Chriſtum confitentur; ſed in ceteris ſunt infideles. Hæc autem monſtra, non ſolum Eccleſiæ filios ſcandalizant, ſed etiam extraneos, & infideles: quia talia monſtra videntes, contemnunt Eccleſiam, in cujus ſinu orta, & nutrita ſunt; ſumuntque inde occaſionem dicendi; quæ eſt illa Religio, quæ talia monſtra parturit? Cur talem ſectam amplecteremur, in qua tam monſtruoſos homines videmus? Cur fieremus Chriſtiani, cum hi nobis pejores videantur? O quale ſcandalum dant mali Chriſtiani; & o quantam, talibus ſcandalis, Eccleſiæ injuriam inferunt!

Malos ſui ævi Chriſtianos interpellat, & acriter arguit Chryſoſtomus, dicens, quod nec Chriſtiani, nec homines, ſed feræ, & feris pejores ſint. Quibus inquit. *Chryſoſt. ad pop. Antioch.* indiciis te fidelem nominare potero? Si te ex loco ſcire curavero; in foro te deprehendo, vaniſſime toto die vacantem: ſi te a veſte conſiderem; nihil te a ſcenico diſtare cognoſcam; quod ſi a comitibus, a ſermone, a cibo; major hinc accuſationis materia naſcitur. Unde igitur (reſponde mihi) te fidelem eſſe cognoſcere potero? Et quid dico utrum fidelis ſis? Nec ſi homo ſis, potero evidenter cognoſcere. Quando enim ut taurus ſuperbis; quando in epulis, urſorum imitaris voratum; cum malitia camelum, lupum imiteris rapina; cum iraſcaris ut ſerpens, & atrocitate ſcorpionum percutias; cum ſubdole inſidieris ut coluber; cum veneno malignitatis armeris ut vipera; cum denique quaſi diabolus ipſe, adverſus fratres crudelia bella ſuſcipias, qua ratione in hominum te poſſum numero collocare? O rem plenam doloris & lacrymarum! Fidelis, & Catechumeni diſtinctionem recipere volebam; ſed nec inter hominem, & feras quod ſit diſcrimen invenio. Quid igitur te appellare debeo? Feram? Sed illæ uno aliquando horum vitio tenentur, tu vero ſimul in te omnia colligendo, longe ferarum irrationale, ſtultumque genus

tran-

Digitized by Google

tranſgrederis; An diabolum te potius appellem? Sed ille nec pecunias concupiſcit; nec ventri obſequitur. Cum igitur plura in te vitia ſint, quam inferis & dæmonibus; reſponde, quæſo, unde te poſſum hominem nuncupare? Si vero hominem nequeo, quomodo Chriſtianum, & fidelem appellabo? O peſſimos Chriſtianos, qui tot vitiis ſunt obnoxii, ut non homines, ſed feræ, ſed ipſis feris, ipſiſque dæmonibus pejores videantur! Sed quod decus, quem honorem, quam utilitatem ex hujuſmodi malis Chriſtianis, quorum numerus magnus erat tempore D. Chryſoſtomi, & nunc major eſt, percipere poteſt Eccleſia? Hi ſane Chriſtiani, non in decus, in gloriam, & in Eccleſiæ utilitatem; ſed in ejus dedecus, ignominiam, & perniciem ſunt. Hi etenim Eccleſiam dedecorant, magnamque ei injuriam inferunt; *tum* ratione bonorum Chriſtianorum, quibus ſunt occaſio ſcandali: *tum* ratione extraneorum, & infidelium; qui etiam ſcandalizantur, cum vident eam hominibus repleri, qui ob vitia quibus adhærent, plus bruta ſunt, quam homines. Indeque ſumunt occaſionem eam deſpiciendi, in eam militandi, eamque variis modis exagitandi.

O Chriſtiani, attendite, & videte quantam criminibus veſtris Deo, cujus eſtis filii; Chriſto, cujus eſtis diſcipuli; & Eccleſiæ, cujus eſtis membra, injuriam inferatis. Hoc ſerio perpendite, & a peccatis veſtris reſipiſcite. Heu! Quid proderit vobis Chriſtianos extitiſſe nomine, & profeſſione, ſi moribus Deo, Chriſto, & Eccleſiæ infenſi fueritis? Non ſolum hoc vobis non proderit; ſed majoris vobis erit occaſio damnationis.

*Ille ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Luc.* 12. 24. Servi illi, qui non cognoverunt Domini voluntatem, ſunt Judæi, & infideles, qui Fidei lumine non fuere illuſtrati, & hi vapulabunt paucis: quia pauca & levia erunt ſupplicia, quæ patienter in inferno, reſpectu eorum quæ perferunt mali Chriſtiani. Servi vero, qui Domini ſui voluntatem agnoverunt, nec ſecundum voluntatem ejus fecerunt, ſunt mali Chriſtiani. Iſti autem, quia cum Dei voluntatem cognoſcerent, eam adimplere, eique obtemperare noluerunt, diriſſimis in inferno plectentur ſuppliciis. Quare, o Chriſtiane, tua deteſtare peccata, per pœnitentiam ea dele, & virtutem ſectare, ut horrenda inferni ſupplicia devites, & ut æternam beatitudinem aliquando obtineas. *Amen.*

## DOMINICA OCTAVA
## POST PENTECOSTEN.
## DE
# ELEEMOSYNA.

*Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*
Luc. 16. 9.

DIvitiæ vocantur *mammona iniquitatis*; non quod ex ſui natura malæ, iniquæ, & exitioſæ ſint; ſed quia qui eas poſſident, plerumque ad iniqua declinant, iiſque utuntur, ut peccato & iniquitati ſerviant. Imaginantur plerique divites, datas ſibi a Deo opes, ut iis adhæreant, iis ſerviant, iiſque ad delicias, ad luxum, & ad mala perpetranda utantur. At errant qui ita ſentiunt: vult enim Deus, ut divites, ſumptis ſibi neceſſariis, ſuperflua pauperibus erogent, ſuiſque eleemoſynis amicos ſibi faciant apud Deum: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*

Scio divitibus durum eſſe, duo hæc audire verba; *Date pauperibus*, ſed ſcio etiam dixiſſe, & pluries dixiſſe Chriſtum: *Væ vobis divitibus!* Væ quidem illis, ſi ex divitiis, quibus affluunt, pauperum neceſſitatibus non occurrant; ſed etiam *felices* nimis illi divites, qui erga pauperes ſe liberales exhibuerint; *felices*, ſi ſibi ex mammona iniquitatis amicos fecerint, & ſi largas pauperibus eleemoſynas erogaverint: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Hanc ſuam felicitatem agnoſcere poterunt divites, ſi eleemoſynæ præſtantiam, effectus, & merita, quæ jam propalare intendimus, ſerio conſiderent, &c. *Ave.*

IN qualibet virtute conſiderari poſſunt ejus natura, ejus effectus, & ejus merita. *Ejus natura* explicatur, dicendo, quid ſit hæc virtus, quantaque ejus excellentia & dignitas. *Ejus effectus* manifeſtantur, aperiendo, quid boni hæc virtus faciat & operetur. *Ejus meritum* declaratur, docendo, quanta ſit hujus virtutis poteſtas apud Deum, & quid ab eo obtinere ſoleant, qui illius virtutis exercitio ſedulo incumbunt.

Quod in aliis virtutibus attendi ſolet, conſideremus nunc in eleemoſyna, quæ a D. Chryſoſtomo, non virtus ſolum, ſed & virtutum regina dicitur: *Eleemoſyna regina virtutum.* Videamus quid mirabilis illa virtus ſit, quid faciat, & quid obtineat. Examinemus: 1. Quid ſit eleemoſyna; & ejus naturam, ejuſque excellentiam aperiemus: 2. Quid faciat eleemoſyna; & ejus effectus, mirabileſque ejus operationes manifeſtabimus: 3. Quid obtineat eleemoſyna; & favores quos a Deo impetrat, admirabimur. *Quid eſt? Quid faciat? Quid obtinet eleemoſyna?* En tres quæſtiones, quarum ſolutione tota hæc concio perficietur.

## PRIMA PARS.

*Quid eſt Eleemoſyna?*

SCiunt omnes, eleemoſynam eſſe egregium hunc charitatis & miſericordiæ actum, quo aliquid indigenti ex compaſſione datur, propter Deum, *D. Thom.* 2. 2. *q.* 31. *art.* 1. Sed ut virtutis illius præſtantia perfectius manifeſtetur; & ut quid ſit mirabilis hæc virtus, latius explicetur, dicam, eleemoſynam eſſe tributum, ſacrificium, & baptiſmum. Eleemoſyna eſt: 1. *Tributum*, quod ſolvitur Chriſto: 2. *Sacrificium*, quod offertur Deo: 3. *Baptiſmus*, quo lavantur animæ.

1. Tributa ſibi ſolvi petunt Reges, & ſæculi Principes; eaque illis ſolvere quiſque tenetur, dicente Domino: *Reddite omnibus debita: cui tributum tributum. Rom.* 13. 7. Chriſtus autem, qui totius mundi Rex eſt, & ſupremus Monarcha, ſuperflua a divitibus exigit, tamquam tributum ſibi debitum; & pauperes, tamquam legatos ſuos mittit, ut tale tributum colligant. Pauperes, inquit Salvator, ſunt Commiſſarii, ſeu Legati a me miſſi, ut meo nomine reci-

Digitized by Google

recipiant quæ vobis ſuperflua ſunt; hoc eſt tributum, quod a vobis requiro, quodque iis, ut meis Miniſtris & Commiſſariis a me miſſis, ſolvi peto: *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*. *Luc.* 11. 41.

Multa terrenis Principibus ſolvi ſolent tributa: unde quotidie conqueruntur populi, quod tributis onerentur. Sed unicum ex bonis terrenis tributum, Rex Cælorum Chriſtus a divitibus ſæculi ſibi ſolvi poſtulat, eleemoſynam ſcilicet. Hoc eſt tributum, quod ante omnia alia tributa ſolvendum eſt: *Hoc ante omnia ſolvamus tributum*. Solvamus ergo illud tributum Chriſto, qui propria manu, vel qui manu pauperum, tamquam ſua manu, illud accipit: *Manus pauperis eſt manus Chriſti; dante te eleemoſynam, non manus pauperis, ſed manus Chriſti illam recipit. Chryſoſt. hom.* 33. *ad pop.* O viri divites & potentes in ſæculo, hoc tributum ſolvite Chriſto, qui Rex, Dominus, & Creator veſter eſt. Eleemoſynæ tributum ſolvite Chriſto, qui dedit vobis corpus, animam, & quidquid in hoc mundo poſſidetis; hoc tributum ne denegetis Chriſto, qui ſanguinem ſuum dedit pro vobis in cruce, & qui ſe totum vobis dat in Euchariſtia: hoc tributum libenter & prompte ſolvite Chriſto, qui temporalia vobis dedit in hoc mundo, & a quo æterna expectatis in cælo. Danda ſane pauperibus eleemoſyna, cum ſit tributum quod Chriſto ſolvitur; *ac etiam ſacrificium, quod Deo offertur.*

2. In veteri Teſtamento varia offerebantur ſacrificiorum genera: ſed eleemoſyna quæ ex affectu charitatis pauperibus datur, eſt ſacrificium omnibus his ſacrificiis majus: *Eleemoſyna*, inquit S. Chryſoſtomus, *eſt ſacrificium aliis ſacrificiis majus. Dixit enim Deus; miſericordiam volo, & non ſacrificium. Chryſoſt. hom.* 60. *ad pop.*

Scribæ, & Phariſæi de antiquæ Legis ſacrificiis gloriabantur; ſed, ut ait S. Proſper, Chriſtus docuit eos ſingulare aliquod ſacrificium, quod majus, Deoque gratius eſt: illudque ſacrificium nihil aliud eſt, quam eleemoſyna, quæ propter Deum pauperibus erogatur: *Oſtendit Chriſtus Scribis, & Phariſæis ſingulare ſacrificium; date eleemoſynam. S. Proſper l. de promiſſ. part.* 2. *c.* 7. Non vult jam Deus ut homines ei boves & oves ſacrificent; ſed vult, ut ei bona ſua in ſacrificium offerant, dando ea pauperibus. Eleemoſyna eſt ſacrificium, quod ab iis expectat & exigit: *Chriſtiani ſacrificium eſt eleemoſyna in pauperes. S. Aug. hom.* 29. *ex.* 80.

O divites, qui toties criminibus veſtris Deum ad iracundiam provocatis, placate, & propitium illum efficite eleemoſynis veſtris. Dicite cum Patriarcha Jacob: *Placabo illum muneribus*; *Gen.* 32. 20. placate eum muneribus, & eleemoſynis plurimis. Ecce ſacrificium, quod illi offerre, & quo eum vobis propitium facere debetis. At eleemoſyna non eſt ſolum ſacrificium, quod offertur Deo; *verum & eſt baptiſmus, quo lavantur animæ.*

3. Maxima hæc eſt eleemoſynæ prærogativa, quod animam ab omni peccato lavet, & purget. *Eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat. Tob.* 4. 11. Et ideo eleemoſyna a S. Hieronymo alter baptiſmus dicitur, his verbis; *Hoc præſtat eleemoſyna, quod & baptiſma. Quomodo baptiſma nobis peccata dimittit, ita & eleemoſyna. Hieron. in Pſ.* 133.

Baptiſmi Sacramentum a Deo primario inſtitutum eſt, ut deleatur in nobis originale peccatum; ſed aliud a Deo nobis datum eſt baptiſma, ut peccata actualia, eo mediante, deleamus; illudque baptiſma nil aliud eſt, inquit S. Leo, quam eleemoſyna, quam ex charitatis, & miſericordiæ affectu facimus; *Præter regenerationis lavacrum, hoc remedium infirmitati humanæ divinitus eſt donatum, ut ſi quid culparum contrahitur, eleemoſynis deleatur. S. Leo ſerm.* 2. *de coll.*

O mirabile baptiſma, cujus virtutem ſuperexaltat S. Ambroſius, dicens, quod majorem quodammodo vim in peccata habeat, quam Baptiſmi Sacramentum, quia ſcilicet Sacramentum illud ſemel dumtaxat recipiatur; & ſemel peccata deleat; eleemoſyna vero toties quoties animam a peccatis mundare poſſit; *Eleemoſyna quodammodo aliud eſt animarum lavacrum; niſi quod, ſalva fide dixerim, indulgentior eſt eleemoſyna quam lavacrum; id eſt baptiſmus. Lavacrum ſemel datur, eleemoſynam autem quoties feceris, toties veniam promereberis. D. Ambroſ. ſerm.* 32.

O quam efficax baptiſmus eſt eleemoſyna! o immundi peccatores, qui tot coinquinati eſtis criminibus, eleemoſynis peccata veſtra redimite; largas pauperibus eleemoſynas facite, & eleemoſynæ veſtræ erunt facer quidam baptiſmus, quo a peccatis veſtris mundabimini. Non quidem *ex opere operato*, ita quod ipſæ eleemoſynæ a vobis factæ, veſtra per ſe immediate & phyſice deleant crimina; ſed illa delebunt diſpoſitive; quia ſi eleemoſynam ex affectu charitatis, & ad veniam peccatorum obtinendam faciatis, dabit vobis Deus gratias auxiliares, quibus ad pœnitendum, & ad peccata per pœnitentiam delenda ita movebimini, ut tandem ab iis mundi, & liberi maneatis; *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Luc.* 11. Ecce quid ſit eleemoſyna; *videamus nunc quid boni illa faciat & operetur.*

## SECUNDA PARS.

### *Quid facit Eleemoſyna.*

UT mirabilem Dei potentiam manifeſtet Propheta, ait, cum omnia quæcumque voluit, feciſſe, tum in inferni abyſſis, tum in terra, tum in cælo. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, in terra, & in omnibus abyſſis. Pſ.* 134. 6. Eleemoſyna autem hanc Dei potentiam participat: mirabilia enim facit: 1. In inferno: 2. In terra: 3. In cælo.

1. Eleemoſynæ quæ in terra fiunt, in infernum virtute ſua deſcendunt, ibique mirabilia faciunt: quia tartareum ignem extinguunt, & ad inferni fores ſtant, ut impediant, ne in eum mittantur homines in pauperes effuſi, qui largas eis eleemoſynas erogarunt. *Eleemoſynæ peccata delent, & pœnam perpetui ignis extinguunt. S. Leo ſer.* 5. *de collect.*

Mirabilem hanc eleemoſynæ virtutem probe noverat Tobias, dicens, quod eleemoſyna non ſolum ab omni peccato, & a morte liberet; ſed etiam quod non patiatur Deus, ut ad inferni tenebras mittantur qui largas eleemoſynas ex charitatis, & miſericordiæ motivo erogarunt. *Eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Tob.* 4. 11. Unde videtur, Deum eleemosynæ tradidiſſe inferni claves, ut illum claudat

Digitized by Google

dat in favorem eorum qui erga pauperes benigni, & miſericordes extiterunt.

Non dico, quod ex iis qui aliquam pauperibus eleemoſynam dederint, nullus damnabitur, & in infernum mittetur; ſed dico, quod quicumque miſericordes, & in pauperes liberales fuerint, ab inferni ſuppliciis præſervabuntur, quia quivis homo, quamvis multorum criminum reus, ſi largas pauperibus eleemoſynas erogaverit, tantam a Deo, mediantibus ſuis eleemoſynis, gratiarum copiam obtinebit, ut tandem a peccatis reſurgat, in ſtatu gratiæ perſeveret, & in infernum non cadat. Et ideo D. Auguſtinus ait, eleemoſynam ante fores inferni ſtare, ut impediat, ne in illum ingrediantur, qui erga pauperes fuerint miſericordes, *Ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & nullum miſericordem permittit in illum carcerem mitti, Auguſt. hom. 29. ex. 50.* Ecce mirabilia quæ in inferno facit eleemoſyna; *ſed facit etiam mirabilia in terra.*

2. Mirabilia quidem ſunt quæ facit in hoc mundo eleemoſyna, quam divites pauperibus tribuunt, quia, ut ait D. Chryſoſtomus, ipſa conſervat Dei opera, quæ perirent, & eſſe deſinerent, ſi per eleemoſynam non conſervarentur. Pauperes enim ſunt Dei opera, quæ Deus fecit, & quæ perirent, ſi per eleemoſynam ipſis a divitibus datam, non conſervarentur. *Ipſe namque pauperes, cum non eſſent, produxit; tu vero productos, & factos, fame, & reliquis ærumnis tabeſcere non deſinis.*

Plura dicit Chryſoſtomus, ut manifeſtet mirabilia, quæ in terra facit eleemoſyna, aſſerit enim, eam multa miracula facere, ac per eam ægritudines prompte, & facile ſanari. *Per eleemoſynam, ſi volumus, ægritudinem, licet gravem, repellere poſſumus: nec ſolum fieri poteſt, ſed & facile. Chryſoſt. hom. 35. ad pop.*

*Vides* pauperem lethali laborantem morbo, a quo illum tuis eleemoſynis liberas, ita ut qui antea nec loqui, nec ambulare, nec laborare poterat; jam manducet, loquatur, ambulet, & laboret, nonne hoc eſt miraculum a tua eleemoſyna factum? *Vides* alium carceri mancipatum, ferreis catenis conſtrictum, & ſub dira captivitate gementem, tu vero tuis eleemoſynis inde eum eripis, illi libertatem emis, & a miſeriis, quibus premitur, illum liberas; nonne hæc actio mirabilis eſt, & miraculoſa? *Vides* alium, cujus corpus ulceribus plurimis fœtidum eſt, magnaque ineſt ratio timendi, ne gangræna vitetur, quia nullum habet a quo curetur, tu autem, aut illud illi præſtas charitatis officium, aut eleemoſynis tuis ſolvis Chirurgum, qui ejus vulnera curat, & ſanat, eumque in hunc ſtatum conſtituit, quo ab omni infirmitate liber, agere, & laborare poſſit, nonne ibi eſt quædam ſpecies miraculi ab eleemoſyna facti? Sed, & videmus quotidie, quod perſonæ in pauperes beneficæ, & miſericordes, eleemoſynis captivos redimant, puellas periculo expoſitas matrimonio copulent, peregrinos alant, miſeros ſublevent, aliaque his ſimilia opera exerceant. Ecce mirabilia quæ in terra facit eleemoſyna; *ſed mirabilia etiam facit in Cælo.*

3. Quia ibi per manus pauperum æterna ædificat tabernacula. Multi in caſuro mundo, & paulo poſt deſerendo, quaſi æternum in eo victuri, domos magnas, multas, & ſuperfluas conſtruere ſatagunt; ſed o quam ſapientiores, qui pecunias ſuas pauperibus erogant; pecunia enim pauperibus erogata, æterna & ſine permanentia tabernacula in Cælo ædificat. *Æterna*, inquit S. Chryſoſtomus, *ſunt tabernacula illa, finem non habentia; in hanc ſtructuram pecuniam impendamus, pauperum manus hujuſmodi domos conſtruunt. Chryſoſt. hom. 7. de pœnit.*

Refert Divus Gregorius viſionem cujuſdam militis, qui in amœnis, virentibuſque pratis domum laterculis aureis extrui conſpexit; eoſque laterculos aureos afferebant pauperes. Laterculi illi aurei, inquit Gregorius, fuerunt eleemoſynæ aureæ, quibus a pauperibus cæleſte tabernaculum homini, miſericordia, eleemoſyniſque claro, ædificatur. *Qui enim præmia æternæ lucis, eleemoſynarum largitate promerebitur, conſtat, quia auro ædificat manſionem ſuam in Cælo. S. Gregor. lib. 4. Dial. c. 46.*

O N. N. ædificate vobis domos in Cælo, eleemoſynas pauperibus date, ut æterna vobis tabernacula in Cælo exædificetis. *Nemo*, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, *in caſura urbe ædificat. Dic mihi, ſi quis tibi pronuntiaret, poſt annum ipſam caſuram urbem, num in caſura urbe ædificares? Nequaquam. Quare in hoc nos ædificemus mundo? Cadet enim paulo poſt, & cuncta peribunt. Quid dico, Cadet? Ante ipſum caſum ipſi peribimus. Quid in arena ædificamus? Ædificemus ſupra petram, quantumcumque impetus fiet, inconcuſſa quidem erit illa ædificatio. Chryſoſt. homil. 33. ad pop.* Non ergo ædificemus in hoc mundo; non in eo noſtra figamus corda; ſed in Cælo. Ibi per manus pauperum firmas, & inconcuſſas ædificemus domos; demus eleemoſynam, & æterna ibi nobis conſtruemus tabernacula, in quibus nos recipient pauperes, cum ex hoc mundo migrabimus. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16. 9.* Miramini mirabilia quæ in inferno, in terra, & in Cælo facit eleemoſyna. *At miranda ſunt etiam, quæ eleemoſyna obtinet.*

## TERTIA PARS.

### *Quid obtinet Eleemoſyna.*

DEclarat Chriſtus, ſe eleemoſynam recipere, quam pauperi facimus: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Matth. 25.* In quæ verba Sanctus Gregorius Papa ait: *Ad tribuendum ergo pigri cur eſtis, quando hoc quod jacenti in terra porrigitis, ſedenti in Cælo datis? S. Gregor. hom. 40. in Evang.*

Pigri certe eſſe non debent homines ad dandam eleemoſynam, cum Chriſtus ſe eam recipere aſſerat. Sed non debent etiam eſſe pigri in eleemoſyna eroganda, cum eleemoſyna, quæ propter Deum pauperi datur, danti obtineat: 1. Bona ſpiritualia: 2. Bona cæleſtia: 3. Bona æterna.

1. Quicumque in pauperes non ſunt miſericordes, & benefici, a Deo non exaudientur, nec ab eo ſpiritualia gratiæ dona obtinebunt: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis: & ipſe clamabit; & non exaudietur. Prov. 21.* Sed contra etiam, quicumque temporalia bona pauperibus erogabit, ſpiritualia gratiæ bona ab eo impetrabit: *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Tob. 4. 7.*

Qui

Digitized by Google

Qui eleemoſynam pauperibus erogant, non ſua ſimpliciter dant; ſed ea fœnori tribuunt: fœneratur enim Deo, qui pro temporalibus bonis ſpiritualia gratiæ bona retribuet: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam retribuet ei. Prov. 19. 17.* O N. N. demus ad uſuram, non hominibus, ſed Deo, creditores, & fœneratores ſimus illius qui ait: *Date, & dabitur vobis. Luc. 6.* Sanctum hoc exerceamus fœnus, pecuniaſque pauperibus erogemus; & Deus eas reddet cum uſura: quia pro temporalibus quæ dabimus, ſpiritualia retribuet; ut enim ait Sanctus Leo: *Deus fidejuſſor eſt pauperum, & Largiſſimus redditor uſurarum. S. Leo ſerm. 6. de jejun.* In hoc uſuræ genere non eſt locus ingratitudini, non injuſtitiæ, non peccato, nec alicui damno; hanc enim Deus uſuram approbat, & pro uno centuplum reddit: quia pro temporalibus hujus mundi bonis ſpiritualia gratiæ dona impertitur; quæ comparatione temporalium ita ſunt, quaſi ſi parvo numero centenarius numerus comparetur. *Sed eleemoſyna obtinet etiam bona cæleſtia.*

2. Eleemoſynam; artem eſſe quæſtuoſiſſimam aſſerit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Oſtendamus qualiter eleemoſyna eſt ars omnium artium quæſtuoſiſſima. Chryſoſt. homil. 33. ad pop.* Eſt quidem ars quæſtuoſiſſima. quia ſæpe auget, & multiplicat temporalia bona eorum qui in pauperes ſunt liberales, aut ſaltem impedit, ne in egeſtatem, & penuriam incidant: *Qui dat pauperi, non indigebit. Prov. 28.* Sed etiam ars quæſtuoſiſſima: quia pro terrenis bonis, quæ pauperibus erogantur, cæleſtia obtinet: *Da modica, accipe magna; da terram, accipe Cælum. S. Auguſt. in Pſalm. 36.* Quid ſunt terrena omnia reſpectu cæleſtium? Umbra ſunt, fumus ſunt, vapor ad modicum apparens ſunt, nihil ſunt, & tamen eleemoſyna eſt ars ita quæſtuoſa, ut qui eam norunt, qui bona temporalia ex affectu charitatis pauperibus largiuntur, pro terrenis & contemptibilibus illis bonis, cæleſtia obtineant: *Da terram, accipe Cælum.*

*Theſaurizate vobis theſauros in Cælo*, inquit Chriſtus. *Math. 6. 20.* Non theſaurizandum in terra, nec corda ſunt figenda terrenis bonis, quæ ærugo, & tinea demoliuntur, & quæ fures effodiunt, & rapiunt: ſed theſaurizandum in Cælo, ubi theſauri ſiunt ex bonis cæleſtibus, quæ neque tinea rodere, nec fures auferre poſſunt. Sed quomodo in Cælo congregari poterunt theſauri? *Eleemoſynas videlicet erogando*, inquit Sanctus Gregorius. Theſauri in hoc mundo fiunt, congregando aurum, argentum, & alia quæ pretioſa vocamus; in Cælo autem theſauri fiunt, non congregando, ſed diſpergendo hujuſmodi bona temporalia. Cum enim illa diſpergimus, & pauperibus ob Dei amorem diſtribuimus, theſauros in Cælo congregamus: quia pro terrenis illis bonis, quæ pauperibus ex charitatis motivo damus cæleſtium bonorum theſauros dabit nobis Deus in Cælo. At eleemoſyna, non ſolum cæleſtia: *verum & æterna nobis obtinet bona.*

3. Fugaces ſunt hujus mundi opes, facile a nobis ad alios transfugiunt; eas aut cum vivimus, amittimus, aut cum morimur, dimittimus. Alii uno, alii quatuor, alii viginti, & alii triginta annis illas poſſident; ſed nullus perpetuam earum poſſeſſionem, & fruitionem habet. At ſi labiles, & fugaces illæ divitiæ in eleemoſynas diſtribuantur, non fugiunt, non pereunt, ſed in cælo congregantur, ubi pro terrenis, & tranſeuntibus illis bonis, cæleſtia & æterna dantur: *Da mortalia, & recipe immortalia. Chryſ. hom. 9. de pœnit.*

Agricolæ, inquit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ſi frumenta domi concluſa tenent, a vermibus corroduntur, & fugiunt: ſi vero diſperſerint in terras, non modo non fugiunt & pereunt, ſed etiam augentur. Sic & opes, ſtantes in arca, atque ſub ſera, & vecte defoſſæ cito transfugiunt. *Ibid. hom. 7.* Si vero eas in ventres diſperſeris pauperum, non modo non fugiunt, ſed & majores inde reſurgunt. Quia fugaces illæ opes, quæ domi aſſervatæ fugiunt, pauperibus commiſſæ non pereunt; ſed in cælo aſſervantur, ubi pro fluxis illis bonis, æterna, & nunquam peritura bona tribuuntur.

Nonnalii ea perire credunt quæ pauperibus erogant; & omnia quæ in eleemoſynas diſtribuunt, tanquam ſibi perdita inſpiciunt. At, ut ait Divus Auguſtinus, hoc quod pauperibus datur, non perit; quia contra ex omnibus temporalibus hoc ſolum non perit; *Quod dat unuſquiſque pauperibus, non perit: non dico hoc non perit, ſed hoc ſolum non perit. Auguſt. hom. 29. ex. 3. Reg. 30.* Quid factum eſt de mirabili illo Salomonis Throno, de quo dicitur, quod *non eſt factum tale opus in univerſis Regnis?* Periit. Quid de portentoſis illis operibus, quæ ſeptem Orbis miracula olim vocabantur? Perierunt. Quid de Crœſi divitiis, de Cæſarum gloria, & de famoſa Romanorum Monarchia? Hæc perierunt, & omnia pereunt, exceptis iis quæ in eleemoſynas diſtribuuntur: *Hoc ſolum non perit.* Hæc non pereunt, ait idem Auguſtinus: quia pro iis Deus alia plura, meliora, & æterna dat bona: *Aliud dabo, & plus dabo, & melius dabo, & in æternum dabo. Auguſt. ſerm. 147. de temp.* Date ergo eleemoſynam ac quantum fas erit, quantumque ſtatus veſter patietur, erga pauperes eſtote liberales: & pro terrenis & tranſitoriis bonis ſpiritualia, cæleſtia, & æterna obtinebitis.

*Date*, inquit Chriſtus, *& dabitur vobis. Luc. 6.* Date temporalia, & dabuntur vobis ſpiritualia; date terrena, & dabuntur vobis cæleſtia; date tranſeuntia, & dabuntur vobis æterna. *Amen.*

## DOMINICA NONA
## POST PENTECOSTEN.

# DE FURTO.

*Scriptum eſt: quia domus mea domus orationis eſt: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Luc. 19. 46.

DOmus Dei eſt Cælum, domus Dei eſt Eccleſia, domus Dei eſt totus mundus. *Cælum* quidem domus Dei eſt, in qua ipſe ſpeciali modo habitat, ſeque Sanctis ſuis videndum manifeſtat. *Eccleſia* eſt etiam domus Dei, cui ſpeciali modo ſe præſentem exhibet per auxilia quæ fidelibus præſtat, & per beneficia quibus eos afficit. *Totus tandem Mundus* eſt Dei domus, quia totum Mundum præſentia ſua replet, potentia ſua ſuſtentat, & bonitate ſua fovet.

Cer-

Digitized by Google

Certum eſt autem, quod in cælo nulla perpetrentur latrocinia; quia ibi omnia ſunt communia; & quiſque tam alterius, quam proprio bono gaudet. Certum eſt e contra, quod in hoc inferiori mundo innumera committantur furta, quia ſibi in hominum cordibus tanta eſt bonorum temporalium concupiſcentia, ut innumeri aliena rapiant, & furentur. Sed quod mirum, & portentoſum eſt, in ipſa Chriſti Eccleſia non deſunt furta & latrocinia. Et licet hæc vera ſit Dei domus, illam homines in latronum ſpeluncam convertunt; *Domus mea, domus orationis eſt: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*. Inde de furto dicendi occaſionem ſumere ſtatui, &c. *Ave*.

OMnia peccata mortalia ſunt communia, gravia, & periculoſa. Omnia peccata mortalia ſunt communia: quia totus mundus in maligno poſitus eſt: & in eo cujuslibet generis peccata affluunt, & inundant. Omnia etiam peccata mortalia ſunt ex ſe gravia: quia infinitam Dei Majeſtatem graviter offendunt, & quia non ſolum ineffabilibus Paradiſi gaudiis privant: ſed etiam ad æterna tartari ſupplicia pertrahunt. Omnia tandem mortalia peccata ſunt periculoſa, quia qui in ea incidit, in continuo damnationis æternæ periculo verſatur.

Quod de omnibus mortalibus peccatis dico, ſpeciali quodam modo convenire videtur furto, quod communiſſimum, graviſſimum, & periculoſiſſimum eſt. *Communiſſimum* quidem in hoc mundo, *graviſſimum* in ſe, & *periculoſiſſimum*, reſpectu eorum, qui aliena furtis auferunt. Aliena furari, eſt: 1. Quid commune; 2. Quid grave: 3. Quid periculoſum.

## PRIMA PARS.

### *Aliena furari, eſt quid commune.*

NOn eſt imaginandum, eos ſolummodo aliena furari, qui in mediis noctis tenebris domos invadunt, vel qui in ipſis ſylvarum receſſibus viatores exſpoliant & mactant. Aliena enim furantur, quicumque dolo, vi, fraude, palam, vel clam, invitis dominis, aliena auferunt. Taliumque furum nil in mundo communius: quia *a minore uſque ad majorem, omnes avaritiæ ſtudent: & a Propheta uſque ad Sacerdotem, cuncti faciunt dolum. Jer. 6. 13.*

Inter ipſos Reges, & Principes, qui multorum ſunt bonorum poſſeſſores & domini, non deſunt qui aliena rapiant: ex iis enim aliqui fures ſunt, & furum ſocii: *Principes tui infideles, ſocii furum*, inquit Iſaias Propheta 1. 23. Et ut ait S. Auguſtinus: *Quid ſunt Regna, remota juſtitia, niſi latrocinia?*

Fateor, raro inveniri Reges & Principes, qui inique ſubditorum bona rapiant: quia plerumque hi populorum patres, & protectores eſſe ſolent. Sed ſæpe eorum Officiarii, & hi qui Rempublicam adminiſtrant, fures ſunt & latrones, qui populorum bona in propriam utilitatem convertunt, & diſpendio publicorum familiarem augent, opeſque plurimas ſibi coacervant. Hi ſunt quaſi ſanguiſugæ: quia pauperum ſanguinem, & ſubſtantiam ſugunt, nec unquam per debitam reſtitutionem quidquam evomunt. Hi ſunt quaſi ſpongiæ quæ pauperum ſanguine & opibus madeſiciunt & replentur; ſed mox a Principibus comprimentur, ac de iis fiet ſicut de Miniſtris Flavii Veſpaſiani, de quo dicitur: *Officiarios ſuos habebat pro ſpongiis, quod eos veluti ſpongias, & ſiccos madefaceret, & humentes exprimeret. Sveton.*

Non apud Magnates ſolum, ſed etiam inter pauperes & plebejos communia ſunt furta. Inter iſtos ſane multi fures inveniuntur, & in communi fæce plebis omnia injuſtitiis, furtiſque referta eſſe ſolent. Quid enim inter ruſticos communius, quam agros mutuo invadere, poſſeſſionum ſuarum transferre terminos, dominos & decimas defraudare, per lites ſibi arrogare quæ alterius ſunt, ac litigiis pupillos & viduas facultatibus ſpoliare? Quid inter artifices uſitatius, quam ſegniter laborare, cum diurna mercede conducuntur? quam male & imperfecte ſuſceptum opus exequi, quando eis pacto pretio locatum eſt? quam multa fraude uti in omnibus operibus, quæ facienda ſuſcipiunt? Sed nonne ipſi pauperes, & mendici ſub ſpecie paupertatis multa committunt furta? Nonne hi ſæpe quæ aliorum ſunt, neceſſitatis prætextu, vaſtant, & diripiunt? Nonne hi ſæpe exterius paupertatem mentiuntur? cumque revera pauperes non ſint & inopes, eleemoſynas fraude obtinent? Nonne ſæpe abſque legitima cauſa, hi ſylvis, agris, & hortis damna multa afferunt, & aliena uſurpant?

Jam quiſque veſtrum videre incipit, quam commune ſit in mundo aliena furari; ſed id communius eſſe cenſebit, qui advertet, quid in ſæcularium domibus fieri ſoleat: nulla enim fere domus, in qua non ſint aliqui fures; nulla fere domus, in qua aut domini famulis, aut famuli dominis, vel parentes filiis, vel filii parentibus injuriam non faciant, eorumque bona non inique auferant; Heu! quam multi heri domeſticorum mercedem injuſte detinent, aut tarde perſolvunt? Quam multi parentes hæreditatis legitima portione nonnullos ex filiis privant, ut unum in aliorum præjudicium ditent? Quam multi filii furtim parentum ſubſtantiam auferunt, eamque in ludos, & luxus, immo quandoque in fornicationes, & ſcorta prodigunt, & profundunt? Quam multi filii familias fratres ſuos, & ſorores defraudant? Quam multi, cum parentes extrema agentes vident, ad arcas properant, & inde aurum, argentum, monilia, & alia quæ poſſunt, ſubtrahunt? Sed quid dicemus de famulis & ancillis? Nonne hi de rebus dominorum, propinquis, vel amicis multa largiuntur, vel etiam in proprium uſum convertunt, cum gravi conſcientiæ ſuæ detrimento?

Ex jam dictis ſatis notum videtur, furta eſſe in mundo communia. Sed ut magis pateat, quam communia ſint; Addo, quod furari, ſit quid commune apud Mercatores, apud Judices, & apud Eccleſiaſticos: *apud Mercatores*, in quibus ſumma eſſe debet æquitas: *apud Judices*; qui furum vindices eſſe tenentur: *apud Eccleſiaſticos*, quibus furta verbis & exemplis damnare munus & onus incumbit.

Quoad Mercatores; quis dicat, quot ipſi furta fraudibus ſuis perpetrent? Nonne hi ſæpe aliena furantur, mercem unam pro alia vendendo? Nonne illis veris mercibus falſas, & alias minoris valoris ſæpe immiſcent? Nonne multi ex Mercatoribus habent pondus & pondus, menſuram & menſuram,

unam

unam qua ad merces vendendas, & aliam qua ad eas emendas utantur? Nonne hi ſæpe monopolia faciunt, ut res majori pretio vendant, & minori emant? Nonne hi ſæpe merces antiquas & corruptas pro bonis & recentibus vendunt? Sed nonne hi ſæpe ſtolidis & ignaris res ſupra legitimum pretium vendunt? Nonne etiam hi ſæpe emendo & vendendo contractibus uſurariis aliena auferunt?

Nil ſane communius apud Mercatores, quam aliena fraudibus & dolis furari; ſed & hoc uſitatiſſimum eſt apud Judices. In judiciario foro inveniuntur Cauſidici, qui cauſas injuſtas propugnandas ſuſcipiunt: & qui, ut loquitur Sanctus Bernardus, *diſerti ſunt adverſus juſtitiam, eruditi pro falſitate, ſapientes ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum*, *S. Bernard. lib.* 1. *de conſid.* In foro Procuratores multi, tabularii & tabelliones plurimi falſis ſcriptis, iniquis conſiliis, malignia agendi modis pauperes, pupillos, viduas opprimunt, vendunt, & facultatibus ſpoliant. Sed & in foro multi ſunt Judices, *qui condunt leges iniquas: & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei; ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent*. *Iſa.* 10. In foro plurimos reperire eſt Judices, qui muneribus & pecuniis victi, impios juſtificant; & innocentes, quaſi rei eſſent, inique condemnant; de quibus Iſaias ait: *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo*. *Iſa.* 5. 23.

O quam multi Judices aliorum bona furantur! Sed quod portentoſum eſt, apud ipſos Eccleſiaſticos, fures reperiuntur, qui turpis avaritiæ vitio ſuccenſi, per fas & nefas aliena auferunt: qui, veluti latrones, per oſtium ad beneficia non ingrediuntur: qui de patrimonio Crucifixi, & de altari multa bona coacervant, vel potius furantur: quia ut ait Sanctus Bernardus, *quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*. *S. Bern. Epiſt.* 1.

Videte, quam communia in mundo ſint furta: certe in eo *furtum & adulterium inundaverunt*. *Oſeæ* 4. 2. Sed ſi furari ſit quid commune; *furari eſt etiam quid grave*.

## SECUNDA PARS.

*Aliena furari, eſt quid grave.*

Licet furtum, ratione parvitatis materiæ, & aliarum quarundam circumſtantiarum, leve eſſe poſſit; ex ſuo tamen genere, quid grave eſt, & peccatum mortale, cum fures, ſi ablata non reſtituant, & pœnitentiam non agant, cæleſti regno priventur; *Neque fures, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt*. 1. *Cor.* 6. 10.

In Lege veteri furtum quid grave cenſebatur; cum juberet Lex, *Exod.* 22. ut pro uno bove, furtim ablato, redderentur quinque, & pro una ove, quatuor reſtituerentur, ac tandem quod venundaretur ipſe fur, ſi non haberet, quo reſtitueret. Cujus legis æquitatem explicat Doctor Angelicus, dicens; *Cum aliquis ex ſua injuſta voluntate ſibi attribuit plus quam ſibi debetur, juſtum eſt, ut diminuatur etiam quantum ad id quod ſibi debetur, ſicut cum furatur quis unam ovem reddat quatuor; per hoc enim punitur ejus iniqua voluntas*. *D. Th.* 2. 2. *q.* 49. *art.* 9.

Si in Lege veteri grave cenſebatur furtum, quam gravius æſtimatur in nova, & apud Chriſtianos, inter quos ſocietatis, & charitatis vinculum longe arctius eſſe debet. Inter iſtos ſane, aliena furari graviſſimum judicatur; & qui aliena furantur, inſpiciuntur, ut infames, ut ſocietatis & vitæ communis hoſtes, nec non ut apud Deum, & apud homines rei qui multis ſuppliciis digni ſunt. Nec mirum, cum fures Deus maledictione ſua feriat: *Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur judicabitur, & veniet ad domum furis*: *Zach.* 5. 3. ad infernum ſcilicet, qui eſt domus ad recipiendos fures parata, ſi non convertantur.

Furti gravitas inde ſane cenſeri poteſt. Sed aliunde etiam cenſetur; ex hoc ſcilicet, quod nunquam veniam, & peccati ſui remiſſionem obtinere queant qui aliena furto rapuerunt, niſi ablata reſtituerint; quia *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. *Aug. Ep. ad Maced.* Qui aliena rapit, *fur eſt*; qui fraudat in contractibus, in ulna, in pondere, vel menſura, *fur eſt*; qui mercedem operariis debitam detinet, *fur eſt*; qui uſuras exigit & accipit, *fur eſt*; qui domino ſuo per negligentiam ſuam nocet, *fur eſt*; qui cum validus ſit, pauperum ſtipem præripit, *fur eſt*: omnia tandem lucra iniqua, furta ſunt, & peccata ita gravia, ut a Deo non dimittantur, niſi rerum furtu acquiſitarum fiat reſtitutio: *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*.

De aliis peccatis facile obtineri videtur remiſſio; poſtquam enim perpetrata ſunt, ut venia & remiſſio a Deo impetretur, requiritur ſolummodo, ut qui ea perpetravit, pœnitentiam agat. Sed non ita de furto, cujus ut obtineatur remiſſio, fieri debet reſtitutio, non ſolum rei ablatæ, ſed & damnorum ex ablatione ejus manantium. Et ratio eſt, quia non dimittitur peccatum niſi legitime diſpoſito: nunquam autem ad abſolutionem & ad veniam obtinendam diſpoſitus eſt, qui victus avaritia, non reddit vero domino, quod ipſius eſt, ſi ſaltem illud reddere valeat.

Qui aliena rapuerunt, vellent, ſimul & veniam obtinere peccatorum, & ablata non reſtituere. Unde circuire ſolent, ut quærant Confeſſarium, qui rodentem intus conſcientiam ſopiat: & qui dicat, eos ad reſtitutionem non teneri. Si talem non inveniant Confeſſarium, levibus rationibus, quas dæmon & avaritia ſuggerunt, ſibi ſuadere conantur, ſe ad reſtitutionem non teneri. Sed faciant quod voluerint remiſſionem peccatorum nunquam aſſequentur, quin aliena reſtituant, voluntate ſaltem, & firmo propoſito; ſi revera ſtatim ea reſtituere non poſſint.

Ecce quam grave ſit, aliena furari. Sed hoc adhuc gravius cenſebit, qui ſciet, quod fures qui aliena abſtulerunt, flammis æternis addicentur, niſi ea reſtituant; ſi ſaltem reſtituere poſſint. Heu! ſi impii, qui Chriſtum in pauperibus non paverunt, potarunt, & veſtierunt, cum audient dicentem: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*: quis dubitet, uſurarios, iniquos divites, & alios fures qui Chriſtum in pauperibus & pupillis ſpoliarunt: eum audituros, eadem verba proferentem, & clamantem; *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*? Si dives

Epulo,

Digitized by Google

Epulo, quia largitus non eſt eleemoſynam Lazaro, ſepultus eſt in inferno; quis credat in eo non ſepeliri fures, & raptores, ſi eos criminum non pœniteat, & ſi ablata non reſtituant?

Certe ibi ſepelientur fures & raptores. Et ideo Propheta Abacuc bona inique acquiſita vocat denſum lutum, quod ſupra ſe fures aggravant: *Væ ei, qui multiplicat non ſua! uſquequo, & aggravat contra ſe denſum lutum? Habac. 2.6.* Hæc bona, inique ablata, ſunt quaſi denſum lutum, cui infiguntur fures; ex quo fere nunquam emergunt, quia nunquam reſtituere volunt: & ideo poſt mortem ad æterna ſupplicia damnantur, & in inferno ſepeliuntur.

Non pigebit hic adducere terribile exemplum a Guillelmo Peraldo relatum, de uſurario quodam, qui cum extrema ageret, adſtanti Paſtori ſuum quidem non negavit peccatum. Sed cum prudens Paſtor uſurarum & furtorum gravitatem, nec imminens damnationis periculum in quo verſabatur, ei objecit, ni ablata reſtitueret; ea reſtituere renuit. Acceſſere filii, hortantes eum ut aliena reſtitueret, ne æternis inferni ſuppliciis addiceretur. Quibus ille, ego reſtituere non poſſum; quia ſi ſuperſtes forem, non eſſet quod ederem, mihique oſtiatim mendicandum eſſet. Si vero e vivis excederem, ad Xenodochium vobis confugiendum foret, nihil enim supereſſet: quia omnia fœnore ſunt comparata. Cui reſponderunt illi; Pater, ne de nobis ſis ſollicitus, tuæ ſolummodo proſpice ſaluti. Sed ipſe fœdo avaritiæ ſpiritu ſemper concitatus, ait: tacete, potius mihi ſtandum ad Dei miſericordiam, quam ad hominum voluntatem; illi enim inhumani, & immiſericordes ſunt, Deus autem clementiſſimus. Sicque propoſiti tenax, ex hoc mundo ad infernum migravit, ubi ab uno ex ejus filiis, qui ſtatum Religionis aſſumpſerat, viſus eſt, horrendas flammas indeſinenter evomens, & formidandos cruciatus perferens. *Parald. de uſur.*

Quod huic miſero contigit, hoc & omnibus qui aliena abſtulerunt, infallibiliter eveniet, ſi inique ablata non reſtituant. Hoc & eveniet filiis, & hæredibus, ſi illatæ injuſtitiæ ſint conſcii, hoc & accidet omnibus qui furum ſocii, & furtorum participes extiterunt, ſi non reſtituant id, in quo aliis damnum intulerunt. Ex quo patet, quam grave ſit, aliena furari. Hoc ſane grave & graviſſimum eſt, quare a furtis ſtudioſe abſtinete.

Ad abſtinendum ab iis quiſque excitari debet; *Tum*, quia nihil turpius, quam aliena furari, furiſque nomine notari: *Tum*, quia bona furto acquiſita cito diffluunt, & veluti fluvius citiſſime tranſeunt, nec de illis gaudet tertius hæres: *Tum*, quia juſto Dei judicio ſæpe fit, ut qui aliena rapiunt, ſemper in egeſtate ſint; *Rapiunt non ſua; & ſemper in egeſtate ſunt. Prov. 11.* Sed ad abſtinendum a furtis quiſque maxime moveri debet, quia furari eſt quid ita grave, ut qui aliena furantur, veniam obtinere, & ſalvari nequeant, niſi ablata reſtituant.

O miſer, cum in mediis inferni ignibus cruciaberis, quid tibi proderit, pupillos & viduas ſpoliaſſe, multa uſuris, aliiſque viis inique bona coacervaſſe, plurimas villas comparaſſe, ac domos amplas & ſuperbas ædificaſſe? Quid tibi tunc proderit, filios cum ſalutis tuæ jactura ditiſſimos reliquiſſe? Quid proderit, quod hæredes bonis tuis impinguentur, delicientur, ac forte ad peſſima crimina perpetranda utantur? Tunc dices: o utinam aliena nunquam abſtuliſſem! o utinam propria pauperibus erogaſſem, aut ſaltem aliena reſtituiſſem! Fac nunc, quod tunc feciſſe voles: aliena ne fureris; aut ſi aliqua furatus es, quamprimum propriis dominis reſtitue: quia furari eſt quid grave, *ac etiam quid periculoſum.*

## TERTIA PARS.

*Aliena furari, eſt quid periculoſum.*

USurarii, iniqui Judices, & alii multi hujuſmodi fures, ſub fictæ, & imaginariæ cujuſdam juſtitiæ velo ita obtegunt furta, ut ob ea ad flagella, ad triremes, ad furcas, vel ad alia quævis ſupplicia in hoc mundo damnari nequaquam timeant. Sed his & aliis omnibus furibus eſt, quod alterius mundi tormenta pertimeſcant: maximum enim iis ineſt æternæ damnationis periculum: *aut*, quia furta ſua nunquam debite confitentur: *aut*, quia ea nunquam vere deteſtantur: *aut*, quia pro iis proximo nunquam perfecte ſatisfaciunt.

1. Adoleſcentes multi, exiguis aſſueti furtis, pudore quodam circumfuſi, ea in confeſſione reticent; & ideo ſenſim ad graviora labuntur, quæ nec in confeſſione aperiunt, vel quia eos pudet, vel quia ſibi ſuadere conantur, furta ſua eſſe parvi momenti, Deumque eſſe miſericordem quia illis indulgebit, licet ea Confeſſariis non fateantur.

Alii nonnulli, qui uſuris, aliiſque viis iniquis aliena ſuffurantur, de iis in confeſſione declarandis nec cogitant; quia ſupponunt juſtos eſſe titulos, quibus ea acquirunt. Mordeat, quantum voluerit, conſcientia, intus ſtimulet, & pungat quantum placuerit, nunquam tamen a prudente Confeſſario conſilium petere, vel ei in confeſſione vias iniqas, quibus bona temporalia acquirunt, aperire volunt, ut conſcientiæ ſuæ quieti, & propriæ ſaluti conſulant.

Alii plurimi certo ſciunt, ſe aliena rapuiſſe, & inique abſtuliſſe, ſed furta ſua non confitentur, aut quia in iis perſeverare volunt; aut quia timent, ne a Confeſſario ad inique ablata reſtituenda cogantur.

Alii ſua confitentur furta, ſed male. Ita enim ea Confeſſario explicant, callidiſque, & artificioſis rationibus ita illa velant, ut quæ inique abſtulerunt, juſte ablata ſuadeant.

Omnes autem præfati fures in evidentiſſimo damnationis verſantur periculo; quia mortalium peccatorum confeſſio jure divino & Eccleſiaſtico ad ſalutem neceſſaria eſt. Et ut determinavit Concilium Tridentinum, in confeſſione neceſſario aperienda ſunt omnia mortalia, omneſque circumſtantiæ ſpeciem mutantes, ita ut qui mortale aliquod voluntarie in confeſſione reticent, ſacrilegium perpetrent, nec ſalvari poſſint, niſi reſipiſcant; & pœnitentiam agant.

Videte, & ex jam dictis concipite, quam periculoſum ſit aliena furari. Hoc ſane maxime periculoſum, & qui aliena furantur, in evidenti verſantur damnationis periculo: quia furta ſua nunquam, aut raro debite confitentur: *At etiam quia ea nunquam, aut raro deteſtantur.*

2. Omni tempore ad obtinendam peccati remiſſionem neceſſaria fuit pœnitentiæ virtus, ſeu dolor, & de-

& deteſtatio peccati. Nec quomodocumque veniam peccator impetrare poteſt, ſi prius peccata ſua deteſtatus non fuerit, & firmum emendationis propoſitum non elicuerit: quia talis deteſtatio eſt de jure naturali. Dictat enim ratio naturalis, deteſtandum eſſe peccatum commiſſum contra Deum, ut a Deo venia & peccati remiſſio obtineatur. Unde, etiam per abſolutionem, non remittitur, nec remitti poteſt peccatum, niſi prævio dolore ex parte pœnitentis, & niſi pœnitens illud deteſtatus fuerit, verumque propoſitum habuerit in illud iterum non cadendi.

Hæc eſt certa, & veriſſima omnium Theologorum doctrina. Sed heu! Pletique eorum qui aliena furantur, nunquam vere ſua deteſtantur peccata, nec unquam firmum & verum amplius non peccandi propoſitum eliciunt. Quis, quæſo, uſurarius ſuas deteſtatur uſuras? Vel potius, quis in contractibus uſurariis conficiendis non perſeverat? Quis Judex, quis Patronus, quis Civis, vel alius quiſque, qui viis iniquis temporalia acquirere conſuevit, ſua deteſtatur peccata, & a viis ſuis peſſimis deſciſcit? Quis fur ita ſua deteſtatur furta, ut aliena non amplius furari firmiſſime ſtatuat? Certe pauciſſimi ſunt qui ea ſic deteſtentur: & ideo *pauciſſimi*, qui criminum veniam obtineant; *pauciſſimi*, qui ſalventur; *pauciſſimi*, qui non damnentur. Aliena ergo furari eſt periculoſiſſimum; & qui aliena furantur, in evidentiſſimo verſantur damnationis periculo; quia furta ſua nunquam, aut raro deteſtantur. *Ac etiam quia pro inique ablatis nunquam, aut raro perfecte ſatisfaciunt.*

3. Totus mundus plenus eſt furibus, qui aliena, clam, vel palam auferunt, & nullus fere eſt, qui pro illato damno ſatisfaciat. Ubi, quæſo, ſunt, qui ablata vere, perfecte, & prompte reſtituant? *Alii* nec reſtituunt, nec unquam reſtituere volunt: *Alii*, ſe reſtituere velle dicunt, & tamen nunquam reſtituunt: *Alii* in tempus futurum reſtitutionem faciendam dimittunt: ſed nunquam illud reſtituendi tempus advenit: *Alii* ad hæredes reſtituendi onus tranſmittunt; iſti vero ad alios; & ſic ablatorum nunquam fit reſtitutio. Quid autem fiet de illis furibus, qui ablata non reſtituunt, & proximo non ſatisfaciunt? Hi haud dubie in æternam damnationem incurrent; & ideo periculoſiſſimum eſt aliena furari.

Quemdam litium Procuratorem infirmum, qui de marſupio implendo, magis quam de cujuſque jure tuendo curaverat, inviſit Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus; Cumque eum, graviter ægrotantem, alloqui incepiſſet de præparatione ad mortem; reſpondit ille conſtanti animo, mente tranquilla, & quaſi de itinere, quod ad villam, vel ad oppidum facturus eſſet, loqueretur, dicens: *Ego Domine cupivi alloqui te, non pro me, ſed pro conjuge mea, & filiis meis, ego enim propero ad inferos, neque eſt, quod aliquid pro me agas. Bellarm. l. 2. de arte bene mor.*

Ecce quo properare ſolent fures illi, qui aliena rapiunt, & detinent: quare abſtinete a furtis, & *qui furabatur, jam non furetur. Epheſ. 4. 28.* Fur eras, qui uſuris, iniquis contractibus, fraudibus, dolis & aliis modis injuſtis aliena abripiebas, jam noli furari, ſed ablata propriis dominis reſtitue.

Furtum, eſt quid commune, quid grave, quid periculoſum; *Si ſit quid commune*, ab eo abſtinendum: quia qui communem & latam viam tenent, in æternum peribunt; *Si ſit quid grave*, ab eo etiam abſtinendum; quia omnia, & præſertim gravia peccata ſunt fugienda. *Si tandem furtum ſit quid periculoſum*, ab eo eſt declinandum, quia qui amat periculum, peribit in illo. Nolite ergo aliena furari: ſi quædam furto abſtuleritis, propriis ea dominis reſtituite, de propriis bonis, pauperibus largas facite eleemoſynas: & Deus, qui benignus eſt & miſericors, æterna vobis in cælo bona largietur. *Amen.*

# DOMINICA DECIMA

## POST PENTECOSTEN.

## DE

## BONIS OPERIBUS:

*Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo.* Lucæ 18. 14.

NEc deſidioſis, nec otioſis, ſed laborantibus, & bonorum operum exercitio vacantibus Paradiſum Deus dare decrevit: Paradiſus enim eſt quidem finis omnibus hominibus propoſitus, ſed per media idonea, ſeu per bona opera acquirendus. Ut æternam beatitudinem quis aſſequatur, non ſatis eſt, quod ſanctis affluat cogitationibus, quodque piis ferveat deſideriis: ſi enim his cogitationibus, iiſque deſideriis bona non jungantur opera, cæleſtem gloriam nunquam obtinebit: quia unicuique Deus æternam dat mercedem juxta bona opera, quæ in hoc mundo fecit: *Reddet unicuique ſecundum opera ejus. Matth. 16. 27.*

O N. ſi æternam adipiſci velis beatitudinem, bonis indulge operibus, iiſque ita incumbe, ut ad eam obtinendam tibi proſit. Ne imiteris Pharisæum, qui licet bona quædam opera fecerit, iis tamen juſtificari, & beari non meruit, ſed imitare Publicanum, qui per opera bona quæ fecit, juſtificatus, & æterna gloria dignus factus eſt: *Deſcendit hic in domum ſuam juſtificatus ab illo.* Vos ad bona opera, non inſtar Phariſæi, ſed inſtar Publicani facienda, tota hac concione hortabor, &c. *Ave.*

PHariſæus, de quo hodiernum loquitur Evangelium, jejunabat, decimas ſolvebat, aliaque bona faciebat opera: ſed de bonis ſuis operibus gloriabatur, ea ſibi ſoli arrogabat, eaque non ad Deum, ſed ad finem pravum dirigebat.

Vir ille, iniqua inflatus ſuperbia, de bonis gloriabatur operibus; & ideo, ob bona quæ faciebat, opera, aliis ſe præferebat hominibus, dicens: *Non ſum ſicut ceteri hominum: raptores, injuſti, adulteri. Luc. 18. 11.* Ipſe etiam bona ſua opera ſibi arrogabat: eaque non Deo, omnium bonorum Auctori, ſed ſibi ſoli tribuebat, ajens: *Jejunio bis in ſabbato; decimas do omnium quæ poſſideo.* Ille tandem, non ad Dei gloriam, ſed ad finem pravum ſua opera dirigebat, & ideo per illa non juſtificabatur, *Deſcendit hic in domum ſuam juſtificatus ab illo.*

Superbo huic Phariſæo totaliter diſſimilis fuit humilis Publicanus. Iſte etenim de bonis ſuis operibus

non gloriabatur, ſed ea abſcondebat, & ideo ſe peccatorem dicebat, *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Iſte bona ſua opera non ſibi, ſed Deo tribuebat, & ideo nec oculos in Cælum levare audebat, quaſi ad omne bonum inhabilis eſſet. *A longe ſtans, nolebat nec oculos ad Cælum levare*: Iſte tandem non ad pravum finem, ſed ad Dei gloriam, bona ſua opera faciebat, & ideo juſtificari meruit, *Deſcendit hic juſtificatus*.

Non Phariſæum ſuperbum, ſed humilem Publicanum quiſque imitari debet. Nam, ut jam probabimus, Bona opera, 1. Non ſunt pervulganda, ſed occultanda, 2. Non ſibi, ſed Deo tribuenda, 3. Non ad malum finem, ſed ad Dei gloriam dirigenda, & referenda. Bona noſtra opera ſunt occultanda, Deo tribuenda, & ad Deum referenda. En tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Bona opera non ſunt pervulganda, ſed occultanda.*

SCribæ & Phariſæi, facturi eleemoſynam tuba canebant, vel in vicis & Synagogis buccinatorem præmittebant, qui tuba caneret, ſub prætextu quidem monendi & colligendi pauperes ad erogandam eis eleemoſynam, ſed in rei veritate ad oſtentationem, & ut a concurrentibus liberalitas eorum videretur & celebraretur. Quem eorum morem non approbavit, ſed acriter arguit Chriſtus, dicens, *Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Matth. 6. 2.*

Tuba canebant Phariſæi, ut eleemoſynas ſuas pervulgarent, tuba canunt multi Chriſtiani, qui phariſaica inflati ſuperbia, cum jejunant, orant, eleemoſynas erogant, aliaque bona opera faciunt, ea ab hominibus ſciri curant, eaque pervulgari ſatagunt, ut auram populi emendicent, utque ab hominibus juſti cenſeantur & dicantur. Sed ſi recte ſaperent, tuba non canerent, nec opera ſua bona arroganter oſtentarent, quin potius ea Chriſtianæ humilitatis velo occultarent, ſeque ſervos inutiles, & ad omne bonum inhabiles æſtimarent.

Videte, qualiter ſe habuerit mirandus Meſſiæ Præcurſor, ad quem cum Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas miſiſſent, ut interrogarent eum, & ab illo peterent, quis ille eſſet, *Tu quis es? Joann. 1.* Non mox tuba cecinit, non ſtatim dignitatem, & merita ſua prodidit, ut ab iis honoraretur. Quin contra, interrogatus, an eſſet Meſſias, Elias, vel alius quidam Propheta a Deo miſſus, ſemper reſpondit, *Non ſum, non ſum*. Homo ſuperbus, ut advertit S. Auguſtinus, ad ſui laudem ſemper loquitur, ſemperque dicit, *Ego ſum, ego ſum*, ſed humilis Baptiſta Chriſti, Judæis ſemper reſpondet, *Non ſum, non ſum*. Quare ab iis iterum rogatus eſt, ut manifeſtaret ſemetipſum, diceretque quis ipſe eſſet, *Quid dicis de teipſo?* Quibus ut reſponderet, tuba canere, & in ſui laudem dicere potuiſſet, ſe eſſe Chriſti Præcurſorem, ſe eſſe Angelum a Deo miſſum, Prophetam, plus quam Prophetam, eximium pœnitentiæ præconem, Anachoretarum Principem & hominem, quo nullus major unquam ſurrexerat. Sed humilis ille Chriſti Præcurſor non ſemetipſum prædicavit, virtutes, & merita ſua non pervulgavit; quin contra, labilem ſolummodo, & in momento evaneſcentem vocem ſe eſſe dixit, *Ego vox*.

Diſcite a Sanctiſſimo Chriſti Præcurſore, ſuperba non ſapere, merita, & bona veſtra opera non prædicare, eaque humili ſilentio, vel verbis Chriſtianam humilitatem redolentibus velare. Sed & hæc eadem diſcite a Chriſto Domino, qui ſicut humilitatem ſectari crebro docet, ita bona opera vulgare, & ad ſui oſtentationem facere prohibet.

Cum facis eleemoſynam, inquit Salvator, fuge oſtentationem, & quantum ad te attinet, ſecretum appete, ne ab hominibus tua videatur, & celebretur virtus, *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito. Matth. 6.* Nec de ſola eleemoſyna hoc docet Chriſtus, verum & de omnibus bonis operibus, quæ propalare, ac palam ad oſtentationem facere vetat, dicens: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Ib.*

Bona opera coram hominibus facere, non abſolute, & ſimpliciter prohibet Chriſtus. Quin contra vult, nos palam facere bona illa opera, quæ ad ſtatum noſtrum ſpectant; ut nos ea facientes, aliis hominibus virtutum exempla præbeamus, eoſque ad Deum laudandum alliciamus. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum. Matth. 5. 16.* Sed licet velit Chriſtus, nos bona opera, quæ ad ſtatum noſtrum ſpectant, coram hominibus facere, ut ſimus iis in virtutis exemplum; non tamen vult, nos bona opera coram hominibus facere ad oſtentationem, ſeu ut ab hominibus videamur, & æſtimemur: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Cujus rei rationem ſubdit, dicens eos qui opera ſua bona pervulgant, & coram hominibus faciunt, ut ab iis videantur, nullam a Deo mercedem accepturos: *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.*

Pollicetur Chriſtus, omnes penitus homines laborum, & bonorum operum mercedem accepturos, licet vel unicum ſolum aquæ frigidæ ſcyphum pro ejus amore pauperibus erogaverint: *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Matth. 10.* Sed velim, aliquem toto vitæ ſuæ tempore jejunaſſe, omnia ſua pauperibus diſtribuiſſe, ac portentoſa mortificationis, & pœnitentiæ opera feciſſe; ſi hæc fecerit, ut ab hominibus laudaretur, & ſi ea ex oſtentatione pervulgarit, nullam pro iis operibus in cælo mercedem percipiet: quia tota oſtentationis, jactantiæ, & vanæ gloriæ merces eſt plauſus, & favor humanus. Nec credendum, quod Deus in cælo præmiet opera, quæ in terra homines ex oſtentatione faciunt & pervulgant: hi certe mercedem non habebunt apud Deum: *Mercedem non habebitis apud Patrem.*

Luculenter dicebat S. Arſenius, quod *qui bona opera facit ut ſtudeat hominibus placere, ſimilis eſt perpetuo haurienti aquam, & in canalem perforatum perpetuo infundenti. Surius in vita S. Arſenii.* Sicut enim aquam nunquam congregaret, qui eam in cribrum, vel canalem perforatum projiceret; ita nec operum ſuorum aliquam unquam colliget merce-



Digitized by Google

eedem, qui ea facit, ut ab hominibus videatur, vel qui illa ex oſtentatione prædicat.

Familiari alia, & vulgata utar ſimilitudine; gallinæ ſcilicet. Sicut enim gallina poſito ovo glocitans, prodit ovum ſuum, & ideo illo ſpoliatur; ita & ſuperbi qui virtutes ſuas canunt, & qui opera ſua faciunt, ut ab hominibus videantur, eorum omnium fructum, præmium, & mercedem perdunt. Quare S. Baſilius inanem gloriam vocat *dulcem bonorum operum ſpoliatricem*. *S. Baſil. in conſtitut. Monaſt. c. 11.* quia ſcilicet, qui bona opera ob inanem gloriam prædicant, & coram hominibus faciunt, omni bonorum operum præmio, & mercede ſpoliantur.

Narrat S. Gregorius Turonenſis de quadam conjuge, quæ cum marito, ſervata utriuſque virginitate, vixerat: quod cum ea mortua in ſepulchrum deponeretur, & maritus diceret: *Gratias ago Deo meo, quod ei conjugem meam reddam impollutam*. Ipſa de ſepulchro vocem edidit, & clamavit: *Sile, ſile vir Dei: quia non eſt neceſſe noſtrum, nemine interrogante, aperire ſecretum*. *S. Greg. de glor. Conf. c. 32.* Timebat ſapientiſſima virgo conjugi, ne meritum perderet, dum illud pandebat. Hoc & timete vos; utque bonorum operum mercedem non perdatis, nolite pandere, & pervulgare; ſed cum bona palam facitis opera, quæ palam facienda ſunt, ea ita facite, ut non opetetis ea ab hominibus videri, & laudari; quin potius ea neſciri, & hominibus ignota fore ambite. At ſi bona opera non ſunt pervulganda: *bona etiam opera non ſibi, ſed Deo ſunt tribuenda*.

## SECUNDA PARS.

*Bona opera non ſibi, ſed Deo ſunt tribuenda.*

Licet bona opera noſtra a Deo, & a nobis ſimul ſint, principaliter tamen ſunt a Deo, qui omnia opera noſtra operatur in nobis. Si movemur, Deus nos movet; ſi laboramus, ipſe vires ſubminiſtrat: ſi evigilamus, ipſe nos excitat: ſi ſurgimus, ipſe nos ſublevat: ſi currimus, ipſe nos portat, *in ipſo tandem vivimus, & movemur, & ſumus*, *Act. 17. 28.* Et ut ait Iſaias, ipſa omnia opera operatus eſt in nobis, *omnia enim opera noſtra operatus in nobis*. *Iſa. 26. 12.* Cur ergo de bonis operibus gloriabitur homo? Et cur gloriam eorum ſoli Deo non tribuet, dicens, *ſoli Dei honor & gloria?*

Deus eſt primum movens, a quo moventur omnia, immobiliſque manens dat cuncta moveri. Sine ejus, ut primi motoris, motu & concurſu, creatura nec minimum quid agere valet; ita ut ſi ſuum Deus ſubtraheret concurſum, oculos non videret, auris non audiret, non loqueretur lingua, intellectus non ratiocinaretur, nec homo aliquod opus, quantumlibet parvum & exiguum, facere poſſet.

Quid potiſſimum verum eſt de operibus bonis & meritoriis; non enim cogitare, vel quodcumque aliud opus ſupernaturale, meritorium, & gloria æterna dignum facere valemus ſine Dei gratia, quæ nos præveniat, inſpiret, illuminet, excitet, adjuvet, & nobiſcum operetur. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. *2. Cor. 3. 5.* Et ideo non nobis, ſed Deo danda eſt bonorum operum gloria, illique, ut primo, & præcipuo auctori, omnia bona opera noſtra ſunt tribuenda.

Prædicabat, corpus ſuum caſtigabat, pro hominum ſalute ſtrenue laborabat, multaque alia bona opera faciebat D. Paulus: ea tamen non ſibi, ſed Deo, ejuſque gratiæ tribuebat, dicens: *Gratia autem Dei ſum id quod ſum*. *1. Cor. 15. 10.* Quaſi dicat, ſi ſim humilis, ſi patiens, ſi Dei obſequio addictus, & bonis quibuſque operibus intentus, hoc a Dei gratia habeo; ſine qua nihil ſum, nilque bonum, & meritorium facere poſſum. O N. N. hoc idem ſentite in vobis; firmiter credite, quod ſi in grave aliquod peccatum non incideritis, ſi a ſtatu peccati ad Deum converſi ſitis, ſi Dei mandatis obtemperaveritis, ſi de inordinata, & vehementi quadam paſſione triumphaveritis; ſi ad virtutem propenſi, ſi bonis operibus ſitis intenti, hoc a Dei gratia habeatis. Hæc quidem a Deo ſunt, & a vobis, ſed plus a Deo quam a vobis; nec a vobis eſſe poſſent, ſi a Deo prius non eſſent. Et ideo ſunt quaſi totaliter a Deo, ſine quo nullo modo eſſent: *omnis virtus, & magna, & parva a Domino Deo eſt*. *Aug. l. de nat. bon. c. 12.* Quare bona opera quæ facitis, Deo, ut primo, & præcipuo eorum auctori, tribuite.

Si opera noſtra bona conſiderentur ut a nobis ſunt, parva ſunt. Immo, nihil ſunt in ordine ad meritum, quia ſine Dei gratia per noſmetipſos nihil bonum, nilque meritorium facere valeamus: ſed Dei gratia adjuti, opera bona, ſupernaturalia, meritoria, & cælo digna facimus. Hedera ita debilis, & imbecilla eſt, ut humi repere ſoleat; ſi tamen muro vel arbori adhæreat, ſurſum plurimum ſe attollit, ſic opera noſtra ex ſe, & per ſe parvi ſunt pretii, ac humi quaſi repent; ſed per Dei gratiam ſiunt bona, Deo placita; & cælo digna; a Deo enim magis quam a nobis habent, quod bona, & meritoria ſint. Quare Deo, tamquam eorum auctori, tribuenda ſunt, ac quæcumque bona faciamus opera, in ſpiritu humilitatis ſemper dicendum: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. *Pſ. 113.*

Prohibet Deus, ne ad dexteram, vel ad ſiniſtram declinemus: *Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. *Deut. 5. 32.* Ad ſiniſtram declinant, qui in peccata labuntur; & ad dexteram declinant, qui licet bona opera faciant, ea tamen non Dei gloriæ, ſed ſibi tribuunt: *Declinare ad dexteram eſt, non Dei gratiæ, ſed ſibi tribuere velle quod rectum eſt*. *Aug. q. 28. in Deuter.* Ad ſiniſtram quidem nullus declinare debet, ita ut mala opera, ſeu peccata faciat; ſed nec ad dexteram quiſque declinare debet: ita ut bona faciens opera, ea non Deo, ſed ſibi ſoli tribuat. Cum enim opus bonum, meritorium & æterna gloria dignum facimus, a Deo accipimus gratiam, a qua habet illud opus, quod ſit ſupernaturale & meritorium; ſi autem a Deo habent opera noſtra, quod ſint ſupernaturalia, & meritoria, cur Deo, ut eorum auctori, non ea tribuimus; & cur de iis gloriabimur? *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Certe de bonis operibus gloriari non debemus; ſed tribuenda ſunt Deo, ut eorum auctori, a quo habent, quod bona, ſupernaturalia, & meritoria ſint.

Deus eſt principale agens in bonis operibus noſtris: ipſe movet, & excitat, & allicit ad agendum, ipſe opus noſtrum ad eſſe ſupernaturalitatis elevat, datque ei quod habeat eſſe ſupernaturale, & meritorium; ipſe cooperatur, & manum quaſi ducit agen-



Digitized by Google

tibus, datque vires ad perficiendum. Qua ergo fronte homo de ſuis gloriabitur operibus, quaſi totaliter ab ipſo ſint? *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? Aut exaltabitur ſerra contra eum, a quo trahitur? Iſaiæ* 10. 15. 42. 8. O homo, ne glorieris adverſus Deum; ſed ipſi da gloriam; eique quaſi præcipuo auctori, opera tua tribue. Proteſtatus eſt Deus, ſe gloriam ſuam aliis non daturum, *gloriam meam alteri non dabo*, quare operum tuorum gloriam non tibi, ſed Deo tribuas.

Gloria operum noſtrorum anathema eſt Deo; ideo qui eam ſibi tribuit, eſt quaſi fur, qui non ſine gravi ſacrilegio eam Deo furatur, *Fratres*, inquit S. Bernardus, *nemo veſtrum velit laudari in vita iſta, quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipſi furaris. S. Bern. ſerm.* 13. *in Cant.*

O quot fures in hoc mundo! Quam multi operum ſuorum gloriam Deo furantur, ſibique totaliter tribuunt, quaſi non a Deo, ſed ab ipſis ſolummodo fiant! Quam multi, ſicut Achan, *Joſ.* 7. furantur de anathemate, ſeu de gloria ſuorum operum, quæ tota Deo anathema eſſe debet! Quam multi cum Phariſæo de propriis gloriantur operibus, quaſi ab ipſis ſolis ſint! Quam multi, vano inflati arrogantiæ, & oſtentationis faſtu, dicunt, non ſum ſicut cæteri hominum: jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo, pauperibus multa ſingulis diebus diſtribuo, orationi mentali pluribus horis quotidie indulgeo! Superbi hujuſmodi Phariſæi, qui vane in hoc mundo ſe exaltant, in alio haud dubie humiliabuntur, non enim operum ſuorum mercedem in cælo percipient, qui operum ſuorum gloriam Deo in hoc mundo furantur. Et ut ait S. Chryſoſtomus, quid a Deo accipient, qui nihil actionum ſuarum Deo dederunt, ſed eas totaliter ſibi arrogarunt, *Quid enim a Deo accipies, qui nihil Deo dediſti? Chryſ. hom.* 13. *oper. imperf.* Hi ſane nil a Deo accipere merentur. Quare, ſicut caſtiſſimus Patriarcha Joſeph heram ſuam domino reliquit illibatam; *Gen.* 39. ita nos totam, & integram operum noſtrorum gloriam Deo relinquamus, & tribuamus. At opera noſtra, non ſolum tribuenda Deo, ut eorum auctori: *ſed etiam ad ejus gloriam ſunt dirigenda, & referenda.*

## TERTIA PARS.

*Bona opera, non ad malum finem, ſed ad Dei gloriam ſunt dirigenda.*

ACtiones, quantumvis ex natura ſua bonæ ſint, ut jejunare, orare, meditationi diu vacare, largas pauperibus eleemoſynas erogare, peregrinos hoſpitio recipere, & alia his ſimilia; ſi fiant ex vana gloria vel alio pravo affectu, malus ille affectus, & prava hæc intentio, eſt modicum fermentum, quod totam bonis operis maſſam corrumpit; quodque tantam bonis operibus malitiam infundit, ut bonitatem ſuam perdant, bona eſſe deſinant, & ex bonis mala fiant. Sed e contrario etiam omnia opera, cujuſvis naturæ exiſtant (modo ex ſe mala non ſint) bona fiunt per rectam intentionem; & ut ait D. Auguſtinus, *bonum opus intentio facit. S. Aug. in Pſ.* 31. Velim, opera ex ſe ſint indifferentia ut ambulare, ſtudere, & laborare; velim, opera ſint nobis cum brutis communia, ut comedere, bibere, dormire, audire, videre; ea bona, pretioſa, & æternæ vitæ meritoria facit recta intentio.

Quæ omnia mirabiliter explicat Chriſtus Dominus, dicens: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit; ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Matth.* 6. Per oculum enim intelligit intentionem; quæ ſi mala & nequam fuerit, totum boni operis corpus vitiat, malumque & tenebroſum reddit; ſi autem bona, & recta fuerit intentio, totum boni operis corpus bonum efficit. Quare in operibus veſtris a prava omni abſtinete intentione, eaque omnia ad bonum finem, ſeu ad Dei gloriam dirigite.

Juxta Theologorum placitum, actiones ſpecificantur ab objecto, ſeu a motivo, & fine, quem ſibi in operando proponit agens. Sic, *jejunare* ad ſatisfaciendum pro peccatis, eſt actus pœnitentiæ; *jejunare* ad vincendas carnis tentationes, eſt actus caſtitatis, *jejunare* ad liberandas animas in Purgatorio detentas, eſt actus caritatis erga proximum: *jejunare* ex Dei amore, eſt actus caritatis in Deum. Hi autem omnes fines, quos ſibi proponere poteſt quis in operibus ſuis, boni ſunt, & utiles: ſed præcipuus finis ad quem quiſque ſuas dirigere debet actiones, eſt Dei amor, ejuſque gloria. Ita ut ſive quis bibat, ſive comedat, ſive oret, ſive jejunet, ſive alia quævis bona opera faciat, ea ſemper ad Dei gloriam dirigat, *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. *Cor.* 10. 31.

Piiſſimus Imperator Jovinianus vitæ ſuæ ſcopum, Chriſtum, ejuſque unius gloriam ſibi præfixerat, ad Chriſti gloriam & honorem omnem belli apparatum, omnes vigilias, moleſtias, curas, omneſque actiones referebat, & ideo in Symbolum hæc verba aſſumpſerat: *Scopus vitæ meæ Chriſtus. Tontan. Att. bell. par.* 2. *hiſt.* 47. Hunc ſcopum ſibi etiam præfigere ſolent viri pii & nos in eundem ſcopum omnes orationes, jejunia cuncta, immo, & omnes actiones, ſive bonas, ſive indifferentes, collineare debemus. Non de iis ſolummodo loquor, qui religioſo cuidam ordini nomen dederunt: verum & de mercatoribus, cauſidicis, aulicis, judicibus, plebeis, & cunctis utriuſque ſexus perſonis; quæ in omnibus operibus Chriſtum Dominum, & gloriam æternam reſpicere debent: ac ea ad Chriſti gloriam, & ad aſſequendam Beatitudinem dirigere.

Cardinalis Farneſius (qui poſtea Papa Paulus III.) pro ſtemmate ſagittam ad ſcopum directam aſſumpſerat, ſubjecto hoc lemmate: *Sic mitte ſagittam. Tipot. ſymbol. de Cardinal.* Scopus ad quam purpuratus ille Antiſtes ſagittas, ſeu omnes actiones ſuas dirigebat, Chriſtus erat; ad cujus gloriam referebat: Eſt hic ſcopus in quem ſagittæ, ſeu omnes actiones noſtræ ſunt collimandæ. Ad hunc ſcopum ſtudia, preces, lites, negotia, ac omnia penitus opera dirigenda; omniaque propter Dei gloriam, & ad majorem Dei gloriam ſunt facienda.

Ad hunc unum ſcopum ſagittas ſuas, ſeu omnes actiones ſuas perfecte dirigebat S. Magdalena de Pazzis, dicens: *Si crederem, me uno ſuo verbo dicto ob alium finem, quam ob amorem Dei (etiamſi non eſſet eius offenſa) poſſe evadere Seraphinum, nunquam illud dicerem. Lancitius opuſc. ſpirit. tom.* 2. In eundem ſcopum S. Franciſcus Saleſius omnia opera perfectiſſime collimabat, ajens: *O quam bonum eſt*

unu

Digitized by Google

*non ſpirari niſi propter Deum, non delectari niſi in Deo! Si vel pilum affectus in me deprehenderem, qui a Deo non oriretur, vel ad Deum non referretur, eum quantocius evellerem. C. F. Saleſ. introduct. p. 4. c. 23.* Ad eundem tandem ſcopum, ſeu ad Chriſtum Dominum ita ſagittas ſuas dirigebat Sponſa ſacra, ut cor ejus vulneraverit: *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum. Cant. 4. 9.* Bene ait: *In uno oculorum*: quia quidquid faceret Sponſa, unus erat ei oculus, una erat ei intentio, nempe Sponſi ſui gloria, ad quam omnes actiones ſuas dirigebat. Sic unus ſit nobis oculus, una intentio; animæ ſcilicet ſalus, & Dei gloria. O vos Judices, vos Juriſperiti, vos patresfamilias, vos famuli & ancillæ; vos omnes qui ſæcularibus ita implicati eſtis, ut vix qualibet die aliquibus momentis orationi vacare valeatis, veſtra ſaltem opera aurea intentione informate, eaque omnia ad Dei gloriam dirigite.

De malis operibus non loquor, quæ ad Deum dirigi non debent, magna enim eſſet imprudentia ad Deum dirigere mala opera, quæ illi diſplicent; quæ ille reprobat, abjicit, & ſevere punit. Sed illi offerenda ſunt alia opera, nec ſolum vita noſtra in communi ad eum eſt dirigenda; ſed in ſingulis actionibus reſpiciendus Deus; ac earum quælibet divinæ ejus Majeſtati eſt offerenda, & ad ejus gloriam referenda.

Navis quocumque naviget, ſive ad Orientem, ſive ad Occidentem, ſive ad Meridiem, ſive ad Septentrionem, acus nautica polum ſemper reſpicit. Sic, inquit S. Franciſcus Saleſius, *Ibid.* ſive proſpero, ſive adverſo pulſemur vento, ſive in pace, ſive in bello; ſive edamus, ſive bibamus, ſive oremus, ſive aliud quidpiam faciamus, ſemper polum, ſeu Deum noſtrum reſpicere, & omnia ad ejus gloriam facere debemus.

Polum hunc continue reſpicere ſolliti ſunt viri ſancti: ad Deum actiones ſuas dirigere conſueverunt omnes; & præcipue unus e priſcis illis Eremi cultoribus, qui priuſquam quodcumque opus faciendum ſuſciperet, paulliſper ſubſiſtebat. Rogatus, cur ita? Reſpondit: ſagittarium imitor; qui antequam ſagittam ſuam vibret, parumper ſubſiſtit, ut directo oculo eam in ſcopum collimet: ſic ego, inquit, priuſquam operi me accingam, aliquantulum hæreo, ut ad Deum, qui omnium operum noſtrorum finis, & ſcopus eſt, illud dirigam.

O utinam omnes homines bonis actionibus incumberent, eaſque omnes ad Dei gloriam, tamquam ad ſcopum, & finem ſuum dirigerent! Sed o quam multi ab hoc ſcopo aberrant. Quam multi in omnibus ſuis operibus, & negotiis aliud a Dei gloria intendunt! Patresfamilias magna ſollicitudine filios ſcientiis imbuunt, quare hoc? Ut eos ad ſæculi dignitates evehant, ſuamque familiam amplificent. Juvenes multi noctes inſomnes traducunt, magnis expenſis rem familiarem perturbant, muneribus munera addunt, quare hoc? Ut vili creaturæ placeant, ut cujuſdam domicellæ gratiam, & cor ſibi concilient. Adoleſcentula ſingulis, & maxime feſtis diebus, in ſpeculo vultum ſuum diu contemplatur, ante cryſtallum ſe pectit, criſpat, ornat, cur hoc? Ut juvenem, cui placere intendit, alliciat, decipiat, illaqueet. Quid intendit guloſus, niſi crapulam? Hoc ſolum cogitat, hoc curat, ut cibi palato ſapiant? Quid intendit ebrioſus, niſi optimo ſe ingurgitare vino? in lagenam ſuam collimat ſagittas, & nonnunquam totam per hebdomadam deſudat, ut die Dominica Baccho incenſa offerat, & mero innatet. Quid avarus, niſi pecunias? Quid libidinoſus, niſi carnis voluptates? Quid ambitioſus, niſi dignitates ſæculi? Quid omnes peccatores, niſi vitiis ſuis indulgere intendunt?

O quam malæ, & perverſæ ſunt hujuſmodi intentiones! Si ſapiatis, omni peccato valedicetis; & bonis operibus vacantes, ea omnia, non ad lucrum, non ad vanitatem, non ad placendum hominibus, ſed ad Dei gloriam dirigetis. Si ſapiatis, oculi, & intentiones veſtræ ad Deum ſemper erunt; Deusque benigno vos inſpiciet oculo, voſque benefica manu coronabit in cælo.

## DOMINICA UNDECIMA.

### POST PENTECOSTEN.

## DE CHRISTI OPERIBUS.

*Bene omnia fecit.* Marc. 7. 37.

IN quolibet hujus mundi regno ſunt quidam viri Primarii, & Magnates, qui altiores poſt Regem ſedes occupant, qui ad eminentiora obeunda aſſumuntur, & qui privilegiis multis potiuntur. Hi autem ad hanc ſuam magnitudinem ideo pervenere, vel quia ex parentibus a Rege dilectis geniti ſunt, vel quia ingenio, & arte multa pollent ad gerenda regni negotia, vel quia res bellica eis proſpera fuit, vel quia divitiis multis primas dignitates emerunt.

Ad has quidem ſæculi dignitates pervenire nequeunt omnes, quia non habent omnes, quo ad illas aſcendant. Sed ad primas regni cæleſtis dignitates evehi cuique facile eſt, quia ad tale regnum obtinendum, operibus bonis eſt ſolummodo vacandum, & quo quis plura, & meliora opera fecerit, eo major in regno cælorum erit. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5. 19.*

In hodierno autem Evangelio, ut primarium bonorum operum exemplar, nobis proponitur Chriſtus, qui *bene omnia fecit*. Quo magis divino huic exemplari conformes fuerimus, eo altiores in cælo ſedes aſſequemur. Quare, ut quiſque, quantum fas erit, exemplar illud imitari contendat, de Chriſti actionibus & operibus iſta erit concio, &c. *Ave.*

JUſti in hoc mundo ſunt arbores bonæ, quæ bonorum operum fructus plurimos dare ſolent, ſed plerique, licet juſti, bonorum operum fructus producunt tarde, per intervalla, & cum aliqua imperfectione. Eos producunt tarde, quia in primis vitæ ſuæ annis, vel rationis uſu non pollent, vel bonis operibus animum ſtatim non applicant: hos etiam fructus producunt per intervalla, & non indeſinenter, quia mentem bonis operibus ſemper intentam non habent, nec habere poſſunt; eos tandem producunt cum aliqua imperfectione, quia licet aliqua interdum opera perfecta, & omnibus numeris abſoluta faciant, in hoc mundo tamen ſunt bona mixta malis, & nemo



Digitized by Google

tam bonus, qui non aliquid mali faciat; nec tam perfectus, qui non aliquando a lege deviet; vel ſaltem alicui, in ſuis actionibus, imperfectioni non ſuccumbat.

Hoc ita fieri ſolet apud homines, at de Chriſto aliter ſentiendum, & de illo, ſicut & aliis hominibus, fari nefas eſſet, ipſe enim opera bona & actiones bonas fecit prompte, indeſinenter, & perfecte. Chriſtus actiones bonas fecit. 1. *Prompte*, ſine ulla retardatione. 2. *Indeſinenter*, ſine ulla intermiſſione. 3. *Perfecte*, ſine ullo defectu.

## PRIMA PARS.

### *Chriſtus bona opera fecit prompte, ſine ulla retardatione.*

1.

IN primis vitæ noſtræ diebus, & annis, anima noſtra, tenebris ignorantiæ involuta, in corpora quaſi ſepulta deliteſcit; ſed Chriſti Salvatoris anima nulli unquam ignorantiæ ſubjacuit. Ut enim ait D. Auguſtinus, *in infantilibus membris noſtris anima rationalis miſerabili ignorantia prægravatur: quam ignorantiam nullo modo fuiſſe crediderim in infante illo, in quo Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis. Nec illam ipſius animi infirmitatem in Chriſto parvulo fuerim ſuſpicatus, quam videmus in parvulis. Aug. l. de peccat. merit. & remiſſ. c. 29.*

Abſit, ut credamus, aliquam fuiſſe ignorantiam in eo, in quo fuere abſconditi omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: non ſolum cum factus eſt vir magnitudinis perfectæ, & completæ; verum & cum fuit infans unius diei, & in ipſo conceptionis ſuæ momento: ut enim ait S. Bernardus, *non minori fuit ſapientia Jeſus conceptus quam natus, parvus quam magnus.* At quod adhuc magis mirandum: non ſolum in primo conceptionis ſuæ inſtanti Chriſtus perfectam habuit cognitionem, & ſcientiam; ſed etiam ex tunc operari, & actus bonos elicere cœpit: ex tunc enim æterno Patri ſeſe obtulit, ac propriis actibus mereri incœpit.

Sicut Chriſti intellectus numquam fuit rationis uſu privatus, ita & voluntas ejus numquam fuit otioſa: Chriſtus enim a primo conceptionis ſuæ inſtanti, propriis actibus ſemetipſum Patri voluntarie, & generoſe obtulit. Chriſtus, inquit D. Paulus, *ingrediens mundum*; ſeu a conceptionis ſuæ momento, Patri æterno dicit: *Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Hebr. 10. 4. Tunc dixi: ecce venio.* Chriſtus, inquam, in conceptionis ſuæ momento Patrem compellans, dixit: Pater mi, holocauſta, & victimæ pecorum, quæ tibi a mundi primordio oblata fuere, te in homines iratum placare non valuerunt; ſed jam corpus quod aptaſti mihi, in hoſtiam vivam, ſanctam, & acceptabilem, tibi pro totius generis humani ſalute offero. Sui ipſius oblationem in futurum Chriſtus non diſtulit; ſed ab ipſo conceptionis ſuæ inſtanti, ſe æterno Patri obtulit; ac ex tunc opera bona, & meritoria facere cœpit.

Non aliquantulum diſtulit Chriſtus actus meritorios elicere; ſed ab ipſo conceptionis ſuæ momento, mereri cœpit, ut docent D. Thomas, *D. Thom. 3. part. quæſt. 34. art. 3.* D. Bonaventura, *D. Bonav. in 3. D.* 18. & Doctor ſubtilis. Cujus rei ratio eſt, quia Chriſtus in illo inſtanti habuit ſcientiam infuſam, ut diximus; ac proinde potuit in eodem inſtanti liberum voluntatis ſuæ actum elicere circa objecta per talem ſcientiam cognita. Itaque, ſi in hoc inſtanti per hanc ſcientiam conſideravit Deum ut bonum, & beneficum, potuit illum ex caritate libere diligere: & ſimiliter ſi per talem ſcientiam cognovit, voluntatem Patris eſſe ut ipſe in mortem pro hominum ſalute ſe Patri offerret, potuit ſtatim obedire, & æterno Patri ſe pro eorum ſalute offerre: potuit ergo Chriſtus in illo inſtanti, aliquo ex his actibus mereri; ergo in illo inſtanti meruit. Hæc ultima conſequentia patet, quia Chriſto Salvatori tribuendum eſt id omne quod maxime conducit ad Dei gloriam, & hominum ſalutem, pro illo inſtanti, quo potuit illud operari; ſi ergo in primo conceptionis ſuæ inſtanti Chriſtus mereri potuerit, dicendum eſt quod pro tunc meruerit.

Sicut in eodem inſtanti, quo ſol cœpit eſſe, cœpit etiam illuminare; ita Chriſtus, cum in primo conceptionis ſuæ inſtanti habuerit intellectum perfectiſſime illuſtratum, ac voluntatem paratam, & omnibus numeris abſolutam ad eliciendum actum meritorium: nilque habuerit quod eam a tali actu eliciendo retardaret; dicendum, quod tale actum elicuerit.

Nec mirum, quod illud de Chriſto aſſeramus; cum de bonis Angelis plurimi ſentiant Theologi, quod a primo creationis ſuæ inſtanti ad Deum ſe per proprios actus converterint, & per talem ſui ad Deum converſionem gloriam æternam meruerint. Si enim concedamus, Angelos ab ipſos creationis ſuæ inſtanti meruiſſe; quanto magis fatendum, quod Chriſtus, qui eſt Rex, & caput Angelorum, a primo conceptionis ſuæ inſtanti meruerit?

Miramini Chriſtum Redemptorem, qui ingrediens mundum, & ab ipſo conceptionis momento, Patri ſe offert, actuſque meritorios elicit. O quam prompte Chriſtus bona opera operatus eſt! Sed, o quam tarde plerique hominum bonis operibus faciendis ſe accingunt! *Multi* enim ſe mundo vitiis, & deliciis millies offerunt, Deo numquam! *Multi* Deo ſe conſecrant, ſed tarde; cum ſcilicet tædet eos vivere, vel cum a mundo deſpiciuntur & relinquuntur: *Multi* tandem ad Deum ſe convertere, illi ſe offerre, & bonis operibus incumbere differunt de die in diem. O homo infelix convertere ad Dominum Deum tuum; ne tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem; ſed cito bonis operibus vaca, fac ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt; imitare Chriſtum, qui ſine ulla mora bonum opus operatus eſt; & *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare. Eccl. 9. 10.*

Præcepit Deus Judæis, ut fructuum ſuorum primitias prompte ipſi offerrent, *Primitias tuas non tardabis reddere. Exod. 22. 29.* Primitiæ hominis ſunt primi rationis & voluntatis actus; tales primitias offer libenter Domino. Ne te geras inſtar impiorum, qui vitæ ſuæ primitias, totumque adoleſcentiæ & juventutis tempus mundo, voluptati, & vanitati conſecrant: Deo vero, aut nihil, aut ſolas vitæ impiæ reliquias reſervant. Ne illos imiteris; ſed primo mane, ſeu prompte te totum Deo offer, boniſque operibus faciendis ſedulo incumbe.

Docet Angelicus Doctor, quod ubi primum rationis uſum aſſecuti ſunt homines, ad Deum per fidei & amo-

Digitized by Google

& amoris actus ſe convertere debeant; quodque eo ipſo, quo illuſtrante rationis & fidei lumine, Deum noverunt ut Creatorem, Redemptorem, & ſanctificatorem, ipſum diligere; ſeque totos ipſi offerre & conſecrare teneantur. Sed, o cæcitatem, & intolerandam hominum malitiam, quæ tanta eſt, ut non Deo ſe offerant, nec bonis operibus faciendis ſe dedant; ſed potius vitiis & peccatis miſere incumbunt! O N. N. diſcite bene agere; diſcite prompte, & ſine ulla mora, bonis operibus vacate, inſtar Chriſti, qui bona opera fecit prompte, ſine ulla retardatione; *qui etiam bona opera fecit indeſinenter, ſine ulla intermiſſione.*

## SECUNDA PARS.

*Chriſtus bona opera fecit indeſinenter, ſine ulla intermiſſione.*

TAnta hominum eſt inconſtantia, ut vix reperiatur unus, qui in bonis operibus faciendis perſeveret; ſed jam bene, & mox male operantur, ac a bonis operibus ad mala facile declinant. Paucos reperire eſt, qui ſimiles ſint Regio Vati, qui a Dei mandatis non declinabat; *A judiciis tuis non declinavi. Pſ.* 118. 102. Pleríque mutant mores ſicut natura colores, & a Dei mandatis ſæpe declinant, ut pravis ſuis propenſionibus indulgeant.

Plerique, inquit S. Hilarius, ſimiles ſunt arundini; *quia ad omnem ventorum flatum*, id eſt, *ad immundorum ſpirituum flatum vagantur. Hil. in c.* 11. *Matthæi.* Cum flat ventus Spiritus Sancti, aliquo tempore orant, jejunant, aliiſque pietatis operibus vacant; ſed ſi immundorum ſpirituum flatu pulſentur, relictis omnibus pietatis exercitiis, ad prava opera cito declinant.

Eos etiam Lunæ ſimiles dixerim: *ſtultus ut Luna mutatur.* Luna jam eſt pulchra, nunc pallida, interdum rubra, & aliquando fuſca; Luna etiam ſemper creſcit, vel decreſcit, & numquam in eodem ſtatu permanet. Sic pleríque hominum ut Luna mutantur, nunc enim orant, & mox blaſphemant; hodie jejunant, & cras gulæ inſerviunt, hodie pii, cras impii ſunt; hodie totaliter Deo, & cras totaliter dæmoni & peccato ſerviunt: taliſque eorum eſt inconſtantia, ut indeſinenter a bono in malum, & a malo in bonum migrare ſoleant.

At aliter Chriſtus Dominus, qui ab inſtanti conceptionis ſuæ bonis operibus vacavit, nec ab iis producendis unquam ceſſavit: ſed indeſinenter uſque ad ultimum vitæ terminum actiones bonas ſine ulla intermiſſione fecit. Ad perfectionem enim Chriſti pertinuit, ut potentiæ ejus numquam eſſent otioſæ; & ideo dicendum, quod ſemper eſſent in actu: quodque cum ab unius virtutis actu Chriſtus vacaret, ad alium ſtatim tranſiret. Sicut enim Angeli numquam tranſeunt ab actu ad non actum, quia potentiæ eorum ſunt ſemper in actu, ita Chriſtus, qui illis ſimilis fuit in operando, nunquam tranſiit ab actu virtutis ad non actum virtutis, ſed ſemper, & ſine ulla intermiſſione, obedientiæ, patientiæ, humilitatis, charitatis, vel aliarum virtutum actus elicuit. Hiſque actibus occupatus erat, etiam cum dormiebat, quia quieſcente ejus corpore, per ſcientiam infuſam, quæ ex phantaſmatibus non pendebat, intellectus ejus erat in perfecta vigilia, & voluntas ejus, tali ſcientia illuſtrata, amore Dei ardebat, & actus virtutis continue producebat. *Suarez in* 3. *part. diſp.* 29. *ſect.* 3. Et ideo de Chriſto dicitur, quod *pertranſiit benefaciendo. Act.* 10. 38. tota enim vita ejus fuit tranſitus, & ab ipſo conceptionis ſuæ inſtanti uſque ad mortem tranſiit, ſemper & ubique bona opera faciendo. Unde dicunt Theologi, quod Chriſtus ab inſtanti conceptionis ſuæ uſque ad mortem continue, & ſine ulla intermiſſione ſanctis ſuis actionibus meruerit.

Quod veriſſimum eſſe patet, quia toto hoc tempore Chriſtus numquam ab opere vacavit, nullaque ejus actio mala, vel indifferens fuit, ſed omnes factæ fuere cum plena deliberatione, & ſumma voluntatis libertate: omnes ad finem bonum, honeſtum & ſupernaturalem fuere relatæ, omneſque tandem omnibus numeris abſolutæ & completæ fuere; ac proinde talibus actionibus ſemper meruit. In hoc conveniunt Alenſis, D. Thomas, D. Bonaventura, Doctor ſubtilis, & omnes Theologi, & præcipue doctiſſimus Iſambertus, qui ſic ratiocinatur.

Perfecta charitas poſtulat, ut quamdiu intellectus hominis viatoris cognoſcat objectum bonum & honeſtum bonitate & honeſtate ſupernaturali, tamdiu voluntas exerceat actus correſpondentes tali cognitioni, ac proinde meritorios: atqui charitas Chriſti viatoris fuit perfectiſſima, ut conſtat ex ſacris litteris, intellectus etiam ejus a primo ſuæ creationis inſtanti uſque ad vitæ finem, habuit ſemper actum aliquem ſuæ ſcientiæ infuſæ circa aliqua objecta ſupernaturalia; ergo & voluntas Chriſti a primo creationis ſuæ inſtanti uſque ad vitæ finem habuit ſemper aliquem actum meritorium, ac proinde Chriſtus Dominus continuis actibus meritoriis totam ſuam vitam peregit.

Heu! quot actus meritorii in uno homine Chriſto! Sed, quot etiam actus demeritorii in infinitis hominibus, qui peccatum ſicut aquam hauriunt! Heu! quot ſunt, quorum multiplicatæ ſunt iniquitates & peccata! Chriſtus meruit, & ipſi demerentur: Chriſtus continuis virtutum actibus meruit ipſis gratiam & gloriam, & ipſi innumeris ſuis criminibus millies digni facti ſunt, qui ad Tartara præcipitentur.

Contemplare ergo, o Chriſtiane, Chriſtum actibus virtutum indeſinenter vacantem, & rubore faciem tuam vela, quod ſimilibus actibus aut numquam, aut rariſſime incumbas. Interroga te de te, pete a te ipſo, quibus uſibus totum vitæ tuæ tempus inſumpſeris, & invenies forte, quod vel nihil agendo, vel aliud agendo, vel male agendo, major vitæ tuæ pars pertranſierit, virtutibus autem, necnon iis quæ ſalutis tuæ ſunt, rariſſime, & forte numquam debite vacaveris. Perpende ſedulo, quos patientiæ, charitatis, humilitatis, aliarumque virtutum actus ab adoleſcentia elicueris, & forte nihil invenies in manibus tuis. Erubeſce ergo, o Chriſtiane: qui a Chriſto nomen habes, & qui Chriſti virtutes ſectari renuis, erubeſce, & ſi nomine, & re Chriſtianus eſſe velis, imitare Chriſtum, qui indeſinenter bonis operibus vacavit, ac, quantum fas erit, bonis operibus inſiſte.

Scis, o Chriſtiane, quod in tremendo judicii die Chriſtus *reddet unicuique ſecundum opera ejus: Rom.* 2. 6. Si multa perpetraveris crimina, ſi plurimis tunc ſceleribus gravatus inveniaris, reddet tibi ſecundum ma-



Digitized by Google

mala hæc opera, teque æternis ſuppliciis adjudicabit. Sed ſi bonis operibus faciendis ſtudioſe adhæſeris, teque tunc inveniat operibus meritoriis prædivitem, ad æterna præmia te vocabit, tibique mercedem operibus tuis congruam dabit.

Memento, quod ad cæleſtia Regna Deus non vocabit peccatores, nec deſides, ſed operarios, qui bonis operibus faciendis accurate incubuerint: *voca operarios, & redde illis mercedem. Matthæi* 20. Si operarius iniquitatis fueris, ſi malis operibus incubueris, & tunc criminibus inquinatus reperiaris, non vocaberis ad æternam beatitudinem poſſidendam; ſed ad æternos cruciatus damnaberis. Si autem benefeceris, & in ſtatu gratiæ tunc inveniaris, ad mercedem æternam recipiendam vocaberis: tantaque tibi dabitur merces, quot & quanta erunt bona opera quæ in hoc mundo feceris. Quare, quantum fas erit, bonis operibus vaca: quodcumque poterit manus tua inſtanter operare, & quantum poteris, imitare Chriſtum Salvatorem, qui in hoc mundo bona opera fecit indeſinenter, ſine ulla intermiſſione; *ac etiam perfecte, ſine ullo defectu.*

## TERTIA PARS.

*Chriſtus bona opera fecit perfecte, ſine ullo defectu.*

HOminum aliqui, turpi indulgent otio & ab omni opere plerumque vacant, quibus dicere poſſemus cum Patrefamilias: o viri deſidioſi, qui a Deo creati eſtis, ut indeſinenter pro ejus gloria laboraretis, *Quid hic ſtatis tota die otioſi? Matth.* 20.6. Alii, non quidem otioſi ſunt, ſed, quod pejus eſt, in vanum, & in malum laborant, ac pravis operibus, necnon peccatis multis ſe dedunt: & hujuſmodi a ſe repellit Deus, dicens: *Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem. Pſ.* 6.9. Alii tandem, tepidi, inconſtantes & fluctuantes ſunt inter bonum, & malum; quia jam bonis, & mox malis operibus incumbunt. Chriſtus autem, qui exemplar erat a Deo nobis propoſitum, non otio vacavit: non etiam aliquid mali fecit, ſed ſemper bonis operibus adhæſit. Ac ita perfecta fuere omnia, & ſingula ejus opera, ut nullus in eis defectus fuerit, & eſſe potuerit, quia impoſſibile erat eum peccare, & in via virtutis quomodocumque deficere.

Receptiſſimum eſt in ſcholis hoc ex D. Dionyſio ſumptum axioma; *Bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu*: vel, ut loquitur Doctor Angelicus, *Bonum ex una, integraque cauſa exiſtit: malum autem ex ſingulis, ſingulisque defectibus* : *D. Thom.* 1.2. *quæſt.* 18. *art.* 4. *ad* 3. Sicut ad perturbandam corporis ſanitatem ſufficit, vel potus immoderate ſumptus, vel cibus minus ſalubris ingeſtus, vel frigus inſolitum, aut calor vehementior, cruditas in ſtomacho, unius nervi contractio, oſſis unius contritio, vel minimus quiſque alius defectus; ita ad hoc ut opus aliquod ſit bonum, & meritorium, fieri debet tempore, & loco debitis, recta cum intentione, & cum concurſu omnium circumſtantiarum, opus bonum complentium. Unde ſi vel minimum quodcumque ex requiſitis deſit, non opus bonum, ſed opus malum fit; quia *bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu*. In Chriſti autem operibus nullus fuit, nec eſſe potuit defectus. Sed ejus omnia opera bona, integra, & perfectiſſime facta fuere; *Bene omnia fecit.*

Deus nos omnes citharœdos eſſe voluit, voluitque ut eum laudaremus in cithara; *Confitemini Domino in cithara. Pſ.* 32.2. Si in cithara vel una fides rupta ſit, omnis concentus tollitur, omniſque ars, & induſtria fruſtra deſudat. Sic ſi in virtutum praxi una chorda defuerit, ſi unicus in actu, aliunde bono, defectus extiterit, actus ille non eſt bonus, ſed malus; *Quomodo cithara non emittit vocalem ſonum atque compoſitum, ſi ſaltem una chorda rupta fuerit: ſic ſi una virtutum corda defuerit, non poterit melos dulce reſonare. S. Hieron. l.* 6. *in Iſaiæ c.* 16.

Phariſæus ille, qui in templum oraturus aſcenderat, multarum virtutum laude præclarus erat, non erat raptor, nec adulter; jejunabat, decimas ſolvebat, aliaque multa opera ex ſe bona faciebat: ea tamen non cenſebantur bona, ſed mala, quia una chorda in ejus cithara deerat, nempe humilitas, ea omnia quæ faciebat, mala erant; quia ea ex affectu vanitatis faciebat. Sic multos reperire eſt, qui bonis vacant operibus, ſed in iis una corda deeſt. Orant flexis genibus, & oculis ad crucem defixis, ſed mens alio evagatur: ecce chordam quæ deeſt. Largas tempore opportuno pauperibus erogant eleemoſynas, eaſque ex propriis, & non ex alienis effundunt, ſed eas faciunt ut videantur ab hominibus: ecce chordam quæ deeſt. Jejunant, & arcta abſtinentia corpora cruciant, ſed ex affectu avaritiæ hoc agunt; ecce chordam quæ deeſt; ecce defectum unum, quo fit ut opera quæ ex ſe bona erant, mala evadant. At in Chriſti operibus nulla chorda defuit, nullusque fuit, nec eſſe potuit defectus; ita perfecta fuere omnia, & ſingula ejus opera, ut impoſſibile fuerit in eis vel minimum defectum reperiri. Immo ita perfecta fuere ejus opera, ut quodlibet eorum fuerit pretii & valoris infiniti.

In tremendo ultimi judicii die examinabit Deus univerſa hominum opera; *Interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Sapient.* 6.4. Heu! quot opera vana, & inutilia; quot nullius pretii & valoris, quotve peccaminoſa, & mala ab hominibus perpetrata fuiſſe inveniet! At Chriſti Salvatoris opera ita perfecta fuere, ut ea infiniti valoris, & pretii extitiſſe dicunt omnes Theologi. Nec de hoc ullatenus ambigendum; quia valor actionum creſcit ex dignitate perſonæ operantis; quare cum Chriſti perſona fuerit infinita, omnes etiam ejus actiones fuere valoris infiniti. Et reveta actiones Chriſti, ut loquitur S. Dionyſius, fuere *theandricæ, & Dei viriles*, id eſt, actiones Hominis Dei. Fuerunt ejus actiones ſimul a natura humana, & a ſuppoſito divino: fuere a natura humana illas eliciente, & a ſuppoſito divino illas *deificante*, ut fatetur S. Gregorius Nazianzenus; *S. Greg. Nazianz. orat.* 2. *de Filio*: quare cum ſuppoſitum illud divinum ſeu Perſona divina Chriſti, quæ terminabat naturam operantem, fuerit infinitæ dignitatis, dicendum, quod omnes Chriſti actiones fuerint infiniti valoris. Quis ergo dubitare poterit de perfectione actionum ejus? Quis non fatebitur, eas fuiſſe ſumme perfectas? Sed quis non deplorabit infirmitatem, & malitiam hominum, quæ tanta eſt, ut omnia & ſingula eorum opera plurimis maculis & defectibus ſcatere ſoleant?

Fe-

Digitized by Google

*Facti ſumus ut immundus omnes nos*, inquit Iſaias Prophetas, *& quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ. Iſaiæ* 64. 6. Nullus quidem diu in hoc mundo vivit, qui peccatis aliquando non inquinetur, & qui in aliquam immunditiam non declinet, falluntur que, qui nullo ſe peccato inquinari putant; *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* 1. *Joann.* 1. 8. Nolite errare, fratres, ac firmiter credite quod quantumvis ſancti ſitis, aliqua tamen in animabus veſtris eſt immunditia: *Facti ſumus ut immundus nos*. Sed quod magis adhuc lugendum eſt, bona etiam opera, & virtutes noſtræ plenæ ſunt immunditiis, & defectibus: *Quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Jejunia quibus corpora noſtra affligimus, orationes, & preces quas ad Deum fundimus, pœnitentiæ, & mortificationes quas propter Deum aſſumimus, omniaque opera bona quæ facimus, maculis, & defectibus referta ſunt, ac ſæpe coram Deo malæ & imperfectæ ſunt actiones, quæ in oculis noſtris bonæ, ſanctæ, & perfectiſſimæ videntur: *Sæpe juſtitia noſtra ad examen divinæ juſtitiæ deducta, injuſtitia eſt, & ſordet in diſtrictione juſti Judicis, quod in oculis fulget operantis. S. Greg.*

Credis, te Pœnitentiæ Sacramentum debite recepiſſe, & Deus in hac tua actione aliquid mancum & inordinatum forte inveniet. Arbitraris, te debita cum diſpoſitione ad Sacram Synaxim acceſſiſſe, & forte Deus te in aliquo deliquiſſe judicabit. Humilitatis, patientiæ, charitatis, & aliarum virtutum actus quos eliciuiſti, perfectos, & æterna mercede dignos cenſes, & Deus in iis forte aliquid Purgatorii flammis luendum reperiet. Quare ſedulo diſcutienda, & quantum fas erit, perfecte facienda ſunt opera noſtra inſtar Chriſti; cujus omnia opera perfecta, & ſine ullo defectu extitere. Opera ergo bona prompte, indeſinenter, & perfecte facite; ſicut Chriſtus, & operibus veſtris debitam in cælo mercedem percipietis. *Amen*.

## DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

# DE HOMINIS IN DEUM AMORE.

*Diliges Dominum Deum tuum*. Lucæ 10.

ATtendite, Fratres chariſſimi, attendite, & videre, qualia præcepta nobis injungit Deus noſter, non aſpera & difficilia, non gravia, & importabilia: non quidem jugulare filios, ut olim crudeliſſimi dæmones idolorum cultoribus præcipiebant, non lacerare carnes verberibus, non pedibus nudis ſuper ferreos tribulos ambulare, ſed quid? *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum*. Nil aliud petit, nihil aliud imponit, nihil aliud a nobis requirit, ſolum amorem flagitat, hoc ſolo pro tot nobis impenſis beneficiis, & donis, contentus eſt.

Nil facilius, quam Deo dare, quod a nobis exigit, nil ſuavius, nil optabilius, quam illum amare, ſed nihil mihi difficilius videtur, quam de hoc hominis in Deum amore debite loqui; hæc me terret materia, ac totus pertimeſco, cum de ſancto hoc amore ſermonem inſtituere cogito.

Verum eſt, quod de eo diſſerere nunc conſcientia dictet, charitas ſuggerat, Spiritus Sanctus ingerat, & hodiernum Evangelium invitet. Sed quia *indigne de amore loquitur, qui non amat: S. Bern.* cum ſancto hoc amore non ardeat cor meum, de eo concionem habere pertimeſco, & timerem magis, ſi Spiritum Sanctum corda veſtra ad verba mea dedita recipienda præparaturum non ſperarem. Sed Spiritus ille amoris dabit mihi, ut de Dei amore dicam, noſtrumque omnium corda ſancto hoc amore accendet; ſi debite ejus auxilium imploraverimus, mediante pulchræ dilectionis Matre, &c. *Ave*.

NEmo ita obduratus, ita ferreus & inhumanus nemo, qui ſuos ad cælum aliquando non elevet oculos, quique aliquem amoris divini actum non eliciat. Sed ita exiles & imperfecti eſſe ſolent hominum in Deum affectus, ut vere cum Seraphico Franciſco dici poſſit, Deum ab hominibus non amari ſicut oportet: *Amor non amatur*.

Deum quidem amant multi: ſed tanta cum tepiditate, & in gradu ita remiſſo, ut nec frigidi, nec calidi ſint. Alii amant Deum, ſed non illum ſolum diligunt: cum illo etenim amant mundum, commoda ſua, ſæculique voluptates. Deum tandem amant alii: ſed interdum ſolum, & per intervalla, nuncque illum amant, & nunc in illum peccant, eique injuriam irrogant.

O quam imperfecti hujuſmodi omnes amores! Non ſic Deus ab hominibus amari vult: ab iis enim optat amari *ardenter*, & non remiſſe; *Unice*, & non ſimul cum aliis: *Semper*, & non per intervalla. Deus amandus eſt ardenter, amandus eſt unice, amandus eſt ſemper: Deus amandus eſt: 1. *Ardenter*, ſine modo & remiſſione: 2. *Unice*, ſine ſocio & conſorte: 3. *Semper*, ſine termino & fine. Deus amandus eſt ardenter, unice, & ſemper: en tres hujus concionis partes.

## PRIMA PARS.

*Deus eſt ardenter amandus.*

VOluntas fertur in objectum, quia bonum eſt vere; vel apparenter: & quo magis bonitatis in objecto elucet, eo ardentius a voluntate appetitur & amatur. Deus autem, ut omnes fatentur, eſt ſummum bonum, quare ardentiſſimo eſt amore proſequendus; & ſi eum amore infinito, ac in infinitum accenſo amare poſſemus, eum infinite amare deberemus.

Amas perſonam aliquam, quia ipſam amabilem & tuo amore dignam judicas, tantoque majori cor tuum ardet amore, quanto eam amabiliorem, & tuo amore digniorem cenſes. Conſidera autem, quis ſit Deus? Quam magnus! Quam bonus! Quam juſtus! Quam infinite perfectus in omni genere perfectionis! Attende, quis amore dignior; quam Deus? Nullus ſane; quare diligendus plus quam pater, plus quam mater, plus quam omnes creaturæ: cum omnibus creaturis ſit longe perfectior. Immo & in infinitum amandus eſſet, ſi fieri poſſet; quia infinite perfectus eſt. *Quia ejus excellentia infinita, in-*

*fini-*

*ſinito etiam amore digniſſima eſt. Sanctus Thomas a Villanova ſermon. de Sancta Magdalena.*

Creaturas diligimus: quia in iis aliquid perfectionis advertimus, quo ad illas amandas allicimur. Aliquos enim diligimus, quia ſcientia, alios, quia pulchritudine, alios, quia ingenio, manſuetudine, vel altera quadam perfectione præditi ſunt. Dic mihi jam, obſecro, quid in creaturis tibi placere poteſt, quod in Deo tuo non reperias? Si delectat te ſapientia, ſapientiſſimus eſt; ſi potentia, omnipotens eſt: ſi pulchritudo: *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula: Sapient. 7.* ſi divitiæ, & gloria, *gloria & divitiæ in domo ejus: Pſalm. 111. 3.* ſi delectatio, & vita; *delectationes in dextera ejus uſque in finem; & vita in voluntate ejus: Pſalm. 29.* Ardentiſſime ergo amandus Deus, cum in eo omnes omnino perfectiones unitæ inveniantur. Immo, ſi fieri poſſet, infinite a nobis amandus eſſet, quia omnes omnino perfectiones in gradu infinito poſſidet: eſt enim infinite bonus, infinite ſapiens, infinite juſtus, & in omni perfectionis genere infinite perfectus: *Deus, ſicut æternus, ita & perfectus in omnibus. Tertullianus lib. 1. adverſ. Marc. 24.*

Deus ſane ardenter amandus propter infinitas perfectiones quas poſſidet, ſed & ardenter amandus: quia ipſe amat nos, & quia ipſe prior dilexit nos: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. 1. Joan. 4. 19.* Dilexit nos Deus ab æterno, & antequam mundus creatus eſſet: quia ab æterno ſtatuit omnia nobis bona facere, quæ in tempore ab illo recipimus. Dilexit nos Deus, & ſemper nos diligit amore infinito ex parte actus; quia eodem actu nos diligit, quo diligit ſeipſum, & quo producit Spiritum Sanctum. Sed ut magis pateat, quam ardenter nos diligat; ſuum in nos amorem beneficiis maximis, quibus nos afficit, manifeſtat, & probat. O homo, nonne ipſe eſt qui fecit te, & creavit te? Nonne ex innumeris creaturis poſſibilibus quas creare poterat, relictis aliis multis, te ex nihilo ſuſcitavit? Nonne tibi dedit intellectum, voluntatem, & alias potentias internas, quibus ſupra omnes corporeas creaturas emines? Nonne oculos ad videndum, aures ad audiendum, os ad loquendum, manus ad operandum, & pedes ad incedendum tibi contulit? Dic, quæſo, *quid habes, quod non accepiſti?* Nihil utique; omnia enim quæ habes, a Deo habes. Sed qua ratione, qua cauſa, quo tuo merito illa quæ habes, a Deo obtinuiſti? Nullo ſane; creavit enim te, non propter tua merita: ſed quia ſic ei placuit, & quia tibi benefacere voluit. O magnum Dei in te amorem! Sed numquid in hoc ſolum Deus dilexit te, quia creavit te? Hic certe non hæſit amor ejus in te, ſed multo amplius te dilexit, cum te perditum, & per peccatum ad nihilum redactum, redimere dignatus eſt. Non Angelum, non Cherubim, non Seraphim, non Thronum, aut Virtutem aliquam miſit: ſed ipſemet in mundum venit, humanam carnem aſſumpſit; duriſſima ſupplicia, & ipſam mortem pertulit, ut te redimeret. O ardentiſſimum Dei in te amorem! o admirabilem charitatis ardorem! Dic jam, o Chriſtiane: dic, obſecro, debeſne amorem huic amori? Tenerisne diligere eum, qui ſic prior dilexit te? Nonne redamare debes ſic amantem te? Nonne ardentiſſimum ejus in te amorem ardentiſſimo tuo amore perſolvere debes?

Si habes apud te Æthiopem famulum empticium, & captivum, qui diligat te, tu diligis eum, & ſi non ſis totaliter ferreus & inhumanus, bene erga eum te geris. Quod ſi quiſpiam amicus dixerit tibi, cur non dedignaris Æthiopem famulum tuum diligere? Reſpondes; diligo eum, quia me diligit, & quia hoc & illud pro me facit. *Heu!* inquit Sanctus Thomas a Villanova: *heu! dic, obſecro; dic, o Chriſtiane, amas Æthiopem, & multum amas, & juſte amas, quia ipſe amat te: & amat te Deus tuus, amore tuo ardes, magno tuo amore fecit te, & creavit te, ac pro tuo amore paſſus, & mortuus eſt, & tu eum non redamabis? Quod ſcelus iſto majus? Quæ ingratitudo peſtilentior? Sed dic adhuc, obſecro; ſi captivus ille Æthiops pro tui redemptione flagellatus, alapis cæſus, ſudore ſanguineo perfuſus, felle potatus, & clavis affixus eſſet, ſi deformis ille Æthiops ea quæ pro te Dei Filius paſſus eſt, ut te de morte redimeret, ſuſtinuiſſet; ſine dubio eum ut liberatorem tuum ardentiſſime diligeres, eumque quaſi Divum venerareris: cur ergo non facis pro Deo tuo, quod pro nigro & deſpicabili illo Æthiope faceres? Cur non ardentiſſime amabis Deum tuum, qui prior dilexit te, qui fecit & creavit te, quique ut te redimeret, diriſſima pati, & crudeliſſimam mortem obire dignatus eſt? Ibid.* Ama, & ardenter ama Deum tuum: quia prior ipſe te dilexit, & maximis te beneficiis affecit.

Quod ſi infinitæ perfectiones, quas Deus poſſidet, & innumera pietatis & amoris beneficia quæ tibi impendit, ad eum ardenter amandum te non moveant: moveat te ſaltem promiſſæ felicitatis gloria, quam ſuis dilectoribus repromiſit Deus, *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis. Lucæ 10. 27.* Et ut non credas amorem tuum ſine mercede futurum, ſtatim ſubdit, quod ſi eum ſic dilexeris, vitam æternam tibi dabit: *Hoc fac, & vives.* Quid facilius, quam amare? Quid glorioſius, quam regnare? Deum ergo ardenter ama, & regnabis, & in cælo æternum regnabis.

O Chriſtiane, tuum Deo ne deneges amorem: Deum ardenter ama, propter infinitas perfectiones quas poſſidet, propter innumera quæ tibi impendit beneficia, & propter æterna præmia quæ tibi promittit. Ama Deum tuum, & ex toto corde dic ei: o Domine, non ſum dignus qui amem te: ſed quia tantopere me amas, & a me amari deſideras, te majori quo potero affectu impoſterum diligam. Pœnitet me, quod te tam ſegniter toto vitæ meæ tempore amaverim, ſed omnibus vitæ meæ diebus, quam ardentiſſime potero, te diligam. At Deus non ſolum ardenter: *ſed & unice amandus.*

## SECUNDA PARS.

*Deus eſt unice amandus.*

DEi amore ita flagrare debet homo, ut nihil prorſus in aliquam animæ ſuæ facultatem irrepere ſinat, quod ſuam erga Deum dilectionem excludat, aut minuat: cum autem amorem ſuum alio transfert, ſuum erga Deum amorem ſemper excludit, aut ſaltem minuit. Si amat rem illicitam, ex tunc Deum non amat, & ejus amorem a corde ſuo excludit; quia in eodem corde remanere nequeunt

amor

amor Dei & amor rei illicitæ. Si autem ſimul cum Deo aliquid aliud, quod ex ſe malum non eſt, diligat, tunc Deum minus diligit; ſi ſaltem illud propter Deum non amet: *Minus, Domine, te amat, qui aliud tecum amat, quod propter te non amat. S. Auguſtinus lib. 10. Confeſſionum cap. 29.* Quare non bona temporalia quæ tranſeunt, non vanitates, quæ non proderunt vobis, non fallacia & inania ſæculi labentis bona, quæ ad interitum trahunt; ſed Deum ſolum unice diligite.

Non unica dumtaxat cordis parte Deus ab hominibus diligi vult, ſed ex toto corde. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Lucæ 10. 27.* Vis cum Deo ſimul & aurum diligere? Deum non ex toto corde, ſed ex parte cordis diligis. Simul cum Deo vis & mundum amare, tuumque amorem partim Deo, partim mundo dare? Ex tunc Deum non ex toto corde, ſed ex parte cordis amas. Quotieſcumque tandem aliud cum Deo amare vis, Deum ex toto corde non amas; quia ex tunc cor tuum dividis inter Deum & illud aliud, quod amare intendis, ut enim ait Sanctus Gregorius, *ſi in aliquo amor cordis ſui fuerit occupatus, jam ex toto corde Deum non amat. S. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 6.* Ut ergo ames Deum ex toto corde, utque amoris præceptum perfecte impleas, ama eum unice, ama eum ſolum; nec aliquid aliud ames, quod propter Deum non ames, & cujus amor ad Deum non terminetur.

Deus non vult corda diviſa, quæ ſimul cum ipſo aliud diligant, & ideo cum amoris legem hominibus dedit, dixit; *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo.* In quæ verba S. Baſilius ait: *Cum ex toto dicit, diviſionem nullam admittit, unde qui amicus Dei perfectus eſt, ei totam animam tribuit. Sanctus Baſilius homil. 11. in Pſalm. 44.* O. N. cor tuum dividis, cum ſimul cum Deo mundum, carnis voluptates, & alia illicita diligis, ſed hujuſmodi diviſiones Deus non admittit; vult enim, ut ei præbeas totum cor tuum, utque eum ita ex toto corde diligas, quod nihil aliud præter eum diligas, quod ſaltem propter eum non diligas.

Unicuique noſtrum eſt cor unum, quod Deus & dæmon poſſidere ambiunt, Deus illud ab unoquoque poſtulat, dicens, *Fili, præbe mihi cor tuum.* Non partem ſolum, ſed totum cor petit; ac præcipit unicuique, ut totum ipſi cor tribuat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Diabolus etiam ad hominis cujuſque cor obtinendum anhelat; illudque cor, Deo toties debitum, rapere conatur. Cor autem hominis non poteſt ſimul eſſe Deo & diabolo, Deum & diabolum ſimul capere non poteſt; ſed *ſuſcepto diabolo per peccatum, Deus exit: ſuſcepto Deo per charitatem, diabolus exiit. Liran. in c. 6. Matthæi;* Uni aut alteri totum cor neceſſario tribuendum eſt. Dicet tibi forte dæmon, ſicut peſſima illa mulier: *Dividatur, dividatur:* da partem cordis Deo, partem da carnis illecebris, & partem ſæculi vanitatibus: ſed Deus diviſiones hujuſmodi non vult; corda diviſa non admittit; pati nequit, ut ſimul cum ipſo aliud ſibi contrarium diligatur; totum cor vult, aut nihil; toto corde diligi vult, deſiderat, & imperat: quare dilige eum toto corde, ſeu unice, & ſine ulla diviſione.

Sponſa Sacra Sponſi ſui amore languebat, *Amore langueo.* Ita ejus amore flagrabat, ut ipſum ſolum amaret, nilque ei ſaperet præter Sponſum: *Unum amat, unum diligit, unum ſitit: nihil dulceſcit, nihil ſapit, niſi hoc condiatur amore. Richardus Sancti Victore tract. de grad. charit.* O Chriſtiane, anima tua eſt ſponſa Chriſti, quæ indeſinenter ejus ſolius amore ardere debet. Una ſponſa unum tantum ſponſum habet, una etiam anima, quæ Chriſti ſponſa eſt, unicum ſponſum ſuum admittere, amare, & venerari debet; nec Deus alios ſponſos ab animabus noſtris admitti patitur.

Nonne ſcitis, Deum in Sacra Scriptura cum homine zelotypo conferri, ac zelotem vocari, *Dominus zelotes nomen ejus? Exod. 4. 14.* Sicut maritus, zelotypia laborans, pati nequit, ut ſponſa ſuum alio transferat amorem: ſic Deus, quaſi zelotypia laborans, ita animam noſtram amat, ut ſolus ab illa amari velit; nec pati poſſit, quod illa ad mundum, & ad terrena ſuum quomodocumque detorqueat amorem; *Solus vult Dominus amari; & ut ſolus Dominus eſt, ſic totos nos exigit eſſe ſuos. Lyppoman in cap. 17. Gen.* Ama ergo Deum tuum, ama illum ſolum, illumque ut animæ tuæ ſponſum unice dilige.

Velles, inquit D. Auguſtinus, ſimul Deum & mundum diligere? Sed ſicut idem oculus cælum & terram ſimul aſpicere non poteſt; ita & idem cor Deum & mundum ſimul amare nequit, nec Dei & mundi amor in eodem corde habitare poſſunt; *Si mundi amor habitet, non eſt qua intret amor Dei.* Quare, ut ſubdit idem Auguſtinus, mundi, omniumque terrenorum amorem procul pelle, ut Deum ſolum unice diligas, *Recedat amor mundi, habitet amor Dei. Auguſtinus in 1. epiſt. Joann.*

Si cognoſceremus, quanta ſit Dei majeſtas, quam incomprehenſibilis ejus ſapientia, quam admirabilis pulchritudo, & quam infinita bonitas; mox, ſpretis terrenis omnibus, eum ſolum unice diligeremus, non enim cognoſci poteſt, quin ſtatim ametur, *Impoſſibile eſt ut non amet te, qui vere cognoſcit te. S. Thomas a Villanova. Ibid.* Si cognoſceres, quam ſuavis eſt Dominus, profecto terrenas & degeneres omnis carnis voluptates ſperneres & odio haberes, ut ſoli Deo adhæreres. Si noſſes, quam magnus eſt Dominus, omnem ſæculi magnitudinem pro nihilo haberes, Deumque ſolum æſtimares, & diligeres. Si vel tenuiſſimus pulchritudinis divinæ radius menti tuæ illaberetur, raperet ſtatim ad Deum animam tuam, eamque totam ardore dilectionis ejus inflammaret & accenderet, non enim cognoſci poteſt Deus, quin ſtatim ametur, & unice diligatur.

O utinam omnes penitus homines, Dei cognitioni acquirendæ ſedulo incumberent; ſi enim Deum perfecte cognoſcerent, eum & unice amarent. Sed plerique oculos claudunt, ne videant cælum, Deique magnalia cognoſcere nolunt. *Plerique*, inquit S. Thomas a Villanova: *ſtatuerunt, mentiſque propoſito & prævia longa deliberatione decreverunt, non Dei, ſed creaturarum cognitioni comparandæ vacare. Plerique dixerunt Deo: recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus; ſed poſt deſideria noſtra curremus, & voluntates noſtras perficiemus. S. Thomas a Villanova in Job 21.*

O miſeri! ſi quod adhuc in vobis pietatis veſtigium, ſi quæ ſalutis veſtræ ſollicitudo, nolite abire poſt vanitates, quæ nihil vobis proderunt; ſed cæleſti-

Digitized by Google

leſtibus intendite; perpetuis inhiate; ſurſum oculos mentis tollite, ut intelligatis, quam magnus eſt Dominus. Dei perfectionibus inveſtigandis ſummo affectu vacate, ut illum unice ametis; qui enim Deum perfecte cognoſcit, eum unice diligit, *eumque etiam ſemper diligit.*

## TERTIA PARS.

*Deus eſt ſemper amandus.*

ANtequam nati eſſemus, & ante mundi creationem dilexit nos Deus: ejuſque in nos amor, æternus eſt; *In charitate perpetua dilexi te. Jer.* 31. 3. Sicut ab æterno Deus amat ſeipſum; ita & ab æterno, eodem actu ſibi eſſentiali, amat omnes homines: quia ab æterno eos creare, eiſque plurima bona largiri decrevit.

Non ſolum ab æterno & ante omnia ſæcula dilexit nos Deus; ſed & diligit nos ſemper; nec unicum inveniri poteſt vitæ noſtræ inſtans, in quo amoris ſui nobis teſtimonia non exhibeat. Nil odit Deus eorum quæ fecit: *Nil odiſti eorum quæ feciſti; Sap.* 12. 25. & non ſolum non odit nos, verum & poſitive diligit nos, quamdiu in hoc mundo vivimus. Nonne ipſe continue nos conſervat & protegit, ita ut in momento ad nihilum redigeremur, ſi ſuum nobis concurſum & auxilium denegaret? Nonne ſemper *in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus? Act.* 17. 18. Nonne toto vitæ noſtræ tempore Angelum ad noſtram cuſtodiam legat? Nonne uſque ad ultimum vitæ exitum auxiliis ad ſalutem neceſſariis nos fovet? Hæc quidem, & alia multa continue ob noſtri amorem operatur. Quare ſicut ille nos ſemper amat, ita & nos illum ſemper amare debemus: debetque ſacro amoris divini igne cor noſtrum continue ardere; ita ut, quantum fas erit, quiſque continue amoris Dei actus eliciat, omniaque ob ejus amorem operetur; aut ſaltem nihil faciat, quod charitati & Dei amori ſit contrarium.

In veteri Teſtamento varia diverſis in temporibus Deus ſibi ſacrificari voluit: tempore Paſchatis, Agnum: poſt cujuslibet mulieris partum, Turtures, aut Columbas: ignem vero in altari ſibi ſemper offerri poſtulavit: *Ignis autem in Altari ſemper ardebit. Lev.* 6. Veteris Teſtamenti Altaria jamdiu diruta ſunt; ſacer ille ignis non amplius in iis nutritur, ſed jam nova nobis ſunt Altaria, novuſque in iis ignis ſemper nutriendus: cujuſque enim cor eſt Altare, quod Deo totaliter dicatum eſſe debet, & in quo ſemper nutriendus ignis amoris divini: *Altare Dei eſt cor noſtrum, in quo jubetur ignis ſemper ardere: quia neceſſe eſt ex illo ad Dominum, charitatis flammam indeſinenter accendere. S. Gregor. lib.* 21. *Mor. cap.* 7.

Cor Divi Pauli vere Altare, in quo ſacer hic ſemper ardebat ignis: nec quidquam erat, quod in eo perpetuam hanc charitatis flammam extinguere valeret. *Certus ſum*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei. Rom.* 8. 38. O mirandum Dei amatorem, qui Deum ſemper amat, nec ab ejus amore ſeparari poteſt!

A Dei etiam amore nequaquam avelli potuere Martyres; occidi potuerunt; ſed non a Chriſti charitate ſeparari: Deum amore conſtanti, forti, & perpetuo ita dilexerunt, ut quantumvis gravia & acerba paterentur, ad graviora & acerbiora perferenda ſemper parati eſſent. Non carceres, ignes, flagella, cruces, nec alia quævis ſupplicia formidabant; ſed quo magis torquebantur, eo ardentius Dei amore flagrabant: *Sæviat tyrannus*, inquit S. Thomas a Villanova, *flagret rogus, armetur equuleus, acuatur gladius, beſtia ad devorandum frendeat, afferatur ungulæ cruciant, plumbata ſtrideant, faces accendantur, pix & reſina liquentur, & quidquid terribile excogitare potuit judicis impii dira crudelitas ad tormentorum cuneum præparetur, ſuperat omnia potiſſima vis amoris, nulli cedit tormento, nulli ſubjicitur detrimento, nulli obſequitur damno: ſed magis ardens pectore beato caminus amoris, veluti aqua tribulationis injecta, dum extingui putatur, fortius ardet: dum magis comprimitur, flagrat uberius. S. Thom. a Villan. ſerm. in Dom.* 17. *poſt Pentec.* O vere beatiſſimos Martyres! O vere feliciſſimos milites! o conſtantiſſimos Dei amatores; quorum ita fortis & conſtans in Deum amor extitit, ut nullis ſuppliciis ab eo avelli potuerint; ſed ſemper magis & magis in eis Dei amor creverit.

Mirabilia quidem conſtantis amoris exempla in Paulo & in Sanctis Martyribus habemus: ſed in Chriſto, Martyrum Principe, quid in hoc genere mirabilius advertere quiſque poteſt. Ille qui in hunc mundum venerat, ut ſacrum amoris divini ignem mitteret ſuper terram, divino hoc igne ſupra modum accenſus erat, in corde ejus ſemper ſacer hic ignis ardebat, nec unicum vitæ ejus inſtans extitit, in quo aliquem amoris actum non eliceret. Immo magna & ardua indeſinenter operabatur, ut omnibus notum faceret, ſe continue amoris divino igne ardere: *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem. Jo.* 14. 31.

O mirandum amoris divini exemplum! quo ad Deum indeſinenter & ſemper amandum allici quiſque debet. Si Divi Pauli, Martyrum & aliorum Sanctorum exempla ad continuum Dei amorem nos non urgeant, urgeat ſaltem nos Chriſti exemplum. *Charitas Chriſti urget nos.* 2. *Cor.* 5. 15. Amemus Deum conſtanter & ſemper, ſicut Chriſtus. Quod ſi amoris divini actus continue elicere non valeamus, amemus ſaltem Deum ſemper; ita ut ſemper in nobis remaneat habitus charitatis, nec unquam a Dei amore per mortale aliquod peccatum ſeparemur.

Scio, multos reperiri, qui firmiter proteſtantur, ſe numquam a Dei amore ſeparandos; ſed ſæpe a ſuo propoſito deficiunt, & a Dei amore declinant, ut pravis ſuis propenſionibus indulgeant. Multi, adveniente ſolemni quodam die, peccata ſua confitentur, ſuoque Confeſſario dicunt, ſe millies mori malle, quam in ea reincidere; proteſtantur ei, ſe in Dei amore perſeveraturos; dicunt cum Divo Paulo: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?* Sed prima dæmonis tentatione adveniente, vel prima peccandi occaſione occurrente, in priſtina cadunt peccata, & a Dei charitate ſeparantur. Adveniente quodam Jubilæo, multos reperire eſt, qui aliena reſtituunt, injurias condonant, a peccatis abſtinent, & Sacramentorum virtute gratiam divinam recipiunt, ac a Dei charitate ſe numquam caſuros firmiter ſtatuunt; dicunt, & pluries dicunt: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?* Sed minima adveniente tribulatione, vel peccandi occaſione, propoſiti ſui ſunt immemores; nec

Jubi-

Digitized by Google

Jubilæi, nec gratiæ a Deo acceptæ recordantur, ac per peccata in quæ incidunt, a ſeipſis Dei charitatem procul pellunt.

O lacrymis ſanguineis flendam hominum inconſtantiam, qua nihil in orbe magis commune! oquam multi, qui Dei charitate ardent, ſe numquam ab ea ſeparandos pollicentur! Quam multi cum Vate Regio dicunt: *non movebor in æternum!* *Pſalm.* 29. 7. Et tamen poſtea a Dei charitate moventur, & in gravia peccata incidunt. Multi cum Apoſtolorum Principe, Deo promittunt, ſe numquam illum negaturos, nec ab ejus charitate quomodocumque ſeparandos: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo: Matth. 26. 35.* ſed intra breve tempus, initi propoſiti obliviſcuntur, iniquorum conſortio ſe immiſcent, tentantis dæmonis vocem audiunt, carnis illecebris non reſiſtunt; ac tandem a Dei charitate decidunt, & in gravia peccata labuntur. O N. N. procul a vobis hunc inconſtantiæ & levitatis ſpiritum pellite. Deum amate non ſolum ardenter, & unice, ſed etiam conſtanter, & ſemper: eum uſque ad extremum vitæ exitum diligite, & poſt mortem recipiet vos in Cælo, ubi eum in perpetuas æternitates diligetis. *Amen.*

## DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN.

## DE LUXURIA.

*Occurrerunt ei decem viri leproſi.* Lucæ 17. 12.

ARma hodie moveo adverſus vitium omnium turpiſſimum; bellum indico huic peccato, a quo innumera originem ducunt ſcelera, a quo omnia vaſtantur divinæ gratiæ opera, a quo humana fœdantur corpora, a quo quamplurimæ deturpantur animæ; & innumeri homines, æternum cremandi, ad tartara trahuntur.

De luxuria loquor; quæ vitium ita commune eſt, ut ab origine mundi regnaverit ſuper omnem terram; hæc eſt lepra fœdiſſima, quæ undequaque effluit, omniumque fere adultorum & corpus, & animam inficit. Unde a Clemente Alexandrino vocatur *metropolis vitiorum*: *Clem. Alex. lib. 2. Strom.* quaſi ſit virium alia tranſcendens, inter homines communiſſimum, omniumque mater & origo vitiorum.

Heu! quot homines in Deum peccant, multiſque modis hoc vitio peccant? Quam multi obſcœnis cogitationibus delectantur, & voluntarie adhærent? Quam multi fœdis deſideriis corda ſua inquinant? Quot verba ſcurrilia proferunt alii? Sed heu! quot intuitus laſcivi, quot oſcula venerea, quot tactus impudici, quot pollutiones, quot adulteria, quot inceſtus, quot ſacrilegia, quot alia hujus generis in mundo committuntur peccata, quæ vel nominare pudet; Certe *mundus totus in maligno poſitus eſt*: 1. *Joann.* 5. 19. ſeu totus fere mundus malo luxuriæ igne ardet. Et ideo dixit S. Remigius, omnes fere adultos propter hoc vitium damnari: *Ex adultis, propter hoc vitium, pauci ſalvantur. S. Remig. in exp. 1. Epiſtola ad Roman.*

Ut tanto occurramus malo, atque peſſimam hanc lepram a cordibus hominum tollamus, urgentiſſima adducemus motiva, quæ qui ſerio mente revolver, ab omni luxuriæ inquinamento haud dubie abſtinebit, &c. *Ave.*

SIcut magna eſt hominis ad carnalia & ad venerea propenſio; ita & innumera, eaque maxima ſunt motiva, quæ illum ad caſte vivendum, & ad abſtinendum ab omni luxuriæ inquinamento compellere debent. Ipſa illius peccati turpitudo & fœditas cuique frænum eſſe deberet; ſed ab illo perpetrando quemque magis amovere debent magna hujus vitii adverſus Deum malitia, infamia qua domos & familias aſpergit, morbi quos generat, damna quæ cauſat, & pericula quibus exponit.

Hæc qui ſerio perpenderet, procul dubio a luxuriæ vitio penitus abſtineret. Sed efficaciora, & urgentiora, meo quidem judicio, ad abſtinendum ab omni libidine, motiva ſumi poſſunt ex Deo, qui videt, qui judicat, & qui ſevere punit libidinoſos. Deus *eos videt*: cur ergo coram illo peccare non verentur? Deus *eos judicat*: cur ergo a terribilibus ejus judiciis non timeant? Deus *eos punit*: cur ergo pro momentanea voluptate, æternis ſe ſuppliciis exponunt? O peccator! 1. Deus te videt: 2. Deus te judicat: 3. Deus te punit. En tria motiva, quæ te ad abſtinendum ab omni luxuriæ inquinamento cogere debent.

### PRIMA PARS.

*Primum motivum: Deus te videt.*

A Plurimis ſæculis in ſacræ Theologiæ Scholis dictum eſt, & in iis quotidie dicitur, Deum ubique eſſe per eſſentiam, per potentiam, & per præſentiam. Ubique eſt per eſſentiam: quia infinita ejus eſſentia omnibus entibus intime illabitur; nec aliqua eſſe poteſt creatura, in qua Deus non ſit per eſſentiam ſuam. Ubique etiam eſt Deus per potentiam: quia ubique eſt locus dominationis ejus, & in omni loco operatur omnia in omnibus. Ubique tandem eſt per præſentiam ſuam: quia clariſſime videt & intuetur quæcumque in cælo & in terra fiunt: omnia, ſive bona illa ſint, ſive mala patent oculis ejus, ac ut loquitur Spiritus Sanctus, *in omni loco oculi Domini, contemplantis bonos & malos. Prov.* 15. 3.

O peccator, in quocumque mundi loco eſſe poſſis, ibi te Deus contemplatur: ac quidquid boni vel mali ibi facias, clariſſime intuetur. Si virtutem ibi ſecteris, boniſque operibus incumbas, Deus te videt: ſi e contra ad peccata declines, licet in terræ centro fueris, Deus ibi te videt, ac mala, bonaque tua ubique adnotat: *Bonorum, malorumque noſtrorum obſervator eſt Deus. Seneca epiſt.* 41. *ad Lucil.* O peccator, quære, quantum volueris, domus tuæ latibula, ſolis lucem fuge, & in mediis noctis tenebris tua, ſi libuerit, perpetra crimina; remotiſſimos, ſi placet, adi ſylvarum ſeceſſus; antra, ſi velis, ingredere profundiſſima; quantumcumque te abſconderis, te ſemper videbit Deus, nec ab ejus vultu unquam te ſubtrahes: quia Deus te ſemper & ubique videt: *Et omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus. Hebr.* 4. 13.

Credis, o peccator, neminem te vidiſſe, cum toties, ex affectu libidinis, cogitationes obſcœnas animo

vol-

verſaſti, cum fœda concupiſcentia toties intus exarſiſti, & eum hanc adoleſcentulam ad iniqua provocaſti? Arbitraris, te a nemine viſum eſſe, cum noctu hanc virginem conſtupraſti, cum nuptam illam adulterio fœdaſti, & cum Deo ſacram ad infanda allexiſti? Falleris, o peccator: Deus enim videt omnes cogitationes tuas, omnia deſideria tua, omnes greſſus tuos, omnes artes tuas, & omnia quæ ad libidinem explendam molitus es; nihil eorum illum latet: quia *omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus*. Quare cum Deus omnes impudicitias, & libidines tuas videat; qua fronte illas in conſpectu ejus perpetras? Nonne certum eſt, quod præſente patre, præſente matre, vel alio quocumque homine probo, illicitis libidinibus vacare non auderet? Cur ergo hoc coram Deo facis, quod coram hominibus agere non auderes?

De Sancto Ephrem narrat Surius, quod cum eum aliquando mulier impudica ad obſcœna ſollicitaret; vir ſanctus, cæleſti illuſtratus lumine, ab ea quæſierit, an vellet forum publicum adire, ut ibi in conſpectu omnium fœdæ ſuæ concupiſcentiæ faceret ſatis? Cui illa: non utique aptus eſt ille locus ad hujuſmodi negotia: nec non ſunt coram teſtibus, nec uſquam in conſpectu hominum ad hæc turpia, & infanda declinare auderem. Tunc vir ſanctus, ardenti ſuccenſus zelo, impudenti huic dixit mulieri: ſi te pudeat tam turpia perpetrare crimina coram hominibus, qui carnales ſunt ſicut tu, qui infirmi ſunt ſicut tu, qui peccatores ſunt ſicut tu, & forte plus quam tu; te non pudebit ea committere coram Deo tuo, qui omnia videt, qui ipſa puritas eſt, & qui ſumme ſanctus eſt? Te ſane pudere debet, hæc & alia patrare crimina, non ſolum in foro, ſed etiam in omni loco, quia Deus ubique eſt, & Deus ubique te videt, ac clare intuetur quidquid mali & boni facis, *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus*. His verbis, ſancto eum ſpiritus fervore prolatis, concuſſa ſunt viſcera hujus peccatricis; quæ mox in lacrymas erupit, veniam a ſancto Patre petit, & mundo valedicens, licentiori vitæ abrenuntiavit, ac in ſolitudinem ſeceſſit, ut præteritorum peccatorum pœnitentiam ageret.

O N. cum te ſpiritus libidinis ad fœda inſtigat, cum aliqua peccandi ſeſe offert occaſio, oculos ſurſum ſubleva, ut divinum poſtules auxilium, ac mox Deum ubique præſentem conſiderans, dic intra temetipſum, infandum hoc ſcelus coram patre, coram matre, coram fratre, coram ſorore committere non auderem, quanto minus illud perpetrare debeo coram Deo, qui ubique eſt, & ſemper me videt?

Apud multos moris eſt hæc verba in cameris, in tabernis, in officinis ſcripta habere. *Peccator Deus te videt*. Hunc morem improbare non intendo, ſed optarem, omnes homines, & hos præcipue, qui ad libidinoſa proni ſunt, hæc eadem verba in mente ſemper ſcripta & exarata gerere, qui enim Deum præſentem ſemper cogitaret, ad luxuriam numquam declinaret. Immo, & quaſi impoſſibile eſt, ut qui Deum præſentem, & omnia videntem ſemper cogitat, fœda libidine corpus, & animam ſuam coinquinet. Quod probatur exemplo caſtiſſimi viri Joſephi Ægyptiaci, qui dominæ ſuæ, adulterium ſollicitanti, reſpondit. *Quomodo ego poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Geneſ. 39. 9.* Vel, ut vertunt Septuaginta, *& peccare coram Deo meo?* Quomodo poſſum hoc malum facere coram Deo, inquit Joſeph? Quaſi impoſſibile ſit, ut in luxuriæ peccata cadat, qui a Deo ſe videri cogitat. Quare enixe hortatur nos Chryſoſtomus, ut caſtiſſimum Joſeph in exemplum nobis proponamus. Quotieſcumque, inquit, pravæ vos conturbant cogitationes, mala & fœda ſuadentes, quotieſcumque gravis quædam urget tentatio, vel fœdæ libidinis occaſio quædam occurrit, Deum præſentem cogitate, inſtar Joſephi, & quaſi impoſſibile erit vos peccare: *Quando nos cogitatio perturbat, hoc mente verſemus verbum, quomodo faciam malum contra Dominum meum: & ſtatim effugiet omnis illicita concupiſcentia. Chryſoſt. in Geneſ. 39.*

O libidinoſe, nullibi pecces, quia ubique te Deus videt: ſed cum a tentante dæmone obſcœna provocatis, dic cum caſtiſſimo Joſepho; *Quomodo poſſum hoc malum facere coram Deo meo?* Vel, dic cum caſtiſſima Suſanna; malo mori quam fœdari: malo crudeliſſimam mortem obire, quam peccare coram Deo meo; *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini. Dan. 13. 23.*

Dic pertinaciter: nolo peccare, quia Deus me videt. Vel ſi mavis, dic cum Martha; *Magiſter adeſt. Joann. 11. 29.* Cum mentem tuam pravæ, ad fœda allicientes, conturbant cogitationes, dic intra temetipſum; numquam talibus aſſenſum dabo, quia Deus me videt, *Magiſter adeſt*. Cum procus & impudicus quidam ad illicita te ſollicitat, dic, & fugiendo dic, abſit a me, ut talibus aſſenſum præbeam, talia numquam perpetrabo, quia Deus me videt, mihique præſens eſt, *Magiſter adeſt*. Cum quævis occurrit peccandi occaſio, reſiſte fortiter, dicens, non peccabo adverſus Deum meum qui me videt, & cui præſens ſum. *Deus te videt*: ecce primum motivum, quo ad abſtinendum ab omni ſpecie luxuriæ excitari debes. *Deus te judicat*, ecce ſecundum, & ſecundam hujus orationis partem.

## SECUNDA PARS.

*Secundum motivum, Deus te judicabit.*

NOn ſoli libidinoſi ad formidandum Dei judicium ſunt vocandi, ſed & omnes penitus homines, qui omnes ante Chriſti judicantis tribunal ſiſtendi ſunt: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti. 2. Cor. 6. 10.* Ibi Abel & Cain, ibi Petrus, & Judas, ibi humiles, & ſuperbi, ibi raptores & benefici, ibi boni & mali, qui omnes ad Chriſti Judicis tribunal ſiſtentur, ut recipiat unuſquiſque, prout in corpore ſuo geſſit, ſive bonum, ſive malum. Ad terribile illud Chriſti tribunal ſtabunt omnis generis peccatores; qui attoniti, & trementes, formidandam Chriſti tonantis audient ſententiam, & æternis ſuppliciis adjudicabuntur: quare omnes penitus peccatores ab omni ſcelere abſtinere debent, ut terribilia Dei judicia devitent. Sed præ omnibus aliis viri libidinoſi, non ſolum a verbis inhoneſtis, a tactibus impudicis, & ab infandis immunditiis; verum & a minima quavis cogitatione inhoneſta abſtinere debent: quia modo terribili eos Deus judicabit: *Fornicatores, & adulteros judicabit Deus. Heb. 13. 4.*

Quan-

Quando ad venerea homines allicere vult Satanas, ab eorum mentibus omnem mortis, & terribilium Dei judiciorum cogitationem procul pellere nititur. Eorum animis magnam objicit voluptatem, quæ in luxuriæ actibus percipitur: eis ſuadere conatur, luxuriæ peccatum non ita eſſe grave & enorme, ut a Concionatoribus prædicatur: iis inſpirat, Deum ita eſſe miſericordem, ut facile indulgeat his, qui naturæ corruptæ, & delectabilia appetentis, propenſionibus ſatisfaciunt: eis intus dicit, Deum compati infirmitatibus hominum, qui ex fragili luto compacti ſunt: nec eos ob carnis peccata ita ſevere judicare, ut dicitur. Sed cavete a veteratore Satana, qui fallit, & decipit: terribilia enim ſunt Dei judicia adverſus libidinoſos, quare abſtinete ab omni carnis immunditia, & ab omni libidine.

Mementote, o libidinoſi, quod terribilia futura ſint Dei judicia adverſum vos, mementote, quod in extremo Dei judicio audietis formidabilem tubam, ad vallem Joſaphat vos vocantem: quod tunc coram formidando Judice apparebitis, qui revelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Tunc quidquid latet, apparebit; tunc Chriſtus pudenda veſtra populis nota faciet: tunc enarrabit omnes iniquitates veſtras; & quæ in tenebris feciſtis, coram omnibus propalabit; tunc commemorabit omnes abominationes veſtras; & non ſolum in genere dicet, vos fuiſſe libidini addictos; ſed cujusque libidines ejus, cum omnibus circumſtantiis earum exprobrabit. O peccator, tunc Chriſtus manifeſtabit coram omnibus gentibus infandum hunc libidinis actum, quo te coinquinaſti; indicabit locum, tempus, & perſonam cum qua illum perpetraſti. Et ſicut de impudica muliere Samaritana legitur, quod Chriſtus ei omnia dixerit, *dixit mihi omnia, Joann. 4. 29.* ita & cuique libidinoſo dicet omnia inhoneſta quæ fecit, cum omnibus eorum circumſtantiis: *Non confuſe, aut ſummatim in judicio peccata noſtra cernentur, ſed ſingula per partes, ut ſe habent, velut in pictura videbuntur: ſcilicet, quando adulterans a lecto ſurrexeris, quibus paſſibus incedens uſus eſt, quo habitu, qua ex parte irrumpens, alienam uxorem violaveris, & quo etiam ordine mulier viro ſe ſubtraxeris. S. Baſil. lib. de vera virgin.* Time, o peccator, formidanda Dei judicia; & ut ea devitare valeas, a ſolitis abſtine impudicitiis; vel ut melius loquar, meditare terribilia Dei judicia, & a libidinibus abſtinebis.

Dicebat Job, quod Deus omnes ejus greſſus dinumeraſſet. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti. Job 14. 16.* Sed ſpecialiori cura & ſollicitudine Deus omnes libidinoſorum greſſus dinumerare & adnotare videtur. O impudice, accurate Deus adnotat quotquot obſcœnas animo volvis cogitationes, quotquot prava deſideria elicis, ac quotquot actus inhoneſtos & libidinoſos perpetras. Hæc omnia videt, hæc omnia perfectiſſime novit, & in die judicii hæc omnia in ſpeciali coram omnibus populis tibi exprobravit. Non ſolum ad aurem tua tibi pudenda inſuſurrabit, ſed coram Angelis & hominibus dicet tibi, nonne verum eſt, quod tali die, tali hora, in hoc loco, & cum hac perſona, hunc libidinis actum commiſiſti? Nonne verum eſt, quod a juventute tua cum his & illis perſonis toties corpus tuum fœdis libidinibus coinquinaſti? Sic Deus manifeſtabit, & omnibus gentibus nota faciet pudenda tua: *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Et projiciam ſuper te abominationes, & contumeliis te afficiam. Nahum 3. 7.* O N. nolebas patrem, & matrem, & maritum in agnitionem venire infandi hujus peccati quod perpetraveras, ſed ſi ejus pœnitentiam non egeris, illud Deus non patri ſolum, & matri, verum & omnibus populis manifeſtabit. Non vis hoc & illud horrendum peccatum quod commiſiſti, prudenti Confeſſario aperire, ut ejus abſolutionem obtineas, illi in aure dicere recuſas hæc & illa fœda crimina, quibus corpus & animam tuam polluiſti; ſed ſi eorum pœnitentiam non feceris, ea Deus in die judicii omnibus Angelis, & hominibus nota faciet, & pudenda tua tibi exprobravit.

Heu! quo tunc non afficieris pudore, cum ſordes tuæ omnibus pandentur? Quo tunc pavore tua non concutientur viſcera? Sed ſi ſapias, nunc ab omni abſtine libidine, ut tanto tunc pudore non afficiaris, & tanto timore non concutiaris.

Timebant viri ſancti, & ab omni prorſus peccato abſtinebant, cum de formidandis Dei judiciis cogitabant. *Contremiſcis cor meum*, inquiebat Sanctus Ephrem, *& renes mei reſolvuntur, quotieſcumque cogito, quod revelandæ ſint cogitationes, & ſermones atque actus noſtri in die Judicii. S. Ephrem lib. de vera pœnit.* Et S. Chryſoſtomus contremiſcens clamabat: *Quid ergo tunc faciemus, cum in medio, coram mundo, cuncta promentur in theatro tam claro, & illuſtribus, & nobis notis, & incognitis cuncta ſpectantibus? S. Chryſoſt. homil. 48. ad Popul.* Recordare tu ſimiliter eorum, quæ fient in Judicio, cum ſeſe peccandi offert occaſio, memorare formidanda Dei judicia; memento quod tunc pudenda tua omnium oculis pandentur. Hæc ſi ſerio cogitaveris, contremiſces, & ab omni prorſus libidine abſtinebis: *Si Deum præſentem, & omnia videntem, homines judicaturum crederemus, vix, aut numquam peccaremus. Sanctus Gregor. in cap. 16. Job.*

Cum tentationes, ad libidinoſa provocantes, S. Hieronymi ſtimulabant animum, in memoriam revocabat vir ſanctus noviſſimam, & formidandam illam tubam, quæ omnes homines ad terribilia Dei judicia vocare debet, haeque cogitatione ab urgentibus quibuſque tentationibus liberabatur. Recogita tu ſimiliter tremendum extremi Judicii diem: cum ad libidinoſa te Satanas, vel natura corrupta provocat; memorare, quod ſi ad pudenda declines, ea Deus in die Judicii omnibus manifeſtabit, & hac cogitatione præventus, ab omni libidine facile abſtinebis. *Deus te judicat*, ecce ſecundum motivum, quod te ab omni carnis immunditia avocare debet. *Deus te puniet*, ecce tertium.

## T E R T I A   P A R S.

*Tertium motivum: Deus te puniet.*

Variis ſuppliciis interdum Deus afficit luxurioſos, etiam in hoc mundo: nonne enim propter luxuriæ peccatum, diluvio generali totum terrarum orbem inundavit? Nonne propter hoc peccatum, Ge-

Digitized by Google

*Geneſ.* 38. quatuor magnas urbes horrendo vaſtavit incendio? Nonne Her, & Onam, quod rem deteſtabilem feciſſent, a Deo occiſi ſunt? Nonne filii Heli fornicarii in bello ſunt perempti? Nonne alii multi propter infandum hoc peccatum variis ſuppl·cis plexi ſunt? Sed omnia hujus mundi ſupplicia nihil ſunt reſpectu eorum, quibus impudicos Deus in alio mundo plectit, ſi etenim in hoc mundo pœnitentiam non egerint: 1. Eos Deus cæleſti beatitudine in æternum privabit: 2. Eos æternis tartari ignibus adjudicabit.

1. Prima pœna, eaque maxima, qua Deus impudicos in alio mundo plectit, hæc eſt, quod eos æterna beatitudine privat. Hanc pœnam ex parte Dei libidinoſis promulgat D. Paulus, dicens: *Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei. Epheſ.* 5. 5. Æternam beatitudinem pollicetur Deus mundis corde: *Beati mundo corde*; ſed ut aſſerit D. Paulus, nullus fornicator, adulter nullus, nullusque impudicus, ſi pœnitentiam non egerit, partem habebit in regno cælorum.

Quod ut confirmet, Apoſtolus ait: *Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur. Gen.* 5. 19. Penſate, Fratres, quam grave ſit illud ſupplicium. O quam durum erit impudicis æternæ beatitudinis regno privari pro volatili voluptate, & pro momentaneis carnis deliciis!

Refert Plutarchus, quod cum Lyſimachus Rex ab ampliſſimo hoſtium exercitu circumcinctus eſſet, præ nimia, qua conflictabatur ſiti, hoſtibus ſe dedere, eorumque manibus ſe committere coactus ſit. Sed cum ad extinguendam ſitim ei oblatus eſt aquæ ſcyphus, mœrore confectus, clamavit: *Dii boni! quam ob brevem voluptatem Regnum amiſi, & ex Rege me ſervum feci. Plutarchus part.* 1. *Moral.* Ecce quid accidet libidinoſis: hi jam ducunt in bonis dies ſuos, a voluptate in voluptatem migrant; ſed cum poſt mortem cæleſti Regno privabuntur, lugentes clamabunt: *Quam ob brevem voluptatem Regnum cæleſte amiſi.* Heu! quam tunc illis terribile erit, Dei viſione privari, a Sanctorum conſortio arceri, & cæleſtia Regna in æternum perdere pro inſtantanea voluptate!

2. Hæc eſt prima pœna, qua Deus libidinoſos in alio mundo plectet. Altera qua plectentur pœna, hæc eſt, quod Deus ſempiternis tartari ignibus eos adjudicavit. Tranſibunt ab igne in ignem, & quia in hoc mundo fœdæ concupiſcentiæ igne exarſerunt, in alio mundo horrendis tartari ignibus in æternum cremabuntur, & ut loquitur Guerricus Abbas; *Devorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt per luxuriæ opera. Guerric. ſerm. de Puriſ.*

Hominis libidinoſi eor fœdo concupiſcentiæ ardeſcit incendio; ſed ſi veræ pœnitentiæ lacrymis illud in hoc mundo non extinguat incendium, ab iſto ad tartareum tranſibit incendium: *Libidinoſum enim hujus vitæ incendium ad tartaream fornacem tendit. Iſidor. Peluſ. l.* 1. *epiſt.* 433. Unde S. Zeno formidandis iſtis verbis impudicos ſalutat: *Valete adulteri deteſtabiles, ter, quaterque infelices, vos flamma expectat æterna. Zen. ſerm. ſuper Attende tibi.* Ecce, o impudici, quo pergetis poſt mortem: non vos expectant immenſa Paradiſi gaudia; ſed æterna adibitis inferni incendia. Ibi plorabitis ut pueri; ibi veſtras deteſtabimini impudicitias: ibi deſperantes mordebitis carnes veſtras. Tunc dicetis, o infelices! Cur non credidimus Concionatoribus, qui toties nos ad omni libidini abrenuntiandum ſollicitarunt? Cur amore profano hanc creaturam tantopere dileximus? Cur non potius carnis mortificationi, quam momentaneis voluptatibus adhæſimus? Tunc clamabitis, dicentes: O miſeri! o ter, quater, millieſque infelices, qui pro inſtantanea voluptate, æterna paſſuri ſumus incendia: *Cito præterit quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat. S. Aug. Tract. de bon. mulier c.* 3.

O impudice, animo ſæpe verſa, quam durum, quam grave, quam intolerabile ſit in tartareo rogo, non una dumtaxat hora, non uno ſolum die, ſed in æternum cruciari, recogita, quam voraces ſint hæ flammæ, quam vehementes ſint hi ignes in quibus æternum cruciandus es, ſi concupiſcentiæ ignem in temetipſo non extinguas. Ignem cum igne confer; & ut ignem concupiſcentiæ in temetipſo reſtinguas, gehennæ ignem crebro meditare. *Gehennæ ignem flammis libidinis oppone, ut ignis igne extinguatur. Chryſoſt. de repar. lapſ.*

O libidinoſe! oculis mentis tuæ ſæpe objice tartareos ignes, ſerio conſidera, quam acerbi, quam perennes ſint. Ac intra temetipſum dic: nonne melius, ad modicum tempus a libidinibus abſtinere, quam in æternum ardere? Nonne melius & congruentius, quod hujus creaturæ affectum præſcindam; quod inordinatam, & effrænatam hanc paſſionem comprimam; quod fœtidum hunc libidinis ignem in corde meo reſtinguam, quam quod æternis tartarei ignis cruciatibus me exponam? Dic ſæpe intra temetipſum: o quam volatiles, & tranſitoriæ ſunt carnis deliciæ! Sed o quam perennes ſunt inferni flammæ! Momentaneæ ſunt carnis voluptates, & æterni ſunt inferni ignes: *Momentaneum eſt quod delectat: æternum quod cruciat; S. Gregor. lib.* 1. *Moral. c.* 21. quare omni penitus libidini abrenuntio, ut æternos tartari ignes devitare valeam.

O homo, omni certe libidini abrenuntiare debes; ſi cogites, quod te Deus videat, & quod te judicet; ſed omni libidini magis adhuc abrenuntiare debes, ſi ſerio mente revolvas ſupplicia, quibus Deus libidinoſos punit. Eos cæleſti Regno privat: o quam grave hoc ſupplicium! Eos inferni ignibus, æternum cruciandos addicit: o ſupplicium formidandum, & intolerabile! Timete ergo Deum videntem, timete Deum judicantem, timete Deum punientem. Triplici hoc timore, quaſi triplici clavo, animam, paſſiones, & concupiſcentias veſtras configite. Ita timete, ut timor ille vos ab omni impudicitia arceat; & Deus amabit vos, fovebit vos, & in cæleſti regno vos coronabit. *Amen.*

D O-

## DOMINICA DECIMAQUARTA

## POST PENTECOSTEN.

# DE USURA.

*Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ.*
Matth. 6. 25.

DIvitiarum ſervus eſt omnis avarus, qui plus quam par eſt, eas appetit; vel qui inique eas retinet; divitiæ enim ſunt quaſi ſimulacra quæ venerantur, & quibus miſere ſerviunt avari: *Avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus. Coloſſ.* 3. 5. Sed inter illos, quos avaros dicimus, ii magis divitiis ſervire videntur, qui per turpes uſuras aliena diripiunt, hi enim ſunt hujuſmodi divitiarum ſervi, qui ſimul, & ſemel Deo, & mammonæ ſervire non poſſunt; *Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.*

Uſurarios illos Deus & Eccleſia, Catholici & hæretici, fideles & infideles odio habent, & condemnant; eoſque condemnabit, quicumque malitiam illorum probe noverit: quæ tanta eſt, ut nullus avaro uſurario nequior; nullus ſceleſtior videatur: *Avarus inter omnium criminum reos, nequiorem ſe invenire non poteſt, nihil eſt enim avaro ſceleſtius. Patrus Damian. epiſt.* 2. Quam magna ſit uſurariorum malitia, tota hac concione delineare pertentabimus, &c. *Ave.*

NIhil ſuavius homini, negotiis multis implicato, a creditoribus oppreſſo, aut gravem neceſſitatem patienti, quam reperire hominem, qui pecuniam, etiam cum uſuris repetendam, mutuet, & ideo multi hominem uſurarium, a quo mutuum acceperunt, *benefactorem, amicum, & protectorem* vocant. Eum appellant *benefactorem*; quia cum ab eo pecuniam, triticum, vel alia mutuo ſumpſerunt, ab eo magnum beneficium accepiſſe credunt. Illum dicunt *amicum*: quia pecuniam ab eo mutuo acceptam, tamquam ingens veræ amicitiæ ſignum inſpiciunt. Illum tandem *protectorem* nominant, quia eo tempore quo ab aliis perſecutionem patiebantur, ab eo pecunias acceperunt, quibus ſe a vexatoribus, & oppugnatoribus liberarent.

Falluntur ſane, qui hominem uſurarium, ut benefactorem, amicum, & protectorem inſpiciunt: pecunias enim mutuat, non tam ut mutuatariorum neceſſitatibus occurrat, quam ut eos facultatibus ſpoliet, utque illos prodat, & opprimat. Unde ut hominis uſurarii malitiam manifeſtemus; dicamus, quod uſurarius vocatur benefactor, amicus, & protector; ſed revera: 1. *Eſt benefactor*, qui eos quibus benefacere videtur, facultatibus ſpoliat: 2. *Eſt amicus*, qui eos quos diligere creditur, inique prodit: 3. *Eſt protector*, qui eos quos protegere cenſetur, crudeliter opprimit.

## PRIMA PARS.

*Uſurarius eſt benefactor, qui eos, quibus benefacere videtur, facultatibus ſpoliat.*

PIetatis quamdam ſpeciem præſeferunt uſurarii, ſeque beneficos proclamant, dicentes, quod ſpiritu charitatis magis, quam ſpe lucri ad mutuandum moveantur. Sed maligni potius, quam benefici hi dicendi ſunt: quia uſuris ſuis quidquid bonorum, & facultatum mutuatariis ſupereſt, crudeliter auferunt, & dum eorum calamitates ſublevare, & egeſtatem lenire videntur, illos facultatibus ſpoliant, eoſque ad extremam egeſtatem redigunt. Unde Divus Baſilius ſic hominem uſurarium affatur: *Officium tuum fuerat, hominis depreſſi egeſtatem lenire, conſolari, ſublevare; tu contra potius eam auges, fructum ex homine deſtituto acquirens; veluti ſi Medicus, ad ægrotantes introgreſſus, loco reſtituendæ ſanitatis, id quod eis virium reſtabat, auferret. S. Baſil. in Pſ.* 14. O maligitos benefactores, qui illos erga quos ſe beneficos dicunt, facultatibus ſpoliant! Hæc ſunt beneficia uſurariorum; quos alloquens S. Ambroſius, ait: *Talia ſunt veſtra beneficia: minus datis, & plus exigitis. Talis humanitas, ut ſpolietis etiam dum ſubvenitis. S. Ambroſ. l. 6. epiſt.* 70.

Licet homines ſint omnes ejuſdem naturæ, omnes ab eodem primo parente oriundi, omnes ab eodem Chriſto redempti, & omnes ab eodem Deo creati: ex iis tamen Deus alios voluit facultatibus abundare, & alios penuriam pati. Utrumque fecit Dominus, & divitem, & pauperem; ſed in diverſa hac pauperum, & divitum conditione, lege ſua Deus divites ligavit ad ſubveniendum pauperibus voluitque ut ſuperflua divitum eſſent patrimonia pauperum. O divites! veſtra non ſunt bona, quæ in domibus veſtris ſuperfluunt; veſtra non ſunt, ſed pauperum, eaque gravem neceſſitatem perferentibus largiri tenemini. Ad hoc ſane tenentur divites, & tamen divites uſurarii de danda pauperibus pecunia non cogitant, ſed de mutuanda ſub uſuris; quod non eſt, *dare*, ſed aliena artificioſe auferre, & eos quibus dare videntur, facultatibus, ſi quæ iis ſint, ſpoliare: *Qui ſub uſuris mutuum dat, in prima quidem facie, ſua videtur dare; revera autem ſua non dat, ſed alterius tollit. Auct. oper. imperf. hom.* 11. *in Matth.* O portentoſum benefactorem, qui cum dare ſimulat, aliena rapit; eoſque bonis ſpoliat, quibus benefacere videtur!

Simulata hæc uſurariorum beneficia, qui mutuatarios facultatibus ſpoliant, dum iis benefacere videntur, mirabiliter explicat D. Bernardinus dicens; quælibet res, quam mutuo dat uſurarius, videtur habere dentes, quibus mutuatariorum bona rodit, & comedit. *Uſura*, inquit, *eſt inquietus cancer: quolibet enim die, qualibet hora, & qualibet puncto, & momento, pauperum ſubſtantiam fœnus uſurarii rodit. Et quod mirabilius eſt, cuncta hominis uſurarii bona dentes videntur habere: nummi etenim ejus dentes habent; ſimiliter frumentum illius, quod ne ab hominibus comedatur, factum eſt, dentes habet, & cuncta illius bona dentes habent, quibus comedunt egenorum domos, vineas, veſtes, denarios, ſegetes, arva, & cuncta illorum bona conſumunt. Immo, quod horribilius eſt, comedunt pauperum Chriſtianorum carnes, & oſſa; proinde ſolet a quibuſdam pauperibus lamentabiliter dici; heu me quia habeo ab uſurario centum ducatos mutuo, qui mihi quotidie rodunt oſſa. Hinc a quibuſdam, uſura merito vocatur morſura: quia continue mordendo, conſumit ſubſtantiam egenorum. D. Bern. ſerm.* 44. *de uſur.* & ſic tan-

dem uſurarii omnibus bonis ſpoliant eos, in quos ſe beneficos profitentur.

Quod Auctor operis imperfecti, ſimilitudine fermenti egregie explicat, dicens: *Sicut fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam conſperſionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totum fermentum; ſic cum uſura in domum alicujus intraverit, totam ſubſtantiam ejus ad ſe trahit, & convertit in debitum. Ubi ſupra.* Ecce quid faciant denarii illi uſurarii, quos mutuat fœnerator; hi denarii ſunt quaſi quoddam fermentum, quod corrumpit, deſtruit, & ad ſe trahit omnia mutuatarii bona; illa omnia convertit in uſuras, quas accipit uſurarius, & ſic mutuatarium bonis ſuis ſpoliat.

Alia ſimilitudine, ad idem explicandum, & probandum, utitur S. Chryſoſtomus, ajens, quod cum uſurarius mutuo dat, ſub ſpecie beneficii, gratum aliquod venenum infundit, quod per omnia mutuatarii bona diſcurrit, & illa convertit in debitum: *Similis eſt pecunia uſurarii morſu aſpidis: percuſſus enim ab aſpide, quaſi delectatus pergit in ſomnum, & per ſuavitatem ſoporis moritur. Sic, & qui accipit ſub uſuris, pro tempore delectatur, quaſi qui beneficium accipit. Sed ſicut venenum aſpidis latenter per omnia membra diſcurrit, & corrumpit: ſic uſura per totas facultates ejus diſcurrit, & convertit eas in debitum. Auctor oper. imperf. hom. 12. in Matth.* Et ſic per uſuras ita ſpoliantur mutuatarii, ut nihil proprium iis remaneat; ſed omnia eorum bona mutuantibus fiant debita.

Hugo Cardinalis ait, pecuniam quam uſurarii mutuo dabant, eſſe quaſi ſerpentem, qui omnes facultates mutuatarii devorat. *Uſurarii*, inquit, *ſunt Magi Pharaonis, qui virgas, ſive baculos in ſerpentes converterunt. Sicut enim baculo ſuſtentatur homo; ita mutuo ſuſtentatur pauperes, & pupilli; ſed uſurarii convertunt illud in ſerpentem uſuræ, quæ eos devorat. Hugo in Pſ. 14.* Dum uſurarii pecunias mutuant, videntur mutuatariis præſtare baculum, quo ſuſtententur; eis beneficium impendere videntur; ſed hic baculus convertitur in ſerpentem, a quo devorantur omnia mutuatariorum bona; ita ut intra breve tempus bonis ſuis orbati, & ſpoliati inveniantur.

Ecce malitiam uſurariorum; quæ tanta eſt, ut cum beneficium præſtare videantur, eos tamen quibus mutuo dant, pauperiores reddant, ad extremam redigant neceſſitatem, omnibuſque facultatibus ſpolient. Si mutuatariis aliquis hortus, pratum aliquod, vel virgultum ſupererat, uſurarius brevi ea omnia aufert. Immo, & conqueritur de illis quos facultatibus ſpoliat, dicens, quod hæc non ſufficiant ad ſolvenda quæ ſibi ſunt debita; quod injuriam patiatur, & quod pro pecunia, quam libenter mutuo dedit, ad fundum ſibi inutilem ſumendum cogatur.

O quam magna hæc uſurariorum malitia! Sed o quam magna etiam eorum erit pœna! Numquam enim vitam æternam obtinebit uſurarius, ſi non reſtituat; ſed æterna morte morietur, & ſuppliciis ſempiternis in inferno plectetur: *Ad uſuram dantem, & amplius accipientem: numquid vivet? non vivet. Cum univerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur. Ezech. 18. 13.* O uſurarie, quam melius tibi eſſet dare, quam accipere! Quam male feciſti, cum ſub prætextu beneficii mutuaſti, ut mutuatarios ſpoliares! Quam parum tibi utilia erunt omnia bona, quæ inique coacervaſti, cum inferno cremaberis! Quare deteſtare nunc malitiam tuam, & ablata reſtitue, ut inferni ſupplicia vitare valeas. Sed ſi magna eſt uſurarii malitia: quia eos, quibus benefacere videtur, facultatibus ſpoliat; magna etiam ejus eſt malitia: *quia eos inique prodit, quorum ſe amicum dicit.*

## SECUNDA PARS.

*Uſurarius eſt amicus, qui eos quos diligere creditur, inique prodit.*

HOmo uſurarius, eorum, quibus pecunias mutuo dat, ſe amicum proclamat, multique eum verum illorum amicum eſſe, erronee credunt: quia cum neceſſitatem patiuntur, proprium illis marſupium aperit, illiſque pecunias, cum fœnore reſtituendas, ad tempus libere mutuat. At, o peſſimum amicum! o proditorem, & non amicum! Si tamen hunc amicum vocare liceat; dicamus, hunc eſſe amicum, qui eos quos diligere ſimulat, inique prodit. Ut enim ait D. Bernardinus, *uſura proditio dici debet: quia ſub pallio pietatis atque ſervitii, aliena prædatur. D. Bern. ib.*

Quemadmodum is, qui precibus victus, febricitanti, quem vehementiſſimus calor, ſitiſque nimia exagitat, vinum bibendum porrigit; exhilarat quidem ægrum brevi tempore, dum poculum exhaurit, non longe vero poſt, acerbiſſimam, & decuplo graviorem febrim miſero parit. Sic & qui pecuniam egeno ſub fœnore commodat, ejus amicus eſſe videtur; ſed eſt verus proditor; qui neceſſitatem illius non ſublevat, ſed calamitatem potius auget: *Uſurarius videtur neceſſitati ſuccurrere, revera autem in majorem mittit neceſſitatem. Imperf. ib.*

S. Gregorius Nyſſenus in præclara illa oratione, quam adverſus uſurarios compoſuit, uſurarios vere proditores eſſe oſtendit, cum ait, eos ſub prætextu amicitiæ, & neceſſitatis ſublevandæ, miſerorum inopiam, curas, & dolores augere: *Opitulator*, inquit, *vertitur in hoſtem: non enim neceſſitatem patienti opem fert, ut ex illa qua premitur inopia, evadat: ſed feris afflictio mala, nudum exuens, vulneratumque denuo vulnerans, curas curis accumulans, doloresque doloribuſque addens.* O malignum proditorem; qui cum pecunias mutuat, mutuatariorum egeſtatem, curas, & dolores non minuere intendit, ſed augere!

Uſurarios, veros eſſe proditores manifeſtat, & probat D. Bernardinus, eorumque malitiam tantam eſſe dicit, ut & propinquos, & alienos prodat. (Quod, inquit, *S. Bern.* uſurarios propinquos prodat, ipſa experientia manifeſtat, ſæpius enim contingit, quod uſurarius conſpiciens proprium uterinum fratrem, aut alium attinentem ſibi, pulchram habere domum, vel aliam aliquam poſſeſſionem plurimam gratiam, tractus concupiſcentia oculorum, ſubvenire nititur illi aliquo mutuo; quo quidem inito contractu, paullatim creſcere permittit fœnus. Cumque fœnus excreverit, cernens, fratrem ſuum non poſſe ſibi ſolvere debitum, accepta occaſione, occulta cautela, & quadam juſtitia ſimulata juridice domum, vel poſſeſſionem ingreditur, & ſic quaſi inadvertenter fratrem ſuum illis poſſeſſionibus pri-

vat;

vat: ecce proditio impia in propinquos. In alienos autem hæc proditio clarius patet; nam comedendo, & bibendo cum eis, intendit per uſuram bona eorum rapere, more proditoris Judæ, qui cum Chriſto comedens & bibens, inimicis ſuis tradidit eum. Ecce varias uſurariorum proditiones: ſed eos proditores eſſe potiſſimum ſuadet S. Ambroſius, cum illos dæmoni ſimiles eſſe dicit.

Noſtis, dæmonem eſſe proditorem, qui homines prodere & perdere indeſinenter ſatagit. Sed tunc in illos magis proditor eſt, quando ſe transfigurat in Angelum lucis: tunc enim ſub Angeli boni ſpecie, bona exterius ſuadere videtur; & tamen nil niſi mala, hominumque ruinam & damnationem intendit. Inſtar autem dæmonum, proditores ſunt uſurarii, hi enim ut hominum bona rapiant, & ut illos ad egeſtatem redigant, ſe reſpectu illorum, bonos, beneficos, & quaſi Angelos lucis exhibent. Divitibus ſuadet uſurarius, ut ludis vacent, conviviis ſe dedant, opulentam ſuppellectilem habeant, & alias multas expenſas vanas & inutiles faciant. Quod ſi hi pecuniam non habere dicant; mox uſurarius ſuam offert: *Neganti ſe habere pecuniam, ingerunt ſuam, dicentes, utere ut tua. S. Ambr. l. de Tobia c. 6.* ecce Angelum lucis. Pauperibus etiam, quibus aliquod pratum, aliquis ager, vel aliqua domus ſupereſt, ſuadet uſurarius, vel ut aliquod commercium ſuſcipiant, vel ut aliquid acquirere pertentent, quod ſine pecunia fieri nequeat: & cum reſpondent hi, ſe ad hæc facienda non habere pecuniam, mox uſurarius ſuam eis offert: *Neganti ſe habere pecuniam, ingerunt ſuam, dicentes: utere ut tua*: Ecce Angelum lucis: ecce hominem qui exterius verus amicus videtur, ſed revera proditor eſt. Quia hæc ſuadet, & pecuniam ſuam eis offert, non ut benefaciat, ſed ut eos prodat, eorumque bona rapiat. *Intendit per uſuram bona eorum rapere.*

O quam magna hæc uſurariorum malitia! Sed o quam magna eorum etiam in inferno erit pœna! Magna quidem erit: quia cum hominum benefactores ſe eſſe ſimulent, eos bonis ſpoliant: ſed major adhuc erit: quia cum hominum amicos ſe eſſe fingant, eos decipiunt, & proditorie bona eorum rapiunt. Si enim in inferno graviter torquentur hi, qui pecunias ſuas pauperibus, neceſſitatem patientibus, non dederunt: quanto magis uſurarii, qui proditorie aliena rapuerunt: *Si illi qui Chriſtum eſurientem non aluerunt, cum diabolo igni inextinguibili addicuntur: quanto ſupplicio afficientur hi, qui fame Chriſtum necant, per id quod rapiunt? Sanctus Chryſoſt. orat. de avar. tom. 5.* Certe graviſſimum eorum erit ſupplicium. At dum divitiis eorum in hoc mundo fruentur hæredes, graviſſimis ipſi in inferno torquebuntur ſuppliciis: *Laboribus & facultatibus eorum fruentur alii; ipſi vero in cruciatu erunt, & in malis extremis. Ibid.*

O uſurarie, quid tibi proderit, ſi univerſum lucreris mundum; animæ vero tuæ detrimentum patiaris? Quid tibi proderit, multa coacervaſſe bona, & uſuris tuis, unius domum, alterius villam rapuiſſe, ſi his relictis, ad tartara graviter plectendus mittaris? Quid tibi proderit, in morte tua filiis, nepotibus, vel amicis multas reliquiſſe facultates; ſi dum illis ii fruentur, tu in inferno graviſſime crucieris? O quam melius tibi fuiſſet, ſi nunquam natus eſſes, quam ſi æternis his ſuppliciis addicaris? O quam melius tibi fuiſſet, in hoc mundo tua pauperibus erogaſſe, & dririſſimæ paupertatis incommoda pertuliſſe, quam aliena uſuris rapuiſſe? O uſurarie, hæc recogita, hæc ſerio mente revolve; & ut non graviter torquearis in inferno, peſſimum uſuræ ſpiritum in temetipſo extingue, contractus uſurarios quos in conclavi ſervas, generoſe conſcinde, inique ablata propriis reſtitue dominis, in pauperes te liberalem exhibe, pœnitentiam age; & uſurarii, vel potius proditoris pravis exercitationibus penitus abrenuntia. Sed ſi uſurarii ſunt amici, qui eos, quos diligere profitentur, inique produnt; *Uſurarii ſunt etiam protectores, qui eos, quos ſe protegere dicunt, crudeliter opprimunt.*

## TERTIA PARS.

*Uſurarius eſt protector, qui eos, quos protegere cenſetur, crudeliter opprimit.*

EO hominum dementia venit, ut benignum, beneficum, & protectorem vocent hominem uſurarium, eo quod hominibus neceſſitatem patientibus, triticum, vinum, pecuniam, vel alia, cum uſura repetenda, mutuet. At protectoris nomine indignus eſt uſurarius. Tyranni potius, vel vexatoris nomen ei convenit. Quia eos opprimit, quibus ad uſuram mutuo dat; eoſque ita opprimit, ut illos; *1. In ſervitutem redigat: 2. Suffocet: 3. Trucidet.*

1. Mutuatarios, quos protegere videntur, ita opprimunt, & vexant uſurarii, ut eos ad diram ſervitutem redigant, illoſque non ſolum debitores, verum & ſervos ſuos efficiant. Unde tanquam magnum & memorabile beneficium Dei erga Judæos ore prophetico prædicatur, quod eos ab uſurarum ſervitute eſſet liberaturus: *Ex uſuris, & iniquitate redimet animas eorum. Pſ. 71. 14.* Id eſt, ut explicat S. Ambroſius, *ex ſervitutis vinculo ereptos reddet libertati, quia uſuræ inferunt ſervitutem. S. Ambr. l. de Tobia c. 4.* Unde idem S. Ambroſius uſurarios, qui uſuras exigunt ab eo, qui pecuniam ſibi mutuo dari petit, ſic increpat. *Ille medicamentum quærit, vos offertis venenum: panem implorat, gladium porrigitis: libertatem obſecrat, ſervitutem irrogatis. Ib. c. 3.*

O malignos protectores, qui eos quibus mutuo dant, ſibi ſervos efficiunt; & qui tot habent ſervos, quot debitores; eos quippe vexant, tanquam ſervos, illoſque ita uſurariis contractibus ligant, ut ab ipſorum manibus ſe extricare nequeant; ſed veluti ſervi, & diris vinculis conſtricti, ſub gravi illorum dominatione gemant. O gravem oppreſſionem! Sed ſi uſurarii mutuatarios opprimant, quia eos in ſervitutem redigunt: *Eos etiam opprimunt, quia illos ſuffocant, illoſque ita gravant, ut illos nec reſpirare ſinant.*

2. Prohibet Deus creditoribus, ne uſuris debitores opprimant. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes. Exod. 22. 25.* In verſione ſeptuaginta Interpretum legitur. *Si pecuniam fœneraveris orphano, & pauperi, non ſuffocabis eum. Ib. c. 14.* Quæ verba exponens D. Ambroſius, ait: *Suffocare*, id eſt, *uſuram imponere*: Et



Digitized by Google

revera pauperes & alios quibus pecuniam ad uſuram dederunt, ita vexant & ſuffocant uſurarii, ut illos reſpirare non ſinant. Eos enim continue premunt, & jam ab iis munera exigunt, nunc annuum redditum poſtulant, mox ſortem importune petunt, jam iis intendunt litem, nunc apparitores & ſatellites mittunt, ut omnia quæ in domibus eorum reperiuntur, violenter auferant, eos tandem ita vexant, & opprimunt, ut eos ſuffocent, nec reſpirare ſinant.

In quo tales uſurarii mihi ſimiles videntur crudeli huic ſervo, qui cum inveniſſet unum ex conſervis, ipſi centum denarios debentem, ut cogeret illum ad modicum illud debitum perſolvendum, *Tenens, ſuffocabat eum, dicens; redde quod debes. Matth.* 18. 28. Sic ſe habere ſolent uſurarii, reſpectu mutuatariorum, cum enim aliquem ex debitoribus ſuis ſtricte uſurariis contractibus ligatum & intricatum tenent, ita illum vexant, ut eum quaſi ſuffocent; & apud hujusmodi uſurarios unica hæc vox auditur, *redde quod debes*. Debitor voce humili, & triſti accentu uſurarium deprecatur, dicens: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; reſpondit ille; *redde quod debes*. Debitor gemens orat uſurarium, ut ſaltem miſereatur familiæ ſuæ in extrema neceſſitate degentis; ille autem reſpondet, *redde quod debes*. Omnis expers conſilii debitor indurato creditori repræſentat, dies eſſe malos, & pecuniam ita raram, ut ſibi impoſſibile ſit habere, quo debitum perſolvat, ſed idem ſemper reſponſum audit, *redde quod debes*. Et velit, nolit, poſſit vel non poſſit, ut ſolvat neceſſe eſt; aut uſurarius eum ita ſuffocabit, ut illum reſpirare non permittat. O magnam uſurarii malitiam! At uſurarius ita etiam mutuatarios opprimit, *ut, ſi ſic loqui fas ſit, illos aliquo modo trucidet*.

5. *Uſurarius*, inquit S. Bernardinus, *eſt pauperum homicida. S. Bern. ſerm.* 44. *art.* 2. *c.* 2. Verum eſt, quod eos enſe, vel gladio non occidat; eos tamen trucidat, quia ab iis aufert quæ eis ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt: *Uſurarius eſt pauperum homicida; quia pauperi aufert veſtimentum, calceamentum, domum, agrum, lectum, cibum, potum, & omnem victum: & per conſequens aufert ei vitam*. Dicunt ſancti Patres; quod hi occidant pauperes, qui eos eſurientes non paſcunt; *Si non paviſti, occidiſti*. Sed quanto magis dicendum, quod eos trucident uſurarii, cum non ſolum eos non paſcant, verum & ab iis auferant quæ ad victum neceſſaria ſunt? Hi certe viri ſanguinum, & homicidæ ſunt; quia defraudant proximum, & ab eo panem, & alia ad victum neceſſaria auferunt: *Panis egentium, vita pauperum eſt; qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum. Eccli.* 34. 25.

O quam magna ergo eſt uſurariorum malitia, qui cum mutuatariorum protectores eſſe videantur, eos tamen ita opprimunt, ut illos in ſervitutem redigant, ſuffocent, & occidant! Sed ſi magna eorum eſt malitia, magna & maxima erit eorum pœna in inferno; ubi cum hæredibus ſuis in æternum graviſſima patientur tormenta, ſi inique per uſuram ablata non reſtituant.

In Inferno, inquit S. Bernardinus, habitabunt; & ditiſſime cruciabuntur uſurarii, & eorum hæredes, qui aliena non reſtituerint; *Ibi habitabunt, & ſibi invicem maledicent; dicet nempe pater filio cum eo infimul condemnato; maledictus tu ſis, fili mi, quia propter te crucior his tormentis; fui enim uſurarius, ne tu eſſes egenus; propter carnem tuam perdidi animam meam, quia injuſte te ditavi, me juſte damnavi; ut tu eſſes in mundana conſolatione, ſum ego in æterna damnatione. O maledicte fili, ut quid unquam te genui! Utinam nunquam fuiſſes in mundo, ne ego eſſem in hoc tormento! Reſpondebit filius patri; immo maledictus ſis tu pater mi: quia niſi me implicaſſes in tuis impiis lucris, nunc non eſſem in his æternis tormentis. Quia nimis amaſti me & te, quia non timuiſti Deum pro te & pro me, ideo juſte damnavit te & me. Idem facient uxores uſurariorum maritis ſuis; & quibuſcumque propinquis; & e contra, ſi injuſte participaverint impia lucra uſuræ. S. Bern. ſer.* 44. *de uſur. art.* 2. *c.* 3.

O uſurarie, non te decipiat vana divitiarum ambitio: non te ſeducat carnalis filiorum amor, ſed ſi uſuras acceperis, generoſe eas reſtitue, ut æterna inferni ſupplicia devitare, & in cælo æternum habitare valeas. *Amen*.

## DOMINICA DECIMA-QUINTA POST PENTECOSTEN.

# DE OFFICIIS FILIORUM IN PARENTES.

*Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* Luc. 7. 12.

CUm adoleſcentem, matris ſuæ filium unicum, ad ſepulchrum hodie ferri intueor, mox in mentem venit, mortem quam celerrime ad nos properare. Sed cum ad matrem afflictam, flentem & filii ſui reſurrectionem a Chriſto impetrantem me converto, non poſſum non admirari amorem parentum in filios; & ingratitudinem filiorum, qui parentibus officia ſua ex animo non impendunt.

Videte, quid pro unico filio ſuo iſta mater fecerit, ei bis vitam dedit, biſque mater ejus fuit: *primo*, cum eum genuit: *ſecundo*, cum amaris ſuis lacrymis reſurrectionem illius a Chriſto impetravit. O quantis beneficiis matri adſtrictus erat hic adoleſcens! o quanta pro tantis beneficiis ei rependere tenebatur officia! Sed o quantorum etiam quilibet filius parentibus debitor eſt beneficiorum! Tantorum quidem, ut filii parentibus nunquam reddere poſſint æquivalens: *Diis, Parentibus, & Magiſtris non poteſt reddi æquale. Ariſt.* Filii tamen, prout poſſunt, ſua parentibus officia rependere tenentur: ad quod ut illos hortemur, videamus, quæ filii parentibus præſtare debeant officia, &c. *Ave*.

VUlt Deus, ut cuique quod ſuum eſt, fideliter reddamus: *Reddite ergo omnibus debita: Rom.* 13. 7. ſed ſpecialiter præcipit, ut ſua parentibus filii officia impendant. Nec ſine gravi ratione hoc a filiis Deus exigit. Ut enim ait Doctor Seraphicus, tria a parentibus beneficia accipiunt filii, eſſe ſcilicet, educationem, & nutrimentum. Ab iis recipiunt

piunt eſſe, *Pater generat filium*: ab illis habent educationem, *inſtruit ipſum*: & ab illis ſumunt nutrimentum, *& nutrit ipſum*. Pro tribus autem his beneficiis, quæ a parentibus percipiunt filii, tria eis officia præſtare tenentur, ut ſubdit S. Bonaventura, reverentiam ſcilicet, obedientiam, & amorem. *D. Bon. ſerm. 5. de decem præcept.* Filii parentibus debent; 1. Reverentiam; *honorem reverentiæ*: 2. Obedientiam: *honorem obedientiæ*: 3. Amorem; *honorem beneficentiæ*. Reverentia, obedientia, & amor, en tria officia, quæ parentibus filii præſtare debent.

## PRIMA PARS.

*Filii parentibus debent reverentiam.*

PRæclare dixit Seneca, quod ſicut nivem eſſe candidam negari nequit, ita nec inficiari quiſquam poteſt, honorandos eſſe parentes; quia hæc eſt obligatio, quam in omnium filiorum cordibus natura inſculpſit.

Quid filios hac in parte natura doceat, non inquiram, ſed dicam, filios ad reverentiam parentibus præſtandam teneri: quia Deus præcipit, præmiat, & punit; quia Deus: 1. *Præcipit* filiis, ut honorent parentes: 2. *Præmiat* filios, qui parentes honorant: 3. *Punit* filios, qui parentibus reverentiam non præſtant.

1. In novo, & in veteri Teſtamento filiis præcipit Deus, ut parentes honorent. In novo, hæc verba legimus: *Deus dixit, Honora Patrem, & Matrem*: *Matth. 15.4.* & in veteri, iſta legi poſſunt: *Honora Patrem, & Matrem tuam. Deut. 5. 16.*

Ecce legem impoſitam, non a Solone, Lycurgo, vel aliis hujus mundi Legiſlatoribus; ſed ab ipſo Deo, qui omnibus filiis præcipit ut parentes honorent: quare humiliter & religioſe eos venerari, debitamque iis reverentiam præſtare debent.

Ut Lycurgus Lacedæmones ad leges, quas illis impoſuerat, admittendas, & ſervandas alliceret, iis ſuadere conatus eſt, eas a ſummo cælo deſcendiſſe, & a Deo Optimo Maximo datas fuiſſe: probe ſciens nullum motivum potentius, & efficacius, ad populos legibus datis ſubjiciendos, quam ſi a Deo factas & datas eſſe credant. Fingebat ille, leges ſuas a Deo manaſſe; ſed non fingimus nos, legem de honore parentum a Deo datam fuiſſe: certum etenim, Deum præcepiſſe, ut filii parentibus reverentiam exhibeant; & ideo hanc legem accurate ſervare debeat quique filii, cum a Deo ſit.

Ut protervi nonnulli filii a reverentia parentibus debita ſe liberare conentur, dicunt nonnunquam, patrem ſuum non fuiſſe ſapientem, rebus domeſticis non vacaſſe, & ſuam diſſipaſſe ſubſtantiam: dicunt etiam aliquando, patrem ſuum eſſe ſenem, ignarum, delirum, ad temporalia negotia gerenda non idoneum, & ſuæ ſalutis parum ſollicitum. Sed o rebelles filii, audite vocem Dei præcipientis, ut filii parentes honorent: *Honora patrem tuum & matrem tuam*. Non præcipit Deus, ut filii honorent ſolummodo parentes, cum ſapientes, divites, & benefici erunt, ſed abſolute omnibus filiis præcipit, ut parentibus reverentiam præſtent. Quare ſive parentes ſint ſapientes, ſive inſipientes; ſive ſint pauperes, ſive divites; ſive benigni, ſive ſeveri; eos filii ſemper venerari tenentur, quia id Deus præcipit. Honorate ergo parentes, quia Deus præcipit; ſed honorandi etiam, *quia Deus præmiat filios, qui parentes honorant*.

2. Omnes, qui legem ſuam cuſtodierint, magnis haud dubie in cœlo præmiis Deus afficiet; ſed ſpecialem aliam, etiam in hoc mundo, filiis, parentes colentibus, mercedem promittit, & impertitur, temporalis ſcilicet vitæ diuturnitatem: *Honora*, inquit, *patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. Exod. 20.12.* Quaſi dicat: ſi parentes non honores, diu in hoc mundo non vives; ſed ſi eos debite venereris, in præmium reverentiæ, quam illis præſtabis, vitam quam ab illis habes, diu poſſidebis.

Hoc longævitatis præmium, quaſi lege quadam naturæ filiis bene moratis competit. Unde experimentis pluribus conſtat, eos qui parentibus debitam non præſtant reverentiam, non diu vivere; eos vero qui eos debite reverentur, tarde mori. Hoc idem præmium, quod Deus filiis parentes honorantibus impertitur, æquitati etiam, & rectæ rationi conſonum eſſe, ait Doctor Angelicus: quia æquum eſt, ut qui accepti beneficii ſunt memores, eo beneficio diu fruantur: quare cum filii qui parentes honorant, acceptæ ab iis vitæ grati ſint, & memores, æquum eſt, ut diu vitæ beneficio fruantur.

Ecce præmium ſpeciale, quod Deus dat filiis, parentes honore debito proſequentibus. Sed aliud adhuc, etiam in hoc mundo, dat eis præmium: quia eos benedictionibus, & in vita, & in morte replet: *Honora patrem tuum, ut ſuperveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in noviſſimo maneat. Eccli. 3. 10.* In vita, benedicit eos Deus in bonis naturæ, in bonis fortunæ, in bonis familiæ, & in bonis gratiæ. In morte eos dono perſeverantiæ præmiat, & tandem hæc audire merentur verba; *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Matth. 25. 34.* O filii, parentes honorate, ut tanta conſequi mereamini præmia, ſed & illos honorate: quia Deus *ſevere punit filios, qui parentes non honorant*.

3. Filios protervos, qui parentes debito non proſequuntur honore, diris ſæpe, etiam in hoc mundo, Deus plectit ſuppliciis. Videte, quid acciderit Abſaloni, qui Davidi patri ſuo bellum indixerat; nonne in arbore ſuſpenſus fuit, & tribus lanceis confoſſus? 2. *Reg.* 18. Mementote Cham, quia parenti injurius fuit, & ipſe & tota ejus progenies maledictioni ſubjacuit: *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Gen. 9.* Nonne Ruben, quia patrem dedecorarat, juribus primogenituræ, & paterna benedictione privatus eſt? Alia his ſimilia, verum & terribiliora, ingratis multis aliis filiis in hoc mundo acciderunt: ſed quid hæc omnia, reſpectu pœnarum quibus plectentur in inferno? Heu, inquit Sanctus Bernardinus, ſi Deus his qui debita officia extraneis non præſtiterunt, dicturus ſit: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum; Matthæi 25.* qua pœna afficiet filios qui propriis parentibus debitam reverentiam denegarunt? Si Deus ita ſeverus erit in die judicii his, qui extraneis pietatis debita non ſolverunt; quanto magis iis, qui erga parentes impii extiterunt? Certe erga eos maxime ſeverus erit, ac graviſſimis eos ſuppliciis

plectet. Quare parentes ſuos honorare tenentur filii, & ut Deo præcipienti pareant, & ut promiſſa a Deo præmia obtineant, & ut ſupplicia declinent, quibus puniuntur filii, qui parentibus debitum honorem non impendunt.

His quidem, & innumeris aliis rationibus, parentes ſuos honorare debent filii; ſed, o quam pauci debito eos honore proſequuntur! Filii parentes ſuos venerari ſolent, quamdiu eos timent, vel ab iis bona temporalia expectant: ſed cum majores, ac paternorum bonorum hæredes & poſſeſſores facti ſunt, eos perſæpe contemnunt, pro nihilo habent, & quaſi onera importabilia reſpiciunt. O filii, ſemper, & ubique parentes honorate.

Filios hortatur Salomon, ut parentes verbo, opere, & patientia ſua venerentur, *in opere, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum. Eccli. 3. 9.* O filii, honorate parentes operibus, primum ſemper eis locum dando, domeſticos qui illos non venerantur corripiendo, ab iis conſilium petendo, aliaque externa reverentiæ teſtimonia eis exhibendo: *in opere*. Sed eos etiam honorare debetis ſermonibus veſtris, alloquendo eos humiliter; nec aliquod verbum proferendo, quod eis officere, vel diſplicere poſſit: *in ſermone*. Sed tandem parentes honorare debent filii patientia ſua, infirmitatibus eorum compatiendo, correptiones & monita illorum benigne accipiendo: immo; verba eorum, quamvis dura, patienter ſuſtinendo. O filii, honorare parentes, in opere, in ſermone, & *in patientia*. Sed filii parentibus *obedientiam etiam præſtare tenentur*.

## SECUNDA PARS.

*Filii parentibus debent obedientiam.*

PArentibus obedire debent filii in omnibus, quæ mala non ſunt: *Filii obedite parentibus per omnia. Ad Col. 3.* Sed filii parentibus ſpecialiter obedire debent in his quæ ſpectant: 1. Dei gloriam: 2. Suam ſalutem: 3. Oeconomiam, ſeu rei familiaris adminiſtrationem.

1. Parentibus obedire debent filii in his, quæ ad Dei gloriam ſpectant. *Filii*, inquit D. Paulus, *obedite parentibus; Eph. 6. 5.* ſed in quo iis obedient? In his quæ ad Dei gloriam ſpectant: *in Domino*. Filii parentibus obedire non debent, ſi præcipiant eis ut furentur, pejerent, de inimicis vindictam ſumant, aut alia hujuſmodi faciant, quæ Dei gloriæ adverſantur: ſed iis obedire tenentur, *in Domino*: quando ſcilicet, quæ præcipiunt, ad gloriam Dei pertinent. *Fili*, ait S. Hieronymus, *obedias patri; ſi te a vero Patre non ſeparat. S. Hieron. ad Furiam.* Sciunt omnes, quod verus & primus Pater noſter ſit Deus; cum autem terrenus pater ea jubet, quæ a Deo nos ſeparant, ejuſque gloriæ contraria ſunt, non ei obedire tenemur; ſed tunc ſolummodo ei obedientiam præſtare debemus, cum ea jubet, quæ Deum non offendunt, ejuſque honori & gloriæ non adverſantur.

Memoria dignum habemus exemplum in juvene illo Machabæo, de quo refert ſacra Scriptura; qui ſuadente matre, ut pro gloria Dei mortem pateretur, durum hoc genitricis conſilium generoſe adimpleverit & mortis acerbæ cruciatus conſtanter paſſus ſit. O filii, inquit Hieronymus, *imitamini filium Machabæum, qui matri, ſuadenti mortem, obedivit, & durum imperium gratanter aggreſſus eſt. S. Hier. de honor. parent.* O filii, licet parentes mortem pro Dei gloria obire præciperent, eis obedire quiſque deberet, ſicut ille Machabæus: ſed iis ſaltem obtemperate, cum minus dura pro Dei gloria facere jubent: eis obedite, cum prohibent, ne improborum conſortio vos immiſceatis: & cum ſacris adſtare, nec non alia quæ ad pietatem & ad Dei gloriam ſpectant, facere imperant. *Sed filii parentibus etiam obedire tenentur in his, quæ ad ſalutem ſpectant.*

2. *Filii*, inquit D. Paulus, *obedite parentibus per omnia*, ſeu, ut explicat Alexander Alenſis, *per omnia quæ honeſta ſunt, & ſaluti veſtræ conſona. Alenſis 3. p. ſum. in hoc præceptum.* Si parentes ſaluti contraria præciperent: ſi v. g. Deo puerum ad ſtatum religioſum vocante, prohiberent parentes, non eis obtemperare teneretur filius; quin potius eos in monaſterii foribus obvios conculcare deberet, ut Deo vocanti obediret: *ſi pater in limine jaceat; ſi mater ubera quibus te lactavit, oſtendat; per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & ad vexillum crucis evola.*

Sic loquitur S. Hieronymus, *S. Hier. ep. ad Heliod.* cujus verbis exponi poteſt locus ille ſacræ Scripturæ, quo jubet Chriſtus, ut parentes odio habeamus, declarans, diſcipulum ſuum eſſe non poſſe eum, qui parentes non odit: *Qui non odit patrem ſuum & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. 14. 26.* Vult etenim Chriſtus Dominus, ut parentibus non obediamus; ſed potius eos odio habeamus, & tanquam inimicos inſpiciamus, cum contraria ſaluti præcipiunt; ſed eis obtemperare tenemur, cum quæ ſaluti noſtræ proſunt, imperant: *Debemus*, ait Doctor Seraphicus, *obtemperare parentibus in exercitatione actuum virtuoſorum, ſive ſalubrium. Ib.*

Vult Deus, ut quiſque, quantum fas erit, proximi ſaluti conſulat; *mandavit unicuique de proximo ſuo. Eccli. 17. 12.* ſed hæc cura parentibus potiſſimum incumbit, reſpectu filiorum, quorum ſaluti invigilare tenentur, ac animæ illorum Deo rationem reddere: quare cum ad hoc teneantur parentes, tenentur & filii iis obedire in iis quæ profectus ſpiritualis, & ſalutis ſuæ ſunt. Sed eis etiam obedire tenentur in his, *quæ ad œconomiam, ſeu ad rei familiaris adminiſtrationem pertinent.*

3. Parentes, ſunt filiorum ſuorum ſuperiores, & quaſi prælati; quare iis quaſi ſuperioribus & prælatis obedire debent filii. Non minus ſe extendit obedientiæ debitum in filiis, quam jus prælationis in parentibus. *Ad illa*, inquit Doctor Angelicus, *ſe extendit debitum obedientiæ, ad qua ſe extendit jus prælationis. D. Thom. quodlib. 2. art. 9.* jus autem prælationis in parentibus, ſe extendit ad rei familiaris adminiſtrationem. Ut enim ait Doctor Angelicus, paterfamilias eſt in domo, *ſicut Rex in Regno*: & ideo, ſicut omnes qui Regi ſubjecti ſunt, ei obedire tenentur in his, quæ ad civilem regni adminiſtrationem ſpectant; ita & filii parentibus obedire tenentur in his, quæ ad rei familiaris adminiſtrationem pertinent.

Obedire debemus, inquit Alexander Alenſis, *Ibid.* Prælatis Eccleſiaſticis, Magiſtratibus, & Parentibus:

*Præ-*

Digitized by Google

*Prælatis* quidem, cum nonnulla Feſta celebrare, crimina a reis perpetrata ſub excommunicationis pœna revelare, & alia quæ juri eorum ſpirituali ſubſunt, facere præcipiunt. *Magiſtratibus*, in his quæ ad civilem & politicam diſciplinam attinent. *Parentibus* vero, in his quæ ad domeſticam diſciplinam, & rei familiaris adminiſtrationem ſpectant. Quod & confirmat Doctor Seraphicus, dicens: *Debemus obtemperare parentibus in diſpenſationibus temporalium. D. Bonav. ib.* Et revera ſi famuli dominis obedire teneantur, quia quædam ab eis emolumenta percipiunt; cur parentibus obedire non tenentur filii, qui ab eis omne quod ſunt, & omne quod habent, acceperunt?

Eis quidem obedire tenentur, nec lex aliqua inveniri poteſt, nec ratio quædam adduci, qua a tali debito ſolvantur. Sed, o quot filii & filiæ parentibus obedire recuſant! Quot ſunt, qui inordinata ducti paſſione contra parentum voluntatem nubunt? Quot ſunt qui mandata eorum violant, ſive ad Dei gloriam, ſive ad propriam ſalutem, ſive ad rei familiaris adminiſtrationem pertineant? O filii, parentibus obedite in his quæ Dei ſunt, quæ veſtræ ſalutis ſunt, & quæ regiminis domeſtici ſunt.

Scitote, o filii, quod omnis poteſtas a Deo eſt: & quod neceſſe eſt, omnem hominem poteſtati ſuperiori ſubditum eſſe: *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Rom. 13. 1.* quare cum Deus vos parentum poteſtati ſubdiderit, eis obtemperetis neceſſe eſt. O filii, diabolo, pravis propenſionibus, tentationibus, & peccato reſiſtite: ſed parentibus non reſiſtendum; quin contra eis fideliter & humiliter obediendum. *Sed filii debent etiam parentes amare.*

## TERTIA PARS.

*Filii parentibus debent amorem.*

DEo primum cordis & amoris noſtri debitores ſumus: ſed poſt Deum nullus eſt, quem ita diligere debeamus ut parentes noſtros: *Poſt Deum omnium Patrem, pater magis eſt diligendus. S. Hieron. comment. in c. 42. Ezech.* Norunt omnes, quod filii ad parentes amandos teneantur: *Tum*, ratione naturali, quæ hoc dictat. *Tum*, ipſa natura, quæ ad hoc inclinat: *Tum*, exemplo Chriſti, qui Joſephum & Mariam ſummo amore proſecutus eſt: *Tum* tandem lege divina quæ eos ad parentum amorem adſtringit. Sed ut filios ad parentes amandos inducam, velim ſolummodo, ut inſpiciant, quantus in ipſos fuerit parentum amor. Parentes enim eos amaverunt amore ardenti, patienti, & benefico: quare filii, ſi penitus inhumani non ſint, parentibus reddere debent amoris vicem, eoſque redamare tenentur: 1. Amore ardenti: 2. Amore patienti: 3. Amore Benefico.

1. Probe adnotavit Alexander Alenſis, nullam unquam ab hominibus legem fuiſſe factam, qua ad diligendos filios parentes adſtringerentur. *Alenſis in 3. p. ſummæ.* Hæc etenim lex inutilis fuiſſet; quia parentes ex nativa propenſione, ita ardenti filios proſequuntur amore, ut nullum affectum illo ardentiorem lex indicet: *Nullus affectus vincit paternum, nec eſt ita paternum. L. Cum furioſus C. de curato-ſuis.*

Quanto fervore filii a parentibus diligantur, patet ex hoc, quod ſæpe filios magis quam ſeipſos diligant. Parentes enim perſæpe videmus, qui ob filiorum amorem, quiete ſibi neceſſaria, omni humano ſolatio, mundi voluptatibus, ac etiam iis quæ ad victum requiruntur, ſe privant, ac ſui quaſi obliviſcuntur.

O quam fervidus hic parentum in filios amor! Sed eum adhuc ardentiorem eſſe adverto in hoc, quod nonnunquam morti adjudicati optarent parentes, ut filios a morte liberarent. Cujus rei æterna dignum memoria exemplum nobis ſacræ ſuppeditant Paginæ in Rege Davide. 2. *Reg.* 18. 33. Norunt omnes quod illum dire inſectatus eſſet ingratus filius Abſalon: cum tamen benignus ille pater audivit, occiſum fuiſſe Abſalon, torrentem profudit lacrymarum, clamans: *Fili mi Abſalon: Abſalon fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te!* Mori optaſſet David, ut filium a morte liberaret: quod & multi alii patres faciunt, qui mori cuperent, ut filios a morte præſervarent.

O quam ardenter a parentibus diliguntur filii! Quo quidem amore allici debent ad illos fervide redamandos, & ad illis vicem reddendam; *Fili, parentibus redde amoris vicem: ſiſque tibi grata vita ipſorum, quibus charior eſt vita tua, quam propria. S. Hier. de honor. parent.* Amor, ut ait Philoſophorum Princeps, *debet eſſe reciprocus. Ariſt. 9. Ethic.* quare cum parentes diligant filios amore ardenti, debent & filii eos amare amore ardenti. Sed filii debent etiam amare parentes amore patienti: *quia parentes eos amant amore patienti.*

2. Qui bene amat, gravia pro perſona amata libenter patitur: quia veri amoris character eſt, quod ſit patiens: *Chriſtus patiens eſt: 1. Cor. 13. 4.* Præclaro autem hoc charactere fulget parentum in filios amor, eos amant amore patienti: quanta enim in filiis, & propter filios patiuntur parentes? Quanta paſſa eſt mater tua cum te peperit, cum te enutrivit? Quanta paſſus eſt pater tuus, ut te doceret, ut te educaret, ut facultates tibi compararet? Quot vigilias, quot labores, quot dolores, uterque perpeſſus eſt, ut te in hoc mundo felicem faceret? Nullus non ſcit, quam multa, & quam gravia ob filiorum amorem pati ſoleant parentes. Quare & filii, ſi omnino ingrati non ſint, parentes redamare debent amore patienti, eiſque vicem rependere tenentur.

Accepta a parentibus amoris teſtimonia filii retribuere debent: *Retribue illis, quomodo & illi tibi. Eccli. 7. 30.* Quare cum parentes filios ſuos amore patienti amaverint, ac multa ob amorem illorum paſſi ſint; filii etiam ſuos amore patienti debent amare parentes, ac quæcumque dura ab illis, & propter illos perpeti. Quid enim magis inſanum, iniquum magis, quam quod filius in parentibus, & a parentibus nihil perferre velit? O filii, gravia quæque a parentibus ſunt perferenda in ſpiritu lenitatis & charitatis: hoc eſt debitum, quod ab infantia contraxiſtis. Cum enim hi tunc infirmitates veſtras æquo animo paſſi ſint, debetis & vos eis viciſſitudinem. Sicut infirmitatis veſtræ infirmitates hi perpeſſi ſunt, ita & ſenectutis eorum incommoda patienter vos perferre debetis: *Foveatur parentum ſenectus, & filiis eorum viciſſitudo reddatur. S. Hier. ib.*

De Ciconiis refert S. Ambroſius, quod parentes ſenes, nec volare valentes, in nido nutriant, eoſque pennis nudatos, tegmine alarum ſuarum dulciter foveant. *S. Ambr. hom. 5. in Hexam.* Ab irrationalibus hiſce animalibus diſcite, filii, parentibus ſenio confectis ſubvenire, eos fovere, eorumque tum animi, tum corporis infirmitates, in ſpiritu charitatis perferre. Eos amore patiente amate, ſicut & hi amore patiente dilexerunt vos. Sed filii debent etiam parentes amare amore benefico; *quia parentes eos benefice amaverunt.*

3. Quis dicat quanta amntis beneficia filiis impendant parentes? Quid non faciunt matres, ut eos in primis vitæ diebus & annis alant, & ab omnibus temporum injuriis incolumes cuſtodiant? Quid non patres ut eis acquirant, quo moriantur grandiores facti, & quo in ſæculo feliciter vivant? Quid non agunt & patres & matres, ut eis bene ſit, & ut eos honoribus & fortunæ bonis amplificent? Nunquam ſatis dici poſſet, quot beneficiis parentes filios ſuos afficiant. Filii autem, qui tot ab iis beneficia perceperunt, eos amore benefico diligere debent, iiſque amoris benefici vicem rependere tenentur. Heu! ſi vult Chriſtus, ut amore benefico diligamus inimicos; *Benefacite his qui oderunt vos: Math. 5. 44.* quanto magis vult, ut filii diligant parentes, a quibus tot amoris teſtimonia, totque beneficia perceperunt. *Exſolve fili quod debes*, inquit S. Hieronymus: quia parentes dilexerunt te amore benefico, debes eos & amore benefico diligere, quare *ſolve quod debes*, & parentes ama amore benefico.

Hoc debitum vere ſolvit hæc filia, de qua Plinius refert, quod *ſupplicii cauſa carceri incluſam matrem, cum impetraſſet aditum a janitore, ſemper excuſſa, ne quid inferret cibi, deprehenſa eſt uberibus ſuis alens. Quo miraculo matri donata ſalus, filiæ pietate, eſt. Pl. l. 7. c. 36.* Hoc debitum ſolvit filia Cimonis Ducis; quæ ut narrat Valerius Maximus, patrem conſimili fortuna affectum, parique cuſtodia traditum, jam ultimæ ſenectutis, velut infantem, pectori ſuo admotum aluit. *Valer. Max. l. 3.* Hoc debitum ſolvunt & omnes pii filii: hi enim erga parentes ſe beneficos præbent, ſicut & erga ipſos benefici fuere parentes. Sed o quam multos inhumanos & ingratos filios reperire eſt, qui parentes amore ardente, patiente, & benefico non amant! Multi quidem eos amore ardente non amant; quin contra, frigide eos alloquuntur, frigide eos ſalutant, ut ſæpe plura amoris ſui teſtimonia uni famulo, immo & uni cani exhibeant, quam parentibus. Multi etiam amore patiente parentes non amant; quin contra, nec unicum debitæ correctionis verbum, nec minimum incommodi ab his pati volunt. Multi tandem eos amore benefico non proſequuntur; quin contra, beneficia, de neceſſitate ſalutis debita, eis ſolvere recuſant.

O filii, audite Spiritum S. qui vos patricidas vocat, cum parentibus neceſſaria ſubtrahitis: *Qui ſubtrahit aliquid a patre ſuo & a matre, & dicit hoc non peccatum, homicida eſt. Prov. 28. 24.* O filii, qui parentes, ut famulos alitis, quique eis debita officia non impenditis, audite Spiritum Sanctum, ore ſanctorum Patrum Concilii III. Turonenſis, dicentem: *Ad ſe pertinentes non alere & vegetare, impium eſt, & Deo odibile.*

O quot impii filii! o quot ingrati filii, qui patres induunt ut famulos, nutriunt ut canes! o quot inhumani filii, qui quidem parentes ſenes non jugulant, ut facere ſolebant populi quidem barbari, de quibus D. Hieronymus: *S. Hier. l. 2. contra Jovin.* erga illos tamen ita dire & crudeliter ſe habent, ut non eos vivere patiantur, ſed continue mori cogant! O filii, ſi quid adhuc vobis humanitatis ſupereſt, parentes humiliter honorate, iis obedite, eos diligite. Hoc ſi faciatis, debita eis officia impendetis, & Deus debitam filiis, parentes religioſe colentibus, mercedem in cælo vobis tribuet. *Amen.*

## DOMINICA DECIMA SEXTA

## POST PENTECOSTEN.

# DE AMBITIONE.

*Cum invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco.* Luc. 14. 8.

AMbitionis virus ubique ſe diffundit, per omnia officia & gradus diſcurrit; & non ſolum Magnates, qui Aulas Regias ſequuntur, verum & Sacerdotes, qui Dei obſequio conſecrantur, immo & Clauſtrales qui monaſteriorum ſeptis clauduntur, toxicat, & veneno ſuo nonnunquam interimit: *Ambitionis vitium ſingulos occupat. Senec. l. 3. de ira c. 2.*

Peſſimum illud vitium in Cælum olim aſcenderat, ubi faſtu ambitioſo deliquerunt Angeli. A cælo in Paradiſum terreſtrem deſcendit, ubi protoparentes ambitioſe Divinitatis ſimilitudinem appetiere: & nunc totum per orbem diffuſa eſt ambitio; quæ non ſolum in Regum, Principum, & aliorum Magnatum cordibus reſidet, ſed & in Clericorum, Monachorumque ſinu aliquando dormitat: ibi ſub umbra recubat, & ſub vilibus veſtibus ſe fraudulenter occultat.

O infelix ſæculum, in quo tam regulares, quam ſæculares primum locum ambiunt, ac altioribus dignitatibus inhiant: & quod pejus eſt, in quo tam mali & indigni, quam boni & digni ad eas ſtudioſe anhelant: *Ad dignitates*, inquit S. Eucherius Lugdunenſis Antiſtes, *promiſcue cum bonis mali ambitione conſcendunt. S. Euch. in epiſt. paranet. ad Valerian.* Ut tam ſubtili, tam exitioſo, tamque univerſali malo occurramus, viros ambitioſos nunc inſectabimur, &c. *Ave.*

HOmo ambitioſus ſe prudentem credit, ſe juſtum arbitratur, ſeque felicem auſpicatur. *Se prudentem*, aliiſque prudentiorem & ſapientiorem credit: & ideo iis præferri, & præfici cupit. *Se juſtum*, aliiſque ſanctiorem arbitratur; & ideo iis præeſſe, & in virtutis exemplum proponi optat. *Se felicem* auſpicatur (ſaltem ſi dignitates aſſequi poſſit) & ideo ad eas, tamquam ad felicitatis ſuæ complementum, adſpirat, & anhelat.

Hæ ſane ſunt hominis ambitioſi cogitationes; ſed plurimum fallitur. *In eo* enim nulla eſt prudentia: aut ſi quædam in illo ſit, non quidem hæc Chriſtiana & ſpiritualis; ſed carnis & ſanguinis prudentia eſt. *In eo* etiam ſi quæ virtus & ſanctitas, non vera & realis hæc eſt; ſed ficta ſolum & apparens. *In eo* tandem ſi quæ ſit felicitas, non ſolida & firma hæc eſt;

eſt; ſed ſolum imaginaria & tranſitoria. Hæc omnia patebunt, cum probaverimus, virum ambitioſum non prudentem eſſe, ſed ſtultum; non eſſe juſtum, ſed malignum; non eſſe felicem, ſed miſerum, & infelicem. Homo ambitioſus: 1. Stultus eſt: 2. Malignus eſt: 3. Infelix eſt.

## PRIMA PARS.

*Homo ambitioſus ſtultus eſt.*

OMnis peccator ſtultus, & rationis expers eſt; quia Deum ſuum, cui omnis debetur honos, criminibus ſuis offendit. At inter hos ſtultos, quorum infinitus eſt numerus, non ultimum locum tenet vir ambitioſus, qui cum ſe prudentem, & ſapientiſſimum arbitretur; revera tamen inſipiens & ſtultus eſt, ac ita fatuus, ut: 1. Pondus dignitatum non ſentiat: 2. Terrenas cæleſtibus dignitates præponat: 3. Deum præire contendat.

2. Plurima ſtultitiæ & fatuitatis ſuæ ſigna edit vir ambitioſus: inter quæ illud adnotavit Doctor Melliſluus, quod dignitatum pondus non ſentiat; ſed ſemper magis, & magis onerari appetat: *Videmus illos qui jam propriis humeros cupitæ ſarcinæ ſubmiſerunt, non ſolum non gemere tamquam ſub onere, ſed inſuper oppetere plus onerari. S. Bernar. epiſt. 42. ad Henric. Senon. Archiep.* Ex mente D. Bernardi, & omnium Doctorum, quodlibet beneficium, quælibet prælatura, & quævis dignitas eſt onus portandum ab illo qui eam exercet; totque onera portat, quot dignitates poſſidet: homo autem ambitioſus, præ cordis duritia, & animi ſtultitia, hæc onera non ſentit: & quo magis beneficiis & dignitatibus oneratur, eo magis iis onerari cupit. Cum habet unam præbendam, quam ob imperitiam ſuam vix portare valet, hoc onus quod humeris eſt importabile, deponere non ſatagit; ſed alia & alia huic ſimilia; immo & graviora, ſine numero, & ſine fine ſemper appetit. Cum evectus eſt ad aliquam dignitatem, vel ad aliquod beneficium curatum, cujus munia obire non valet, hoc pondere non ſe exonerat; ſed aliud & aliud, etiam gravius, idque ſæpe per fas & nefas obtinere ſatagit. Non gemit ſub onere beneficiorum & dignitatum; ſed ſemper appetit plus onerari.

O quam magna hæc eſt hominis ambitioſi ſtultitia! Nonne omnium judicio ſtultiſſimus cenſeretur, qui grave onus, quo opprimeretur, nullatenus deponere vellet; ſed iterum aliis multis ſarcinis, iiſque longe gravioribus, onerari appeteret? Is quidem omnis expers rationis, ac ſtultus judicaretur. Talis autem eſt hominis ambitioſi ſtultitia: cum enim aliqua gravatur dignitate, quæ humeris ejus eſt importabilis; tantum abeſt, ut illud onus deponat, quin aliis, & aliis in infinitum onerari optat: *Non gemit ſub onere, ſed inſuper appetit plus onerari.* Ecce magnam hominis ambitioſi ſtultitiam; qui etiam ſtultus eſt: *quia magis parvas hujus mundi, quam magnas & æternas Cæli dignitates ambit.*

2. Honores, deliciæ, dignitates, & omnia hujus mundi bona nihili pendenda ſunt, reſpectu cæleſtium & æternorum: & qui æternis terrena anteponit, mente captus eſt, & inſanus: *Animus nullo modo ſanus exiſtimandus eſt, qui temporalibus æterna poſtponit. Auguſt. epiſt. 121. ad Probam c. 7.* Talis autem eſt fatuitas & inſania hominis ambitioſi: quia ſpretis inæſtimabilibus Cæli dignitatibus, terrenis ſu hiat, haſque aliis longe præponit. Unde illum cæcum & ſtultum D. Bernardus merito nuncupat, dicens: *O cæca ambitio, magis imis, quam ſummis dignitatibus delectaris. D. Bern. epiſt. 78. ad Sugger. Abbat.*

Certum eſt, quod ſicut *in domo Dei manſiones multæ ſunt*: ita & in ea throni ſunt multi, dignitateſque multæ & diverſæ. Quiſque in Cælo honoratur juxta propria merita; & dignitate meritis ſuis conformi quiſque præmiatur: minima tamen & ultima paradiſi dignitas, Regias, Imperatorias, & maximas quaſque hujus ſæculi dignitates in infinitum excedit. *Tum* quia cæli dignitates conſtantes ſunt & æternæ: *Tum* quia omnis laboris, periculi, & anxietatis ſunt expertes: *Tum* quia gaudium ſine mœrore, quietem ſine labore, conſolationem ſine afflictione conferunt; & hominem in ſtatu felicitatis & beatitudinis æternæ conſtituunt. Hujus vero mundi dignitates ſunt vanæ, labiles, fluxæ, caducæ, ærumnoſæ, & ad innumera pericula, immo ad peccata multa, & ſæpe ad æternas miſerias trahunt. Quis ergo non cenſeat ſtultum eſſe virum ambitioſum, qui, contemptis Cæli dignitatibus, terrenas venatus ad eas anhelat, iis inhiat, ſollicite iſtas inquirit, & magis noſtris, quam Cælitum dignitatibus delectatur; ac ut loquitur Chryſologus: *Parvis incubans, perdit magna; & inhians temporalibus, deſerit ſempiterna. Chryſol. ſer. 22.* O magnam hominis ambitioſi ſtultitiam, quæ adhuc major eſt: *quia Deum, quo nil majus, nilque dignius eſſe, & excogitari poteſt, præire contendit.*

3. Pugnaturus cum Leone Lyſimachus, non enſibus, & haſtis armatus, adverſus eum inceſſit, ſed pulverem, quo erat munitus, oculis ejus injiciens, eum obcæcavit, & facile debellavit. Ad eundem plane modum aſtutus ſatanas, ut de ambitioſis triumphet, non aſſumit tormenta bellica, nec alia militiæ noſtræ arma; ſed vanitatum, & dignitatum ſæculi pulverem oculis eorum injiciens, eos ita mente cæcat, ut non ſolum Deo ſimiles eſſe appetant; verum & ipſum Deum præire contendat. Non ſolum dicunt cum Lucifero, *Similis ero Altiſſimo*; ſed ita ſtulti ſunt, ut Deum, quo nil altius & majus eſſe poteſt, præire, appetant. Ut enim ait D. Bernardus, *Quoties hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum præire contendo; de ipſo namque dictum eſt: Et erat ſubditus illis. D. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt.*

Chriſtus Dominus, qui eſt Deus immenſæ majeſtatis, in hoc mundo noluit præeſſe, ſed ſubeſſe; non appetit dominari, ſed ſubjici, *non venit miniſtrari; ſed miniſtrare. Matth. 20. 28.* & tu, o vir ambitioſe, dominari, miniſtrari, & ſummo affectu præeſſe cupis? Deus tuus vult ſubjici; & tu dominari ambis? Dominus tuus miniſtrare venit; & tu miniſtrari inquiris? Ille ſubeſſe optat, ac revera ſubeſt; & tu præeſſe deſideras? Deum ergo tuum tibi poſtponis, illo altius aſcendere conaris, illumque antecedere contendis: *Quoties hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum præire contendo.*

O portentoſam hominum ambitioſorum ſtultitiam! Sed o quam ſapientes ſunt, qui imitantur Chriſtum; qui verbo & exemplo docet honores fugere, & humilitatem ſectari! De Chriſto ait Evangeliſta, quod Mariæ & Joſepho erat ſubditus: *& erat ſubditus illis. Luc. 2.* Quem locum ſic expendit Bernardus: erat ſubdi-

tus

Digitized by Google

tus illis; *Quis? Quibus? Deus hominibus: Deus, inquam, cui Angeli ſubditi ſunt, cui Principatus & poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ: nec tantum Mariæ, ſed etiam Joſepho. Mirare utrum libet. S. Bern. hom. 1. ſuper Miſſus*. Hoc ſane mirandum eſt. Sed, ut ſubdit D. Bernardus, hoc exemplo moveri quiſque debet, non ad ambiendas dignitates, ſed ad aliis obtemperandum: *Diſce, homo, obedire; diſce, terra, ſubdi; diſce, pulvis, obtemperare. De auctore tuo loquens Evangeliſta, ait, quod erat ſubditus Mariæ & Joſeph: erubeſce, ſuperbe; Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis auctori?* Erubeſce, o ambitioſe, hunc ambitionis ſpiritum in temetipſo extingue: Chriſtum imitare; & ne in poſterum ita ſtultus ſis, ut ad ſæculi dignitates ſublimari ambias. At viri ambitioſi, non ſolum ſtulti ſunt; *verum & maligni*.

## SECUNDA PARS.

*Homo ambitioſus, malignus eſt.*

AMbitio, cum ſit appetitus inordinatus honorum & dignitatum, eſt ſemper mala, Deo diſplicens, & criminoſa; ejuſque malitiam perſpicue delineavit Doctor Mellifluus, dicens, quod *ambitio eſt doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, & criminum fomes. S. Bernard. ſerm. 6. in Pſalm. Qui habitat.* Ex quo quiſque facile auſpicari poteſt, quam malignus ſit vir ambitioſus; ſed inſuper dico, eum eſſe malignum, quia: 1. Fraudulentus eſt, & doloſus: 2. Ferox eſt, & crudelis: 3. Audax eſt, & impudens ad omne malum.

1. Ambitioſi ſimiles ſunt Romulo, de quo Tertullianus ait, quod ad Romanorum Imperium *aſcendit mendacii ſcalis; Tertull. lib. 4. adverſ. Marc. 7.* ipſi enim fraudibus & mendaciis ad honores & dignitates aſcendere conſueverunt. Unde Ven. Beda, explicans hæc Libri Proverbiorum verba: *Non inveniet fraudulentus lucrum; Prov. 12. 27.* per *fraudulentum*, intelligit hominem ambitioſum; qui ut honores & dignitates aſſequatur, innumeris dolis & fraudibus utitur.

Varias hominis ambitioſi fraudes recenſent SS. Patres. D. Cyprianus ait, quod ambitioſus hoſtem ſuum aliquando ficte & doloſe adorat; ut vel eum occidat, vel ei dominari valeat: *Suos etiam hoſtes ambitioſus adorare ſimulat fraudulenter, ut incautos occidat, eiſque dominetur. S. Cypr. epiſt. 2. ad Donat.* D. Bernardus dicit, quod cum ambitioſi dignitatem aliquam obtinere deſiderant, blanditiis, ficta benevolentia, variiſque fallaciis amicitiæ ſignis eam acquirere conantur: ſed poſtquam illam adepti ſunt, timore ſibi ſubjiciunt, quos antea amore allexerant: *Cum honorem adipiſci deſiderant, cæteros ſibi prius per amorem acquirunt: cum vero adepti fuerint, elati poteſtate, eos ipſos per timorem ſibi poſtmodum ſubjiciunt, quibus prius privati, non terrorem, ſed amorem exhibuerant. D. Bernard. ſerm. 3. ex parvulis.* Aliam viri ambitioſi artem & fraudem aperit S. Ambroſius, dicens, quod fraudulenter ſe humiliat, ſeque palam omnium dignitatum indignum profitetur; ut ſimulata hac humilitate, honore dignus videatur, & dignitatem quam ambit, aſſequatur: *Curvatur obſequio, ut honore donetur; & dum vult eſſe ſublimior, fit demiſſior. Ambr. lib. 4. in Luc. c. 4.* Ecce aliquas hominis ambitioſi fraudes & aſtutias; ſed hujus vulpis ingenium & doloſ mirabiliter delineat S. Pontifex Innocentius, dicens, quod nulla eſt forma, nulla figura, quam non induat ambitioſus, ut votorum ſuorum finem conſequatur, & ad præeminentias ſublimetur. *In hunc finem*, inquit, *humilitatem ſimulat, honeſtatem mentitur; affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, ſubſequitur, & obſequitur. Cunctos honorat, univerſis inclinat, frequentat Curias, viſitat Optimates, aſſurgit, & amplexatur, applaudit & adulatur. Promptus eſt & fervidus, ubi placere cognoverit: remiſſus & tepidus, ubi putaverit diſplicere. Improbat mala, deteſtatur iniqua, alia cum aliis probat, & improbat; ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur ab omnibus, ut a ſingulis approbetur. Innoc. III. lib. 3. de contemptu mundi c. 26.* O malignas viri ambitioſi fraudes! Sed ſi malignus ſit, quia fraudulentus & doloſus: eſt etiam malignus: *quia ferox eſt, & crudelis*.

2. Quod patet in *Romulo*; qui Remum fratrem ſuum occidit, ut ſolus potiretur Regno; *in Abimelech; Judic. 9.* qui ut majori cum poteſtate & libertate regnaret, & populo dominaretur, ſeptuaginta fratres interemit. *In Athalia. 4. Reg. 11. 4.* Ochoziæ matre, quæ ut Regnum adipiſceretur, interfecit omne ſemen regium: *& in aliis innumeris* ambitioſis, qui per cædes & mortes ad altos dignitatum gradus conſcenderunt. Unde præclare dixit Chryſoſtomus, ambitionem homines in feroces & crudeles belluas transformare. *Amor Principatus, ut homo fera eſſet, efficit, Chryſoſt. in Pſalm. 7.* ambitio enim ferinam indolem, & crudelitatis bellulnæ mores ambitioſis infundit. Immo & ambitioſi ipſis brutis animantibus ſunt crudeliores, illa ſiquidem progenitores ſuos non occidunt; & ambitioſi, dominandi libidine moti, propriis parentibus nonnunquam necem machinantur, & eos a quibus eſſe & vitam accepere, crudeliter interficiunt: *Ubi ſolatium patres & progenitores invenire debent, inveniunt mortem; cum brutæ pecudes pietatis in parentes jura conſervent. Chryſoſt. homil. de Abſalon.*

In hujus rei exempla adduci poſſent *Tullia*, quæ patris corpus equorum pedibus conculcans, ad ſolium aſcendit; & *Abſalon*, qui in patrem ſuum David inſurrexit, ut illum a throno deturbaret, regiumque ſolium invaderet. Sed Herodem & Judam, tamquam horrenda hujuſce crudelitatis exempla, hic ſolum adducam, hi ſiquidem adverſus Chriſtum Dominum, Patrem & Creatorem ſuum, impudenter inſurrexerunt, eique mortem molliti ſunt.

De Herode ſacrum teſtatur Evangelium, quod odio, & regnandi cupiditate ductus, Chriſtum puerum, adhuc in cunis vagientem, occidere, & perdere conatus ſit, *Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Matthæi 2.* De Juda etiam certum eſt, quod Chriſtum prodiderit; ſed unde ei animus prodendi, & perdendi Magiſtrum? Ex ambitione. Et ideó poſtquam revelavit Chriſtus, ſe ab uno ex Diſcipulis prodendum, mox ab invicem petierunt Apoſtoli: *Quis eorum videretur eſſe major? Luc. 22.* Petierunt, quis ex eis honores, & dignitates ambiret? Scientes, quod nonniſi vir ambitioſus Chriſtum prodere, eique mortem moliri poſſet; & quod ille futurus eſſet Chriſti proditor, qui inter illos erat ambitioſus:

Digitized by Google

tioſus: *Arbitrati ſunt*, ait Auguſtinus, *quod ille qui major eſſe appetit, ut dominari poſſit, Magiſtrum prodere procurat. Aug. ſerm. 29. ad Fratr. in Erem.* Ille autem ambitioſus, qui Chriſtum prodidit, & morti tradidit, fuit Judas. Ad hæc quis hominis ambitioſi crudelitatem non horreat? Quis eum eſſe malignum non fateatur? Malignus quidem eſt; cum ſit fraudulentus & crudelis. Sed eſt etiam malignus; *cum ſit audax & impudens ad omne malum.*

3. D. Bernardus hominis ambitioſi intolerabilem judicat impudentiam, quia inflatur & intumeſcit, dum Chriſtus, cujus majeſtas eſt infinita, ſe humiliare, & exinanire vult, *Intolerabilis impudentia eſt; ubi ſe exinanivit Majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat. S. Bern. ſer. in Nat. Dom.* Sed hominis ambitioſi impudentia eſt etiam magna, quia audax eſt & impudens ad omne malum perpetrandum; cum enim ei dominatur appetitus dominandi, pietatis, religionis, & omnis virtutis obliviſcitur, omnia audacter ſubit pericula, & omnia perpetrat peccata, ut aſcendat ſuperius, & dignitates majores aſſequatur, *Propter ambitionem paratos eos videas, omnia pericula ſubire, ſuſcitare ſcandala, ſuſtinere odia, diſſimulare opprobria, negligere maledicta. Ep. Judæ 3.*

Quod præclare docet nos Spiritus Sanctus cum ambitioſos illos homines vocat, *Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones.* Sicut enim irati maris fluctus ſpurcitias quaslibet evomunt, & in littus magno cum fragore projiciunt, ita hominis ambitioſi cor, paſſionum multarum fluctibus agitatum, audacter invidiam, vindictam, ſacrilegia, & plurima alia evomit ſcelera, ac in ſui ipſius confuſionem, impudenter ſimonias perpetrat, in iras erumpit, fraudes molitur, inſidias parat, hypocriſi plures decipit, & infanda quævis crimina ad aſſequendas dignitates committit.

O infandam ambitionis malitiam! o quam maligni viri ambitioſi! Maligni ſane, cum fraudulenti, crudeles, ac ad omne malum audaces & impudentes ſint. Quare ambitionem exhorreſcite, fugite, & procul a vobis pellite. Intra voſmetipſos dicite, homo ambitioſus ita malignus eſt, ut fraudibus multis in altum aſcendere conetur; ita malignus eſt, ut crudelitate ſua viam ad dignitates ſæpe ſibi faciat; ita tandem malignus eſt, ut impudenter ad quodcumque malum, & ad quævis peccata declinet, quare ab ambitionis vitio abſtinebimus. Sed ſi abſtinendum ab ambitione, quia viri ambitioſi ſunt maligni; ab ea etiam abſtinendum, *quia viri ambitioſi ſunt infelices, & miſeri.*

## TERTIA PARS.

*Homo ambitioſus infelix eſt.*

Divites avaros Doctor Mellifluus ſemper infelices arbitratur, & antequam divitias acquirant, & cum eas poſſident, & cum illas amittunt, quia ſcilicet *divitiæ cum labore acquiruntur, cum timore poſſidentur, cum dolore amittuntur. S. Bern. de quinque neg.* Non diſſimili modo viri ambitioſi ſemper miſeri & infelices cenſendi ſunt. 1. Antequam dignitates aſſequantur: 2. Cum eas poſſident: 3. Cum eas amittunt.

1. Antequam dignitates aſſequatur vir ambitioſus, tanto cordis affectu ad eas anhelat, ut vix ſufficientem ſomnum capere queat. Tunc coanguſtatur cor ejus vili illa dominandi paſſione; tunc innumeris agitatur curis & ſuſpicionibus; nunc ſollicitudinibus, timoribus & anguſtiis mens ejus turbatur; tunc ſemper timet, ne aliquid dicat, vel faciat, quod in oculis hominum valeat diſplicere; tunc tandem injurias, contumelias, repulſas, & quoſcumque labores libenter patitur, ut quod ambit, obtinere poſſit: *Gloriæ cupidos videmus, ut ad deſiderata perveniant, ſoles, imbres, glacies, fluctus, & procelloſiſſimas tempeſtates, aſpera & incerta bellorum, immanium plagarum ictus, & vulnera horrenda, culpabili voluntate perferre. Aug. de patient. cap.....* O quam infelices ambitioſi, qui per tot labores aſcendunt ad honores!

Tanta eorum eſt infelicitas antequam dignitates aſſequantur, ut merito vanitatis & gloriæ Martyres dici poſſint: non enim minus gravia ſunt, quæ pro tranſitoria quadam dignitate obtinenda perferunt; quam quæ multi Martyres pro æterna beatitudine adipiſcenda paſſi ſunt. Heu! quanta paſſi ſunt Romani, terra, marique, dum arma ſua adverſus exteras gentes moverunt? *Hi*, non ſecus ac D. Paulus, *fuere in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti. 2. Corinth. 11. 26.* Hi omnia hæc perpeſſi ſunt, vitamque ſuam, honorem, & omnia fortunæ bona diſcrimini commiſerunt, non ob alium finem, quam *ut magnum eſſet Imperium. Aug. l. 10. civ. c. 9.* Hi pro volatico inanis gloriæ incremento, & pro dilatando Imperio, dolores corporis, animi anxietates, pericula multa, & plures ſubiere labores quam ipſi Martyres, qui fuſo ſanguine cæleſtia regna adepti ſunt. Illis autem ſimiles ſunt plerique ambitioſi, qui ad vanos non aſcendunt honores, niſi per anguſtias, & labores; & ideo miſerrimi, ideo infeliciſſimi: *Miſerrima omnino eſt ambitio, & honorum contentio. Cic. l. 1. Offic.* Sed ſi ambitioſi infelices ſunt antequam dignitates aſſequantur; *infelices etiam ſunt, cum eas poſſident.*

2. Suadet ambitioſis aſtutus ſatanas, quod ſi hanc vel illam dignitatem obtineant, ab omni labore & anxietate erunt liberi; aliis, nemine adverſante, dominabuntur, profunda gaudebunt pace, & quæcumque deſiderabilia poſſidebunt. At cum dignitatem aliquam aſſequuntur, infelices eſſe non deſinunt; ſed eorum mutatur & augetur ſæpe infelicitas: *Finis miſeriarum non obtinetur, ſed ſubſtantia mutatur.* Quod & ipſi ambitioſi multis experientiis noverunt; plerique enim, cum dignitates quibus inhiabant, obtinuerunt, mox ad honoris & felicitatis culmen aſcendiſſe credunt; ſed non multo poſt, ſe infelices, miſeros, aliis oneroſos ſibi graves, totque miſeriis gravatos experiuntur, ut perſæpe dignitates accepiſſe, illos pœniteat; & ſi humani reſpectus vinculis, ſpiritu ſuperbiæ, vel diabolica quadam faſcinatione non detinerentur, iis ſe facile ſpoliarent, ut in noviſſimo loco recumberent. Ut enim ait Boetius, *Dignitatum poſſeſſio, eſt plena pænitentia.*

Bonum vinum a ſitiente avide deſideratur; ſed homini jam ebrio faſtidium & nauſeam parit: *Eadem vina poſteriori uſu depretiantur. Tertullianus lib. de anim. c. 17.* Simili modo dignitates ab ambitioſis ardenter deſiderantur & ſitiuntur; ſed cum eas poſſi-

Digitized by Google

poſſident, earumque fumo & vanitate ſunt inebriati, eas faſtidiunt & parvipendunt. Antequam quis ſolium, vel locum excelſum obtineat, in eo auguratur pacem, quietem, & omnem felicitatem, dicitque in corde ſuo: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*; ſed poſtquam dignitatem quam ambiebat, aſſecutus eſt, labores, anxietates, amariſſimam amaritudinem & miſeriam ſæpe invenit, ubi dulcedinem, pacem, & felicitatem auſpicatus erat, unde non ſemel in corde ſuo dicit: *In pace amaritudo mea amariſſima*. Sed ſi viri ambitioſi infelices ſunt, cum dignitates poſſident; *infelices etiam ſunt, cum eas amittunt*.

3. Quamdiu viri ambitioſi dignitates poſſident; felices ſunt ſimul & infelices: gaudent ſæpe, flent ſæpius; vita illorum bonis & malis, deliciis & mœroribus mixta eſt. Sed in morte, cum ſuas amittunt & relinquunt dignitates, omne gaudium, omniſque eorum ceſſat conſolatio, & in cordis ſui amaritudine ex hoc mundo exeunt: *Gaudent Principes, & dominantes in populo, & qui Mundi obtinet dignitates, ſuper dominio, honore, & gloria quæ naſcitur inde. Aderit quamprimum mors, & ceſſabit cum gloria gaudium. S. Bernardus ſerm. 4. in octav. Epiphan.* Cum mortis eorum appropinquat hora, eorum & augetur miſeria; & quo illorum fuit vita felicior, eo mors eſt durior, quando voluptates, & dignitates relinquendæ ſunt: *Multo violentior mors, quæ tunc mori affert, cum jucundius vivere eſt in exultatione, in honore, in voluptate. Tertullianus lib. de anim. cap. 52.*

Mors quidem non terribilis; ſed potius amabilis eſt & deſiderabilis humilibus mancipiis, ruſticis, & plebeis, qui in hoc mundo omnium ſunt peripſema; qui vivunt in fame & ſiti, in frigore & nuditate; quorum labores ſunt continui, paupertas oneroſa, converſatio animalis, & mores agreſtes. Sed cum inſtat mors hominis ambitioſi, ſupra illia ſedentis; cum cadit a dignitate & a vita homo ſuperbus, quem omnes colebant, & venerabantur; cuique cuncti ridebant, adulabantur, applaudebant & obſequebantur; tunc dolor & tremor artus ejus invadunt; dolet propter dignitates quas amiſſurus eſt, & tremit propter duriſſimum judicium quod ſubiturus eſt. Tunc viri ambitioſi ſe infeliciſſimos arbitrantur propter honoris culmen quod ambierunt, & propter rationem quam ſupremo Judici de omnibus culpis, in officiorum ſuorum exercitio commiſſis, reddituri ſunt. Tunc dolentes, & amara emittentes ſuſpiria, clamant, o quam felices fuere Antonius, Paulus, & alii viri Sancti, qui in locis ſolitariis inhabitarunt! O quam fortunati Religioſi, qui humilem & abjectam pro Chriſto vitam ſunt amplexi, dum nos miſeri honorum culmen, anima bibula, & nimio affectu exquiſivimus.

Tunc optarent, ſylvas incoluiſſe cum ſolitariis, eremos habitaſſe cum anachoretis, intra fœtentem latitaſſe tumulum cum Athanaſio, ludibria, & opprobria pertuliſſe pro Chriſto cum innumeris viris ſanctiſſimis. Tunc quilibet ambitioſus, ſi non ſit mente captus, hæc aut ſimilia in corde ſuo verba proferet, quæ Leo undecimus, inſtante morte, ſuo dixit Confeſſario: *Quam melius fuiſſet mihi, ſi Monaſterii, quam cæli clavem tenuiſſem.* Tunc tandem infelices ſe arbitrantur ambitioſi ex hoc, quod ad dignitates evecti fuerint, ſuamque deplorant infelicitatem cum Adriano ſexto Summo Pontifice; qui illud ſepulchro ſuo ſculpi curavit epitaphium: *Adrianus ſextus hic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita, quam quod imperare, duxit. Platina in vita Pont.* Et revera nihil infelicius homine ad dignitates evecto, cum, morte adveniente, omni felicitate mundique gloria ſpoliatur; & honores quos nimio ſtudio exquiſierat, amittit. Sed adhuc longe major erit hominis ambitioſi infelicitas, ſi antequam efflet animam, ad Deum non convertatur; ſi illius placare non valeat iram, ejuſque gratiam non obtineat. Quare, o viri ambitioſi, convertimini ad Dominum Deum veſtrum, ut gratiam & gloriam obtineatis. *Amen*.

## DOMINICA DECIMASEPTIMA POST PENTECOSTEN.

# DE IGNE INFERNI.

*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matthæi 7. 19.

SIcut nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum: ita inquit Sanctus Chryſoſtomus, *nec in cor hominis aſcenderunt tormenta, quæ offendentibus ſe præparavit Deus in inferno, qui eſt ſtatus omnium malorum aggregatione peſſimus. Chryſ. lib. de repar. lapſi.*

Ibi, ut ait Doctor Angelicus, *affligentur reprobi ab omnibus quatuor elementis: D. Thom. in 4. diſt. 50. art. 2. ad 3.* affligentur *a terra*, in cujus centro, veluti in teterrimo carcere æternum claudentur: *ab aere*, cujus peſtiferos continue afflabunt odores: *ab aqua*, in qua intolerabile frigus perferent: *ab igne*, cujus ardoribus perpetuis cruciabuntur.

Graviſſima quidem, quæ reprobi in inferno a quibuslibet elementis perpeſſuri ſunt ſupplicia; ſed omnium tormentorum ſenſibilium haud dubie majus eſt illud, quod ab igne patiuntur. Quid enim durius, quid acerbius, quam in medio voracium tartari flammarum in æternum manere, vivere, uri, & cruciari? Hæc ſane omnium ſenſibilium pœnarum eſt maxima: *ſummam ignium pœnam. Tertullianus lib. ad Matth. 4.* O peccatores miſeri certi eſtote, quod hæc pœna vos maneat in inferno, ſi in hoc mundo pœnitentiam, & fructus æternæ vitæ dignos non egeritis: *quia omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & ignem mittetur.* Ut formidandam tartarei ignis pœnam quiſque vitare ſatagat; qualis ſit ille ignis, tota hac concione explicabo, &c. *Ave.*

HIc noſter ignis, quo in hoc mundo utimur, & quem requirit uſus vitæ humanæ, urit, devorat, & torquet. *Urit* quidem: quia ſicut proprium eſt aquæ refrigerare; ita & ignis proprium eſt urere. *Devorat* etiam: quia tanta vi in objecta ſibi corpora agit, ut ea facile deſtruat, & ea nonnumquam in ſui naturam convertat. *Torquet tandem*: quia ex omnibus ſuppliciis ad reos torquendos adinventis, nullum igne gravius, intolerabilius nullum.

Ignem noſtrum urere, devorare, & torquere fatentur omnes; ſed velim, ut quiſque advertat, quod ſi

ignis

ignis noſter urat, urendo lucet; ſi devoret, devorando conſumit; ſi torqueat, torquendo dat iis qui torquentur aliquid intermiſſionis, illoſque cito torquere deſinit, aut quia ignis extinguitur, aut quia illi extinguuntur & moriuntur.

En qualis ſit ignis, quo in hoc mundo utimur; ſed ab hoc noſtro igne longe alius eſt ignis tartareus, de quo jam dicturi ſumus. Verum quidem, quod ignis inferni non ſecus ac noſter, urat, devoret, & torqueat; ſed ut jam probandum ſuſcipio, ignis inferni. 1. *Urit*, & non lucet. 2. *Devorat*, & non conſumit: 3. *Torquet*, & torquere nunquam deſinit. En tres hujus concionis partes, quibus qualis ſit ignis inferni, clariſſime conſtabit.

## PRIMA PARS.

*Ignis inferni urit, & non lucet.*

1. SI verum ſit, ut ait Sanctus Anſelmus, quod *ignis inferni ſic iſtum materialem ignem vincit, ut iſte pictum*; certum eſt, quod tartareus ignis, quia a Deo accenſus eſt, ut in peccatores impios ſæviat, multo ardentius urat, quam noſter ille ignis, qui ad uſum vitæ humanæ datus eſt. Et hoc clariſſime docet S. Gregorius Magnus, dicens, ignem inferni non arte humana accendi, non putridis lignis nutriri; ſed ex divinæ providentiæ ordinatione, in æternum reprobos urere, *gehennæ ignis, ut in ſe miſſes reprobos exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur; ſed creatus, ſemper durat inextinguibilis. S. Greg. lib. 10. Dialog. in Job*: In hoc mundo, cum a juſtitia ſæculari reus quidam igni adjudicatus eſt, ille qui rogum præparat, homo eſt: in inferno vero non ab hominibus, ſed a Deo paratur ignis ad comburendos reprobos, *nec ſtudio humano ſuccenditur*. In hoc mundo, ad comburendos reos, lignis uti ſolent carnifices, in inferno vero, accendet Deus ignem in furore ſuo, qui non lignis, ſed Dei opera nutrietur, *nec lignis nutritur*. In hoc ſæculo, cum quis in ignem comburendus injicitur, ignis non illum ſemper, & in æternum comburit; in inferno vero accenſus a Deo ignis reprobos ſemper, & in ſempiternum comburet, *ſed creatus ſemel durat inextinguibilis*.

Sanctus Chryſoſtomus, ut ſuadeat, tartareum ignem noſtro longe melius, & ardentius urere, ait in inferno eſſe ignis magnum mare, *Reprobi*, inquit, *in ignis fluvium, atque pelagus intrudentur, pelagus impertranſibile, atque magnitudine acerbiſſimum; in quo ignei fluctus inſtar montium eriguntur. Chryſoſtomus hom. 45. in Matthæi*. Lactantius docet, ignem inferni, inſtar aquæ eſſe fluidum. *Ignis ille eſt purus, & in aquæ modum fluidus. Lactant. lib. 7. c. 21.* S. Joannes Evangeliſta ait, in inferno tantam eſſe fluidi illius ignis quantitatem, ut ex eo fiat lacus, & ſtagnum quoddam igneum, in quod mittentur reprobi. *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure. Apocal. 21. 8.* At Sanctus Joannes Chryſoſtomus aſſerit, in inferno non ſolum eſſe ſtagnum, lacum, vel fluvium ignis; ſed *ignis pelagus impertranſibile, atque magnitudine acerbiſſimum, in quo ignei fluctus, inſtar montium eriguntur*: o quam acriter ergo, o quam ardenter urit ille ignis!

Vidiſtis forte, quod, cum ad campanas, vel machinas bellicas metalla liquantur, e fornace egreditur quaſi rivulus liquati metalli, quod ſimul, & fluidum eſt velut aqua, & rubrum velut ignis? liquatis autem iis metallis quodammodo ſimilis eſt ignis inferni; qui in terræ centro undequaque collectus eſt, quaſi ignis fluvius, aut *pelagus impertranſibile, in quo ignei fluctus inſtar montium eriguntur*. Imaginamini nunc, & animo fingite mare aliquod, vel magnum hujuſmodi ignis ſtagnum, & recogitate, quantam urendi vim haberet ille ignis: nonne certum, quod quaſi in ictu oculi, magnam lignorum ſtruem, domos integras, & quidquid in illum injiceretur, combureret? Quid ergo ſentiendum de tartareo igne? Quid de ignis illius pelago? Nonne credendum, quod reprobos quam potentiſſime, & ardentiſſime exurat? Certum ſane, quod illos ita exurat, ut ſi per Dei potentiam ad majus ſupplicium non conſervarentur, mox ab illo igne deſtruerentur, & quaſi ad nihilum redigerentur.

2. Urit ergo, & ardentiſſime urit ignis inferni; hac de re nullus dubitandi locus; ſed quod mirabile ſimul, & horrendum eſt, licet ignis ille tam acriter urat; *non tam lucet*. Ignis noſter ardet ſimul, & lucet, ignis vero inferni ardet quidem, & urit; ſed non lucet: *ardet, & non lucet*, inquit S. Anſelmus, *in Elucid.* & ut ait S. Baſilius, ignis ille urendi vim habet; ſed luce caret, *ignem, urendi vim habentem: ſed privatum ſplendere. Baſilius in Pſalm. 33.*

Deus in inferno virtutes ignis dividit, & intercidit; *vox Domini intercidentis flammam ignis. Pſalm. 28. 7.* Ignis ex ſua natura, virtute duplici pollere ſolet; habet enim virtutem urendi, & virtutem lucendi; Deus autem in Inferno duplicem hanc virtutem dividit: quia ab igne aufert lucendi virtutem, relicta ei virtute urendi. Unde facta a Deo hac diviſione & ſeparatione, ignis ille tartareus urit & non lucet: *Hæc flamma comburit, ſed nequaquam tenebras diſcutit. S. Greg. lib. 9. Moral. cap. 38.*

In fornace Babylonica ignis lucebat, & non ardebat, lucebat ad oblectandos pueros, & non ardebat ad illos torquendos. In inferno vero e contrario, ignis ardet, & non lucet; ardet ad cruciandos reprobos, & non lucet ad illorum oblectationem: *Nequaquam lucet ad conſolationis gratiam; ſed comburit ad doloris augmentum. Ib. c. 49.*

Certum eſt, quod tenebroſus ſit inferni ignis, quia in inferno ſunt tenebræ: dicunt tamen nonnulli Doctores, quod tenebroſus ille ignis aliquid lucis emittat, qua mediante damnati videnr ea, quorum viſio tormenta illorum augere poteſt: *Ignis*, inquit Sanctus Iſidorus, *lucebit miſeris ad augmentationem pœnæ, ut videant unde doleant; & non ad conſolationem, ut videant unde gaudeant. S. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono.*

Ultrix illa flamma aliquid lucis emittet qua mediante reprobi videbunt objecta, quorum conſpectu pœnæ eorum augeri poterunt. Mediante hac luce videbunt horrenda incendia quibus addicti ſunt; videbunt innumeros dæmones a quibus in ſempiternum torquendi ſunt, & videbunt ſcelerum ſuorum ſocios, a quibus maledicentur. Pater videbit filium, pro cujus amore a juſtitia deflexit; avunculus nepotem, quem, licet ineptum, ad dignitates ſublimavit; & mater filias, quibus, non chriſtianæ religionis, ſed vanitatis & voluptatis documenta dedit. Illic juvenes, ad majus ſupplicium in mediis ignibus vociferantes, videbunt adoleſcentulas quas deperierunt,

Illic

illic ſpectra, monſtra horrenda, tetros dæmones, & alia his ſimilia ad majus tormentum videbunt omnes reprobi. Et ut ait Doctor Angelicus; *Ignis ille habebit aliquid luminis, quantum neceſſarium eſt ad videndum ea, quæ animum torquent. D. Thom. 2. 2. quæſt. 16. art. 2. ad 3.*

O quam grave, o quam durum reprobis, a tenebroſo hoc igne indeſinenter uri, & in mediis tenebris ſemper vivere! Poſtquam cæcus factus eſt Tobias, nullum in hoc mundo ſolatium, & gaudium ſe habere poſſe credidit, quia aliquibus annis in tenebris vivere cogebatur: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video? Tob. 5. 12.* Sed, heu! Quam durius damnatis, in medio tenebricoſi ignis in æternum vivere, & ſemper uri! Horreſcit anima, cum ignem illum urentem recogito: horreſcit, cum ignem hunc non lucentem, & tenebricoſum mente volvo. Heu! ſi noctis unius tenebræ tædium generant, ſi cum nocte quadam, dentium, vel alvi dolore premeris, amare fles, crebroſque edis gemitus, ita ut te tædeat vivere: quomodo in medio ignis urentis, & non lucentis, non unica dumtaxat nocte, ſed annis plurimis, & in æternum manere poteris? O mulier delicata, quæ pro Chriſti Domini amore, vel minimum quid pati recuſas, o adoleſcens diſſolute, qui illicitis carnis voluptatibus indulges, o peccator, tu qualiſquiſque ſis, quomodo in medio tenebricoſi illius ignis ſemper remanere, & vivere valebis? Hoc ſæpe cogita, hoc animo verſa, ut hac cogitatione ad omnia peccata vitanda exciteris. At de igne inferni dicamus, quod non ſolum urit, & non lucet: *ſed etiam quod devorat, & non conſumit.*

## S E C U N D A P A R S.

*Ignis inferni devorat, & non conſumit.*

1. HÆc eſt differentia noſtrum inter, & tartareum ignem, quod noſter ille ignis, quem uſus vitæ requirit, agat ſolummodo vi ſibi innata; ſed ignis tartareus, quo Deus ut juſtitiæ ſuæ vindicativæ inſtrumento utitur, non ex nativa ſolum vi agit, verum Dei flatu, & virtute, modo extraordinario ſuccenditur, & ad potentius agendum elevatur, *flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam. Iſaiæ 30.* Hic autem ignis, ſic a Deo ſuccenſus, & elevatus, ita acriter, & fortiter agit in reprobos, ut non ſolum eos urat, ſed etiam devoret: *devorabit eos ignis. Pſalm. 22.*

Ut aliquam tartarei ignis ideam habeamus; in mentem revocare, & animo volvere ſolemus maxima quævis incendia, quæ unquam in hoc mundo facta eſſe ſcimus; ſed, ut ait Hugo Cardinalis, hæc omnia incendia, ſunt velut ignis ſcintilla, reſpectu tartareæ fornacis. Ignis ille qui Nadab & Abiu, filios Aaron, ſubito devoravit, *Eſt veluti ignis ſcintilla.* Ignis ille egreſſus a Domino, qui interfecit ducentos quinquaginta viros, ut narratur in libro Numer. *Eſt veluti ignis ſcintilla.* Fornax illa ardens, in quam miſſi ſunt tres pueri, cujus flamma furſum aſcendebat cubitis quadraginta novem, *Eſt veluti ignis ſcintilla.* Magnum illud incendium, quo urbs Sodoma, ſimul cum incolis ſuis, quam citiſſime in favillam eſt redacta, *Eſt veluti ignis ſcintilla*, reſpectu tartareæ fornacis. Quid ergo fiet de reprobis in medio tartarei ignis exiſtentibus? Hi ab igne devorabuntur: *Devorabit eos ignis.* Ab igne quidem devorabuntur; non tamen conſumentur; quia ignis inferni reprobos ita devorat, *ut eos non abſumat.*

2. Non parvum eſſet ſolatium impiis, in tartarum projiciendis, ſi præviderent, ſe ab inferni igne totaliter conſumendos, & ad nihilum brevi redigendos, quia ſic certi eſſent, tormenta ſua cito finem habitura, nec diu duratura. Sed ea non fruentur conſolatione: quin contra, Deo ſic ordinante, ab igne tartareo continue devorabuntur, nec tamen unquam ab eo abſumentur. Ut enim dicitur in libro Job; impius ſevere punietur ob cuncta quæ in hoc mundo perpetravit ſcelera, numquam tamen ab igne conſumetur: *Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur. Job 20. 18.*

Cum impius in medio voracium inferni ignium erit, optabit non amplius vivere, ut non ultra patiatur: mortem millies deſiderabit: ac annihilari toto cordis affectu appetet, ut torqueri deſinat; ſed fruſtra: quia Deus flatu ſuo ſuccendet ignem, a quo indeſinenter devorabitur impius: *nec tamen conſumetur.* In ſæculo Deus impium conſervabat, ad hoc ut pœnitentiam ageret, & converteretur: ſed quia pœnitentiam agere recuſavit, eum Deus in inferno conſervabit, ut ſemper vivens, ſemper moriatur, ſemperque crucietur. In hoc mundo impius malignis uſus eſt adinventionibus, ut in Deum peccaret, & in inferno, mirabili, & terribili adinventione faciet Deus, ut ſemper devoretur ab igne, nec unquam abſumatur: *Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur: juxta multitudinem adinventionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit. Ibid.*

Refert Plinius, olim prohibitum fuiſſe, corpora fulmine percuſſa, igne conſumere, & in cineres redigere: quia conſervabantur, ut eſſent publica indignationis, & juſtitiæ divinæ exempla. Quod & adnotaſſe videtur Tertullianus, dicens: *Qui de Cœlo tangitur, ſalvus eſt, ut nullus jam igni decineraſcat. Tertullianus Apol. 48.* Sed terribilior erit Dei juſtitia in damnatos; eos enim in inferno, tamquam in formidando vindicativæ juſtitiæ ſuæ altari ſemper conſervabit: eoſque ita ab igne uri faciet, ut numquam abſumantur: *Ignis hic non abſumit, cum exurit. Ibid.* Numquam abſumentur ab igne inferni, ut ſint æterna juſtitiæ, & indignationis divinæ monumenta.

Caſſiodorus ait, tartareo igni datam a Deo virtutem quandam ſervatricem, ita ut damnatorum corpora ſemper devoret, numquam tamen abſumat: ſed ea ſemper ad pœnam, & tormentum mirabiliter conſervet: *Servabit ut cruciet; dabiturque miſeris vita immortalis, & pœna ſervatrix. Caſſiod. in Pſalm.* O portentoſum ignem, qui devorat & ſervat: torquet devorando, & ita devorat ut adhuc ſervet ad ulteriorem pœnam, & ad prolixius ſupplicium. Sicut lapis, *Albeſton* nuncupatus, ſemper ardet & numquam conſumitur, ita reprobi in mediis tartari flammis ſemper ardebunt, urentur ſemper, & numquam abſumentur. Sicuti in Sicilia mons Æthna, in Regno Neapolitano Veſuvius, & alibi ſunt alii quidam montes, qui ſemper ardent, qui flammas ſæpiſſime emittunt, nec tamen unquam conſumuntur: ita & damnati in inferno ab igne devorabuntur, & conſervabuntur: *ignis ille ſævit, & parcit, cruciat, & reſervat. Auguſtinus ſerm. 227. de Temp.*

Ita

Digitized by Google

Ita cruciabuntur, ut tamen nunquam abſumantur.

O quam immane illud ſupplicium! o quam durum, & intolerabile, ab igne ſemper devorari, & numquam conſumi! Sed heu! Quis ex vobis habitare poterit cum igne ſemper devorante, & numquam conſumente: *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* Quis ex vobis, Principes, nobiles, & divites, qui epulamini quotidie ſplendide, qui induimini purpura, & byſſo, quique in lectis mollibus decumbere ſoliti eſtis? Quis ex vobis, juvenes diſſoluti, qui Veneri, Baccho, & omni vitiorum generi licentius indulgetis? Quis ex vobis, adoleſcentulæ, quæ vanis veſtris ornamentis, veſtriſque immodeſtis geſtibus homines ad peccandum allicitis? Quis tandem ex vobis, peccatores miſeri, *poterit habitare cum igne devorante?* Heu! Si quadrageſimale jejunium vos terret: ſi tranſitoriam hujus mundi pœnitentiam reformidatis: ſi noctem unam in molli lecto inſomnem ducere, ſupplicium reputatis: quomodo in mediis tartari flammis decumbere, & habitare poteritis? Quomodo intra hunc ignem devorantem, & non conſumentem remanere valebitis? Piam hanc cogitationem ſæpe animis veſtris verſare. Dicat unuſquiſque veſtrum, & crebro dicat: heu! Quomodo habitare potero cum igne illo devorante? Hoc dicite: hoc recogitate: taliſque cogitatio vos ad pœnitentiam, & ad meliorem vitæ frugem inducat. Ignis inferni damnatos devorat, & non conſumit, hoc terribile eſt. Sed ignis ille *eos torquet*, *eoſque torquere numquam deſinit*: hoc adhuc terribilius.

## TERTIA PARS.

*Ignis inferni torquet; & torquere numquam deſinit.*

1. EX his quæ jam diximus, clare conſtat, reprobos in inferno ab igne graviſſime torqueri: ſi enim ignis eos continue urat, & devoret, optime inde ſequitur, quod eos etiam graviter torqueat, & cruciet.

Eos quidem graviſſime torquet, & omnium ſenſibilium tormentorum quæ perferunt damnati, nullum igne gravius. Immo, ut ait Sanctus Hieronymus, in uno igne omnia alia tormenta videntur eſſe collecta: *In uno igne omnia ſupplicia ſentiunt in inferno peccatores. S. Hieronymus in Pammach.* Sed ut quiſque ſibi facile ſuadeat, reprobos ab igne tartareo dire torqueri, audiatur dives avarus, qui in mediis inferni ignibus clamat, dicens: *crucior in hac flamma. Luc.* 16. Sic clamat epulo, & ſic clamant omnes reprobi: quia, ut ait S. Fulgentius, *hi intolerabilia in gehenna patiuntur ab igne ſupplicia. S. Fulgentius lib. de fide ad Petr.* Heu! ſi, ut dicunt Sancti Patres, ſupplicia quæ in purgatorio a piacularibus flammis perferunt fideles defuncti, graviora ſunt, quam quidquid unquam in hoc mundo perpeſſi ſunt Martyres, quid ſentiendum de igne tartareo? Quanta, & quam gravia ſunt tormenta, quæ ab eo patiuntur damnati? Tanta equidem, ut penitus intolerabilia ſint. Heu! ſi nonnumquam intolerabilem dicimus diuturnæ febris ardorem: ſi intolerabilia credimus, quæ S. Laurentius, & alii quidam Martyres ab igne paſſi ſunt tormenta: ſi intolerabile quiſque cenſeret, vel ad unius horæ quadrantem prunas manu geſtare, vel dexteram intra fornacem accenſam habere: quanto intolerabilius eſt reprobis, ardentibus tartari flammis immergi, ibique inceſſanter ab igne devorari? Hoc certe omnium ſenſibilium tormentorum maximum: *Ignis, ſuppliciorum ultimum eſt. Tertull.*

2. Torquet ergo, & diriſſime reprobos torquet ignis inferni. At quod gravius, & intolerabilius eſt, eos ita torquet ignis, ut numquam torquere intermittat & deſinat: ſed ſemper, & in æternum abſque ulla intermiſſione, & interpolatione eos torqueat.

Non parvum eſt ſolatium infirmis febricitantibus cum aliquid intermiſſionis, & remiſſionis habent. Aliquod ſimiliter ſolatium ineſſet damnatis, ſi in tormentis quæ ab igne patiuntur, aliqua interdum adveniret remiſſio: ſed hoc eis non dabitur ſolatium, quia ignis ille eos ſemper, & in æternum abſque ulla intermiſſione torquebit. Hic ignis ita eorum infigetur carnibus, ut nil unquam quietis ſit eis daturus: ſed eos in ſempiternum ſine ulla remiſſione cruciabit; *Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum. Judith.* 16. 21.

In hoc mundo dicimus, & tamquam certum ſupponimus, quod *nullum violentum perpetuum*: quia quo quis violentius torquetur, eo citius ei ſenſus & vita auferuntur: *Hoc ſolatium vaſti doloris eſt*, inquit Romanus Philoſophus, *quod nemo poteſt valde dolere, & diu. Seneca epiſt.* 78. In hoc mundo hæc duo ſimul reperiri non poſſunt, *dolere valde, & dolere diu*; ſed in inferno damnati ab igne torquentur *valde, & diu*: quia ibi tortores numquam laſſantur; anima numquam moritur, & ignis numquam torquere deſiſtit: *Sic ignis ibi conſumit, ut ſemper reſervet: ſic tormenta aguntur, ut ſemper renoventur: ardebunt miſeri in igne æterno in æternum. S. Bernardus in lib. medit. cap.* 4.

Hæc, quæſo, animo expendite: damnati torquebuntur *ab igne æterno in æternum*. Quid eſt hoc? Quamdiu durabit illud *in æternum?* Creditis forte quod ibi damnati lento igne aſſabuntur aliquibus tantum horis, vel quibuſdam diebus? Imaginamini forſitan, quod in medio flammarum, aliquot ſolummodo annis torquebuntur, & vociferabuntur? Erratis: quia tranſactis mille, & centum mille annis, adhuc cruciandi remanebunt, non ſolum ad alios mille, & centum mille annos: ſed in æternum. O quam intolerabile eſt, ab igne hoc torqueri continue, & torqueri ſemper, abſque ulla intermiſſione, & abſque ullo termino!

En, peccator, ſupplicia quæ paravit Deus, ut vindictam ſumat de peccatis tuis. Quamdiu in hoc mundo remanes, dæmon & peccata velant faciem tuam, ne videas, & ne cogites de formidandis inferni ignibus: ſed in morte auferetur illud velamen malitiæ. Tunc cognoſces, ſed tarde nimis, quam immania ſint inferni tormenta: tunc audies Chriſtum tibi, & aliis dicentem: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*; ſi in hoc mundo pœnitentiam non egeris, tunc ad inferni rogos, æternum cruciandus, mitteris.

O peccator, contremiſce ad illa verba, *In ignem æternum*. Mitti in ignem, quid terribilius? Mitti in ignem æternum; quid formidabilius? Ecquis ita ferreus & adamantinus eſt, ut ad hæc verba, *In ignem æternum*, non contremiſcat? *O mi frater*, inquit Divus Auguſtinus, *numquid ferreæ ſunt carnes noſtræ, ut non contremiſcant? vel etiam ſenſus noſter adamantinus, ut non emolleſcat ad illa Dei verba: Ite maledicti*

dicti

Digitized by Google

*dicti in ignem æternum*. Heu! ſi tremimus, cum reum aliquem, ad rogum in quo comburendus eſt, duci videmus; quanto magis contremiſcere debes, o impie, qui a peccatis & a dæmonibus ad tartareum rogum, æternum cruciandus, traheris?

Contremiſce: ſed & totis conatibus labora, ut æternos hos tartarei ignis cruciatus devites. Labora ut bonus Chriſti miles: labora, & indeſinenter bonis operibus incumbe; ut Deum tibi propitium reddas, & æterna hæc ſupplicia evadas. Audi Spiritum Sanctum dicentem: *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis. Iſaiæ* 33. 14. Hæc verba animo tuo verſa; ac intra temetipſum ſæpe dic: *Habitare non poſſem* cum igne illo, qui urit & non lucet: quare ab illo præcavebo; *Habitare non poſſem* cum igne illo, qui devorat & non conſumit: quare pravos meos eradicabo habitus, ut ignis illius ſupplicia non incurram; *Habitare non poſſem* cum igne illo, qui torquet, & numquam torquere deſinit: quare pie, religioſe, & quam perfectiſſime vivam, ut ignis illius tormenta evadam, & æternam felicitatem aliquando obtinere valeam. *Amen*.

## DOMINICA DECIMAOCTAVA POST PENTECOSTEN.

## DE BLASPHEMIA.

*Quidam de Phariſæis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat.* Matth. 9. 3.

BLaſphemia eſt directe laudi Dei oppoſita: & (ſi proprie ſumatur) nil aliud eſt, quam *verbum convicii, ſeu contumeliæ adverſus Deum*; ſive id fiat, attribuendo ei quæ illi non conveniunt: ſive id fiat, negando ei quæ illi conveniunt: ſive id fiat, tribuendo creaturis quæ illi ſoli debentur.

Chriſtum autem blaſphemiæ accuſarunt Phariſæi, cum illum audierunt dicentem Paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua*. Quia cum illum, Deum eſſe non crederent, illum in hoc blaſphemaſſe cenſuerunt, quod ſibi tribueret poteſtatem remittendi peccata: quæ poteſtas non ad homines, ſed ad Deum ſolum attinet.

Fallebantur Phariſæi: non enim blaſphemus erat Chriſtus, qui Patrem ſuum continue glorificabat: *Ego honorifico Patrem meum*: *Joann*. 8. 49. ſed blaſphemi erant ipſimet: quia Chriſto & divinitatem & poteſtatem remittendi peccata denegabant. De Chriſto dici nequibat: *hic blaſphemat*; quia cum Deus eſſet, nec blaſphemare, nec minimum quodque peccatum perpetrare poterat: ſed de Phariſæis dici debebat: *hi blaſphemant*: quia in hoc blaſphemi erant, quod Chriſtum blaſphemiæ accuſarent. O quam magna hæc Phariſæorum blaſphemia! Sed o quam multi in hoc mundo ſunt blaſphemi, qui Phariſæos imitantur! Quam multi blaſphemant in Deum ſuum, quem indeſinenter laudare deberent! Blaſphemorum ſane magnus eſt numerus. Et ideo utiliſſimum fore videtur, ſi de blaſphemia dicamus, & ſi in homines blasphemos prædicemus, &c. *Ave*.

ERrant multi circa nomen blasphemiæ, idque ſæpe blasphemiam nominant, quod nullo modo blasphemia eſt. Verum quidem, quod qui de blasphemia proprie ſumpta loquuntur, blasphemias ſolum vocant verba contumeliæ, quæ adverſus Deum dicuntur. Sed alii, licet minus proprie, blasphemiæ nomen juramenti etiam, & imprecationibus tribuunt: eos enim qui jurant, & qui mala precantur, blasphemos appellant, eoſque ut blasphemos inſpiciunt, & deteſtantur. Quare ut ab improprie ſumpta veram & proprie ſumptam blasphemiam diſcernam; non ſolum de blasphemia in vero & proprio ſensu accepta, ſed etiam de blasphemia improprie sumpta; seu de juramentis, & imprecationibus diſſeram. Quod ut cum legitima partium diſtributione fiat: dicam: 1. Quod juramentis nullus debeat aſſueſcere: 2. Quod ab imprecationibus omnes abſtinere debeant: 3. Quod blasphemiam cuncti abhorrere teneantur. Abſtinendum a conſuetudine jurandi, ab imprecationibus, & a blasphemia. En tres hujus concionis partes.

### PRIMA PARS.

*Abſtinendum a conſuetudine jurandi.*

CErtiſſimum eſt, juramentum, ſi debito modo fiat, eſſe licitum: immo & eſſe actum religionis, quo Deus honoratur. Sed quia ex mille juramentis quæ fiunt, vix unum eſt, quod debito modo fiat; ideo ex mille vix unum eſt, quo honoretur: vel potius, quo non offendatur Deus.

Offenditur quidem graviter, cum quis contra veritatem jurat; & qui ſic jurant, in Dei maledictionem incurrunt: *Maledictio veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter*. *Zach*. 5. Offenditur etiam graviter Deus juramentis, quæ fiunt contra juſtitiam; ſeu, cum quis jurat ſe interfecturum aliquem, vel ſe rem aliam mortaliter malam, facturum. Offenditur tandem graviter his juramentis quæ ad blasphemias declinant, & quæ totam blasphemiæ malitiam includunt: quare a præfatis omnibus juramentis ſedulo abſtinendum. Sed & abſtinendum ab aliis juramentis quæ paſſim a multis fiunt, seu a jurandi consuetudine, quam quisque a se tollere, & procul pellere debet.

Audite Sanctum Apoſtolum Jacobum; qui ut turpem, & pravam hanc jurandi consuetudinem e cordibus hominum eradicet, ait; *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodque juramentum; ſit autem ſermo veſter: eſt eſt, non non*. *Jacob* 5. His etenim verbis Apoſtolus non prohibet omnino juramentum; ſed ſolummodo jurandi conſuetudinem: *Ante omnia, ait, ut attendatis præ cæteris, & vigiletis, ne ſubrepat conſuetudo jurandi*. *D. Auguſtinus ſerm*. 28. *de verb. Apoſt*.

Præclare dixit Doctor Angelicus, quod *juramentum eſt ſicut medicina, quæ non ſemper accipitur, ſed in neceſſitate*. *D. Thom. opuſc*. 7. Plerique hiſce temporibus, non certis dumtaxat horis, nec debitis cum circumſtantiis, ſed ſingulis fere momentis jurant; nec curant de circumſtantiis, & conditionibus ad juramentum requiſitis. Pueri, nondum balbutire ſcientes, in arte jurandi docti ſunt: antequam prima fidei juramenta ſciant, omnes jurandi modos callent: ac ita frequens fit in ore ipſorum juramentum, ut pene dixeris eſſe eorum *Credo*, eorum *Ave*,

eorum

Digitized by Google

eorum *Pater noſter*: eorum aſpirationes pias, eorum orationes jaculatorias. Tanta tandem multorum eſt jurandi conſuetudo, ut ſemper jurent, ſive illis credatur, ſive non credatur: ſive juramentum ab iis exigatur, ſive non exigatur; ſive horreſcant audientes, ſive non horreſcant: *Cum tibi creditur*, inquit Auguſtinus, *juras, & cum nemo exigit, juras, & horrentibus hominibus juras*. O exitioſam conſuetudinem! Utere juramento ſicut medicina. Non ſumitur medicina ſexies, ſepties, vel pluries in die, ſed ſolum in neceſſitate, & cum cautela: ſic ne aſſueſcas jurationi, ne pluries ſingulis diebus jures; ſed ſolummodo, cum jurandi neceſſitas ineſt, & tunc conditiones ad juramentum requiſitas adhibe: tunc jura in veritate, in judicio, & in juſtitia: *Jurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia*. *Jer*. 4. 2.

Varias adducit rationes Chryſoſtomus, quibus quiſque induci debet ad abſtinendum a vana, & exitioſa hac jurandi conſuetudine. Si, inquit, ſervus non audet Dominum nominatim, & ſine quadam honoris præfatione appellare: quam abſurdum eſt, Angelorum Dominum, temere & contemptim, ubique pronuntiare, & jactare? *Chryſ. hom.* 26. *ad pop.*

Si, inquit idem Chryſoſtomus, apud Judæos tam venerandum erat Dei nomen, ut in lamina ex auro puriſſimo ſcriberetur; & nemini litteras hujus nominis ferre liceret, niſi Sacerdotum Principi: qua fronte Dei nomen, ſuper omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quod audientes dæmones horrent, paſſim juramus, & velut quiddam vulgare temerarie circumferimus? *Chryſoſtomus homil.* 26. *ad pop.*

Vis ſcire, ait idem Chryſoſtomus, *hom.* 7. *ad pop.* quo modo Deum nominent ſuperiores Poteſtates; cum quanto honore, quanta admiratione? Audi Iſaiam Prophetam dicentem: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum. Seraphim ſtabant ſuper illud. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus*. *Iſaiæ* 6. Cum ergo Seraphini tanto cum timore, tanto cum honore, & tanta cum reverentia Deum nominent, laudantes, & glorificantes eum: qua fronte ſanctum illud nomen paſſim jurabis, irriverenter in omni caſu pronuntiabis, in vanum aſſumes, & per crebra Juramenta profanabis?

Præclaræ ſunt hæ Divi Chryſoſtomi rationes: ſed alias, meo quidem judicio urgentiores, adverſus jurandi conſuetudinem, adducit Sapiens. Quarum prima eſt, quod qui frequenter jurant, facile in perjuria incidunt: *Jurationi*, inquit, *non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa*. *Eccli*. 23. 9. Quæ ſunt hæc pericula, quibus exponuntur, qui jurationi aſſueſcunt? Hi exponuntur periculo cadendi in perjurium, & jurandi mendaciter; *Homo*, inquit Auguſtinus, *per conſuetudinem jurandi, poteſt in perjurium labi*. *Auguſt. in Pſ.* 109. Quare a jurandi conſuetudine quiſque abſtinere debet, ne cadat in perjuria, quæ ſunt gravia peccata: *ſi jurare crimen eſt, perjurium ubi ponemus? Chryſoſt. lib.* 1. *de compunct. cord.*

Altera ratione homines a jurandi conſuetudine deterrere conatur Sapiens, his verbis: *Vir multum jurans implebitur iniquitate*. *Ibid. v.* 12. Et revera crebro videmus, eos qui pravæ jurandi conſuetudini dediti ſunt, eſſe ebrioſos, maledicos, perjuros, blaſphemos, rixoſos, atque aliis multis criminibus obnoxios. Noli ergo jurationi aſſueſcere, ut non implearis iniquitate.

Aliam rationem adducit Salomon, ut homines a prava jurandi conſuetudine avertat: vir multum jurans, inquit, implebitur iniquitate; *& non diſcedet a domo illius plaga*. Aliquæ nonnumquam reperiuntur domus, in quibus continue audiuntur juramenta; jurant parentes, jurant filii, jurant famuli, jurant omnes; ſive cum rixantur, ſive cum confabulantur, ſive cum iraſcuntur. Ab his domibus non diſcedit juramentum, ſed ab his etiam non diſcedit plaga: quia Deus jam unum ex domeſticis morbo affligit, jam alium egeſtate plectit, & ſi non convertantur, permittit eos in gravia crimina labi, & deinde in infernum, ubi æterna plaga ferientur: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet a domo illius plaga*.

Quare o N. N. vigilandum, & generoſe decertandum; ut prava hæc tollatur jurandi conſuetudo. Vigilandum, inquit Divus Auguſtinus, invictoque animi decreto adverſus juramenta lingua frænanda eſt: *Domabis, ſi vigilabis; vigilabis, ſi timebis: timebis, ſi Chriſtianum te cogitaveris*. *Aug. ſer. de decoll. Baptiſtæ*. Vigilate ergo, timete: vos Chriſtianos eſſe cogitate, ut a prava jurandi conſuetudine abſtineatis.

Nec dicatis, vobis impoſſibile eſſe, de hac conſuetudine triumphare. Verum eſt, quod in principio hoc erit vobis difficile; ſed ſi ſuper voſmetipſos vigiletis; ſi Dei auxilium crebro invocetis; ſi ſanctiſſima Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta ad hunc finem ſæpe recipiatis; ſi monitores adhibeatis, qui vos corripiant quotieſcumque vos juraſſe adverterint: ſi quoties juraveritis, unum obolum pauperi erogetis; ſi tandem hæc & alia media ad tollendam jurandi conſuetudinem adhibeatis, eam penitus extirpabitis, vobiſque deinde facillimum erit non jurare. At, non ſolum abſtinendum a jurandi conſuetudine: *ſed etiam ab imprecationibus*.

## SECUNDA PARS.

*Abſtinendum ab imprecationibus.*

IN ira imprecari aliis dæmonem, peſtem, grandinem, fulgur, & alia his ſimilia, etſi multi confundant cum blaſphemiis, non tamen vere ſunt blaſphemiæ, ſed diræ imprecationes. Quæ plerumque in pecora a ruſticis fieri ſolent: quibus jam dicunt, ſe optare ut a dæmone auferantur; jam ut a peſte occidantur: & jam ut aliud quidam funeſtum iis accidat. ( Quod tamen iis evenire nollent. ) Optant enim eis mala ore ſolum, ſed non ex corde & voluntarie: nec enim quiſquam ita ſtultus, qui mala ex corde pecoribus ſuis exoptet: unde hujuſmodi imprecationes ſunt tantummodo materiales, verbales, & modo loquendi, quibus ruſtici & plebeii iram ſuam exprimere ſolent. Qui loquendi modi, indecori, fœdi, ruſtici, & mali ſunt. Immo, ratione ſcandali, graviter peccare poſſunt, qui his imprecationibus adverſus pecora utuntur.

Gravius peccant; quia ſimilia mala precantur perſo-

nis, qui amant, & quibus revera nullum malum accidere vellent. Verum eſt, eum, qui ex inveterata conſuetudine, velut quodam neceſſario impetu, & ex motu primo, hæc mala perſonis quas diligit precatur, non peccare; quia nullum peccatum ſine rationis deliberatione committitur. Sed tunc peccavit, cum ſimiles imprecationes deliberate fecit, prævidens, & animadvertens pravam conſuetudinem ſibi ingenerari; tunc etiam peccavit, & peccat, cum advertens, ſe prava hac ligari conſuetudine, nullam vim ſibi facit; nec aliquod medium ſumere vult, ut eam eradicet. *Layman. l. iii. 2. c. 3. num. 6.*

Quod ſi familiaribus, amicis & ſibi æqualibus dira precari, ſit peccatum; licet revera nullum ipſi malum accidere quis velit, gravius haud dubie peccatum eſt, cum filii parentibus, & ſubditi ſuperioribus mala precantur, & maxime ſi in faciem hoc fiat. Hoc enim raro fit ſine ſufficienti advertentia & hoc plurimum eſt contra debitam parentibus, aliiſque ſuperioribus reverentiam.

Si autem alicui perſonæ materialiter, ex conſuetudine, & ex inadvertentia male precaris, ſit nonnunquam grave peccatum: quam gravius peccatum eſt, hoc facere formaliter, & voluntarie? Si nonnumquam grave eſt peccatum, & ſubita commotione, & inadvertentia alicui perſonæ dicere: Diabolus te occidat, peſtis te interficiat, vel alias his ſimilia: quam gravius eſt, ea dicere ſcienter, voluntarie, & ex corde: ita ut qui hæc dicit, ea fieri velit quæ dicit? Certe iſtud peccatum eſt grave; & eo eſt gravius, quo graviora ſunt mala, quæ quis alteri voluntarie precatur. Unde in confeſſione quilibet Confeſſario explicare debet, non ſolum malum quod alteri precatus eſt, ſed etiam an voluntarie, libere, & ex animo hoc malum ei precatus ſit.

Hæc omnia patent; ſed ſive hujuſmodi imprecationes voluntarie fiant, ſive non; ſive quis velit, ſive nolit, ea aliis eventura, quæ iis male precatur; prava tamen, & peſſima eſt hæc maledicendi, & mala precandi conſuetudo: quia turpe, indecorum & malum eſt, quod homo, qui ſe Chriſtianum dicit & profitetur, in hujuſmodi execrationes & imprecationes prorumpat. Homo enim, ſi vere Chriſtianus ſit, Chriſtum mitem & humilem imitabitur, ſeque mitem & verbo, & exemplo exhibebit. Homo, ſi vere ſit Chriſtianus, non ſolum ad extraneos, ſed etiam ad domeſticos; non ſolum facto, ſed etiam verbo manſuetudinem præſeferre debet. *Omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines. Ad Tit. 3. 2.* Ubi autem chriſtiana hæc manſuetudo in homine, qui continuis concitatus iræ motibus, nunc peſtem, nunc mortem, nunc alia iis, cum quibus verſatur, mala precatur? In hoc ſane non chriſtiana eſt manſuetudo. Immo, nec in eo Chriſtiana eſt Religio. Si enim hujus vana eſt Religio, qui non frænat linguam ſuam: *Non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt Religio; Jacob 1. 26.* quanto magis hujus vana eſt Religio, qui in famulos & ancillas, in filios & filias, continuas vibrat maledictiones, & imprecationes? Hujus ſane vana Religio. *Immo, & hic a Dei ſpiritu alienus eſt.*

Deus, qui benignus & miſericors eſt, non vult ut unus in alium iraſcatur, & ut unus alteri maledicat, ac mala precetur; ſed vult ut unus alteri benedicat, & benefaciat. Heu! ſi velit Deus, ut homo Chriſtianus ipſis etiam maledicentibus benedicat: *Benedicite maledicentibus; Luc. 6. 28.* quanto magis vult ut homo Chriſtianus cunctis paſſim non maledicat, & in quoslibet continue maledicta, execrationes, & imprecationes non evomat? Si vult Deus, ut cum corripiendi ſunt aliqui, hoc fiat *in ſpiritu lenitatis; Gal. 6. 1.* quanto magis vult, ut apud Chriſtianos non audiantur aſſidue maledictiones, execrationes, & imprecationes in filios, in domeſticos, & in extraneos? Certe hoc a Dei ſpiritu omnino alienum eſt.

Deus optat, ut quiſque proximum, ſive amicus ille ſit, ſive inimicus, vere & ſincere diligat. Nonne unicuique mandavit Deus de proximo ſuo? Nonne cuique dixit Deus: diliges proximum tuum ſicut teipſum? Sed nonne præcipit Deus, ut ipſos etiam inimicos diligamus corde, ore, & opere? Nonne auditus eſt Chriſtus, dicens: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos; Matth. 5. 44.* Si autem Deus optet, & præcipiat, ut proximum, etiam inimicum, corde, opere, & ore diligamus, quis credat, ſpiritu Dei ſuccenſos eſſe eos, qui proximo maledicunt, & mala precantur? Vel potius, quis non credat, eos a Dei ſpiritu omnino eſſe alienos?

Hi ſane a Dei ſpiritu alieni ſunt; & hi a Deo graviter punientur. Si enim Deus æternis inſemi ſuppliciis plectit eum, qui fratri ſuo verbum aperte & graviter contumelioſum dixerit; juxta hæc Chriſti verba; *Qui fratri ſuo dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis: Matth. 5. 22.* Quanto magis credendum, iiſdem a Deo plectendos tormentis eos, qui dira proximo continue precantur, & qui ex inveterata conſuetudine, nec iraſci, nec loqui noverunt, quin ſtatim in maledicta, in execrationes, & in imprecationes prorumpant?

O homo, tandem aliquando fræna linguam tuam, deſine perverſa loqui, nec unquam aperiatur os tuum, ut proximo malum exoptes. Pravam, malignam, & ſcandaloſam hanc mala aliis precandi conſuetudinem penitus tolle, numquam dicas fratri tuo mala; ſed benedic, & ama, quem Deus benedicere & amare præcipit. At non abſtinendum ſolum ab imprecationibus: *ſed etiam a blaſphemia.*

## TERTIA PARS.

### *Abſtinendum a blaſphemia.*

BLaſphemare, inquit S. Auguſtinus, eſt *mala verba de Deo dicere, S. Aug. l. 2. de morib. Manich.* unde blaſphemia nil aliud eſt, quam verbum malum, & contumelioſum, quod de Deo dicitur. Triplex autem, ut ait S. Bernardinus, eſt blaſphemia; quarum *prima*, dicitur affirmativa; *ſecunda*, negativa; *tertia*, uſurpativa. Blaſphemia affirmativa eſt, cum Deo attribuitur, quod ei non convenit: & ſic blaſphemaret, qui diceret, Deum eſſe corporeum, ignarum, & peccati auctorem: quia hæc Deo non conveniunt. Sic etiam blaſphemare dicuntur, qui jurant per Dei caput, per Dei ventrem, & per Dei ſanguinem: quia Deo, qui totus ſpiritualis eſt, hæc convenire nequeunt: Deus enim nec caput, nec ventrem, nec ſanguinem habet, niſi forte hæc intelligantur de Chriſto Deo & homine. Sed licet in

hoc

Digitized by Google

hoc ſenſu talia dicere, non eſſet blaſphemia: in hoc tamen magna Chriſto Domino fit irriverentia, quod paſſim, ſine ulla neceſſitate, inter rixas, inter epulas, & in omni caſu caput, venter, & ſanguis ejus nominentur.

Blaſphemia negativa tunc eſt, cum a Deo removetur quod ei convenit: & hoc modo blaſphemarent, qui dicerent, Deum non eſſe trinum in perſonis; Patrem eſſe majorem Filio, Spiritum Sanctum a Patre & Filio non procedere, vel mundum a Deo factum non eſſe. Sic etiam blaſphemaret, qui diceret, Deum non eſſe ſapientem, bonum, ſanctum, vel omnipotentem, vel etiam, non habere curam de hoc mundo.

Blaſphemia uſurpativa tunc eſt, cum creaturis attribuitur quod ſoli Deo convenit, quodque ſolius Dei eſt proprium. Et ſic blaſphemaret qui diceret, mundum ab aliqua creatura eſſe factum; vel, qui diceret miracula fieri a Magis, a dæmonibus, vel ab aliis creaturis.

Cujuſvis autem generis ſit blaſphemia, grave peccatum eſt, *nihilque ſceleſtius blaſphemia*, inquit Chryſoſtomus. Et ut ait S. Hieronymus, omne aliud peccatum, blaſphemiæ comparatum, ſea levius eſt: *omne quippe peccatum, blaſphemia levius eſt*.

Multiplici ex capite patet gravitas blaſphemiæ; ſed præcipue ex dignitate perſonæ, in quam blaſphemia pronuntiatur. Ut enim ratiocinatur S. Bernardinus Senenſis: *Tom. 1. ſer.* 21. Tanto major eſt culpa, quanto major eſt perſona, in quam committitur; offenſa enim aliqua eſt, convicium facere in civem unius regis; ſed major eſt, ſi fiat in aliquem militem ejus nobilem; amplius gravis eſt, cum in aliquem conſiliarium ejus; gravior inſuper, cum in filium regis; ſed graviſſima, cum fit in ipſum regem. Sic in propoſito eſt in peccato blaſphemiæ; in aliis enim peccatis contra proximum, fit convicium adverſus creaturam; ſed in blaſphemia convicium directe, & immediate in ipſum creatorem; quare quantum creator excedit creaturas, tantum blaſphemia excedit alia peccata.

Grave ſane eſt blaſphemiæ peccatum: ſi inſpiciatur perſona, quam directe offendit; ſed ejus gravitas ex hoc adhuc elucet, quod homo nullo motivo, nulloque incentivo ad blaſphemandum alliciatur. Peccatum, inquit jam laudatus S. Bernardinus, tanto majus & gravius eſt, quanto minus motivum habet; ſeu, quanto minus eſt motivum, & incentivum, quo quis ad illud perpetrandum trahitur. Et ſic dicimus, quod ſi juvenis & ſenex adulterium perpetrent, plus peccat ſenex, quam juvenis; quia ſenex ad concupiſcentiam minus inclinatur, quam juvenis. Omne autem peccatum (excepta blaſphemia) habet aliquod motivum, & aliquod incentivum, quo homines ad illud committendum inclinantur. Nonne enim luxurioſus ad libidines adducitur carnis delectationibus? Nonne guloſus ad gulæ indulgendum inclinatur cibi & potus jucunditate? Nonne honoris altitudo ſuperbum ad ſuperbiam movet? Nonne ad deſidiam excitatur piger corporis ſui requie? Nonne ad uſuras allicitur dives amore divitiarum? In omnibus tandem aliis peccatis aliquod eſt motivum ad peccandum inducens. Sed in blaſphemia nullum eſt motivum inducens, & blaſphemator nullo incentivo ad blaſphemiam movetur; quia nulla eſt ibi delectatio, nullum ibi lucrum, nullamque aliud ad blaſphemandum illicium. O blaſphemator, quid te inclinat ad injurioſe uſurpandum Chriſti caput, ſanguinem, mortem, & paſſionem? Quid te invitat ad contumelioſe de Deo & divinis loquendum? Quæ ſunt blaſphemiarum, quas effutire ſolitus es, motiva & incentiva? Certe nihil eſt, quod ad hujuſmodi te inclinet. Immo, Dei bonitas, Dei miſericordia, & omnia quæ in Deo ſunt, te ad illum laudandum, & benedicendum alliciunt. Quare cum blaſphemia non ex inclinatione naturæ, vel ex alio motivo, ſed ex pura malitia procedat; omnia vero alia peccata habeant motivum alliciens; fatendum, blaſphemiæ peccatum omnibus aliis peccatis eſſe gravius. Et ideo cum tanta ſit blaſphemiæ gravitas, ab ea ſollicite abſtinendum.

Si hanc materiam diu protrahere liceret, Doctorem Angelicum loquentem inducerem, qui variis articulis probat, blaſphemiam eſſe peccatum ex natura ſua mortale, eſſe peccatum homicidio & infidelitate gravius; ac tandem ex ſuo genere eſſe omnium peccatorum graviſſimum. *D. Th.* 2. 2. *q.* 13. Sed ut toti huic orationi finem faciam, utque peccatores ad abſtinendum a blaſphemia inducam, velim ſolummodo, ut ſerio perpendant, qua, & quanta pœna blaſphematores digni ſint, & plecti ſoleant.

Taceo multiplices pœnas, ad quas blaſphemi, tum lege divina, tum lege Eccleſiaſtica & Civili, in hoc mundo damnantur. Notum enim eſt, quod lege divina blaſphemos lapidari ſanciatur. *Lev.* 24. Sciunt omnes, ſanctum Ludovicum, Galliæ Regem, ſanxiſſe, ut blaſphemorum lingua amputaretur, vel candenti ferro transfigeretur. Ipſe Mahumetus, licet infidelis, in ſuo Alchorano præcepit, ut quicumque Deum, Chriſtum, ac etiam beatam Virginem blaſphemaverit, medius ſecaretur. Nullum tandem Regnum, nullaque fere Reſpublica, ſaltem chriſtiana, quæ leges adverſus blaſphemos non fecerit, & quæ diris ſuppliciis eos plecti non ordinaverit. Sed longe major eſt pœna, qua a Deo blaſphemi in alio mundo plectuntur. Suppliciis enim æternis adjudicantur in inferno, ubi in continuas & perpetuas blaſphemias erumpent. *S. Bern. ubi ſup.*

Non late: vos famoſa hæc hiſtoria de puero quinquenni, quem cum remiſſe nutriviſſet pater, cumque cum blaſphemiis ita aſſueſcere permiſiſſet, ut paſſim blaſphemias in Deum & Sanctos evomeret; Deo tandem permittente accidit, ut cum quadam die ſtultus pater blaſphemum filium brachiis geſtaret, tartarei ad eum acceſſerint ſpiritus; quos puer tremebundus aſpiciens, clamare cœpit: *obſta pater: obſta pater*: maligni enim homines venerunt, qui me tollere volunt. Quo dicto, nomen Domini blaſphemavit infelix puer, ſtatimque diabolus miſeram ejus animam rapuit, & in incendia æterna ſubmerſit. *S. Greg. l.* 4. *Dial.* 18.

Si hac pœna plecterentur blaſphemantes; ſi mox ut aliquis in blaſphemias prorupit, a dæmone viſibiliter raperetur, & ad tartara traheretur, alii qui hoc viderent, a blaſphemiis certe abſtinerent. Sed & ab iis abſtinere debent, quia ſi non viſibiliter, ſaltem inviſibiliter ad infernum præcipitabuntur: ubi non ſolum pœna damni, & pœna ignis, ſed etiam ſpeciali alia pœna cruciabuntur. Ut enim ait Caſſianus; *In inferno dracones labia blaſphemantium*



ve-

*vorant, & ſerpentes diris morſibus miſerorum pectora lacerant. Caſſian. 3. p. Conf. Theol.* Quare non ſolum a jurandi conſuetudine, & ab imprecationibus, ſed etiam a blaſphemiis abſtinete. Linguas veſtras, non blaſphemiis evomendis, ſed Dei laudibus decantandis aſſuefacite, ut æterna inferni devitetis ſupplicia, & immenſa cæli gaudia aſſequi valeatis. *Amen.*

## DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN.

## DE BONIS TEMPORALIBUS.

*Abierunt alius in villam ſuam, & alius in negotiationem ſuam.* Matth. 22.

COr noſtrum a natura ita formatum eſt, ut a parte ſuperiori, qua reſpicit cælum, amplum ſit & apertum; a parte vero inferiori, qua reſpicit terram, ſtrictum & conſtrictum ſit, ac in acumine quodam terminatum quo docere nos voluit naturæ Auctor, cor noſtrum rebus cæleſtibus patere debere: non autem terrenis bonis, quæ unico quaſi puncto attingere quiſque debet, iiſque cor non apponere: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Pſ. 61. 11.*

Plerique tamen cæleſtia parum, terreſtria multum diligunt. At licet eos Deus ad cæleſtia bona amanda & ambienda pluries invitet, terrenis ſemper inhiant, ſuntque ſimiles iis, qui ad nuptias invitati, & vocati, venire neglexerunt, quia alius in villam ſuam dominandi cupiditate adductus, alius ad negotiationem ſuam, rei familiari augendæ intentus, abiit: *Abierunt alius in villam ſuam, & alius in negotiationem ſuam.*

O N. N. quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram, cæleſtia bona ambite, iis toto corde adhærete, non autem terrenis, quæ vilia, contemptibilia, & inſtabilia ſunt, ut videbimus, &c. *Ave.*

PRetioſa, diuturna, & utilia ſunt bona cæleſtia. *Pretioſa* quidem ſunt, tantuſque eorum eſt valor, ac tantum pretium, ut nullus æſtimare poſſit quanti valeat momentanea bonorum illorum poſſeſſio. *Diuturna* ſunt: tantaque eorum eſt duratio, ut non ad tempus, ſed in æternum, & in perpetuas æternitates a Sanctis poſſideantur. *Utilia* ſunt, tantaque ex eorum poſſeſſione percipitur utilitas, & tantus fructus, ut qui ea poſſident, perfecta, ſumma, & æterna beatitudine gaudeant.

En qualia ſint cæleſtia bona; ſed ab iis ſummopere differunt bona hujus mundi, utpote, quia vilia, tranſitoria, & vana ſunt. Iſta bona non ſunt pretioſa, ſed vilia, & contemptibilia; non ſunt diuturna, ſed mutabilia & tranſitoria; non ſunt utilia, ſed vana & inutilia.

Ecce naturam, & verum characterem bonorum temporalium, quæ 1. *Sunt vilia*, & parum valent: 2. *Sunt tranſitoria*, & parum durant: 3. *Sunt vana*, & parum proſunt. Bona temporalia parum valent, parum durant, parum proſunt. En tres hujus concionis partes.

### PRIMA PARS.

*Bona temporalia parum valent.*

PAuperi divitiæ, famulo dominatus, ſervo libertas, ægro ſanitas, ac omnibus fere hominibus bona temporalia magnum quid & pretioſum eſſe videntur; & ideo ſummo affectu ad ea anhelant, & pro iis aſſequendis litigant. Sed hæc omnia, quæ in erronea hominum imaginatione & æſtimatione magna cenſentur, in ſe parva, vilia, & contemptibilia ſunt, parumque valent: *Hæc propter quæ litigamus, diſcurrimus, anhelamus, humilia, & abjecta ſunt. Senec. l. 3. de ira c. 32.*

Ex bonis temporalibus nil tanti facere ſolent homines, quanti pecuniam, pro qua aſſequenda nil non moliuntur, & tamen quid exiguum, ac quaſi nihilum eſt. *Circa pecuniam plurimum vociferationis eſt, hæc fora defatigat: patres filioſque committit: venena miſcet, gladios percuſſoribus & legionibus tradit, hæc eſt ſanguine noſtro delibuta; propter hanc uxorum maritorumque noctes ſtrepunt litibus, & tribunalia magiſtratuum premit turba: Reges ſæviunt, & civitates longo ſæculorum labore conſtructas evertunt, ut aurum argentumque in cinere urbium ſcrutentur. Quod ſi totam mihi ex metallis omnibus pecuniam proferas: ſi in medium projicias quidquid theſauri tegunt, omnem iſtam congeriem dignam non cenſeam quæ viro boni contrahat frontem quanto riſu proſequenda ſunt; quæ nobis lacrymas educunt. Crede mihi, levia ſunt propter quæ non leviter excandeſcimus, qualia quæ pueros in rixam & jurgium movent, nil ex his, quæ tam triſtes agimus, ſerium eſt, nil magnum: iſta quæ appetis, exigua ſunt. Senec. ib.*

Sic loquitur Moralis Philoſophus, qui divitias omnes, omniaque mundi bona ſimul collecta, quid exiguum eſſe cenſet. Et ſic credamus hominum ſapientiſſimo, non ſolum quid exiguum verum, & quaſi nihilum ſunt; *Divitias nihil eſſe duxi. Sap. 7. 8.*

In ſtuporem adducta eſt Regina Saba; cum ampliſſimum illud ſapientiſſimi Salomonis imperium contemplata eſt. *Cornel. a Lap. in c. 1. v. 2.* Ecquis enim non obſtupeſcat menſam regiam, in quam ſingulis diebus, farinæ coros ſexaginta, ſeu ſexaginta mille farinæ libras; boves triginta duos, arietes centum, altilium ac ferarum, quæ venatione capiebantur, copiam immenſam inſumebat? *Omnia quoque vaſa convivii Regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus Libani ex auro puriſſimo. Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per ſingulos annos, ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri, excepta ea ſumma, quam Legati diverſarum gentium, & negotiatores afferre conſueverant, omneſque Reges Arabiæ, & Satrapæ terrarum, qui comportabant aurum, & argentum Salomoni. Tantamque copiam præbuit argenti in Jeruſalem, quaſi lapidum. 2. Paral. 9.* Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis: & curruum, equitumque duodecim millia: Ac tandem *Magnificatus eſt Salomon ſuper omnes Reges terræ divitiis & gloria. Ibid.* O quam dites! o quam honorificatus eſt Rex Salomon! Sed quanti fecit ille omnes mundi divitias, omnemque gloriam? *Nihil eſſe duxi.* Hæc omnia quaſi nihilum reputavit, & a nobis reputari voluit. Unde de terrenis bonis loquens, ait: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, vel, ut

Digitized by Google

ut alii vertunt; *Nihilum, nihil, & omnia nihil.* Dic, Salomon, quid ſunt aurum, & argentum, & omnes mundi divitiæ ſimul ſumptæ? *Nihil.* Quid ſunt Regna, Imperia, & omnes mundi dignitates? *Nihil.* Quid ſunt convivia, choreæ, ludi, & omnes corporis voluptates? Hæc & omnia mundi bona nil aliud ſunt, quam merum nihilum; *Nihilum, nihil & omnia nihil.*

*Aſpexi terram*, inquit Jeremias, *& ecce vacua erat, & nihil. Jer. 4.* Terra plena eſt bonis illis, quæ homines tanti faciunt, quomodo ergo vacua? In terra etiam eſt magna auri, argenti, lapidum pretioſorum, & aliorum bonorum copia, quomodo ergo in ea nihil? Terra quidem vacua eſt, & in ea quaſi nihil: quia divitiæ, honores, dignitates, deliciæ, & omnia bona quæ in ea reperiuntur, non ſunt bona, quæ hominis cor repleant, & tam pauci valent, ut quaſi nihilum ſint: *Vacua erat, & nihil.*

In pagis & oppidulis nonnunquam agricolæ & caupones in introitu domus ſuam omnem ab ingredientibus videndam collocant ſuppellectilem, quam ipſi multi pendunt, & pretioſam cenſent. Ibi ad oſtentationem ponunt catinos, ſcutellas, ſartagines, & alia hujuſmodi; quaſi introeuntibus dicant; habeo hæc omnia. Sed ſi Rex, vel aulicus quidam e Regis curia veniens, hanc ingrediatur domum, talia videns utenſilia, ſubridet: eaque nihili pendit, quia longe majora & excellentiora videre conſuevit. Sic Jeremias Propheta, qui ſpiritualia, & cæleſtia bona noverat, quique ea contemplari, iiſque frui ſolitus erat, temporalia omnia bona deſpicit, eaque vacua, inania, & tamquam nihilum eſſe cenſet: *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihil.*

Chriſtus Dominus, qui prima Veritas eſt, & qui falli & mentiri nequit, omnia hujuſmodi bona nihilum eſſe clariſſime teſtatur, cum aſſerit, Diſcipulos nihil ab eo petiiſſe: *Uſque modo non petiſtis quidquam. Jo: 16. 24.* Acceſſerat ad eum Mater filiorum Zebedæi, cum filiis ſuis, adorans, *& petens quid ab eo:* Diſcipuli rogaverunt etiam eum pro filia Chananeæ, quæ a dæmonio vexabatur: rogaverunt & illum pro ſocru Simonis, quæ tenebatur magnis febribus, & tamen Chriſtus ait, quod non ab eo *quidquam* petierint: tam parvi momenti erant, ut non eſſet quidquam, ſed potius nihilum, vel, ut exponit Doctor Angelicus, non petierunt Apoſtoli quidquam a Chriſto: *quia pro nihilo habendum eſt quod petierant, in comparatione eorum quæ petere debuerant. S. Thom. in c. 16. Joann.* O N. N. ſi petatis Spiritus ſancti gratiam, morum converſionem, orationis donum, divini amoris ignem, vel æternam beatitudinem, hæc ſunt *quid*. Sed cum a Deo petitis numeroſam prolem, bonam valetudinem, officia, beneficia, dignitates, divitias, & alia temporalia, hæc non ſunt quid, ſed nihilum: & ea petere, eſt petere nihilum: quia temporalia ſunt quaſi nihilum, ſaltem reſpectu ſpiritualium.

Dum terrena cuncta nihil ſint: cur ad illa tanto affectu anhelatis? Cur tanto ſtudio quod nihil eſt, quæritis? Cur tot labores pro nihilo ſuſtinetis? Cur officia, beneficia, dignitates, & alia hujus mundi bona, quæ nihilum ſunt, tanto ardore proſequimini? *Omnia illa ſomnium, umbra, nihil, ſi cum æterno, & æternitate comparentur. Juſtus Lipſius de mag. Rom. in dedic.* Quare Dei gratia, Paradiſi gaudia, & æterna cæli bona ſunt concupiſcenda, ambienda, & proſequenda: non autem hæc inferiora, quæ nihil ſunt, quæ pro nihilo ducenda ſunt: *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Coloſſ. 3. 1.* Nolite inordinate amare terreſtria, quæ nihil ſunt: ſed vehementiſſime amate Deum, qui omnia eſt; *Deus meus & omnia.* Nolite diligere mundum, & ea quæ in mundo ſunt, quia omnia hæc nihil ſunt: ſed diligite Deum, qui omnia eſt; ſed laborate, ut æternam aſſequamini beatitudinem, quæ omnia bona continet. Hic ſcopus, hæc meta debet eſſe affectionum, & laborum veſtrorum: hoc deſiderate, hoc ambite, ad hoc omnia ſtudia, omniaque veſtra opera dirigite: non autem ad terrena, quæ parum & nihil valent, *& quæ etiam parum durant.*

## SECUNDA PARS.

*Bona temporalia parum durant.*

*QUi habent uxores*, inquit D. Paulus, *tamquam non habentes ſint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non poſſidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. 1. Cor. 7.* Cujus rei rationem ſubdit, dicens: *Præterit enim figura hujus mundi.* Figuram vocat omnia mundi bona; quia ſicut figura non eſt res ipſa, ſed ejus ſimilitudo: ſic omnia hujus mundi bona, ita exilia & parvi momenti ſunt, ut potius bonorum ſimilitudinem, quam veritatem habeant: ac proinde contemnenda, quia bonorum ſolummodo apparentiam referunt. Sed licet hæc bona eſſent vera, ſolida, & magna: contemnenda tamen eſſent, quia parum durant, & cito prætereunt: *Præterit enim figura hujus mundi.*

Ubi nunc potentiſſimæ Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum Monarchiæ? *Tranſierunt.* Ubi Salomonis gloria, divitiæ Crœſi, & Heliogabali deliciæ? *Tranſierunt.* Ubi Auguſti Cæſaris triumphi, Alexandri Magni dominium, fortitudo Sampſonis, & Abſalonis pulchritudo? *Tranſierunt.* Ubi tot Imperatores, tot Reges, & tot Principes, qui olim in Orbe floruere? *Tranſierunt omnia illa tamquam umbra. Sap. 5. 9.* Tranſeunt omnia mundi bona, & poſſeſſores eorum: quia totus mundus, nil aliud eſt quam figura, quæ parum durat, & citiſſime tranſit: *Præterit figura hujus mundi.*

Oſtendit Chriſto dæmon omnia mundi Regna: eaque illi oſtendit non diu, ſed *in momento temporis*, ut advertit S. Luca Evangeliſta. *Luc. 4.* Cur Chriſto omnia mundi Regna oſtendit, & cur unico momento ea illi oſtendit Dæmon? Ea illi oſtendit, quia Regna, opes, & cuncta mundi bona, quaſi non poſſidentur, ſed ſolum oſtenduntur. Ea etiam illi oſtendit *in momento temporis*: quia terrena omnia citiſſime tranſeunt: *Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur: & dum placent, tranſeunt. Aug. tract. 7. in Gen.* Quemadmodum ſuavis vocum concentus, brevi temporis ſpatio aures oblectat, moxque præterit: ita ſuavis temporalium bonorum poſſeſſio, temporis momento, voluptate nos demulcet; moxque pertranſit; ac dum placet, tranſit; *Tranſeunt omnia, evo-*



Digitized by Google

*lant omnia: & ſicut fumus evaneſcunt. Aug. Tract. 7. in Joann.*

Eſt illud ſenſuum vitium; ut tanquam quid ſtans & immotum nonnunquam apprehendant id, quod natura ſua fluxum eſt; nec ſentiunt moveri, quod curſu fertur velociſſimo. *Interdiu Solem*, inquit Philo Hebræus, *noctu Lunam ſtare imaginantur oculi corporis; cum tamen nemo neſciat, horum ſiderum curſum eſſe concitatiſſimum, quæ totum Cælum una die obeunt. Philol. de conf. ling.* Eadem reſpectu terrenorum nos dementia exagitat: aurum, argentum, & omnia ſtare putamus: iiſque adhæremus, ac ſi conſtantia & in perpetuum duratura eſſent: & tamen celerrime feruntur: ac ita præterfluunt, ut ſimul veniant & avolent: *Talia ſunt omnia humana, nondum advenerunt, & avolarunt. Chryſ. hom. 1. in Gen.* Putant divites ad multos annos ſe divitiis quas poſſident fruituros: & cito audiunt ſibi dici: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem paraſti, cujus erunt? Luc. 12. 20.* Arbitrantur voluptuarii, ſe illicitis voluptatibus diu adhæſuros: & ideo iis ſe totaliter dedunt, & ducunt in bonis dies ſuos; ſed ſubito a morte rapiuntur, & ad inferna præcipitantur: *& in puncto ad inferna deſcendunt. Job 21. 13.* Imaginantur ſuperbi & ambitioſi, ſe felices futuros cum ad hanc vel illam dignitatem aſcenderint; & ſe ea diu gaviſuros tamquam certum ſupponunt; ſed *mox ut honorificati fuerint, & exaltati, quemadmodum fumus deficient. Pſ. 36. 20.* Cenſent impii, haſce ſuas delicias, haſce voluptates, haſce diſſolutiones bene fundatas; ideoque ſtabiles, & non fugitivas eſſe: ſed hæc, & omnia terrena quam citiſſime tranſeunt, præterfluunt & avolant: *omnia ſæculi bona inſtar fluvii, ſine aliqua curſus ſui ſtatione præterfluunt, & tranſeunt. S. Hilar. in Pſ. 36.*

Audivit Iſaias vocem e cælo lapſam, jubentem ei, ut clamaret: *vox dicentis; clama*. Petiit a Deo Propheta, quid clamaret; *& dixi, quid clamabo?* Cui Deus: clama, quod *omnis caro fænum, & omnis gloria ejus, quaſi flos agri. Iſa. 4. 6.* O prodigium! Omnia tot Monarcharum, Regum & Principum dominia, omnis tot Magnatum potentia, univerſa tot pomparum gloria, omnia tot honoratorum obſequia, omnes tot virorum, quos felices dicimus, deliciæ; omnis mundana proſperitas, omnia, inquam, iſthæc, quid eſſe putatis? *Sicut fænum, & quaſi flos agri*. Quid portentoſus ille Xerſis exercitus, qui ingentia bibendo exſiccabat flumina? Quid magnifica Darii convivia, quæ ſex continuis durabant menſibus? Quid triumphi Cæſaris, Alexandri victoriæ, & Salomonis theſauri? Omnia hæc *ſicut fænum, & quaſi flos agri*. Quid ſuperborum omnium faſtus, ambitioſorum arrogantia, illuſtrium Capitaneorum fama, & Magiſtratuum honores? Quid tot divitum prædia, tot carnalium hominum deliciæ, tot potentatuum palatia, tot variorum veſtimentorum ornamenta? Quid tanta ſapientum doctrina, tantus litteratorum rumor, tanta Magnatibus exhibita reverentia? Omnia hæc *ſicut fænum, & quaſi flos agri*. Sicut enim fænum & agri flores quam citiſſime tranſeunt; ita & omnia mundi bona mox ut apparuerunt diſparent, & ſtatim tranſeunt; *Attende florem fæni; quid citius tranſit? Talis eſt jucunditas rerum, quæ ad hanc vitam pertinent: ſimul enim & cernitur, & interit. Chryſoſt.*

N vos omnes qui in Regum & Magnatum curia honores & dignitates tanto affectu aucupamini, *neſcitis quid petatis*. Vos qui in academiis primas cathedras ambitis: *neſcitis quid petatis*. Vos qui præcipua Reipublicæ munia tanto ſtudio appetitis: *neſcitis quid petatis*. Vos qui ad temporalia acquirenda tantopere anhelatis: *neſcitis quid petatis*. Non enim hæc quærenda & ambienda; quia fluxa, caduca & tranſitoria ſunt: ſed exquirenda cæleſtia bona, quæ permanentia & æterna ſunt: *Quærite primum Regnum Dei. Matth. 6. 33.* Iſta ſummo affectu ambienda, iſta quærenda; *Si divites eſſe cupitis*, inquit S. Gregorius, *veras divitias amate: ſi culmen veri honoris quæritis, ad cæleſte Regnum tendite; ſi gloriam dignitatemque diligitis, in illa ſuprema Angelorum curia adſcribi feſtinate. S. Greg. hom. 15. in Evang.* Cæleſtia hæc bona amanda, ambienda, & inquirenda, quia æterna ſunt.

Cæleſtia ergo bona diligite & ambite; non autem terrena, quæ fluxa, nutantia, & cito peritura ſunt: *Nolite fratres jam mundum diligere, quem ita cernitis cum velocitate tranſire. S. Aug. ſer. 13. de die judicii*. At bona temporalia non ſolum cito tranſeunt, & parum durant; *verum & parum proſunt*.

## TERTIA PARS.

*Bona temporalia parum proſunt.*

SIcut nullis veterum aut recentiorum Annalibus conſtat, aliquem infantem cum nummo in manu, aut monili e collo pendente in lucem prodiiſſe; ita & certum eſt, quod nullus ex hoc mundo exiens, quidquam ſecum auferet: *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid poſſumus. 1. Tim. 6. 7.* Quid, quæſo, auferunt divites, & Magnates, cum ex hoc mundo migrent? Nihil; *dives cum dormierit, nil ſecum auferet, Job 27. 9.* Quare cum homines nil ex hoc mundo auferant, quid prodeſt in morte, omnibus deliciis affluxiſſe, maximos theſauros habuiſſe, & temporalibus cunctis abundaſſe? Certe tunc hæc omnia parum, immo nil proſunt. Quin contra ſæpe obſunt; quia in morte intus cruciantur, qui temporalibus bonis in mundo abundarunt.

Audite magnum hunc Hiſpaniarum Regem, Philippum ſecundum, qui moribundus hoc palam confeſſus eſt, dicens; *Nil confert Regem eſſe, niſi quod in morte crucies fuiſſe. Mendo. ind. 1. Reg. 2.* Quid profuit Philippo ampliſſimum hoc Hiſpaniarum poſſediſſe Regnum, in quo triginta oppidorum, vel pagorum millia numerantur? *Nihil confert*. Quid profuit ei, tot Provincias, totque oppida, eaque famoſa, opulenta, & munitiſſima in Belgio dominationi ſuæ ſubdita habuiſse? *Nihil confert*. Quid ei profuit, tot urbes expugnaſse, tot occupaſse Provincias, tot Regna ſubjugaſse? *Nihil confert*. Quid ei profuit, tot Principes, ac Dynaſtas ad nutum habuiſse, tot militum millia terra, marique ſub ſignis ſuis numeraſse, ac Imperii ſui fines longe lateque propagaſse? *Nihil confert*.

Hæc quidem omnia nil profuere Philippo; & bona quæcumque temporalia aliis hominibus, ex hoc mundo migrantibus, nil proſunt. *Velim*, te ſolum ea omnia poſſidere, quæ nunc ab omnibus & ſingulis

poſſi-

Digitized by Google

poſſidentur hominibus; te ſolum iis omnibus frui deliciis, quas optare poteris; te unicum totius mundi eſſe Monarcham; tibi omnes voluntarie ſubdi nationes, tibi omnes obtemperare populos, te cunctos homines venerari, omnibuſque te gentibus admirationi eſſe. *Velim*, tui ſolius nomen ex ore proferri mortalium, nullius prætérquam famæ tuæ mentionem fieri in omnibus temporum Annalibus, ſoláque tua geſta & facinora a ſcriptoribus recenſeri. *Velim*, cunctas in hoc mundo poſt te currere gratias; ſiniſtros omnes a te eventus declinare, omniaque tua deſideria & vota penitus adimpleri; quid tandem in fine erit de omnibus hiſce? Quid tunc proderit hæc omnia habuiſſe? *Nihil confert, niſi quod in morte cruciet habuiſſe.*

Si quis, dum bene habet, divitias pauperibus erogaret; ſi eas in pios uſus expenderet; & ſi datis ſibi a Deo bonis temporalibus ad profectum ſuum ſpiritualem uteretur; multum quidem ei prodeſſent. Sed hujuſmodi bona poſſediſſe, ea coacervaſſe, vel ea ad faſtum, & ad delicias inſumpſiſſe, nihil prodeſt: immo obeſt, & in morte diriſſime cruciat. Unde Chriſtus Dominus, in ſeminantis parabola, temporalia bona ſpinis comparavit; quia ſcilicet, qui iis non bene uſi ſunt, in morte intus cogitationibus ſuis quaſi ſpinis lacerantur, & cruciantur.

*Quis mihi unquam crederet*, inquit S. Gregorius, *ſi divitias ſpinas interpretari voluiſſem? Maxime cum illa pungant, iſtæ delectent; & tamquam ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus lacerant mentes; & cum uſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant. S. Greg. hom. 15. in Evang.* Hanc autem punctionem imminente morte homines potiſſimum ſentiunt: tunc vellent non divites, ſed pauperes extitiſſe: tunc optarent deliciis, aliiſque temporalibus bonis non affluxiſſe: tunc deſiderarent pie vixiſſe, & bona ſua in pios uſus inſumpſiſſe: tunc eos pœnitet, quod vilibus & tranſitoriis illis bonis nimium adhæſerint. Tantum abeſt, ut tunc iis proſint illa bona, quin contra intus crucientur, eo quod illa habuerint: ſed & magis cruciabuntur in inferno.

Audiamus damnatos ibi loquentes, ac docentes quantum ex temporalibus bonis emolumentum perceperint. *Quid*, inquiunt, *nobis profuit ſuperbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Sap. 5. 8.* Quid profuit nobis, ajunt? Quaſi dicant, ut explicat Hugo Cardinalis: *Nihil nobis profuit; & modo nocet.* Quid contulit nobis, ajunt? quaſi dicant; ut exponit præfatus Cardinalis: *Nil nobis contulit, niſi pœnam.* Ecce quid proſint, & quid conferre ſoleant hominibus bona temporalia; nihil eis proſunt: quin contra plerumque nocent, & in cauſa ſunt, cur homines ad æterna ſupplicia damnentur: *Qui præſenti ſuavitate capitur, quaſi per amœna prata, ad interitum ducitur. D. Greg.*

O quot nunc cremantur in inferno; quia felices nimirum fuere in hoc mundo! Quot tunc ſuppliciis æternis ſunt addicti, quia in hoc mundo deliciis adhærere? Nemo poteſt a deliciis hujus mundi ad æternas tranſire, nemo temporalibus & æternis poteſt perfrui bonis; & ideo qui tranſitoriis ſæculi bonis affluunt, plerumque ab hoc mundo ad tartara migrant. Ecce emolumentum, quod ex hujus mundi bonis eliciunt. Bona hæc non illis proſunt; ſed pluri-mum obſunt: quare non hæc, ſed æterna paradiſi bona ſunt ambienda, & ſedulo exquirenda: *Filioli*, inquit S. Bernardus, *concupiſcamus in atria Domini, crebro ſuſpiremus illuc. S. Bern. ſer. de obed.*

Non ſimus ſimiles Iſraelitis, qui ad Ægypti allia, & cepas anhelabant; & de terra promiſſionis non curabant: *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Pſ. 105. 24.* Non anhelemus ad bona temporalia, quæ quaſi cepæ videntur, & quæ nullius momenti ſunt; ſed ſuſpiremus ad bona cæleſtia; concupiſcamus terram deſiderabilem: *concupiſcamus in atria Domini, crebro ſuſpiremus illuc.*

Hujus mundi bona, *parum valent, parum durant, & parum proſunt.* Quare temporalia deſpiciamus bona; non iis, plus quam ratio, & lex Dei permittunt, adhæreamus: ac totaliter ſpiritualibus, & cæleſtibus bonis aſſequendis inſiſtamus; dabitque nobis Deus gratiam, qua mediante, æterna illa bona obtinebimus. *Amen.*

## DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

# DE CORPORIS INFIRMITATIBUS.

*Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Joann. 4. 46.

QUemadmodum mors omnibus communis, ita & omnibus communes ſunt corporis infirmitates. Sicut moriuntur cuncti, ita & morbis ad mortem prævis, omnes fere homines afficiuntur. Morbi, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, undequaque diffunduntur, nulla enim fere domus, in qua quis non infirmetur: *in domo* Centurionis, famulus extrema agit; *in domo* Principis Synagogæ, lugent omnes ob filiam fato functam; *in domo* Simonis Petri, ſocrus magnis tenetur febribus; *in domo* Reguli, de quo hodiernum Evangelium, filius ejus gravi affligitur morbo. Si tandem omnes mundi hujus lustrentur domus, ubique fere invenientur infirmi, ita ut a portentoſa infirmorum multitudine, totus terrarum orbis magnum quoddam dici poſſit noſocomium, & valetudinarium publicum, cæcis, claudis, febrientibus, peſte affectis, vel alio morborum genere laborantibus plenum: Et ſi aliqui actu non infirmentur, brevi infirmabuntur, quia ita compacta ſunt corpora noſtra, ut ſine aliqua infirmitate diu remanere nequeant.

Corporis infirmitas, ut omnes fatentur, grande malum eſt: ſed longe gravius eſt malum, quod homines in infirmatibus ſuis chriſtiane, & pie ſe gerere recuſent. Ut iſti malo occurramus: quomodo quiſque in infirmitatibus ſe gerere debeat, jam docebimus, &c. *Ave.*

QUi ægrotat, animam ſuam, corpus ſuum, & temporalia ſua bona reſpicere debet: *Animam ſuam*: ut eam ſalvet. *Corpus ſuum*: ut infirmitas qua laborat, ad ſalutem proſit. *Bona ſua temporalia*; ut ea recte, & juxta Dei placitum diſtribuat.

Ut autem, qui infirmatur, ſalvet animam ſuam, debet ultima Sacramenta recipere: & alia ad ſalutem neceſſaria agere. Ut proſit ei corporis infirmi-

tas, oportet, ut eam patienter perferat. Ut temporalia recte diſtribuat; teſtamentum juſtum, & pium facere tenetur.

Unde, ut doceam, quomodo ſe gerere debeant qui ægrotant, dico, quod debeant.

1. Quæ ad animæ ſalutem ſpectant, prompte facere. 2. Corporis dolores patienter ſuſtinere. 3. Bona temporalia (ſi quæ habent) pie, & juſte diſtribuere.

## PRIMA PARS.

*Qui ægrotant, quæ ad animæ ſalutem ſpectant, prompte facere debent.*

IN corporis infirmitatibus multi de Deo, & de animæ ſalute tarde cogitant. Cum ingraveſcunt morbi, medicos, pharmacopolas, chirurgos, immo & nonnunquam magos, & ſagas vocant, antequam ad Deum perfugiant, & ſalutis ſuæ negotio conſulant. Imitantur Regem illum, qui ægrotavit, *& nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt*; 2. *Paralip.* 16. 32. ſed ſi ſapiant, qui infirmi ſunt, ad Deum, ad Sacramenta, & ad omnia, quæ ad ſalutem juvant, prompte confugient.

Videte, quomodo ſe geſſerit Regulus ille, de quo ſic hodiernum loquitur Evangelium. *Hic cum audiſſet, quia Jeſus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum.* Sicut autem hic ad Chriſtum ivit, ut ab eo filii ſanitatem peteret, ita & in infirmitatibus, non ad dæmones, non ad magos, ſed ad Deum eſt prompte confugiendum, & ſaluti ſuæ conſulendum. Ac quantum prudentia chriſtiana congruum, & neceſſarium judicaverit, Sacramenta ſunt prompte recipienda.

Ita ſtolidi, & ſtulti ſunt multi infirmi: ut quæ ſalutis ſunt, uſque ad extremum vitæ terminum dimittant. Sibi ſemper ſuadent, gravem non eſſe morbum, quo laborant, nullumque eſſe mortis periculum. Diabolus, qui ſemper circuit quærens quem devoret, iis intus inſpirat, quod levis ſit infirmitas, quodque intra paucos dies e cubili ſurgent, ut ea faciant, quæ & alii faciunt. Immo, ſæpe videmus, quod in domibus, in quibus ſunt infirmi, tot ſint dæmonis miniſtri, quot ſunt domeſtici, & alii qui infirmis inſerviunt, quia hi, juxta dæmonis vota loquentes, infirmis numquam manifeſtant mortis, & damnationis periculum in quo verſantur: ſed ſemper dicunt eis, levem eſſe morbum quo detinentur, febrem eſſe minus accenſam, nullamque timendi eſſe cauſam. Inde ſit, ut innumeri ſine prævia peccatorum confeſſione ex hoc mundo migrent, & in æternum damnentur. Quare infirmi, ſi ſapiant, non ſibi adulabuntur, filiis & domeſticis non fident: ſed mox ut minima periculi ſpecies apparebit, ad Deum ſuum confugient, prudentem Confeſſarium vocari curabunt, omnia conſcientiæ latibula ei manifeſtabunt, ſua humiliter ei confitebuntur peccata: & accepto abſolutionis ſacramentalis beneficio, eum deprecabuntur, ut dicat, & quæ & quando facienda ſunt alia ad ſalutem neceſſaria: eaque omnia prompte, & ſine ulla dilatione adimplebunt.

Sciunt omnes, quod neceſſario mori debeant, quodque mors homines in omni loco, in omni tempore, & in omni ſtatu aggredi ſoleat: quare in omni loco, & in omni tempore ad mortem ſe præparare debent, ut in æternæ damnationis ſupplicium non incurrant, & ut æternæ beatitudinis gloriam obtineant. Sed tunc maxime ad mortem ſe quiſque præparare debet, cum morbo quodam affligitur; quia morbi ſunt quaſi nuntii a Deo miſſi, ut hominibus mortem vicinam eſſe deſignent. Et ideo cum quis morbo affligitur, dicere non debet: levis eſt morbus meus: in nullo verſor mortis periculo: non eſt quod timeam, nec quod Confeſſarium & ſalutis medicum advocem. Sed mox ut quis in morbum incidit, intra ſe dicere debet: ecce nuntium a Deo ad me miſſum, ut me mortalem eſſe moneat, utque mortem vicinam eſſe annunciet: quare volo criminum meorum veniam a Deo jamjam petere: volo ſine ulla mora, mea confiteri crimina, ac alia omnia ad ſalutem neceſſaria abſque ulla dilatione peragere, ut ad imminentem mortem me præparem.

Multi tunc morte corripiuntur; cum mortem proſpiciunt, & cum multos longioris vitæ annos ſibi promittunt. Nonne quotidie viros videmus, quorum integra cenſebatur valetudo, & qui in hoc mundo ſe diu victuros arbitrabantur: qui tamen ſubitanea præventi morte ex hoc mundo exeunt? Nonne quotidie audimus, jam iſtum, jam illum, qui ſani, bene valentes, & vegeti cenſebantur, apoplexia ſuffocatos, vel alio aliquo morbo confectos, ad manes migraſſe? Hoc paſſim accidit: & hoc cuique accidere poteſt. Quare quantumvis quis ſanus ſit, ad multo promptius ſe præparare debet. Sed ad eam multo promptius ſe præparare debent, qui infirmantur: quia mortem viciniorem habere cenſentur, & in majori ſubitaneæ mortis periculo verſantur.

A morte pendet æternitas: ſi morte juſtorum moriamur, in æternum felices erimus, & bene nobis erit; ſed ſi morte impiorum moriamur, in æternum miſeri, & formidandis inferni ſuppliciis addicti erimus: Quare, licet certi eſſemus, nos in hoc mundo annis mille, & centum mille victuros, omnibus prolixi illius temporis momentis ad mortem nos præparare deberemus, ut in æternam damnatorum mortem non incurreremus, & ut ſempiternam cælitum felicitatem obtineremus. Si autem ad mortem tam diuturno tempore quiſque ſe præparare deberet: quanto majori jure ad eam nos præparare debemus toto vitæ noſtræ tempore, quod breviſſimum eſt? Sed quanto accuratius ad eam nos præparare convenit, cum in infirmitatem labimur, cumque mortem vicinam eſſe, nobis annunciatur? Certe tunc ad eam quiſque diligentiſſime, & citiſſime ſe præparare, ac ea quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, agere debet: ut morte juſtorum moriatur, & ut æternam beatitudinem aſſequatur.

Licet mille annis ad mortem nos præpararemus, & toto hoc tempore diriſſima ſæculi ſupplicia perferremus: minima, & quaſi nulla eſſet hæc præparatio, reſpectu bonorum cæleſtium, quæ mediante hac præparatione obtinere ſperamus. Immo, inquit Chryſoſtomus: *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre: ſi ipſam gehennam aliquo tempore tolerare, pro eo ut Chriſtum videre poſſemus in gloria, & Sanctorum ejus numero aſſociari: non erit dignum pati omne quod triſte eſt modo, ut tanti boni, tantæque glo-*

Digitized by Google

*gloriæ participes habeamur?* Toto ergo vitæ tuæ tempore ad mortem te præpara: & tunc magis, tunc ſtudioſius, cum infirmaris, cumque morbus mortem imminere deſignat. Tunc majori ſollicitudine, & diligentia ad eam te præparare, & ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, facere debes: ut morte juſtorum moriaris, & æternam beatitudinem obtinere valeas.

Cum ergo quis veſtrum infirmatur, conſcientiæ ſuæ intima luſtret: videat, an intra ſemetipſum grave quoddam lateat peccatum, quo divina gratia, & æterna beatitudine indignus fiat. Si quod autem tale in ſemetipſo adnotet peccatum, illud quam citiſſime per pœnitentiam deleat, & alia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, promptiſſime faciat. Ecce primum, quod facere debet infirmus. Secundum, quod agere debet, eſt: *Quod infirmitatis incommoda patienter ſuſtineat.*

## SECUNDA PARS.

*Qui ægrotant, corporis dolores patienter ſuſtinere debent.*

MOrborum ſuorum principia & cauſas ad Deum non referunt multi, ſed ad cæli intemperiem, ad peſtiferos aſtrorum influxus, ad nimiam a cibis abſtinentiam, ad humorum inordinationem, vel ad aliam aliquam cauſam naturalem. Verum quidem, quod a cauſis naturalibus procedere ſoleant morbi: ſed ab iis procedunt, quia ſic Deus fieri permiſit & ordinavit. Unde in omnibus morbis & adverſitatibus quas patimur, Deus inſpiciendus tamquam prima cauſa, a qua omnia mala pœnæ, quæ patimur, primario procedunt, *Bona, & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas a Deo ſunt. Eccli. 11. 14.*

Malum culpæ, ſeu peccatum, non fecit, nec facere poteſt Deus; quia eſſentialiter impeccabilis eſt; ſed omnium morborum, omniumque malorum pœnæ ipſe prima eſt cauſa. Et ideo ſi podagra crucieris; ſi dentium dolore torquearis; ſi peſte, hydropiſi, vel alio morbo labores, ad Deum tuum refer flagellum tuum; eumque ut auctorem & cauſam omnium morborum, quos pateris, inſpice: cum ipſe omnium malorum pœnæ auctor & cauſa ſit; nec aliquod ſit malum, quod ipſe non fecerit: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit. Amos 3. 6.* Agnoſce ergo Deum, ut auctorem omnium morborum quibus affligeris: agnoſce, quod ſint *a Deo*, qui creavit te; *a Deo*, qui te redemit; *a Deo*, qui Pater & Protector tuus eſt; *a Deo*, qui diligit te; *a Deo*, qui percutit ut ſanet; *a Deo*, qui graviſſima pro tui ſalute perpeſſus eſt: *a Deo* qui calamitates non immittit, niſi ob bonum finem; *a Deo*, qui petit, ut æquo animo & patienter perferas morbos quibus gravaris. Quare cum infirmitates tuæ ſint a Deo, eas omnes, quantumvis graves, & diuturnas, æquo animo, & patientiſſime ſuſtinere debes.

Patienti animo, & placide infirmitates, aliaſque omnes tribulationes patiebatur Vates Regius: tantaque ejus erat patientia, ut obmuteſceret, nec quomodocumque os ſuum aperiret: *ſive*, ut murmuraret: *ſive*, ut de Dei providentia conquereretur: *ſive*, ut verba blaſphemiæ, maledictionis, vel impatientiæ proferret: *Obmutui, & non aperui os meum. Pſalm. 38. 10.* Tanta autem hæc ejus erat patientia: quia Deum, ut morborum, aliarumque adverſitatum ſuarum auctorem reſpiciebat: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* Imitare S. Prophetam: infirmitates, quibus gravaris, patienter ſuſtine: quia ſunt a Deo, qui diligit te; & qui eas non immittit, niſi ob bonum finem, & ad profectum tuum ſpiritualem.

Infirmitates ſane patienter ſuſtinere debes, ſi conſideres, eas a Deo eſſe. Sed & eas patienter & æquo animo perferre debes; ſi perpendas, eas eſſe ſpeciale Dei donum, ac verum amicitiæ ejus ſignum. Nec de hoc dubites, cum aſſerat Deus, ſe eos amare, quos caſtigat: *Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Apoc. 3. 10.* Sicut continua corporis ſanitas, magnaque proſperitas, ſignum eſt odii; & ut ait S. Gregorius: *Magnus affluxus rerum temporalium, æternæ damnationis eſt indicium*: ita e contrario infirmitates, & aliæ adverſitates, quibus Deus homines in hoc mundo affligit, ſunt ſignum amicitiæ ejus: quia Deus eos non affligit, niſi ut eos ſanctificet & ſalvet. Quare infirmitates quaſcumque, quantumvis graves & diuturnas, ut beneficia, & ut pretioſa Dei dona benigne recipere, & patienter ſuſtinere debes.

Hac ſana ratione infirmitates quiſque patienter ſuſtinere debet, ſed & eas patienti, & æquo animo ſuſtinebit, qui advertet, infirmitates a plurimis peccatis, & peccandi occaſionibus revocare. Quod ipſa experientia conſtat: cum enim quis gravi infirmitate detentus, cubili decumbit, ad cauponam non vadit, ebrietati non vacat, choreas non ducit, prohibitas non adit domos, impiorum conſortio non ſe immiſcet, ſuperbis & ſcandaloſis non induitur veſtibus, a luxuria, aliiſque plurimis abſtinet peccatis. Et ideo per Prophetam dicit Deus, quod ſpinis viam impiorum ſeplet: *Ego ſepiam viam tuam ſpinis. Oſeas 2. 6.* Quia ſcilicet, morbi ſunt quaſi ſpinæ, & ſepes, quibus impediuntur peccatores, ne ad peccatum currant. Ama ergo infirmitates, eaſque patienter ſuſtine, cum a multis peccatis revocent, & præſervent. Sed & infirmitates ſunt patienter ſuſtinendæ: *quia nos ad Deum ire compellunt.*

Plurimi quidem ad Chriſtum Dominum properabant, dum in hoc mundo verſaretur: ſed nulli tanto ad eum conatu, tantoque affectu veniebant, quanto qui gravi aliquo morbo laborabant. Hæmorrhoiſſa per mediam turbam perrupit, ut fimbriam illius tangeret; Chananæa pro filia infirma deprecans, ter repulſam paſſa, non deſtitit a precibus. Cæcus ille clamans, tacere juſſus, multo magis clamabat: Centurio pro ſervo, quem plurimum diligebat, ad Chriſtum legationem miſit; Regulus multo itinere ad Chriſtum acceſſit, ac pro filio infirmo enixe, & conſtanter rogavit. Quibus & aliis exemplis patet, quod infirmitates ad Deum ire compellant. *Mala, quæ hic nos premunt, ad Deum ire compellunt.* Quare cum infirmitates ad Deum nos ire compellant, amandæ ſunt, & patienter ſuſtinendæ pro amore Dei, qui eis utitur, ut nos a viis iniquitatis avertat, noſque ad ipſum properare cogat.

Si alias multas rationes hic colligere liceret, dici poſſet, infirmitates patienter ſuſtinendas: quia corpus domant, & ſpiritui ſubjiciunt: quia inordinatos paſſionum motus comprimunt; quia virtus infirmitate perficitur: quia morbi probant, qui ſint veri, & legitimi Dei ſervi; quia morbis, æquo animo perpeſſis,

Digitized by Google

fit, glorificatur Deus, gratia divina obtinetur, Purgatorii horrenda vitantur ſupplicia, & immenſa Cæli bona comparantur. Sed ut in immenſum mea non protrahatur oratio: velim ſolummodo conſiderent, qui infirmantur, quæ & quanta pro ipſis, licet indignis, & ingratis, paſſus ſit Chriſtus; velim tantum ut Chriſtum pro eorum ſalute cruci affixum ſerio contemplentur. O homo qui infirmaris, reſpice in faciem Chriſti tui, & patienter ſuſtine infirmitates tuas, pro amore illius, qui tam acerba, & tam portentoſa pro tui amore in cruce paſſus eſt. At qui infirmi ſunt, non ſolum corporis dolores patienter ſuſtinere debent; *ſed & bona temporalia, ſi quæ habent, pie & juſte diſtribuere tenentur.*

## TERTIA PARS.

*Qui ægrotant, bona temporalia pie, & juſte diſtribuere debent.*

QUi ſapiunt in ſæculo, de temporalibus bonis ſtatuunt cum bene ſe habent, quia tunc ſano pollent judicio, & melius norunt quid, & quomodo res agant, quam cum infirmantur. Qui tamen, antequam ægrotent, de rebus ſuis nullo modo, aut malo modo ſtatuerunt, de iis ſtatuere debent cum infirmantur: ac de iis ita ſtatuere tenentur, ut *prima* aliena, ſi quæ detinent, hæredibus poſſidenda non relinquant; ſed propriis dominis reſtituant. Ut enim ait D. Auguſtinus: *Qui contra jus ſocietatis humanæ furtis, rapinis, calumniis, invaſionibus, aliqua abſtulerit, reddenda potius, quam donanda cenſemus. Auguſt. ep. 54. ad Maced.* Nec credas, ad hoc ex conſilio ſolum teneri qui aliena detinent; hoc enim eſt de præcepto; ac ut loquitur, & docet D. Thomas: *id reſtituere, quod injuſte ablatum eſt, eſt de neceſſitate ſalutis. D. Th. 2. 2. q. 62. art. 2.*

Et quod maxime adnotandum, non ſolum reſtitui debent injuſte ablata; ſed juſtitia, & æquitas poſtulant, ut reſtituantur omnia lucra ex inique ablatis provenientia; *Non tantum ſunt reſtituenda ablata, vel injuſte accepta; ſed etiam omnes proventus, & omnia lucra ex his provenientia ſunt reſtituenda. D. Th. de uſur. c. 1. in princip.*

Hoc capere nequeunt, vel capere nolunt teſtatores; maluntque cæleſti beatitudine in æternum privari, & ſempiternis addici ſuppliciis, quam aliena hæredibus non relinquere, & *ut hæredes divites habeant, æterna ſeipſos morte condemnant. Salvian. lib. 3. ad Eccleſ. Cathol.*

O quam ſtulti & ſtolidi ſunt, qui teſtamentis ſuis aliis præparare curant divitias; ſibi ſummam egeſtatem: aliis gaudia, ſibi lacrymas: aliis voluptatem brevem, ſibi ignem perennem: aliis beatitudinem temporaneam, ſibi miſeriam, & afflictionem æternam: *Infidelis & ſtultus eſt, qui mavult præſtare aliis ut ſit miſer, quam ſibi ut ſit beatus, & ut alios affluere facias divitiis temporariis, ſe trahis urendum ignibus ſempiternis. Ibid.* Heu! quid prodeſt homini, relinquere hæredibus divitias multas; ſi ipſe in peccato moriatur, & æternis flammis adjudicetur? Nil equidem. Flammæ etenim infelicium mortuorum, divitiis non refrigerantur hæredum: filii divites non liberabunt parentes reos: nec reſtinguet flammas miſeri teſtatoris deliciis affluentibus opulentus hæres.

Quare in teſtamento tuo, hoc primo accurate ſerva, quod aliena hæredibus non relinquas: ſed ea propriis dominis reſtituas.

*Secundo.* Ita bona tua teſtamento ſunt diſtribuenda, ut poſt mortem tibi ſint utilia: *Ita moriens ſubſtantiam ſuam alteri deputa, ut capere ex ea fructus poſt mortem ipſe poſſis. Salvian. ib.* Ut autem ex his emolumentum aliquod poſt mortem percipere valeas, fac legatum Chriſto, ſeu pauperibus & Eccleſiis. *Si quis filium habet, putet Chriſtum alterum; ſi duos filios habet, putet Chriſtum tertium: ſi decem habet, Chriſtum undecimum faciat: & ſuſcipiet ex teſtamento fructum. Auguſt. lib. 2. de vita & morib. Cleric.*

Qui ſalutis ſuæ zelo ſuccenſi ſunt, per ſeipſos bona pauperibus, & Eccleſiis diſtribuunt: non autem per hæredes, vel per teſtamentorum executores; qui ſæpe infideles, doloſi, avari, & cupidi ſunt: nec de teſtatorum voluntate adimplenda curant. Si tamen ea per voſmetipſos non diſtribuatis; teſtamentum conficite, quod chriſtianam redoleat pietatem: & in quo juxta facultates a Deo vobis datas, legatum faciatis Chriſto. Quæ enim tunc aliis daris, ad utilitatem eorum datis: quæ vero Chriſto datis, ſeu, quæ in pia opera impenditis, vobis datis, vobiſque poſt mortem utilia ſunt: *Tum* ut formidanda Purgatorii vitetis ſupplicia; *Tum*, ut majorem in cælo mercedem percipiatis. Teſtamenta ergo ita componite, ut pia ſint, vobiſque utilia. Ac tandem ita facienda ſunt teſtamenta veſtra, ut juſta ſint: ita ſcilicet, ut ſervata juſtitia, & æquitate, bona veſtra iis quibus diſtribui debent, legitime diſtribuatis.

Hoc præclare docuit Eminentiſſimus Cardinalis Richelius, dicens, quod in cujuſque teſtamento lucere debeant pietas, & juſtitia; *Pietas*; ita ut quiſque pauperibus & Eccleſiis facultatum ſuarum congruentem portionem relinquat: *Juſtitia*, ita ut quiſque bona ſua juxta rectæ rationis, & æquitatis regulas diſtribuat. *Inſtruct. du Chretien.* Si quid enim unquam in homine eſt pietatis & juſtitiæ, tunc maxime micare debet, cum tempus reſolutionis inſtat, & cum formidanda reddendæ Deo rationis hora imminet; quare tunc quiſque de rebus ſuis legitime ſtatuere debet, ita ut cuique reddat quod ei ex æquitate reddi debet; & ita ut ſe in pia legata liberalem exhibeat.

Hæ ſunt regulæ, quas infirmi in bonorum ſuorum partitione & diſtributione ſervare tenentur. O quam miſeri & ſtulti ſunt, qui eas non ſervant, & qui ut alios bonorum ſuorum hæredes inſtituant, ſeipſos æterna Paradiſi hæreditate privant! *Quæ inſania eſt, o miſerrimi, ut hæredes alios quoſcumque faciatis, vos ipſos exhæredetis? Quæ inſania eſt, o miſerrimi: ut alios relinquatis vel brevi divites, vos ipſos æterna mendicitate damnatis? Salvian. lib. 2. ad Eccleſ. Cathol.*

O quam multi hac laborant ſtultitia! o quam multi, qui cum in morte poſſent, recta bonorum ſuorum diſtributione, æterna vitare ſupplicia, & cæleſtia regna comparare; ita tamen ſtolidi, & ſtulti ſunt, ut malint cum animæ & ſalutis ſuæ detrimento, bona aliena non reſtituere, vel ſua non recte diſtribuere, quam legitimam bonorum diſpenſationem facere. & ſtabilire!

O ſtulti, aliquando ſapite; plus de vobis, quam de

Digitized by Google

de aliis curate; nec tam ſatagite quid alii facturi ſint, quam quid de vobis ſit faciendum poſt mortem. Et ideo cum gravi quadam laboratis infirmitate, ultima Sacramenta prompte percipite, omnia valetudinis incommoda patienter ſuſtinete, ac de bonis temporalibus pie, & juſte ſtatuite. Hoc ſi faciatis, æternis in cælo bonis Deus vos ditabit. *Amen.*

## DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

## DE SALUTIS NEGOTIO.

*Aſſimilatum eſt Regnum Cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.* Matth. 18. 23.

QUot in hoc mundo ſunt homines, tot ſunt, & negotiatores, quos omnes Deus condidit, ut ſalutis ſuæ negotio quiſque vacet. Unde totus iſte mundus ſublunaris, videtur eſſe quaſi magnus mercatus, & quaſi publicum emporium, ad quod omnes miſſi ſunt homines, ut quiſque negotiationi incumbat, utque ſalutis ſuæ negotium quiſque debite peragat.

Sicut autem rerum temporanearum mercatores, non maris pericula ab officio negotiandi prohibent, non latronum inſidiæ terrent, non aſperi itineris caſus vetant, non hyemis frigus, non æſtatis calor retinet: ita & nos, ut ſalutis noſtræ negotium debite geramus, & ad felicem exitum perducamus, nil non ſuſcipere, nil non agere, nil non pati debemus.

Tempus adveniet, in quo omnes penitus homines, veluti negotiatores, ad Chriſti, Regis Regum, tribunal ſiſtentur, ut quiſque de villicatione, & de ſalutis ſuæ negotio rationem reddat. Tunc homo ille Rex, rationem ponet cum ſervis ſuis: *Aſſimilatum eſt Regnum Cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.* Quare ut quiſque paratus ſit ad reddendam rationem de ſalutis ſuæ negotio; doceamus, quomodo quiſque in hoc mundo ſaluti ſuæ vacare debeat, &c. *Ave.*

CUm quodam magni momenti negotium peragere vult vir ſapientia & prudentia præditus; *Primo*, illud ſerio mente revolvit, ac attente meditatur quæ aſſumenda ſint media, ut res proſpere ſuccedat: *Secundo*, ex cogitatione finis, & mediorum ad propoſitum finem aſſequendum idoneorum, in corde ejus naſcitur deſiderium, & ardens voluntas intentum finem obtinendi. *Tertio*, manum operi admovet, & efficaciter laborat, ut res ſibi bene, feliciterque eveniat.

Quod autem in ſæcularibus negotiis agere ſolent viri ſapientes hoc; longe perfectiori, & eminentiori modo Chriſtus in ſalutis noſtræ negotio egit; ab æterno enim negotium illud mente verſavit, idem negotium proſpere nobis eventurum deſideravit ab ipſo inſtanti, quo homo factus eſt, ac tandem toto vitæ ſuæ tempore arduos labores obiit, ut ſalutis media nobis compararet, utque a lata perditionis via, ad arctam ſalutis ſemitam nos deduceret.

Miramini Chriſti in homines amorem; qui tantus extitit, ut ſalutis eorum negotium mente verſaverit, corde concupierit, & laboribus ſuis proſperum iis futurum curaverit. Sed, & quoad hæc omnia ab hominibus Chriſtus eſt imitandus: quiſque enim ita ſalutis ſuæ negotio incumbere debet, ut mens ſua, cor ſuum, & manus ſuæ huic negotio vacent. Quiſque debet; 1. De ſalute ſua ſerio cogitare: 2. Salutem ſuam ardenter deſiderare: 3. Pro ſalute ſua ſedulo laborare. Mens cogitet, cor deſideret, manus laboret. En quomodo ſalutis ſuæ negotio vacandum.

### PRIMA PARS.

*Quiſque debet de ſalute ſua ſerio cogitare.*

SI omnium hominum corda ſcrutari, variaſque cogitationes, quibus agitantur, adnotare liceret, multos diſceptandis litibus totaliter intentos, plurimos divitiis comparandis attentos, innumeros illicitis voluptatibus capeſſendis tota mente vacantes; & fere omnes vanis, ridiculis, immo ſæpe turpibus & exitioſis cogitationibus diſtentos videremus.

Certos quoſdam piſces eſſe fertur, qui aquis nunquam ſupernatant, nec ad ſupremam aquæ ſuperficiem unquam aſcendunt; ſed ad maris ima ſemper vergunt, ibique juxta terram in luto ſemper volutantur, & repunt: *Hæc eorum natura perhibetur, ut in imo ſemper, & circa ipſum cænum demorentur. Orig. hom. 7. in Levit.* Hujuſmodi piſcibus ſimiles ſunt plerique mortalium, qui cogitationibus ſuis ad terrena conſideranda ſemper deſcendunt, qui de vanis, de temporaneis, & de terrenis continue cogitant, nec corda ad cæleſtia contemplanda, & ad ea quæ ſalutis ſunt ſerio meditanda, niſi rariſſime, elevant.

Hoc præclare adnotaverat Jeremias Propheta, qui flens, ait, deſolatione deſolatum eſſe totum terrarum orbem, quia homines de ſalutis ſuæ negotio non cogitant. Urbes, inquit, Provinciæ, Regna, omnis denique terra deſolata eſt: *Deſolatione deſolata eſt omnis terra. Jer.* 12. 11. Unde tanta deſolatio? Forte a peſte, quæ undique graſſatur, quæ urbes in ſolitudines convertit, & undique mortis terrores, & horrores circumfert? Forte a bellis internecinis, quibus omnes depopulantur urbes, Monarchiæ evertuntur, omniaque ſolo æquantur? Forte a terræ ſterilitate, quæ nullos fructus producit: vel, a frequentibus terræ motibus, quibus plurimæ degluttiuntur urbes, populique multi ſub ædificiorum ruina ſepeliuntur? Hæ ſane non ſunt cauſæ gemituum Jeremiæ, non hæc eſt terræ deſolatio, quæ Prophetam ad amare flendum excitat. Sed deſolatione deſolata eſt terra, & flet Jeremias, quia homines de ſalutis ſuæ negotio non cogitant; aut ita negligenter de eo cogitant, ut quaſi de eo non cogitent: *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde.*

Grave quidem eſt hoc malum: & ſanguineis lacrymis lugendum. Sed o quam ſtulti, qui de ſalutis ſuæ negotio peragendo ſerio non cogitant; *ſalutis immemores, ſunt quaſi ſtulti. S. Bernardin. Tom. 1. ſerm.* 13.

Hæc eſt differentia inter ſtultos & ſapientes, quod ſapientes, attentis mentis ſuæ oculis, ſpiritualia contemplentur, ſtulti vero terrenis inſpiciendis oculos intentos habeant. Viri prudentes, qui chriſtiana pollent ſapientia, toti ſunt in contemplanda Dei boni-

Digitized by Google

bonitate, Beatorum gloria, virtutis pulchritudine, ſalutis via, aliiſque rebus ſpiritualibus, quæ corporis oculis videri nequeunt. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: 2. Cor. 4. 18.* ſtultorum vero oculi extra terræ fines non vagantur, *oculi ſtultorum in finibus terræ. Prov. 17. 24.* Iſti vident ſolummodo divitiarum fulgorem, dignitatum terrenarum gloriam, carnalium voluptatum illecebras, ſæculi pompam, & alia quæ mundus admirari, & ſummo affectu proſequi ſolet. Iſta vident, iſta admirantur, ſed ſpiritualia, & ea quæ ſalutis ſunt, non vident; immo nec de iis cogitant, & curant; o magnam hujuſmodi virorum ſtultitiam!

Nonne ſtultus cenſeretur ille, qui cum incumberet grave negotium, in quo de vitæ diſcrimine ageretur; totus tamen eſſet capiendis muſcis, volvendis ſtercoribus, ludis puerilibus, & aliis futilibus, nulliuſque momenti rebus? Magna ſane illius eſſet ſtultitia, ac longe major & flebilior eorum ſtultitia, qui mente, & corde toti ſunt temporalibus, nec de ſalutis negotio cogitant. Quid enim ſunt terrena omnia, niſi muſcæ quæ citiſſime avolant? Quid ſunt, niſi ſtercora quæ fœtent, *omnia arbitror ut ſtercora? Philip. 3. 8.* Quid ſunt, niſi ſpinæ quæ pungunt, & dire cruciant? Quid tandem, niſi fumus, pulvis & nihil? Et tandem iſta ſtulti ſunt plerique hominum, ut ſalutis negotium, in quo de anima, de æternæ beatitudinis jactura, & de formidandis inferni ſuppliciis vitandis agitur, pro nihilo habeant, ejuſque obliviſcantur, totoſque ſe mente corde, & affectu temporaneis dedant. O incomprehenſibilem, nec unquam ſatis lugendam hominum ſtultitiam!

Hæc hominum ſtultitia præclare delineata eſt in divite illo, qui anxius *cogitabat, intra ſe dicens; quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Luc. 12. 17.* Cogitabat ille, & intra ſe cogitabat, & ſerio cogitabat, non quæ ad ſalutem ſpectabant, ſed de congregandis terræ fructibus, de ampliandis horreis, de cibo, de potu, de ventre impinguando, de terrenis bonis, & de temporanea felicitate: quare a Deo ſtultus merito vocatus eſt: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te. Ibid.*

Stultus erat ille, & ſtultiſſimi ſunt omnes, qui carni, terræ, mundo, temporaneis, & tranſitoriis ita adhærent, ut ſalutis ſuæ ſint immemores. Nec ſolum ſtulti ſunt illi, ſed etiam infeliciſſimi, quia ſalvari non poſſunt, ſi de ſalute ſua non cogitent. Non enim ſalvari poſſunt, niſi pro ſalute laborent, nec pro ſalute laborare poſſunt, niſi ſerio cogitaverint, quæ ſint media ad ſalutem, quid facere, quid vitare debeant ut ſalventur, & quomodo ſe habere debeant in caſibus innumeris, iiſque difficilibus, qui in ſalutis negotio occurrunt. Quare ſi de ſalute ſerio non cogitent, non ſalvabuntur, ſed in æternum peribunt: *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt Job 4. 20.*

Antequam Deus mundum conderet univerſum, perfectam, & integram in mente ſua habebat ideam Cæli, terræ, & eorum omnium, quæ in mundo ſunt, nec mundum in tempore facere potuiſſet, niſi mundi idea in mente ejus antea fuiſſet, *Iſte mundus Deo niſi notus eſſet, eſſe non poſſet. Auguſt. lib. 10. de Civ. c. 10.* Quod de mundo diximus reſpectu Dei, hoc & de ſalutis negotio dicamus, reſpectu hominum: quomodo enim ſalvari poſſunt, ſi de ſalute ſerio non cogitaverint? Quomodo ſalutis negotium peragere valent, ſi ſalutis ſuæ fuerint immemores, & ſi antea pluries mente non verſaverint quæ ad ſalutem neceſſaria, & neceſſario agenda ſunt? Certe ut ſalventur, de ſalute ſerio cogitare debent, & ſi non cogitent, æternum peribunt; *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt.*

Certum eſt, quod velit Deus, omnes homines ſalvos fieri, quodque omnibus det media ad ſalutem neceſſaria: ſed Deus Regnum ſuum non dat otioſis & deſidioſis. Omnes ſalvari vult, modo bonis operibus vacent, nec cuiquam Regnum æternum dabit poſſidendum, niſi prius ſalutis ſuæ negotio ſtrenue laboraverit. Quomodo autem ſalutis ſuæ negotio incumbere, illudque peragere poſſunt, qui de eo nec cogitant, aut leviſſime cogitant? Hi ſane ſalvari non poſſunt. Sed quia hi ambulant ut cæci, in tartarei rogi præcipitium cadent; & ut ait S. Gregorius, clauſis oculis ad inferni ignem vadent: *Qui prævidere futura refugit, clauſis oculis ad ignem vadit. S. Gregor. hom. 39. in Evang.*

Quare, o peccator, tandem aliquando de ſalute ſerio cogita. De ea non cogites leviter, & perfunctorie, ſicut ſolitus es, ſed ſedulo; ſed ſæpe; ſed quotidie, tanquam de negotio, quo nullum majus, nullum quod tua magis interſit, nullum cui magis incumbere debeas. De iſto negotio ſerio cogita, ſæpe cogita, efficaciter cogita, ſinguliſque diebus, ſaltem aliquantulo temporis ſpatio ſecede in cubiculum tuum, vel in alium locum; ut ibi de ſalutis tuæ rebus cum Deo ſolus cum ſolo colloquaris. Singulis diebus mane, ſero, & ſæpe in temetipſum mente ingredere, & ſedulo cogita quid agere, & quid vitare debeas, ut tantum negotium ad felicem exitum perducas: tota tandem mente huic negotio vaca; *Ac etiam toto corde, ita ut toto affectu ſalvari deſideres.*

## SECUNDA PARS.

*Quiſque debet ſalutem ſuam ardenter deſiderare.*

SI ab omnibus fidelibus quæramus, an ſalvari deſiderent, non eſt, qui non dicat ſe ſummo affectu cæleſtem concupiſcere beatitudinem, ſeque ſalutis ſuæ deſiderio plurimum ardere. Ipſi impii hujuſmodi nonnunquam agitantur affectibus; & interdum audiuntur, dicentes, o utinam cum Sanctis in Cælo æterna frueremur beatitudine! Utinam ſolutis carnis vinculis, anima noſtra Deo frueretur! Utinam a terrenis ad cæleſtia tranſlati eſſemus! Sed revera, ſicut pauci de ſalute ſua ſerio cogitant, ita & pauciſſimi vere, ſincere, & ardenter ſalvari deſiderant.

Verum quidem, quod omnes aliquo modo ſalvari velint, ſed ſimul volunt, & nolunt: *Volunt* ſalvari; *& nolunt* media ad ſalutem neceſſaria ſumere, quod eſt velle ſimul & nolle ſalvari, quæ incompoſſibilia ſunt. Vel ut congruentius loquar, hoc eſt ſimpliciter nolle; dum ſalvari non vult, qui media ad ſalutem neceſſaria ſumere recuſat.

De homine pigro dicit Sapiens, quod velit ſimul & nolit: *Vult & non vult piger. Prov. 13. 4.* Omnes autem fere homines in ſalutis ſuæ negotio pigri ſunt, & deſidioſi: quia volunt, & nolunt. Quod ut, quam verum ſit, pateat; dic cuidam peccatori:

vis

Digitized by Google

vis ſalvari? Reſpondebit haud dubie: utique volo. Sed inſta, & dic ei: ſi ſalvari velis, neceſſe eſt, ut hanc & illam peccandi proximam abſcindas occaſionem, ut pravum hunc & illum frangas habitum, utque ſerio pœnitentiam agas. Iſta facere nollet; quia *vult & non vult piger*: vult ſalvari; ſed media ad ſalutem neceſſaria ſumere non vult.

Quando Concionator quidam, zelo ſalutis animarum ſucceſus, de formidandis Dei judiciis, de horrendis inferni ſuppliciis, vel de alia materia, ad terrorem incutiendum idonea, dicit, tremant nonnumquam peccatores qui talia audiunt; ſua quandoque deteſtantur ſcelera; proteſtantur ſe ſalutis negotio impoſterum adhæſuros; ſalvari tunc deſiderant, ſed mox ut facta eſt concio, nec ſalvari cupiunt, nec de ſalute cogitant. Hi volunt, & nolunt ſalvari: *Volunt*, quando fit concio; *Nolunt*, quando facta eſt.

Quando in domo ſæculari pater familias, vel alius quidam moritur, filii & domeſtici quamdiu cadaver in domo remanet, ejus præſentia perterriti, terrenorum omnium contemptum mente volvunt; ſe novum vivendi modum amplecti velle dicunt; volunt pie vivere, firmiterque ſtatuunt, ſe ſalutis negotio adhæſuros: ſed vix cadaver extra domus valvas delatum eſt, quod tepeſcat illud deſiderium, deinde totaliter frigeſcat, & in fumum exeat; ac tandem qui ſalvari volebat, mox ſalvari non vult, nec de ſalute curat: *vult, & non vult*.

Languida, debilia, & quaſi nulla hæc, quæ de ſalutis negotio habentur, deſideria, corde chriſtiano indigna ſunt: Chriſtianus enim ſuam optare debet ſalutem; ſed ardenter; ſed fervide; ſed ſummo cum affectu. Videte, quanto cordis ardore ſalutem noſtram Chriſtus concupierit: ab ipſo enim Incarnationis inſtanti, ſalutis noſtræ deſiderio arſit, & poſtquam e matris ventre egreſſus eſt, per vicos, per plateas, & per varias urbes, hoc ſucceſus deſiderio, cucurrit: *Cucurri in ſiti*. *Pſalm. 61. 5.* Quamdiu in hoc mundo moratus eſt, cucurrit ſitiens ſalutem noſtram: hac ſiti & hoc deſiderio ardens, populis prædicavit, ſanctiſſimam legem tulit, ludibria, & opprobria multa devoravit, plurimoſque labores jucundiſſimo animo ſuſtinuit: ac tandem cruci affixus, ita ſalutis noſtræ deſiderio exarſit, ut clamaverit: *Sitio*. Tunc enim humani generis ſalutem ſitiebat Chriſtus; tantaque hæc illius erat ſitis, ut plus a ſiti noſtræ ſalutis, quam a carnificibus torqueretur: *Domine, plus te cruciat ſitis noſtræ ſalutis, quam crux tua. S. Bernard.*

O quam magna extitit Chriſti ſalvatoris ſitis! O quam ardenter ſalutem noſtram optavit! Cur ergo nos propriam ſummo affectu non concupiſcemus ſalutem? Cur ſalvari quiſque non ardentiſſime deſiderabit? Quod nos ſalvemur, vel non ſalvemur, hoc Chriſto parum intereſſe videtur. Quod ſalvati, vel damnati ſimus, inde Chriſtus nec major, nec minor; nec felicior nec infelicior erit; ſed quod ſalvemur, noſtra res eſt, felicitas noſtra eſt; totumque bonum noſtrum a ſalutis negotio pendet: quare ſi ſalutem noſtram ardenter Chriſtus deſideravit, debemus & nos illam ardentius deſiderare.

Hoc ſane motivum efficaciſſimum videtur, ut homines ad ſalutis ſuæ deſiderio ardendum excitentur. Sed hoc magis adhuc in cordibus noſtris accendetur deſiderium, ſi inſpiciamus cæleſtem beatitudinem, pro qua obtinenda indeſinenter ſuſpirare debemus.

Potiſſimum ſane motivum, quo excitari debemus ad ſalutem noſtram deſiderandam, ſunt ipſa cæleſtia bona, ad quæ indeſinenter anhelandum eſt: quia magna, quia ineffabilia, & incomprehenſibilia ſunt. Quis intellectu capere ſufficit, quanta ſupernæ civitatis ſint gaudia? Quanta ſit gloria? Quanta felicitas? Quanta bona? Certe tanta ſunt, ut ſi omnia ſæculi, immo & inferni tormenta aliquamdiu perferenda eſſent ad conſequenda Paradiſi bona, ea libenter quiſque tolerare deberet: *omnia ſi oporteret nos quotidie tormenta perferre; ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, ut Chriſtum in gloria ſua videre poſſemus, & Sanctis ejus ſociari, nonne dignum eſſet pati omne quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes habeamur?* Quare cum tanta ſint Regni cæleſtis bona, ad ea ſuſpirare, ſalutemque noſtram ſummo affectu deſiderare debemus. *Sed & pro ſalute noſtra ſedulo debemus laborare.*

## TERTIA PARS.

*Quiſque debet pro ſalute ſua ſedulo laborare.*

TAnta multorum eſt inſania, ut vilibus, & nullius momenti rebus ſe totos dedant, & pro ſalutis ſuæ negotio nullo modo laborent. Hanc hominum ſtultitiam deplorabat D. Paulus; hominesque rogabat, ut ſalutis ſuæ negotio incumberent, & ſedulo laborarent: *Rogamus autem vos, fratres, ut negotium veſtrum agatis. 1. Theſſ. 4. 11.* Alia negotia quæ ad ſalutem non ſpectant, noſtra negotia non ſunt. Si laboras, ut in arte medica doctus fias; non tam te, quam alios quorum morbis curandis incumbes, hoc negotium reſpicit. Si noctu, diuque vigiles, ut utriuſque Juris lauream obtineas; hoc negotium, non tam tuum eſt, quam aliorum, quorum litibus componendis, vel cauſis defendendis vacabis. Hæc & alia his ſimilia, non tam noſtra, quam aliorum ſunt negotia: quare ſalutis negotio, quaſi noſtro, & non aliorum negotio, ſtrenue, & conſtanter laborandum eſt.

Deus hominem in hoc mundo poſuit, ut ſuo negotio uſque ad mortem laboraret: *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam. Pſ. 103. 23.* Vult Deus, ut homo exeat, non ad turpe otium, non ad ludos, non ad epulas, & varia alia mundi oblectamenta; ſed ad opus: *exibit homo ad opus.* Nec vult Deus, ut homo ad quodcumque opus, & ad quodcumque negotium, ſed ad ſuum ſolummodo exeat: nec vult, ut ad illud pro aliquo ſolum tempore exeat; ſed uſque ad mortem: *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam.*

Vult quidem Deus, ut quiſque negotiis ſtatui, & conditioni ſuæ congruis, vacet: ſed ita ut & ſimul ſalutis ſuæ negotio incumbat. Vult Deus, ut temporaneis noſtris negotiis operam demus; ſed ita, ut ſimul cum iis, ſalutis negotium peragamus. Vel potius vult Deus, ut in rebus temporariis, in quibus gerendis operam ponimus, ſemper ſalutis noſtræ negotium inſpiciamus, & faciamus, omniaque alia ad ſalutis noſtræ negotium reducamus; ita ut pro ſalutis negotio, quaſi pro noſtro, & quaſi pro unico noſtro negotio ſolliciti eſſe & laborare videamur.

Pro

Digitized by Google

Pro ſalutis noſtræ negotio eſt ſane laborandum: quia hoc negotium noſtrum eſt. Sed pro illo etiam laborandum; quia hoc eſt negotium magni momenti, & omnium negotiorum maximum; cum in hoc negotio agatur ſalus animæ ſpiritualis, animæ immortalis, animæ pretioſo Chriſti Sanguine redemptæ, qua nil in hoc mundo pulchrius, nilque pretioſius. O homo! cum pro ſalute laboras, non pro re viliſſima laboras; ſed pro ſalute animæ tuæ; cujus ſi jacturam faceres, omnia alia tibi inutilia eſſent: *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16. 26.* Quare cum tanti momenti ſit ſalutis tuæ negotium, huic ſollicite, & ſedulo labora, totamque tuam huic negotio operam impende.

Dic, quæſo: ſi duo tibi ineſſent negotia, quorum unum nullius, alterum maximi eſſent momenti; nonne, primo relicto, alteri totus & totaliter incumberes? Nonne negotio magni momenti fortiter laborares? Haud dubie nullius momenti negotii obliviſcereris, totuſque & totaliter magni momenti negotio operam navares. O N. duo in hoc mundo ſunt nobis negotiorum genera; quorum alia nullius, & alia maximi ſunt momenti: *Prima*, ſunt mundi negotia, quæ vilia ſunt, nugæ ſunt, & nullius momenti ſunt. *Secunda* vero, ſunt ſalutis negotia, quæ ſummi momenti ſunt: quare, neglectis aliis, ſalutis negotio fortiter, & continuæ laborandum. Immo & illi negotio neceſſario laborandum.

Non credendum, quod indifferens ſit, ſaluti laborare, vel non laborare, quia ei laborare neceſſarium eſt; nec aliquis ſalvabitur, qui ſaluti operam navare neglexerit. Vide, qui ſalvandi ſint, & quibus Deus æternam mercedem daturus ſit. Non utique otioſis, & deſidioſis; ſed operariis, ſeu iis qui ſalutis ſuæ negotio fideliter, & ſtrenue laboraverint. Non dicet Chriſtus Salvator: voca inertes, voca otioſos, voca deſidioſos; ſed, *voca operarios, & redde illis mercedem; Matth.* 20. quia iis ſolum qui ſalutis ſuæ negotio ſtudioſe laboraverint, merces æterna dabitur.

Cum Patriarcha Iſaac, morti proximus, primogenito ſuo benedictionem dare ſtatuiſſet, ſubdubitans an primogenitus eſſet qui benedictionem ejus petebat, manus ejus pertractare voluit, dicens; *Accede huc, ut tangam te, fili mi, & probem utrum tu ſis filius meus Eſau, an non. Gen.* 26. 21. Ubi autem piloſas, & duras manus contrectavit, protinus ei benedictionem contulit. Ecce elegantem figuram filiorum, qui ad cæleſtem hæreditatem vocantur; hi namque non ex verbis, non ex fucata virtutum quarundam fragrantia; ſed ex manibus & operibus juſtitiæ dignoſcuntur: hi ſoli ad Regnum cæleſte vocantur, & cæleſti benedictione donantur, qui in hoc mundo boni operarii extiterunt, qui manus operi adhibuerunt, & qui ſalutis negotio fideliter laborarunt: de his ſolummodo, & non de aliis dicetur: *Voca operarios: & redde illis mercedem.* Ne credas ergo, eſſe indifferens, quod ſalutis negotio labores, vel non labores: quia neceſſario huic negotio laborandum, ut æternam beatitudinem obtineas; *ac etiam ut inferni ſupplicia devites.*

Audi formidanda Chriſti Salvatoris verba dicentis; *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth.* 3. 10. Quæ enim eſt arbor, quæ fructum bonum non facit, niſi malus Chriſtianus, qui bona non facit opera, & qui ſalutis negotio non laborat? Hæc eſt arbor ſterilis, quæ cum fructus non producat, in inferni ignem projicietur.

O quam formidanda ſunt hæc Dei verba! Certe totus contremiſcere deberes, cum audis, te in inferni ignem mittendum, ſi ſalutis negotio non laboraveris, & non ſolum contremiſcere, verum & abjectis omnibus criminibus, ſaluti ſedulo, & conſtanter laborare. Quare non ſolum ſaluti vaces mente & cogitatione, corde & affectu, ſed etiam manu & opere. De ſalute cogita, ſalutem deſidera, pro ſalute ſedulo labora, & accipies coronam gloriæ in Cælo. *Amen.*

DOMINICA

VIGESIMA-SECUNDA

POST PENTECOSTEN.

# DE ADULATIONE.

*Magiſter, ſcimus quia verax es, & Viam Dei in veritate doces.* Matth. 22. 16.

De nonnullis Gentilibus narrat Tertullianus, eos ita idololatriæ fuiſſe deditos, ut ſingulis ferè horis idolorum ſuorum ſtatuis adularentur, illas ornando, ſalutando, colendo, & tanquam Divinitates adorando: *Qui in idolis comandis, & in aris ornandis, & ad horas ſingulas ſalutandis adulantur. Tertull. lib. de jejun.* 26. Pari quodam modo viles quidam, & ſerviles ſunt homines, qui Magnates tamquam deos ſuos venerantur, qui vitia illorum tanquam virtutes prædicant, iiſque per ſingulas horas & momenta, verbis ſuavibus, & ſpecioſis adulari non deſinunt.

Hoc adulationis ſpiritu ducebantur hi Phariſæorum diſcipuli, qui Chriſto dicebant; *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Licet enim hæc, qui in Chriſti laudem dicebant, veriſſima eſſent, & cæleſti Magiſtro digna, illos tamen objurgat, & hypocritas vocat: quia ea animo ficto, & ad adulandum compoſito proferebant. Adverſus hujuſmodi adulatores, quibus Principum Palatia, Magnatum quorumque aulæ, immo & totus mundus redundat, iſta erit concio. In qua oſtendam, adulatores eſſe hoſtes eorum quibus adulantur, &c. *Ave.*

Moris erat apud Antiquos, ſepulchra quædam in defunctorum gloriam ſtatuere, in quibus nullæ licet reliquiæ, nullaque eſſent cadavera, eorum tamen, in quorum honorem erecta erant, nomina inſcribebantur, perinde ac ſi illorum corpora intus laterent. Hujuſmodi ſepulchris adulatorem jure merito ſimilem dicam; quia cum amici nomen præſeferat, intus tamen amicus non eſt, & ut loquitur S. Antonius. *In adulatore, velut in ſepulchro, nomen tantum amicitiæ inſcriptum eſt. S. Anton. Monach. in Meliſſa cap. de adulat.*

Verum quidem, quod ut adulator amici nomen, & famam ſibi concilient, ita applaudit, & blanditur, ſuiſque verbis & officiis ita aliorum captare conatus benevolentiam, ut illum amicum eſſe beneficunt,

Digitized by Google

ficum, ſincerum & probatum quiſque ſibi facile ſuadeat. Quis non credat, eum eſſe illius amicum verum & beneficum, cujus bona opera propalare, & exaggerare ſolet? Quis non arbitretur, hunc eſſe amicum ſincerum, qui ſe talem eſſe proclamat & profitetur? Quis tandem non credat, hunc eſſe amicum probatum, qui externa amicitiæ ſigna edere non deſinit?

Certe, ſi ſecundum faciem & ſigna externa judicandi eſſent adulatores, hi haud dubie amici benefici, ſinceri & probati cenſendi eſſent, ſed revera adulatores non ſunt amici benefici, *ſed hoſtes maligni*, non ſunt amici ſinceri, *ſed hoſtes callidi*; non ſunt amici probati, *ſed hoſtes ignoti*. Adulatores ſunt: 1. Hoſtes maligni: 2. Hoſtes callidi: 3. Hoſtes ignoti.

## PRIMA PARS.

*Adulatores ſunt hoſtes maligni.*

ADulatorem a vero amico diſcernere difficillimum eſt. Sicut enim nummus verus a falſo non facile diſcernitur: quia uterque eamdem effigiem, eundem colorem, eumdem ſonum, idemque pondus habet, ita perdifficile eſt, verum amicum ab adulatore diſtinguere, quia eandem effigiem & ſpeciem externam uterque habet, eadem uterque exterius amicitiæ ſigna exhibet, immo ſæpe amicitior apparet adulator, quam verus amicus. Adulatores tamen amici nullo modo cenſendi ſunt: cum revera ſint hoſtes maligni & infenſiſſimi, qui homines: 1. Excæcant; 2. Ad peccata alliciunt; 3. Ad tartara ducunt.

1. Aſſentatores optant, ut illi quibus adulantur, cæci ſint, illoſque excæcant, ac oculos eorum quaſi luto obvolvunt, ut fraudes & dolos, quibus illos decipere conantur, videre non valeant. Et ideo Petrus Damianus, adulatores, adhumbratos fuiſſe dicit in iis hirundinibus, quarum ſtercoribus obcæcatus eſt ſenior Tobias: *Quid hirundines leviter volitantes; niſi leves adulantium, & blandiloquentium ſignificant mores? Qui, dum blandiloquii ſui ſuavitate demulcent, dum adulationis oleo caput audientis impinguant, interiores oculos, ne ſolita luce perfruantur, excæcant. Petr. Dam. lib. 2. ep. 12.*

Alexander Magnus multo tempore adulatoribus infenſus fuit, ſucceſſu tamen temporis ab iis excæcatus & faſcinatus eſt, ac in talem errorem ductus, ut Sacerdotis Ammonis ſuaſionibus & adulationibus allectus, ſe Deum, & Jovis filium eſſe arbitraretur. *Curtius lib.* 4. Sicut autem Princeps ille, aliunde ſapientiſſimus, ab adulatoribus excæcatus eſt: ita & ab iis excæcantur quicumque iis acceſſum, & benevolum auditum præſtant; adulatores enim ſuis monitis, conſiliis, ſuaſionibus, & adulationibus intellectum eorum ita obſcurant & excæcant, ut illos in errorem facile alliciant. Et ideo Hugo Cardinalis adulatores ſimiles eſſe dicit Philiſthæis, qui Sampſonem excæcaverunt, *Hugo in* 2. 6. *Luc.* & Sanctus Maximus eos corvis, oculos cadaverum effodientibus, aſſimilat. *Ut corvi cadaverum oculos effodiunt; ſic adulatores ſuis adulationibus oculos, rationem ſcilicet, & mentem humanam corrumpunt. S. Max. ſerm. 2. de adulat.* In quo & hi corvis immaniores videntur; corvi ſiquidem non hominibus vivis, ſed mortuis oculos eruunt; adulatores vero hominibus vivis oculos mentis evellunt, ac eos ita excæcant & dementant, ut hoc credant eſſe malum quod bonum eſt: & hoc bonum eſſe exiſtiment, quod eſt malum. Adulatores ergo ſunt hoſtes maligni: quia homines excæcant; *ſed ſunt etiam hoſtes maligni, quia homines ad peccata alliciunt.*

2. Homo adulator, ei cui aſſentatur, dicere ſolet: vive dum vivis; recrea corpus edulíis, procul a te ſint jejunia, quæ fragilis tua caro ferre non poſſet; induere purpura & byſſo, ut hanc, ad quam ſublimatus es, glorioſe portes dignitatem, agglomeretur lateribus tuis in modum cunei turba clientum, ut ſublimis officii tui honor non vileſcat; ne tam cito de pœnitentia cogites, Deum enim habemus infinite miſericordem, qui neminem vult perire, ne credas, quod huic, & illi peccato indulgere ita malum ſit, ut homines dicunt, ne parcas huic, & illi, qui tibi ſunt infenſi; tuus enim honor agitur. His, & aliis ſimilibus verbis adulator eos, quibus adulatur, ad peccata facile allicit: quia homines ea facile faciunt, ad quæ ex naturæ ſuæ propenſione moventur, ſi quis laudando, eos ad hæc facienda invitet; *Adulantium linguæ alligant animas in peccatis, delectat enim ea facere in quibus non ſolum non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur. Auguſt. in Pſ. 9.*

Adulator merito Syreni comparatur: quia ad modum Syrenarum, per mortiferos cantus, & peſtifera blandimenta, audientes demulcet, & niſi aure obturata tranſierint, eos in ſcopulos & in abyſſum criminum trahit; *Adulatores alliciunt ad peccatum: ſicut Syrenæ ad periculum. Hugo Card. in Pſalm.* 28. Adulatores ergo non ſunt veri amici, ſed hoſtes maligni & infenſiſſimi, cum adulationibus exitioſis quaſi cantibus ſuis homines in criminum abyſſum alliciant. Sed ſunt etiam hoſtes maligni: *qui adulationibus ſuis eos, quibus adulantur, ad tartara ducunt.*

3. Amici veri, qui delinquentes ex charitatis motivo corrigunt, eos a peccatis avellunt, & in ſalutis æternæ viam dirigunt: *Qui conſiliis fortioribus redarguit, ſimul atque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem. S. Cypr. lib. de lapſis.* At contra; qui peccantem nec corripit, nec monet, ſed potius laudat, eum in peccatis detinet, & adulationibus ſuis, quaſi ſuavi catena, eum ad tartara ducit. Et ideo ait Chryſoſtomus, quod *adulatores catenam ſubdolæ laudis in ore portant: Chryſoſt. hom. 42. in Matth.* mellitis enim verbis, & adulationibus ſuis, quaſi catena exitioſa, eos ad peccata multa, & ad infernum miſere trahunt.

Ægyptii, ut malignum adulatoris animum delinearent, cervum coram homine citharam pulſante pingebant. Cervus ita Muſicæ eſt avidus, ut ſi gratum quendam concentum audiat, quaſi extra ſe rapiatur, & immobilis remaneat: quare venatores periti inſtrumentis muſicis cervos alliciunt; eoſque, cum Muſicæ melodia capti, & veluti faſcinati ſunt, jaculis feriunt, & facile occidunt. Eodem plane modo ſuavibus adulatorum verbis, & iteratis eorum laudibus faſcinantur, & quaſi incantantur homines, cumque eos dæmon ſic adulationibus captos & faſcinatos videt, ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, aliorumque vitiorum tentationibus, tanquam peſtiferis jaculis, illos confodit, & ſic ab adulatoribus, & a dæmonibus ad peccata, & ad perpetuum adducuntur interitum. *Adulatores præcipitant homines in peccata ſuperbiæ, in peccata luxuriæ, & in peccata avaritiæ: unde & ipſi cum eis præcipitabuntur in præcipitium infernale. S. Bernard. tom. 4. ſerm. 16. art. 2. c. 2.*

O quam

Digitized by Google

O quam maligni hoſtes ſunt adulatores! o quam infenſi ſunt iis, quibus aſſentantur! Certe magna eſt eorum malitia; cum ſuis adulationibus homines excæcent, ad peccata alliciant, & ad tartara ducant. Sed o quam ſtulti, qui adulatores audiunt & diligunt, eorumque verbis credunt, & obediunt: *Fili mi*, inquit Spiritus Sanctus, *ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Prov.* 10. Id eſt ut exponit Hugo Cardinalis: *ſi te lactaverint adulatores, præterita mala extollendo, præſentia laudando, & ad futura inclinando, non eis obedias.* Non audiendi ſane, nec iis obediendum; ſed potius odio habendi, & fugiendi, quia ſunt hoſtes maligni: *ac etiam quia ſunt hoſtes callidi.*

## SECUNDA PARS.

*Adulatores ſunt hoſtes callidi.*

Duo ſunt genera perſecutorum, inquit Auguſtinus, ſcilicet vituperantium & laudantium; illi ſæviunt, & iſti blandiuntur: illi iracundi, & iſti ſubdoli. *D. Aug. in Pſalm.* 59. Adulatores quidem ſunt hoſtes callidi, & ſubdoli, qui laudant, amicitiæ ſigna edunt, & aliorum mores induunt: 1. *Laudant*, ut decipiant: 2. *Amicitiæ ſigna edunt*, ut prodant: 3. *Aliorum mores induunt*, ut inſidias patent.

1. Nil magis uſitatum adulatoribus, quam homines in facie laudare: & quod pejus eſt, eos laudant in iis, quæ damnanda, & vituperanda ſunt; ac malas eorum actiones tanquam bonas exaltare ſolent; *Scurrilia loquentem*, urbanum ac lepidum appellant: *Detractorem*, jucundæ converſationis virum dicunt: *Iracundum*, zelo accenſum vocitant: *Parcum*, ut ſobrium diſpenſatorem commendant: Et ut ait Divus Auguſtinus: *Diffluit quis, lætus vocatur; avarus eſt, dicitur de eo, quod ſervet rem ſuam; vindicat ſe de inimico, & comis vocatur. Habent adulatores verba fallacia, habent nomina laudis Aug. hom.* 12. *ex.* 50. Habent quidem adulatores verba fallacia, & nomina laudis, quia malas omnes Magnatum actiones laudare ſolent. In quo ſimiles videntur canibus ulcera Lazari lingentibus; quia cum divitum & Magnatum peccata, & pravas actiones laudant, eorum quaſi ulcera lingunt. Immo ii canibus ſunt pejores, quia non homines laudant, ut iis benefaciant; *ſed ut eos decipiant.*

Adulatores unum habent in ore, & aliud verſant in corde, ore laudant, & corde decipere intendunt. Unde de adulatoribus dicitur: *Væ cum benedixerint vobis homines, Luc.* 6. 26. quia ſcilicet cum adulatores laudibus plurimis aliquem proſequuntur, ſuis laudibus eum exaltare non intendunt; ſed aliquam ei fraudem moliuntur. Sicut enim quemdam finem ſibi proponunt artifices, cum operantur, ita & ars adulatoria, cum in laudes prorumpit, laudibus ſuis deceptionem, & fraudem aliquam intendit: *Sicut finis Oratoris eſt dictione perſuadere, & medici Medicina curare: ſic adulatoris finis, ſuaviloquio decipere: S. Chryſoſt.* Unde præclare dixit Seneca, quod cum plures adulatores in alicujus Magnatis domo reperiuntur, inter [illegible] contendunt, quis laudibus, & blanditiis ſuis illum callidius fallere poterit. *Adulandi contentio eſt, & unum adulatorum officium, una contentio, quis blandiſſime fallat. Seneca lib. 3. de benef. cap.* 30. Adulatores ergo ſunt inimici callidi, qui laudant, ut decipiant. *Sed adulatores ſunt etiam hoſtes callidi, qui amicitiæ ſigna edunt, ut prodant.*

2. Iniqui ſunt inimici qui exterius ſæviunt, ac in contumelias, & probra facile erumpunt, & ſunt alii, qui malitiam, & odium ſuum tegunt ſpecie quadam amicitiæ, quam fallacibus verbis ſimulant. Non immorabor in inquirendo qui ex his inimicis ſint pejores, nam certum eſt, quod *graviſſimum inimicitiæ genus eſt, eſſe corde adverſarios, & lingua ſe ſimulare amicos. Caſſiod. in Pſalm.* 54. Sed dicam, detractores eſſe ex iis inimicis, qui ſub amicitiæ velo odium ſuum contegunt, & qui ſub pietatis, & amicitiæ ſpecie homines produnt, de iis enim dicit Propheta, quod *loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Pſalm.* 27. 3.

Hi adulatores vere ſunt proditores, ac Judæ proditori ſimiles. Sicut enim ingratus ille Diſcipulus, pacis oſculo, & amicitiæ ſigno Magiſtrum prodidit, ita & adulatores ſunt veri proditores, qui ſub externis amicitiæ ſignis homines produnt. *Judas accedens ad Jeſum dixit: Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum. De hoc genere inimicorum ſunt adulatores. Hugo Card. in Pſal.* 26.

De quodam piſce, qui Faſten vocatur, narrat Vincentius Bellovacenſis, quod in ejus ore aqua, quæ maritima erat, & ſalſa, mox fit dulcis; qua dulcedine allecti accedentes alii piſces, ab eo deglutiuntur. Huic ſane piſci perſimiles ſunt adulatores, in quorum ore omnis amaritudo tollitur, quia amicitiæ, & pietatis verba ſolummodo proferunt; ſed mellitis hiſce verbis homines alliciunt, ineſcant, & attrahunt, ut eos prodant, *Adulatio enim habet odium, & fraudem, & proditionem. S. Bernard. Tom.* 4. *ſerm.* 10. *art.* 2. O quam callidi ſunt hujuſmodi hoſtes, qui amicitiæ ſigna edunt ut prodant! *Sed adulatores ſunt etiam hoſtes callidi, qui aliorum geſtus & mores induunt, ut iis inſidientur.*

3. Adulator, inquit S. Baſilius, ſimilis eſt polypo, *qui colorem terræ quam attigerat, reddit, S. Baſil. de leg. lib. gen.* adulatores enim eoſdem colores reddunt, eoſdem mores induunt, & eoſdem geſtus faciunt, ac totaliter ſe contemperant iis quibus adulantur; idque faciunt, ut iis placeant, ut eorum ſibi concilient benevolentiam, & ut ab iis aliquid obtineant. Sed & id etiam ſæpe agunt, ut iis inſidientur.

De polypo narrat S. Ambroſius, quod *is cuicumque ſaxo adhæſerit, colorem illius ſubit; adeo ut piſcium complures ad ipſum de improviſo nantes tanquam ad ſaxum appellant; ac verſutio illi, maliti*[illegible]*ſoque paratam ſeſe offerunt prædam. Ambr. l.* 5. *hexam. c.* 1. Polypo quidem ſimiles ſunt adulatores: quia ſobrietatem cum obriis laudant, intemperantes cum intemperantibus evadunt, ad id quod cuique placet, ſuam ſententiam vertunt: ac colores, & mores eorum cum quibus verſantur, induunt, ut iis inſidientur. Sicut enim polypus eſt inſidiator, qui varios colores induens, piſcibus inſidias parat, ita & adulatores ſunt inſidiatores, qui aliorum colores, & mores induunt, omnibuſque omnia fiunt; non ut omnes Chriſto lucrifaciant, & ſalvent, ſed ut inſidiis ſuis homines

Digitized by Google

ſtultes decipiant: & perdant. Et ideo Ageſilaus, optimus ille Lacedæmoniorum Rex, adulatores aſpernandos inſectandoſque eſſe dicebat; *non ſecus ac propriæ vitæ inſidiatores*. Et Seneca monet, ut quiſque ab adulatorum inſidiis caveat: *Ab eorum inſidiis, nocumentiſque cave*. Ne ergo credas, adulatores eſſe amicos veros, & ſinceros; ſed eos ut hoſtes inſpice. Sunt enim hoſtes maligni, & callidi, ac etiam hoſtes ignoti.

## TERTIA PARS.

*Adulatores ſunt hoſtes ignoti.*

PLacere, amari, & præmiari ſolent, qui veri, & fideles ſunt amici; hi vero, qui ut hoſtes cognoſcuntur, & inſpiciuntur, non placent, ſed diſplicent; non amantur, ſed odio habentur; non præmiantur, ſed plectuntur. At adulatores ſunt hoſtes ita ignoti, ut placeant iis quibus adulantur, ab iis amentur, & ab iis præmientur. 1. Iis placent ac ſi eſſent veri amici. 2. Ab iis amantur ac ſi eſſent amici fideles. 3. Ab iis præmiantur ac ſi eſſent amici bene meriti.

1. Adulatores venena occulta, & melle circumlita iis quibus adulantur, infundunt. *Malorum blandientium virus occultum eſt. S. Cypr. ep. 2.* Sicut qui parvulis auſtera parant pocula, prius ora eorum melle circumliniunt, ut incauta ætas, cum dulcedinem perſenſerit, amaritudinem non reformidet, ſic adulatores malevoli, verbis ſuavibus & mellitis, aures Magnatum oblinire ſolent; eos laudibus ſupra modum extollunt, ac iis ita occulte venenum ſuum infundunt, ut ab iis non cognoſcantur, nec inſpiciantur tanquam inimici: ſed iis placeant, non ſecus ac ſi veri eſſent amici. *Adulatio apertis, & propitiis auribus recipitur, in præcordia deſcendit, habeturque pro amico blandus inimicus. Senec. ep. 43.*

Sicut Herodi diſplicuere S. Joannis Baptiſtæ monita, & correptiones, ita & omnibus peccatoribus diſplicere ſolent monitores, & benevoli correptores. *Odio habuerunt corripientem in portas. Amos 5. 10.* Non iis placent duræ increpationes, ſed gratæ adulationes: voluntque ſolummodo ut iis dicantur verba placentia, & propenſionibus eorum conſentanea, ſive vera illa ſint, ſive falſa. *Loquimini nobis placentia. Iſa. 3. 10.* Adulatores autem dura, & acerba non loquuntur: quin contra, placentia ſemper dicunt, ut eorum quibus adulantur, ſibi concilient amicitiam; quare adulatores, licet ſint hoſtes maligni, non cognoſcuntur, nec inſpiciuntur ut inimici; ſed ut amici benevoli, magiſque placent quam veri amici. *Habeturque pro amico blandus inimicus.* At adulatores non ſolum ſunt hoſtes ignoti, qui placent, *ſed ſunt etiam hoſtes ignoti, qui amantur ac ſi eſſent amici.*

2. Plerique eos amare ſolent, qui ipſis applaudunt, & adulantur; ſicut & oderunt eos qui ipſos corripiunt. *Adulatio benevolentiæ loco ducitur, & qui adulari neſcit, aut invidus, aut ſuperbus æſtimatur*, & ut talis odio habetur. *Hieron. epiſt. ad Celant.*

Verum eſt, quòd cum adulatores ſint homines viles, & ſerviles; multi exterius fingunt, & palam profitentur, ſe eos non amare: eos tamen ex corde amant, iiſque favent, quia quiſque ab iis laudari amat: *Adulatoribus noſtris libenter favemus & quanquam reſpondeamus, nos eſſe indignos laudibus, quibus nos afficiunt: ad laudem tamen ſuam quiſque lætatur. Hier. ep. ad Sab.*

In hujus rei exemplum proponitur Sigiſmundus Imperator; qui licet ſe adulatores odio habere profiteretur, ſincere tamen ſe eos diligere confeſſus eſt: cum enim aliquando dixiſſet, aſſentatores ſe velut peſtem odiſſe, reſpondit ei Brunorius: *Immo nullum genus hominum ita amas*. Cui Sigiſmundus: *Sic natura comparatum eſt, ut cum vitandos eſſe adulatores dicimus, tum maxime ei aures demus, illiſque hæreamus. Alphonſi Reg. n. 17. Æneas Sylv. l. 3. de dictis.* Ecce inimicos, qui ita ignoti ſunt, ut amentur non ſecus ac ſi eſſent amici fideles; *immo ita ignoti ſunt ut præmientur*.

3. Videmus ſæpe, quod in domibus Magnatum parvipendantur, odio habeantur, & plectantur domeſtici illi, qui fideles ſunt, & Dominorum ſuorum obſequio addicti; & contra amentur, & præmientur adulatores, qui expellendi & plectendi eſſent: *Principes ampliant eos beneficiis, quos torquere deberent. Chryſol. ſer. 103.*

Crœſus, Lydorum Rex, nullam aliam ob cauſam pepulit Regem Solonem, niſi quod blandiri neſciebat. Dionyſius mortem Philoxeno Poetæ meditatus eſt: quia cum in magna hominum corona verſus a ſe editos, Tyrannus recitaſſet, reliquis eos laudantibus, ille ſolus eos abſurdos inconcinnoſque dicere auſus fuerit. *Franc. Patr. l. 5. de republ. c. 5.* Multi ſimiliter odio habent eos qui diligendi eſſent; & præmiis afficiunt adulatores, qui plecti & torqueri merentur: *Ampliant eos beneficiis, quos torquere deberent.*

O N. N. ne diligatis adulatores; ſed eos potius ut hoſtes malignos, callidos, & ignotos fugite: *Palpantes adulatores, quaſi hoſtes fuge. Hier. ep. ad Celant.* Fugiendi ſane, & fugandi adulatores; quia ſunt hoſtes maligni, callidi, & ignoti. *Sunt hoſtes maligni*, qui homines excæcant, ad peccata alliciunt, & ad tartara ducunt: *Sunt hoſtes callidi*, qui laudant ut decipiant, qui amicitiæ ſigna edunt, ut prodant, & qui aliorum mores induunt, ut inſidias parent: *Sunt hoſtes ignoti*, qui placent, amantur, & præmiantur ac ſi eſſent amici benefici. Fugite ergo adulatores, & amate benevolos correptores, qui vos in ſpiritu charitatis monent, arguunt, & corripiunt. *Amicos, qui nihil tibi verbis indulgeant, comparato; qui vero ut complaceant, & delectent te, verba faciunt, eos tanquam malos præ foribus excludito. Eurip. apud Stobæum ſer. 12.*

Homines ita ſui amatores ſunt, ut omnem reprehenſionem abhorreant: nullus fere reperitur qui æquo animo audiat dicentem: *Non licet tibi. Marc. 6. 18.* Sicut enim ab adulatoribus laudari, naturaliter placet: ita ab ipſa natura cuique inditum eſt arcanum quoddam odium in monitores, qui ſæpe ut inimici inſpiciuntur; ſed amandi ſunt correptores, & fugiendi adulatores. Fugite ergo adulatores, & amate correptores; ut vias veſtras corrigatis, & ad Paradiſi gloriam pervenire valeatis. *Amen.*



Digitized by Google

## DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

# DE MORTE JUSTORUM.

*Non eſt mortua puella, ſed dormit.* Matth. 9. 24.

OMnes morimur, & ſicut aquæ dilabimur; nec in hunc mundum venit aliquis, ſive Princeps ille ſit, ſive ruſticus, ſive magnus, ſive parvus, qui non viſurus ſit mortem, quia immutabili Dei Decreto *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori. Hebr.* 9. Sed ſi mori ſit omnibus commune, bene mori non omnibus compeꝛit: ſunt etenim qui bene, & ſunt qui male moriuntur; aliquorum mors eſt mala, ac coram Deo peſſima: *Mors peccatorum peſſima: Pſal.* 33. & aliorum mors eſt bona, ſancta, & in Dei oculis pretioſa: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Pſ.* 1. 13.

1. Morte impiorum malam, pejorem, & peſſimam vocat D. Bernardus: *Eſt mala*, inquit, *in mundi amiſſione*: quia ſcilicet durum eſt eis in morte valedicere mundi divitiis & dignitatibus, quas tanto affectu ambierunt. *Eſt pejor in carnis ſeparatione*: quia durius eſt eis, animam a corpore ſeparari, ut ab hoc mundo ad tartara migret. *Eſt peſſima in vermis, & ignis duplici contritione*: quia duriſſimum eis eſt, a conſcientiæ verme corrodi, & ad inferni ignem properare. *S. Bern. in Epiſt.*

O quam terribile & amarum hominibus, qui toto vitæ tempore illicitis adhæſere voluptatibus, malam, pejorem, & peſſimam hanc mortem obire! Sed contra quam ſuave eſt mori morte juſtorum, quæ pretioſa, amabilis, & tota deſiderabilis eſt! Puella hæc, de qua hodiernum Evangelium ait, quod *non eſt mortua, ſed dormit*, aliquam mortis ideam mentibus noſtris ingerit, quare de juſtorum morte dicendi inde occaſionem ſumam, &c. *Ave.*

HOmo juſtus in hoc mundo laborat, vigilat, & peregrinatur. Laborat quidem, quia juſti ſunt quaſi Chriſti milites, qui in ejus obſequium indeſinenter laborant. *Labora ſicut bonus miles.* 2. *Tim.* 2. 3. Juſtus etiam in hoc mundo vigilat: quia viri juſti ſunt beati illi ſervi, quos adveniens Dominus, vigilantes invenit: *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Luc.* 12. 37. Juſtus tandem in hoc mundo peregrinatur: quia in eo Juſti per vias rectas ita incedunt, ut tandem aliquando ad patriam cæleſtem pervenire valeant: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei. Sap.* 10. 10.

O quam dulcis eſt requies poſt laborem, quam ſuavis ſomnus poſt diuturnas vigilias; & quam jucundus poſt longam peregrinationem, adventus ad patriam! Sed o quam dulcis etiam, quam ſuavis, & quam jucunda eſt mors hominibus juſtis! *Dulcis* quidem: quia requies eſt poſt laborem. *Suavis*: quia ſomnus eſt poſt diuturnas vigilias. *Jucunda*: quia poſt longam peregrinationem, eſt tranſitus & acceſſus ad cæleſtem patriam. Unde ſi de puella a Chriſto hodie excitata dicatur, quod *non eſt mortua, ſed dormit*: de juſto etiam fato functo dici poteſt: *Non eſt mortuus*, ſed quieſcit: *Non eſt mortuus*, ſed dormit: *Non eſt mortuus*, ſed ad cæleſtem patriam tranſiit. Hæc omnia patebunt, cum probaverimus, quod juſtorum mors eſt quies, ſomnus, & tranſitus. Eſt: 1. *Quies* ſecura: 2. *Somnus* ſuavis: 3. *Tranſitus* feliciſſimus.

## TERTIA PARS.

### *Mors juſtorum, eſt requies ſecura.*

JUſtorum mors in conſpectu Dei eſt pretioſa: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Pretioſa quidem eſt, inquit S. Bernardus: quia *requies eſt poſt multos labores, eſtque laborum finis.*

Sicut Chriſtus, qui juſtorum eſt facile primus, labores plurimos ab infantia uſque ad mortem perpeſſus eſt: ita & omnes juſti nati videntur ad laborem. Toto enim vitæ tempore labores multos obeunt, ac multa patiuntur, eaque gravia; *Tum* a Deo, qui variis eos probat tribulationibus; *Tum* a dæmone, qui vehementibus illos tentationibus concutit; *Tum* a mundo, qui ærumnis, detractionibus, ludibriis, & nonnumquam diris eos vexat ſuppliciis; *Tum* a ſeipſis: quia jejuniis, vigiliis, ciliciis, aliiſque mortificationibus carnem ſuam affligere ſolent. Quare cum ad illos venit mors, jucunda potius videtur, quam amara: eſtque illis pretioſa, quia eſt requies a laboribus, quos toto vitæ ſuæ tempore perpeſſi ſunt: *Juſtorum mors pretioſa: quoniam quidem fit ibi quies a labore. D. Bern. ſerm.* 41. *ex parvis.*

Licet impii in hoc mundo deliciis ſæculi affluere quærant; in mediis tamen, quibus fruuntur, voluptatibus, gravia multa nonnumquam patiuntur, non ſolum a ſtimulante intus conſcientia; verum & a Deo, qui eos percutit, ut ſanet; quique eos affligi permittit, ut ad mundi contemptum, & ad ſui amorem eos alliciat. Sed ſi ad Deum non vere convertantur, mors eorum non eſt requies a laboribus: quinimmo eſt tranſitus a laboribus ad labores; quia a leviſſimis hujus vitæ laboribus ad graviſſima inferni ſupplicia migrant. At aliter de hominibus juſtis loquendum; eorum quidem vita deliciis & laboribus permixta eſt, quia in mediis laboribus, quos perferunt, internis multis fruuntur conſolationibus; in morte vero non finiunt conſolationes, ſed finiunt labores; non finiunt conſolationes ſpirituales, & gaudia interna, quibus fruebatur; quin potius majoribus afficiuntur in cælo, ubi torrentis voluptatis potantur, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Pſ.* 35. 9. Sed finiunt labores, quibus affligebantur, quia mors eorum eſt requies ſecura, quæ laboribus eorum finem ponit; tuncque a laboribus requieſcunt, cum ex hoc mundo exeunt; tunc a laboribus, quibus gravabantur, quieſcere incipiunt, & ab iis in æternum quieſcent: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis. Apoc.* 14. 13.

Monet nos Sapiens, ut temperemus a lacrymis, cum vir juſtus moritur. *Modicum plora ſupra mortuum. Eccli.* 22. 11. Cur in hominis juſti morte uberes non ſunt fundendæ lacrymæ? Quia mors eſt ei requies ab omnibus laboribus, quos in ſæculo patiebatur, *quoniam requievit*, inquit Salomon. Cum moritur pater iniquus & impius, filii æternum flere deberent, quia pater eorum non requieſcit;

ſed

ſed in tartari flammis cruciatur. Cum moritur filius obſcœnis & infandis addictus ſceleribus, amaras & perpetuas lacrymas fundere deberent parentes, quia filius eorum non in pace quieſcit; ſed æterna inferni ſupplicia patitur. At cum moriuntur patres, matres, filii, amici, & alii, qui pii & juſti fuerunt coram Deo & hominibus; nequaquam, aut ſaltem modicum flere oportet, quia mors eſt eis requies a laboribus, quos in hoc mundo patiebantur, *Modicum plora, quoniam requievit.*

Non ſemel admiratus ſum modum agendi Thraciorum, qui in morte ſuorum gaudere ſoliti erant: flebant cum naſcebantur filii; & cum moriebantur, non flebant, ſed gaudebant plurimum, tripudiabant, & veſtibus lætitiam indicantibus induebantur. Cur hoc facerent hujuſmodi populi, jam non examinabo; ſed certo certius mihi videtur, quod nos Chriſtiani in nativitate infantium flere deberemus: quia docet nos fides, eos naſci filios iræ, & peccati originalis labe inquinatos; at contra gaudere deberemus in morte juſtorum: quia cum moriuntur, ab innumeris peccandi periculis, ab inſidiis ſatanæ, a pugnis concupiſcentiæ, ab amoris proprii veneno, a corporis pondere, & a laboribus multis liberantur; ac quieſcere incipiunt quiete ſecura & conſtanti, quæ in æternum durabit. Mox enim ut mortui ſunt, in Paradiſum migrant, ubi perpetua fruuntur quiete: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi. Pſ.* 131. 14.

De nonnullis viris Religioſis narrat Chryſoſtomus, quod in eodem commorantes Cœnobio, toto ſe invicem corde diligerent; cum tamen eorum aliquis diem claudebat extremum, fletus procul, procul lacrymæ, & undique gaudii plurima edebantur ſigna: *ſi nuntiatum fuerit, quod unus ex iis mortuus eſt, multum ubique lætitiæ, voluptatis multum. Chryſ. hom. ad pop.* Gaudebant hi: quia fratrem ſuum ab hujus vitæ miſeriis & laboribus, ad ſecuram & æternam requiem tranſiſſe credebant. Hæc erat ratio lætitiæ, qua corda eorum affluebant; quia quidem ratione quiſque illici deberet ad non fundendas tam uberes lacrymas in morte juſtorum: ſive propinqui illi ſint, ſive amici. Sed & propter eandem rationem omnes juſti venientem ad ſe mortem hilariter ſuſcipere deberent.

Hanc ardenter expetivit, & hilariter ſuſcepit S. Simeon, *vir juſtus & timoratus*. Hic Salvatorem mundi manibus ſuis geſtare meruit: cum autem ſanctus ſenex ſalutare Dei noſtri vidit, ſeque morti jam proximum credidit, exultans, & ineffabili circumfuſus lætitia clamavit: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Luc.* 2. 29. Cur appropinquante morte gaudet & exultat S. Simeon? Gaudet, inquit S. Cyprianus, ut doceat nos, mortem a juſtis non timendam, ſed potius optandam: quia viris juſtis mors eſt pax vera, & requies tranquilla: *Probans, ſcilicet, tunc eſſe ſervis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem. S. Cypr. l. de Simeone.* Gaudete ergo juſti, cum ad vos venit mors; eam cum gaudio accipite: quia hæc eſt requies a laboribus veſtris.

Mortem non timebat S. Ambroſius: *Non timemus mortem*, inquit *S. Ambr. l. de Jacob*. Cur mortem non times, o Præſul ſanctiſſime? Nonne times duram hanc animæ a corpore ſeparationem, quæ in morte fit? Non equidem. Nonne times ſeparari a propinquis & amicis? Nequaquam. Nonne times dolores plurimos, quibus in morte circumdari & obrui ſolent homines? Nec mortem timet Mediolanenſis Antiſtes, nec omnia quæ in morte accidere ſolent; quia in morte juſtorum ſcit eſſe requiem ſecuram ab omnibus laboribus, qui omnes in morte finiuntur: *Non timemus mortem, quoniam requies eſt corporis.* O viri juſti, ne mortem timeatis; quin potius gaudete, & exultate cum ad vos venerit; eamque concupiſcenti animo deſiderate, quia requies eſt a laboribus veſtris. Sed mors juſti *eſt etiam ſomnus ſuaviſſimus.*

## SECUNDA PARS.

*Mors juſtorum eſt ſomnus ſuavis.*

Hominum, quantumvis impiorum, mors, ſomno videtur aliquo modo ſimilis; in hoc ſcilicet, quod ſicut in ſomno, ita & in morte, ſenſus illorum ligantur, nec aliquem ſenſationis actum habent. Sed juſtorum mors, non ſolum ſomno eſt ſimilis; quin & verus, ac ſuaviſſimus ſomnus eſt; *Sanctorum mors, ſomnus eſt. Chryſ. ſer.* 96. Et ideo de juſtis morientibus ait Sapiens, quod *viſi ſunt oculis inſipientium mori. Sap.* 8. Juſti enim ab inſipientibus videntur mori; non autem a ſapientibus; quia inſipientes, eos mori judicant; ſapientes vero, eos non mori, ſed ſuavi ſomno corripi, & obdormire cenſent: *Amici Dei mori videntur oculis inſipientium, ſed oculis ſapientium judicantur potius obdormire. S. Bern. ſer.* 2. *in feſto Apoſt.*

Vates ille Regius, qui ſepties in die laudem Deo dicebat, aliquando gaudens Deo cecinit; *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem: non moriar. Pſ.* 117. 17. Quare, & quo ſenſu, ſe non moriturum ait Propheta? Nonne æterno Dei decreto *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori?* Nonne omnes penitus homines moriuntur, ſive Reges illi ſint, ſive Prophetæ? Cur ergo Rex ille ſimul & Propheta, ſe non moriturum dicit, *Non moriar?* Reſpondet ſapientiſſime S. Baſilius; non moriturum Davidem; quia mors ſervorum Dei, non mors vera eſt: *Cum dicit: non moriar, oſtendit mortem non eſſe mortem.* Quid ergo mors juſtorum, ſi non ſit mors? Hæc eſt ſomnus ſuaviſſimus. Unde idem Propheta de ſeipſo ait; *In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Pſ.* 4. 9. Non dicit, *moriar;* ſed, *dormiam*; quia juſtorum mors, non mors illa eſt terribilis, quæ impios diriſſime torquet; ſed eſt potius ſomnus ſuaviſſimus hominum, in Domino dormientium.

Juſtorum mortem, non tam mortem, quam ſomnum eſſe facile judicabit, qui Iſaiæ prophetias leget: hic etenim juſtos fato functos alloquens, ait: *Expergeſcimini, & laudate qui habitatis in cinere. Iſa.* 26. 19. Eos non eſſe mortuos, ſed dormire ſupponit Propheta: quia a ſomno non excitantur mortui, ſed dormientes. Quod ingenioſe adnotavit D. Hieronymus, ajens, Iſaiam non dixiſſe juſtis ut reſurgerent; ſed ut evigilarent: quia mors eorum, non mors, ſed ſuaviſſimus eſt ſomnus: *Quia mors eorum ſomnus eſt, nequaquam reſurgere, ſed expergiſci, & evigilare dicuntur. Hieron. in c.* 8. *Iſa.*

Ut oſtendatur, juſtorum mortem, non tam mortem,

tem, quam dulcem ſomnum eſſe, habemus divinum Chriſti teſtimonium, quod omni alio majus eſt. Videte, quomodo loquatur de Lazaro, & de filia Principis Synagogæ. Lazarus a quatuor diebus objerat, in ſepulchro jacebat, & jam fœtebat; Chriſtus autem eum ſolummodo dormire ait: & ad ſepulchrum ejus ſe confert, non tam ut eum a mortuis ſuſcitet, quam ut eum e ſomno excitet: *Lazarus amicus noſter dormit; ſed vado ut a ſomno excitem eum. Joann.* 11. De filia etiam Principis Synagogæ Chriſtus ait: *Non eſt mortua puella, ſed dormit. Luc.* 8. Qui ſunt hujuſmodi mortui, qui mortui non ſunt; ſed dormiunt? Hi ſunt amici Dei, & viri juſti; quorum mors, non tam mors, quam dulcis somnus eſt: *Sanctorum mors ſomnus refrigerii eſt. S. Bern. ſer. de Malach.*

Mors impiis dura & acerba eſt: appropinquante enim morte, torquentur a rodente intus conſcientiæ verme, & cruciantur a gravibus cogitationibus, quibus eorum jactatur animus; *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi. Sap.* 4. 20. Qualis tunc dolor impii; cum innumera recogitant peccata, quibus ſuam inquinaverunt animam? Qualis animi amaritudo; dum Deum adverſus eos iratum, Paradiſum ipſis clauſum, & inferni os apertum vident, ut eos devoret? Sed quid tunc non patiuntur, ſive dæmone eos tentante, ſive morbo eos torquente? Certe ob dira, quæ tunc perferunt impii, mors eorum, non ſomnus ſuaviſſimus, ſed graviſſimum eſt ſupplicium. At contra, mors juſtis non infertur ut ſupplicium; ſed a Deo iis datur, ut ſomnus ſuaviſſimus: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum. Pſal.* 126. 2. Et revera multa ſunt, quæ tranquillam, ſuavem & placidam efficiunt juſtorum mortem: debita enim Sacramentorum perceptio, Beatiſſimæ Virginis patrocinium, Angelorum protectio, bonæ conſcientiæ quies, internæ Spiritus Sancti conſolationes, cæleſtis beatitudinis ſpes, & gratiæ multæ quas a Deo recipiunt, mortis dolores leniunt; ac faciunt juſtis mortem eſſe quaſi ſomnum, eoſque *abſque ullo ſenſu moleſtiæ, ut ſuavi ſomno correptos extingui. Diod. Sic. l.* 2.

Ecce quomodo mors juſtis eſt ſomnus. Sed in alio etiam ſenſu dici poteſt, quod mors juſtis ſit ſomnus; quia ſcilicet, ſicut ii qui dormiunt oculos claudere ſolent, quos aperiunt, cum a ſomno excitantur; ita & juſti in morte oculos corporis claudunt; ſed mox mentis eorum oculi aperiuntur, ut cæleſtia intueantur, & admirentur: *Felices oculi*, inquit S. Cyprianus, *qui terrenis clauduntur, ut cæleſtia videant*. Quod & ipſe Pſalmiſta teſtatur, dicens; *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum; ecce hæreditas Domini. Pſ.* 126. 2. Quaſi dicat: mox ut juſti ſomno mortis obdormierunt, ſpiritus eorum evigilat, ut Dei hæreditatem, & cæleſtia bona contemplentur.

O felicem mortem! o ſuavem ſomnum! Ecquis hoc ſomno dormire non ambiat? Quis mortem juſtorum mori non concupiſcat? Multi quidem mori vellent ut juſti; ſed pauci vivere volunt ut juſti. Nullus fere eſt, qui non dicat: o utinam moriar ut hic & ille, quorum mors eſt ſancta, & pretioſa in conſpectu Domini! Sed pauci vivere ſatagunt, ut ii, quorum mors eſt in conſpectu Dei pretioſa.

O N. N. certo ſciatis, eos non mori morte juſtorum, qui vivunt vita impiorum; non in Domino moriuntur, qui in Domino non vixerunt; non in oſculo Domini obeunt ſicut Moyſes, qui impie vixere ut Pharao; quare omne onus peccati procul pellite; iniquitatis ſarcinam deponite; a viis veſtris peſſimis declinate, ad Deum toto corde convertimini, virtutem ſedulo ſectamini; ac vivite ut juſti, ut juſti moriamini; eritque vobis mors ſomnus dulcis; *ac etiam feliciſſimus ad gloriam tranſitus*.

## TERTIA PARS.

*Mors juſtorum, eſt tranſitus ad gloriam.*

IN Cruce paſſus, in Cruce mortuus eſt Chriſtus; cujuſque mortem diriſſimam fuiſſe conſtat: ea tamen tranſitus vocatur: *Sciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Joann.* 14. 28. Mors quidem Chriſti fuit tranſitus ad Patrem: ſed & cujuſque hominis juſti mors, dici poteſt tranſitus ad æternum Patrem, & ad gloriam ſempiternam. Unde hanc ſtatuit differentiam D. Auguſtinus impiorum inter & juſtorum mortem; quod impii morientes, ad dæmonem, ſalutis ſuæ hoſtem migrent, ut ab eo ad tartara trahantur; juſti vero ad æternum Patrem tranſeant, ut ab eo cæleſtibus præmiis ditentur: *Tranſeunt illi ad hoſtem, tranſeunt iſti ad Patrem*. Verum utique, juſtos nonnumquam graviſſimos in morte perpeti dolores; eorum tamen mors, ut ait D. Hieronymus, non proprie mors vocanda; ſed potius feliciſſimus quidam a terra ad Cælum, & a creaturis ad Creatorem tranſitus: *Hæc non eſt mors: ſed migratio, & domicilii mutatio a deterioribus ad meliora, a terra ad cælum, ab hominibus ad Angelos, & ad ipſum Dominum Angelorum. Epiſt. ad viduam junior. Tom.* 5.

Mortem ſuam tranſitum nuncupabat Job, vir inter juſtos famoſus: *Cunctis diebus*, inquit, *quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Job* 14. 14. Aliqui vertunt, *donec veniat tranſitus meus*. Et recte quidem: quia, ut advertit S. Auguſtinus, non ſolum Jobi, ſed & omnium penitus juſtorum mors, *preſſiſa* dicitur: quia eſt tranſitus ex hoc mundo ad Cælum; & ab iſta mortali vita ad æternam eſt migratio: *Mors piorum bona dicitur; quia finis eſt ad mala temporalia, & tranſitus ad vitam æternam. Aug. l. de vera innocent. c.* 148. Gaudete, o viri juſti; & gaudium veſtrum ſit plenum: gaudete in mediis etiam tribulationibus; quia brevi ad vos veniet mors, quæ erit vobis *tranſitus ad vitam æternam*.

De futura ſua morte loquens Propheta, ait, quod tranſibit. *Tranſibo*. Non dicit, *moriar*; ſed, *tranſibo*: quia mors ejus, non tam mors, quam *tranſitus* fuit. Sed quo tranſivit Propheta? *Tranſibo*, ait, *in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. Pſ.* 41. 5. Quaſi dicat; vitæ meæ peregrinatione completa, tranſibo ad Regnum cæleſte, ad Cælum empyreum, quod eſt Tabernaculum Beatorum, & domus Dei. Ad hoc regnum tranſit Propheta moriens, & ad hoc tranſeunt omnes juſti; quia eorum mors, non tam mors eſt, quam tranſitus ad gloriam ſempiternam. Unde dies mortis eorum, dici ſolet dies emigrationis, id eſt, dies tranſitus: quia hæc eſt dies, in qua ad Deum & ad Paradiſum tranſeunt.

Juſtorum & impiorum mortem, *tranſitum* vocat Chriſtus Dominus; de utriſque enim ait, quod *ibunt*; ſeu, quod *tranſibunt*, ſed eorum tranſitus erit diſſimillimus: quia juſti *ibunt* & tranſibunt in vitam æternam; impii vero in ignem æternum. Audite,

Digitized by Google

te, quomodo de impiorum tranſitu loquatur Chriſtus. *Ibunt hi*, inquit, *in ſupplicium æternum*. *Matth.* 25. 46. Hi peccatores, qui tot prava deſideria in cordibus ſuis efformarunt; hi impii, qui tot blaſphemiis, tot detractionibus, totque obſcænis, ſcurrilibus, & execrandis ſermonibus ora ſua inquinarunt; hi obdurati, qui in via peccatorum ſteterunt, nec a viis ſuis peſſimis declinare, & ad Deum converti voluerunt: hi, inquam, in morte ſua tranſibunt, morſque eorum erit quidam tranſitus; ſed quo ibunt, & tranſibunt? Tranſibunt hi ad tartara, æternum cremandi: *ibunt hi in ſupplicium æternum*. O crudelem tranſitum! o terribilem transmigrationem! o quam durum hujuſmodi hominibus a divitiis ad extremam egeſtatem, ab honoribus ad intolerabilem ignominiam, & ab hujus mundi deliciis ad incomprehenſibilia inferni tormenta tranſire! o quam terribile huic juveni, qui illicitis carnis voluptatibus totum ſe dedit, cum a corpore anima ejus ſeparabitur, ut ad æternos tartari rogos migret! o quales gemitus edet, quales fundet lacrymas hæc adoleſcentula, quæ delicate nimis, & molliter vivere ſolita eſt, cum ad infernum, a tartareis tortoribus æternum crucianda, properabit! Tranſibit illa, tranſibunt omnes peccatores, eritque iis mors *tranſitus*; ſed tranſitus ad mundi centrum, & ad formidandam inferni fornacem, in qua in perpetuas æternitates morabuntur, & torquebuntur: *ibunt hi in ſupplicium æternum*. O quam terribilis erit hic impiorum tranſitus! Sed alius erit juſtorum tranſitus: tranſibunt enim, eritque iis mors *tranſitus* ad æternam beatitudinem, in qua Deo fruuntur, & in ſempiternum beatificabuntur: *ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. *Gen.* 40.

Ex ordinatione Regis Ægypti, piſtorum magiſter, & Joſeph in carcere detinebantur; ex quo tandem ambo educti ſunt; forte tamen inæquali: nam piſtorum magiſter a carcere ad patibulum ductus eſt; Joſeph autem in tota Ægypto ſupremus a Rege factus eſt. Quid autem ſimile in hoc mundo video; in quo nos omnes velut in carcere ſumus, a quo in morte educimur; & ideo dicebat Propheta: *Educ de cuſtodia animam meam*. *Pſal.* 141. 8. Sed alii ex hoc mundo educuntur, ut tranſeant ad ſupplicium; & alii, ut tranſeant ad regnum: impii ad æterna inferni ſupplicia migrant, juſti vero ad cæleſtia Regna properant: *ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*.

O N. N. certi eſtote, quod mors veſtra erit tranſitus ad Cælum, vel ad infernum, in morte tranſibitis ad infernum, æternum cruciandi, aut ad paradiſum, æternum beandi. O quam miſeri, qui ad tartara migrant! O quam felices, qui ad Cælum tranſeunt! Quare ſic vivite, ut in morte ad Cælum tranſire mereamini; ſic vivite, ut mors ſit vobis requies ſecura, ſomnus ſuavis, & tranſitus ad vitam ſempiternam. *Amen*.

## DOMINICA VIGESIMA-QUARTA POST PENTECOSTEN.

# DE JUDICIO EXTREMO.

*Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majeſtate*. Matth. 24. 30.

NIl potentius, nil ad terrendos peccatores efficacius, quam frequens extremi judicii cogitatio. Ipſæ imagines formidandum hoc judicium repræſentantes, impiis quibuſque terrorem infligere ſolent; nec eſt aliquis ita obduratus, qui ad morum converſionem non alliciatur, ſi futura hæc judicia firmiter credat, ac ſerio meditetur. Et ideo ad ſtudioſam extremi judicii meditationem nos invitans S. Gregorius, ait: *Illum ergo diem, fratres chariſſimi, tota intentione cogitate*. *D. Greg. hom.* 1. *in Evang.* Ideo etiam S. Baſilius hortatur peccatores, ut extremum judicium, ſeu extremi judicii cogitationem, in pædagogum aſſumant, à quo erudiantur, & ad recte vivendum moveantur: *Quærite judicium, quod vobis pædagogus ſit*. *S. Baſil. in c.* 8. *Rom.*

O egregium pædagogum, qui peccatores perfectiſſime docet mali fugam, odium peccati, pœnitentiæ amorem, & omnium virtutum affectum. Hunc hodie peccatoribus præceptorem dare ſtatui: eos omnes ad Chriſti judicantis tribunal voco. Venite avari; venite impudici; venite raptores & adulteri; ad formidandum ſupremi Judicis thronum mente & ſpiritu properate omnes peccatores, ac mente revolvite, quam miſeri & infelices eritis, quando Chriſtus vos judicaturus veniet cum poteſtate magna & majeſtate: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majeſtate*. Quam deploranda futura ſit in die judicii hominum peccatorum conditio, iſta docebit concio, &c. *Ave*.

NUllus in hoc mundo reus ita miſer, cui aliqua non ſubſit excuſatio, qua mediante ſcelerum ſuorum gravitatem minuere conetur: *nullus* ita infelix, & derelictus, cui non aliquod inſit auxilium, aut a Deo, aut ab hominibus: *nullus* ita perditus, & deſperatus, cui non aliqua ſemper ſpes ſalutis ſuperſit. At in formidando extremi judicii die peccatores erunt rei, quibus nulla erit excuſatio, nullum auxilium, nulla ſpes ſalutis: *nulla excuſatio*, quæ apud Deum valeat: *nullum auxilium*, quod iis proſit; *nulla ſpes ſalutis*, quæ illos conſoletur.

O quam miſer ille reus, cui nulla excuſatio ſubeſt! Quam derelictus ille, cui nullum auxilium adeſt! quam infelix ille, cui nulla ſpes ſalutis ſupereſt!

Ecce quam infelix futurus ſit impiorum ſtatus, & quam deploranda eorum conditio in die judicii. Ita enim erunt miſeri, ut nulla iis faveat excuſatio: ita erunt derelicti, ut nullum iis adſit auxilium: ita infelices erunt, ut nulla iis futura ſit ſpes ſalutis. Peccatoribus in die judicii: 1. Nulla erit excuſatio: 2. Nullum erit auxilium: 3. Nulla erit ſpes ſalutis.



Digitized by Google

## PRIMA PARS.

*Peccatoribus in die judicii nulla erit excuſatio.*

HOminibus naturale eſt, ſua excuſationibus obvelare crimina; nullumque tam manifeſtum & notorium perpetrant peccatum, ad quod coram hominibus excuſandum, aliquam rationem non adhibeant; *Uſitatum humani generis vitium eſt, & latendo peccatum committere, & commiſſum abſcondere. S. Greg. l. 2. Mor. c. 13.* At in die judicii ita muti erunt peccatores; ut nullam rationem & excuſationem valeant adducere; quia omnia nuda & aperta erunt oculis Chriſti judicantis, quem fallere, & vanis excuſationibus decipere nequibunt.

Cum in tota Ægypto dominaretur Joſeph, perterriti ſunt valde fratres ejus, audientes eum, dicentem; *Ego ſum Joſeph. Gen. 45. 3.* Tanto tunc terrore concitati ſunt, memores, ſe fratrem ſuum alienigenis vendidiſſe, ut perpetratum crimen excuſare, immo nec unum verbum proferre poſſent: *Non poterant reſpondere fratres, nimio terrore perterriti. Ib.* Sed, heu! Quanto major in die judicii erit terror impiorum, ſtantium coram Chriſto Judice, quem toties multiplicatis enormibus & infandis ſceleribus vendiderunt? Quanto majori formidine concutientur impii, cum peccatis ſuis onuſti, ſtabunt ante Chriſtum tonantem, & fulminantem: *intonuit de cælo Dominus? Pſ. 17. 14.* Tunc quidem ita attoniti erunt, & perterriti, ut præ timore non ſolum peccata excuſare, ſed nec unicum verbum proferre queant: *Stabunt ante oculos Dei, nihil habentes dicere. Tertull. l. de an. c. 6.*

Et revera, quid dicere, & quam excuſationem adducere poterunt peccatores in die judicii? *Quid tunc dicemus? Quo colore excuſationis utemur? Chryſ. ep. 6. ad Theod. tom. 5.* Sua tunc excuſare non valebunt ſcelera, dicendo, ſe non potuiſſe Dei legem ſervare, quia Deus impoſſibilia non jubet; & ut ait Div. Chryſoſtomus, Qualis excuſatio hæc erit, jugum nos placidum non voluiſſe ſufferre; onus non potuiſſe portare quod Chriſtus vocavit leve, & ad quod portandum nos invitat, dicens. *Tollite jugum meum ſuper vos. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. Matth. 11.*

Non poterunt etiam impii naturæ infirmitate, aut corporis debilitate, culpas obtegere; multi enim homines, etiam infirmiores, & debiliores, quidquid difficile & durum in via ſalutis occurrit, perfecte ſervarunt.

Sed ſua forte peccata tunc excuſare conabuntur peccatores, dicendo, ſe negotiis multis, & variis occupationibus fuiſſe implicatos? Sed, o vanam, & ridiculam excuſationem! Nonne ſalutis negotium aliis omnibus negotiis erat præferendum? Nonne etiam illis dixerat Chriſtus, nihil prodeſſe homini, quod omnia mundi negotia peragat ac totum mundum lucretur, ſi hæc in propriæ ſalutis detrimentum fiant: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16.*

Quam ergo, in die judicii, excuſationem adducent peccatores? Forſitan ſe a quoquam ſeductos cauſabuntur? At, inquit Chryſoſtomus, inutilis, & nulla hæc erit excuſatio, quia *non potuit Adam uxoris illecebras excuſare, dicens: Mulier, quam dediſti mihi ſociam, ipſa me ſeduxit. Nec rurſum uxorem ſerpentis culpa defendit. Chryſoſt. Ib.*

Non etiam tunc impiis patrocinabitur ignorantia; nec dicere poterunt, aut ſaltem non iis proderit, ſi dicant: *Ignorans feci.* Hæc enim ratio non valebit, quia in omnem terram exivit ſonus Prædicatorum; ubique illuxit lux Fidei; & poterat quiſque, ſi voluiſſet, ea diſcere, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria.

Loquere ergo peccator, dic, quam tunc adhibebis excuſationem? Forte dices, tibi defuiſſe gratiam, vel nimis urgentes extitiſſe tentationes, quibus ad peccatum allectus fuiſti? At auxilia ad ſalutem ſufficientia nulli Deus denegat; nec permittit aliquem ſupra vires tentari; *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. 1. Cor. 10.* Quare tunc nulla peccatoribus excuſatio ſuberit, ſed velut muti in conſpectu Dei hærebunt. *In die agnitionis non habebunt allocutionem. Sap. 3.*

Concipere non valet Petrus Damiani; quam in die judicii excuſationem adducere poterunt peccatores. *Quid, inquit, faciemus ſub tanti Judicis majeſtate? Quid excuſationis oſtendere poterimus? Qua nos defenſionis arte purgabimus? P. Dam. Ep. 57.* O avare, quam adduces excuſationem, cum a te petet Chriſtus, cur opes inique acquiſieris, & cur aliena non reſtitueris? Forte paupertatem, & familiæ neceſſitatem in cauſa fuiſſe dices? Sed Chriſtus opponet Zachæum, qui aliena reſtituit in quadruplum, Franciſcum, & alios plurimos, qui non ſolum aliena non rapuerunt, verum propria pauperibus diſtribuerunt. Quo colore excuſationis uteris tu, qui inimicis parcere noluiſti? Dices forte, te de paſſione ad vindictam trahente triumphare nullatenus potuiſſe? Sed Chriſtus proponet tibi Stephanum; ecce, inquiet, hominem, qui non ſolum inimicis pepercit; verum & genibus provolutus, me pro occiſoribus exoravit. Quid reſpondebis tu, qui jejunii præceptum toties violaſti, cum a te requiret Chriſtus, cur non jejunaveris? Imaginaris fortaſſe, quod illum decipere poteris, dicendo te corporis infirmitate, & ſtomachi debilitate laboraſſe? Sed Judex ille, qui omnia novit, opponet tibi Baptiſtam, & innumeros alios, qui licet te debiliores eſſent, &, infirmiores, non ſolum ordinatis ab Eccleſia, verum & multis aliis jejuniis carnem ſuam afflixerunt. Sed quid dicent ſuperbi, cum videbunt Henricum, Ludovicum, Eduardum, & alios quamplures ſanctos Imperatores, & Reges, qui in hoc mundo regnantes, altiſſima humilitate floruerunt? Quid dicent mulieres adulteræ, quæ matrimonii fidem violarunt, cum videbunt Suſannam, quæ vitam, & famam perdere maluit, quam conjugale maculare thorum? Quid tandem dicere poterunt omnes peccatores, cum iis proponentur Sancti ejuſdem ſtatus, ejuſdem conditionis, ejuſdem ſexus & ætatis, qui pie vixerunt, & fideliter Deo ſervierunt? Quam tunc excuſationem adducent? Nullam procul dubio excuſationem adducere poterunt: quia tanto pudore ſuffundentur ob peccata perpetrata, & manifeſtata, ut nec unum verbum proferre valeant: *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Pſ. 107. 42.*

O peccator, cum monet te prudens Confeſſarius; cum te ad expianda, & abigenda ſcelera hortatur;

ſi

Digitized by Google

ei obtemperare renuis, dicens, non poſſum, nondum tempus advenit, vires deficiunt, negotiis implicor! His & aliis ſimilibus excuſationibus eum decipere, & ad abſolutionem tibi dandam inclinare fatagis. At in die judicii nulla excuſatione ſcelera tua obtegere poteris: quia ſupremo Judici Chriſto omnia patebunt, tuaque tunc crimina cunctis manifeſta fient. Sed ſi in die judicii peccatoribus nulla erit excuſatio: *nullum etiam iis erit auxilium*.

## SECUNDA PARS.

*Peccatoribus in die judicii nullum erit auxilium*.

Nullus in hoc mundo ita miſer; ita deſtitutus nemo, ut omni careat auxilio, quia ipſa miſeria pro miſeris clamat, eiſque patronos, & auxiliatores acquirit. At, o miſeri peccatores, *quid facietis in die viſitationis? Ad cujus confugietis auxilium? Iſa.* 10. 3. Quis in die judicii frater, quis amicus vobis auxiliabitur? Nullus quidem. Ut enim ait Chryſoſtomus: *Nos hinc illuc migrantes adjuvare poterit nemo, non frater redimet fratrem, non amicus amicum, non parentes filios, non filii parentes. Chryſoſt. hom.* 22. *ad pop.*

Refert Joſephus, quod quando Core, Dathan, & Abiron vivi a terra devorati ſunt, vicini, amici, domeſtici, cognati, proximi, & quotquot tam portentoſo ſpectaculo aderant, nullum eis auxilium præſtitere; quin contra omnimode obliviſcentes amicitiæ, propinquitatis, familiaritatis, & ſanguinis fœdus, ultionem factam, ſermonibus, & manuum plauſibus approbarunt. *Joſeph l.* 4. *c.* 36. Idem accidet in ultimo judicio, in quo coram examinabuntur, conſ... vicinis, amicis, & propinquis peccatores examinabuntur, confundentur, & ad inferni ſupplicia condemnabuntur, nec ullum eis auxilium aliquis afferet, immo de eorum miſeria & infelicitate gaudebunt omnes adſtantes: *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam. Pſ.* 57. 11.

O quam durum tunc erit peccatoribus, quod eis auxiliares manus non præbeant amici, & propinqui! Hoc ſane eis duriſſimum erit. Sed ſi tunc peccatores ab amicis, fratribus, & propinquis auxilium non percipiant, nonne aliunde ſubſidium ſperare poterunt? Si ab hominibus derelinquantur, Angeli forte iis ſubvenient? Angeli, qui ad hominum peccatorum cuſtodiam fuere delegati, tunc iis forſitan ſuppetias afferent? Nequaquam, quia Cuſtodes Angeli, qui nunc peccatores ſtudioſe monent, protegunt, & a dæmonum incurſibus tuentur, eos tunc derelinquent, dicentes: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamus eam. Jerem.* 51. 9.

Tunc ſane peccatoribus non præſto erunt Angeli. Sed quid dicemus de Sanctis, in Cælo jam regnantibus? Hi ſunt ſacri montes, ad quos mentem, & oculos levabat Propheta, ut ab iis auxilium emendicaret. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Pſ.* 120. Hi ſunt benefici hominum patroni, & pii pro iis apud Deum deprecatores, qui iis favere non deſinunt, quamdiu in hoc mundo remanent. quare forte & iis propitii erunt in die judicii? Nequaquam. Verum quidem, quod quamdiu in hoc mundo vivunt peccatores, Sancti pro iis Deum ſollicite orant in Cælo: *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Pſ.* 81. 6. Antequam moriantur peccatores, tempus eſt opportunum, in quo Sancti pro iis apud Deum ſtudioſe intercedunt; at in die judicii ad Deum non accedent Sancti, ut pro iis Deum invocent, & ut iis quomodocumque auxilientur: *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt. Ib.* Tunc Sancti ita divinæ voluntati erunt conſortes, ut pater, & amicus, qui Sancti erunt, filiis, fratribus, & amicis ſuis reprobis nullo modo compatiantur. *Tanta rectitudine conſtringentur, ut nulla in reprobos compaſſione moveantur. S. Greg. hom.* 39. *in Luc.*

O quam miſeri, & infelices erunt peccatores in die judicii, in quo ab Angelis, & hominibus, a propinquis, amicis, & ab ipſis Sanctis nullum auxilium percipiunt! Sed, quod majus, & gravius eſt, nec tunc ipſis propitia erit ipſa Angelorum, & hominum Regina. Norunt omnes, eam eſſe Matrem miſericordiæ, afflictorum conſolatricem, & peccatorum advocatam, quæ pro iis apud Deum intercedere non deſinit: at in die judicii, eorum non miſerebitur, nec aliquod iis præbebit auxilium. Hæc eſt Luna Myſtica, quæ peccatoribus in hoc mundo viventibus lucet, eoſque ſuis influxibus fovet; at in formidando judicii die, hæc *Luna non dabit lumen ſuum. Matth.* 24. 29. Tunc peccatoribus non favebit Maria, nullum iis tunc præſtabit auxilium, quin contra Filium ſuum ad vindictam de iis ſumendam excitabit, dicens. *Recordare quod ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis. Jerem.* 18. 20. Recordare, quod quamdiu in ſæculo vixerunt, eorum apud te officioſiſſima fui Advocata, ſed quia favores, quos a te iis impetravi, contempſerunt, nec a peccatis ſuis diſcedere voluerunt, apprehende nunc arma & ſcutum, educ e vagina gladium tuum utraque parte acutum, & percute infeſtiſſimos illos nominis tui hoſtes, *Dedue eos in manus gladii. Ib.*

O infelix peccator, ſi auxilium non ſit accepturus a Dei Genitrice, & a Sanctis; quis ergo tibi tunc patrocinabitur? *Quis te in judicio defendet?* Num te tunc defendet generis ſplendor? Num principatus gloria? Num famulorum caterva? Num verborum facundia, aut divitiarum copia? *Chryſ. hom.* 5. *in* 1. *ad Cor. Tunc*, inquit S. Hieronymus, *nec divitiæ, nec nobilitas generis, nec potentia dignitatum aliquem defendere poterunt. S. Hieron. l.* 2. *in c.* 2. *Iſa.* A quo ergo tunc auxilium percipies, o peccator? *Quis te defendet?* Solus ſupereſſe videtur Chriſtus, a quo auxilium ſperare poſſis; ſed nec ipſe Chriſtus tibi tunc propitius erit; quin contra *ad judicium veniet, ignorans miſericordiam. Petr. Dam. Ep.* 57.

Quamdiu in hoc mundo vivit peccator, ei Chriſtus miſericordiæ ſuæ theſauros aperit, ei ſe miſericordem exhibet, eique in omnibus neceſſitatibus præſto eſt, *ſed ad judicium veniet, ignorans miſericordiam*. Tunc clauſa erunt miſericordiæ ejus viſcera, tunc erit *Deus ultionum*, qui vindictam ſumet de inimicis ſuis. Ac non ſolum per ſeipſum vindictam ſumet de inimicis, verum & adverſus eos armabit omnem creaturam, *Accipiet armaturam zelus illius; & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Sap.* 5. 18. Tunc cæli malignos emittent

influxus, tunc obſcurabuntur aſtra, tunc ignis in conſpectu Dei exardeſcet, terra formidando concutietur motu, & omnes creaturæ in peccatores inſurgent. Ecce quàm miſer & infelix in die judicii futurus ſit peccator, qui tunc omni carebit auxilio; *at etiam omni ſpe ſalutis.*

## TERTIA PARS.

*Peccatoribus in die judicii nulla erit ſpes ſalutis.*

DUm in hoc mundo morantur peccatores, vana quadam ſpe innixi, ſperant, ſeu præſumunt, ſe Beatitudinem æternam obtenturos, etiamſi a peccatis non reſipiſcant. Clamant Concionatores, mortis horam eſſe incertam, Dei judicia eſſe terribilia, intolerabilia eſſe inferni ſupplicia, Deum non irrideri, nullamque iis ſupereſſe ſalutis ſpem, ſi in ſtatu mortalis peccati morantur; hi tamen uſque ad mortem ſalvari ſemper male ſperant, ſeu præſumunt, ſed immediate poſt mortem agnoſcent, vanam & ridiculam fuiſſe ſuam hanc ſpem, quæ bonis operibus non innitebatur, tuncque de ſalute penitus deſperabunt, nec illis ultra aliqua ſalutis ſpes remanebit, *Mortuo homine impio nulla erit ultra ſpes. Prov. 11. 7.*

Quamdiu in hoc mundo remanent impii, de ſalute ſua deſperare non debent, quia dum vivunt, aperta eſt iis Paradiſi janua, Deus eos ad intrandum invitat, iiſque manum & auxilia ſua præbet; ſed ſi in hoc mundo pœnitentiam non egerint; ſi oblata auxilia reſpuerint, & in peccatis perſeveraverint; mox ut mortui erunt, claudetur iis cæli janua. Clamabunt, o Domine, *aperi nobis*; ſed iis dicetur ſicut fatuis virginibus, *neſcio vos*, clauſa jam eſt janua, nec ultra vobis aliqua ſpes eſt ſalutis. In illam requiem ingredi ſummopere deſiderabunt, optabunt intrare in civitatem ſanctam Jeruſalem, ad illam ſummo affectu anhelabunt; ſed tandem deſiderium eorum peribit, quia iis claudetur paradiſi janua, nec illis aliqua ſalutis ſpes remanebit, *Spes impiorum peribit. Prov. 10.*

Tunc ſane ſpes peccatorum peribit; nec illis aliqua ſalutis ſpes remanebit, quia ſi ab aliquo ſalutem tunc ſperare poſſent impii, maxime a Chriſto, qui in hunc mundum *venit ſalvare quod perierat*, & a quo eſt omnis ſalus. *Non eſt in alio aliquo ſalus. Matth. 18. Act. 4.* Sed tunc nulla a Chriſto iis erit ſpes ſalutis; quin contra, iis tunc acriter exprobrabit beneficia, quæ iis contulit, eoſque paradiſi gloria indignos declarabit. Tunc iratus Chriſtus, ſic impiis exprobrabit: *Ego te de limo terræ manibus meis feci; ego terrenis artubus ſpiritum infudi; ego te ad imaginem & ſimilitudinem noſtram facere dignatus ſum; ego te inter paradiſi delicias collocavi, & tu, vitalia mandata contemnens, deceptorem ſequi, quam Dominum, maluiſti. Sed antiqua poſtea motus miſericordia, cum expulſus de paradiſo, vinculis mortis tenereris, virginalem uterum ſine diſpendio virginitatis in pariendo introivi; in præſepio poſitus, & pannis involutus jacui, infantiæ contumelias, humanoſque dolores, quibus tibi ſimilis fierem, ad hoc, ſcilicet, ut te mihi ſimilem facerem, pertuli; irridentium palmas & ſputa ſuſcepi, acetum cum felle bibi; flagellis cæſus, vepribus coronatus, affixus cruci, percuſſus vulnere, ut tu eriperetis morti, animam in tormentis dimiſi. En clavorum veſtigia, quibus affixus pependi. En perfoſſum vulneribus latus. Suſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem: ſuſcepi mortem tuam, ut in æternum viveres: jacui in ſepulchro, ut tu regnares in cælo. Cur quod pro te pertuliſti, perdidiſti? Cur, ingrate, redemptionis tuæ munera renuiſti? Cum eſſem impaſſibilis, pro te pati dignatus ſum; ſed tu deſpexiſti in homine Deum, in infirmo ſalutem, in via reditum, in judice veniam, in morte vitam, in ſuppliciis medicinam. Et quia poſt omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab auditu malo non mereberis liberari. Aug. ſer. 67. de temp.* Ab auditu quidem malo non liberabuntur peccatores, quia malam & terribilem tunc audient a Chriſto Judice proferri ſententiam, qua tolletur ab iis omnis ſalutis ſpes, & æternis tartari ſuppliciis adjudicabuntur. Poſtquam peccatoribus ingratitudinem, & peccata eorum exprobraverit Chriſtus, audient illum dicentem, *Diſcedi e a me maledicti in ignem æternum.*

Quanta tunc peccatorum deſperatio; quantus ſtridor dentium, ut ſubdit D. Auguſtinus, cùm viderint peccatores, ſe ab omni ſalutis ſpe excluſos, & ad æterna ſupplicia damnatos? *Quis tunc erit ſtridor dentium, cum Sanctorum multitudine ad dexteram Regis, & ad gloriam ſegregata, peccati populus in profunda tartari ſine ulla miſerationis, ac veniæ ſpe demerſus, excludi ſe a Beatorum luce, & ad æterna ſupplicia damnari viderit? Aug. ibid.* Tunc peccator videbit, & iraſcetur; tunc dentibus ſuis fremet, & tabeſcet; tunc de propria ſalute deſperans, carnem brachii ſui vorabit, ac in ſeipſum maledicta proferet.

O N. formidandum extremi judicii diem mentis tuæ oculis frequenter objice. Cogita, quod tibi tunc nulla erit excuſatio, nullum auxilium, nullaque ſalutis æternæ ſpes. Hæc frequenter recogita, & ſerio perpende. Hæc cogita, & ut terribilia hæc Dei judicia declinare valeas, pœnitentiam age, ab omnibus inquinamentis conſcientiam tuam lava; & ut loquitur Auguſtinus, *Portum pœnitentiæ, devictis peccatorum fluctibus, Chriſto juvante, feſtinemus intrare. Ib.*

Non dicat quis intra ſe, juvenis ſum, uxorem duxi, negotiis multis ſum implicatus, intra aliquod tempus me totum pœnitentiæ, & piis aliis operibus conſecrabo. Non hæc, & his ſimilia in cordibus noſtris cogitemus; ſed prompte ad pœnitentiæ remedia advolemus. ( Convertamur ad meliora, dum in noſtra poteſtate ſunt remedia. Extinguamus mortem, moriendo peccatis; vitam vitæ meritis acquiramus, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & imperium cum Patre & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. *Amen.* )

CON-

# CONCIONES NOVISSIMÆ
# *PRO TEMPORE*
# QUADRAGESIMÆ.

## CONCIO PRIMA.

### Quædam veritates Chriſtianæ de Tentationibus dæmonum exponuntur.

*Jeſus ductus eſt in deſertum a Spiritu, ut tentaretur a Diabolo.* Matth. 4.

PUlchrum eſt, quod advertit S. Damaſ. lib. 3. de fide orthod. c. 2. Chriſtum tentatum fuiſſe, & viciſſe, ut nobis victoriam pararet, & noſtræ naturæ vincendi adverſarium virtutem daret: ut natura olim victa, per quas ſuggeſtiones victa fuiſſet, per illas antiquum victorem vinceret: Itaque, uti notavit Gregor. Magnus homil. 16. iiſdem tentationibus pulſari Chriſtus voluit, quibus primum hominem diabolus pulſaverat: gula, vana gloria, & avaritia: gula tentavit, cum ligni vetiti cibum oſtendit: vana gloria, cum dixit, *Eritis ſicut Dii*: avaritia, cum dixit, *Scientes bonum & malum*: avaritia enim non ſolum pecuniæ eſt, ſed etiam altitudinis: ita Chriſtus triplici tentatione voluit pulſari: & dum in noſtra natura vicit tentantem, noſtræ naturæ dedecus abolevit, atque oſtendit victorem vinci poſſe: & ut ait Origenes, propterea Chriſtus ſuperavit, & vicit, ut tibi vincendi iter aperiret; ſic aquila draconem vincit, & provocat pullos ſuos, non modo ad volandum, ſed etiam ad certandum & vincendum. Nec eſt, quod timeamus, nam cum hoſte jam profligato decertamus, cujus caput jam olim mulier contrivit; *Ipſa enim conteret caput tuum*: certe ea, quæ pugnantes adjuvat, ut vincant, de modo & arte pugnandi loquentes & audientes adjuvabit. *Ave Maria*.

SCriptum eſt Exodi 17. Moyſem debellato Amalecita per Joſue ſacrificium in gratiarum actionem inſtituiſſe: altari magna religione compoſito: quod appellavit Victoriam Dei, ſeu *Dominus exaltatio mea*; ſeu Domini vexillum, ſeu Domini miraculum: Et addidit Moyſes, *Quia manus ſolii Domini*, hoc eſt, per ſolium ſuum juravit Dominus, manum ſuam ſuper illud extendendo. *Et bellum Domini erit contra Amalec a generatione in generationem*: ſignificat nempe nunquam inter Iſraël & Amalec pacem interceſſiſſe, nec ab initio, nec poſtea: Nam ab initio quidem grave bellum fuit inter Jacob & Eſau, & perduravit inter utriuſque poſteros: fuit enim Amalec filius Eſau: hoc autem bellum tamdiu fuit, quamdiu duravit Amalec, quem exterminavit Iſrael. Per Saul & Samuelem figuram habes perpetuæ diſſenſionis Chriſti, & Diaboli. Nam fuiſſe ab initio indicant illa verba: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter ſemen tuum, & ſemen illius.* Cum autem hæc pugna multiplex fuerit, omnium manifeſtiſſima, & celeberrima fuit hodierna, in qua diabolus ita fuit devictus: & erectum altare Victoriæ Domini: *Quia manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec a generatione in generationem*: Etenim quæ certamina Diabolus Chriſto intulit, hæc eadem hominibus infert: Itaque ſic eum Chriſtus debellavit, ut reliquias voluerit ab hominibus debellari. In cujus rei explicationem ſequentes aſſero veritates in iſtis propoſitionibus.

I. Propoſitio. Unicuique hominum ſuus adeſt Dæmon, & ſuus adverſarius: Quis toto corpore non exhorreſceret, ſi ſciret, ſibi perpetuo hydram, atque draconem imminere? Porro id probant aliqui ex illo dicto Apoſtoli, 2. Cor. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ; angelus ſatanæ, qui me colaphizet.* Verum ex contextu patet, & ex Chryſoſtomi, aliorumque Patrum interpretatione, Apoſtolum loqui, de homine perſecutore. Propterea, eo loco relicto, adjungo, illud idem videri dixiſſe antiquus auctor Hermas in ſuo Paſtore lib. 2. mandato 6. ubi docet cuilibet homini traditos duos ſpiritus, unum bonum, alterum malum: quod ex eodem auctore ſumpſit Origenes 3. Periar. c. dixit Didymus apud S. Damaſc. lib. 1. Paral. cap. 7. & Caſſia Col. 8. c. 7. Verum Hermæ liber a Gelaſio rejectus eſt ut apocryphus: & Origeni nulla fides adhibenda: hic vero peſſime cenſuit de Angelorum cuſtodia, quam explicat per alligationem ad corpora, eorumque amorem. Nihilominus fuit hæc communis, licet occulta Patrum traditio, uti docet S. Gregorius Nyſſen. in lib. de Vita Moyſis: Occultior, inquit, quædam traditio eſt, verus ſermo ad nos uſque deſcendit, Angelorum aliquem, in adminiculum cuique conſtitutum fuiſſe. Naturæque noſtræ corruptorem in omnibus contra annitentem, pravum aliquem, atque maleficum Dæmonem, ad male vivendum homines impellentem, ad ſingulos deſtinaſſe. Ex quibus verbis diſcimus, hujus rei originem: nempe cum Dæmon vidiſſet, ad ſalutem unicuique hominum deſtinatum fuiſſe unum Angelum a Deo, ipſum ad hominum perniciem, unum e ſuis ſatellitibus ad ſingulos homines ordinaſſe. Tertull. lib. de anima c. 39. Cui hominum non adhærebit ſpiritus nequam, ab ipſa etiam janua nativitatis animam aucupabundus? Idem docet Chryſoſt. hom. 3. in Epiſtolam ad Coloſſ. cum enim ſingulis hominibus adeſſe Angelos

dixiſ-

Digitized by Google

dixiſſet, ſubdit, adeſt & Dæmon. Idem habet Beda Auctor. 12. Hugo a S. Victore Tract. 2. Summæ cap. 6.

Id aliqui probant ex Jobi 40. *Ecce Behemoth, quem feci tecum*: Ita hunc locum explicat Philippus Presbyter, non quod Deus illum deſtinarit, ſed quia tentationem, quam non jubet, intra ſuæ providentiæ fines ordinat, uti etiam docent S. Nyſſen. S. Gregor. Magn. in Moral. & S. Thomas: Equidem Scriptura monet Dæmonem ſemper eſſe in inſidiis, oportet igitur eum ſemper nobis adeſſe: & in cælo quidem tertiam ſtellarum partem attraxit, atque dejecit: In Parad ſo Evam decepit; quis crediidiſſet occiſos ſeptem Saræ maritos ab Amnodæo? Saul in Regia obſidetur a Dæmone: Magdalena tam compta, tam formoſa ſeptem Dæmones habuit: dum Chriſti corpus Judæ porrigitur, in ipſum Dæmon intravit: dum ſedes ad menſam, eſt in gutture: dum jaces in lecto, eſt in pectore, in otio, in negotio, domi, & foris, ubique habes præſentem: vide quid in Apoc. 12. ſcriptum ſit: Viſus eſt in cælo draco rufus, qui mulieri ſole amictæ imminebat, ut partum ejus abſorberet: Tantæ autem magnitudinis, ut a terra in cælum porrigeretur: Atque ex parte totum corpus æſtima, cauda enim ſua tertiam ſtellarum partem traxit, atque dejecit in terram; id eſt, ſi anima tam eſſet ſancta, ut ſole eſſet veſtita: tam conſtans & fortis, ut pedibus Lunam premeret: tam ornata virtutibus, ut coronata eſſet ſtellis; Ille tamen draco aggredi eam auderet, & boni operis partum abſorbere. Denique exemplum ſerpentum ſævientium in deſerto aptiſſimum eſt; nam Judæi in cubilibus, in menſa, in tabernaculis, foris, & ubique ſerpentes offendebant, qui nunc illorum collo ſe implicabant, nunc pedibus, & brachiis ſe innodabant, nunc in alias corporis partes inſæviebant, ubique venenum immiſſuri: ita omnibus adeſt Dæmon.

At non videtur? Non quidem oculis corporis, ſed fidei, & animi. Non vidi ejus certamen in cælo: non vidi ejus pugnam cum Michaele; Video tamen in terris effectus rebellionis ipſius: audio oracula ubique terrarum, paſſim adorari video in templis, in aris: & quam divinitatem affectavit in cælis, ſibi eam in terris ſumere: quæ non vidi, colligo ex iis, quæ video: Non videtur eventus, everſiones tamen ejus apparent: Aer peſtilens non videtur, effectus tamen ejus videntur, dum urbes vacuat, & provincias devaſtat. Ita ille draco non videtur, ſed ſentitur in effectibus: quam multa olim præſtitit in terris: Tempore Noe, octo tantum animæ ſalvæ factæ ſunt, reliquæ omnes naufragio periere: Tempore Abrahæ, ille unicus fere repertus eſt juſtus & fidelis: In Sodomis ſolus Loth: Et ut Chriſtus ipſe dixit, dum ipſe ſeminat, audet Diabolus de cordibus hominum ſanctum ſemen tollere, uti volucres ſolent granum jactum in vias, ſibi tollere in eſcam. Ex his omnibus patet, quod diximus, unicuique ſuum Dæmonem adeſſe.

II. Propoſitio. Dæmon unicuique hominum non alia adeſt de cauſa, quam ut noceat: uti enim Deus ſingulis hominibus Angelos deſtinavit, ut eis prodeſſent; ita Dæmon, ut eoſdem perderet, ſingulis ſuos Dæmones peculiares deſtinavit.

Probatur 1. Ex ſumma Dæmonis malitia, unde ex ſuo nomine dicitur Malus, ſeu *poniros*, hinc cum in oratione Dominica petimus nos liberari a malo *apo tu ponirn*. Ex multorum interpretatione, Dæmonem intelligimus: Ita Apoſtolus Epheſ. 6. Dæmones appellat *ta pneumatica tis ponirias*. Spiritualia nequitiæ, ſeu ſpiritales nequitias, & Hebræi vocant Dæmonia *ſchedin*, Deuteron. 32. Pſalm. 105. hoc eſt prædones, a voce *ſchadad*, quod eſt prædari, & vaſtare: quid enim aliud agunt, quam ut in Domini hæreditatem graſſentur, & eam evertant, & in homines latrocinando inſiliant, ut fiant homicidæ, ut dicitur Joann. 8. *Ipſe enim eſt homicida ab initio*: Etenim primos homines morti addixit, non corpora ſauciando, ſed homines lædendo per peccatum, unde mors ingreſſa in hunc mundum: Hinc Sanctus Antonius apud Sanctum Athanaſium: Si quid in hominum pectoribus malæ mentis, & pavoris ſemel invenerint, quaſi latrones qui deſerta obtinent loca, cœptos cumulant timores, & crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam. Eſt autem malitia, ſive *poniria*, inclinatio ad aliis nocendum etiam ſine cauſa, ſed ex quadam in malum propenſione, quod peculiare eſt Dæmoni, quia nihil læſus ab hominibus ſponte ſua inimicus eſt homo, ut eum vocat Scriptura: unde in id unum incumbit, ut noceat, nec ulli unquam beneficium offert, niſi ut gravius noceat. Eſt autem duplex Dæmonum malitia, una eſt culpæ, altera pœnæ; & *poniria* vel nequitiam ſignificat, vel ærumnam, & cruciatum: utraque in ipſis, & ab ipſis: ſunt enim contaminatiſſimi ipſi in ſe, & iiſdem criminibus hominos inquinare ſtudent: item graviſſimis ſuppliciis afficiuntur, quo & homines pertrahere conantur; id enim intendit Dæmon, ut quos ad ſe beneficiis, & voluptatibus attraxerit, eoſdem miſerrime conficiat, & ſuppliciis atterat.

Id ipſum agnoverunt Dæmonum cultores, nam Mercurius Triſmegiſtus in lib. Quod in ſolo Deo ſit bonitas, ait Dæmones in hominum animis ſerere *tis idias o ſperma* ſuæ vis, & actionis ſemen: quale vero illud ſit, explicat, enumerando ſcelera, ad quæ impellit: adulteria, cædes, parricidia, ſacrilegia, impietates, ſtrangulationes, per præcipitia dejectiones, & mala omnia, quæ opera ſunt Dæmonum; Apud Pſellum Chaldæus vocat, terreſtres feras. Aſclepius Triſmegiſti diſcipulus *Angelus ponirus*. Empedocles appellat deteſtabiles: Hinc Gentilium furiæ alaſtores, & mali genii, ſicarii, & prædones a quibuſdam vocati. Et certe ſicut Deus ſua natura bonus eſt, unde bonitas origo: Ita Dæmon natura quidem bonus, quoniam opus eſt Dei, ſed nequitia peſſimus auctor eſt mali omnis; ideoque Chryſoſt. Serm. 11. ait ſe ex hoc Evangelio diſcere, quod curioſitas humana, quod veterum labor, quod ſapientia humana quærens, & diu quærens non potuit invenire, unde malum, culpa unde, vitiorum vis unde, unde criminum furor, unde corporum bella, unde conflictus animæ, unde vitæ tempeſtas tanta, unde mortis naufragium tam crudele: quod neſciret homo, niſi Dei lex Diabolum prodidiſſet. Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, rerum hoſtis, &c. Ille laqueos tendit, lapſus parat, foveas fodit, aptat ruinas, ſtimulat corpora, pungit animas, cogitationes ſuggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores facit, diſcordias nutrit, pacem turbat, affectus diſſipat, co-

Digitized by Google

conſcindit unitatem, ſapit malum ſatis, bonum nihil, violat divina, humana tentat &c. Quia ſicut Diabolus impellit ad mala, ſic Deus deducit ad bona.

2. Probatur ex maximo Dæmonis in homines odio: unde in Evangelio dicitur, Inimicus homo, cujus odii cauſam refert Gregor. lib. 32. in Job cap. 19. Valde, inquit, anhelat ſæviens, quod cum ipſum ima cruciant, homo ad ſumma conſcendat; in illa celſitudine ſubvecta caro permanet, a qua tantus ipſe ſpiritus ſine fine projectus jacet: ſed loca mentium mutavit ordo meritorum.

Hinc nomina ipſius hoc ſignificant, quod vel homines oderit, vel eoſdem afficiat injuria: Hebraice dicitur Satan, quod ſonat adverſarium, ſed qualem deſcribit S. Petrus 2. Epiſtol. cap. 5. *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret*: Id enim tantum intendit, ut noceat, id quærit omnibus modis, de illa re tantum gaudet: Unde illi maxime falluntur, qui ad Dæmonem recurrunt, & ab eo aliquid ſperant, cum id unum intendat, ut perdat.

2. Dicitur Diabolus, voce græca, hoc eſt, Calumniator, & accuſator, quia perpetuo Sanctis apud Deum detrahit, & peccatores depoſcit ad pœnam. Apocal. 12. *Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabit illos ante conſpectum Dei noſtri*: Detrahit Sanctis, ut Jobo, negans veras eſſe illorum virtutes; Alios accuſat ut JESUM Sacerdotem apud Zachar. cap. 3. *Et Satan ſtabat a dextris ejus, ut adverſaretur ei*: Qui tibi nunc blanditur, aliquando te accuſabit apud Deum, & quantum poterit, perſequetur: Accuſat autem *die ac nocte*, Apoc. 12. Hoc eſt & in proſperitate, & in adverſitate, cujus rei exemplum habemus in Jobo, in quem & florentem, & ſpoliatum invaſit inſolenter.

Dicitur draco, & ſerpens quod noceat, Apocal. 9. Hebraice *Abaddon*, Græce *Apollion*, Latine vero exterminans, ſeu diſperdens: Hinc nomen Aſmodæi; quod ſignificat vaſtatorem, & perditorem a Schamad, quod eſt perdere, & vaſtare, cujus effectus ſunt in ſeptem viris Saræ, crudeliter interempti, poſtquam eos ad libidinem inflammaſſet: Et ab eo nomine Hebræi illum appellant latronem, & perditorem: ac vide odii magnitudinem.

1. Quia, contra quam fit in aliis pugnis, ubi ambæ partes certant de corona, ipſe ſine ſpe coronæ pugnat. Nam in hoc prælio cum homine, ſolus homo eam ſperare poteſt, non autem ipſe Dæmon: Cum odio ſolum incitatus homines appetat, ut non vincendo coronetur, ſed nec homines vincendo habeant, quod ipſe ne victoria adipiſci poteſt. Chryſoſtom. homil. 22. ad Epheſ. Ejus victoria non eſt in hoc, ut coronetur, ſed ut perdat, non enim incumbit, ut dejiciat, ſed ut ſimul dejiciat: Jam eſt ergo victus, ipſe enim jam eſt dejectus, & eſt in perditione & in interitu.

2. Quia victoria illi nocet: nam ex hominum lapſibus, uti docet S. Auguſtinus 20. de Civit. Dei cap. Dæmonum ex igne ſupplicium adaugetur: ubi triplex illorum diſtinguit judicium: Primum, cum dejecti ſunt: ſecundum, dum operantur mala; tertium, de quo S. Petrus 2. Epiſt. cap. 2. cum dicuntur reſervari in diem Judicii, quod pœnarum augmentum non oritur ex novo demerito, ſed eſt novus effectus veteris demeriti. Cæterum augeri ignem in iis & pœnas accidentales, vel ipſi exorciſmi fidem faciunt, & diſerte docet S. Cyprianus, qui ait ab Eccleſia eos terreri & flagellari: eos autem effectus vere fieri, licet ipſi non videantur.

III. Propoſitio. Cum Dæmon ſemper adſit hominibus, ut variis modis illis noceat, præcipue tamen adeſt, ut eos tentet.

Probatur 1. Ex peculiari ejus nomine, quo appellatur Tentator, ſecundum illud, Matth. 4. in hodierno Evangelio: *Et accedens Tentator, ait illi*: Itaque prima ejus operatio circa homines hæc fuit, ut Evam in Paradiſo tentaret: Quod ſemper deinceps fecit, & hoc ſignificatum eſt in maledictione ſerpentis. Geneſ. 3. *Inſidiaberis calcaneo ejus*.

2. Probatur. Ex modo, quo hominibus nocere poteſt: Cum enim & corpori, & animæ nocere poſſit, minus ei permittitur in corpus, plus autem ut tentet: Quoniam ſi plus poſſet in corpus, quam in animum, vix noſtra poſſibilis eſſet defenſio, cum nocere poſſit corpori, nolentibus nobis, animo vero, nonniſi volentibus: Deinde, quia parum eſt ei, ut corpori noceat, modo animam lædat: Unde hodie Chriſto offert omnia regna mundi, & omnem gloriam ejus, modo procidens adoraverit eum: Quia ſi animum ejus Idololatria infeciſſet, parum erat, quod omnia bona externa ei concederet.

3. Probatur. Ex permiſſione, quam obtinet a Deo, quæ tanta eſt, ut vocetur Princeps hujus mundi, Princeps hujus aeris. Non quia vere ſit Dominus, & rerum omnium corporalium ſit potens, ſed quia poteſtatem accepit homines tentandi, quod præſtat in hoc aere caliginoſo, & quamdiu ſumus in hac vita: Itaque Tolletus regnum ejus in eo ponit, quod liberam habeat poteſtatem homines tentandi, quod præſtat, quandiu vivunt in hoc mundo.

IV. Propoſitio. Cum Dæmonis tentatio ex variis capitibus ſit metuenda, ex eo tamen eſt vel maxime, quia arte, & methodo ſic homines tentat, ut etiamſi cætera multorum irritamenta deeſſent; ex hac tamen parte pauci homines ſalvarentur, quod pauci Dæmonem vincant.

1. Pars probatur. Nempe ejus tentationem ex variis capitibus eſſe metuendam. 1. Ob ejus fortitudinem, & poteſtatem: Certe ex Jobo, nulla eſt fortitudo, quæ comparetur ei: Et de eo ſub figura Behemoth ita loquitur, cap. 40. *Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus*. Ut nimirum intelligas eſſe fortiſſimum, cum ea membra, quæ in cæteris animalibus ſolent eſſe molliſſima, ita ſint in eo dura, ut in eis putes fortitudinem ejus conſiſtere: *Oſſa ejus velut fiſtula æris: cartilago illius quaſi laminæ ferreæ, &c. Ipſe eſt principium viarum Dei*. Idem cap. 41. ſub figura Leviathan: *Reputabit quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs, &c. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam*: Vide S. Gregorium in Moral.

In particulari vero colligitur ejus fortitudo: 1. Ex natura ipſius, eſt enim ſpiritus: At ſpiritus, ut ſunt invulnerabiles, ita etiam potentiſſimi ſunt, vide, quid in Jobum potuerit, reſtricta licet ejus poteſtate: 2. a ſpecie, eſt enim inviſibilis. Unde

ne-

nemo poteſt eum attingere, nemo tela ejus devitare, cum nemo eum videat, ipſe autem norit, quid agat, quoniam eſt Princeps tenebrarum: 3. a potentia, eſt enim hujus mundi dominus, ac Princeps: 4. a loco, pugnat enim eminus, ex aere, in cæleſtibus, ut ait Apoſtolus: 5. ab indole, eſt enim iniquiſſimus, & nequiſſimus, & omnis mali artifex, quæ omnia paucis verbis complexus eſt Apoſtolus Epheſ. 6. *Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.*

* 3. Propter inſtantiam ejus, & pertinaciam te tentando, & aggrediendo: Inſtantiam vide in eo, quod dies noctesque non quieſcat, ſemper excubans in inſidiis: itaque Peluſiota ait eum ad nos decipiendum ſemper excubare in inſidiis *àgrypneina* Tertull. lib. de Pat. cap. 7. Pervicaciſſimus hoſtis ille nunquam malitiæ ſuæ otium facit: S. Hieron. in c. 15. Matth. ait, nobis ſemper inſidiari, ut vel levem cogitationum noſtratum ſcintillam ſuis fomitibus inflammet: & quia vulgo cedimus importunitati, hinc fit, ut propter difficultatem conſtantiæ, & propter animæ levitatem, & defatigationem cadamus animo, & ſuccumbamus: Vide, quid Samſoni accidetit in c. 16. libri Judicum, ex importunitate Dalilæ: *Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies jugiter adhæreret, ſpat um ad quie em non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt: tunc aperiens veritatem rei &c.* Unde Sapientis monitum, Eccl. 4. *Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem, &c.* Accedit inſtantia Dæmonis, ejuſdem pertinacia, & pervicacia, quæ tanta eſt, ut repulſus redeat, uti vides in Evangelio, ubi quidem dicitur, quod receſſit, ſed additur, ad tempus, differens magis tentationem, ait Hieron. quam auferens: Tertull. de Patientia cap. 7. Tunc maxime ſævit, cum hominem plene ſentit liberatum; tunc plurimum accenditur, cum extinguitur: Cypriani epiſt. 6. hoc ipſo, quod victus eſt, ſuperantem ſuperare conatur: Itaque Cyrillus Alexandrinus Dæmonem appellat ex hac pertinacia *deinde undiphrasim* vehementum in oppugnando.

2. Pars probatur, nempe ejus tentationem præcipue eſſe metuendam, quod cum arte, & methodo tenet: Cum artem & methodum audis, noli aliud intelligere, quam plurimas ejus verſutias & fraudes: Itaque prima ejus tentatio fuit Evam decipere: unde dicitur a Sancto Ignatio Martyre, epiſtola ad Philippenſes *poikilos*, verſutus; *kokiaſtratiga*, malitiæ dux: & a S. Hieron. in Epiſt. ad Epheſ. ejus artes multimoda ingenia appellantur: Sic enim S. Macarius *polnplokon* vocat varium, vaſrum, & implicatum, qui habeat *maggana*, *kutrigura*. Excogitatas machinas, & fores triplices *kip.kiliam pollin*, & verſutiam multam. Triplices fores dixit, quibus intret, quibus elabatur, quibus redeat; Hinc varia nomina ei tribuuntur in Scriptura, cui nomina mille, mille nocendi artes: ſed univerſaliſſime dicitur Serpens: Quia *callidior erat omnibus animantibus*: Et quod, uti notat S. Epiphanius, ſerpens ſit inter animantes *skiloostates*, maxime tortuoſus, & varius: ſpeciatim dicitur Geneſ. 49. *Ceraſtes in ſemita*, quem Nicander appellat *dolbenta*, inſidiantem, & doloſum; Et alibi dicitur *Princeps tenebrarum, & poteſtas tenebrarum*. Item *ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*: Apud Jobum cap. 4. vocatur Tygris, non tantum propter crudelitatem, ſed etiam propter varietatem; LXX. Interpretes habent pro Tygride, *mormikoleon*, genus animalis puſillum, ſed aſtutum ad formicas rapiendas, & devorandas: In compoſitione naturarum, formicæ, & leonis, S. Gregorius agnoſcit varium ingenium: Ob multitudinem autem fraudum, & innumeram varietatem comparatur plurimis animantibus, ſerpenti, draconi, leoni, ericio, aquilæ, aſpidi, baſiliſco, ſcorpioni, &c. Unde apud Jobum, Behemoth appellatur, quæ vox plutalis eſt numeri, & ſignificat plura animalia, quia videlicet plurium actus in ſe comprehendit: Id ſignificatum in cap. 12. Apocal. in Dracone habente capita ſeptem, & cornua decem, immo in ſingulis capitibus diadema gerit; quia Rex eſt multorum Baſiliſcorum. Hinc dicitur Draco, ſimul beſtia marina, & terreſtris, immo etiam viſus in cælo, Apocal. 17. *Signum magnum in cælo, Draco magnus, & rufus*: Itaque paſſim Prophetæ vocant, *Thanininim*, quam vocem, tum S. Hieronymus, tum ſacri Interpretes varie vertunt: Alii Dracones, alii colubros, alii cetos: nonnulli ſirenes, ericios, aut lamias, blanditur enim ut ſiren, nudat mammam, ut lamia prophetica: ut ericius pungit, & lancinat; deglutit ut cetus; ut draco, ferociſſime invadit, & cauda circumligat; ut ſerpens veneno inficit: Itaque recte admonet Apoſtolus, Epheſ. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli*, Græce *metodeias*. Quia, uti docet Sanctus Chryſoſtomus, quadam arte, & methodo adoritur: Unde Hieron. & Ambroſ. vertunt, verſutias; & uti advertit S. Chryſoſt. non dixit Apoſtolus, adverſus pugnas, neque adverſus bella; neque enim propalam & aperte nobiſcum bellum gerit inimicus, ſed ex inſidiis, quæ dicitur *metodeias*: Nam *metodeuein* eſt decipere, & compendiaria via, ac ratione capere, ac ſuperare, quod quidem fit & artibus, & in orationibus, & in ſucta, & in factis, iis qui nos ſeducunt. Hæc ille. Ex quibus patet intelligi varias artes, fraudes, & induſtrias, & machinationes Diaboli, quibus nos circumvenit.

V. Propoſitio. Cum ejus artes ſint innumeræ, præcipuas continet hodiernum Evangelium: Ex innumeris paucas ſubjicio.

1. Itaque ſicut omnis methodus plura redigit in pauca, ita Dæmon omnia tentationum objecta ſeu materiam ad tria capita reduxit: & ideo de tribus tantum Chriſtum Dominum tentavit, de gula, de vana gloria, de avaritia cum ambitione: Etenim fingi tantum poteſt triplex deordinatio: Una circa Deum per ſuperbiam: altera circa ſe per voluptatem: Tertia circa proximum per injuſtitiam, avaritiam, & ambitionem: Item ex S. Thoma, cauſæ ſeu materiæ tentationum, ſunt incentiva cupiditatum, ſcilicet carnis oblectatio, ſpes gloriæ, & aviditas potentiæ: eſt enim triplex in hominibus cupiditas ardentiſſima; voluptatum, opum, gloriæ, ſecundum tria bonorum genera, quæ in homine eſſe poſſunt: bonorum, inquam, falſorum: nam vera bona Dæmon proponere non poteſt, uti

ſunt

Digitized by Google

ſunt virtutes, quibus nemo male utitur: Itaque in deſerto propoſuit voluptatem in pane: Gloriam ſupra templum, Angelis ad eum ſuſtentandum, ſi ſe projiceret, concurrentibus, in teſtimonio ſanctitatis: Opus in monte, cum oſtendit omnia regna mundi: Unde in Apocalypſi fœdus initum, inter Draconem, beſtiam terræ, & beſtiam maris: Quæ reſpondent apud Jobum, iis quæ Dæmonem ſignificant, nempe Satanæ, Behemoth, & Leviathan; Draco in cælo, & ſuperborum Deus Satan: Beſtia terræ, & Behemoth, ſignificat delicias, quia ex Job Behemoth *ſub umbra dormit, in ſecreto calami & in locis humentibus*. Leviathan opes ſignificat, de quo idem: *Concident eum amici, divident illum negotiatores*: Et certe Alcazar, per beſtiam maris, imperium Romanum ſignificari dicit, in quo totius orbis opes collectæ erant. Illud igitur in univerſum ſciendum eſt, manifeſtiſſimum eſſe diabolicæ tentationis argumentum, inductionem ad voluptates, vanam gloriam, & avaritiam, quarum rerum cupiditates ſunt initia omnium vitiorum. Nam Apoſt. Joannes: *Quidquid eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*: Et propterea ad tria oppoſita, Chriſtus homines, & ſua doctrina, & exemplo ſuo induxit.

Unde ſequitur, cum qui ſenſerit ſe ad aliquod horum trium incitari, non debere dubitare, ſe tentari a Dæmone: & e contrario ſignum eſſe boni ſpiritus, ſi ab illis deducatur, atque abſtrahatur.

2. Sicut ratione rerum, & objectorum, omnia reduxit Dæmon ad tria capita, ita ratione procedendi triplicem habet tentationis modum, quem in Chriſti tentatione obſervavit, dicente Apoſtolo: *Habemus Pontificem tentatum per omnia*: Vel enim tentat ſub humana ſpecie, vel ſub Angelica, vel ſub propria ſpecie, hoc eſt diabolica, vel aperta: Etenim ſub humana ſpecie Chriſto apparuit in deſerto, quaſi fortuito occurriſſet, & ex communi pietate ſuaderet, ut famem ſublevaret: Deinde cum ſupra pinnaculum templi eum extulit, ſub Angelica ſpecie apparuit, neque enim debuit ſub humana: Nam ſi ſub iſta, non potuiſſe commode viſus eſſet altum in aera ſublevare: neque etiam polliceri Angelos fore præſentes, qui præcipitandi ſeipſum ſuccurrerent: ſed cum eum ſub ſpecie Angeli ſuſtuliſſet, conſuluit præcipitium, ut ei, qui timere non deberet, Angelo ſibi aſſiſtente, & mandatum divinum afferente, de ſuccurrendo ipſi, ne caderet: Denique in montis faſtigio, ſub ſpecie Dæmonis apparuit, eum ſe adorari poſtulavit, manifeſtum crimen ſuadens, & egregie mentitus, qui omnia ſibi tradita diceret, & illa omnia pro adorationis mercede polliceretur: Unde triplex exiſtit tentatio: humana, pſeudo-Angelica & diabolica.

Et prima quidem eſt ſub ſpecie neceſſitatis: Quæ ſumma eſt, cum agitur de neceſſariis ad vitam, qualis eſt victus: Nam cum homines voluptuarios deliciis alliciat ad gulam: homines ſpiritales ſpecie neceſſitatis ad ſe pertrahit, uti quotidie paſſim multos decipit prætextu ſanitatis, & conſervationis: ſed præcipue neceſſitatis obtentu, cui nemo non ſe aliquid debere putat: De hac tentatione Sanctus Gregorius illud Job 18. intelligit, *Abſcondita eſt in terra pedica ejus, & decipula illius ſuper ſemitam*: in terra pedica abſconditur, cum culpa ſub terrenis commodis occultatur, inimicus quippe inſidians, oſtendit humanæ menti in terreno lucro, quid appetat, & occultat peccati laqueum, ut ejus animum ſtringat, quatenus videat, quid eſt, quod concupiſcere valeat: & tamen nequaquam videat, in quo culpæ laqueo pedem ponat: Sic etiam decipula ponitur, ut dum eſca oſtenditur, nequaquam ipſa a tranſeunte videatur: Quaſi eſca quippe in laqueo, eſt lucrum cum culpa, & hujus mundi proſperitas cum iniquitate: dum itaque a concupiſcente lucrum appetitur, quaſi pedem mentis, apprehendit decipula, quæ non videtur; ſæpe ergo proponuntur animo cum culpa, honores, divitiæ, ſalus, & vita temporalis, quæ mens infirma, dum quaſi eſcam videt, & decipulam non videt, per eſcam, quam videns appetit, in culpa conſtringitur, quæ non videtur.

2. Tentatio, ſeu pſeudo-angelica, fit ſub ſpecie boni, quæ ſumma eſt, cum agitur contra nos ex divino teſtimonio: *Mitte te deorſum, Angelis enim ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*: Etenim Satanas ſe in Angelum lucis aliquando transfigurat, qua potiſſimum ratione bonos, & ſpiritales aggredi ſolet, ut ait S. Gregor. l. 33. in Job cap. 22. Exponens illa verba, quæ dicuntur de Leviathan: *Qui revelabit faciem indumenti ejus*: aliter (inquit) religioſas hominum mentes, aliter huic mundo deditas tentat: Nam pravis mala, quæ deſiderant, aperte objicit, bonis autem, latenter inſidians, ſub ſpecie ſanctitatis illudit: Illis velut familiaribus ſuis iniquum ſe manifeſtius inſinuat: illis vero velut extraneis, cujuſdam quaſi honeſtatis prætextu ſe palliat, ut mala, quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine ſubintromittat: Ita & membra ejus, ſæpe cum aperte nequitia nocere non poſſunt, bonæ actionis habitum ſumunt: iniqui enim ſi aperti mali eſſent, a bonis recipi omnino non poſſent: ſed ſumunt aliquid de viſione bonorum, ut dum boni viri in eis recipiunt ſpeciem, quam amant, permixtum ſumant etiam virus, quod vitant. Ita Gregor. Quin etiam miracula ſimulat, *Ut in errorem inducantur etiam, ſi fieri poteſt, electi*. Itaque rebus ſanctis utitur, & Chriſtum adoritur teſtimonio Scripturæ. Quot homines decepti ſunt hoc ſæculo prætextu majoris reformationis: quot ſpecie pœnitentiæ, Eleemoſynæ, Orationis, & majoris perfectionis? Ita ſolet Dæmon, ait S. Ignatius in Regula 4. de dignoſcendis ſpiritibus: cognitis piis animæ votis, illis primum obſecundare, ſed paulatim illam allicit ad perverſa ſua deſideria: Unde monet in Regula 5. ut accurate excutiantur cogitationes noſtræ, circa principium, medium, & finem: nam ſi hæc tria bene ſe habeant, bonum oſtendunt Angelum, cogitationes illas ſuggerentem: ſed ſi per diſcurſum mentis aliquid offertur, vel ſequitur, quod ex ſe malum ſit, aut avocet a bono, vel ad minus bonum impellat, quam anima prius ſequi decreverat: vel aliquid ſuſpectum, & ab omnibus non ſatis probatum, vel ſi pacem animæ tollat & ſecuritatem, evidens erit indicium, hujus rei auctorem eſſe Dæmonem, utpote utilitati noſtræ adverſantem, & ſemper ſingularia ſectantem. Sæpe etiam deprehenditur ex cauda ſerpentina, hoc eſt, ex fine malo, quem ſemper nobis inſinuare ſtudet: Nam licet ab

Inſi-

initio bonum & virtutem prætexuerit, paulatim tamen quædam inſinuat, quæ bona non ſunt, quæ ſuſpecta ſunt, & quæ animi pacem & tranquillitatem tollunt: unde facile deprehenditur ejus deceptio: Itaque licet dæmon obtulerit Chriſto Angelorum cuſtodiam, & divinum teſtimonium, quia tamen præcipitium ſuadebat; quæ res adverſabatur Scripturæ, quæ vetat tentari Deum; ideo Chriſtus Dæmonem repulit, ſuo falſo prætextu rem malam ſuadentem.

3. Tentatio, quæ Diabolica dicitur, quo aperte Dæmonem oſtendat, non timet aperte malum proponere, exhibita ingenti mercede: Neque enim Dæmon diſſimulavit, quis eſſet, cum dixit: *Hæc omnia tibi dabo*: Nec magnitudinem ſceleris, ſi cadens adoraveris me. Unde Chriſtus hac tantum vice tractavit ut Dæmonem: *Vade Satana*. Sic autem facit Dæmon, vel cum ſceleratis hominibus, quibus, ut ait Gregor. loc. cit. mala quæ deſiderant, aperte objicit: Vel in iis rebus, quas homines tanti faciunt, ut ad eas per ſumma etiam ſcelera pervenire non reformident: v. g. in avaritia & ambitione: Uti advertit S. Cyprianus in opere de operibus cardinalibus Chriſti, in capite de Jejunio, & Tentationibus ejus. Et in avaritia quidem proponit exemplum Judæ proditoris, qui lucrum quærens non dubitavit Chriſtum tradere: Uſque ad mortem Domini (ait) amor lucri ſe ingerit, nec vitæ Salvatoris quæſtus deſiderium parcit, S. Leone ſic accinente: Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit. Jam de ambitione Cyprian. loc. cit. Nihil intentatum ambitio prætermittit. Et poſtea. Inverecunde tentator ambitioſos aggreditur, & conditione pernicioſa præmiſſa, præmia talia pollicetur, ultra quæ extendi non poſſit cupiditas. Regnorum ſcilicet Monarchiam, & univerſitatis dominatum, ut in omnibus mundanis unus homo quaſi Deus habeat poteſtatem, & uni omnia ſubjecta ſint; & generale vectigal, excellentiæ principali, cuncta perſolvant: quid ultra, cupide quæris? Quid amplius avare deſideras? Hoc ſane patet experientia: Nam ut opes habeantur & divitiæ; quid non admittunt homines? Certo Dæmon nullam tam turpem objicere poteſt conditionem, quæ non admittatur: Sed præcipue ob dominatum: ſi jus violandum eſt, ajebat ille, regni cauſa violandum eſt; Quot putas homines vivere, quibus, ſi in criminis præmium offerres regnum, ac ſceptrum, quidlibet admitterent? Sed quid ego de regno loquor, cum minima ambitio idem efficiat? An non paſſim ab hominibus jura violantur, continentia læditur, nulla ratio honeſtatis, nulla æquitatis, nulla virtutis, nulla amicitiæ, nulla honoris, nulla pudoris habetur? Quid minores virtutes commemoro, nulla religionis, nulla fidei, nulla divinæ majeſtatis. Non unus Dæmon adoratur, ſed omnes Dæmones adorarentur, *Oſtendit omnia regna mundi, & gloriam eorum*: In iis occaſionibus non eſt, quod Dæmon ſe occultet, aperte agit, non diſſimulat, non occultat crimina: *Si cadens adoraveris me*. Nam conditione pernicioſa præmiſſa, præmia talia pollicetur, ultra quæ extendi non poſſit cupiditas.

Hic unuſquiſque videat, quo tandem genere tentationis ſe Dæmon adoriatur, an humana, an pſeudo-Angelica, an plane Diabolica. Certe quælibet peremptoria eſt: & quacunque vincat Dæmon, hominem perdit. Et quidem minus homines verentur humanam prætextu neceſſitatis: Sed ſcias neceſſitatem eſſe prætextum, immo tentationem voluptatis, quam multa fiunt, ut panis habeatur; quaſi Deus non aliunde provideat. *Non enim in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*: Verum hæc tentatio paſſim homines adoritur, etiam minime malos: opifices, ruſticos, patres familias, matresfamilias, qui aliorum curam habent, qui præſunt domibus, familiis, communitatibus, regnis, reipublicæ. Quam multa fiunt prætextu ſanctitatis, neceſſitatis, & vitæ? Sed ſcias nullam eſſe cauſam legitimam rei malæ, & res omnes potius eſſe amittendas, quam innocentiam, & ſæpe in eo graviſſimam eſſe Dæmonis tentationem, qua paſſim illaqueantur homines inani prætextu. Hoc habe in univerſum, neceſſitatem prætendi, ubi voluptas imperat.

Sed gravior tentatio eſt, quæ nos ſub ſpecie boni adoritur, qua maxime ſolent decipi, qui perfectionis ſunt amantes, & qui falſo zelo abripiuntur: *Quis revelabit faciem indumenti ejus?* Quia ſcilicet Angelus Satanæ ſe transfigurat in Angelum lucis. Sed ſcias non omnia, quæ videntur, eadem eſſe vera: unde monet Apoſtolus Joannes Epiſt. 1. cap. 4. *Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*: rationem reddit: *Quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum*: Non itaque omnibus fides adhibenda, etiam qui bona offerunt. Scito omnia externa eſſe æquivoca: Item omnia inſolita debere eſſe ſuſpecta: omnia extraordinaria eſſe periculoſa: Denique ea omnia, quæ mali aliquid habent admixtum, eſſe rejicienda: Ita in veteri regula, in modo communi, & in priori mandato, & ſicut dicit Apoſtolus ad Galat. 1. *Sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit: ſicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.*

Sed omnium graviſſima eſt tentatio Diabolica, quia ad manifeſtandum crimen inducit ad Diaboli adorationem. Sed vide, quo illicio: *Oſtendit illi omnia regna mundi, & omnem gloriam eorum*: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Inſane! quid cogitas? Mundum habes (ait Cyprianus) Deum non habes: Mundus tranſibit: Tu cum eo, qui non ſtat, cades, tranſibis, & rues: peremptoria ſunt hæc conſilia, quæ tibi talia pollicentur, in quibus te neceſſe eſt, aut vomitu, aut ruptis interire viſceribus. Vide deinde, ut cum eodem Doctore pergam, pretium quod patitur, ut Diabolum adores proſtratus, & eum tibi Deum conſtituas, quem non dubitas ſeductorem: Si conſenſeris, ut concedas, caſus tui te non poterunt excuſare improvidum, cum ipſe tibi caſum, & ruinam prænominet, & præcipitium exigat, &c. Denique non conſideras, quid tibi ex adverſo promittit Deus: Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo: Regnum Cælorum tibi Deus promittit, ipſum ſolum adora, ipſi ſoli memento, ut ſervias, qui repulſo tentatore, te quoque gloria, & honore poſt victoriam coronabit. Amen.

CON-

Digitized by Google

## CONCIO SECUNDA.

Doli & artes Dæmonis in tentando ex tentationibus, quibus Chriſtum aggreſſus eſt, aperiuntur.

*JESUS ductus eſt in deſertum a Spiritu, ut tentaretur a Diabolo.* Matth. 4.

DIximus in præcedenti Concione, cum Dæmonis tentatio ex variis capitibus ſit metuenda, præcipue tamen quod cum arte, & methodo, tentet. Cum enim ejus pugnandi ratio ſit ſpiritualis, maxime pugnat ex arte; Unde Dæmones vocat Apoſtolus *Spiritualia nequitiæ*, hoc eſt, ſpiritales nequitias: quarum quaſdam jam ſupra attulimus, ſed quia ſunt innumeræ, ne putes, ſi ſuperiores illas vitaveris, te rerum omnium eſſe ſecurum, ideo in earum enumeratione pergo, ut ſaltem ex multitudine infenſiſſimum hoſtem & timere, & cavere diſcas. Verum prius Virginem ſalutemus. *Ave maria.*

### I.

IGitur ſic Dæmon in tentando partitur objecta, & modum tentationis, ut tamen non de omnibus ſimul tentet, ſed ſucceſive & tentationes mutando: Itaque Chriſtum prius de gula tentavit, poſtea de vana gloria, tum de avaritia & ambitione: Tum ut omnia experiatur, ut ſi uno prælio non vincat, altero dejiciat; Tum ut omnibus vitiis implicet; neque enim mediocriter nocere vult, ſed ſumme. In quem ſenſum S. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 16. illud Jobi interpretatur: *Vadent & venient ſuper eum horribiles:* Sic dicti Dæmones, quoniam bonis mentibus pavendi ſunt, ac fugiendi. Perverſi itaque mentem etſi alia mala deſerunt, alia occupant: Ita plerumque videas hominem furioſum, aut iracundum, quidquid ira ſuggeſſerit, exequi: Sed ubi furor abſceſſit, mentem ejus luxuria devaſtat: cum luxuria ad tempus intermittitur, elatio protinus quaſi de continentia in ejus cogitatione ſubrogatur; atque ut a cæteris timeatur, appetit videri terribilis: Sed ſi potentior aſſurgat, quaſi poſtpoſito terrore ſuperbiæ remiſſa locutione blanditur: & cum ſuperbus videri deſierit, duplex effici non pertimeſcit: In cujus ergo mentem vitia vitiis ſuccedunt, recte de eo dicitur: *Vadent & venient ſuper eum horribiles:* Quia quot vitiis decedentibus, & ſuccedentibus, premitur, tot malignis ſpiritibus, ejus animus, quaſi euntibus, ac redeuntibus vaſtatur. Hac autem arte utitur Dæmon, ut omnes machinationes adhibeat, & aliqua tandem ratione perimat ac perdat: Exemplum habes inſigne in Jobo, quem omnibus modis aggreſſus eſt, uti notat idem S. Greg. præf. in ejus lib. cap. 4. & 6. Abſtulit ſubſtantiam, interfecit filios, percuſſit corpus, inſtigavit uxorem, amicos ad conſolationem adduxit, ſed in aſperitatem increpationis excitavit: ut crebrius feriendo, cor attingeret, quod novo vulnere ſemper iteraret: Quem enim in ſæculo potentem vidit, damnis ſubſtantiæ eum moveri credidit: quem non concuſſum ex filiorum morte pulſavit: Videns autem, quia ad argumentum divinæ laudis etiam ex vulnere crevit orbitatis, petivit feriendam ſalutem corporis: Intuens etiam, quia per dolorem corporis pervenire nequiverat ad paſſionem mentis, inſtigavit uxorem: Civitatem quippe quam expugnare appetivit, nimis munitam vidit, & idcirco exterius tot plagas inferens, quaſi foris exercitum admovit, animum vero uxoris in verbis malæ perſuaſionis accedens, quaſi intus civium corda corrupit: & foris itaque admovit impetum belli; intus venena conſilii, ut tanto citius urbem caperet, quanto eam interius, exteriuſque turbaret: Nempe omnia tela Dæmon adhibuit: Sed in his omnibus manſit mens imperterrita; ſtetit civitas inconcuſſa: & ut pergit loco citato c. 5. Ubique munitus aſtitit, undique venientibus gladiis vigilanter obviavit: Amiſſam ſubſtantiam tacite deſpicit, carnem in filiis mortuam æquanimiter dolet: In ſe carnem percuſſam patienter tolerat: carnem in conjuge male ſuadentem, ſapienter docet, ſuper hæc amici in aſperam correptionem proſiliunt, & pro ſedando dolore venientes, vim doloris adjungunt: Omnia ergo machinamenta tentationum ſancto viro vertuntur in augmenta virtutum: per vulnera quippe probatur ejus patientia: per verba vero exercetur ejus ſapientia: Ubique fortiter occurrit, quia flagella robore, & verba ratione ſuperavit.

Ita Dæmon mutat tentationes, & hominem variis modis aggreditur, ut tamen ordinem ſervet in tentando: Omnis enim methodus ſervat ordinem, & ille ordo proprie methodus appellatur. Itaque ut plurimum homines voluptatibus primo adoritur, tum ſuperbia, & vana gloria, denique opibus, & ambitione: Hunc ordinem videre eſt in ætatibus: Nam fere adoleſcentes & juvenes voluptatibus tanguntur: Viri gloria: Senes avaritia: atque hunc ordinem in Chriſti tentatione Dæmon ſervavit: Nam primo tentavit gula, cum dixit: *Dic, ut lapides iſti panes fiant?* Tum appetitu gloriæ, cum perſuaſit præcipitium e pinnaculo Templi, ut ſperaret ſe in omnium conſpectu ab Angelis ſuſcipiendum, ne caderet: Denique avaritia, & ambitione; opibus propoſitis: *Tum oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum*, dicens: *Hæc omnia tibi dabo:* Atque hunc tentationis ordinem recte explicat Serapion apud Caſſianum coll. 5. c. 6.

Nota 1. Chriſtum minime tentatum a Diabolo de luxuria, cujus rei multæ afferri poſſunt: Sed ad propoſitum, unicam affero ex Caſſiano loc. cit. Nec enim (inquit) qui gulam vicerat, poterat fornicatione tentari, quæ ex illius abundantia, ut a radice procedit: Nam ut ait Tertullianus lib. de Jejuniis, Grande monſtrum haberetur libido ſine gula: ſpecta corpus, una regio eſt: denique pro diſpoſitione membrorum ordo vitiorum eſt: Qui itaque ſic jejunarat, & qui poſt jejunium ſic gulam domuerat, de carnis luxuria vane fuiſſet tentatus.

Nota 2. S. Matth. & S. Lucam diverſo ordine has tentationes narrare: Uterque quidem inchoat a tentatione gulæ: Quia fere tentamur primo de vitiis corporis, & de iis, quæ in nobis ſunt: Et fuit communis SS. PP. ſententia, qui iſta vitia minora non ſuperaſſet, cætera non poſſe deinceps ſuperare: Sed Matthæus ſecundo loco ponit ſuperbiæ tentationem, & tertio loco tentationem avari-

avaritiæ : contra quam facit S. Lucas. Quia uti advertit S. Thom. 3. p. quæſt. 41. artic. 4. ad 5. Aliquando ab avaritia tranſitur ad ſuperbiam: aliquando a ſuperbia ad avaritiam: Tu itaque vide, ſi nondum carnales tentationes viciſti, quomodo reliquas graviores vincere poſſis? Ille autem ordo, eo pertinet, quod Dæmon a minoribus ordiri ſoleat, ut ad majora progrediatur: Non ſtatim adulterium proponit, ſed amoris initia: Non ſtatim homicidium, ſed leves iras: non ſtatim defectionem a fide, ſed quaſdam ineptas libertates: Etenim non ſtatim ſe prodit totum, ſed paulatim ſe aperit: Ad Evam, *Cur vobis præcepit Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi* : deinde, *Nequaquam moriemini* : Mendacem facit Deum : tum ſubdit : *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri* : Invidum Deum facit: denique ſic concludit. *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum* : Ad extremam perduxit ſuperbiam, ut cum Deo æqualitatem ambirent. Ita in Chriſti tentatione paulatim proceſſit: Nam in prima videtur reſpexiſſe ad aliquod de ſe non malum, nempe eſurientis corporis refectionem, tamen per medium malum & inordinatum, nempe per modum inſolitum, & extraordinarium: *Dic, ut lapides iſti panes fiant*. In ſecunda reſpexit quidem ad aliquid malum, ſed quod videri poſſet, de ſe non admodum grave, ut eſt vana apud homines æſtimatio, per medium tamen magis æque evidentius inordinatum, nempe præcipitium: In tertia vero manifeſtius ſuam prodidit malitiam, & ad ſummum malum contra Deum induxit, propter infinitum quoddam motivum, quod ſolet eſſe radix, atque origo omnium vitiorum.

Eodem artificio uti advertit S. Gregor. lib. 2. in Job cap. 8. Callide curavit antiquus hoſtis, non tam jactura rerum, ſancti viri patientiam frangere, quam ipſo ordine nunciorum; Qui ſtudens prius parva, & poſt nunciare majora, in extremo filiorum intulit: Ne vilia Pater rei familiaris damna duceret, ſi illa jam orbatus audiret, & minus percuteret rerum amiſſio, præcognita morte filiorum: Quia videlicet nulla eſſet hæreditas, ſi illos prius ſubtraheret, qui ſervabantur hæredes; Sed a minimis incipiens, in ultimum, graviora nunciavit, ut dum gradatim deteriora cognoſceret, in ejus corde, doloris locum, omne vulnus inveniret: Hæc ille. Unde tam ſæpe illud Patrum ſpiritualium conſilium, ut ab initio Dæmon repellatur: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram*: Auguſt. in Pſalm. 36. Quid ſunt parvuli Babyloniæ, naſcentes malæ cupiditates: Quando naſcitur cupiditas, antequam robur faciat adverſum te mala conſuetudo: Cum parvula eſt, nequaquam pravæ conſuetudinis robur accipiat: cum parvula eſt, elide illam: hoſtis major eſt? Occidatur ad petram. Brevis hoſtis eſt? elidatur ad petram: & majores ad petram occidite: & minores ad petram elidite.

3. Sic Dæmon ordinat tentationes, ut quamlibet ad extremum perducat: Neque enim exigua hominum ruina eſt contentus, ſed ex maximo in homines odio: ad majora ſemper, & ad ſumma impellit. Id vide in ſingulis Chriſti tentationibus. Nam quod ad gulam attinet: Cum Chriſtum tentavit, quoad deſiderium, & modum quærendi cibi, non potuit ad gravius tentare: Nam ut advertit Sanctus Baſilius, relatus in Catenam PP. in Lucam, ſuaſit lapidibus appetitum dare, hoc eſt, permutare deſiderium ab alimento naturali, ad exiſtentiam præter naturam: Duo dicit Dæmonem Chriſto ſuaſiſſe: 1. Ut etiam miraculo gulæ ſatisfaceret, qui modus plane indebitus eſt, cum alio modo potuiſſet: oportebat ergo ſublata neceſſitate, inſolitam eſſe cibi appetentiam, quæ etiam miraculo ſibi fieri ſatis poſcebat: 2. Uti guſtum, & delicias in re non convenienti quæreret. Portenta quædem naturæ fuerunt nonnulli Imperatores, qui contra naturam ipſam, delicias alieniſſimo tempore, & alienis locis quærerent: Ac de Caligula quidem ſcripſit Svetonius: Nihil tam efficere concupiſcebat, quam quod poſſe effici negaretur: Ita Dæmon a naturali alimento Chriſtum provocat ad exiſtentiam præter naturam: unde tentationum diſſipator Chriſtus non repellit famem a natura; ſed tentationem refutat dicens: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* : ſumitur ex cap. 8. Deuteron. ubi de Manna ſic habent Hebræi, ſuper omne, quod egreditur ore Domini, vivet homo. Id eſt quacumque re, quam Deus ordinarit ad vitæ ſuſtentationem, vivi poteſt: uti per annos 40. Judæos pavit Manna, ſine pane: ſicut itaque in deſerto panis non fuit populo neceſſarius, ita neque Chriſto ad veſcendum opus fuit, ut ſaxa in panes mutaret: & proinde vides gulæ tentationem ad ſummum fuiſſe perductam.

Idem dico de tentatione vanæ gloriæ, quam eo perduxit, ut homo ſperet Angelos ſibi in præcipitio miniſtraturos, ut inde famam ſanctitatis aucupetur: hoc eſt velle, Deum miraculo ſibi ſuccurrere ad vanam auram captandam.

Denique tentationem ambitionis deducit uſque ad cupiditatem inexplebilem rerum omnium: *Oſtendit enim illi omnia regna mundi, & gloriam eorum*, atque ſubdit: *Hæc omnia tibi dabo*. Vide autem, quouſque proferat crimen, nempe uſque ad apertam Diaboli adorationem, & ut dependenter ab eo velit habere omnia: quod ſignificat his verbis. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me* : & Lucæ cap. 4. *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa: Tu ergo ſi adoraveris coram me, erunt tua omnia*; quæ omnia majora eſſe non poſſunt, ſeu cupiditatem ſpectes, ſeu crimen.

4. Sic Dæmon tentationem ſuam ad extremum perducit, ut maxime occultet, quod intendit: vere ſerpens, de quo recte Tertull. Nuſquam totus. Vere lucifuga beſtia. Id vide in ſingulis Chriſti tentationibus, in quibus licet id videretur intendere, ut ad gulam, ad vanam gloriam, & ad avaritiam induceret, ejus tamen præcipuus finis fuit, ut Chriſti divinitatem exploraret: & qua, ſi videret carere, ut tentaret, atque in peccatum induceret. Sic igitur tentavit, ut periclitaretur, & ut agnoſceret: Sic periclitatus eſt, ut tentaret: quod facile per ſingulas tentationes oſtendi poteſt.

Nam quoad primam attinet, ſic acceſſit animo explorandi divinitatem Chriſti, ut ſi ea non eſſet,

ad

Digitized by Google

ad gulæ peccatum induceret. Ita docent SS. Ambroſ. Hilarius, & alli multi ex ſanctis Patribus: Si enim ſolum ad gulam inducere voluiſſet, non petiiſſet, ut lapides fierent panes; ſed potius panes ipſos obtuliſſet, & ad veſcendum provocaſſet; hac quippe via facilius eſurienti perſuadere poterat, ut comederet, quam lapides proponendo: ſic autem exploravit: *Dic, ut lapides iſti panes fiant*, qua ratione opus ab illo exquiſivit divinitatis proprium, nempe ut rem unam in aliam ſolo imperii ſui nutu, verboque converteret: quod non niſi a Deo, vel ſaltem virtute divina fieri poterat: unde ſi Chriſtus in teſtimonium, & probationem, quod eſſet Filius Dei, prout a Dæmone exigebatur, opus illud patraſſet, evidenter agnoviſſet Dæmon, quod optabat; ideo non dixit, cum eſurias, *Dic, ut lapides iſti panes fiant*, id enim vir ſanctus facere poterat: Nec dixit Filius Dei es, dic, ut lapis, panis fiat: neque enim ex hoc illud colligebatur: Sed uſus eſt conditione, ſi Filius Dei es, quibus verbis ſignificabat, converſionem lapidum, futuram in teſtimonium divinitatis: & perſuadebat, ut faceret: quaſi diceret, ſi tantus es, quantus prædicaris, & quantum Deus de te teſtari viſus eſt circa Jordanem, ne permittas hanc tantam dignitatem obſcurari, aut inutilem eſſe: fac panem ex lapide, quo & tibi conſulas, & tuam oſtendas divinitatem. Hac autem probatione potius uſus eſt, quam alia, quia occaſione eſuriei uſus eſt ſecundum illud: Matt. 4. *Poſtea eſuriit, & accedens tentator dixit ei, ſi Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant*.

Denique, ſic explorabat, ut tentaret: Nam ſi Filius Dei non erat, intendebat enim ad manducandum excitare, ut conſtat ex reſponſione, *Non in ſolo pane vivit homo*: utrumque enim intendebat, & explorare, & tentare ad peccatum. Sed præcipue primum: quoniam ex una parte, vox Patris ad Jordanem, & Joannis teſtimonium, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Inſuper nullum in eo peccatum, quod in omnibus deprehendere ſolitus erat, Deum oſtendebat: Aliunde ipſum jejunium, eſuries, & caro cum cæteris hominibus communis, eum ambiguum reddebant.

Idem plane intendit in ſecunda tentatione, in qua opus ſupernaturale in teſtimonium divinitatis poſtulavit: Idem in tertia, licet obſcurius: nam licet nullum opus ſupernaturale flagitarit, quoniam illud obtinere jam deſperaverat; flagitavit potius opus divinitati contrarium, & injurioſum; id fecit ſolum, ut ſi verus Deus eſſet, tanta blaſphemia, & ſibi illata provocatus injuria, ſe potius a Dæmone adorari imperaret, atque hoc modo ſuam divinitatem proderet. Sed Chriſtus omnes Dæmonis artes eluſit.

Nam quoad primam, ita illum eluſit, ut notat Sanctus Irenæus libro 5. contra Hæreſes cap. 21. ut ad illud, *Si Filius Dei es*, tacuerit, & hominis confeſſione eum excæcarit, dicens, *Non in ſolo pane vivit homo*: Ita in ſecunda, ſic reſpondit, ut de ſua divinitate ſilens, & humanitatem recognoſcens, ac ſecundum illam ad Deum ſubjectionem diceret: *Non tentabis Dominum Deum tuum*: In tertia vero ſumma ſapientia & auctoritate, qualis hominem juſtum deceret, Dæmonis temeritatem atque audaciam perfregit, dicens, *Vade Satana*, & ſuam divinitatem abſcondit, adjungens, *Dominum Deum tuum adorabis*, nos docens, quomodo oporteat Dæmonis artes eludere.

5. Nec vero tantum in ſua intentione Dæmon obſcurus eſt, & tortuoſus, ſed in modo tentandi ſic aliquando perplexus eſt & implicatus, ut nonnumquam ita animum illaqueat, ut unum peccatum fugere non poſſit, quin in aliud incidat: quo ſenſu B. Gregorius lib. 32. Moral. in Job cap. 17. illa verba interpretatur, quibus nervi Behemoth perplexi dicuntur: Quia videlicet ſuggeſtionum illius argumenta implicatis inventionibus illigantur, ut pleroſque ita peccare faciant, quatenus ſi forcaſſe peccatum fugere appetant, hoc ſine alio peccati laqueo non evadant, & culpam faciant, dum vitant: ac nequaquam ſe ab una valeant ſolvere, niſi in alia conſentiant ligari: Tum ſubdit exempla in omni hominum conditione, in Conjugatis, in Continentibus, in Paſtoribus: In primis, quidam alteri amicus ſecretum alteri jurejurando pollicetur: ſed is, cui juratum eſt adulterium, aperit, & mariti adulteræ homicidium a ſe commiſſum: Vide animum perplexum ejus, qui juravit, ſi taceat, adulterii ſimul, atque homicidii particeps fieri timet: ſi loquatur, perjurium veretur: perplexis itaque Behemoth nervis ligatus eſt: Quia (inquit) in quamlibet partem declinet, metuit, ne a transgreſſionis contagione liber non ſit. Aliud exemplum in Concinentibus. Quidam mundo renuntians alteri ſeſe voto obedientiæ obſtringit: ſed incaute Superiorem eligit, qui ea, quæ Dei ſunt, prohibet, quæ mundi ſunt, jubet: quid faciat ſubditus, & obedire trepidat, & non obedire formidat: ne aut obediens Deum in ſuis præceptis deſerat; aut rurſum non obediens Deum in electo Priore contemnat: & aut illicitis obtemperans, hoc quod pro Deo appetit, contra Deum exerceat: aut rurſum non obtemperans, eum quem ſuum judicem quæſierat, ſuo judicio ſupponat. Aperte ergo per indiſcretionis ſuæ vitium perplexis nervis aſtringitur, quia aut obtemperans, aut certe non obtemperans in culpa transgreſſionis ligatur. Tertium exemplum in Prælatis. Quidam præmiis ſe regimini Eccleſiæ immiſcuit: ſed cum imperandi difficultatem ſentit, dignitatem abjicere deliberat: Per honoris ergo ambitum, ligatum culpa, hinc inde ſe conſpicit: eſſe quippe ſine reatu criminis neutrum videt, aut ſuſceptus ſemel grex deſeratur, aut rurſum ſacra actio ſæculariter empta teneatur: Cujus ſtatus miſeri hoc in univerſum ſubdit remedium: Eſt tamen, quod ad deſtruendas ejus verſutias utiliter fiat, ut dum mens inter minora, & maxima peccata conſtringitur, ſi omnino nullus ſine peccato evadendi aditus patet, minora ſemper eligantur: Quia & qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur: ſic Apoſtolus, dum quoſdam in Eccleſia incontinentes aſpiceret, conceſſit minima, ut majora declinarent, dicens: *Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat*; Et quia tunc ſolum conjuges in admixtione ſine culpa ſunt, cum non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda

ala proie miſcentur; ut hoc etiam, quod conceſſerat, ſine culpa, quamvis minima, non eſſe monſtraret, illico adjunxit: *Hoc autem dico, ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*: Non enim eſt ſine vitio, quod ignoſcitur, & præcipitur: Peccatum profecto vidit, quod poſſe indulgeri prævidit: ſed cum in dubiis conſtringimur, utiliter minimis ſubdimur, ne in magnis ſine venia peccemus: itaque plerumque nervorum Behemoth iſtius perplexitas ſolvitur; dum ad virtutes maximas per commiſſa minora tranſitur. Sed univerſalius quomodo id contingat exponit Richardus a ſancto Victore, part. 2. annotatione in Pſalm. 90. *Qui habitat*, ubi loquitur de ſeptem tentationibus: Perplexa, ait, tentatio eſt, quando ſub uno, eodemque tempore, mens variis vitiis impetitur, ut vel in uno alieno labatur: Et ſæpe verſuta malignitas hos vitiorum congreſſus cum tanto artificio ordinat, ut animus improvidus, unde uni vitio robuſtius reſiſtere parat, eo ipſo aliud incurrat, atque hanc tentationem omnium pernicioſiſſimam vocat: ſi enim difficile eſt, ſæpe unum aliquod vitium ſuperare, quam laborioſum erit plurium inſultis ſub uno impetu ſuſtinere? virum ſane robuſtum, ſed nec minus prudentem dixerim, qui agminis tantopere hoſtilis, nec viribus frangitur, nec fraudibus circumvenitur, &c. in perplexa enim tentatione, tam noſtra virtus exercetur ad fortitudinem, quam noſtra prudentia eruitur ad diſcretionem: nam ſicut magnæ fortitudinis eſt, multitudinis impetum fortiter ſuſtinere, ita miræ prudentiæ eſt, circumfluentis inſidias prudenter prævenire. Hæc ille.

Si non eodem, ſane quoquo modo Dæmon in triplici tentatione Chriſti, multiplices tentationes involvit: Nam in prima, & de gula tentavit, ut comederet, & de ſuperbia, ut modo inſolito ſibi provideret; &c. Quibus omnibus Chriſtus unica reſponſione providit: ita ut Dæmonem valde implicarit, ſic vicit, ut multum falleret: victus eſt enim Diabolus, quia nec novit, quod explorabat, nec obtinuit, quod tentabat: Vide Janſenium in Concord. Evang. c. 15. in hæc verba. Si Filius Dei es, &c.

*6.* Ut eo perveniat, perpetuo quærit ſecretum, ac maxime timet, ne reveletur: Ita Chriſtum adorſus eſt in deſerto, & in ſolitudine: Et Jeſus in Evangelio *Ductus eſt a ſpiritu in deſertum, ut tentaretur a Diabolo*: Hinc docet S. Ignatius in ſuis ſpiritualibus exercitiis, ubi quaſdam tradit Regulas ad dignoſcendos ſpiritus, Dæmonem ſequi ſolitum morem nequiſſimi amatoris, qui puellam aut alicujus viri uxorem volens ſeducere, nihil magis timet, quam ut verba & conſilia ſua aut Patri, aut Marito patefiant, cum ſciat hoc pacto de ſuis conatibus actum eſſe: Ita cum Dæmon vult aliquem perdere, ſemper ſuadet, ut ſuas ſuggeſtiones ſecretas habeat: ſciens ſe vincendum, ſi detegatur: Hinc factum, ut quandiu credidit ſe latere, ſemper redierit, ſperans ſe aliquid tandem obtenturum: ſed ubi audivit: *Vade retro Satana, diſceſſit ab eo ad tempus*: Hinc fit, ut *Princeps tenebrarum* appelletur, & *negotium perambulans in tenebris*.

7. Sic latendo uniuſcujuſque ſtatum explorat, conditionem, diſpoſitionem, opportunitatem: ita tempus opportunum accepit tentandi Chriſti de gula, ubi illum eſurire animadvertit: ſecundum illud Evangeliſtæ, *Poſtea, eſuriit, & accedens Tentator*. Morem Dei ſervat malus ejus imitator, qui in gratiis dandis obſervat ſuorum electorum diſpoſitionem: De Dæmone illud Job 18. interpretatur S. Gregorius: *Abſcondita eſt in terra pedica ejus, & decipula illius ſuper ſemitam*: Exiſtunt (ait Gregor.) qualitates morum, quæ certis vitiis ſunt vicinæ: Nam mores aſperi, aut crudelitati, aut ſuperbiæ ſolent eſſe conjuncti: maxime autem blandi, & quam decet paulo amplius lætiores, nonnunquam luxuriæ, & diſſolutioni: Intuetur ergo inimicus generis humani uniuſcujuſque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoſcit facilius inclinari mentem: ut blandis, ac lætis moribus, ſæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam; aſperis vero mentibus, iram, ſuperbiam vel crudelitatem proponat: Ibi ergo decipulam ponit, ubi eſſe ſemitam mentis cognoſcit, quia ibi periculum deceptionis inſerit, ubi viam eſſe invenerit propinquæ cogitationis. Hæc ille. Ac recte advertit S. Ignatius in ſuis exercitiis in Regula 14. de dignoſcendis ſpiritibus: Dæmonem imitari ſolere aliquem belli Ducem, qui obſeſſam arcem expugnans, explorata prius natura, & munitione loci, debiliorem partem aggreditur: ſic ille animam circuit, & callide inquirit quaſnam virtutum præſidiis, moralium ſcilicet, aut Theologicarum, ipſa vel munita, aut deſtituta ſit: eaque potiſſimum parte, machinis omnibus irruit, ac ſubvertere nos ſperat, quam in nobis minus cæteris firmatam & cuſtoditam eſſe præviderit: idque nos quotidianis diſcimus experimentis. Cæterum cum omnes adoriatur, nemo enim ſine tentatione vivit.

8. Eos tamen præcipue tentat, qui ſe virtuti addicunt, ut a ſuſcepto boni operis abducat: unde dicitur in Evangelio, *Ductus eſt Jeſus a ſpiritu in deſertum, ut tentaretur a Diabolo*, & in fine tanti jejunii, *accedens tentator, dixit ei, &c. dic, ut lapides iſti panes fiant*: ita nimirum fervor Deo inſervientium Diaboli rabiem excitat ad invidiam ac furorem: In hunc ſenſum S. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 21. exponit verba illa Jobi, *Qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan*: Omnes enim (ait Greg.) qui ea, quæ mundi ſunt, mente calcant, & ea, quæ Dei ſunt, plena intentione deſiderant, Leviathan contra ſe ſuſcitant, quia ejus malitiam inſtigatione ſuæ converſationis inflammant: nam qui ejus voluntati ſubjecti ſunt, quaſi quieto, ab illo, jure poſſidentur, & ſuperbus eorum rex quaſi quadam ſecuritate perfruitur, dum eorum cordibus inconcuſſa poteſtate dominatur: ſed cum uniuſcujuſque ſpiritus, ac conditoris ſui deſiderium recaleſcit, & cum libertatis ingenitæ meminit, & teneri ab hoſte ſervus erubeſcit: quia idem hoſtis ſe conſiderat deſpici, quia vias Dei videt apprehendi, dolet contra ſe captum teneri, & mox zelo accenditur: mox ad certamen movetur, mox ad tentationes innumeras, contra rebellantem mentem ſe excitat, atque in omni arte laceraticnis inſtigat, ut tentationum jacula intorquendo confodiat cor, quod dudum quie-

tum

Digitized by Google

tum jure poſſidebat. Quaſi dormiebat quippe, dum ſopitus in pravo corde quieſceret: ſed excitatur in provocatione certaminis, cum jus amiſerit perverſæ dominationis. Itaque ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 2. *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem:* quiſquis enim accingi in divino ſervitio properat: quid aliud, quam ſe contra antiqui adverſarii certamen parat, ut liber in certamine ictus ſuſcipiat, qui quietus ſub tyranno in captivitate ſerviebat. Hactenus Gregor. qui lib. 33. Moral. c. 6. aliam cauſam hujus rei aperit. Ex eo enim quod Dæmon imperfectos ſuis tentationibus ſubjugavit, cum id parum exiſtimet, audet etiam viros ſpiritales aggredi, ſecundum illud Jobi, *Abſorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus:* Quia igitur Behemoth iſte, ut Gregor. a mundi origine exortum, vix paucis electis evadentibus, humanum genus in ima defluens, uſque ad redemptoris tempora, quaſi quemdam in ſe fluvium traxit, bene nunc dicit: *Abſorbebit fluvium, & non mirabitur:* Quia vero & poſt mediatoris adventum, quoſdam qui recte vivere negligunt, etiam fideles rapit, recte ſubjungit: *Et habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus;* ac ſi aperte diceretur ante redemptorem mundi, mundum non miratus abſorbuit, ſed quod eſt gravius, etiam poſt redemptoris adventum, quoſdam qui baptiſmatis ſacramento ſignati ſunt, deglutire ſe poſſe confidit. Id oſtendit in ſequentibus. Quoſdam enim a fide avertit: alios ad malas operationes inducit: in aliis intentionem detorquet, ut licet externa bona ſint, interna non ſint; unde ſubdit, & fidem tenent, ſed vitam fidei non tenent: quia aut aperte illicita faciunt, aut ex perverſo corde, quæ agunt, prava ſunt, etiamſi ſancta videantur. Subdit per fluvium intelligi poſſe Chriſtianos negligentes, quia ſcilicet deorſum fluunt; per Jordanem vero eos, qui omnia deſpiciunt, & ad perfectionem tendunt; Jordanis enim deſcenſio eorum interpretatur, propter rerum omnium, & ſui ipſius deſpicientiam, atque abjectionem; antiquus ergo hoſtis *abſorbebit fluvium, & non mirabitur*, quia pro magno non æſtimat, cum eos devorat, qui per ipſa vitæ ſuæ ſtudia deorſum currunt, ſed illos magnopere capere nititur, quos, deſpectis terrenis ſtudiis, jungi jam cæleſtibus contemplatur. Etenim *cibus ejus electus*. Unde non mirum, ſi eos præcipue aggreditur, quos videt præcipue ſe addicere virtuti. Et in eo non eſt parvum Dæmonis artificium, ut homines a virtutis ſtudio avertat, dum putant ipſam virtutem virtuti officere, & ſecuros reddat imperfectos, dum eos ſinit quiete vivere, nec tentationibus pulſari. Neque hic finis artificiorum ejus.

9. Sed nunc agit blanditiis, & titillando; nunc viribus & tormentis: Itaque Dæmon recte a Jobo vocatur ſecundum verſionem LXX. Interpr. *murmikoleon*, quia ut ait S. Greg. l. 5. Moral. c. 17. ut formica titillat: ut leo deſævit: & S. Nazianz. eum exprimit, Oratio 40. ut lamiam & draconem: Dæmon (inquit) initio blanditur, *feinei* lenocinaturis *teleuta de eis poneron.* verum in malum deſinit: Ita Greg. in ea verba Jobi: *Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ*, ratiocinatur: aſpis parvus eſt ſerpens, vipera prolixioſis eſt corporis: quid ergo per aſpides parvos, niſi latentes ſuggeſtiones immundorum ſpirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius perſuaſione ſurrepunt? Quid vero per linguam viperæ, niſi violenta Diaboli tentatio deſignatur? Prius enim leniter ſurrepit, poſtmodum vero etiam violenter trahit; *Caput* itaque *aſpidum ſugit*, quia initium ſuggeſtionis occultæ parvum prius in corde naſcitur: *Sed occidit eum lingua viperæ:* quia poſtmodum capta mens veneno violentæ tentationis necatur, &c. unde & in Paradiſo ſtanti homini verba blandæ perſuaſionis intulit, ſed quem ſemel rapuit ad conſenſum, jam nunc etiam renitentem trahit, & corruptionis ſuæ delectationibus devictum, pene violenter interficit: Hæc ille. Aliquando etiam incipit a furore: quodque viribus non poteſt, emollit blanditiis: In quem ſenſum hæc Jobi verba exponit Greg. l. 32. Moral. c. 17. *Oſſa ejus ſicut fiſtulæ æris.* Quid autem per oſſa Behemoth niſi Diaboli conſilia deſignantur? Nam ſicut in oſſibus poſitio corporis, robutque ſubſiſtit, ita in fraudulentis conſiliis, tota ſe ejus malitia erigit: Neque enim vi quempiam premit, ſed calliditate peſtiferæ perſuaſionis interficit: unde bene ejus oſſa, ideſt, hæc eadem conſilia, æris fiſtulis comparantur: æris quippe fiſtulæ, amoris aptari cantibus ſolent, quæ admotæ auribus, dum blandum carmen ſubtiliter concinunt, interiora mentis in exteriora delectationis trahunt; & dum dulce eſt, quod auribus ſonant, virilitatem cordis in voluptatis fluxum debilitant, cumque auditus ad delectationem trahitur, ſenſus a ſtatu ſuæ fortitudinis enervatur. Hæc ille.

10. Nunc otio, & lente, nunc inſultibus aggreditur. Nam uti murus, qui aſſidue quatitur, tandem diruitur, ita tam aſſiduus eſt, ut tandem debellet: novit enim illud Ambroſius in Apolog. l. 2. c. 3. Nemo diu fortis eſt. Sed periculoſus tentat ficta pace, unde nulla ſecuritas. Aug. Hom. 46. & 50. facit hoſtis ſecuros, quos cupit eſſe captivos: quod petitum a militia, in qua incauti, & ſecuri occupantur: unde monitum Æmilii Probi. Nihil in bello contemni oportere: nec ſine cauſa, dici, Matrem timidi flere non ſolere. Itaque S. Hilarius in Pſ. 63. admonemur (inquit) timere inſidiantem ſemper hoſtem, ne incautam ſecuritatem noſtram ipſe in ſpeculis poſitus incurſet. Et idem præclarum eſt monitum Proſperi l. 2. de vocat. gent. c. 28. In præſentis agonis incerto, ubi tota vita tentatio eſt, & ab inſidianti ſuperbia, nec ipſa eſt tuta victoria: mutabilitatis periculo non caretur: Exemplum ſubjicit D. Petri: Et S. Hier. ad Heliod. Nolite credere, nolite eſſe ſecuri; tranquillitas iſta tempeſtas eſt. Quare ne confidas, cum vides omnia ex tuto ſuccedere, nihil te adverſi ſentire: dic enim ſemper apud te, tranquillitas iſta tempeſtas eſt, nulla in mari ſecuritas, cito enim ex tranquillo fit turbatum; hæc autem vita navigatio eſt: unde Apoſtoli templa, noſtra inſtar navium eſſe voluerunt: Audi Tertull. de Idolol. c. ult., fides navigat; tuta, ſi cauta: ſecura, ſi attonita; cæterum innatabile excuſſis profundum eſt; inextricabile impactis naufragium eſt; irreſpirabile devoratis hypobrechium.

11. Eodem pertinet, quod nunc ſubitis, & repentinis tentationibus adoritur imparatos; nunc lenis & mollibus delinimentis longa aſſiduitate emollit, ac diſſolvit, ſecundum illud Jobi 14. *Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo: lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra conſumitur: & hominem ergo ſimiliter perdes;* Quæ verba

ba ſic interpretatur Greg. 12. Moral, 13. Duo ſunt genera tentationum: unum quod in mente etiam juſti hominis per repentinum eventum agitur; quatenus ſic ſubito tenetur, ut hunc inopinato proventu concutiat, & proſternat, caſumque ſuum, non niſi poſtquam ceciderit, videat: aliud vero, quod paulatim venit in mentem, & reſiſtentem animum lenibus ſuggeſtionibus inficit, & omnes in eo vires juſtitiæ, non nimietate ſua, ſed aſſiduitate conſumit: Quia ergo alia eſt tentatio, quæ juſtos plerumque ſubita invaſione proſternit, dicitur, *Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo*, id eſt, mens ſancta, cujus locus juſtitia tuerat, impulſu ſubito transfertur ad culpam: Rurſum, quia alia eſt tentatio, quæ ſe cordi hominis leniter infundit, omnemque duritiam fortitudinis corrumpit, atque conſumit; dicatur, *lapides excavant aquæ*, quia ſcilicet duritiam mentis abſorbent aſſidua & mollia blandimenta libidinis: & lentum, atque ſubtile vitium corrumpit, durum & forte propoſitum mentis; unde ſubditur, *Alluvione paulatim terra conſumitur*: ſicut enim influente aqua paulatim terra conſumitur, ſic leniter ſurrepente vitio mens etiam fortis abſorbetur: unde bene ſubjungitur: *Et homines ergo ſimiliter perdes*: quod explicat per permiſſionem. Tum ſubdit exempla utriuſque tentationis: Videamus. David ille, quantum mons altus fuerit, qui tanta Dei myſteria prophetico ſpiritu valuit contemplari? ſed aſpiciamus, quam ſubito caſu defluxit, qui dum in ſolario deambulans, alienam conjugem concupivit, & abſtulit, ejuſque virum cum damno ſui exercitus interemit; repentino caſu mons cecidit; cum mens illa cæleſtibus myſteriis aſſueta, inopinata tentatione devicta eſt, tamque immani turpitudini ſubacta: ſaxum itaque de loco ſuo translatum eſt, cum Prophetæ animus a prophetiæ myſteriis excluſus ad cogitandas turpitudines venit. Videamus etiam, qualiter *lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra conſumitur*: Salomon quippe immoderato uſu, atque aſſiduitate mulierum ad hoc perductus eſt, ut templum idolis fabricaret, & qui prius Deo templum conſtruxerat, aſſiduitate libidinis, etiam perfidiæ ſubſtratus, idolis extruere templa non metuit: atque factum eſt, ut ab aſſidua carnis petulantia uſque ad mentis perfidiam perveniret. Quid igitur aliud, quam aquæ excavarunt lapidem, & alluvione paulatim terra conſumpta eſt: quia ſurrepente pauliſper infuſione peccati, terra cordis illius ad conſumptionem defluxit? Hæc ille.

12. Ad tempus deſerit, ut confidentiam ingeneret, dum non opinantem & ſecurum fortius invadit: id vides in Chriſto, nam dicitur receſſiſſe ad tempus: idque docet parabola hominis a dæmone poſſeſſi, tum liberati: expulſus enim dæmon *vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*: unde nunquam tentatio plus timeri debet, quam cum deſiit, Auguſtinus ſupra: facit hoſtis ſecuros, quos cupit eſſe captivos.

His artibus & ſimilibus ſic profecit dæmon, ut totum fere mundum ſubjugaret: O quam illud mihi dolet, cum audio Chriſtum vocare dæmonem, mundi hujus principem: *Venit princeps hujus mundi, & in me non invenit quidquam*: Item a Tertulliano dici omnitenentem: Cum audio Joannem dicere. *Totus mundus in maligno poſitus eſt*. Id eſt, ſub maligno, ſeu dæmone. Immo Apoſtolus vocat Deum hujus ſæculi. Quid hoc patimur, Auditores; quid ejus tyrannidem facile ferimus: qui juſtum Dei dominatum ægre aliquando tulimus? audiamus Chriſtum, qua ratione animos addat ad tam probroſum jugum excutiendum. Joann. 16. *Confidite, ego vici mundum*: & alibi: *Princeps hujus mundi jam judicatus eſt*: & Luc. 10. *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*. Quin igitur aggredimur magno animo.

Primo: Quia ut ait Apoſtolus Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia in cæleſtibus*: ut ſcias mortalium omnium, ſive Regum, ſive aliorum certamina ridicula eſſe, cum ferro, & glandibus igneis, atque tormentis, pugnatur in arcibus, & aggeribus e terra egeſtis. Unus Angelus una nocte octoginta millia ſtravit in exercitu Sennacherib: Duo Angeli intra paucas horas quinque urbes, & tot in eis cives in cinerem redegere: aliæ nobis ſunt pugnæ, alia certamina cum dæmonibus: videri non poſſunt, quia ſunt principes tenebrarum: attingi non poſſunt, quia ſunt ſpiritus: feriri non poſſunt, neque perimi, non enim conſtant carne, aut ſanguine: Itaque nihil poſſunt in eos humanæ vires, & corporeæ: Sed hæc omnia animos addere debent, quia licet tanti ſint illi ſpiritus, Chriſtus tamen dedit nobis poteſtatem calcandi ſuper illos, eoſque ita abjicit, ut vocet ſerpentes & ſcorpiones: ſerpentes quidem ob manifeſtam vim nocendi; ſcorpiones autem ob occultam: ſed tamen illud præclarum, quod tu homo carneus, & terrenus, tantum hoſtem poſſis debellare.

Secundo. Quia certas cum hoſte jam proſtrato, ſecundum illud Rom. 16. *Deus autem pacis conteret ſatanam ſub pedibus veſtris velociter*, ut nemo de victoria deſperet.

Tertio. Ratione rei, de qua certamen initur, ſecundum illud Apoſtoli, *In cæleſtibus*, id eſt, ut exponit Chryſoſt. pro cæleſtibus: Hoc eſt, non pro urbe, aut provincia, non pro agro, aut caſtro, aut finibus imperii; ſed pro regno cælorum. Vide, num eſſe poſſit majus pugnæ præmium, quam ut agatur de regno, eoque cæleſti, non quod alios lucrari ſperet, ſed ne tu obtineas.

Verum multi non modo confligunt cum dæmone, quin potius dæmonem adjuvant, & cum eo ſociantur, & arma ejus fortiora reddunt, immo ipſimet fiunt dæmonis prælantis jacula: vide hunc nebulonem cum dæmone arma ſua ſociantem: jam annos plures dæmon huic virgini bellum indixit: jam ſæpe totis viribus conflixit, nec vincere potuit: ſed quod dæmon non potuit, unus adoleſcens hoc potuit.

At non concidamus animo: Ducem habemus Chriſtum, qui nos de cælo aſpicit in terra pugnantes.

Me-

Memento Salaminex pugnæ, cum Xerxes in edito monte intueretur pugnantes ſeptus multis ſcribis, quos ſingulorum præclare facta ſcribere jubebat, & notare, ut peracta pugna illos pro ſuis meritis & gloria & præmio afficeret: Ita tibi animo propone Chriſtum Dominum de cælo proſpicientem, & in te ſuos oculos defigentem, ut tua prælia, & tua fortia geſta intueatur, & approbet, & æternis monumentis conſignet; certe ejus oculi tibi eſſe debent ingens quoddam theatrum, & ut ait S. Baſilius, Deus magnus eſt ſpectator: Sic itaque certare coneris, ut vincas; & ſic vincere allabora, ut aliquando coronari merearis in gloria cæleſti ad quam perducat nos Chriſtus Dominus. Amen.

## CONCIO PRIMA,

### Probatur Divinitas Chriſti ex ejus miraculis.

*Generatio mala & adultera ſignum quæritur, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ.* Matth. 12.

CUm expuliſſet Chriſtus Dominus Dæmonium ſurdum, mutum & cæcum, & admiratæ eſſent turbæ, & inde colligerent eum eſſe filium Davidis ſeu Meſſiam, Phariſæi, qui factum negare non poterant, cauſam calumniandi ceperunt, quaſi in virtute Beelzebub Principis Dæmoniorum, inferiorem Dæmonem expuliſſet. Sed cum Chriſtus potentiſſimis argumentis calumniam evertiſſet, nonnulli ex Scribis & Phariſæis rem alio detorſerunt, petito a Chriſto alio miraculo: *Magiſter volumus a te ſignum videre.* Marcus & Lucas indicant, eos petiiſſe ſignum de cælo, unde S. Lucas cap. 11. *Et alii tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo.* Quod Chriſtus eis negavit: 1. Quia jam fecerat ſufficientia ſigna, ut crederent: 2. Quia ex curioſitate petebant, & Chriſti miracula non fuerunt ad oſtentationem, ſed ſemper utilia hominibus, ut ſanationes, reſurrectiones & alia beneficia: 3. Quia infideliter petebant, putabant enim Chriſtum id non poſſe, unde dicitur, quod tentantes peterent: Sed unum aliquod majus ſignum pollicetur, nempe ſignum Jonæ Prophetæ. Quid autem illud ſit, non prius explicare aggrediar, quam opem petivero a Deo per Virginem. *Ave Maria.*

AGitur hodie, Auditores, de probando validé ſtabiliendoque noſtræ fidei articulo, qui fundamentum eſt aliorum omnium: loquor de Divinitate JESU Chriſti: neque ago ſolum cum Atheis ſæculi noſtri, ac Deiſtis, quorum numerus creſcit in dies, verum etiam cum Chriſtianis fidelibus, admodumque religioſis: Cum illis videlicet, ad impetrandam ipſis fidem, cum his vero ad eandem in iis augendam, atque ut adducam eos ad intelligendum, quanta tibi ſit cauſa præſtandi ſe firmos conſtantesque in veritate fidei ſuæ. Quoniam vero probationes rerum earum, quas credimus, magno numero ſuppetunt, unam duntaxat ſuſcipere volo, quam eſſe validiſſimam puto: eam videlicet, quam Judæi poſtularunt ſæpiſſime a Filio Dei, qua ſic eos convicit, ut inexcuſabiles reddiderit: atque etſi illam ipſis denegavit eo, quo petebant modo, & ex ipſorum mente plena infidelitatis, conceſſit tamen validiorem, & quæ nihil refutationis admitteret. Probatio miraculorum eſt, cujus ſola explicatio omnem hujuſce Concionis materiam effectura eſt. Præbere vos ſermoni meo attentos, argumentum hoc plane meretur, totaque attentione veſtra dignum eſt. Ecce argumentationis meæ ſyllogiſmum. Quidquid comprobatum fuit, teſtatumque miraculis manifeſtis, & de quibus ambigi non poſſit, certiſſimum eſt, neque poteſt improbari: Atqui JESU Chriſti divinitas manifeſtis indubitatiſque miraculis comprobata fuit & teſtata: igitur divinitas JESU Chriſti certiſſima eſt, neque improbari poteſt. Veniamus ad priorum duarum propoſitionum probationem, unde ſequitur aperte probatio conſequentiæ, quæ eſt ejuſmodi, veriſſima eſt JESU Chriſti divinitas & improbari non poteſt. Incipio a probatione primæ propoſitionis, nempe, quod comprobatum fuit, teſtatumque miraculis manifeſtis, & de quibus ambigi non poſſit, certiſſimum eſt, neque poteſt improbari. Probatio petitur ex natura Miraculi. Cum enim ex D. Th. 1. p. q. 105. art. 8. q. 114. art. 4. Miraculum ſit effectus ſeu opus ſuperans vires omnes creatas, nullam aliam cauſam principalem habere poteſt præter Deum: Cum itaque aſſumitur ad confirmationem alicujus rei, non poteſt non habere teſtimonium infallibile: Quia Deus teſtari non poteſt mendacium, cum ſit ſumme verus, qui nec falli poteſt, nec fallere; non falli, cum omnia norit, non fallere, cum ſit infinite bonus & verax: Hinc ſequitur

1. Quod non poſſit Deus dare alicui facultatem patrandi miracula ad libitum, & ad rei falſæ confirmationem: In primis quia Deus hoc modo teſtimonium daret mendacio, & ita non eſſet infinite verax; aut enim hac ratione falleretur aut falleret, quod utrumque æqualiter eſt impoſſibile. Quod enim eſt in nobis jusjurandum ad dicti noſtri confirmationem, eſt in Deo exhibitio miraculi, cujus perpetratio connexionem habere non poteſt cum rei falſæ propoſitione. 2. Quia Deus non poteſt ſuam auctoritatem imminuere, quod tamen faceret, ſi hoc homini concederet: Etenim uti non poteſt ſe ſuo dominio exuere, ita non poteſt aliquid de ſua auctoritate detrahere, atqui ea ratione plus illam criminationi exponeret, quam ſi ipſe falſum dicere poſſet. Quia cum ſit ſumme prudens, ita ſuum mendacium diſſimularet, ac tegeret, ut homines non deprehenderent; ſed hominum inconſulta temeritas Dei auctoritatem paſſim objiceret hominum reprehenſioni. 3. Quia Deus non poteſt homini poteſtatem facere, ut Deum cogat teſtari falſum: Nam alioqui cogeret mentiri, atqui hoc fieret, nam miraculum facta propoſitione rei falſæ, propter virtualem connexionem, quam habet cum ipſa, eſt rei falſæ aſſertio, ſit autem ea connexio propter invocationem divini nominis, & conſequens opus ſupernaturale.

2. Sequitur & convincitur infallibilitas & certitudo probationis, quæ petitur ex miraculis, quia nullam habere poſſunt connexionem cum falſitate, & ea infallibilitate nulla major fingi poteſt, fundatur



Digitized by Google

enim in quadam perfectione Deo plane neceſſaria: ſicut igitur, quæ ad Deum pertinent, ſunt neceſſaria, ita quæ nituntur perfectionibus Deo neceſſariis, maximam habent neceſſitatem, quæ nulli alteri certitudini creatæ convenire poteſt: Quare Chriſtus hinc convincit Judæos plane fuiſſe inexcuſabiles, quod miraculis convicti non credidiſſent, Joan. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, (de peccato loquitur incredulitatis) *nunc autem viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum, ſed ut adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis*. Sicut autem res divinæ ſunt alterius ordinis, quam res omnes creatæ, ita hæc certitudo omnem aliam ſic vincit, ut propter illam fidem omnem denegemus alteri omni aſſertioni, quæ contrarium affirmat: Ita ſenſibus fidem derogamus, rationi humanæ, & alterius cujuſcumque teſtimonio, ſi fidem noſtram convellere nitatur, & hoc ſenſu dixit Apoſtolus ad Gal. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizamus vobis, anathema ſit*. Hinc fit, ut licet pro alia naturali cognitione & affirmatione nemo cogatur mori, tamen quilibet teneatur pro fidei teſtimonio ſanguinem fundere.

3. Sequitur miraculorum neceſſitas præſertim in prima religionis inſtitutione, cum res nova credenda propoſita eſt. Quamobrem fundando ſtabiliendoque Chriſtianiſmo miracula fuere neceſſaria, ut ne arguerentur homines levitatis, quod tam facile, & tam adeo firmiter credidiſſent res tam novas, tam inauditas, atque ſi auſim ita loqui, humanitus tam incredibiles: ſecundum Sapientis verba Eccli. 19. *Qui credit cito, levis eſt corde*: Unde Chriſtus Joan. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*: Et Joann. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum*. Ratio eſt evidens, quia cum fides, quam expoſcimus, ad myſteria noſtra credenda ſit talis, ut petatur ſumma firmitas, atque adhæſio intellectus, illa vero haberi non poſſit, niſi nitatur firmiſſimo fundamento, quale tantum eſſe poteſt aut ipſius rei evidentia, aut ſuprema auctoritas, quæ alia non eſt quam divina, cujus nullum aliud eſſe poteſt certum teſtimonium externum quam miracula; ſane igitur & natura credendorum, quæ ſuperant omnem naturam creatam, & modus fidei, nempe ſumma certitudo, & infallibilitas, poſtulant teſtimonium miraculorum.

Atque ea ratio eſt, propter quam ad adventum hominum illorum, qui reformationem prætendunt, nobiſque doctrinam plane novam attulere, unuſquiſque commotus eſt, atque ab iis petiit ad quinti ſui Evangelii probationem, ut aliqua miracula producerent. Recuſarunt initio, cum eam non poſſent reformationis ſuæ probationem elicere, adeo ut quemadmodum Eraſmus ipſa ſcripto prodidit, ne unum quidem equum claudicantem ſanare potuerint; ajunt Lutherum voluiſſe aggredi ad utendum exorciſmis adverſus quemdam a Dæmone poſſeſſum, ſed diſcipulo ipſius Staphilia teſtante, ab illo peſſime acceptus eſt, ac prout meritus erat, quantacumque cum Dæmone familiaritas & neceſſitudo ipſi eſſet, a quo fuiſſet præfocatus, niſi januam ſecuri perfregiſſet ad eximendum ſe poſſeſſi manibus; quem liberare ſtudebat. Calvinus cum quodam convenerat, ut mortuum ſe fingeret; In funere uxor facti conſcia prophetam inclamat: ille alta voce, *Adoleſcens tibi dico, ſurge*, ſed qui mortuum finxerat, reipſa mortuus eſt inventus. Boſius de ſignis Eccleſiæ lib. 5. Signo 11. narrat in Poloniæ finibus, quemdam Anabaptiſtarum Principem undique homines convocaſſe, ut ſuo baptiſmo intereſſent, futurum, ut Spiritus Sanctus adeſſet, & omnia plena eſſent miraculis: die dicta concurritur, ubi in balneum pedem intulit, apparuit pro Spiritu Sancto ingens Dæmon, qui hominem capillis apprehenſum, attollendo in aerem, & in aquas demergendo & allidendo, omnibus aufugientibus, ſuffocavit. Gaſtius, qui pleraque notabilia de Anabaptiſtis ſcripſit, memorat in libro Baſileæ edito, anno 1544. quod cum ex ipſis poſtularetur aliquod miraculum ad doctrinæ ſuæ confirmationem, nonnulli eorum curavere noctu, magnam piſcium copiam in lacum amplo oppido proximum referri, quorum ad comprobationem fidei ſuæ, luculentum facere piſcatum, cum admiratione omnium, qui nullum unquam eo in lacu piſcem viderant. Ad id mihi venit in mentem doli perſimilis a Mahometo editi, qui quidem poſt longam cum Arabibus miracula expoſcentibus altercationem, juſſit humi ad quamdam altitudinem in celſi montis vertice infodi pleraſque urnas lacte plenas, cumque plebs conquereretur de fame, poſt invocatum Dei nomen, humum perfodi curavit, & diſtribui munus illud tamquam cælo demiſſum, hoc artificii genere rude ac ſtupidum vulgus admiratione defigens. Nolim tempus abſumere narrando ineptias, fabulaſque perridiculas nuperrimorum iſtiuſmodi reformationis artificum. Ajo tantum, mundi Salvatorem obligaſſe Apoſtolorum diplomata & patentes (ut loquimur) litteras auctoritate miracula patrandi. Marci ultimo. *Ite, docete omnes gentes. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, &c. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Et S. Paul. 1. Cor. 2. *Sermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*. Virtutem Dei vocat miracula facta in teſtimonium fidei & prædicationis Apoſtolorum. Quid de te dicam magne Indorum Apoſtole S. Franciſce Xaveri, ſol Orientis, Doctor Gentilitatis, miraculum ſuperioris ſæculi, prodigium Indiæ, Japonum ſidus, Societatis noſtræ decus, propagator Eccleſiæ, amor & deliciæ totius orbis? Qui nos odere, ii etiam ipſi te diligunt, qui nos deſpiciunt, te laudant, qui nos abjiciunt, te approbant. Virtutum tuarum ſplendor invidiam & maledicendi licentiam ſuperavit. Quonam modo ſolitudines in paradiſum mutaſti, urbanitate poliviſti barbaros, ſylvarum incolis dediſti humanitatem, Chriſtianas feciſti Indias, ſalubribus baptiſmi undis animas ad millia duodecies centena purgaſti? Miſſionis tuæ fiduciam habebas, cum Apoſtolicus



Digitized by Google

eſſes Nuncius, Sanctæque Sedis Legatus. Sed quandoquidem S. Pauli Apoſtoli exemplo prædicabas Evangelium iis, qui nullum unquam de Deo, fideique noſtræ Myſteriis verbum inaudierant, Deus Miſſionem tuam auctoritate miraculorum, uti ſigillo munivit. 1. Omnis generis ægritudines curavit, quin etiam pueros mittebat ad ægros, cum omnibus adeſſe non poſſet, qui recitato ſymbolo eos ſanabant: 2. Donum habuit linguarum, immo ſimul a variis diverſarum linguarum hominibus intelligebatur, quaſi diverſis ſimul linguis loqueretur, ut quondam Apoſtoli: immo unica reſponſione ſæpe variis Barbarorum interrogatis ſatisfecit: 3. Donum habuit prophetiæ, abſentia vidit, cogitationes intellexit, futura longe ante prædixit: 4. Aquam ſalſam dulcem effecit, quo miraculo multi e Mahometanis converſi ſunt: 5. In promontorio Comorino puerum jam uno die ſepultum excitavit, unde multos convertit, & in proceſſu Canonizationis ipſius, agniti ſunt viginti homines vitæ reſtituti: 6. Sæpe viſus eſt ſublatus a terra, & in aere ſuſpenſus, dum Euchariſtiam genibus flexis populo porrigeret, & alias ſæpius, dum oraret: 7. Sæpe ſedavit tempeſtates, ac ſemel injecto in mare Crucifixo ſuo, quem amiſſum cancer marinus obambulanti in littore reſtituit: 8. Urbem totam in Maurica regione, Chriſto rebellem, pluvia ardenti cinere mixta caſtigavit, atque ad Dei obſequium reduxit. Quid ſimile viſum, quid auditum apud Hæreticos, qui tamen cum novum dogma obtulerint, ac Miſſionem extraordinariam jactarint, debuerint miraculis confirmare, quod attulerunt, neque enim novum dogma ſine miraculis ſtabiliri potuit. Ita ab initio Moyſes miracula edidit: Item ut Arcæ religio ſtabiliretur, nova miracula proviſa ſunt: Item ut lex in Monte Sina promulgaretur, quot miracula præceſſerunt? novum Sacerdotium miraculis confirmatum: Ut Salomonis Templo daretur auctoritas, nova miracula interceſſerunt: Ipſe Joannes Baptiſta, ut baptiſmum pœnitentiæ inſtitueret, & novam cæremoniam, totus fuit miraculum perpetuum: Miraculo conceptus, in utero exilivit, natus Patris linguam ſolvit; multos annos egit in deſerto; vita Angelis ſuperior, ſine tecto, ſine veſte, ſine cibo, ſine humano convictu: ut intelligas neceſſaria fuiſſe miracula, cum aliquid inſolitum eſt propoſitum: & ex hac neceſſitate oſtenditur efficacia miraculorum, quæ apta ſint quidlibet etiam inſolitum perſuadere, cum teſtificationi miraculorum falſum ſubeſſe non poſſit, unde auctoritas divina in illis agnita eſt, cui nemo reſiſtere poteſt, & quam nemo poteſt recuſare, ideoque dixit S. Auguſtinus ſe in Eccleſia retineri vinculis miraculorum: Item miraculis deberi mundi converſionem & illud Richardi a S. Victore. Domine, ſi quod credimus, error eſt, a te decepti fuimus, nam ea, quæ credimus, confirmata ſignis & prodigiis fuere; quæ nonniſi per te facta ſunt. Ex dictis hactenus, patet veritas primæ propoſitionis, quæ eſt ejuſmodi. Quod teſtatum fuit & comprobatum miraculis manifeſtis, & de quibus ambigi non poſſit ter iſſi num eſt, neque poteſt improbari. Quandoquidem probavimus ex natura miraculi, quod opus eſt ſuperans omnes vires creatas, ac proinde nullum habere principium aliud poteſt niſi Deum.

Sequitur ſecunda propoſitio, hiſce terminis concepta. Atqui divinitas JESU Chriſti comprobata fuit & teſtata miraculis manifeſtis, & de quibus non poſſit ambigi: Hujus propoſitionis probatio potiſſime continetur quatuor libris Evangeliorum, in quibus innumera narrantur Chriſti miracula, in quorum patratione aſſeritur Chriſti divinitas: unde S. Joannes c. 20. *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis: quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Sed placet rem enucleatius vobis exponere. Ex Toleto, Annotatione 2. in c. 3. Joann. per ſequentes veritates. Ut hoc recte fiat. Nota in hac propoſitione, duo contineri: 1. miracula Chriſti fuiſſe manifeſta, & inconteſtabilia: 2. facta fuiſſe in confirmationem hujus veritatis, Chriſtum eſſe Deum.

Incipiamus a primo. Ut itaque Chriſti miracula dicantur fuiſſe manifeſta, & inconteſtabilia: Neceſſe fuit, 1. ut ea miracula eſſent vera, & exiſtentia, & non tantum apparentia, quaſi eſſent præſtigiæ & ludificationes ſenſuum, & non re ipſa & in veritate facta: At non potuit illud eſſe apparens, quod experiebantur ipſi, erga quos talia opera fiebant: cæcus enim experiebatur ſe videre: qui ſuſcitatus erat, ſe vivere: leproſus ſe mundatum ſentiebat: infirmus ſe cognoſcebat ſanatum: Hæc omnia ſi fuiſſent apparentia, profecto nec cæcus vidiſſet, nec ſuſcitatus viveret, nec infirmus ſanatus fuiſſet, at ipſi redentes effectibus teſtimonium vera miracula fuiſſe comprobabant: Ita cum viſus eſt Lazarus ſuſcitatus inter convivas, eadem præſtare, quæ ante mortem faciebat, cum & ipſe in ſe idem ſentiret, ſe videre, ſe movere, ſe audire, & alia quæ ſunt opera vitæ, irrefragabile dedit teſtimonium ſuæ reſurrectionis. Quæ fiunt tantum circa objecta ſenſuum, poſſunt aliquando decipere ex ſola apparentia; at quæ in iis ipſis fiunt, qui ſentiunt, neceſſe eſt vera eſſe, per viſum enim apparentem nemo videret, & nemo vivere poteſt per vitam apparentem, nam quæ tantum videntur, non ſunt: Quod ſi aliquis contrarium dicat, nec ipſe de ſe certus eſſe poteſt, an vivat, an videat, an cogitet, an velit, immo an ſit, nam ipſa experientia in ſe per ſuum ſenſum, aliam non poteſt habere probationem quam ſe, nemo enim aliter ſcire poteſt ſe videre, quam per ipſum viſum.

Deinde quæ ſunt tantum apparentia, diu non conſiſtunt, nec omni loco & tempore, nec omnibus apparent: at aſſectus mirabiles Chriſti diu durabant, omni loco, & tempore, & omnibus talia videbantur, non igitur fuerunt præſtigia & ſenſuum ludibria.

Ad hæc, ad majorem horum effectuum certitudinem ſæpe Deus permiſit, ut ejus adverſarii operibus ipſius contradicerent, ut poſt exactum examen explorata magis innoteſcerent: Ita miraculum illuminationis cæci nati omnibus modis exagitatum eſt, vocati ſunt parentes, ut filium ſuum agnoſcerent, an vere cæcus natus fuiſſet, & ipſe diligenter examinatus eſt de modo, quo fuiſſet curatus, unde cum factum negare non poſſent, ad aliam calumniam de moribus ſe converterunt & ad temporis



Digitized by Google

circumſtantiam, quod nimirum ſabbato lutum feciſſet.

2. Neceſſe fuit, ut Chriſti miracula nulla vi naturali vel Diabolica fieri potuerint, ſed tantum virtute ſuprema, & illimitata. Dixi 1. Chriſti miracula virtute naturali fieri non potuiſſe. 1. Quia nulla virtus naturalis eſt, quæ viſum cæco a nativitate vel mortuo vitam reſtituere poſſit, quod antiqui Philoſophi conſtanter aſſeruerunt, cum dixerunt nullum dari regreſſum a privatione ad habitum: 2. Quia virtus naturalis operatur per virtutem proportionatam effectui: At Chriſtus aliquando quædam adhibuit, quæ effectui erant contraria? Ita viſum reſtituit cæco nato per lutum in oculos immiſſum, quod naturali ordine & proportione aptius erat ad viſum tollendum, quam ad donandum. 3. Quia virtus naturalis agit in tempore, & per medium, & determinata eſt: Chriſtus vero ſine mora operabatur: *Si vis, potes me mundare, Volo, mundare*: Item operabatur in locis diſtantibus. *Vade, filius tuus vivit*, & Chananææ, *Fiat tibi, ſicut vis*: & effectus miſabiles producebat ſolo verbo, unde ille; *Sed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus, & ſanatus eſt puer in illa hora*. Denique innumera & multiplicia edebat miracula, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis loquelam, ægris ſanitatem, mortuis vitam dabat, a Dæmone obſeſſis liberationem præſtabat, quæ omnia virtus naturalis non poterat.

Dixi 2. Miracula Chriſti non potuiſſe fieri virtute Diabolica contra calumniam Judæorum qui dicebant, in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia: Adverte Dæmones tria tantum poſſe efficere, motum localem, applicationem agentium naturalium, quorum vires agnoſcunt, & quæ velociſſime, & occultiſſime adhibere poſſunt, denique poſſe ſenſibus illudere. Hoc poſito, dico Dæmones multa poſſe facere ſupra vires humanas, & quæ, ſi earum ratio habeatur, aut videantur, aut vere ſint; miracula videantur quidem propter apparentiam, & ſenſuum illuſionem, ſint autem, quoniam fiunt ab iis per motum localem aut per applicationem agentium. Ita potuerunt Magi Pharaonis aquam vertere in ſanguinem, & alia multa mirabilia fecerunt: Quando autem nulla eſt facultas creaturæ, quæ poſſit hunc effectum præſtare, ad præſtigia & ſenſuum illuſiones Dæmon ſe convertit, & omnis alia ejus operatio ceſſat: Ex his itaque, quæ Chriſtus fecit, aliqua fuerunt, ſi ſolum effectum ſpectamus, quæ a Dæmonibus fieri potuerunt, multa tamen fuerunt, quæ nulla arte fieri potuerunt ab illis, ea ſcilicet quæ nulla virtute naturali effici poterant, ut mortuos ſuſcitare, cæco nato viſum reſtituere, & ſimilia: Præterea ex iis, quæ ſi ſecundum ſe ſpectentur, Dæmones facere potuerunt per applicationem agentium naturalium, ea Chriſtus fecit ſolo verbo, & imperio, ſine applicatione ullius virtutis naturalis: Ad hæc, in inſtanti, & ſine ulla mora, quod Dæmones præſtare non poterant, cum agentia naturalia non operentur niſi in tempore; & ideo ſi modum & celeritatem, quibus Chriſtus operabatur, ſpectemus, nullum ejus miraculum abſolute efficere potuerunt: Ex quibus infertur evidenter ea, quæ Chriſtus operabatur, nulla ratione virtuti Dæmonum adſcribi potuiſſe, ſed divinæ virtutis opera fuiſſe tantummodo, quod & ſufficientiſſime Chriſti miracula comprobarunt.

Dixi 3. Chriſti miracula facta fuiſſe virtute ſuprema & illimitata; quod probatur, & ex iis quæ fecit, quæ vim omnem naturalem ſuperarunt, & ex modo, nempe imperio, & ſolo verbo, & quia omnis generis miracula fecit, ita ut nihil illi fuerint non tantum impoſſibile, ſed nec difficile. Sane Chriſtus circa res omnes ſuam oſtendit potentiam; circa Angelos, Dæmones, homines, animantes, cælos, ſolem, terram, mare, elementa, ventos, inferos, mortuos, morbos omnis generis, ſepulchra, ſaxa, velum templi, arbores, tempeſtates & omnia. Joan. 3. dixit ei Nicodemus: *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Id eſt, niſi in virtute Divina: quaſi diceret, ſigna, quæ tu facis, non ſunt Magorum ſeu arte Dæmonis facta, non ſunt naturalis alicujus virtutis, ſed divinæ potentiæ, quæ omnia poteſt. Ex quo plane conſtat, quod poſui, Chriſti miracula vere fuiſſe manifeſta, & inconteſtabilia, hoc eſt talia, ut negari non poſſit vera fuiſſe miracula, hoc eſt opera, quæ alium auctorem habere non potuerunt præter Deum, qui eſt cauſa principalis miraculorum.

Sequitur probanda altera pars; nempe ejuſmodi miracula facta fuiſſe in confirmationem hujus veritatis, Chriſtum fuiſſe Deum: Ratio eſt. Quia licet, ſi ratio præciſe habeatur effectuum, hoc abſolute probare non videantur, tamen id de facto probaverunt: Dixi 1. Ejuſmodi miracula, ſi ſoli effectus ſpectentur, non probaſſe præciſe eum, qui hæc faceret, Deum eſſe. Quia illa omnia fieri potuerunt a Deo per Prophetam aliquem qui tantum eſſet homo: Nam Deus omnipotens, ſicut per meros homines mortuos ſuſcitavit, ut per Eliam, & Eliſæum, & ſolem ſtare per Joſue, & per Iſaiam a curſu ſuo retrocedere decem lineis fecit, & per Martyres, & alios Sanctos, & aliquando per peccatores miranda operatus eſt, ita potuit per quemlibet hominem facere illa omnia, quæ Chriſtus fecit, & quæ Deus per humanitatem ſibi unitam operatus eſt: Immo Joann. 14. de ſuis fidelibus dixit: *Majora horum facient*: Si igitur in miraculis Chriſti non aliud ſpectemus, quam effectus ipſos, non probant eorum factorem eſſe Deum; ſed tantum virtute divina fuiſſe facta, ſicut dixit Nicodemus, *Niſi fuerit Deus cum eo*, hoc eſt, niſi in virtute Divina.

Dixi 2. Ejuſmodi tamen miracula de facto probaſſe eum, qui hæc faceret, eſſe Deum, & conſequenter Jeſum Chriſtum fuiſſe Deum: Et

Probatur 1. Ratione finis, propter quem Chriſtus faciebat miracula, qui non fuit alius, quam ut demonſtraret ſe eſſe Deum & Filium DEI.

Nota 1. Miracula divinæ virtutis, fieri in confirmationem alicujus veritatis, quæ humana ratione deſtituitur, nam ut ait Apoſtolus. *Signa infidelibus*: Unde Gregor. lib. 27. Moral. cap. 11. Idcirco fiunt exteriora miracula, ut mentes hominum ad interiora perducantur, quatenus per hoc, quod mirum viſibiliter oſtenditur, ea quæ admirabiliora ſunt, inviſibilia credantur; Miracula itaque ſunt in defectum probationis, & ſunt auxilium rationis humanæ, ut aſſentiatur alicui veritati, ſuppleantque argumentorum defectum: ſunt enim velut ſigillum

Dei,

Dei, ut quod affirmatur, a Deo eſſe credatur, & ita de eo nullatenus dubitetur.

Nota 2. Non omnia miracula fieri ad eandem veritatem confirmandam, ſed ad diverſas, & varias veritates: Ita Exod. 4. Deus miſit Moyſem, ut liberaret populum ſuum a ſervitute Ægyptiaca, & ad confirmandam hanc veritatem ſe miſſum a Deo, ut populum educeret, ipſe miraculorum patrandorum poteſtatem accepit a Deo, ut fides ei haberetur: Exod. 7. idem Deus eumdem ad Pharaonem miſit, ut populum dimitteret, & ut hoc probaret, dedit ei miracula 3. Reg. cap. 18. Elias, ut Deum Iſrael probaret verum eſſe Deum, ignem de cælo immiſit in holocauſtum: 4. Regum cap. 1. *Si homo Dei ſum*, ait, *ignis de cælo deſcendat, & devoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit ergo ignis de cælo*. Hæc & ſimilia miracula probabant vera eſſe ea, in quorum confirmationem fiebant: Si enim eorum dicta falſa fuiſſent, & mendacia, & non ea opera Deus effeciſſet, quia nec Deus mendax eſt, nec mendacii teſtimonium perhibet: eodem modo Aaronis electio confirmata eſt, dum virga ejus floruit. Ita Gedeonis electio in Ducem, per vellus & ſiccum & madefactum: & alia ſunt exempla innumera, quæ paſſim in Scriptura leguntur.

Nota 3. Neminem Prophetarum aut aliorum hominum, per quos divina virtus miracula edidit, ea feciſſe in confirmationem veritatis illius, quam Chriſtus ſuis miraculis confirmabat, nempe ſe eſſe Meſſiam, & verum Dei Filium: Hinc eſt, quod illorum miracula, vel cujuſcumque alterius, etiamſi ea omnia feciſſet, quæ Chriſtus fecit, non potuiſſent probare eos eſſe Filios Dei, quia talia miracula non erant in hujus veritatis confirmationem facta: tamen ſicut illorum miracula probabant vera eſſe ea, in quorum probationem fiebant, ita & miracula Chriſti, immo multo efficacius, probabant ipſum eſſe Deum, quia in hunc finem fiebant, quem ſæpe Chriſtus expreſſit, ut & ipſi Judæi intelligerent, quid per miracula probaret: Matth. 9. *Ut ſciatis, quia Filius hominis in terra habet poteſtatem dimittendi peccata, tibi dico, ſurge, &c. & ſurrexit*. Hæc verba ſupponebant, quæ a Judæis dicta fuerant. *Quis poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus?* Reſpondet, ut ſciatis me hanc habere poteſtatem, quæ ſolius Dei eſt, meque eſſe Deum, hunc ſanabo, & ſic Paralyticum alloquitur, *Tibi dico ſurge*: Ita Lazarum ſuſcitaturus Joann. 11. ſic Patrem ſuum alloquitur. *Propter populum, qui circumſtat, dixi, ut credant, quia tu me miſiſti: Hæc cum dixiſſet, voce magna clamavit, Lazare, veni foras, & ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus*: Denique in doctrina ſua ſemper ſe a Patre miſſum, & Filium DEI docuit, & operibus Patris ſe id confirmare docebat: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*: Miracula ergo tali ratione facta, & propter hoc facta, ſufficienter probarunt eum eſſe Filium Dei, quia negari non poterat ea facta eſſe divina virtute. Hinc Judæi, cum ſatis intelligerent admiſſis ſemel miraculis in ejus rei probationem negari non poſſe talem veritatem, calumniati ſunt, ejuſmodi miracula non fuiſſe facta virtute divina, alioqui enim nullus relinquebatur negandi locus: ſed contenderunt facta fuiſſe virtute Dæmonis, quod oſtendimus fieri non potuiſſe. Noverat hanc doctrinam ipſe Dæmon, qui miraculum unum, & non admodum magnum ſibi ſufficiens exiſtimavit, ut eum Dei Filium eſſe agnoſceret, ſi tamen in hujus rei probationem factum eſſet: 4. *Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant*, certus futurus, ſi ederetur tale miraculum, divina virtute factum iri, cum jam ſciret id ſua virtute fieri nullo modo poſſe. Sed ſatis: ſequitur enim manifeſte, miracula Chriſti, conſiderato fine propter quem fiebant, ſufficientiſſime probaſſe eum eſſe Filium Dei, & non tantum divina virtute, ut alios Prophetas, ſed propria virtute, ut Dei filium ea feciſſe.

2. Probatur ratione prædictionis. Etenim alia inter ſigna cognoſcendi Meſſiam Deus dederat in Prophetis miracula, quæ erat facturus, quod declaravit Iſaiæ 53. *Ecce Deus veniet, & ſalvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*: Et in aliis Prophetis multa Chriſti opera continentur: Hoc argumento Chriſtus uſus eſt, reſpondens Joannis diſcipulis, qui ſic eum nomine Joannis interrogarant: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Nam variis coram illis patratis miraculis ſubdidit: *Ite & renunciate Joanni, quæ vidiſtis & audiſtis, cæci vident, claudi ambulant &c.* Quaſi diceret, in me implentur, quæ Prophetæ implenda in Meſſia prædixerunt: Hoc argumento uſus eſt Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone ad probandum, Chriſtum Dominum verum fuiſſe Meſſiam: Quia nullus Propheta fecit omnia miracula, quæ fecit Chriſtus, hic unum, alius aliud miraculum fecit, ſed nemo tot ac tanta, qualia prædicta ſunt: Hoc ipſum Dominus dixit Joan. 15. *Si non veniſſem, & opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*: igitur Chriſti miracula, etiamſi non facta fuiſſent nominatim in confirmationem divinitatis Chriſti, tamen ex Prophetarum dictis, quibus Judæi fidem habebant, ſatis ſuperque probabant ipſum eſſe Chriſtum & Filium Dei, multo magis utrumque ſimul conjunctum.

Ex his omnibus manet probata hæc veritas: Chriſti miracula facta fuiſſe in hujus propoſitionis confirmationem, quod JESUS Chriſtus ſit Deus: In ſuperioribus autem oſtendimus Chriſti Miracula fuiſſe manifeſta & indubitata, itaque manet ex omni parte probatam fuiſſe ſecundam noſtri Syllogiſmi partem, quæ ſic habet, atqui divinitas JESU Chriſti comprobata fuit teſtataque miraculis manifeſtis & indubitatis; cui ſi jungas primam propoſitionem, quam initio hujus ſermonis probavimus, nempe, quidquid comprobatum teſtatumque fuit miraculis manifeſtis, & de quibus ambigi non poſſit, certiſſimum eſt ac indubitatum, ſequitur per manifeſtam conſequentiam, quod initio probandum ſuſcepimus, & cujus probationem Judæi quæſierunt ex aliquo ſigno, quod omnium maximum

ximum

Digitized by Google

ximum Chriſtus dedit, nempe ſignum Jonæ Prophetæ, quod alias fuſius explicabitur, ſequitur (inquam) divinitatem Chriſti Domini certiſſimam eſſe, & probatiſſimam.

Atque hæc eſt hujus diſcurſus prima concluſio, ex miraculis manifeſtam eſſe Chriſti divinitatem, quam negare non tantum impium & blaſphemum eſt, ſed etiam poſt tot miraculorum teſtimonia, irrationabile, inſanum ac furioſum. Sed quoniam eo jam pervenimus, ut quidam de re omnium maxima aut dubitent, aut ei obloquantur, aut etiam eam negent, placet etenim cum impiis de re tanta diſceptare: Age ergo hominum impiiſſime, cur de Chriſti divinitate diſputas, cur dubitas, cur eam negas? Hoc Deus Pater aſſerit, & miraculis teſtatur, nec tibi fidem facere poteſt? Age, inquam, quæ in rebus omnibus major certitudo tibi eſſe poteſt? An ſcientiarum? quarum propria principia ferme ignorantur: Et quæ paſſim jactantur, vacillant: an ſenſum? Qui quotidie, vel te judice falluntur: an auctoritas humana? Quæ quotidie mutatur, & tam exiguam fidem meretur, ut crebrorum arguatur mendaciorum: an major eſſe poteſt quam Dei loquentis auctoritas? An certior eſſe poteſt aut illuſtrior auctoritatis Dei manifeſtatio, quam miraculorum exhibitio? Quæ vero illuſtriora, quæ clariora, non dicam eſſe, ſed fingi poſſunt, quam quæ Chriſti divinitatem aſſeruerunt? An fortaſſe modus fingi poteſt clarior agnoſcendi? quis tandem? an ut ipſam divinitatem videres ſenſibilem? Si immediate? Anne ridiculus es, qui divinitatem corpus eſſe putes: ſi mediate? Certe Deus non alia ratione videri potuit, quam qua viſus eſt, ſecundum illud Baruch 5. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*: quod & confirmat Joannes Apoſtolus. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis*. Sed id capere non potes? bene eſt: an propterea res non eſt, quia non capis? quam multa credis, quæ non capis, de intellectu, de ſenſibus, de mundo, de Deo, quæ ſi negares ab hominibus ejicereris? an neſcis hæc capi non debere, ſed credi? ad ea vero credenda, te apertiſſimis convinci rationibus Deo atteſtante; Etenim cum duo a me ſint propoſita, de quo ambigis? an de primo? nempe miracula edi non poſſe ad rei alicujus falſitatem, itaque fieri non poſſe, ut illud falſum ſit, quod miracula atteſtantur: ſed ſi capis, quid ſit miraculum, quid mendacium, quid Deus, aut homo eſſe definis, aut facile intelligis, nullum mendacium poſſe aliquo miraculo confirmari. An de ſecundo dubitas? facta eſſe miracula quæ jactantur in ejus rei confirmationem: ſed homo es impudentiſſimus, & gratis te excæcas, qui tot teſtibus fidem derogare velis! quaſi tot Regibus ac Principibus, tot Sapientibus, tot Philoſophis, tot Doctoribus oculatior eſſes qui ſibi gratis imponi paſſi ſint, cum te unus ſapiens, ac prudens extiteris. Sed, nimirum uti ſcripſit Joannes Apoſtolus 1. Epiſt. cap. 4. *Ipſi de mundo ſunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit: Nos ex Deo ſumus: Qui novit Deum, audit nos: In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris*; utriuſque diſcretio petitur ex regula fidei, & hæc ſumitur ex DEI teſtimonio.

2. Concluſio. Si JESUS verus eſt Deus, ſi Meſſias in lege promiſſus, igitur ei conveniunt, quæcumque in lege de vero Meſſia dicuntur: de illo dixit Iſaias cap. 9. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis*: igitur vere Mediator noſter eſt & Salvator: itaque in illo omnis ſpes, & fiducia mea: Ille Rex meus, Dux meus, Protector meus: Iſte Exemplum meum, Magiſter meus, Doctor meus: Illum unice diligere debeo, illi uni ſervire: ab eo vitæ exempla, ab illo documenta accipere debeo: igitur quæcumque mihi vitæ præcepta dedit, ea conſequi dedit, ea ſequi debeo, & ejus inſtitutis inſiſtere: Verum igitur eſt beatiores eſſe pauperes divitibus, item beatius eſſe dare, quam accipere, longe optatius eſſe injuriam pati, quam ulciſci: igitur quæcumque docuit de altera vita, ea ſunt veriſſima. De verbo otioſo reddendam eſſe rationem: nihil male actum manere ſine pœna: nihil bene actum ſine mercede: dari ignem æternum, vermem, qui non moritur, tenebras exteriores: divites voluptuoſos ſepeliri in inferno: pauperes patientes in ſinum Abrahæ deferri; & ſimilia ſexcenta quibus vitæ doctrina continetur: Igitur cum non tantum fuerit Salvator, in quem credere debeo, Mediator, in quem ſperare, exemplum, quod imitari, ſed etiam Legiſlator, cui me obedire oportet, ego ejus leges, quantum potero, ſequar: at ille inimicos diligere jubet: offendentem requirere ad pacem: oculum eruere, ſi ſcandalizet, item manum, & pedem præcidere, ſi ſandalizent: mulierem non aſpici ad concupiſcendum. Igitur ille eſt conſiliarius, cujus ego conſilia omnibus mundi conſiliis præferre debeo: itaque alteram maxillam offerre percutienti unam, tunicam deſerere pallium capienti, animam perdere, ut ſervem, & alia multa, quæ omnibus ſæculis ignorata, atque abſcondita docuit Sapientia divina.

Eorum enim omnium veritas, & ſanctitas, & in pleriſque neceſſitas, innumeris innituntur miraculis, quibus Deus ejuſmodi veritatibus auctoritatem ſic conciliavit, ut a nemine niſi prorſus inſano denegari poſſint. Hinc vide, cujus vita ſit tutior, hominis juſti, an vero impii: ille nititur pronunciatis Evangelicis, hic autem inſanis hominum carnalium ſermonibus: item an inſaniat Religioſus omnia deſerendo, an homo mundanus, qui ejuſmodi vitam irridet: cujus enim firmior & ſolidior ſpes eſt? ille nititur miraculis, hic carne, & ſanguine: adverſus quos ſic ratiocinor: Cum res nulla majoris momenti fingi poſſit quam quæ continetur in noſtra Religione, certe nullum fingi poteſt majus periculum ac diſcrimen, quam in re tanta errare, cum ibi error ſit irreparabilis, & æternus: Tu nihil horum credis, quæ credimus de futura vita, nihil etiam de officiis, quibus vita præſens aſtringitur: ego vero horum cauſa abjicio, & voluptates, & honores, & divitias; & quotidie me contineo: videamus, amabo, quis noſtrum tutius agat? ego ad id moveor ſenſu religionis, ad illum vero me addu-

cunt

Digitized by Google

cunt tot conteſtata miracula: Tu vero moveris tantum libertate, & rei incertitudine, quia nihil horum vidiſti: Certe aut tu falleris, aut ego decipior: ſed 1. cujus error damnabilior, aut tuus, aut meus? nam ſi decipior, ipſe Deus me decepit: quæ enim credo, tot miraculis confirmavit, ut nonniſi a Deo fieri potuerint: Tu vero a te ipſo deceptus es, ſolam incertitudinem ſecutus, & homines ſceleratos & impios. 2. Quis noſtrum majori periculo errat; ego quidem res nihili, & perituras aliquando objicio periculo. Tu vero ſumma omnia & æterna: Ego nihil amitto, quod non ſit lucrum perdidiſſe: Tu nihil amittis, quod perdidiſſe non ſit ſumma miſeria: Tu nihil perſequeris, quod poſſediſſe non ſit crimen, vel miſeria; ego nihil perſequor quod poſſediſſe, non ſit vel ſummum meritum, vel ſumma felicitas, ad quam nos perducat JESUS Chriſtus. Amen.

## CONCIO SECUNDA.

### DE MIRACULIS.

Solvuntur objectiones, quæ fiunt contra Miracula Chriſti; & diſputatio ſatis implicata de falſis Magorum vel Hæreticorum Miraculis plane evolvitur.

*Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ.* Matth. 12.

NIhil damni patitur veritas, cum in diſceptationem venit, niſi evincitur, cum videtur impugnari, niſi profligatur. Quando aurum & argentum probæ ſunt temperaturæ, nihil formidant explorationem, neque obryzam: nec enim ignis, nec obryzæ catinus quidquam illis detrahunt, ſed indicant, cujuſmodi ſint: contra vero chymia, metallaque adulterata nihil æque ac ignem, obryzæque periculum verentur. Quæ quidem cauſa me hodie inducit, ut experimento committam & diſceptationi veritatem omnium Fidei noſtræ graviſſimam, maximique ſupra reliquas momenti, ſcilicet JESU Chriſti divinitatem, ſubjiciamque examini pertinaciſſimorum ingeniorum probationem, quam heſterna die protuli e miraculorum teſtimonio petitam. Rom. 3. *Ut omne os obſtruatur, & ſubdi ut fiat omnis mundus Deo.* Atque ut infidelis, Ethnicuſque, ut & ad licentiam projectus, curioſuſque intelligat ſibi vel invito Divinitatem JESU Chriſti eſſe credendam, ut *in nomine JESU omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS in gloria eſt Dei Patris.* Sed prius Virginem ſalutemus. *Ave Maria.*

DUo, ſi meminiſtis, attulimus, ad noſtræ concluſionis probationem. 1. Quidem probationem, quæ petitur ex miraculis, infallibilem eſſe. 2. Multa miracula faviſſe huic veritati, Jeſum eſſe Filium Dei; quæ duo ſi ſemel conſtent ex omni parte, negari nullo modo poterit, Chriſtum Dominum verum eſſe Deum, & conſequenter ea omnia eſſe indubitata, quæ Chriſtiana lege continentur. Age itaque, utramque propoſitionem examinemus, remque ad ſua uſque principia deducamus. Et quoniam ea res plane inuſitata eſt, atque inſolens, date hoc peſſimæ neceſſitati, in quam mala hæc tempora nos deduxerunt; res enim nobis eſt cum hominum genere maxime temerario, atque impio. Atheos dico, Deiſtas, hæreticos, & ad omnem audaciam projectos, qui temeritate, atque impietate, famam præclari ingenii ſe adipiſci arbitrantur; quos ego ſi vero nomine appellavero, ſtultos atque inſanos nominem, qui ſicut fertur in fabulis, inſtar Gigantum Deum ipſum laceſſant. Adverſus igitur primam propoſitionem, qua diximus, probationem, ex veris miraculis petitam, eſſe infallibilem, nec poſſe recuſari aut negari.

Objiciunt nobis primo loco, ut fecit olim Celſus ſecta Epicuræus, teſte Origene in primo, quem adverſus illum ſcripſit libro, Ægyptios & ludiones a caliculis, multa efficere, quæ animos rapiant, mirifica ſint & prodigio affinia, nec tamen eſſe quemquam judicio præditum, qui vellet eorum verbis geſtiſve fidem adhibere. Recte Origenes reſpondet, Celſum ipſum eſſe ludionem, & morionis galericulo notandum, qui nobis nugas ineptiaſque ejuſmodi in re tam ſeria opponat: cum ea ad prodigii ſpeciem confecta nihil ſint niſi artificia, & argutiæ manuum, vel alluſio ſenſuum, mereque nugæ, quæ fiunt tantummodo ad oblectandos animos, & ad colligendum lucrum: atque, etſi ineſſet artificium Dæmonis, non id fit ad ſtabiliendam alicujus momenti veritatem, & ad ſuadendum hominibus, ut meliores evadant; unde poſſumus facile intelligere, ejuſmodi homines minime juvari a Deo. Argumentum eſt, quo uſus eſt olim D. Petrus contra incantationes Simonis Magi, ſicut memorat Clemens Romanus libro tertio recognitionum, quod his verbis illi proponebat: Ut Magi Pharaonem dementantes arte Dæmonum Moyſi reſiſtebant, ita & tu mihi: Sed vera miracula ſemper hominibus proſunt, ut dum curantur infirmi: falſa vero tantum ſunt ad inutilem oſtentationem, ut canes æneos latratus edere. Eodem modo S. Irenæus lib. 2. de Hæreſ. cap. 56. eos refutat, qui ſunt a Simone, & Carpocrate, & ſi qui alii (inquit) virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in beneficiis, hominibus facientes ea, quæ faciunt, ſed in perniciem, & errorem per magicas eluſiones. Idem judicium eſto de hominum ſceleratiſſimo Apollonio Tianæo, quem Hierocles non dubitavit Chriſto æquare; ſed doctiſſime refutatur ab Euſebio Cæſarienſi, qui totam Apollonii vitam, ex Hiſtoricis etiam plurimum ei faventibus contexuit, ac præcipue ex Philoſtrato, qui eam ex variis auctoribus compilavit: oſtendit enim, quæ de eo jactantur miracula, vel puta eſſe mendacia, quod colligit ex ipſis auctoribus pugnantia & abſurda ſcribentibus: vel inania, atque ad oſtentationem facta prodigia, ut lebetes, & cacabos moveri, & ſimiles nugas. Sed ſolidiſſime hic refutantur, quod hæc omnia nunquam vera miracula fuerunt, ſed præſtigiæ, ac illuſiones, fictioneſque Dæmonum, quod apparet ex eo, quod res iſtiuſmodi non permanebant conſtanter, & nihil firmitudinis habebant: præterquamquod nihil eorum vires naturæ ſuperavit, uti vera miracula faciunt, cujuſmodi ſunt reſtitutio viſus omnino extin-

extincti, mortuorum ſuſcitatio, aliaque innumera, quibus Deo placuit obſignare prædicationem Evangelii, divinitatem JESU Chriſti, & omnia fidei noſtræ myſteria.

2. Objectio. Qui ſe judicio præſtantiores autumant, ſatis arbitrati fabulas & mendacia non poſſe mihi multum negotii facere, provocant me ad hiſtoriæ tribunal, putantque ſe mihi operam & difficultatem allaturos eſſe, nonnullorum miraculorum commemoratione, quæ narrant veteres hiſtorici fide digni, quæ quidem opponunt miraculis, quæ ab Evangeliſtis produntur. Tacitus libro Hiſtoriarum ſuarum quarto, ſcripſit, quo tempore Veſpaſianus ad invadendam Imperii Romani poſſeſſionem ibat, eum per miraculum ſanaſſe duos ægrotos in urbe Alexandria, qui a Deo Serapi admoniti ad illius virtutem confugerant. Unus ægrotus ſaucius erat oculis, alter manu. Prior illum rogabat, ut in oculos ſuos ſpueret atque in genas, alter ut ſibi manum pedibus calcaret. Veſpaſianus poſtulationem iſtiuſmodi miratus eſt, veritusque ne ridendi auſam daret cæteris, ſi attentaret effectionem rei, quæ ipſum latebat, primo quidem irriſit, cum tamen didiciſſet a medicis, neutrum ex iis duobus morbis inſanabilem eſſe, excitatusque ab aulicis ad experimentum rei faciendum, utrumque perſanavit, uti memorat hiſtoria. In quo præter ſuſpicionem, quam habeo, illud eſt artificium commentumque Apollonii Tianæi inſignis Magi, qui Alexandriæ verſabatur eo tempore, & familiariter cum Veſpaſiano. Videte, Auditores, qualis miraculorum patrator erat Veſpaſianus, qui cæco inductu agebat, qui ignorabat, quid poſſet, ac nequidem ſciebat, quem exitum ſua operatio habitura eſſet: præterquam quod ex ipſa hiſtorici confeſſione morbi ejus generis ſanabiles erant de Medicorum arbitrio, qui exploraverant ægros poſtea ſanitati redditos: unde conſequens eſt, artificium id Dæmonis fuiſſe, qui ea opera patrocinari voluit illius temporis errori, cui Judæi complures fidem adhibuere, ſicut narrat Joſephus; Veſpaſianum ſcilicet eſſe Meſſiam ſibi promiſſum, cujus adventus in Scriptura ſacra notatus fuiſſet ſecundum Prophetiam Iſaiæ. Idem ſentio de miraculis, quæ Spartianus Hiſtoricus nobis ait facta fuiſſe ab Adriano Imperatore 68. anno poſt illa, quæ de Veſpaſiano narrantur. Infortunatus enim ille Princeps ad inſanabilem hydropeſim poſt phythiſim redactus, cupienſque ſibi ferro aut veneno vitam eripere, in quod nemo eorum, qui ad eum accederent, conſentire voluit, mulieris unius cæcitatem curavit, quæ ajebat, ſe perdidiſſe viſum, quia ipſum minime certiorem fecerat, uti Dii præceperant per ſomnium, ad ſanitatem eſſe redditurum. Additur etiam ſolo contactu viſum cæco nato reddidiſſe. Adjicit tamen Hiſtoricus a Mario Maximo vetere gravique auctore aſſeri, ea omnia ſimulatione ac artificio fuiſſe facta. Inventum id fuit commentumque Antonini, qui cognomen Pii impoſitum eſt, propterea quod omni genere artificii ſervaverat & prorogarat vitam ei, a quo fuerat adoptatus: Ut enim tolleret ipſi ex animo rabiem, voluntatemque necis ſibi inferendæ, ad quam deſperatio & faſtidium vivendi diutius eum adduxerat, confinxit falſa miracula ut ſpem aliquam præberet recuperandæ ſanitatis. Quis enim vero credere poſſit, infelicem ac deſperatum hominem, qui nullam nanciſci viam rationemque poterat vivendi aut moriendi, & qui uſquequaque ſanitatem ſibi perquiſierat, uti fatetur Hiſtoricus, Deo, ipſis etiam incantamentis veneficiiſque, largiri ſanitatem miraculo aliis potuiſſe. Prætereo ſilentio innumera alia prodigia, cum falſa tum ficta certatim. Antonini Imperatoris tempore, in gratiam & commendationem Æſculapii, cæteraque profana variorum ſæculorum ad miraculi ſpeciem conficta, quæ Polybius gravis Auctor reprehendit in malæ fidei Hiſtoricis, qui quidem ut rude vulgus in ſuperſtitione Deorum tenerent, non erubuerunt mentiri, atque Hiſtoriæ ſuæ corpori fabulas meraque mendacia inſerere.

Atque ut unum in locum congeram quidquid de confictis miraculis citatiſque ab Ethnicorum, ac Idololatrarum pleriſque, aut artificioſe Magorum atque Hæreticorum opera ſimulatis,

Certum eſt 1. ejuſmodi miracula maxima ex parte fuiſſe falſa, ficta & ſimulata, aut ad ſummum non fuiſſe vera miracula, ſi nomen miraculi ſtricte ſumatur, & proprie.

1. Quia vel fuerunt meræ præſtigiæ, & ſenſuum illuſiones, quod ex eo convincitur, quoniam non facta ſunt in ipſis perſonis, aut in ipſis rebus, ſed meram habuerunt apparentiam, unde in illis defuit duratio, & permanentia, ut de quibuſdam ſui temporis ita ſcripſit S. Irenæus lib. 2. cap. 58. Phantaſmata oſtendentes ſtatim ceſſantia, ac ne quidem ſtillicidio temporis perſeverantia, non Jeſu Domino noſtro, ſed Simoni Mago ſimiles oſtenduntur. 2. Quod non ſint vera miracula, hinc probatur faciliſſime. Quia non ſuperant vires creatas, neque in ſubſtantia, neque in modo, quod tamen requiritur ad verum miraculum. Itaque Dæmones ea omnia efficere potuerunt, aut ſolo motu locali, aut ſubita rerum naturalium, & cauſarum applicatione, quarum perfectam habent cognitionem.

Certum eſt 2. Quoad ſimulata miracula, eorum impoſturam communiter loquendo, facile deprehendi potuiſſe. 1. Defectu durationis, & conſtantiæ, ſic enim conſtabit eſſe præſtigias. 2. Oſtendendo non fuiſſe operationes ſupremæ virtutis; uti cum Deus permiſit Magos Pharaonis mutare virgas in ſerpentes: ſed vera fuerit mutatio, per naturalium cauſarum applicationem; ſive tantum adductio in locum, allatis ſerpentibus, ejuſdem magnitudinis, cujus erant virgæ, quæ aut occultatæ fuit a Dæmone, aut alio translatæ; ſeu tantum facta ſit ſenſuum illuſio, qua virgæ viſæ ſunt in colubros converſæ. Voluit tamen Deus, ut virga Moyſis devoraret virgas Magorum, vel verius puto, ſerpentes ab eis factos, ut Pharao intelligeret, factum Magorum non fuiſſe ſupremæ auctoritatis, cum ab alia virtute potentiore deſtrueretur: unde Deus impedivit, ne muſcas poſſent producere, quod Magi videntes, dixerunt: *Digitus Dei hic eſt*, illis verbis ſupremam poteſtatem agnoſcentes. Hinc Simonem Magum in aera auſu temerario volantem; licet Dæmonum auxilio fulciretur, S. Petro orante præcipitavit.



Digitized by Google

Certum eſt 3. Cum impoſtura facile detegi non potuit, Deum ſæpe non permiſiſſe, ut talia fierent, ne homines deciperentur. Ita prohibuit Balaam, ne populo Iſraelitico malediceret, id eſt, noceret, etiamſi id maxime vellet efficere. Ita cum Sacerdotes Baal ſuum Deum inclamarent, ut paratum ſibi ſacrificium incenderet, Dæmonem, qui facile illud præſtare potuiſſet, ne id faceret, prohibuit, ne populus hoc facto deluderetur. Ita impedivit Magos in Ægypto, ne muſcas producerent. Et Manes, cum in ſui erroris probationem tentaſſet ſanare filium Regis Perſarum ægrotantem, propterea que Medicos arcuiſſet, & filius Regis ex eo morbo objiciſſet; Rex illum cute exui vivum juſſit in fraudis ſuæ, temeritatis & arrogantiæ mercedem. Et Gregor. Turonenſis lib. 2. Hiſtor. Franc. c. 3. ſcribit miſerum quemdam, cum cæcum ſe eſſe fingeret, opemque peteret a Cyrola Ariano, qui eum ſubornaverat ad ſimulandum in ipſo miraculum, erroris ſui confirmandi cauſa, cæcum plane redditum fuiſſe. Quis neſcit, quod prodit Lindanus eveniſſe ann. 1558. ad limites Poloniæ, cuipiam nomine Matthæo, qui vivens ac vegetus cum ſubornatus fuiſſet, ut haberetur pro mortuo, ſicque ſuſcitaretur, reipſa mortuus eſt ad vocem Miniſtri toto capitis conatu clamantis, *Lazare veni foras*.

Certum eſt 4. Etiamſi Deus his omnibus modis, nobis non ſuccurriſſet, neque nos præmuniviſſet, contra multiplices falſorum miraculorum paſſim occurrentium deceptiones, hoc unum nobis ſufficere debuiſſe, quod dixit Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. *Ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt*: [Deus enim, cum non ſit mutabilis, ac ſibi ipſi contrarius, non poteſt eſſe auctor miraculorum, quibus inter ſe contraria confirmentur: Quare ſi ſemel miraculis bene ſtabilita fides aliis miraculis impugnetur, credendum plane eſt ſecunda, & ſequentia miracula meram eſſe impoſturam: nam ut ait idem Apoſtolus 2. Cor. 1. *Dei Filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, non fuit, Eſt, & Non. Sed eſt, in illo fuit*: Qua occaſione, idem Apoſtolus dixit, ad Galat. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit, ſicut prædiximus: Et nunc iterum dico, ſi quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Vide prudentiam Apoſtoli. Nos ſemper ad primam prædicationem reducit, ac revocat, quæ non leviter ſtabilita ſit, ſed innumeris miraculis, quæ certiſſima fuerunt, & manifeſtiſſima: unde concludit cætera in contrarium, rejicienda eſſe. Sed quænam? vel ipſummet Apoſtolum, ſi aliud prædicaret: vel etiam Angelum de cælo, ſi diverſa nunciaret: quod certe ab Apoſtolo dictum eſt hyperbolice. Unde Vincentius Lirinenſis lib. 1. cap. 12. Exponens allata Apoſtoli verba. Non quia Sancti, cæleſteſque Angeli, peccare jam poſſint, ſed hoc eſt, quod dicit, ſi etiam (inquit) fiat, quod fieri non poteſt, quiſque ille ſit, qui traditam ſemel fidem mutare attentaverit, anathema ſit: Nec mirum: Quia uti inter ea, quæ ſunt neceſſaria, unum eſt alio magis neceſſarium, & talis eſt Deus, qui eſt ens, omnium entium maxime neceſſarium, ita inter impoſſibilia, unum eſt maxime impoſſibile, hoc autem eſt Deum poſſe mentiri: quod magis impoſſibile eſt, quam Angelum etiam beatum poſſe mentiri, & a gloria deficere. Et conſequenter, quod Deus ſemel miraculis eſt atteſtatus, minus falſum eſſe poteſt, quam quod Angelus etiam beatus conteſtatus eſt, propter majorem repugnantiam falſitatis, cum veritate participata. Vel id dixit Apoſtolus, ut hoc ſigno deprehendas Satanam etiam cum ſe in Angelum lucis transfigurat, quaſi de cælo venerit. Hinc comprobante S. Hieronymo eleganter dixit Tertullianus contra Apellem, & Philemonem, qui se Spiritu ſancto plenum dicebat, ejus Angelo, longe ante dictum ab Apoſtolo, anathema. Talis Angelis Lutherum, & Zvvinglium docuit de Euchariſtia, ſcilicet qui vere niger fuit; licet Zvvinglius libro de Supplemento Euchariſtiæ dicat ſe ignorare, albus ne, an ater fuerit. Hinc ſancti Patres hunc canonem poſuerunt examinandi novi dogmatis, ſi nimirum concordet cum antiqua Eccleſiæ fide, quam Deus innumeris miraculis ſtabilivit, & Paulus, & Apoſtoli prædicaverunt *Deo ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: unde Tertull. l. de Præſcript. c. 21. Ex ipſo ordine monſtratur id eſſe Dominicum, & verum, quod ſit prius traditum. Id autem extraneum eſſe, & falſum, quod ſit poſterius immiſſum. Et S. Auguſt. l. 13. contra Fauſtum, c. 5. exprobrat Manichæis. Miracula non facitis, quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis caveremus per inſtruentem nos Dominum, & dicentem. *Exurgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia.*

Certum eſt 5. Quod ſi apud Gentiles, & Infideles fuerunt vera aliqua miracula, qualia fortaſſe fuerunt aliqua; nulla unquam tamen patrata fuiſſe ad alicujus falſitatis, aut erroris confirmationem, ſed propter aliquam veritatem confirmandam, aut propter aliquam utilitatem facta fuiſſe: uti cum Claudia mulier Romana cingulo ſuo ad littus attraxit ingens navigium, quod boves complures, aliæque vires humanæ loco movere nequiverant, id in pudicitiæ gratiam fiebat, falſo crimine, & injuſte notatæ: ad eumdem finem virgo quædam Veſtalis contra veritatem accuſata violatæ integritatis, hauſit aquam cribro, ita ut foraminibus non deflueret. Nihil eorum omnium factum ad conciliandam fidem Gentiliſmo, neque ad deſtruendam veram religionem, fidemque noſtram impugnandam, aut ad aliquem errorem comprobandum, ſed tantum ad patrocinandum cuipiam veritati, atque ad innocentiam in tuto ponendam. Ac ſicut Auguſtin. refert reliquias S. Stephani, multis Ethnicis, immo etiam animalibus profuiſſe, ita Deus plerumque per miracula opitulatus eſt Idololatris: ſed tunc ea miracula non probarunt aliquam veritatem, vel recurſum ad Deum, & aliquid ſimile. Unde ſequitur nihil inde contra nos colligi poſſe.

Ex dictis naſcitur 3. objectio, quæ multis videtur omnium potentiſſima ad infringendam miraculorum auctoritatem. Scilicet, Quod multi improbæ vitæ homines, immo & Hæretici, & Judæi, & Pagani vera miracula fecerunt, ut videre eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica. Immo in ſacra Scriptura Num. 24. Balaam licet impius donum habuit Prophetiæ: Marci 9. Joann. Apoſtolus: dixit Chriſto. *Vi-*

*Vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.* Quod tamen Chriſtus improbavit. Matth. 7. ait Chriſtus: multos ſibi dicturos in die judicii. *Domine, Domine: nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et nunc confitebor illis: Quia numquam novi vos, Diſcedite a me, qui operamini iniquitatem*: Item legimus Matth. 24. *Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam Electi*: Immo de Antichriſto dicitur Apocal. 13. *Et fecit ſigna, ut etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum. Et ſeduxit habitantes in terra, propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ &c. Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiæ; & ut loquatur imago beſtiæ.* Ex quibus omnibus patet valde incertum eſſe teſtimonium miraculorum, & conſequenter primam illam propoſitionem, qua diximus, quæ miraculis certis, & manifeſtis eſſent confirmata, ea omnino eſſe indubitata, valde vacillare, quod ipſa noſtri temporis experientia comprobatum eſt. Quædam enim audivimus jactari miracula, quorumdam hominum manibus facta, quorum fides ſuſpecta eſt: unde factum, ut inde nonnulli errores ſuos confirmare voluerint, perículoſa ſane conſequentia, & puſillorum ſcandalo.

Ut huic objectioni plene ſatisfaciam, placet rem totam a ſuis principiis repetere ordine ſequenti; ſi modo attenti fueritis; dum rem alioqui ſatis implicatam, evolvo. Ad cujus intelligentiam.

Noto 1. Duplicis generis eſſe miracula; Quædam ſtricte ſumpta, & proprie dicta, in vera ſignificatione vocis miraculi & ſunt effectus, qui ſuperant vires omnes creatas, tam corporales, quam ſpirituales, ſeu ſecundum ſubſtantiam, ſeu ſecundum modum, uti ſupra diximus. Talia ſunt illuminatio cæci nati, mortuorum reſurrectio, & alii multi effectus, quorum nulla eſt cauſa in natura. Alia ſunt late ſumpta, vocabulum miraculi in ſignificatione magis extenſa ſumendo, & ſunt ea, quæ ſuperant communes vires humanas: unde mira hominibus videntur, licet eorum ſint aliquæ cauſæ, intra latitudinem naturæ: ſed vel occultæ, & ignotæ, vel inviſibiles. Primi generis miracula ſolum habent Deum auctorem, ut cauſam principalem, & ea ſunt proprie dicta miracula, & illa præcipue ſunt, de quibus locuti ſumus, cum diximus vera eſſe, & indubitata veritatis alicujus teſtimonia: Alia vero præter Deum, & homines, virtute ipſius agentes, ut inſtrumenta cauſæ principalis, habere poſſunt pro cauſa Dæmonem, qui agat vel per motum localem, vel per applicationem agentium naturalium, quorum vires, & facultates optime novit. Et ea miracula fere ſemper in Scriptura vocantur ſigna, & prodigia, quia fere tantum fiunt ad oſtentationem.

Quod autem Dæmones id poſſint, præclare docet S. Auguſt. in lib. 83. quæſt. 79. hoc diſcurſu. Diſtinguit enim in ſpiritibus duplicem ordinem, unum quo utuntur rebus ſibi ſubditis, ſecundum jus privatum, quod habent in omnia inferiora corporalia: unde vocatur Dæmon Princeps hujus aeris, & Dæmones vocantur aereæ poteſtates: nam (ut ait) unaquæque res viſibilis in hoc mundo habet poteſtatem Angelicam ſibi præpoſitam, ut dicit Scriptura in variis locis. Alio ordine ſubduntur univerſitatis legibus, ſicut publicis, intra quas coercentur, & reguntur, quia & ipſi ſunt pars aliqua univerſi; unde quædam non poſſunt, quia ſpectant totum ordinem univerſi. Itaque de iis rebus, quibus ſunt præpoſiti, aliter quaſi privato jure agunt; aliter tamquam publice agere coguntur, potentior enim ex parte univerſitas: quoniam illud quod privatim agit, tantum agere ſinitur, quantum lex univerſitatis ſinit. Hinc fit, ut quando ſinuntur illi ſpiritus, privato ſuo jure uti, quædam miracula faciant in illis rebus, quibus ſunt, infimo, ſed tamen ordinatiſſimo poteſtatum gradu, præpoſiti. Idcirco quia multa poſſunt per motum localem, & per naturalium agentium applicationem, quam facere poſſunt, & ſubtili arte, & maxima celeritate, multa mira faciunt & in hominibus, & circa homines, & extra illos: Sed ſi aliquid fit, quod pertineat ad totam univerſum, id non poſſunt: ut ſolem ſiſtere, agentia naturalia impedire. Item ſi deſint cauſæ naturales, nec aliquid pendeat a motu locali, tunc illud præſtare non poſſunt, ut hominem mortuum vitæ reſtituere vera reſurrectione, aut cæco nato viſum reſtituere. Vel ſi interveniat divina lex, quæ eſt publica, illa utique vincit privatam licentiam; unde multa prohibentur facere. Immo aliquando Dei ſervi, quando hoc donum eos habere utile eſt, ſecundum publicam, & quodammodo imperialem legem, hoc eſt ſummi Dei poteſtatem, imperant infimis poteſtatibus, aut eas impediunt, ne agant, aut jubent, ut quædam faciant: Ita Paulus imperavit Satanæ, ut invaderet, & torqueret inſignem illum fornicarium, qui in matrimonium duxerat uxorem patris ſui. At ſi Dæmones non impediantur, multa & per ſe, & per ſuos miniſtros mira facere poſſunt. Et ita in Magicis imprecationibus, ut homines decipiant (ait Auguſtinus) præſtant effectum, precibus, & miniſteriis eorum, privato illo jure largientes quod ſibi licet largiri, honorantibus ſe, & quædam ſecum, in Sacramentis ſuis, pacta ſervantibus. Hæc ille. Ejuſmodi erunt miracula, quæ fient a Pſeudo-chriſtis & Pſeudo-prophetis, & maxime ab Antichriſto, ut ignem de cælo dejicere, & ſimilia. Ejuſmodi fuerunt miracula Magorum in Ægypto. Ita Simon Magus, uti dicitur Actor. 8. ſuis incantationibus Samaritanos dementarat, *Dicens ſe eſſe aliquem magnum, cui auſcultabant omnes, a minimo uſque ad maximum dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ dicitur Magna.* Et ejuſmodi ſigna fieri poſſunt in confirmationem mendacii, unde dixit Chriſtus: *Ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam Electi.* Itaque cum pleræque ſanationes fieri poſſint hoc modo, hoc eſt vel per motum localem, vel per applicationem occultam agentium naturalium, quando morbi non ſunt omnino incurabiles, nullum certum veritatis alicujus argumentum ex illis præciſe ſumi poteſt: quemadmodum ſemper trahitur certum ex miraculis primi generis, quoniam illa ſolum Deum habere poſſunt auctorem, cujus teſtimonium ſemper eſt infallibile, & irrefragabile: itaque primi ge-

Digitized by Google

generis miracula ex aliis rebus examinanda ſunt: poſteriora in ſe ſuam habent certitudinem, modo conſtet de exiſtentia.

Nota 2. Cum miracula ſecundi generis, ſeu ſigna, ſeu prodigia, fieri poſſint & a Deo, & a Dæmonibus, ſaltem quoad ſubſtantiam, hinc fieri, ut ejuſmodi ſigna ſint æquivoca, & referri poſſint ad diverſas cauſas: itaque ex ipſis præciſe ſumptis, nihil determinatum judicari poteſt, quia ut ait Auguſtinus, eadem eſſe viſibiliter apparent: ſed & diverſo fine, & diverſo jure fiunt: Nam ſi fiant oſtentationis cauſa, vel tantum ad delectationem, aut ad curioſitatem, non poſſunt habere Deum ut auctorem: multo minus, ſi ad aliquod falſum dogma confirmandum, vel ad aliquod malum patrandum fiant: Nam in ratione ſigni duplicem habent reſpectum, & ad cauſam efficientem, ſeu principium, & ad finem. Quia igitur Deus falſa teſtari non poteſt, ideo non poteſt eſſe cauſa principalis ſigni rei falſæ, hoc eſt enim teſtari falſum. Propterea ſi ab Hæreticis talia ſigna fiant ſeu miracula, ad ſui erroris confirmationem, non ad Deum, ut cauſam, ſed ad Dæmonem referenda ſunt: Nam cum ex ſe ſint æquivoca, ad diverſas cauſas referri poſſunt; ſed determinatio, quæ fit ad aliquod malum, qualis eſt erroris confirmatio, tollit omnem æquivocationem. Itaque ſi poſt definitum aliquod dogma ab Eccleſia, aliquid tale fieret ab Hæretico contra idem dogma, & in alicujus rei falſæ confirmationem, talis ſanatio verbi gratia, refercnda eſſet ad Dæmonem, qui poteſt illius eſſe auctor, cum non ſuperet vires creatas. Et conſequenter cum Dæmon illius auctor eſſe poſſit, & de facto convincatur eſſe tali applicatione facta ad rem falſam confirmandam, rejiciendum eſt tale miraculum, propter auctorem, & propter finem. Talia erunt miracula Antichriſti, & Pſeudo-chriſtorum, quæ tanta ſunt futura, ut, teſte Chriſto, *In errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam Electi*; quibus verbis ſignificatur, tam mirabilia futura prodigia, ut multos decipiant, ſecundum illud Apocal. 13. *Seduxit habitantes in terra, propter ſigna*. Eouſque, ut ſi electi perire poſſent, etiam ipſi inducerentur in errorem: ſed uti de ipſis dixit Chriſtus, Joann. 10. *Et nemo poteſt oves meas rapere de manu mea*. Ita cum aliquos videritis, ejuſmodi miraculis, a fide, & Eccleſiæ deciſionibus averti, valde verendum eſt, ne ejuſmodi homines ſint de numero reproborum: & certe ex illis erunt, ſi in illo errore perſeverent. Equidem is Chriſti loquendi modus gravem indicat futuram tentationem, quæ efficiat, ut etiam Electi titubent, licet non cadant. Quod autem dixit S. Auguſtinus hæc miracula fieri a Dæmonibus, & per ipſos a Magis, ut diverſo fine, & diverſo jure, ita explicat, ut ea fiant, per quædam poteſtatibus conceſſa, in ordine ſuo, quaſi privata commercia, vel beneficia. Quæ autem fiunt mediante Deo, publica fiunt adminiſtratione, juſſu ejus, cui cuncta creatura ſubjecta eſt. Aliter enim cogitur poſſeſſor equum dare militi, aliter eum tradit emptori, vel cui illum donat, aut commodat. Sed quia occultior eſt cauſa, quæ efficit, quam fiat, propterea in fine errari non poteſt, & ex illo cauſa efficiens deprehenditur, qualis ſit; ut a nobis ſuperius explicatum eſt.

Nota 3. proprie dicta miracula, ea ſcilicet quæ ſuperant omnes vires creatas, & quæ ſolum Deum habere poſſunt ut cauſam principalem, licet communius fiant inſtrumentaliter per homines pios, & ſanctos, aliquando tamen fieri per homines improbos, immo per Hæreticos, & Infideles, uti dictum eſt in objectione de Balaam Propheta, & de illis qui in extremo Judicio dicent, ſe in nomine Chriſti propheta ſſe, & Dæmones ejeciſſe, & multas virtutes, & ſanationes effeciſſe: quod quidem Chriſtus non negabit, ut ſcias eos verum dixiſſe; ſed addet, ſe non tamen ideo illos approbare, quinimmo rejicere, *Quia numquam novi vos, diſcedite a me, qui operamini iniquitatem:* Talis fuit, de quo Marc. cap. 9. qui in nomine Chriſti ejiciebat Dæmonia, licet Apoſtolos non ſequeretur, & in Chriſtum non crederet: & in Hiſtoria Eccleſiaſtica multa ſimilia exempla legimus, & acceptamus. Quis neſciat Judam traditorem multa cum aliis Apoſtolis miracula perpetraſſe, licet & Beata Virgo & S. Joſeph, & Joannes Baptiſta, quo inter homines nullus major fuit, nulla miracula edidiſſe legantur: Immo S. Auguſtinus in q. 79. ex 83. advertit hanc facultatem datam fuiſſe malis, & viris ſanctis negatam. Ratio 1. eſt, quia licet Deus communius utatur inſtrumento ſibi conjuncto, & proportionato, ut magis convenienti; quia tamen operatur ſupra virtutem inſtrumenti, hoc non ſemper attendit. Itaque & malis, & Hæreticis, aliquando uſus eſt, ne ſcilicet ea virtus inſtrumento tribueretur.

2. Ratio. Quia ejuſmodi actio non ſumit pretium & meritum ſuum a Miniſtro ac inſtrumento, ſed a cauſa principali, atque nomine, quod in illa adhibetur.

3. Ratio. Quia miracula non ſunt primo inſtituta in bonum efficientis, ſed in bonum aliorum, uti dicitur de omnibus gratiis gratis datis, quæ non dantur in bonum operantis, uti docet S. Thomas, & paſſim Theologi, ſed in bonum aliorum, unde S. Gregor. Magnus lib. 9. Ep. 58. ſcribens ad S. Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, eum ſapienter admonet de miraculis, quæ magno numero faciebat. Quidquid de faciendis ſignis acceperis, vel acceperiſti; hæc non tibi, ſed illis reputes donata, pro quorum tibi ſalute collata ſunt.

4. Rationem affert S. Auguſt. Hippon. Epiſcopus lib. 83. qq. qu. 79. cur multis Sanctis non concedantur miracula. Ne (inquit) pernicioſiſſimo errore decipiantur infirmi, exiſtimantes in talibus factis, majora dona eſſe, quam in operibus juſtitiæ, quibus æterna vita comparatur: propterea Dominus prohibet hinc gaudere diſcipulos, cum ait Lucæ 10. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur; gaudete autem, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*. Unde falſæ ſunt illæ conſequentiæ. Aliquis facit miraculum, igitur ille homo approbatur, ejuſque doctrina. In aliquo loco fit miraculum, igitur ille locus approbatur: malæ ſunt, inquam, illæ conſequentiæ: Alioqui probarentur homines impii, & profani, & hæretici, atque infideles, a quibus certum eſt patrata fuiſſe miracula, uti docet S. Gregor. 20. Moral. in Job cap. 9. unde ſubdit: Probatio ſanctitatis non eſt

eſt ſigna facere, ſed unumquemque, ut ſe, diligere: de Deo autem vera cognoſcere: de proximo vero meliora, quam de ſemetipſo ſentire. Et poſtea: Veros Dei famulos, non miracula, ſed ſola charitas probat. Teſtimonium ergo ſuperni diſcipulatus, eſt donum fraternæ dilectionis: *In hoc enim cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*: Quam videlicet dilectionem, quia omnes hæretici habere refugiunt, dum ab univerſalis Eccleſiæ unitate dividuntur, jure de eis dicitur apud Job 30. *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo*. Et quia eadem ſigna, quæ exhibent, nulla humilitate concordant: recte ſubditur: *Et vita ita putabantur indigni*. Non igitur præciſe loquendo miracula commendant, aut homines, aut loca: alioqui Chriſtus numquam in Judicio diceret, ſe illos non noviſſe, quibus in vita uſus fuiſſet, ad miracula patranda, quod ſibi profuturum falſo ſperaverant.

Ratio horum omnium fundamentalis eſt, quod cum miracula ſigna ſint, non aliud ſignificant, niſi id cujus ſigna ſunt: non ſunt autem communiter ſigna ſanctitatis operantium, unde non illam neceſſario ſignificant: ſed aliquam veritatem, illam nimirum, propter quam oſtendendam, aut confirmandam facta ſunt.

Nota itaque 4. hinc ſequi ejuſmodi miracula fieri non poſſe in confirmationem erroris; licet ab Hæreticis fieri poſſint, ſed non in confirmationem erroris ipſorum, alioqui Deus mentiretur: cum enim Deus ſolus cauſa eſſe poſſit principalis ejuſmodi miraculorum: in Deum, ut auctorem referrentur, cujus rei nullum exemplum afferri poteſt. Non idem dico de aliis miraculis improprie dictis: nam quid de illis ſentiri debeat, ſupra dixi, cum ejuſmodi miracula non ſemper habeant Deum pro auctore, ſed habere etiam poſſint pro cauſa Dæmonem, unde in erroris confirmationem fieri poſſunt. Quomodo autem deprehendi poſſint, an a Deo proceſſerint, an a Dæmone: & conſequenter quomodo falſa a veris poſſint diſcerni, diximus, illud petendum eſſe a fine, ſecundum illud Auguſtini. Sed & diverſo fine, & diverſo jure fiunt: quæ verba ſuperius a me explicata ſunt.

Nota 5. Vera miracula, quæ Deum habent ut cauſam principalem, duplici modo fieri poſſe ex Toleto in cap. 9. Joann. Annotatione 9. quam doctrinam repetit ex S. Auguſt. lib. 83. qq. q. 79. Uno modo fiunt proprio opere ejus, qui facit miraculum, tactu, manuum impoſitione, facta oratione, & alia quacumque actione. Alio modo fiunt, uſu & applicatione rei ſanctæ: adhibito ſigno aliquo ſacro, ut ſigno Crucis, in nomine JESU, adhibitis Reliquiis, aut Chriſti, aut Sanctorum: aqua benedicta, oleo ſacro, aut aliis rebus ſacris, quibus omnibus vera Fides declaratur, ut per id probetur veritas illius, cujus ſignum eſt illud, in quo miraculum fit: in illum fides, cujus nomine fit, comprobatur: Ita Petrus, & Joannes, claudam illum ſanarunt, qui jacebat ante portam ſpecioſam, de quo meminit Lucas Actor. *In nomine JESU Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*. Ita quidam Marci 9. In nomine JESU ejiciebat Dæmones a corporibus, licet in Ch[illegible]m non crederet, ſed in nomine Chriſti edens miracula, fidem Chriſti confirmabat, non quam haberet, nam non credebat: ſed tamen quæ eſſet; ex illo enim ſigno declarabat, propter quem, & per quem opus illud fieret, nempe Chriſtum. Ac primo quidem modo Chriſtus ſua omnia miracula peregit, & plerique Sancti, uti de Sancto Benedicto meminit S. Gregor. in ſuis Dialogis, qui ſolo aſpectu hominem, qui ad eum confugerat, vinculis ſolvit liberum: unde dixit Gregorius, Benedictum hoc miraculum effeciſſe poteſtate. Sed hoc modo, neque impii, neque Hæretici, neque Infideles, miracula aliquando perpetrarunt: ſed ſecundo modo id potuerunt & infideles, & Hæretici, adhibito aliquo ſigno ſacro, aut Chriſti, aut Eccleſiæ, aut Sanctorum, aut eorum Reliquiis; cujus rei innumera narrantur exempla: qua ratione non illi ipſi teſtimonium ullum acquirunt, aut commendantur; ſed is cujus ſignum adhibetur: Si igitur videris aliquem hæreticum, aut hominem improbum miracula facientem, adhibito ſigno aliquo ſacro, ut aqua benedicta, JESU nomine aut ſcripto, aut prolato, vel applicatis Reliquiis Chriſti, aut Sanctorum, hoc tibi certum ſit, neque illum probari, neque ejus fidem, & doctrinam, ſed eſſe teſtimonium ejus rei, quæ adhibetur, & ejus cujus ſignum eſt, ſeu ad quem pertinet, tamquam cauſam, & principium.

Porro cum ejuſmodi ſigna adhiberi poſſint, tum a Fidelibus, tum ab Infidelibus, tum a bonis, tum a malis; ab illis omnibus miracula fieri poſſunt; inter utroſque tamen hoc diſcrimen intercedit, ex B. Auguſtin. loc. cit. qu. 79. ex 83. Quod boni Chriſtiani miracula faciant per publicam juſtitiam, hoc eſt per legitimam poteſtatem, qua legitime utuntur: Mali Chriſtiani, per ſigna publicæ juſtitiæ, quia illegitime utuntur uſurpata poteſtate, ad quam nullum jus habent: quod explicat aptiſſima ſimilitudine. Ut plerique mali milites, quos imperialis diſciplina condemnat, ſignis imperatoris ſui, nonnullos poſſeſſores territant, & ab eis aliquid, quod publice non jubetur, extorquent. Senſus eſt, Bonos illis rebus uti legitime, & cum jure. Malos illegitime, quia ſine fide, & nullo jure utuntur. Eodem modo, quo Hæretici Baptiſmo Eccleſiæ utuntur, quem non uſurpant, ut ſuum, ſed rem alienam uſurpant. Verum in malis nihil attendendum eſt, quod eorum ſit: ſed tantum ratio habenda eorum, quæ adhibent: In aliis vero ſpectare oportet, ſi quod adhibent, & eorum meritum. Cum igitur conſtet ex Evangeliis Chriſtum ſolo ſuo verbo, non aliquo ſigno adhibito, nec alieno nomine invocato, ſed factis quibuſdam propriis, ut tactu, ſaliva ſua, voce, imperio, oratione, miracula feciſſe: conſtat etiam eum non fuiſſe ſine Deo, nec ad aliud principium, aut finem ejus miracula referenda fuiſſe, & conſequenter in iis certam fuiſſe auctoritatem teſtificandi, quæ proponebat, & atteſtabatur.

Ex quibus omnibus hucuſque probatis, ac demonſtratis ſufficientiſſime ad objecta reſponſum eſt: & oſtenſum, quod Hæretici, & Infideles, etſi aliqua fecerint miracula, hoc tamen nihil obfuit certitudini verorum miraculorum: conſequenter quod plene probata remanet prima mei ſyllogiſmi propoſitio,

Digitized by Google

ſtio, nempe: Id quod veriſſimis ac manifeſtiſſimis miraculis comprobatum fuerit, id eſſe certiſſimum, & inconteſtatum eo quod miracula nullam aliam cauſam principalem habere poſſint, præter Deum, & quod quæ ſunt ejuſmodi, nulli alteri rei, niſi ſoli veritati ſuffragari poſſint.

Quæ cum ita ſint. Videte 1. qua prudentia procedere debeamus in novorum miraculorum propoſitione: ut ſcilicet attendamus, uti monuit S. Auguſt. loco ſæpe cit. 83. qq. Quo fine, & quo jure fiant miracula: quo fine quidem, ut ſcias, nunquam vera miracula fieri poſſe ad tuendam falſitatem, aut ad veritatem bene ſemel ſtabilitam convellendam: illud Apoſtoli ad Gal. 1. ſemper repetentes: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Et ratio eſt, quia uti dicitur 2. *Ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt.* Dixit etiam Auguſt. ſpectandum, quo jure fiant miracula, hoc eſt, an jure privato, an publico: hoc eſt, an poteſtate divina, & legitima, an alia: ut pro Deo Dæmonem non ſequaris, & errorem pro veritate.

Videte 2. Qua ſecuritate, & quibus teſtibus in noſtra Religione vivamus: Nam, Auditores, nititur Fides noſtra non levibus quibuſdam ſignis principiiſque erroneis, ſed teſtimonio tot miraculorum, & aſſeveratione, quæ a Deo ipſo nobis datur: *Cælum, & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.* Unde fit, ut ſimplex mulier plus certa ſit de rebus Fidei, quam quilibet alius de re qualibet: Itaque pro rebus Fidei mori non dubitabit, cum Philoſophus pro ſuorum dogmatum veritati mori recuſaret. Quocirca, oro vos, judicate, an jure, ullaque ex cauſa dubitare poſſimus de Fide noſtra, ob ſophiſticum alicujus, quicumque ſit ille, ſermonem; cum enim habeamus miracula, Deique teſtimonium, quænam major ſecuritas adeſſe animis poteſt? Jam vero, quæ major cæcitas hominum eſt iſta, quod ob Athei cujuſpiam verba, qui nobis aliquid difficultatis objiceret, deſeramus Fidem, quam ſuſceperamus tot teſtimoniorum & convictionum vi & affirmatione? Quiſquis es, qui dubitas, confer, amabo, rationes, quas habes credendi, & eas, quæ tibi objiciuntur, ad non credendum. Dicet impius, abſurdum eſſe, Deum factum eſſe hominem mortalem, & paſſibilem: vel quæret, quomodo id fieri poſſit: id ſe capere non poſſe cauſabitur: forſitan rem non ita ſe habere: Deo eſſe indignum ſitire, fatigari, conſpui, flagellari, crucifigi: Deum plus habere miſericordiæ, quam ut credere poſſit; quod homines per æternitatem puniat, id ſibi incredibile videri. Audiſti incredulum & infidelem, & res divinas ſua intelligentia metientem: Sed aliunde Deus hæc omnia tot teſtimoniis, totque miraculis conteſtatus eſt, quæ nonniſi ab homine inſano, & qui omnem pudorem abjecerit, negari poſſunt. Jam vide, ac judica, an æquius ſit audire hominem dubitantem, an Deum aſſerentem? & cui juſtius fides adhibenda ſit? Quod ſi Deo loquenti fidem adhibes, vives ſecundum fidem tuam: ſi vivis, ita ſpera: ſi ſperas, ama: ſi amas, exſpecta ſummam felicitatem: illam in cælo tandem poſſidebis. Amen.

## CONCIO PRIMA,

### Probatur dari inter Dæmones aliquam regni formam.

*Erat JESUS ejiciens Dæmonium.* Luc. 11.

DE peſſimo ac difficillimo Dæmonum genere nobis hodie ſermo eſt: Nam quid a muto Dæmone potes addiſcere, ſi neque audire, neque loqui poteſt? nihil loqui, quia, uti dicitur in textu: *Et illud erat mutum*: Nihil audire, nam κωφὸς vocatur in Scriptura, quam vocem ſic explicat Tertullian. ut mutum & ſurdum ſignificet. Hoc tantum ſupereſſet, ut ſignis, & nutibus urgeretur, ſed quem Lucas ſurdum & mutum appellavit, Matthæus cæcum eſſe dixit: Itaque ut ſurdo nihil eſt, quod loquaris, ita cæco nihil eſt, quod ſignis, & nutibus oſtendas. Quare Chriſtus recte admonet, hoc genus Dæmoniorum non ejici, niſi in jejunio, & oratione. Sane tempus, in quo ſumus, eſt tempus jejunii, & jejunium magnam affert ad orandum commoditatem: oratio autem noſtra ad illum dirigitur, nam *bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui*, cujus etiam vocem & imperium audite ipſum nihilum, nam *vocat ea, quæ non ſunt, quaſi ea quæ ſunt*: Quanto ergo magis ſurdo loqui poteſt? Ipſe eſt, qui ipſas tenebras illuminat; quanto magis cæcum? *Si de tenebris fecit lumen ſplendeſcere*, & ſi David, ad eum ſic orat, *illumina tenebras meas*: ad illum accedamus, idque per Matrem ejus. *Ave Maria.*

TRia maximi momenti de Dæmonibus nos docet præſens Evangelium, quæ a nobis diligenter diſcutienda ſunt.

Primum eſt inter Dæmones eſſe aliquam ſpeciem regni.

Secundum eſt Chriſtum eo potiſſimum fine veniſſe, ut illud regnum ſubverteret.

Tertium eſt id Chriſtum feciſſe tribus potiſſimum modis, 1. veram religionem ſtabiliendo: 2. contrarietate morum, & legum: 3. poteſtate ſuprema, & auctoritate. Incipiamus a primo.

Quis noſtrum unquam exiſtimaſſet inter perturbationem, confuſionem inferorum ordinem eſſe poſſe, atque aliquam reipſa formam? Quis crederet malignis Dæmonibus, datum eſſe Regnum? *Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt: quomodo ſtabit regnum ipſius?* Si Dæmones inter ſe diviſi ſunt, quomodo tamdiu eorum Regnum, & imperium perſtitiſſet?

Nota itaque 1. Incredibilem Dæmonum multitudinem aliquo imperio contineri, hoc eſt in ea multitudine, eſſe aliquos qui præſint, alios vero qui pareant, cum quadam poteſtatis ſubordinatione, quæ omnis reducitur ad unum omnium principem, cum ſcilicet, qui cæteros decepit in cælo; ac fuit ille draco, qui tertiam ſtellarum partem ſua cauda, hoc eſt, exitu ſuæ rebellionis attraxit, atque dejecit. Illum Judæi Beelzebub appellarunt, hoc eſt, muſcarum Deum, ex odio ſcilicet Philiſtinorum, quorum maximus Deus in nobiliſſima urbe

Accaron, in idolo ejus nominis colebatur. Ita vero dicebatur, quod cum ſanguine victimarum oblinerrtur, infinitam muſcarum multitudinem attraheret. Vel a muſcis avertendis, quæ fortaſſe aliquando eum populum infeſtaſſent: ob quam ſimilem cauſam Elæi Deo cuidam ſacrificabant, quam Myiagron appellabant, uti refert Plinius quaſi muſcarum venatorem, vel interfectorem. S. Hier. refert in c. 3. Habacuc, illum Dæmonum principem, ex veterum Hebræorum traditione, vocatum Reſcheph, vel ob velocitatem, vel ob maledictionem a Deo inflictam, poſtquam Evam tentaſſet. S. Chryſoſt. Homil. 1. de lapſu hominis Sathaelen appellat. Theologi communiter per alluſionem ad locum Iſaiæ de Rege Tyri, nuncupant Luciferum: ipſe etiam Triſmegiſtus Dæmonarcham vocat.

De nomine illo ſatis incertum quodnam illud ſit: ſed nihil certius illo ordine, de quo ſupra dixi: Chriſtus enim meminit alicujus regni infernalis, negans ſe ejicere Dæmonia in Beelzebub principe Dæmoniorum, quia alioqui ejus regnum non ſubſiſteret, ſi duces inter ſe diſſiderent, nullaque inter Dæmones eſſet concordia: *& domus ſupra domum caderet*: quaſi dicat: ſi minores communitates non ſubſiſtunt, niſi concordia; multo minus majores, qualis eſt illa Dæmonum, quorum tanta eſt multitudo. Item Matth. 9. & 12. Marci 3. & Lucæ 11. fit mentio principis Dæmoniorum: & Matth. 25. mittuntur damnati *in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*, quod relativum oſtendit eſſe aliquod dominium Diaboli inter cæteros dæmones: & Apocal. 12. *Draco pugnabat, & Angeli ejus*: Item Aſmodæus, ubi Tob. 3. dicitur, Dæmonium, Hebraice legitur Melch Haſchedin Rex Dæmonum: ac refert Elias Levita in ſuo Thisbi libro, cui ex numero nomen impoſuit, quia in eo 712. voces exponit, refert, inquam, Targum has primas Eccleſiaſtis voces: *Ego Eccleſiaſtes fui Rex*, ita vertere Aſchmodai Malach Diſchedim. Ideſt Aſmodæus Rex Dæmonum. Beniamin Judæus Tudercnſis in ſuo Itinerario Zohar, narrat Salomonem regno pulſum, ab Aſmodæo in ſolitudine detentum fuiſſe, dum interea Ipſe Aſmodæus Schemate Salomonis indutus jus diceret Hieroſolymis: quo dicto Salomonis Satanitatem notavit. Cæterum nemo putat Aſmodæum abſolute eſſe omnium Principem, is enim detinetur in Barathro, unde vel numquam exit, vel non niſi ad breviſſimum tempus, uti docet S. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 12. Qui enim maxime deliquit, maxime omnium torquetur, & ita recluditur in Inferno, quod maxime horrent Dæmones, uti patet in Legione, de qua Lucæ 8. & in exorciſmis: ſed ita vocatur Aſmodæus, quod pluribus præſit. Principatum etiam Dæmonum agnoſcit Apoſtolus, dum inter illos numerat Principatus, poteſtates, & dominationes: ubi abſtracta ponuntur pro concretis: Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.*

Id paſſim etiam aſſerunt Sancti Patres, & Theologi & myſtici Doctores, uti Abbas Serenus apud Caſſian. collat. 8. cap. 14. ubi ait, præter auctoritatem Scripturarum, id ipſo experimento, & perſpicuis viſionibus probatum fuiſſe: Refert enim quemdam ex fratribus in ſolitudine iter agentem, coactum nocte in antrum ſecedere; cumque preces ſuas uſque ad noctem mediam protuliſſet, ac poſtea vellet quieſcere, repente cœpiſſe videre catervas Dæmonum innumerabiles, longo ordine incedentes, quarum aliæ Principem ſuum præibant, aliæ ſequebantur; qui tandem & procerior cæteris, & aſpectu terribilior apparuit, ac poſito ſolio, cum in tribunali excelſiſſimo conſediſſet, cœpit omnium actus diſcutere. Simile aliquid refert S. Gregorius Magnus in ſuis Dialogis: Sed indubitatum illud eſt, quod ex Scriptura diximus; unde etiam hiſtoriis allatis aliqua probabilitas accedit: id enim potuit Deus permittere ad animos ſimpliciorum confirmandos, & cum alioqui nihil abſurdi contineant, & multa ſimilia in Energumenis deprehendamus, & In hiſtoriis Magiæ, ubi ſimiles Dæmonum dependentiæ, aut poteſtates, ac dominia comperiuntur: Quid quod etiam Magi, uti refert Niphus lib. 3. de Dæmonibus, ſoleant in virtute Principis Dæmonum alios excantare: Et Poſtellus lib. 1. de concordia cap. 8. ait Dæmonum ordines eſſe novem: Quia ex S. Thom. 1. part. quæſt. 109. art. 4. communiter dicitur, ex omnibus Angelorum Ordinibus, qui novem ſunt, præcipitaſſet; ubi autem eſt ordo, ibi eſt dependentia, quæ eſt radix ordinis inter res creatas. Hinc factum, ut inter Dæmones ipſos, alii aliis ſint potentiores, ideoque dicitur in noſtro Evangelio: *Et aſſumit alios nequiores ſe*: Qui enim gravius deliquerunt, illi nequiores ſint, atque ad nocendum paratiores. Ita refert S. Athanaſius in vita Sancti Antonii adductum juvenem ad ipſum, qui habebat principalem Dæmonem, quem abigendum remiſit Diſcipulo, dicens: Non eſt hoc meum opus, nam contra hunc Dæmonum Ordinem, nondum ſum donatus gratia: ſed hæc eſt Pauli Simplicis gratia: prout refert Pallad. c. 28. Ita Chriſtus docuit quoſdam Dæmones difficilius cæteris expelli Matth. 17. *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, niſi in jejunio & oratione*: quare nec ab Apoſtolis illud ejici potuit, cum plurimos antea ejeciſſent, ſolo Chriſti nomine invocato.

Nota 2. Illud imperium in Dæmonibus, antequam peccaſſent, fuiſſe hierarchicum, ideſt, ſacrum, & ſanctum: Etenim Angeli, ab initio ſuæ creationis in gratia conditi, in ordine illo hierarchico producti ſunt, uti docet Theophilus Alexandrinus in Epiſt. 2. Paſchali, ubi Origenem contra ſentientem, ejuſque dogma excommunicat: additque hæc verba: Nulli dubium eſt, quin ſic ab exordio conditi ſint: quæ verba indicant eam fuiſſe tunc communem Eccleſiæ ſententiam. Hæc autem ordinum diſtinctio, ut alii eſſent Principatus, alii Poteſtates, alii Dominationes, alii Throni; a forma aliqua ſupernaturali profecta eſt, quæ & eminentiam conferret, & poteſtatem in alios, qui cum viderent in ſuperioribus majus lumen, majoreſque virtutes, propter ordinatiſſimas voluntates, quibus tunc gaudebant, libenter aliis obtemperabant ac ſubjiciebantur. Id vero p tatur; quia Dæmones nihil prorſus amiſerunt, niſi ſupernaturale ex S. Dionyſ. 4. de divin. nomin. Quia alioqui mali eſſent natura, ſi ali-

Digitized by Google

ſi aliquid naturale amiſiſſent: amiſerunt autem illam poteſtatem hierarchicam, ſecundum illud Apoſtoli Judæ in Epiſtola ſua: *Qui non ſervaverunt principatum ſuum*: quo nomine ait ibidem S. Dionyſ. intelliguntur bona Angelica; certe gratia, quæ hominibus communis eſt; igitur aliud donum ſupernaturale, quod S. Athanaſius in epiſtola ad Serapionem, quod Filius non ſit creatura, explicat per *τάξιν* quam vocat principatum illum. Adde, quod S. Gregor. Nazianz. orat. 40. donum hoc & peculiare appellat ſplendorem: itaque ponit in intellectu, & in voluntate, ratione majoris luminis, & majoris virtutis, quæ omnia Angeli prævaricatores amiſerunt; ita ut etiam ex Nazianz. in carmine, de creaturis ſpiritualibus, toti facti ſint tenebræ; unde ſequitur, in eis amplius non eſſe hierarchicam poteſtatem, ſed aliam quamdam diverſi generis, quæ qualis tandem ſit, inveſtigamus.

Nota 3. S. Thom. 1. p. quæſt. 109. art. 2. dicere, id provenire ex eorum natura inæquali, ideoque quorumdam actiones aliorum actionibus præſidere, cum actiones naturam ſequantur. Favet Auguſtinus Niphus lib. 3. de Dæmon. cap. 17. qui docet, uti in corporibus cæleſtibus eſt quidam ordo; ſic etiam Dæmonibus eſſe, idque ratione naturali convinci: Quia omnis multitudo dictat ordinem, maxime in ſubſtantiis perpetuis. Sed 1. hæc naturarum diverſitas maxime eſt incerta: & ſupra dixi, diverſitatem ordinis in Angelis, peti a forma ſupernaturali, licet S. Thomas fundamentum petat a natura: Sed Patres inclinant, ut totum petatur a gratia. 2. Si nihil aliud eſſet, improba Dæmonum voluntas, & contra Deum rebellis, hoc naturalis dominationis jugum non ferret, præſertim cum inter ſpiritus dominia non exerceantur, niſi per actus intellectus & voluntatis. Ratio vero Niphi nulla eſt, quia in cælis nullus eſt ordo niſi localis, aut forte etiam illuminationis; ſed in ordinatione ad hæc inferiora; qui ordo non eſt inter ſubſtantias ſpirituales, in quibus libertatis exercitium impediretur, ſi neceſſaria eſſet dependentia, quod plane abſurdum eſt.

Nota 4. in Imperio Dæmonum duo eſſe 1. Subjectionem omnium uni Principi: Deinde varios eorumdem inter ſe ordines, atque dependentiam, quæ ad unius principatum referantur. Primum oritur ex Dæmonum peccato: Nam quia ex ſententia D. Petr. *A quo quis ſuperatus eſt, ejus & ſervus eſt*: ideo jure victoriæ cæteris dominatur. Hanc rationem affert S. Athanaſius libro de Incarnatione Chriſti. Et Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio capite 3. Iniquum enim erat (ait) ut iis, quos ceperat, non dominaretur. Alterum oritur ex fine, quem in eo principatu, atque ordinato imperio ſibi Dæmones propoſuerunt: Sicut enim homines, ut vitam honeſtius, melius, & commodius tranſigant, habent Magiſtratus, Principes, Leges &c. ita Dæmones, ut gravius homines lædant, & opportunius, atque infeſtius, inter ſe principes ac Reges ordinarunt, variaque officia, & parendi miniſteria in eum finem, quem intendunt: unde finito mundo, cum nulla amplius erit homines tentandi neceſſitas aut poteſtas, improbi illius imperii ordo ceſſabit juxta illud 1. Corinth. 15. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem*. Uti enim Dæmon in terris divinitatem ſibi aſſumpſit, quam in cælis præſumpſerat, ut ſaltem hoc haberet ficte, atque ex hominum errore, quod in cælo habere non potuerat, ex Gregorio Nazianz. orat. de calamit. animæ ſuæ; & ideo totum orbe idololatria, & falſis cultibus, ac ſuperſtitionibus implevit juxta Pſalm. 95. *Dii Gentium, Dæmonia*: Ita nomina dignitarum hierarchicarum, quas in cælis amiſit, ſibi poſtea uſurpavit falſo nomine: Et ſicut in cælis hæc omnia ſignificabant certas dotes, & dominium peculiare in hæc inferiora; ita nunc ſignificant varias ejus tyrannides, atque uſurpatam poteſtatem. Cum itaque Dæmon dicitur, *Princeps hujus mundi*. Aut Epheſ. 2. *Princeps poteſtatis aeris hujus*, non debet intelligi vera poteſtas, quam nullam in creaturas habere teſtatur S. Auguſt. tract. 79. in Joan. ſed moralis poteſtas, quam ſibi tyrannice uſurpat, & homines ſubeunt, dum ejus inſtigationibus parent. Neque enim ut imple dicit Carpocrates apud Irenæum lib. 3. c. 24. & Manichæi apud ſanctum Auguſtinum l. de hæreſis c. 46. Harum rerum ſenſibilium rector eſt Dæmon, & conſequenter Dominus: ſed dicitur Dominus mundi, non abſolute, ſed cum reſtrictione, nempe *tenebrarum*, id eſt, aeris hujus inferioris, & caliginoſi, quia ſcilicet imperium ſuum exercet inter homines, in hoc aere, ubi homines degunt, idque ut eos vexet ac tentet. Regnum igitur ejus in homines eſt ratione peccati; quia enim homines ob peccatum ſe ſubdiderunt Dæmoni, ideo Dæmon dicitur eis dominari. 1. Quia viribus ſuis non poſſunt a peccato reſurgere. 2. Neque tentationibus reſiſtere. 3. Quia ratione pœnæ Dæmoni ſubjiciuntur: Unde Deus multa ipſi permittit in his inferioribus ad eos puniendos, atque etiam ad eoſdem tentandos; & ideo Toletus annor. 40. in Lucam, intelligit per regnum Dæmonis, poteſtatem factam ei, homines tentandi, & ad peccatum inducendi, quam maxime exerceat in eos, quos de facto induxit.

Nota 5. Ex ratione hujus imperii exiſtere varias Dæmonum diviſiones, atque ordines, quos nunc perſequi non lubet, ſed tantum duos attingere. Una enim diviſio petitur a locis, ubi habitant, atque hominibus inſidiantur: altera a vitiis, ad quæ homines impellunt. Ex primo fonte Veteres diverſis modis Dæmones diſtinxerunt, ac multipliciter nominarunt, igneos, aereos, aqueos, terreos, ſeptemptrionales, auſtrales, Perſicos, Africos, tenebriones, ſepulchrales, &c. Ex altero fonte, alii, uti docet Caſſianus collat. 2. & 5. præſunt guiæ, alii fornicationi, alii avaritiæ, alii iræ, triſtitiæ, vanæ gloriæ, ſuperbiæ, &c. Idem docet Origenes hom. 15. in Joſue. Ambroſ. lib. de Paradiſo c. 15. Auguſtinus, Bernardus, & alii paſſim: Inter quos Abbas Serenus apud Caſſian. collat. 7. cap. 12. Hoc (ait) noſſe debemus non omnes Dæmones univerſas hominibus inſerere paſſiones; ſed unicuique vitio certos Spiritus incubare, & alios quidem immunditiis, ac libidinum ſordibus oblectari, alios blaſphemiis, &c. & unumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipſe gaudet inſerere. Addit inſuper, licet unus poſſit ad mul-

ta ſcelera impellere, unicuique tamen eſſe aliquid maxime propoſitum: uti in hominibus varia ſunt ſtudia: unde ait quoſdam ſpiritus eſſe ridiculos, alios timidos, atque ambitioſos, alios mendaces, & blaſphemos, qui ſunt auctores hæreſeon: & ſubdit, incenſores eſſe libidinum, & luxuriæ: quod & Oſeas prius dixit his verbis: *Spiritus fornicationis decepit eos*. Nocturnos quoque & diurnos, ac meridianos Dæmones ſimiliter Scripturarum auctoritas docet. Sunt qui a Propheta, Onocentauri, qui Lamiæ, qui Ululæ, qui Struthiones, qui Ericii deſignantur: qui Aſpis, qui Baſiliſcus in Pſalm. qui Leo, qui Draco, quive Scorpius in Evang. nuncupentur: qui *Princeps mundi hujus*, qui *rectores tenebrarum harum*, quive *ſpiritualis nequitiæ* ab Apoſtolo nominentur: quæ vocabula non ſine cauſa, nec fortuito indita illis, debemus accipere: ſed ſignificatione iſtarum ferarum, quæ apud nos, vel minus noxiæ, vel magis pernicioſæ ſunt, illorum ferocitatem variam rabiemque diſtingui. Eamdem doctrinam prius tradiderat S. Antonius apud S. Athanaſ. Partita dæmonum nequitia eſt, quidam enim ad ſummum nocendi verticem pervenere, alii ex comparatione pejorum videntur eſſe leniores: atque omnes pro virium ſuarum facultate diverſa contra ſingulas cauſas ſeu virtutes ſumpſere certamina. Exemplum accipe in uno, nempe in Aſinodæo, quem Proſper vocat dæmonum nequiſſimum, & crimine ab uno diſce omnes. Is fuit Princeps in Media, & in Perſide, forſitanque fuit ille, qui reſtitit Angelo Judæorum, qui Daniel. 10. dicitur Princeps Perſarum: nam de inimica poteſtate id intelligit Hieron. ib. & in c. 24. Iſaiæ & Rupert. l. 9. & Abbas Serenus collat. 8. c. 13. Idem fuit rex fornicationis, vel in Media ſolum, vel etiam in toto terrarum orbe, uti cenſuit auctor libri, qui inſcribitur (ſerpens antiquus) ex D. Franciſci familia, natione Hieroſolymitanus. In hujus igitur ditione ſunt inceſtus, adulteria, ſtupra, concubinatus, impuri tactus, verba obſcœna, &c. Ad hunc ſpectant veneres omnes, earumque miniſtri, & inſtrumenta, lenones, perductores, philtra, carmina, theatra, & quidquid flagitioſos incendere amores ſolet: Hic eſt ille, qui ſuggerit turpes cogitationes: Unde Bern. Serm. 7. de ſpirit. Quoties importune ut aſſolet, carnalis cogitatio mentem pulſat, &c. certum ſit nobis ſpiritum eſſe carnis, qui loquitur, & tamquam adverſarium repellimus eum dicentes: *Vade retro Satana, quia non ſapis ea, qui Dei ſunt, &c.* ſed magis ſapientia tua inimica eſt Deo: Hic eſt ille, quem venereorum Præſulem Comum appellat Philoſtratus: Hic ille, qui Juvenem Antonium plurimis, ſed importuniſſimis cogitationibus eſt aggreſſus, ſed fruſtra: cui etiam apparuit inſtar pueri horridi ac nigri, & ut refert S. Athanaſ. ad Antonii genua proſtratus humana voce flebat dicens, multos ſeduxi, plurimos decepi, nunc autem, ut a cæteris Sanctis, ita & tuo labore ſum ſuperatus. Interrogatus quis eſſet: ego ſum (inquit) fornicationis amicus, ego multimoda adverſus omnes adoleſcentes turpitudinis arma ſuſcepi: hinc & ſpiritus fornicationis vocor: quantos pure vivere volentes feſelli: quot tenuiter incipientes, ad ſordes priſtinas redire perſuaſi: Ego ſum, propter quem Propheta, lapſos increpat, dicens, ſpiritu fornicationis decepti eſtis: & revera per me illi fuerant ſupplantati: ego ſum, qui teipſum ſæpe tentari, & ſæpe repulſus ſum. Cæterum ſub ſuis ſignis plurimos habet ſubditos, qui ubique flammas excitant libidinis, & ab eo leges, & nocendi artes accipiunt, ut & illi lapſus, & ſucceſſus referunt. Huic ſubditus erat, quem in virginem ſubmittebat Cyprianus tunc Magus, poſtea Sanctus, apud Nazianz. orat. 18. Sicut ille, quem ad aliam Virginem expugnandam adoleſcens Gazenſis ſub limen domus infoderat: quem S. Hilarion. interrogans, cur adoleſcentis corpus non intraſſet, reſpondit, ut quid intraſſem in eum, qui habebat collegam meum, Amoris Dæmonem? uti narrat S. Hieron. in Hilarione. Ille eſt, quem amatores, & Poetæ Cupidinem appellant, cui tradunt arcum, ſagittas, & tædam. Ille præeſt modis amorem conciliandi, blanditiis, aſpectibus, & aliis id genus quibus calorem excitat: Sedet in hujus oculis, in alterius ſinu, in capillis alterius, in hujus lingua, in alterius manu dum ſcribit: Ille docet mille amandi artes: ille inventor jocorum, turpium cantilenarum, & carminum amatoriorum: Ille eſt auctor infandarum libidinum: Inſidiatur pudori Virginum, uxorum caſtitati, Religioſorum votis, adoleſcentium pudori, corporum integritati: Ille ſolos cogitationibus aggreditur, ac deſideriis conficit dormientes aut inſomniis obſcœnis aut turpibus motibus inquinat: eos vero qui in cœtibus frequentes ſunt, innumeris aſpectibus, aut tactibus, aut cogitationibus quaſi jaculis configit, ac cruentat: Quid memorem, quibus modis cum factus eſt ſuperior, deinde ſæviat, quæ expediat tormenta, cum ſit crudeliſſimus, unde vocatur apud Tobiam Aſmodæus, id eſt perditor, & vaſtator a voce Schamad, quod eſt perdere & vaſtare, præpoſita prima litera ad nominis efformationem; licet enim alia Dæmonum nomina indicent eorum odium in homines, præcipue tamen Aſmodæus eſt vaſtator: 1. quia peccati genus, cui præſidet, maxime univerſo hominum generi eſt infeſtum: patet enim libido per omnes provincias: omnium hominum ordines, ætates, ſtatus, ſexus: præſentiſſima peſtis ſævit variis modis, & ita blandis, & ſuavibus, ut vix quiſquam immunis ſit: ac ſicut duæ ſunt hominis partes, corpus & anima, ita duo vitia maxime congruita, & ut Caſſan. loquitur coll. 4. cap. 7. inviſcerata, ſuperbia, & libido: ſed hæc eo plus ſævit, quo plures haber illecebroſas occaſiones, quia ubique & ab omnibus cato circumfertur. 2. Quia iis ipſis quos blandiſſime titillavit, poſtea graviſſima ſupplicia imponit, Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: Exemplum in ſeptem Saræ primis maritis, quos uti libidine inflammarat, ita crudeliſſimo poſtea mortis genere pervaſtavit: unde in univerſum Dæmones dicuntur eorum Reges, quos ſuperarunt, ex Jobi 41. *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*: Quia in eos plenam accipiunt ad torquendum poteſtatem. Idem cogitandum de aliis Dæmonibus, qui aliis vitiis præſunt, ut iræ, aut avaritiæ, aut ſuperbiæ, aut acediæ: eſt enim exercitus Dæmonum per diverſas quaſi vitiorum catervas diſpoſitus, quibus ſingulis ſinguli Dæmones præſunt mirabili depen-

den-

dentia, & ſubordinatione, ſummaque ad nocendum hominibus concordia, quam non male deſignatam arbitror apud Jobum cap. 41. *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus; una uni conjungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas; una alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur.* Regnum illud, quod inter ſe Dæmones exercent, eos juvit ad aliud obtinendum, quod tyrannide uſurparunt; nam mutua conſenſione, certum ſibi quoddam dominium acquiſiere, atque totius univerſi regnum: Joan. 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Joann. 14. *Venit princeps hujus mundi*, Joann. 16. *Princeps hujus mundi jam judicatus eſt:* Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates &c.* Ephes. 2. *Secundum principem poteſtatis aeris hujus, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ:* Hoc Regnum explicat Cyrillus lib. 10. in Joann. c. 4. ratione idolatriæ, qua homines per errorem, dæmonem, ut Deum coluerunt, ut dicitur Pſal. 95. *Dii gentium, dæmonia:* quem enim principatum obtinere non potuit in cælo, eum in terra, licet fictum, ac ſimulatum apud idololatras conſecutus eſt: unde omnia falſo cultu, & idololatria complevit. Verum hoc nimis anguſtum eſt: Nam in univerſum mundi princeps dictus eſt Satan, ob peccatum, quo homines ita ſubjicit, ut 1. non ſe poſſint ſuis viribus a peccato liberare: 2. Ita eos ſuis tentationibus concutit, ac percellit, ut neminem, ſi ſibi relinquatur, non vincat: Quia vero in hac tantum vita tentationes exercet, idcirco dicitur princeps hujus mundi, princeps aeris, & tenebrarum harum, ſeu hujus aeris tenebroſi, & caliginoſi: Denique quoniam ut homines tentet, ac vexet ob peccata; aeris dicitur potens ob tempeſtates, fulgura & alia quæ commovet, in nocumentum hominum, & rerum quæ ad homines pertinent: quamquam Deus non ei omnia permittat; uti patet in Jobi hiſtoria: ſic enim ei datur nocendi facultas, ut certæ tamen leges, & fines præſcribantur: licet aliunde hominum pravitas & malitia, fines imperii ipſius protulerint. In animis quidem, quid non poteſt? Quæ tandem peccata non committuntur? Oſeæ 4. *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit:* Ubi ſanguis pro peccato ponitur ex phraſi Scripturæ: *Viri ſanguinum:* Item *libera me de ſanguinibus:* Unde Gregor. hom. 11. in Ezech. ſanguis ſanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur: Qui errores? quæ hæreſes? quæ opinionum portenta ſuos ſequaces non habent? In quo hominum genere, in quibus officiis non regnat dæmon? quantum poteſt in rebus & negotiis publicis, quantum in privatis? Jam quid non agit in corporibus? in eo, de quo loquitur noſtrum Evangelium, uſum linguæ impediverat: In eodem ex Math. 12. oculos & viſum ademerat. Tertull. & Chryſolog. addunt etiam auditum, quod uti dixi probant ex voce *κωφός*. Ita Math. 6. refertur dæmonem alterum etiam mutum effeciſſe; & Lucæ 13. mulier incurvata annis 18. dicitur a Chriſto Domino, alligata mulier a dæmone: Et paſſim in aliis variis modis, infenſiſſimus generis humani hoſtis ſuam exercet tyrannidem: Quid non in Energumenis perpetrat? quam crudeliter dæſevit? Denique quam multo quotidie præſtat in fulminibus, imbribus, tempeſtatibus, & aliis rebus, quorum certa ſunt in Scripturis, & hiſtoriis ſacris exempla? ut enim dixit Apoſtol. 2. Cor. 3. *Non ignoramus cogitationes ejus.* Qui explicet, quas in Sagis tyrannides exerceat, ad quæ facinora, ad quam fœda, dictuque horrida eas compellat? Quid etiam præſtet in reprobis, & iis, qui ſeſe illi peccando permittunt? Quam recte Hebræi dæmones appellant *Schedim*, prædones, & graſſatores, quoniam peſſime homines excipiunt: & Joann. 8. Chriſtus exprobrans Judæis, quod eſſent ex patre diabolo, addit de eo: *Ille homicida erat ab initio*, quia mortem in mundum invexit. Ac ſi ullus unquam tyrannus fuit, talis eſt certe dæmon, qui omnia cædibus, ac ſceleribus complet, eorumque, quibus imperat, ruinæ ſtudet, quam cum ſuo etiam diſpendio procurat. Quid dicam, quibus gaudiis aula inferorum obſtrepit in gravi alicujus caſu, vel peccatoris morte, cum certam habeat prædam? Quibus ſtudiis certatim accurrunt, ut in tormentorum locum præcipitantem aliquem impellant, ut flammis adigant, ut torreant, ſuoque Principi gratificentur; Iſaiæ 14. *Infernus ſubter te conturbatus eſt in occurſum adventus tui, ſuſcitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum. Univerſi reſpondebunt & dicent tibi, & tu vulneratus es, ſicut & nos: noſtri ſimilis effectus es:* Ex his omnibus probatum manet exiſtere aliquod inter dæmones imperium & regnum: Jam loco concluſionis, ſequentes facio reflexiones.

I. Reflexio eſt: Cum ſciamus dæmones in noſtram perniciem conſpiraſſe, neque tantum nobis negotium eſſe cum uno dæmone, ſed cum innumeris, unde tanta in nobis ſecuritas? Atque in primis, cur ſoli pugnamus, & non potius undique auxilium conquirimus? Ad hæc cum ipſi arte pugnent, cur non etiam artem arti opponimus? neque enim *ignoramus cogitationes ejus μεθοδείας*. Sed quis nunc id curat? quis ſcire laborat? An unquam didiciſti, quomodo reſiſtere debeas voluptati, ac libidini? Quomodo avaritiæ, aut iracundiæ, aut ſuperbiæ & aliis vitiis? Qui te dæmones obſident? an unus, an plures, an innumeri? Si vix uni vales reſiſtere, quomodo pluribus? quomodo innumeris? Num tibi adeſt aliquis Aſmodæus, qui libidinis faces tibi accendit, diu noctuque, ſolum aggreditur, & inter homines viventem, in oratione, in templo, in otio, in negotio, ubique? Alioqui enim unde tot habes importunas cogitationes, & tot impura phantaſmata? Unde toties cadis, & impingis? Unde tanta fœditas, ut nulla ſit in te pars vel animi vel corporis, quæ ſit innoxia? Quid hactenus feciſti, ut reſiſteres, ut vinceres, ut abigeres? Quin potius illum adjuvas, illi faves, ac miniſtras. Cur te ultro periculis objicis? Cur immiſces in occaſiones? An non ſatis ille te incendit? Cur tu vino, & luxu tibi faces adhibes? Numquid non ſatis te fœdis motibus adoritur? Cur eum contra te adjuvas, undique turpes imagines, atque ſpecies col-

colligendo, pejor tibi dæmon ipſo dæmonum iniquiſſimo? Sed hæc parum eſſent, ut perires, quandoquidem tui es adeo infenſus hoſtis, & te ipſum odiſti? Quid in aliorum ruinam cum ipſo dæmone conſpiras, quaſi non ſufficeret numeroſiſſimus dæmonum exercitus in hominum perniciem coactus? Cur per te, o hominum nequiſſime, id efficis in dæmonis lucrum, quod ipſe hactenus perficere non potueras? Ille tot menſes, immo tot annos hujus puellæ caſtitatem aggreſſus nihil promoverat; tu id blanditiis tuis perfeciſti, quod ſuis ille tentationibus non potuit.

Nam uti videmus, quod dæmones facere prohibentur, ut noceant hominibus, per alios homines id conſequi per magos & ſagas, quoniam Deus libertatem illorum non ligat; Ita plerumque quod iidem dæmones tentationibus perficere non poſſunt, id per homines peſſimos, e quorum es numero, o miſer l. conſequuntur. Et hinc intelligimus nobis certandum eſſe & cum dæmonibus, & cum hominibus, ſecundum illud Chriſti monitum, *Cavete ab hominibus*: quod ſpectat præcipue feminas, & adoleſcentes: feminas quidem, quia facile ſeducuntur, illius exemplo, de qua dicitur a S. Paulo: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta*: Adoleſcentes autem propter facilitatem ætatis: dum enim dicitur, eamus, & faciamus, vix eſt, qui ſe trahi non ſinat. Oſeæ 7. *Et factus eſt Ephraim, quaſi columba ſeducta, non habens cor*. Certe ſi ut dæmones inter ſe concordant ad hominum ruinam, ita ſi ipſi homines inter ſe convenirent ad ſui conſervationem, & defenſionem, invincibiles forent, 1. Petri 3. *Et quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Sed nimirum undique circumſtant ſcandala, ſecundum illud: *Væ mundo a ſcandalis*, ita ut ſalutis difficultas ſumma ſit: unicuique illud jam dicitur: *Qui poteſt capere, capiat*: nam licet innumeris modis nos Chriſtus ad ſalutem provocet, hortationibus, minis, promiſſis, præmiis, pœnis, exemplis omnis generis, gratiis, miraculis, aliorum minis, & caſibus, & rebus omnibus; aliunde tamen nihil non moliuntur dæmones, ut homines avertant a bono, & confœderatis caſtris ſingulos incautos, ac nimium ſecuros adoriuntur, noſtris paſſionibus utuntur, carni ſe adjungunt, & rebus ſenſibilibus utuntur, & ipſis hominibus contra ipſos homines. Et ubique tendiculas ponunt & inſidias, quas cum vidiſſet magnus Antonius, ingemuit, dicens: quis ſalvari poterit? cui reſponſum eſt, id ſolum humilem poſſe. Et certe quis ille eſt? ne tibi hac cogitatione blandiaris multos ſalvari, & te in multis eſſe poſſe: cum omnes Scripturæ clament paucos ſalvari: Neque id mirum eſſe debet, cum tot habeamus hoſtes, & tanta noſtræ ſalutis impedimenta, & pauci admodum ſint, qui pugnare aut ſciant, aut velint: Verum illud indubitatum eſt, Regnum cælorum vim pati, & violentos tantum illud rapere.

2. Reflexio. Unde fit, ut dæmonum imperium in homines adeo ſit amplificatum? Nam ut prætercam tot nationes barbaras & Infideles, quæ Chriſtianos innumeris partibus ſuperant: ut dicere prætermittam, eorum qui Chriſtum agnoſcunt, & baptizati ſunt, longe majorem partem, aut hæreſibus, aut ſchiſmate eſſe vaſtatam, & in dies magis ac magis deperdi: ſi in ſolos Catholicos oculos conjiciamus, quota pars Chriſtos inſervit, & quam magna dæmoni? An 1. quia plures habemus adverſarios, quam defenſores? Sed ſi de ſolis Angelis loquar, longe plures a nobis ſunt, quam contra, ſecundum illud Eliſæi 4. Reg. cap. 6. *Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis*. An 2. propter eorum fortitudinem? Sed nihil poſſunt nocere, niſi volentibus: Et ex quo fortior ſupervenit, dictum eſt hominibus Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*. Parum erat dicere nos habere poteſtatem reſiſtendi, parum certandi, parum etiam vincendi, niſi etiam adderet calcandi, ut ſcires jam hoſtem eſſe victum, & proſtratum. An 3. quia deſerti ſumus ab auxilio? Sed Deus bone! quibus præſidiis vallati ſumus? iis ſane quibus tot pueri, & puellæ, tot ignari, & barbari, tot ſenes imbelles, tot pauperes ac debiles, omnes Inferorum exercitus fregerunt. Tu non poteris, quod illi, & illæ? Verum illud provenit 1. ex hominum ignavia, qui certare detrectant etiam cum hoſte ligaro: malunt ſubjacere, quam pugnare: omnia dæmonum imperia etiam fœdiſſima ſubeunt: nec reſiſtere volunt, vel leviter: in aliis rebus generoſi, & fortes, & in re omnium maxima abjectiſſimi, & fracti: 2. ex nimia ſecuritate e cum ſcire deberent ſe cum hoſte omnium aſtutiſſimo, & fortiſſimo, & infenſiſſimo rem habere, qui, ut ait quidam, ſuæ nequitiæ otium nunquam facit. Quid enim toties nos Chriſtus & Apoſtoli admonent, ut vigilemus, ne ſcilicet nos incautos occupat inimicus: 3. Quod non ſatis æſtimetur aut præmium aut jactura victoriæ, cum agatur aut de beatitudine, aut de damnatione æterna: longe diſſimili exitu certaminum, quæ inter homines exiſtunt, qui victoriis ſuis rem exiguam & perituram conſequuntur: 4. Quod dæmones ſocios habeant, certaminum hoſtes domeſticos & familiares, carnem & mundum. Quis enim contra carnem pugnat? quis contra mundum arma ſuſcipit? unde non mirum, ſi dæmonum imperium tantos progreſſus fecit. Sed Chriſtus aliunde clamat Joann. 14. *Confidite: ego vici mundum*. Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo, in throno ejus: Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis*. Amen.

CON-

## CONCIO SECUNDA,

### De Energumenis, ſeu de corporum invaſione, quæ fit a Dæmonibus.

*Erat JESUS ejiciens Dæmonium.*
Lucæ 11.

QUæ heri a nobis dicta ſunt de Dæmonibus, maxima ex parte didicimus ex Scripturis, & ex ſanctis Patribus, qui ea ex ipſis Scripturis eruerunt: nam creaturæ ſpiritales ut ſenſibus noſtris ſunt occultæ, ita noſtris intellectibus maxima ex parte ſunt occultatæ. Quæ hodie a nobis tractanda oculis fere uſurpantur, nempe de Energumenis ſeu de poſſeſſione aliquorum a dæmonibus occupata, ad quem diſcurſum nos ducit Evangelium, quod tractamus, ubi agitur de dæmonio muto. Verum licet ejuſmodi poſſeſſio ſenſibilis eſſe videatur, habet tamen plurima ſcitu valde digna; in quorum inveſtigatione ne erremus, quia plurima occulta ſunt, utpote a Principe tenebrarum fiunt, divino lumine indigemus: quod facile obtinemus, ſi ad thronum gratiæ accedamus, quæ eſt Beatiſſima Virgo. *Ave Maria.*

IN præcedenti Concione oſtendimus 1. eſſe inter dæmones formam quamdam imperii ſecundum illud Evangelii: *Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ipſius:* 2. originem ejuſmodi imperii, nempe peccatum dæmonum per unius ſuggeſtionem, & aliorum adhæſionem, *a quo enim quis ſuperatur, ejus & ſervus eſt*, & propoſitum dæmonum nocendi hominibus: Primum origo eſt ſubjectionis omnium ſub uno. Alterum diviſionis eorum in varios ordines ut facilius, & commodius homines tentarent: 3. extenſionem illius regni, quod ſcilicet dæmones acquiſierunt in homines, per uſurpationem, unde dicitur dæmon Princeps hujus mundi: illud autem regnum exercent per tyrannidem, qua fit, ut inter homines omnia uſurpent. Sed illius tyrannidis, & uſurpatæ dominationis exercitium nullibi magis patet, quam in Energumenis, & in corporum poſſeſſionibus, quarum inſigne habemus exemplum in noſtro Evangelio, ubi mentio fit hominis poſſeſſi a dæmone, quem & cæcum, & mutum, & ſurdum fecerat: de qua re nobis hodie agendum eſt, ſed per partes, ut omnia enucleatius explicetur.

Dico itaque 1. vere dari Energumenos & poſſeſſos a dæmone, qui in eorum corpora ingreditur, quæ movet, & quibus ad libitum utitur. Eſt de fide: & probatur ex variis locis Scripturæ. Marci 1. fit mentio cujuſdam hominis *in ſpiritu immundo* quem Chriſtus offendit in Sinagoga, qui cum Chriſto diceret, *Quid nobis & tibi JESU Nazarene: veniſti perdere nos? ſcio, qui ſis, Sanctus Dei.* Eum juſſit tacere, & exire: *Et comminatus eſt ei JESUS, dicens, obmuteſce, & exi de homine:* Vide autem exitum, & *diſcerpens eum ſpiritus immundus & exclamans voce magna, exiit ab eo:* igitur oportuit, ut eſſet in eo. Ibidem dicitur, quod cum ad eum adducti eſſent ſub veſperam, multi male habentes & dæmonia habentes: *Curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat, & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum eſſe Chriſtum.* Ubi vides fieri mentionem dæmoniorum: illa autem fuiſſe ſubſtantias, & perſonas, cum quibus loqueretur, & quæ eſſent intelligentes, quæ prius habitabant in corporibus non ſuis, a quibus eas ejiciebat: quæ ſubſtantiæ aliæ fingi non poſſunt præter dæmones, & creaturas ſpirituales, & intellectuales: nam ſi corporeæ fuiſſent, non potuiſſent contineri corporibus: ſi non eſſent intellectuales, non poſſent ratiocinari, nec reſpondere, nec rogare, uti factum videmus in Evangelio Matthæi 8. cum petierunt, ut eos mitteret in porcos, quod & permiſit. Ita etiam increpavit dæmonem, cum ſanavit lunaticum Matthæi 17. itaque vocantur ſpiritus, uti Matth. 8. *Et ejiciebat ſpiritus verbo:* & ipſe Chriſtus, *Spiritus mute & ſurde, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas ad eum:* Marci 9. Ex quibus omnibus patet, & ex variis locis, multos fuiſſe Chriſti tempore poſſeſſos a dæmone, quos ipſe ſanavit, & per ſe, & per Apoſtolos, quibus hanc dedit poteſtatem, uti dicitur Marci 3. *Dedit eis poteſtatem curandi infirmitates & ejiciendi dæmonia.*

Quis dubitet etiam apud Ethnicos vates illas fatidicas a dæmone fuiſſe poſſeſſas, cum dicerentur pati divina, cum in eis dæmon loqueretur? Tales erant illæ Phœbi Sacerdotes, quæ loquebantur ex Tripode: Tales illæ ventriloquæ, quæ omnia patiebantur, quæ ſolemus videre in Energumenis: ſubito non vultus, non color unus. Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum, & rabie fera corda tument, &c. & alia innumera, quæ leguntur in Poetis profanis. Idem legere eſt in Patribus, ubi fiunt mentiones innumeræ poſſeſſorum a dæmone. Apud Tertull. Juſtinum, Cyprianum, Auguſtinum, Hieronymum, & alios paſſim: ut hoc negari non poſſit ſine hæreſi, ſine errore, & magna imprudentia, cum ex omnium ſæculorum hiſtoriis varia ejuſmodi nobis ſupperant exempla. Fateor quidem aliquas extitiſſe impoſturas, ſed illæ non poſſunt Catholicæ veritati fidem derogare: conſtat igitur vere dari Energumenos, quorum corpora poſſidentur a dæmone incola.

Dico 2. Ejuſmodi poſſeſſionis dari poſſe multiplicem originem: 1. & præcipua eſt ingens odium dæmonis & invidia in hominem: cum enim, ut ait Gregorius, eo ſit elatus homo, unde ipſe decidit, etiam homo peccarit ut ipſe, cum videat ſibi nullum datum eſſe locum pœnitentiæ, datum eſſe homini, cui etiam peccaſſe, fuit occaſio majoris boni; incredibili invidia, & odio in hominem fertur: ac licet odium ſuum poſſit explere in damnatis, cum tamen multos ex damnatione eripi videat, in hac vita, tantum in homines ſævit, quantum poteſt. Itaque iiſdem fere modis, quibus in homines damnatos ſæviet aliquando in Inferis, nunc ſævit in vivis, affligendo & animas, & corpora, quæ mirabiliter cruciat, uſurpata in hominem, quantum poteſt, ſumma poteſtate: unde maxima ex parte libertatem & uſum ſenſuum, facultatum, quibus ipſe utitur ad miſeri hominis tor-

mentum. Accedit etiam ſummum ipſius odium in Deum, cui, cum nocere non poſſit, omnem ſuam rabiem in ipſius imaginem transfert; non aliter quam Panthera, ait Baſilius, quæ cum in hominem naturale habeat odium, cum in ipſum ſævire non poteſt, in ejus effigiem vel papyro expreſſam, omnem rabiem effundit: quo artificio venatores, cum ejus catulos rapuerunt, eam in via retardant, objecta hominis imagine, dum ſæviente in hominis figuram matre, ipſi aufugiunt.

2. Originem habet ex dominio, quod in hominem acquiſivit ratione peccati: cum enim homo ſatione juſtitiæ originalis, ſui eſſet juris, nullique præter Deum ſubjectus eſſet, ſane dæmon nullam habebat dominationem in mundum: non in res externas, & corporeas, quia omnes propter hominem erant creatæ; non in cælum, unde ejectus erat; non in ipſum hominem, quia homo, Filius erat ipſius Dei, & mundi Dominus. Itaque nihil poterat neque in ejus bona, neque in ejus corpus, & ſic ei nullo modo nocere poterat, multo minus ejus actiones impedire, aut invertere. Nihil etiam poterat in ejus animum, & ita cum non poterat aggredi, niſi exterius, & tentare per externam apparitionem, & locutionem in aſſumpto corpore. Proinde neque poterat aut ſenſus ejus pervertere illudendo, aut imaginationem perturbare, vel commovendo ſpecies, vel attollendo vapores ex humoribus, nec appetitum excitare, turbando temperationem naturæ, & ejus ſpiritus incendendo. Uno verbo, nullam habuit poteſtatem in hominem, aut agendi dominium: & ideo fraude, & aſtutia eum aggreſſus eſt, idque externe. Immo neque paſſus eſt Deus, ut id faceret niſi per deterrimum animal, hoc eſt, ſerpentem, quo uſus eſt, ut ad hominem accederet. Sed ubi homo peccavit, cum, ut ait S. Petrus, *a quo quis ſuperatus eſt, ejus ſervus fit*, hominem a ſuo dominio diſturbavit: Et primo res ejus invaſit, & factus eſt rerum externarum potens, & hujus mundi viſibilis Princeps: Et hinc cœpit omnia invertere, potens aeris, & omnium elementorum, quin etiam uti rebus omnibus contra eum: niſi quod Deus non ei omnia ad uſum dominii permiſit, ſed uti dicitur apud Jobum, *Qui fecit eum, applicat gladium ejus.* Neque illa re contentus, non tantum res hominis, ſed ipſum etiam hominem invaſit, & ſic tentationes inſtruxit, ut non ſolum animum externe, & variis inductionibus ſit aggreſſus, ſed etiam magna auctoritate, partem inferiorem, in quam potuit ingredi, modis omnibus commoverit, lædendo phantaſiam, ſpecies componendo, appetitum commovendo, ſpiritus incitando, ſenſibus externis illudendo, ut multos homines ad incredibilia facinora, & ſcelera deteſtanda impulerit. Neque hac tyrannide contentus, cum ei permiſſum fuit, in multorum corpora ſic invaſit, ut præſente etiam anima, & corpus informante, plurimas facultates a ſuis functionibus, & operationibus impediverit, ſuſtinendo earum loco viam ſuam, & activitatem, immo & prodigioſo exemplo uſus ſit eorum, quos poſſedit membris, quaſi ſua eſſent; ita ut incederet eorum pedibus, operaretur eorum manibus, lingua eorum loqueretur, etiam ſupra poteſtatem ordinaria earum facultatum, quas & agitat, idque tanto imperio ac ſi ad eum pertinerent, dum interim verus dominus ſuarum facultatum uſu privatur: Qua ratione dæmon ſeſe totius hominis dominatorem ſic oſtendit, ut non ſolum amittat homo liberam inferiorum potentiarum diſpoſitionem & uſum, ſed plerumque ipſam libertatem in ſeipſa, & in ſuo principio ſic implicatam & irretitam ſentiat, ut ipſe captivus, qui hæc patitur, vix diſcernere poſſit, an aliquid libere fecerit, aut voluerit; an vero coacte, & ab alieno principio: in quo eſt prodigioſus poſſeſſionis effectus.

3. Originem habet ex perpetua dæmonis inquietudine: Nam ut ait Tertull. lib. de Pœnit. cap. 7. Pervicaciſſimus hoſtis ille, numquam malitiæ ſuæ otium facit. Cum enim miræ ſit activitatis, ſemper aliquid moliri conatur, non in cælis, unde excluſus eſt, non in inferis, ubi perpetuo torquetur, unde Chriſtum deprecabantur dæmones, ne ipſos in abyſſum mitteret Lucæ 8. *Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyſſum irent*, & maluerunt ingredi in gregem porcorum, ut ita ſaltem hominibus nocerent; neque in deſertis & ſolitariis locis, ubi non habent, quo ſibi ſatisfaciant, cum nihil agere poſſint: ſed inter homines, inter quos agere poſſunt, aut tentando, aut nocendo. Et ita dicitur in Evangelio, quod habemus præ manibus, dæmonem expulſum ab homine, & dimiſſum in loca arida & inaquoſa, cum non inveniret requiem, dixiſſe, *vadam & revertar in domum meam*: hæc requies dæmonis ſignificat ſatisfactionem, quam habet nocendo, cum autem nulla ſit expreſſior ratio, quam poſſeſſio hominis, quem invadit, propterea id maxime appetit, & cum id ei permittitur, facit: quod patet ex difficultate, quam oſtendit egrediendi, quando expellitur; itaque expulſionem vocat tormentum Matth. 8. *Veniſti enim ante tempus torquere nos*; & Lucæ 8. *Obſecro te, ne me torqueas*: præcipiebat enim ſpiritui immundo, ut exiret ab homine. Cum itaque nullibi dæmon habitet libentius, quam in homine, propterea, cum ei licet, in illa ingreditur corpora, quæ illi permittuntur; ſeu quia immediatius nocere poteſt, cum res omnes aliæ extra homines ſint, ſeu quia nullibi pretioſius habitat, ſeu quia agere multa poteſt convenientius ſuæ naturæ, loquendo, reſpondendo, docendo, converſando: quæ actiones pertinent ad rationem: ſeu quia, cum Deus ſoli homini in terris poſſit ſe communicare, dæmon, ut illam Dei communicationem, aut impediat, aut præveniat, aut imitetur, quantum poteſt, ſeſe in hominem totum inſinuat, euſque ut ex homine, & dæmone, una quaſi natura, aut perſona coaleſcere videatur: quod Angeli beati non faciunt; tum ne perturbent ordinem naturæ, qui poſcit ut creatura aliqua integra & perfecta, alteri naturæ perfectæ non conjungatur; tum ne videantur ſibi aſſumere, quod ſoli Deo proprium eſt, & quod ſibi Deus reſervavit.

Dico 3. Quemadmodum hujus poſſeſſionis multiplex eſt origo, ita etiam variæ cauſæ diſtingui poſſunt. Aliæ ſunt morales, aliæ phyſicæ: Moralis eſt 1. quodlibet peccatum vel grave, vel leve. Primi habemus exemplum in illo inceſtuoſo, de quo Apoſt.

Digitized by Google

Apoſt. 1. Cor. 5. qui Satanæ traditus eſt propter inceſtum: de quadam muliere Romana ait Tertull. lib. de ſpectaculis c. 26. Theatrum adiit, inde cum Dæmonio rediit: Itaque interrogatum Dæmonem, cur auſus eſſet initiatam occupare, reſpondiſſe: Juſtiſſime feci in meo eam inveni. De 2. fuſe diſputat Caſſianus collat. 7. c. 25. & ſeqq. Corporaliter traditos Satanæ & viros ſanctos novimus pro leviſſimis delictis: ne ſcilicet Deus in judicio inveniret aliquid, quod puniret, itaque omnem cordis eorum ſcoriam excoquere voluit in præſenti: 2. defectus Baptiſmi uti legimus in variis hiſtoriis, unde inter cæteras Baptiſmi cæremonias uſurpantur exorciſmi: 3. Ipſa naturæ noſtræ conditio, quæ cum fuerit Dæmoni ſubjecta, non continuo in integrum liberatur. Hinc querela Auguſtini lib. 21. de Civit. c. 14. quod pueri etiam baptizati aliquando invaderentur a Dæmone: quod factum S. Hieron. in Epitaphio Bleſillæ ad Paulam refert ad inſcrutabilia Dei judicia. Itaque S. Auguſt. l. 19. de Civ. c. 4. in univerſum pronunciat. Quid diam de his, qui Dæmonum patiuntur incurſus? quis confidit hoc malum evenire non poſſe ſapienti in hac vita?

Quod pertinet ad cauſam Phyſicam maxime ordinaria eſt Deus, qui Dæmone utitur tamquam juſtitiæ ſuæ miniſtro: Ita viri ſancti ejus etiam miniſterio uſi ſunt: Ita D. Paulus 1. Corinth. 5. Inceſtuoſum *tradidit Satanæ in interitum carnis*, id eſt, afflictionem: & 1. ad Timoth. 1. Alexandrum & Hymenæum dicit ſe tradidiſſe Satanæ, & ſimilia ſunt exempla quamplurima in Hiſtoriis ſacris.

Aliquando etiam a Magis & Sagis immittuntur Dæmones in corpora, ejus rei exemplum legimus in vita S. Hilarion. ubi narratur Dæmonem immiſſum in corpus puellæ ab aliquo adoleſcente, qui ea frui volebat. Nam ſicut Magi & bonis hominum nocere poſſunt, ita etiam aliquando illis permittitur, ut noceant corporibus, & quidem immiſſo Dæmonio. Sed ut plurimum ipſi Dæmones, ut ſunt intenti ad hominum perniciem, ipſi ſua ſponte ingrediuntur in eorum corpora, permittente Deo. Ita in noſtro Evangel. dicitur Dæmonem expulſum, cum in locis deſertis requiem non invenit, dicere: *Revertar in domum meam, unde exivi: Et tunc vadit, & aſſumit ſecum alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.*

Sed major habenda ratio eſt cauſæ moralis, quod Chriſtus ſubindicavit, cum dicit, ejuſmodi Dæmonem reducem inveniſſe domum ſuam vacuam, & ſcopis mundatam, hoc eſt aptam, ut in ea habitaretur: hæc autem diſpoſitio non alia eſt, quam peccatum, & vacuitas ab omni virtute, otioſitas, & negligentia hominis liberati a Dæmone.

Dico 4. Ejuſmodi poſſeſſionem hominis a Dæmone conſiſtere in reſidentia & invaſione corporis humani, quæ fit a Dæmone, & per modum principii, & per modum dominantis; unde ſequitur quoddam jus alterandi corpus, & agendi in illo & per illud; & efficiendi aliquid, prout Dæmon majorem, aut minorem poteſtatem accipit a Deo. Hinc videmus varias exiſtere poſſeſſiones: quæ etiam diverſitas oritur ex multitudine, vel paucitate habitatorum, vel ex eorum qualitate. Nam ut dicit S. P. Abbas Serenus apud Caſſianum non ejuſdem malitiæ ſunt Dæmones; ſed alii aliis ſunt ſæviores, & alii aliorum reſpectu videntur eſſe mitiores. Porro illa poſſeſſio & valde mirabilis eſt, & valde horrenda, & pernicioſa, & homini valde contraria.

Dixi 1. Valde mirabilem, quod nimirum duo ſpiritus habitent in eodem corpore; ſcilicet ſpiritus proprius, qui eſt hominis, qui habet proportionem cum corpore, cujus eſt vita, unde omnia fiunt in illo ſuppoſito ſecundum naturam, itaque ſine violentia, nam ut ajebat Ennodius, animus eſt corporis Imperator; & ſic motus omnes ſunt naturales, & ex præſentia animæ corpus vivit, vegetatur, conſervatur, e contrario vero ex ejus abſentia corpus & interit, & perit, ſunt enim partes primæ & eſſentiales ejuſdem totius: Et inſuper alter ſpiritus, qui cum ſit alienus, nullam habet cum corpore convenientiam, unde illo corpus nec vivere poteſt, nec agere convenienter, immo potius patitur, quam agat, quia nullum corporis membrum inſtrumentum eſt ſpiritus extranei: & propterea corpus non agit cum illo, ſed ab illo patitur, & ita vel alteratur, vel movetur modo extraordinario, vel impeditur ab actione conveniente, vel male habetur: Verum quia ille ſpiritus ingreditur ut prædominans, hinc fit, ut ſuperet influxum proprii ſpiritus, unde totus homo patitur; animus quidem, cum impeditur ab ordinario influxu, corpus autem, cum ejus miniſterium impeditur. Illa itaque præſentia ſpiritus extranei cum poteſtate agendi & immutandi, & jure illo utendi corpore hominis eſt vera poſſeſſio: impreſſio autem, & motus, vel actualis alteratio, vel impedimentum illarum alicui potentiæ eſt uſus, & actus quidam hujus poſſeſſionis, quam diximus eſſe mirabilem, quia eſt contra ordinem naturæ: Neque tamen hinc ſequitur ulla unio, quia entium completorum, & entium diſproportionatorum nulla eſſe poteſt unio, ſed eſt violenta invaſio, & poſſeſſio non legitima vel naturalis, ſed illegitima, violenta, & tyrannica: ſicut illegitimi Domini in alienam hæreditatem invaſio, non eſt poſſeſſio vera, ſed uſurpatio.

Dixi 2. Hanc poſſeſſionem eſſe valde horrendam & pernicioſam, quia eſt ab infeſto ſpiritu, & vaſtatore, qui non ingreditur, ut conſervet, ac tueatur, ſed potius ut noceat, deſtruat, atque perimat. Hinc fit, ut non ſequantur motus naturales, ſed potius extraordinarii & violenti: unde illæ membrorum contorſiones, vultus deformationes, ſpecies horrendæ, omnia monſtruoſa, & alia ſexcenta, quæ qualitatem ſpiritus ſatis oſtendant, ſunt enim veſtigia crudelitatis, deformitatis, & deordinationum ipſius: Sed licet horrendi ſint, nihil tamen horribilius ipſo ſpiritu fingi poteſt.

Dixi 3. Eſſe homini valde contrariam: non ſolum, quia moleſtus ille incola pervertit omnem naturæ ordinem, ſed præſertim, quia directe opponitur primæ illi dominationi, quam homo acceperat in ſtatu innocentiæ, ut perfectiſſime ſuis membris imperaret ut dominus ſuprema poteſtate, & civili in partem animæ inferiorem; ita ut nulla re interna, vel externa impediri poſſet. Quam dominationem omnino pervertit dæmon per poſſeſſionem, utendo, invito homine, membris illius, quæ vel impedit, vel quæ movet non ad libitum animæ,

ſed

Digitized by Google

ſe ad voluntatem extranei poſſeſſoris; & invadendo cum ſumma poteſtate inferiorem partem animæ; invadendo imaginationem; commovendo, & componendo ſpecies; & ſuſcitando in appetitu omnes paſſiones, immiſſis ſpiritibus; concitando humores, & homini ſic imperando, & illo utendo, ut omnem ſuam libertatem amiſiſſe videatur.

Ex his omnibus duo conſtant. 1. Omnem poſſeſſionem conſiſtere in habitatione Dæmonis in corpore, cum jure utendi aut membris aut facultatibus hominis, aut aliquid in homine efficiendi, quidquid tamen illud ſit, ſeu alteratio, ſeu morbus, ſeu potentiarum ligatio, ſeu aliquid quodlibet, quod ab anima naturaliter non oriatur, ſed ab extrinſecus adveniente ſpiritu, qui contra naturam aliquid operetur, aut efficiat, aut impediat.

Conſtat 2. Hinc originem habere diverſas, quas videmus, poſſeſſiones. Nam 1. Quædam ſunt perpetuæ, & continuæ, aliæ vero ſunt interpolatæ. Nempe dæmon non egreditur e corpore, & efficit continuum aliquid, ut in muliere incurva, de qua Lucas cap. 13. *Quæ habuerat annis 18. ſpiritum infirmitatis, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.* Aliquando variis vicibus hominem invadit, ut accidebat Sauli, de quo 1. Reg. cap. 16. *Spiritus autem Domini receſſit a Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam a Domino.* Quod autem hoc fieret externe, hic patet, quod ſubjicitur: *Dixeruntque ſervi Saul ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te:* & capit. 18. *Et poſt diem alteram invaſit ſpiritus Dei malus Saul.* Quod non faciebat continuo, ſed diverſis vicibus, nam & poterat & bella gerere, & regnum adminiſtrare: Simile habemus exemplum in Lunatico, de quo Matth. 17. dicitur, quod ſingulis Lunis vexaretur a dæmone: unde cum illum dæmonem Chriſtus expulit Marci 9. ſic ait: *Exi ab eo, nec amplius introeas in eum:* Nam identidem exibat, ſed redibat: 2. Quædam poſſeſſiones ſunt mitiores, aliæ ſunt furioſæ, & cum magna poſſeſſi vexatione: Mitiorem puto poſſeſſionem Magdalenæ, de qua dicitur Marc. 16. ſeptem dæmonia ejecta fuiſſe: Nam ſi fuit illa mulier in civitate peccatrix, probabile eſt non fuiſſe illam furioſam poſſeſſionem. Sic mulier incurva hunc tantum habuit ſuæ poſſeſſionis effectum. Sed aliæ multæ poſſeſſiones ſunt truculentæ, & furioſæ, talis illa fuit ejus puellæ, de qua mater Chananæa querebatur Matth. 15. *Filia mea male a Dæmonio vexatur.* Talis ille Lunaticus, de quo Marci 9. *Ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit:* & infra: *Frequenter eum in ignem, & in aquas miſit, ut eum perderet:* Tales duo illi dæmoniaci, qui habitabant in monumentis, Matth. 8. *Sævi nimis, ita ut nemo tranſire poſſet per viam illam:* Et alii ſimiles, de quibus & Evangeliſtæ, & alii Hiſtorici paſſim profani & ſacri. 3. In nonnullis totus effectus poſſeſſionis fuit vel infirmitas, ut in illa muliere incurva, quæ dicitur habuiſſe ſpiritum infirmitatis, vel privatio alicujus aut plurium ſenſuum, aut uſus membrorum. Ita dicitur quoddam dæmonium mutum & ſurdum, quale illud eſt, de quo Evangelium noſtrum: illud etiam cæcum fuit ex alio Evangeliſta: Sic Chriſtus, cum illum Lunaticum ſanavit, dixit: *Surde, & mute ſpiritus.* Illæ autem appellationes petuntur ab effectu, quem dæmon efficit in homine poſſeſſo, unde cum ejectus eſt dæmon, homo ſanatur, uti dicitur Matth. 9. *Et ejecto Dæmonio locutus eſt mutus.* Ex quo apparet multos decipi in morbis dignoſcendis, quorum ſæpe dæmones cauſæ ſunt, & ideo nullis Pharmacis ſanantur, quales ſunt morbi immiſſi a Magis & Sagis, quorum cauſæ immediatæ ſunt dæmones. Ita cum videmus portentoſa crimina committi, quis dubitet ab illis committi, quos dæmones poſſident? Sic dæmon ſæpe utitur aliquorum lingua ad proferendas horrendas blaſphemias, ad nefandas libidines, ad incendendos juvenes, aut puellas, ad perſuadendas hæreſes. Ita paſſim Hæreſiarchæ, & novorum dogmatum magiſtri a dæmonibus poſſidentur: Quare Apoſtolus monet ejuſmodi homines devitandos propter dæmonis contagionem. Cum enim in illis hominibus nequeat ſcientia, aut eloquentia, neque proponant rationabilia; quæ alia fingi poſſit cauſa quam diabolica, per quam homines dementant? Illuſtre habemus exemplum in Simone Mago, de quo dicitur Actorum 8. quod totam Samariam ſeduxiſſet, omnibus perſuadendo: *Se eſſe aliquem magnum: cui auſcultabant omnes a minimo uſque ad maximum dicentes: Hic eſt Virtus Dei, quæ vocatur magna: Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis ſuis dementaſſet eos.* Et hinc videmus, quomodo fiat, ut multa dogmata perabſurda a tam multis recipiantur: ſic Apoſtolus deſcribit progreſſus Antichriſti 2. ad Theſſal. 2. *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis pereunt, &c. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio:* Operationem dixit erroris ἐνέργειαν viam operandi dæmonis inducentem ad errorem, qua ſcilicet errores perſuadeantur.

Dico 5. Ex dictis facile colligi poſſe, quantum malum ſit ejuſmodi poſſeſſio hominum a dæmone, & corporum invaſio: ſed ut enucleatius innoteſcat, ex ſequentibus intelligi magis poteſt.

1. Quidem, ex tam intima conjunctione cum dæmone. Nam quantum horroris ingenerat piis mentibus iſta conjunctio? Sicut enim dixit Nazianz. loquens de Baſilio, jam non eſſe nomen hominis, ſed virtutis; ita nomen dæmonis ſignificat omnem horrorem, maledictionem, iniquitatem, abominationem. Jam quanta eſt illa cum dæmone conjunctio, ut fiat in homine principium maximæ partis operationum ipſius? Sicut itaque ex conjunctione humanæ naturæ cum Deo, in ſummam attollitur dignitatem; ita ex conjunctione cum dæmone in ſummam demergitur vilitatem. Porro ex illa conjunctione oritur quædam communicatio ſtatus dæmonis, cujus immortalitas & vita eſt quædam mors perpetua, qui tantum in eſſe perſeveret, ut patiatur: Ita miſer Energumenus, omni fere ſua agendi vi privatur, quia illa dæmon abutitur, & hoc tantum habet, ut pati poſſit, medium habens ſtatum vitæ & mortis; nam defectus poteſtatis agendi fere reponit eum in numero mortuorum: Quod autem

vivat,

Digitized by Google

vivat, hinc patet, quia patitur, & utrumque ei accidit ab incola dæmone.

2. Patet, quantum ſit malum poſſeſſio dæmoniaca ex propoſito dæmonis in poſſeſſione, quod longe diverſum eſt ab eo, quod intendit in aliis circa hominem operationibus, ut cum illis quos tentat, aut quibus utitur, quales ſunt Magi, & Sagæ. Nam cum primis agit aut fraudibus, aut blanditiis, aut promiſſionibus: cum aliis illuſionibus, ſignis, prodigiis, illuſtrationibus, rebus mirabilibus, aut terrore, & minis, & ſimilibus modis: ſed cum iis, quos poſſidet, aperta vi ſe gerit, ut inimicum. Itaque hominem vexat, & torquet, quantum poteſt, eodemque modo quo ſolet damnatum in inferis, quem jam non tractat vel fraudibus, vel illuſionibus, vel promiſſis, vel prodigiis, ſed aperta vi, & ſuppliciis. Sic & eodem modo tractat Energumenum, quo damnatum, ſæviendo in utrumque: & ambos, quantum poteſt, facit ſuæ miſeriæ participes, ſecundum limites illi a Deo præſcriptos. Ut enim in quemlibet damnatum non eadem exercet ſupplicia, ſed majora vel minora, ſecundum uniuſcujuſque demeritum, & Judicis ſententiam & condemnationem; ita in Energumenos inæqualiter deſævit ſecundum cauſas diverſas poſſeſſionum, & licentiam a Deo ipſi datam, quæ cauſa eſt diverſitatis poſſeſſionum, quas videmus: ſed nullum eſt tam magnum nocumentum, quod dæmonis rabiem ſuperet; nullum adeo exiguum, cujus inferendi facultatem non libenter arripiat.

3. Patet ex iis, quæ in homine Energumeno operatur: Nam cum a ſuo fine, qui eſt uniuſcujuſque rei centrum, exciderit, non habeat, ubi quieſcat: itaque cum quietem habere non poſſit in bono, a quo ita excidit, ut neque illius ſpem, neque deſiderium habere poſſit, nedum poſſeſſionem, eam quærit in malo, non quod patiatur, quia omne malum patienti eſt contrarium, & ideo non poteſt eſſe quietis vel locus, vel objectum; ſed in eo quod efficit, ſecundum illud Evangelii: *Quærens requiem, & non inveniens, dicit, Revertar in domum meam, unde exivi:* In eo autem eſt ejus requies, quoniam conforme eſt ſtatui ipſius, qui eſt obſtinatio in malo. (Tertullianus in Apolog. cap. 22. Operatio eorum eſt hominis verſio: ſic malitia ſpiritalis a primordio auſpicata eſt in hominis exitium, itaque corporibus quidem; & valetudines infligunt, & aliquos caſus acerbos; animæ vero repentinos & extraordinarios per vim exceſſus, &c.) Idcirco efficit, ſi poteſt, malum culpæ in anima, ſed quod ſemper poteſt, malum pœnæ, ſi permittatur a Deo: cum autem quærat maximum inferre, ſi non prohibetur, utitur poſſeſſione, & hominis invaſione, quia illa vexatio eſt omnium maxima: 1. Quia maxime univerſalis, quoniam cæteras comprehendit: 2. Quia maxime extenſa, nam extenditur in animam, & corpus: 3. Maxime diuturna, nam niſi provideatur, durat ad mortem uſque, & creſcit duratione: 4. Quia maxime occulta, ejus enim cauſa latet, & eſt inviſibilis, & non agnoſcitur, niſi per effectus, unde fere præcaveri non poteſt: 5. Eſt periculoſiſſima, quia tendit ad extremam ruinam corporis & animæ, eo enim pertinet iſta poſſeſſio, & in id finitur, niſi provideatur, & remedium afferatur: cum in hoc tendat dæmon, ut corpus ab anima ſeparet, & animam a Deo. Propterea corpus peſſime habet, ut habemus in Lunatico: Nec mitius animam tractat, quam ex proximo quatit, & in ipſo homine reſidens: & id non extrinſecus, ſed interne: 1. Ejus ſenſus affligendo, qua ratione vires animæ diminuit, quæ in hac vita operatur per ſenſus; 2. Occupando organa, & facultates corporeas, ac præcipue imaginationem, ad cujus immutationem patitur intellectus, propter ſpecierum intellectualium, & ſenſibilium connexionem: ſed omnium maxime, appetitum inferiorem utrumque, iraſcibilem & concupiſcibilem excitando, & commovendo paſſiones, quæ per ſympathiam totam animam commovent, ita ut videatur etiam trahi voluntas vel invita & inhabilis reddatur ad alia omnia. Sic videmus quoſdam furere in amore & totos ardere; quod ſi, ut ille ajebat, urit videndo femina: & alibi, ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error; quanto magis ubi hoſtis non exterius movet, ſed interius, movendo ſpecies, & ſpiritus inflammando? Qua ratione difficulter anima reſiſtere poteſt dæmoni in ipſam pugnanti, quia veterator ille ipſius animæ armis contra ipſam utitur, unde ipſa nihil habet, quo ſe tueatur. Nam cum ad ſui defenſionem utatur actibus internis, quorum concordia eſt cum potentiis, quas dæmon occupat, vix poteſt miſera ſuis bonis uti, ut ſe defendat. Itaque ut ſummam dictorum faciam, ſimul & ſemel obſeſſus patitur & grave tormentum in corpore, & vehementem inſultum in anima: Non diſſimili tractatione, qua damnati in inferis torquebuntur: Ut ſcias eumdem eſſe tortorem & damnati, & obſeſſi ſeu poſſeſſi.

Sed dum hominem torquet, in eo tormento ipſe requiem ſuam invenit: 1. Quia cum ſummum locum amiſerit in cælis, nobiliſſimum occupat in terris, ipſe ſuperborum Rex: 2. Quia cum in Deum ſe torquentem totis viribus feratur, nec tamen nocere poſſit, in ejus imaginem, omnem ſuam rabiem intorquet: & cum videat ſe excluſum ab iis bonis, propter quæ fuerat creatus, in Deo bona, ut poteſt, involat, quorum omnium optimum eſt homo: 3. Quia ſuo in hominem odio ſatisfacit, nocendo quantum poteſt, interne, & externe, occupando exteriora organa, & internas facultates, privando eum ſuis propriis actionibus, ſuaſque ſubſtituendo, & proprias impediendo, denique in ſuæ miſeriæ conſortium trahendo, ut jam homo nihil boni agere poſſit, & omne genus mali pati cogatur: 4. Quia cum non poſſit agere convenienter ſuæ naturæ, ſaltem agit convenienter ſuo ſtatui, qui omnem miſeriam complectitur, quam in alium, quantum aſſequi poteſt, refundit, ſimilem ſibi reddendo eum, quem poſſidet.

Dico 6. Licet tantum malum ſit ejuſmodi hominis a dæmone poſſeſſio; quia tamen non niſi Divina voluntate fit, non ſine magno hominum emolumento permittitur. In hoc enim eſt Divina bonitas, ut nihil fieri permittat inter homines, unde non magnum bonum trahat. Ex multis hæc pauca ſubjicio.

Pri-

Primum eſt, ipſius Energumeni bonum, quem hac gravi caſtigatione ſalvare intendit: uti dixit Apoſtolus de inceſtuoſo. 1. Corinth. cap. 5. *Jam judicavi, ut præſens, eum qui ſic operatus eſt, &c. tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*; Nam grande beneficium eſt, redimere æternam poſſeſſionem, exigui temporis poſſeſſione: Quis enim cum expertus fuerit dæmonis tyrannidem, non procuret ab ea ſe liberari? Alia enim pœna eſt, quæ purgat, alia vero, quæ perdit: Aliter quippe Deus facit, cum caſtigat, ut Pater; aliter, cum punit in furore, ut judex.

Secundum emolumentum eſt, quod ad ſenſum, in quo ſolet eſſe ſedes infidelitatis, docentur homines multa: 1. Eſſe aliquos ſpiritus, neque tantum eſſe corporales; contra Atheos, quibus nec ipſa natura nec fides id perſuaſerunt, ut ſaltem id diſcant a dæmonibus, quorum effectus ſenſibiliter vident. 2. Deum eſſe ipſis fatentibus dæmonibus, & trementibus, & exhorreſcentibus. 3. Fidei noſtræ veritatem, Euchariſtiæ, omnium Sacramentorum, auctoritatis Eccleſiæ, cui parent etiam inviti. Itaque S. Cyprianus ad Demetrianum: O ſi audire eos velles, & videre, quando a nobis adjurantur, torquentur ſpiritualibus flagris, verborum tormentis de obſeſſis corporibus ejiciuntur; ejulantes, & gementes, voce humana, & poteſtate divina, flagella, & verbera ſentientes, venturum judicium confitentur: Veni, & cognoſce vera, quæ dicimus: vel ipſis, quos colis, crede: vel tibi, ſi volueris: videbis nos ab eis rogari, quos rogas; timeri, quos times: ſub manu noſtra ſtare vinctos, & tremere captivos, quos ſuſcipis, & veneraris ut divinos. 4. Miſeriam, & tormenta dæmonum, quæ patiuntur, ipſis fatentibus: unde peccato excideriot, & quo prolapſi ſint, ut idem aliquando exſpectes, niſi te pœniteat, quod ipſis non eſt conceſſum. 5. Eorum malitiam, & odium in homines, quos tam male tractant, & quid in te eſſent molituri, ſi Deus permitteret; & ſic, quid te ab eis ſperare oporteat. 6. Imaginem pœnarum Inferni, quas vel ipſis oculis cernere potes, ita ut poſſeſſionem vocare poſſis Infernum ſenſibilem. Ibi enim vides, quomodo hominem tractet dæmon, quid in eo operetur, quanta auctoritate & dominio, & quanta crudelitate, & quanta ſævitia: ut ſaltem aliquando timere diſcas.

Ex toto hoc diſcurſu, cum innumeræ trahi poſſent concluſiones, paucas ſubjicio: 1. eſt cum varias dixerimus eſſe poſſeſſiones, alias mitiores in ſpeciem, quia minor eſt corporis vexatio, alias truculentiores, ubi apparet major ſævitia, etiamſi hæc ultima minus ſit frequens, timendum valde eſſe, ne alia ſit frequentior, quam putetur. Nam quid videmus homines aliquos paſſim magna & nefanda ſcelera committere, niſi quia in eorum corpora, & mentes dæmon invaſit, etiam in ſacrilego Sacramentorum uſu? Audi, quid dicatur de Juda Lucæ 22. *Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim, & abiit, & locutus eſt cum Principibus Sacerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis*: Itaque cum etiam Chriſtus aliquando vocavit diabolum Joann. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus eſt*: quia nimirum non potuit tantum ſcelus homo machinari, niſi a dæmone poſſideretur. Ego etiam ſic judico, cum video aliquotam obſcœnos habere oculos, linguas tam turpes; aut calamos tam nefarios, non niſi ab aliquo dæmone regi ac gubernari, ut diſcas ejuſmodi dæmonum ergaſtula evitare. Certe illi ignes, quibus incenduntur, infernales ſunt, & a dæmonibus excitati, ut ſimiles fornaces exhorreſcas. Erit aliquando tempus, niſi caves, cum te ipſum dæmon aggredietur, & in te ut in ſuam domum ac domicilium intrabit, ubi ſic cuſtodiet atrium ſuum, ut ex eo numquam egrediatur, niſi fortior ſuperveniat, qui fortem & alliget, & expoliet.

2. Concluſio. Si tam horrenda eſt externa hominis poſſeſſio a dæmone, qui poteſt tantum corpus ingredi, quam deteſtabilior eſt poſſeſſio ejuſdem, quando introducitur in animam per peccatum? Nam cum duo ſint culpa, & pœna; culpa ſemper eſt pejor; & peccati poſſeſſio, pejor quam Dæmonis: ſi quidem propter unumquodque tale, & illud magis. Quid eſt enim in Dæmone, quod eum efficit ita horribilem, niſi peccatum? Et ſane idem efficit in anima. Unde ergo fit, ut unum ſic abhorreant homines, non aliud, præſertim cum per poſſeſſionem Dæmon non ſit abſolutus dominus, ſic autem per peccatum? Ad hæc, quia ſicut Dæmon operatur in corpore, quæ vult, ita etiam peccatum: & ideo monet Apoſtolus Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*. Denique quia poſſeſſio Dæmonis externa ſaltem finitur cum vita: ſed poſſeſſio animæ per peccatum æterna eſt, & pœnis ſubjicit æternis.

3. Concluſio. Ex modo, quo Dæmon tractare ſolet eos, quos poſſidet, diſce diſcrimen, quo Deus tractat eos, quos poſſidet, & vide, quem tu malis eſſe poſſeſſorem tuum. Ea eſt enim cauſa, cur aliquando Deus ſinat injuſtos poſſeſſores hominibus dominari ſecundum illud: 2. Paralip. 12. capite. Ubi ita loquitur de Seſac Rege Ægypti, qui primus Templum Jeroſolymitanum ſpoliavit tempore Roboam: *Verumtamen ſervient ei, ut ſciant diſtantiam ſervitutis meæ, & ſervitutis regni terrarum*: Vide enim, quam aliter Deus, quam aliter Dæmon poſſideat: hic quippe cum non ſit legitimus dominus, ſed tyrannus, omnia occupat vi & violentia: Item omnia pervertit, & ſus deque diſperdit univerſa, ſiquidem deſtructor, & exterminans: Chriſtus autem, cum verus ſit Dominus, ut in rem ſuam ingreditur pacifice, omnia ordinat, regit diſturbata, perdita reſtituit, disjecta reſarcit, ut Salvator: Modum naturalem agendi ſequitur, nulla facta violentia, & ſi aliquid efficit in anima, omnia per ipſam, & cum ipſa, & ſemper in animæ bonum & utilitatem. Quam felix ille, in quo Deus agit ut vita, in quo Deus omnia operatur, ut primum principium; qui ſinit ſe regi a Deo; qui motus ejus & ſequitur, & amat; qui dicere poteſt cum Paulo ad Galat. 2. *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*, Omnia enim bona, quæ in nobis fiunt, a Chriſto fiunt, non ſolo, ſed ut a præcipuo agente, quia & initium facit boni operis, & poteſtatem

aliam

aliam dat faciendi: ſed de illis præſertim dicitur, qui ſe a Deo poſſideri ſinunt; qui nihil volunt, nihil moliuntur, niſi moti ab illo; in quibus ita habitat, ut in illis per modum vitæ operetur; proportione aliqua cum felicitate beatorum, in qua erit omnia in omnibus, quod nobis concedat Dominus JESUS. Amen.

## CONCIO TERTIA.

Chriſtum veniſſe, ut deſtrueret Regnum Dæmonum: idque feciſſe inſtitutione veræ Religionis, ſtabilita morum contrarietate.

*Erat JESUS ejiciens Dæmonium.* Lucæ 11.

TRia in hoc Evangelio contineri diximus: 1. eſſe inter Dæmones formam aliquam regni, atque imperii, quod ſic contra hominum ruinam conſtituerunt, cujus beneficio Dæmon hunc mundum ſibi ſubjecit ex Chriſti teſtimonio; *Quod ſi Satanas in ſemetipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?* Et Joann. 14. *Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*: 2. Ad hoc maxime Chriſtum veniſſe in mundum, ut regnum Satanæ aboleret: 3. Vias, & modos, quibus id Chriſtus perfecit. Quod fuit primum, in prima Concione expoſitum eſt. De duobus reliquis dicendum nobis ſupereſt, Adjuvet illa, de qua dicitur Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Ave Maria.

COntra *malum, bonum eſt, & contra mortem, vita, &c. duo, & duo, & unum contrarium*, Eccli. 33. His verbis ſignificatur peculiaris oppoſitio inter res omnes: Ita ut licet res ſint innumeræ, quod ſignificatur hac voce, duo, & duo; geminatio enim in Scriptura multitudinem ſignificat; nihil tamen uſquam ſit in tanta multitudine, quod contrarium non habeat, peculiari quadam, ac præcipua contrarietate: quæ quidem non tantum eſt inter creaturas, de quibus maxime loquitur Sapiens, dum ait: *Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi*; Sed etiam inter Creatorem ipſum, & inter creaturas: non ſane natura, ſed vitio; non conditione, ſed libertatis abuſu. Numquam enim, ut ait Bernard. pravo rectoque conveniet; Nam *contra malum, bonum eſt, & contra mortem vita*: Ac licet Dæmon Deo, totique Trinitati, & iis omnibus, quæ ad Deum pertinent inimiciſſimus ſit: peculiari tamen oppoſitione contrarius eſt ſecundæ Trinitatis perſonæ: 1. ratione peccati, quod ferme quadruplex in dæmonibus SS. PP. agnoſcunt ſupra cætera.

1. Eſt, quod affectarit ſimilitudinem atque æqualitatem cum Deo; cum videret ſe ratione naturæ, inter creaturas maxime accedere ad ſimilitudinem Dei: unde eidem dicitur in ſenſu myſtico ex interpretatione omnium Patrum Græcorum & Latinorum Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus, operimentum tuum, &c. Et elevatum eſt cor tuum in decore tuo: perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te: ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te.* Nam licet in ſenſu litterali dicta ſint de Rege Tyri, dicuntur tamen per alluſionem ad primum Angelum: Quamvis ea ſimilitudo atque cum Deo æqualitas, Filio fuerit propria, de quo dicit Apoſtolus ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*: Unde S. Bern. Sermon. 1. de Adventu, explicans illa Iſaiæ verba: *Ero ſimilis Altiſſimo*, ait, dæmonem ex invidia contra Filium Dei, æqualitatem cum Deo optaſſe, quæ ſoli Filio ex ſimilitudine convenit.

2. Dæmonis peccatum fuit, quod voluerit beatitudinem ſuis viribus obtinere, quaſi ipſe ſibi ſufficeret; non vero dependenter a gratia. Hoc autem unum ex Angelicis peccatis fuiſſe docuit Gelaſius in Decreto ſuo contra Pelagium: Suæ, ait, inſtitutionis claritate detenti, ulterius ſe nihilo egere, ac ſibi ſe ſufficere poſſe præſumunt, perque ſeipſos obtinere fidentes, quidquid per ſolam gratiam potuiſſent conditoris adipiſci. Idem docet Auguſtin. lib. 22. de Civit. cap. 1. & S. Proſper. in Epiſtol. ad Demetriad. Cum, inquit, non dignaretur dives eſſe niſi ex propriis; tamquam hoc haberet ſimile Deo, ut bonorum ſuorum ipſe ſibi fons, ipſe ſibi copia eſſet, ſuum ſibi quodammodo apperiit eſſe principium; relicto eo, qui vere illi ſufficere poterat, ſe ſibi ſufficere poſſe judicavit, &c. Unde voluit in illa independentia ſe Deo exæquare, ratione cujus Chriſtus factus eſt, fons totius meriti, non ſolum ſeipſo beatus, cum in ſe haberet ipſum beatitudinis principium ac fontem, ſed etiam beatos faciens, cum beatitudinem communicarit per gratiam derivatam: Mitto dicere, quod aliqui etiam Theologi docuerint etiam dependenter a Chriſti futuris meritis datam eſſe Angelis gratiam, qua gloriam meruerunt, quam hoc modo propoſitam Angelo prævaricatori, ipſe repudiaſſet, ratus ſe poſſe ſuis viribus conſequi, quod deeſſet: quod ſi verum eſt hoc peccatum Angeli, præcipuo quodam modo contra Filium Dei admiſſum eſt.

3. Dæmonis peccatum fuit, quod ſupra omnem creaturam quamdam prælationem affectarit: Ita, ut ait S. Gregor. lib. 4. Epiſtol. cap. 82. Deſpectis Angelorum legionibus ſecum ſocialiter conſtitutis, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, ut & nulli ſubeſſe, & ſolus omnibus præeſſe videretur. S. Auguſtin. ſic de eo, 14. de Civit. c. 11. Tyrannico faſtu, gaudere de ſubditis, quam eſſe ſubditus eligens. S. Bernard. Serm. 5. de verbis Iſaiæ dicit eum fuiſſe ſolitariæ præſumptionis amatorem. Hoc voluit Nazianz. in carmine de ſubſtantiis ſpiritualibus, quando diaboli peccatum in eo ponit, quod ſperaſſet Regiam dignitatem Dei; quæ qualitas proprie ad Filium Dei pertinebat: uti late docet S. Paulus in Epiſtola ad Hebr. c. 1. Ubi inter alia Angelos vocat adminiſtratorios Spiritus: in qua conditione prævaricator manere noluit, ſed locum habere voluit Filii Dei, de quo



Digitized by Google

ſic loquitur idem Paulus Epheſ. 1. *Conſtituens eum ad dexteram in cæleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, &c.* Quam eminentiſſimam dignitatem ei diabolus invidit: Siquidem ut ait Bernard. Serm. 2. in Octava Paſchæ lapſus eſt de cælo propter invidiam in Filium Dei, & ſingularitatem, nempe dignitatis quam ambiebat. Ex quibus patet præcipuo quodam modo Angelum peccaſſe contra Filium Dei.

4. Dæmonis peccatum fuit, quod Chriſto, & homini ſubjici noluerit facta ipſi revelatione de futura Incarnatione, ſecundum illud Apoſtoli ad Hebr. 1. *Et cum iterum introduceret primogenitum in orbem terrarum, dixit: & adorent eum omnes Angeli Dei:* in quibus verbis ſignificatur Chriſtum bis fuiſſe introductum, & per nativitatem, & per revelationem initio factam Angelis, ex quo conſequenter Deus poſtulavit ab Angelis Filii ſui adorationem, quam Angelus prævaricator recuſavit: Ita Catharinus in opuſculo de gloria, & lapſu Angelorum.

2. Hoc idem oſtenditur ex odio ſingulari, quo hominem proſequitur, quem vidit ſic amari a Filio Dei, ut ejus naturæ vellet ſociari. Hinc factum, ut Dæmon vocetur inimicus homo, & Satan, id eſt, accuſator, & calumniator; Chriſtus vero ſingulariter dicatur filius hominis, Philanthropos, frater, ſponſus, maritus. Porro præter varias occaſiones, ob quas Dæmon odit hominem, ea eſt, quia imaginem Dei præfert, cumque Deo nocere non poſſit, ejus imagini creatæ nocet, quantum poteſt. Itaque in hoc orbe inferiori hoc tantum fine verſatur, ut hominem perdat, vel ei noceat: Chriſtus vero, ut hominem ſalvaret, venit in hunc mundum. Dæmon ſerpentis corpus induit, ut exterius ſuadere poſſet; cum præſertim in ſtatu innocentiæ hominem non poſſet aggredi niſi externa tentatione, nec aliunde ei corpus aſſumere permitteretur, niſi animalis; ut ſcires a beatitudine prorſus excidiſſe; & ejus animalis, quod homines paſſim exhorrent: E contrario Verbum viſibile factum eſt, ut familiari verbo, & exemplo ſuaderet; *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt:* Baruch 3. *Non faciet avolare a te ultra Doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum, poſt tergum monentis.* Iſaiæ 40. Dæmon hominem calumniatur, atque accuſat, unde nomen habet Diaboli Apoc. 12. *Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri, die ac nocte:* E contrario Chriſtus fungitur officio Advocati, & peccata noſtra excuſat: 1. Joann. 2. *Sed & ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, &c.* Item Rom. 8. *Qui & eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Dæmon nihil non molitur, omnibus ingenii viribus, & notitia, qua pollet, utitur, ut homines miſere perdat: Chriſtus vero infinita ſua ſapientia innumeros modos excogitavit, quibus homines ſalvaret, & ab interitu vindicaret.

3. Item oſtenditur ex modo peculiari, quo Divinitatem affectat per Idola: Nam ut ait Nazianz. quam Divinitatem in cælis habere non potuit, habere conatur in terris: per Idola ſcilicet; ut ſubſtantialem illam Patris Imaginem apud hominum exiſtimationem aut divinitate ſpoliaret, aut æquare videretur.

4. Ex peculiari modo agendi Dæmonis per aſtutias & per errorum diffuſionem: quæ duo veræ Sapientiæ, quæ Filius Dei eſt, peculiari modo opponuntur.

5. Ex dira perſecutione in Chriſtum Dominum, cum videret in ipſo hærere unicum medium humanæ ſalutis ac redemptionis mundi: Hinc Apocal. 12. Partum mulieris exſpectavit, *ut cum peperiſſet, filium ejus devoraret:* Quid enim per Herodem facere non tentavit, ut vix natum enecaret? Sed cum puero nocere non potuerit, virum aggreſſus eſt in deſerto, & cum eo conflixit: toto vitæ tempore inſecutus eſt: immiſit in cor Judæ, ut eum traderet: In eum Judæos concitavit: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum:* Nec perſequi deſiit, donec interimeret. Ejus autem ſemen, hoc eſt, Apoſtolos, diſcipulos & Chriſtianos modis omnibus perſecutus eſt: Hæreſibus totam ejus doctrinam commaculavit: Novos ſemper errores excitans, ſed præcipue contra Chriſti Divinitatem, aut veritatem, aut humanitatem: omnia ab eo inſtituta Sacramenta infandis cæremoniis infecit, ſed præcipue Baptiſmum, & Euchariſtiam.

Sed *contra malum bonum eſt, & contra mortem vita:* Nam ſi Dæmon peculiari quodam odio contrarius fuit divinæ Sapientiæ, ſane etiam Chriſtus hoc peculiari fine venit in mundum, ut Diaboli regnum aboleret. Id diſerte ſignificavit Joann. 1. ſua Epiſt. c. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli:* in hoc εἰς τοῦτο, in hunc finem. Quare ubi primum natus eſt, continuo obmuteſcere ubique cœperunt oracula, ſtupentibus Gentilibus, cujus rei cauſam alibi inutiliter quærit Plutarchus in libro ea de re ſcripto: ſed fateri cogitur Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus Porphyrius in libro quem contra religionem Chriſtianam ſcripſit: Et docet Euſeb. l. 4. de præp. Evang. c. 1. Hoc longe ante prædixerat Iſaias c. 8. *Acceſſi ad Propheteſſam, & concepit, & peperit Filium, & dixit Dominus ad me, voca nomen ejus, accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari, quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ, coram Rege Aſſyriorum.* Grandior factus certavit cum Dæmone in deſerto, quem in omni certamine devicit. Quid dicam, quomodo idololatriam & omnem Dæmonis cultum deſtruxerit, ejus fœditatem in nefandis myſteriis, & ſacrificiis revelarit, ejus ſacrorum turpitudinem, & legum injuſtitiam oſtenderit: juxta Prophetiam Iſaiæ 2. *Et elevabitur Dominus ſolus in die illa; & idola penitus conterentur.* Immo, & quomodo eum omnibus execrabilem fecerit: *Vade retro Satana:* omnibus conculcandum, & proterendum dederit: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem inimici:* Mundum vindicarit ab ejus tyrannide; *Nunc judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras:* Ejecerit eum ab animis & corporibus: Item a templis, altaribus, omnibus locis ſacris inducto vero cultu: quin & ab Urbibus, & domibus, accolarum ſanctitate: a viis publicis & compitis, ſigno elato Crucis: a ſepulchris, mortuorum corporibus, benedictione: a ſolitudinibus, ſylvis & antris, per Monachos, & Chriſti nomen, omnibus auditum in locis, uti

refert

Digitized by Google

refert S. Hieronymus in vita Sancti Paulæ Eremitæ. Sane ab aere miſerum fugavit elatus in crucem: ibi enim pugnavit cum poteſtatibus aeris: Ab aquis fugavit, eas ſanctificando in Jordane: Ab inferioribus partibus terræ, eas penetrando, ac malignos ſpiritus magna ex parte ad inferos abigendo, unde apud Matth. cap. 8. clamant. *Quid nobis, & Tibi JESU Filii Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos &c. Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*. Et cum Dæmon exaltaverit filium perditionis, qui uti dicitur 2. ad Theſſalon. cap. 2. *adverſatur, & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus: aut quod colitur: ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus*: Tunc *Dominus Jeſus interficiet eum ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum*: ubique Dæmonem, ejuſque opera inſectando. Hoc egit doctrina ſua, hoc miraculis ſuis, hoc Sacramentis; hoc quotidie peragit in animis & corporibus hominum: ſui nominis invocatione, uſu ſacramentalium, & Sacramentorum: adeo illud verum eſt, quod ex Joanne ſupra dictum eſt. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*, nam omnia, quæ fecit, eo contulit, ut Diaboli regnum aboleret: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime: Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna*. Hoc etiam eſt opus tuum, o Chriſtiane. Hæc eſt ſumma vitæ tuæ, ut in te, & in aliis diſſolvas opera Diaboli, ut ejuſdem tyrannidem excutias, regnum deſtruas, & te illi perfecte ſubjicias, qui ut ait Apoſtolus cap. 1. ad Coloſſ. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ*.

Jam illud relinquitur, ut videamus, qua tandem ratione Chriſtus illud Diaboli regnum abolevit: Ego quidem tres potiſſimas rationes invenio in hoc noſtro Evangelio, ad quas omnes reliquæ referri poſſunt, quæcumque illæ ſint.

Prima eſt, per inſtitutionem unius veræ Religionis. Sicut enim Diabolus induxit tyrannidem ſuam, ſeque Dominum conſtituit totius univerſi, impietate & cultu falſorum numinum, occupans terram, elementa, cælos, Solem & Aſtra, omnemque naturam viſibilem, Idololatriæ opera ſe adorari curans ſub eorum omnium imagine, atque adducens homines ad obſervantiam infamem ejuſmodi cæremoniarum, alios conſecrans ut Sacerdotes; exigens ab aliis cultum arrogatæ ſibi divinitatis: Ita Filius Dei illum ejecit cum probro & dedecore per inſtitutionem veræ religionis, quæ tota refertur ad veram de divinitate opinionem, reducta ad unitatem, & ad cultum tali tamque ſublimi natura dignum: quam religionem curavit, illuſtravitque peculiari poteſtate expellendi Dæmones e corporibus, per exorciſmos, perque cæremoniam, quæ numquam defecit in vera religione. Nam quemadmodum poſſeſſio corporum a Dæmone ſumpta, eſt imago poſſeſſionis, quam capit in animabus, quas ſibi ſubjicit, cum prior illa coacta ſit & violenta, altera hæc voluntaria: poſſeſſioque animæ inferat crimen; corporum vero ſolam pœnam adimat; Sic poteſtas illius expellendi e corporibus non reperitur niſi in ea religione, ubi ineſt poteſtas ejuſdem expellendi ex animabus, quod quidem in vera tantum religione eſt, in qua ſola ſanctus Spiritus invenitur. Ejuſmodi fuit religio Judæorum, in qua fuit hæc poteſtas, ſecundum teſtimonium Filii Dei, noſtro in Evangelio. *Si autem ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt? ideo ipſi judices veſtri erunt*: in quibus verbis ſatis indicatur fuiſſe inter Judæos quoſdam Exorciſtas, quorum erat officium expellere Dæmones a corporibus invocatione nominis Dei: Tales erant ſeptem Filii cujuſdam Sacerdotibus, de quibus agitur Actor. 19. Et docet Joſephus lib. 8. antiquit. cap. 12. quamdam formulam conſcriptam fuiſſe a Salomone, qua Dei nomine invocato, ejicerentur Dæmones ab hominum corporibus. Talis fortaſſe ille fuit, quem Apoſtoli prohibere voluerunt, cum eum vidiſſent ejicere Dæmonia in Chriſti nomine, etiamſi Chriſtum non ſequeretur, qui Apoſtolorum zelus Chriſto non placuit. Porro hanc poteſtatem, & cæremoniam veram indicare religionem probatur ex verbis Chriſti ſequentibus. *Porro ſi in digito Dei*, hoc eſt, Dei virtute, *ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*: quo nomine intelligitur vera fides, veraque religio. Fuit autem hæc poteſtas, & communior, & major in lege Chriſtiana: quæ ſola eſſe vera incœpit, ſecundum illud *gratia & veritas per Jeſum Chriſtum*: Lex enim Judaica, poſtquam Chriſtus venit, & implevit omnia, cœpit eſſe inutilis, & falſa, quoniam venturum eum pollicetur, qui jam venit: unde etiam in Actis cap. 19. dum filii Scevæ vellent ut exorciſtæ, Dæmonem in nomine Jeſu prædicato a Paulo, ejicere a corpore cujuſdam Dæmoniaci, reſpondit Dæmon: *Jeſum novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa*. Simile quiddam accidit Luthero, idem ferme aggreſſu, ut ſcribit Diſcipulus ejus Staphila. Ut intelligamus fide vera Dæmonem ſubigi: unde hæc probatio fieri poteſt falſitatis religionis Calviniſtarum, & veritatis Catholicæ. Illa Religio vera eſt, in qua reperitur poteſtas ejiciendi Dæmones: Sed in Novatorum Religione, nulla eſt ejuſmodi poteſtas, & ea reperitur in Catholica: Igitur Novatorum Religio falſa eſt: Catholicorum autem vera. Et quidem ajebat Antonius, Dæmonem nihil magis exhorreſcere, quam veram fidem, & ſincerum in Chriſtum amorem: Ita hinc Dæmon abigitur, ubi ſeritur vera fides, & religio; & contra. Sicut enim relicturi Angeli templum Jeroſolymitanum auditi ſunt magna voce, dicere, recedamus hinc, ſecundum illud Iſaiæ 52. *Recedite, recedite, exite inde: pollutum nolite tangere: exite de medio ejus*; ut ſcilicet in domum vacuam ſpiritus immundus iret: Ita in animas, & corpora, & domos hæreticorum, magno numero Dæmones irruunt: expulſus enim Dæmon *ambulat per loca arida*, id eſt, per loca inhabitata ab hominibus: quia per exorciſmos & Sacramenta Eccleſiæ in ea loca abigitur, ubi hominibus nocere non poteſt, qualia ſunt ea, quæ cum aquis careant, non ſunt apta habitationi hominum: ſed poſtea redit, atque invadit, hominum peccatorum nimis incuriorum, ſed præcipue hæreticorum animas omnino vacuas, hoc eſt, inanes omni virtute

ſuper-

ſupernaturali, quia fides quæ ultima perditur, in illis abolita eſt.

Hinc factum, ut diſſeminata vera religione paſſim undique expulſi Dæmones a locis plurimis, a ſtatuis, fontibus, arboribus, a vatibus & idolorum miniſtris, a cunctis oraculis, & ab innumerorum corporibus: quod oſtendi facile poteſt inductione. Sed in hoc ſatis.

Secunda ratio, qua uſus eſt Filius Dei ad deſtruendum Diaboli regnum, fuit per contrarietatem motum, doctrinæ inſtitutorum principiorumque, convenienter hiſce verbis: *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit*; Quia enim Satanas acquiſivit regnum ſuum inter homines, falſis perſuaſionibus, docens, incitans, movens, perſuadenſque, pravum ſuum exemplum adhibens, alioque ad rebellionem adducens; (quod quidem effi it primo erga ſocios ſuos: minores enim Angeli peccarunt imitatione majorum): deinde præſtitis erga homines, quos decepit, artificiis ſuis: Ita plane Filius Dei, qui venit, ut diſſolveret opera Diaboli, ſe pro Domino inter homines geſſit, atque ſicut hoc nomen, ita & munus uſurpare voluit, ſeque præbuit in exemplum omnium virtutum.

Sancta quædam anima divinitus illuminata in ſua converſione, luculenter admodum ſcripto mandavit admirabilem hanc agendi rationem, hoc fere modo: Sibi animo finxit non longe a magna urbe Babylone, ingentem campum in telluris aggere ſublimem, ſupra quem ſtabat thronus celſe evectus, e materia ignota, minuſque uſitata inter mortales, ſtatimque ipſi apparuit formidoloſa Dæmonum acies tanto numero, ut vaſtus ille campus ea contegeretur. Illorum in medio unum vidit prodigioſa proceri ate, horribili vultu, plenoque terroris, arroganti & ad faſtum elatu inceſſu, qui cæteroqui præferebat in oculis & fronte notas omnes ardentiſſimæ iracundiæ, ac furoris quam fingi poteſt maximi. Conſedit in throno ſibi præparato, oppleto flammis fumoque, ac ſilentium cætui univerſo indicens, ſermonem orſus eſt cum tumore, ipſius perſona, arrogantiaque digno. Mortiferum odium, & rabioſum, quo flagro in eum, qui nos cruciat, ac propter ipſum in homines, quos nobis antepoſuit, deſtinavitque bonis, quæ ad nos attinent, nos hic una colligit. Mihi eſt in animo, quantovis pretio id conſtet, perdere funditus naturam humanam, eamque ſi fieri poteſt, noſtra communi ruina involvere. Satis fuerit nobis eo modo ultos fuiſſe, quandoquidem nihil pejus permittitur. Longe aptiſſima ratio hæc erit, conjicere homines in ignorationem Dei, ejuſque legum ac mandatorum, erroribus efficere in primis, ut ament bona vitæ præſentis, ſeductis ab ipſorum aſpectu omnibus, quæ ad vitæ futuræ cogitationem inducere poſſint; Siquidem prima verſatur ob oculos, altera longe abeſt. Deinde proponere illis voluptates, & potiſſimum carnis, utpote magis ſenſibiles, faciliore(que, ac tenacioſes: impellere ad ambitionem, ad conſectationem honorum, laudis deſiderium, ſtudium gloriæ, ſitim dignitatum, ſenſum injuriarum, appetitionem vindictæ, neglectionem rerum ſanctarum & religionis, ac inde præcipites illos ferre in omnia vitiorum genera: minimè parvo contentos, in iis inflammare cupiditatem, ex eo inducere animos ad furtum, poſt ad rapinas, inde ad injuſtam exactionem pecuniarum, ad violentiam, ad apertam injuſtitiam, ad cædes, & ſacrilegia: Conciliare initio oblectationem, tum amorem, dein ardorem in animo, caloremque in corpore: Interficere per oculos, dare ſtudium placendi, inquinare corpora: implicare illa in cœnum carnis, omneſque ſpurcitias libidinis: efficere, ut ad experientiam attingant omnia, & plura quam poſſint, expetant: Immiſcere illos in omne ſolutioris vitæ genus, ſpectare ſemper ad maximas quaſque ſtrages, ad moleſtiores turbas, ad ſcandala quæque turpiora. Hæc eſt via, Socii, perdendi iſtud hominum genus, & quidem compendiaria & optima.

Agite ergo, omnes vires impendite: nulli parcite loco, nec regioni, nec populo, neque conditioni, aut dignitati. Quibus res melius ſucceſſerit, ii ad opportuniſſimas occaſiones maximaque facinora adhibebuntur. Vidimus experientia, plures ambitione deſiderioque aliis antecellendi, quam alio quovis modo nobis acquiſitos fuiſſe: divitiæ neceſſariæ ſunt ad id aſſequendum. Eos iſtiuſmodi cupiditate inflammatos reddite, inſtrumentum eſt omni aptiſſimum vitio, radixque ad univerſa malorum genera provocanda: Caro vobis magna ſubſidia ſuppeditabit ad conciliandum ipſis amorem deliciarum; iiſque omnibus peccatis facile perducetis eorum animos aut ad hæreſim, aut ad impietatem: Prætermittere vobis ſilentio non poſſum, diſſenſionem voluntatum valde idoneam eſſe conſilio noſtro: Ingenerate ſuſpiciones, pravaſque opiniones aliorum de aliis injicite: Animos ad rebellionem & inobedientiam commovete. Subditus rebellet in Regem ſuum, & Dominatorem: populus in Magiſtratum, filius in patrem, famuli adverſus heros, inferiores contra ſuperiores: Exulcerate voluntates, accendite diſcordias, corroborate animos, lites ac diſſenſiones ſerite, inflammate iracundiam, odia imprimite, obices paci & reconciliationi infigite, accendite prælia, rixas adaugete. Quælibet cupiditas vobis alimentum ſubjicere poteſt ad ignem iracundiæ nutriendum, & ad diſſolvendas maximas quaſque conſenſiones, amicitiaſque vel ſanctiſſimas: Objicite ſemper hominibus commodi proprii rationes; eas exaggerate ipſis ob oculos, alioſque reſpectus imminuite; mementote conſenſionem inter nos arctiſſimam ſuſtentaſſe hactenus regnum noſtrum; id oque contra non poſſe a nobis facilius rempublicam hominum everti, quam diſcordia & diſſenſione. In primis autem hac cogitatione animamini, nequire nos magis ei diſplicere, cui non poſſumus placere, nec volumus, quam immani mortalium excidio. Finito ejuſmodi ſermone, Sanctus lacrymarum copiam erupit, videns, quanto ſucceſſu, dæmones funeſtum hoc conſilium perſecuti fuerant. Videbatur ſibi intueri maximam mortalium partem crudeliter immiſericorditerque illigatam a dæmonibus, nonnullis ejuſmodi catenis, alios honoris & gloriæ deſiderio, alios ambitione ſtudioque munerum illuſtriorum, alios avaritia, & inſaturabili appetitione habendi, conviviorum delectatione alios, ludis

dis temporiſquè abuſu alios, alios vita in omnem carnis voluptatem projecta: uſque adeo ut viſa illa ſit maxima hominum pars concurrere ultro & cum oblectatione ad ſectanda vexilla diaboli, delinita captaque ſola pulchritudine colorum.

Cum meditaretur clamitare ad homines: *Filii hominum uſquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Videt animo ſe uſque Hieruſalem deferri, ubi viſus eſt ſibi aſpicere oculis Venerabilem Virum, lenitate ſimul & majeſtate inſignem, circumdatum exigua hominum turba, qui magna ipſum obſervantia colerent, præſtolarenturque ſingulari reverentia, quid eloquendum iis haberet: Incomparabilis manſuetudo, & benignitas, quæ elucebat in illius oculis & corporis habitu, ipſi perſuaſere eum eſſe amabilem noſtrum Redemptorem: Sed id opinionis ſermo illius magis etiam firmavit, qui quidem is extitit. Dilectiſſimi Diſcipuli & Apoſtoli, deſiderium, quo teneor gloriæ Patris mei, amor, quo afficior erga homines, & commiſeratio, quam habeo eorum cauſa, & quam ipſorum infelicitas mihi affert, adduxerunt me, ut homo fierem: aptaremque hoc genus vitæ, quam duco. Diabolus tyrannice ſibi uſurpavit regnum hujuſce mundi, quod omni jure ad Patrem meum pertinet. Illius arma fuere peccata hominum, artificioſæque ipſius propoſitiones honoris, cupiditatis, & voluptatis. Mihi eſt in animo recuperare Patri meo regnum, liberare homines e captivitate ſua, Diaboli regnum delere, ac meum ſtabilire, ad ſubditorum meorum utilitatem gloriamque Patris, atque id univerſum efficere inſtitutis plane adverſis hoſti meo. Qua in re volo uti labore veſtro & induſtria; volo, ut doceatis homines viam, quam vobis oſtendi, præivique exemplo.

Primum hoc principium vobis eſto. Evellere radicitus ex hominum corde ambitionem, deſideriumque honoris, cum ſuperbia germen ſit, & principium omnis peccatorum generis. Invadite acriter adverſus cupiditatem, ſtudiumque divitiarum, ſiquidem radix malorum omnium eſt cupiditas habendi. Perſuadete hominibus voluptatem eſſe venenum: animam enim funditus interficit. Aſpicite inſtitutionem vitæ meæ, meaſque actiones pro exemplari accipite. Imitamini me minimum hominum, qui adeo pauper ſum, ut non habeam penes me & in manu mea, ubi caput reclinem, ponamque in operto. Oblectationes meæ ſunt lacrymæ, deliciæ, dolores, & cruciatus; balneæ meæ ſiunt in meo ſanguine; crux mea vexillum mihi eſt. Nihil minus polliceor vobis, quam mihi: At etiam volo vos eo contentos eſſe, quod ſat mihi fuit: Suadete cæteris, quod vobis ego perſuaſi, idque illi præſtent Diſcipulis ſuis uſque ad finem mundi. Inducite homines ad univerſas virtutes, ad humilitatem, ad patientiam, ad charitatem, ad miſericordiam, ad pacem, ad concordiam & unionem: Invitate illos ad mortificationem, ad pœnitentiam, ad crucem & martyrium, maximeque ad fidem ac religionem: Mundum abducite ab erroribus ſuis, eumque hæc pronunciata edocete: Beati ſunt pauperes affectu, corde ac voluntate: Beati ſunt humiles & mites: Beati ſunt, qui lugent, & qui affliguntur, nominatim propter juſtitiam. Quoad fructum & remunerationem laborum veſtrorum, promitto vobis in hac vita multas perſecutiones & contradictiones: ſed patientia veſtra omnium victrix futura eſt: reliquum vobis in alteram vitam reſervo, *Ite, ego mitto vos, ſicut miſit me Pater meus.*

Divinum illud os vix clauſum erat, cum Sanctus contemplator, qui hæc animo videbat, cœpit intelligentia comprehendere, quia inſtitutione ac methodo Salvator animarum confregerat jugum diabolicæ tyrannidis, mortaleſque a dura illa ſervitute vindicaverat. Ejus animus lætitia colliquefactus eſt, videndo innumerabiles hominum cœtus recipere ſe ſub humili humilitatis Chriſti vexillo, eoſque errore abſterſo, non amplius tanti facere, quod olim adeo æſtimabatur inter mortales, immo agnoſcere vanitatem divitiarum, nihilum bonorum, vilitatem mundanæ magnitudinis, brevitatem deliciarum, voluptatumque ſpurcitiam, & demum opulentas deſerere fortunas ad paupertatem amplexandam; Magiſtratus abjicere munera ſua, ad dedendum ſe obedientiæ aliis navandæ; Magnates mundi abdere ſe in ſolitudinem, in Religioſorum cellas, & in pulverem, præferendo contemptum & dedecus crucis, omnibus pompis ſæculi, delicatulos mutare mollitiem cum victus acerbitate, convivia cum jejuniis, pretioſos veſtitus cum cilicio, collocutiones cum ſolitudine ac precibus, oblectationes cum pœnitentia, delicias cum afflictationibus, riſus cum lacrymis, flores cum ſpinis, ſibique cruces uſquequaque conſerere. Inde intellexit hæc verba. *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit:* atque uti Filius Dei deſtruxerat diaboli regnum, viis plane contrariis modo, quo illud ipſe Dæmon ſtabilierat; cum exui poſſeſſione ſua, dum abrogantur, evertunturque ipſius documenta. Poſtremo illum hæc viſio perſpicue docuit, laborem eſſe mutilem, reique prorſus impoſſibilis periclitationem, velle partes haſce duas ſimul conciliare: *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* 2. Cor. 6. Nullum eſt intermedium; oportet aut JESU Chriſti, aut diaboli partes tenere: uterque ſuum erexit vexillum: *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.* Sequimini vexillum ſuperbiæ; vultis elucere in mundo; & tamen vultis credi vos humilitatis Jeſu vexilla ſectari. Veſter divitiarum amor, commodorum veſtrorum cura, deliciæ veſtræ, oblectationes, ludi, convivia, voluptates, ſpurcitiæ ac ſordes, luculentum ſatis præferunt teſtimonium, cujuſnam cauſa militetis: Tenetis partes mundi, ejus inſtituta tuemini, eximitis eum a criminatione, patrocinamini carni, ejus culpas extenuatis, ejus imminuitis vitia & dedecora. An neſcitis mundum & carnem fœderata eſſe cum diabolo, ac ſub ejus ſignis pugnare? Bellum geritis adverſus probos, infeſto eos animo perſequimini, oblectamini maledicentia in Religioſos; & vos profitemini eſſe de regno JESU Chriſti. impoſſibile illud eſt: *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Nihil amatis niſi diſſenſionem & diſcordias; obtrectatores, invidi, virtutis hoſtes, maledictis contumelliiſque: Ad amplificandum Regnum Dæmonis, poli-

-tica ubique feritis pronunciata, Chriſti Religioni contraria; immo & mali politici, & rebelles contra Regni ſtatum declamatis: Nam, ut vobis videtur, multiplicitas Religionum ſalubris eſt in Regno, & in Republica: rebellio ſubditorum eſt ſanitas Regni, utilitaſque multorum & alia id genus: Eheu, fiditiſne diabolo? ejuſdem ruina integra propoſitum eſt exitium veſtrum: Oſtert vobis ambitionem, quia vos videt ad eam perniciem propenſos: Ipſe eſt, qui vos ad avaritiam infle&it, ab eaque ad omne criminum genus: Ignes, quos ſentitis in corporibus, eos ille accendit: Vult perdere vos & bonis omnibus evertere: Vult ſnam in miſeriam pertrahere, ac reddere ſocios cruciatus ſui: Quin ſequimini potius benevolentiſſima Regis omnium Regum maxime amabilis invitamenta Jeſu, vos ad crucis vexillum, vitæque ſuæ exemplum incitantis? Fugite, vobis inclamat, ſuperbiam, & humilitatem amate; contemnite divitias; declinate voluptatem; totum illud, nihil eſt niſi vanitas, niſi fallacia, niſi deceptio: artificia ſunt hoſtis veſtri, qui nihil niſi perniciem veſtram exquirit. Heu, Chriſtiani, quid ſtatuimus, ac propoſitum habemus? Cujuſnam partes ſequi volumus? Sub cujus vexillis certare? cujus regis profitemur nos eſſe ſubditos? Fallor, Auditores, qui ſic loquar: Mundus partes jam ſuas elegit, ſeque adjunxit dæmonibus. Ecce princeps tuus, tuus ecce Rex o Munde! *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quiſquam. Princeps hujus mundi jam judicatus eſt.* Dæmones *Mundi rectores, tenebrarum harum.* Eorum Princeps ipſe eſt, cui ſerviunt ſæculi Principes, divitiæ ac deliciæ; ipſe eſt, qui leges præſcripſit injuſtas atque iniquas, quæ mundum regunt; qui pronunciat, promulgatque deteſtabiles illos ritus, qui celebrantur, & vigent in mundo. Ipſe eſt, pro quo loquimini, cum dicitis eos, qui verſantur in mundo, debere vitam degere ex uſu & legibus mundi: ipſe eſt, cujus rationem habetis, cum habetis mundi, cui ſtudetis placere, ac diſplicere metuiſtis: Illius leges vos defenditis, quando ſuſcipitis arma, vireſque contenditis ad leges mundi tuendas: pro illius gratia & auctoritate, contemnitis Deum ac religionem, proboſque homines deridetis. At quid ajo, illum eſſe Principem Regemque mundi, cui omnia obediunt; cum ejus ſit Deus. Ita loquitur Apoſtolus 2. Cor. 3. *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes Infidelium.* Nam, ut vere dicamus, agit Deum in mundo, ſtatuit de omnibus, omnia gubernat, attrahit omnia, omnia ſuperat, & ſubjicit ſibi. Mundus quoque pro Deo illum habet; ei reipſa ſacrificatur, ſtatuuntur templa, & aræ inter Infideles, nihilominus inter cæteros tractatur ut Deus, ab eo ſperantur omnia, ſanitas, recuperatio rerum amiſſarum, abditarum, incognitarum hominibus ſcientia, fortunarum amplificatio, mortis amotio. Sane maxima operum, quæ fiunt in mundo, pars exercetur aut vanitatis cauſa aut voluptatis, hoc eſt, ad amplificandum vel ſaltem ad firmandum, regnum diaboli: maximæ occupationes ſæculi nonne ad hunc ſcopum tendunt? frequentiſſimi ſermones nonne hoc conſilium ſpectant? quidnam enim aliud maledicentia de rebus ſanctis & ſacris? quare contemptus Religioſorum, niſi ad infirmandum Filii Dei Regnum, corroborandum regnum diaboli? Si concionatores loquuntur cum libertate ac zelo, arguuntur imprudentiæ, & majoris quam par eſt audaciæ: at ſi commœdia exhibet res obſcœnas & impudicas, ſi puellarum pudicitiam, caſtitatem mulierum, conjugiorum fidelitatem impugnat, nemo queritur, idque fit non ſolum impune ac tuto, ſed etiam cum approbatione, immo cum laude: quidquid intemperans diſſolutumque admittatur in ſumptu menſarum & conviviorum, veſtium, ſuppellectilium, comitatus, apparatuum, oblectamentorum, offenditur nemo, neque improbat: totum illic eſt ad ſatisfaciendum diabolo, Principi unico, Regique abſoluto mundi. Judicate jam ex conditione capitis, quale poſſit eſſe corpus, atque ex natura Principis, quæ ſtatus ipſius conditio exiſtat, præſertim cum hunc ille ſecundum leges ſuas gubernet cum magna, ſubmiſſione a ſubditis, & cum abſoluto imperio a dominante. Hoc eſt enim, quod vulgo jactatur in communi ſermone, quiſquis eſt in mundo, ei ſecundum mundi leges vivendum eſſe. Quod ſi verum iſtud eſt, quid illinc exitis, animæ ſanctæ ac prædeſtinatæ? quid repletis clauſtra? quid in Monaſteria concurritis? quid Conventus Religioſos augetis? Angeli inſtigarunt olim juſtum Loth, ut diſcederet Sodoma, quo vitam in tuto poneret; illa enim erat ad interitum mergenda: Et Angeli vos urgent, ut abeatis e mundo, vel reipſa & facto, ſiquidem ſatis animi habetis, atque ad id vocamini, vel ſaltem affectu ac voluntate, contrarietate morum, & diſſimilitudine vivendi, ſenſa nimirum oppoſita habendo, inſtituta contraria, diſcrepantem mentis intentionem, fines alios, diſſimilemque agendi viam. Ut enim jam dixi, Deus & dæmon conſentire una non poſſunt: Dagon nequit ſupra idem altare cum Arca Teſtamenti conſiſtere: Jeſns Chriſtus non poteſt manere cum Belial: nequeunt dies & nox, lumen & tenebræ ſimul conſociari. Aliunde porro ſtatus inter utrumque medius nobis non licet: neutram in partem addicti eſſe non poſſumus; ad alterutrum pertinere nos oportet, aut ad Jeſum Chriſtum, aut ad diabolum: cives eſſe aut Jeruſalem, civitatis pacis, aut Babylonis, urbis confuſionis: aut deſtinatos eſſe Cælo, aut obſtrictos Inferis: æternum aut felices aut miſeros; aut prædeſtinatorum, aut reproborum e numero; aut amicos, aut hoſtes Dei: fœderatos aut cum dæmone aut cum ejus adverſario; ſub uno Rege, ant Tyranno, Jerem. 1. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc & portæ ejus deſolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Vide enim, quid referas ex dæmonum gubernatione & dominio, quid ex Dei regimine: quid tibi uterque proponit; quas leges, quæ jura: Vide diſcrimen gubernationis: vide, quid uterque ſpondeat: vide, quid præſtet uterque, & quo tandem fine, & exitu utriuſque gubernatio concludatur: dæmonis æterna damnatione; Dei & Chriſti æterna felicitate, ad quam nos perducat Jeſus Chriſtus. Amen.

CON-

Digitized by Google

## CONCIO QUARTA,

**Regnum Dæmonis a Chriſto deſtructum auctoritate ſumma & ſuprema poteſtate.**

*Erat JESUS ejiciens Dæmonium.*
Luc. 11.

IN ſuperiori Concione dictum a nobis eſt Chriſtum eo fine in hunc mundum veniſſe, ut regnum diaboli everteret, ſecundum illud Joannis in Epiſtola ſua 1. c. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*: Quia vero id multis modis fecit, 1. veræ religionis inſtitutione, in qua ſola reperitur virtus ordinaria, & poteſtas ejiciendi dæmones a corporibus per exorciſmos, ut dixit Chriſtus in noſtro Evangelio: *Porro ſi in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*: 2. Morum, ac documentorum contrarietate: Denique vi facta, atque inuſta, & virtutis ac poteſtatis magnitudine, qua regni alieni invaſorem, & crudeliſſimum tyrannum vicit, proſtravit, exſpoliavit: Et jam de duobus prioribus a nobis dictum eſt: de hoc tertio, atque poſtremo nunc dicendum, adjuvante Divina gratia, quam nobis impetrabit ea, quæ gratia plena eſt. *Ave Maria.*

CUm tribus maxime modis dæmon homines ſit aggreſſus, & inter eos regnum ſuum ſtabiliverit: 1. fraude; varios errores illis perſuadendo, quorum maximum fuit circa divinitatem & religionem, qua ratione adorari ſe fecit in Idolis, & ſtatuis, ſibi aras, & templa, & ſacerdotes per nefarias cæremonias conſecrando, quaſi ipſe eſſet Deus: 2. multis illecebris ea hominibus proponendo, quæ grata eſſent ſenſibus, & concupiſcentiæ, puta divitias, voluptates, & honores: 3. poteſtate & violentia, quam per ſe & per ſuos exercuit, terrendo minis, morbos incutiendo, immiſſione tempeſtatum, horrendis apparitionibus, & corporum tormentis, & per tyrannos ſeveris legibus, exiliis, carceribus, ſuppliciis atrociſſimis, & ipſa morte: Chriſtus, qui eo fine venit, ut diſſolveret opera diaboli, tribus etiam modis regnum ejus diſſipavit, & uſurpatam dominationem abrupit.

1. Quidem inſtitutione veræ religionis, per quam errores a dæmonibus ſeminatos, & inductam ſuperſtitionem diſſipavit: ac ne religio illa eſſet ignota, præter alia ſigna ſatis evidentia eam conſignavit nota quadam externa, nempe poteſtate expellendi dæmones ab hominum corporibus, ut conſtaret in eadem quoque eſſe poteſtatem eos expellendi ab eorumdem animis.

2. Contrarietate morum, & aliarum illecebrarum propoſitione, quibus homines retraherentur ab iis, quæ a dæmonibus proponuntur, & ad omnia alia, & contraria invitarentur, ſcilicet ad divitiarum, & voluptatum fugam, & honorum deſpectum.

3. Vi majore, & poteſtate excellentiore, quibus ſic dæmon proſterneretur, ut omnium pedibus eum conculcandum & conterendum ſubjiceret, ſecundum illud Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*: quod autem dæmones intelligat, patet ex ſequentibus verbis: *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur, gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*: Unde Apoſtolus Rom. 16. *Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter.* Verum cum de duobus primis egerimus in præcedenti Concione, ſequitur, ut hodie de tertio tractemus, quomodo ſcilicet Chriſtus viribus, & auctoritate regnum diaboli diſſiparit. Ac licet dæmon, ut eſt maxime ſuperbus, ac ferox, & ex ſuo nomine dicatur in Apocal. cap. 9. *Exterminans*, in omnibus paſſim rebus, in quibus ſe immiſcet, imperioſe ſe gerat, & cum violentia, & ubique ſummam poteſtatem affectarit, quam cum legitimam habere non potuerit, per vim uſurpavit, quod videre eſt in ſacrificiis quæ exegit in Idolo Moloch, in Saturno & aliis: Item apud omnes fere gentes, ubi coli voluit: Tamen numquam ſenſibilius illam violentiam oſtendit, quam in Energumenorum poſſeſſione, & duriſſima tractatione, in quibus ſummo jure utitur, & tanta violentia ac poteſtate, ut ſe gerat pro domino corporis, & ipſius hominis, cujus potentiis, facultatibus, & membris ad libitum utitur. Ita cum Chriſtus in deſtruendo dæmonis imperio ſupra prædictos modos, uſus ſit viribus, & poteſtate, id tamen apertiſſime fecit, & manifeſtiſſime in ejectione dæmonum a corporibus poſſeſſorum. Incipiamus ab hoc ultimo, & deinde aliud, quod eſt generalius, oſtendemus.

Nota itaque, 1. licet in omni vera religione fuerit aliqua cæremonia ad dæmones expellendos e corporibus, cum aliqua in eos poteſtate, uti oſtendimus fuiſſe apud Judæos, juxta verba Chriſti in noſtro Evangelio: *Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt*: Nullibi tamen hoc evidentius fuit, quam in religione Chriſtiana, in qua eſt etiam peculiaris gradus in Eccleſia, qui vocatur Exorciſtarum, & a naſcente Eccleſia ſemper viguit, uti videmus in ſcriptis SS. PP. Tertull. in Apolog. & ad Scapulam, Juſtini Martyris in dialogo cum Tryphone, Arnobii contra Gentes: Cypriani Epiſtola ad Magnum, & alibi ſæpe, ſicut & apud alios.

Nota 2. Illam auctoritatem ſic eſſe conceſſam Eccleſiæ a Chriſto, ut habeat quandam dominationem & imperium ſupra dæmones: de qua re ſic loquitur Chriſtus eo Lucæ loco mox allato. *Videbam Satanam: ſicut fulgur de cælo cadentem*, quaſi adventu Chriſti deciderit de ſumma illa auctoritate, quam habebat in mundo: unde ſubdit: *Ecce dedi vobis poteſtatem, &c.* Atque ut nihil timerent, addit, *Et nihil vobis nocebit.* Et ideo quaſi gloriantes ea de re Apoſtoli dixerunt: *Domine, ecce dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*: Vide autem, quo pertineat illa auctoritas in dæmones: ut homines fragiles, & adoleſcentes immo & pueri dæmonibus imperent; nunc loqui, nunc tacere jubeant; cogant reſpondere; ita torqueant, flagellent, urant, vexent, ut multa ſuppliciis fateri cogant, ut exeant in loca arida, & deſerta, ne noceant, ut complices ſuos, & ſocios criminum, & uſurpationis, ut ſua nomina, ſua officia & ſuas

qualitates fateantur, ac niſi id faciant, puniantur tamquam rei & vilia mancipia: quod quia ſponte faciunt numquam, ſemper faciunt coacti, omnis autem coactio violentiam, & aliquam poteſtatem ſupponit. Quam vere hæc a me dicta ſint, ipſa experientia docemur in Exorciſmis, & ſignificavit Chriſtus, cum dedit poteſtatem calcandi ſupra hos ſerpentes. Audiſtis ſuperiori Concione, quid de ea re dicat S. Cyprianus ſcribens ad Demetrianum Africæ Proconſulem, & ideo hic retinemus: Sed audi alios. Tertullianus in Apolog. cap. 23. loquens de his ſpiritibus: Illi, inquit, Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto, ſubjiciuntur ſervis Dei, & Chriſti; ita de contactu, deque afflatu noſtro, contemplatione & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus, noſtro imperio excedunt, inviti, & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes. Minutius in Octavio. Quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt, eloquuntur, &c. adjurati per Deum verum, & ſolum, inviti miſeris corporibus inhorreſcunt, & vel exiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aſpirat. Julius Firmicus cap. 29. de errore profanæ religionis. Ecce dæmon eſt, quem colis: cum Dei, & Chriſti ejus nomen audierit, contremiſcit, & ut interrogantibus nobis reſpondeat, trepidantia verba, vix ſe colligit, adhærens homini, laceratur, uritur, vapulat, & ſtatim de commiſſis ſceleribus confitetur. Lactant. lib. 2. cap. 15. Juſtos autem, id eſt, cultores Dei, metuunt: cujus nomine adjurati de corporibus excedunt, quorum verbis, tamquam flagris verberati, non modo dæmones ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt. Itaque maximis ſæpe ululatibus editis, verberari ſe, & ardere, & jam jamque exire proclamant: & l. 5. cap. 21. Cum corpora hominum occupant, animaſque divexant, adjurantur ab his, & nomine Dei veri fugantur: quo audito, tremunt, exclamant, & uri ſe verberarique teſtantur, & interrogati qui ſint, quando venerint, quomodo in hominem irrepſerint, confitentur: ſic extorti, & excruciati virtute divini numinis, exulant. Ex quibus omnibus & aliis locis innumeris patet dæmones ejici e corporibus violentia & poteſtate aliqua communicata hominibus in dæmones, quos torquent.

Nota 3. Illam auctoritatem in dæmones ſic eſſe communicatam Eccleſiæ, ut major ſit in Chriſto: non ſolum quia Eccleſia omnem illam auctoritatem habet a Chriſto; unde ſemper ejus nomen interponit, cum aliquid jubet dæmonibus; ſed quia Chriſti auctoritas eſt altioris ordinis, diverſæ rationis ab ea, quam habet Eccleſia: quod ut intelligatur

Nota 4. Ex Ariſtotele 1. Politic. cap. 3. Aliud eſſe imperium dominicum ſeu deſpoticum, aliud civile, ac regium, vel œconomicum, quod primum in animali animadvertere poteſt: nam animus quidem (ait) in corpus dominicum habet imperium, mens vero in appetitum civile, ac regium. 2. Poteſtas agit per imperium, & præceptum; altera per impreſſionem: primæ repugnari non poteſt, alteri poteſt: quia primæ paretur per obedientiam, alteri autem per naturalem ſubjectionem: Ita in homine membra obediunt deſpotico imperio; nam ſi volo, ſtatim loquor, ambulo, manum moveo: appetitus autem non paret, niſi civiliter, itaque ſæpe reluctatur voluntati: Sic alio modo uteris ſervo tuo, & alio modo baculo, quem manu tenes: una poteſtas eſt abſoluta, & realis: alia aliqua ratione eſt civilis, & moralis, & diminuta. In noſtro caſu aliter Chriſtus dedit Apoſtolis, & Eccleſiæ poteſtatem expellendi dæmones, aliter eam ipſe habuit, & ea uſus eſt. Nam Apoſtoli in dæmones habuerant poteſtatem tantum civilem, & œconomicam, unde potuerunt dæmonibus imperare, ac præcipere; qui ſi obedire detrectarent, eos punire potuerunt, & ut oſtendimus ex SS. PP. flagellare, urere, torquere, & aliis pœnis affligere: Quod ſi pervicaces dæmones offenderent, non potuerunt nolentes ſua auctoritate accepta expellere reipſa; ſed tantum punire, & augere ſupplicia: Itaque ejuſmodi dæmones non expellebant, niſi accedente aliqua vi majore, divina ſcilicet, quam oratione, & jejuniis demerebantur: Sic quoque cum multos alios ſanaſſent Energumenos, multoſque dæmones expuliſſent, ubi tamen ad eos Pater filium ſuum lunaticum attulit curandum Matth. 17. non potuerunt curare; cujus cauſam cum a Chriſto quæſiviſſent: reſpondit *propter incredulitatem veſtram*, & addidit: *Hoc autem genus non ejicitur niſi per orationem & jejunium*: Quia ſcilicet hoc genus dæmoniorum pervicaciſſimum eſt, neque flagellis cedit: Ita Chriſtus cum ait expulſum dæmonem, quando redit, aſſumere ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe: quo nomine illos intelligit, qui obſtinati ſic ſunt, ut ſe pœnis vinci non ſinant, ideoque difficilius ejiciuntur, ſubdit, *& fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*. Chriſtus autem cum eſſet Dominus, non tantum habuit auctoritatem civilem, ſeu regiam, ſed etiam Phyſicam, & naturalem: Itaque ut Dominus loquebatur, Marci 9. *Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum: & exclamans, ac multum diſcerpens eum, exiit ab eo*: Vide, quid ſecutum ſit, Luc. 9. *Et ſtupebant omnes in magnitudine Dei*. Et Luc. 4. cum in Synagoga dæmoniacus dixiſſet Chriſto. *Quid nobis, & tibi JESU Nazarene: veniſti perdere nos? ſcio te, qui ſis Sanctus Dei: increpavit illum JESUS dicens, obmuteſce, & exi ab eo. Et cum projeciſſet illum Dæmonium in medium, exiit ab illo, &c. Et factus eſt pavor in omnibus & colloquebantur ad invicem dicentes: quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate, & virtute imperat immundis ſpiritibus & exeunt*. Chriſtus itaque ſuo imperio, non tantum voluntatem ſuam indicabat, cui aut pareret dæmon, aut puniretur: ſed etiam quod imperabat, reipſa efficiebat, realiter, & phyſice expellendo. Et hinc rationem habemus, cur Apoſtoli aliquando dæmones non expulerint: cur etiam aliquando Exorciſtæ non expellant, cur in Eccleſia alii aliis ſint potentiores; quod & alibi diximus de Sancto Antonio, qui cum plures expuliſſet, non potuit expellere principalem, dicens adverſus illum ordinem nondum ſe donatum gratia, ſed hanc eſſe gratiam Pauli Simplicis.

Non tamen inde ſequitur Eccleſiam non habere po-

Digitized by Google

poteſtatem in dæmones, quibus præcipere poteſt; & quos, niſi pareant, graviſſime punit, ac torquet, & iniquos, ut ait Cyprian. Epiſt. 32. ad Donat. exercet pœnam talionis plaga occulta, pœna manifeſta: Sed ſequitur non habere poteſtatem ſupremam atque diſpoticam, unde ad exorciſmos preces adjungit, & jejunia, ut quoſdam pervicaciores, & majoris ordinis expellat, non ſuis viribus, ſed majoribus, ſcilicet Dei. Chriſtus autem, ut Dominus, ſuprema ſua auctoritate uſus dæmones expulit, etiam invitos ac reluctantes; quem etiam egredientes deprecabantur.

Verum quod fecit expellendo eos a corporibus, idem etiam præſtitit in abolendo omni eorum principatu in terris: quo pertinet inſignis parabola de forti armato in noſtro Evangelio contenta, quæ duas habet partes: quarum 1. ſignificat, quanta eſſet dominatio Satanæ in hoc mundo: 2. oſtendit, qua ratione ab hac dominatione expulſus ſit.

Prima declaratur his verbis: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet*: in quibus verbis quatuor continentur.

1. Belzebub Principem dæmoniorum eſſe eum, qui comparatur forti armato & dicitur abſolute fortis ob excellentiam naturæ: unde Apoſtolus Paulus Epheſ. 6. *Quoniam nobis non eſt colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*: Deinde ex Sancto Irenæo libro 2. cap. 8. dicitur fortis reſpectu noſtri, quia fortior nobis eſt: ſecundum illud Jobi 41. *Quia non eſt poteſtas in terra, quæ comparetur ei*; Et Jeremiæ 31. *Redemit Dominus Jacob, & eripuit eum de manu fortioris ejus*: Hanc autem fortitudinem ſic exponit Auguſtinus lib. 1. quæſtionum Evangel. cap. 4. quia ſic tenebat homines ſub peccato, ut ſe ab illo liberare ſuis viribus non poſſent: nemo enim a peccato, nec a tentatione inimici propria virtute liberatur; ſed ſuccumbere neceſſe eſt, quare oportuit, ut accederet nobis gratia Chriſti, quæ nos & peccato & tentationibus diaboli ſuperiores faceret.

2. Non tantum dici fortem, ſed etiam armatum: habet enim arma & quibus nos aggrediatur, & quibus ſe a nobis defendat, ne ejiciatur, & vincatur. Arma ejus ſunt peccata noſtra: nam ad alia peccata nos trahit per alia peccata: item, quo magis peccatis inficimur, eo minus ei reſiſtere poſſumus, & eum lædere; & evadimus imbecilliores, & infirmiores. Arma etiam ſunt bona hujus ſæculi, ſub quibus latent & ſe abſcondunt dæmones: nemo quippe dæmoni tentanti conſentiret, ſi per ipſum accederet: appetitus enim hominis refugeret, & abhorreret: ſed accedit proponendo delectabilia, utilia, & apparentia bona hujus ſæculi, ut ad vere malum, quod eſt peccatum, attrahat, aut ſub ſpecie malorum apparentium retrahat a bono vero: ut acceſſit ad Chriſtum, proponendo panes, & oſtendendo regna mundi & gloriam eorum: aut per aliqua, quæ ſunt in creatura bona, in errorem inducit: ita creaturas perſuaſit eſſe Deos, & Solem adorandum, aſtrum videlicet adeo munificum. Hoc ſenſu dixit Salomon Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*. Arma quoque ſunt dæmonis potentiſſima pravæ animæ affectiones, & appetitiones, quas movet contra nos, & excitat, ſub ipſis deliteſcens: cum enim illas excitet, & illis utatur, videtur eſſe noſter ſenſus, quaſi nos ipſi ageremus, cum tamen ipſe ſit harum rebellionum auctor. Denique membra corporis noſtri arma ſunt, quibus utitur, ſecundum illud Apoſtoli Rom. 6. *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*: Quæ omnia cum dæmonem adjuvent, dicuntur arma fortis: quod ſi ſolus timendus eſt, ut fortis, multo magis timendus eſt, cum ejuſmodi armis cinctus nos impugnat.

3. Quod dicitur, eſt, eum cuſtodire atrium ſuum: quibus verbis ſignificatur eum ſemper invigilare, ne excludatur: per atrium autem intelligitur primus aditus, ne quis in ejus poſſeſſionem invadat: ille vero aditus eſt ignoratio Dei, & eorum, quæ ad ſalutem conducunt, vel ſaltem incogitantia omnium rerum, quæ homines ab errore, aut a malitia revocare poſſunt: de quo ſtatu Iſaias: *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos*: Ita illud maxime providerunt dæmones, ne lux cæleſtis in hominum mentes intraret: & ita atrium ſuum cuſtodierunt.

4. Denique, eo modo in pace eſſe omnia: quibus verbis ſignificatur hac ratione dæmonem fuiſſe ſecurum ſuæ poſſeſſionis, cum nec ab hominibus, in quibus habitabat, expelli poſſe videret, nec Deum in illis habitare poſſe: cum enim initium omnis boni ſit prima bona cogitatio, ſic homines, & mundum tenebris obvolvit, ut nec primo lumini, hoc eſt, primæ gratiæ aditum relinqueret, & ſic illis, quos in ſua plena poteſtate habebat, ad libitum abuteretur. Hinc videmus, in quos errores & falſitates, in quæ peccatorum portenta homines deduxerit, ut pro diis non creaturas ſolum, non ligna, non lapides, non elementa, non extrema naturæ propudia, feles, crocodillos, ſed febres etiam, morbos animi & corporis, ſed ipſa etiam vitia colerent. Jam quid de hominum moribus dicam, qui fuerant omnibus vitiis, & portentis inquinatiſſimi: utrumque complexus eſt Apoſtolus in Epiſtola ad Roman. cap. 1. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium, propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis*, &c. *Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia*: Vide itaque, ſi non vitiis homines obvallaſſet dæmon, non eſſet eorum ipſe ſecurus: Et hæc fuit dominatio dæmonis in hoc mundo in prima parte parabolæ contenta.

Secunda pars Parabolæ continet, qua ratione dæmon ab hac dominatione ſit expulſus. Certe non potuit niſi a fortiori, unde dicitur: *Si autem fortior illo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus au-*

*auferet, in quibus confidebas*, &c. In quibus verbis ſatis intelligitur ab uno tantum dæmonem vinci poſſe, qui non potuit eſſe merus homo, quoniam hominum ipſe dæmon dominabatur; non Angelus, quia ejuſdem cum ipſo naturæ; non alter dæmon, quia omnes dæmones homini erant æqualiter infenſi, neque dividi inter ſe voluerunt, ut ſecurius regnarent: quare vere dixit, *Quod ſi Satanas in ſemetipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?* relinquitur ergo, ut ille ſolus ſit, qui ſingulariter illo eſt fortior, nempe Chriſtus, non tantum ut Deus, ſed etiam ut homo, propter humanitatem divinitati unitam, in qua & per quam vicit ac ſuperavit omnem inimici poteſtatem: unde Iſaiæ 9. dicitur de Chriſto per excellentiam, *vocabitur nomen ejus fortis*: & Pſalm. 23. *Dominus fortis & potens: Dominus fortis in prælio*: Itaque merito dixit Joannes Baptiſta, Matth. 3. *Fortior me eſt*; & Habacuc cap. 3. *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus*. Quoniam igitur dæmon ſuis viribus uſus eſt, & violenter homines tenuit ſub ſua dominatione; Chriſtus quoque ſuis viribus uſus eſt, ut dæmonem a regno ſuo detruderet: vide autem, ut hoc faceret, quid egerit: collectis omnibus, quæ dicuntur de hac re a SS. Matthæo, & Luca; quæ ad ſex capita reducuntur.

1. Enim fortior ſupervenit ſecundum illud: *Si autem fortior illo ſuperveniens vicerit illum*, quibus verbis ſignificatur: 1. Chriſtum ſuperveniſſe, hoc eſt, majori auctoritate veniſſe, & quaſi e cælo: quod auxilium ſignificat ſupremum, & quod dæmon impedire non potuit: 2. vox ſuperveniens ſignificat determinatam voluntatem ſuccurrendi: noluit enim Deus mundum ſemper manere ſub tyrannide diaboli, ſed tandem decrevit aliquando ſalvare: itaque certo tempore venit, ſecundum illud quod ait Apoſtolus Actor. 17. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant*; & Roman. 5. *Secundum tempus pro impiis mortuus eſt*. 3. Significatur, quod non opinanti adverſario, & de ſua præda ſecuro, juxta illud, *in pace ſunt omnia, quæ poſſidet*, Chriſtus ſupervenerit. unde apud Matth. 8. conqueruntur dæmones, cum eos Chriſtus ejiceret: *Quid nobis, & tibi, JESU Filii Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos?* neque enim dæmones putarunt ſe unquam ex ſua poſſeſſione ejiciendos, niſi in fine mundi, ſcilicet in die judicii, quod non tam cito venturum autumabant: ſed aliud fuit judicium, quo excluſi ſunt a ſua dominatione, de quo ſcilicet dixit Chriſtus Joann. 12. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. 4. Significat hæc vox aggreſſionem dæmonis, & invaſionem a Chriſto, quod facere incœpit in deſerto in illo conflictu cum dæmone, unde poſtea aperto marte eum ubique perſecutus eſt.

2. Sic eum aggreſſus eſt, ut eum debellarit, devicerit, ac proſtrarit: quod patet in illo triplici conflictu; & fuit dæmoni moleſtiſſimum poſt tot reportatas victorias ab initio mundi: nemi item enim aggreſſus erat, quem ipſe non viciſſet. Ideo ſemper in Evangelio deſcribuntur dæmones ante Chriſtum aut clamantes, aut fugientes, aut deprecantes ac ſupplices, ut ſcias ſemper victos fuiſſe: neque id mirum, quoniam cum fortiori rem habebant.

3. Fortem alligavit: & id pluribus modis fecit, 1. Quia ex Auguſtino non tantum dæmonibus permiſit, ſicut ante Incarnationem, & ita ſecundum quod dicit 20. de Civit. cap. 7. & 8. non ſinitur dæmon nocere, quantum poteſt, neque agere totis ſuis viribus, &c. Nam neque violenter homines trahere ſinitur, aut fraudibus decipere, ſed uti dicitur apud Jobum ex interpretatione S. Gregorii: *Qui fecit eum, applicat gladium ejus*: alligatio dæmonis eſt reſtrictio permiſſionis: 2. Chriſtus ſic dæmonem vicit poſt abſoluta certamina, ut efficaciter dixerit: *vade Satana*, qua voce eum ſic repreſſit, ut dæmonem timore, & horrore compleverit, & audaciam ejus omnino fregerit, adeo ut deinceps ad Chriſtum accedere non ſit auſus, nec multa audere contra ipſius ſequaces. Dæmon igitur ligatus eſt, cum ipſius vires virtute Chriſti timore debilitatæ ſunt: 3. quoniam cum poſt Chriſti mortem abundantior gratia conceſſa ſit fidelibus, quo fideles facti ſunt robuſtiores, eo minus contra eos potuerunt dæmones. Denique Chriſto deſcendente ad Inferos, cum Patres e limbo liberavit, Principem dæmonum ligavit in abyſſo, ſolvendum tantum ſub finem mundi. Eo pertinet locus cap. 20. Apocalypſeos: *Angelus deſcendit de cælo, habens clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit dæmonem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & ligavit eum*: Qui locus alludit ad cap. 24. Iſaiæ, uti doctiſſime explicat Turrianus lib. de Euchar. cap. 32. *In illa die viſitabit Dominus militiam cæli in excelſo, & ſuper reges terræ, qui ſunt ſuper terram, & congregabuntur in lacum, & claudentur in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur*: illa viſitatio, eſt ſolutio: quia, uti dicitur in Apocalypſi, *Poſt hæc, illum oportet ſolvi modico tempore*, ultimo enim tempore, quo erit Antichriſtus, ſolvetur dæmon plus quam illi permittetur, & gravius tentabit: Unde prædicit Chriſtus futuram tantam deceptionem ob ſigna, & prodigia, ut in errorem inducendi ſint, ſi fieri poſſet, etiam electi: Sed nunc dæmon ligatus eſt ſecundum illud: *Princeps hujus mundi jam judicatus eſt*, & ligatus in abyſſo, ubi detinetur, & ablata eſt ab eo omnis poteſtas nocendi per ſe, cum ſit ab hoc mundo expulſus, nec jam noceat ac tentet, niſi per inferiores dæmones: qui ſemper id deprecabantur, cum ejicerentur a corporibus, ne mitterentur in abyſſum, quod Chriſtus ei comminabatur, uti dicitur Marc. 9.

4. Devicto, & alligato dæmone, facile fuit, quod deinde additur: *Univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat*. Chriſtus enim omnia in ſuum uſum convertit: Peccata hominibus remiſit, & Sacramenta inſtituit, quibus remitterentur: animas ſanctificavit, & cætera dæmoni arma abſtulit: illuminavit homines luce doctrinæ & Evangelii: eorum paſſiones ad ſe convertit, amorem, gaudium, ſpem, triſtitiam, timorem, ea objecta proponendo quæ vehementiſſime animum percellerent, atque ab his viſibilibus abſtraherent, horum vanitatem oſtendendo,

do; vilitatem, brevitatem, & contemptum, membra ipſa ſubjiciendo juſtitiæ, & mortificationi: converſis rebus omnibus in contarios uſus, & ea ratione exarmato dæmone.

5. Subditur ex Matth. 12. *Vaſa ejus* ipſum *diripere:* Vaſorum nomine, vel intelliguntur ii, quibus dæmon uſus eſt ad alios perdendos, vel ipſius domus ſuppellex: expilat autem Chriſtus domum ipſius, abripit ejus inſtrumenta machinaſque bellicas, armamentarium occupat, commeatum, milites, præſidia intercipit, foras extrudens, quod inutile eſt, minuſve firmum; reliquum ad commodum ſuum reſervans. Itaque paſſim cum homines peſſimi nonnulli inſerviant dæmoni ad ejus regnum promovendum, dicuntur ejus vaſa, ſeu inſtrumenta, ut qui propoſitis falſis dogmatibus alios deceperunt: Tales fuerunt veteres plerique Philoſophi ſeminatis variis erroribus: Tales iniqui & impii Principes, per quos prorogata Idololatria: Hi vaſa dæmonis, & vaſa iniquitatis dicuntur: Inſtrumenta vaſaque improbitatis & nequitiæ: quales etiam fuerunt hæreſiarchæ, & ſimiles homines: Eodem ſenſu Geneſ. 29. dicuntur Levi, & Simeon *vaſa iniquitatis*: quoniam auctores fuerunt cædis Sichimitarum: Ita Paulus dicitur *vas electionis*, quia innumeri per ipſum erant convertendi: Ita ſol dicitur *opus excelſi, vas admirabile*: Eodem modo Chryſoſt. hæc vaſa interpretatur inferiores dæmones, qui Principi dæmonum inſerviunt, nocendo hominibus. Hæc porro vaſa Chriſtus non tantummodo diripit, ſed & diripuit, quia & dæmones inferiores expulit a corporibus, & ab animis, & homines impios ad ſe ſuaſque partes traduxit; Ita Idolorum Sacerdotes converſi, & errorum magiſtri ad fidem adducti ſunt. Ita Principes, atque Reges, per quos deinde fidem auxit in populis, quos eorum exemplo, atque auctoritate permovit: Ita libris Philoſophorum uſi ſunt viri Apoſtolici, ut veritatem Evangelicam ſtabilirent, & errores patefacerent, quod magno ſucceſſu præſtiterunt.

6. Ac denique ſpolia ejus partitus eſt, ſecundum illud: *Et ſpolia ejus diſtribuet*: Per hæc ſpolia ipſi homines intelliguntur, qui prius ſub dæmonum poteſtate fuerant, qui tranſeunt in poſſeſſionem Dei, atque a dæmone auferuntur: ſicut etiam innumera templa, loca, divitiæ, ornamenta, provinciæ, a quibus dæmon expellitur. Ita enim multa regna integra facta ſunt provinciæ, & partes minimæ Eccleſiæ, & Regni Chriſti: Ita montes, fontes, flumina, loci, quæ olim dæmonibus erant conſecrata, vero Deo ſanctis & melioribus cæremoniis dedicata ſunt, & ubique erectum eſt Crucis trophæum, & omnia loca Chriſti nomine perſonaverunt: Ita Chriſtus in mundi converſione, diviſit ſpolia, cum homines variis donis Spiritus Sancti exornavit; eoſque in diverſa elegit munera, atque officia: ex illis quoſdam conſtituit Apoſtolos, quoſdam Prophetas & Doctores, quoſdam Sacerdotes, quoſdam Levitas, quoſdam ſolum fideles, quos omnes eripuit de poteſtate diaboli: Quod quotidie fieri videmus per omnium nationum converſionem.

Ex his omnibus patet, quomodo Chriſtus regnum diaboli deſtruxerit maxima ex parte, quod quotidie facere pergit, & ſemper faciet uſque ad finem mundi, donec penitus aboleverit: tunc enim continget, quod ait Apoſtolus 1. Corinth. cap. 15. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus:* Quibus verbis ſignificatur abolitio dæmonum, unde etiam nomina ſuæ poteſtatis amittent.

Quæ cum ita ſint: Collige 1. Quibus armis cum univerſo dæmonum genere certare debeamus, quandoquidem & Deo duce, & Chriſto auſpice pugnamus; & cum hoſte devicto, & proſtrato: Pſalm. 26. *Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt: Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum:* Itaque ſic nobis animos addit Chriſtus, Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*: Et Rom. ultimo: *Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter*: S. Chryſoſtomus ne vult quidem nos certare cum dæmone, quaſi æqualis eſſet pugna, ſed vult nos conculcare devictum & proſtratum. At quid paſſim fit? Omnes ſe ei ſubjiciunt per ignaviam, & ei voluntarie ſe ſubmittunt. Quid enim non poteſt inter homines, cum ei omnia ſerviant, pompæ, deliciæ, divitiæ, ingenia, linguæ, ſcripta, & quidquid eſt eximii? Sed queror, quod pauci admodum utantur Chriſti victoria, ut ſcilicet proculcatum, ipſi proculcent, quaſi ipſis ſatis ſit cum eo pugnare; licet cum pugnatur, incerta ſit victoria; quid, inquam, queror, cum etiam admodum pauci ſint, qui cum eo, & adverſus eum contendant? Quotuſquiſque enim eſt, qui hoc faciat? Quis ei reſiſtit? Sane qui certando defendit ſe, & talem adverſarium lædit. Ex his duobus, quid a te factum eſt? Quidquid dæmon tibi proponit, id efficis, nec ei vel minime repugnas: Id in te quotidie experiris, nec ulla ratione negare potes: Itaque non te tantum dæmon ferit, non tantum dejicit, ſed proterit, ſed conculcat. Nec illi opus eſt magno certamine, nec majori conatu, non potentioribus armis, ſed minima ſolum aggreſſione. Verum neque hoc eſt malum poſtremum; ſed multi dæmonem adjuvant, & cum eo ſociantur, & arma ejus fortiora reddunt, nec contenti ſunt quod magna pars fiant regni dæmonis, in quibus ille regnat ſumma poteſtate, ſecundum illud Jobi cap. 18. *Et calcet ſuper eum, quaſi rex interitus:* immo etiam ſub ejus ſignis militant, ut ejus regnum promoveant: quin & ipſimet fiunt dæmonis præliantis jacula. Vide hanc nebulonem cum dæmone arma ſua ſociantem. Jam plures annos dæmon huic Virgini bellum indixit, jam ſæpe totis viribus conflixit, nec ejus conſtantiam vincere potuit: Et iſte nequam Adoleſcens ſuis obſequiis, ſuis illecebris, ſuis donis, ſua aſſiduitate, ſua perſeverantia, id conſecutus eſt. Infelix plane victoria! *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Tu quidem plus dæmoni conflixiſti, quam tibi, plus illi lucratus es, quam tibi: Tu enim voluptatem fluxam, & propudioſam lucratus es: Tu illi corpus & animam puellæ lucratus es peſſi-

ma victoria, ſed fortaſſis æterna: Tu de illa, de teipſo, dæmoni trophæum erexiſti, cujus poſt a te pœnitebit. Eheu! vos ambo qui peccaſtis, *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* Rom. 6. Pudeat te, o miſera, poſt tot victorias a dæmone reportatas, tot coronas acquiſitas, poſt tot conatus eluſos, tot inſultus repulſos, unius adoleſcentis aſpectu, blanditiis, verbis, precibus, lacrymis, munuſculis eſſe devictam? Tam ne vilis uſus eſt tibi virginitatis theſaurus, quem multæ nobiles puellæ, & principum matrimoniis, & ſupremorum honorum titulis, & ipſis coronis, atque imperiis prætulere: quem ipſa morte tot martyres & cruenta morte maximis redemere ſuppliciis: & quem Virginum Virgo ſic æſtimavit, ut propoſita in ipſius Dei maternitate, neſcia an cum diſpendio Virginitatis daretur, hæſitaverit, an eſſet acceptatura; ait enim: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* nec niſi ſecura de virginitate conſenſit: *Ne timeas Maria, &c.* ut ſcires, quam ſit verum, quod dixit Sapiens, Eccl. 20. *Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Qui imitaris heroinas illas fortiſſimas, quæ ſemper in caſtris pudicitiæ meruerunt? Eccli. 4. *Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Reſiſte viſibilibus hoſtibus, & Deus inviſibilis pro te pugnabit. Audi, quomodo te ad certandum provocet, Joann. 16. *Confidite, ego vici mundum;* Item: *Princeps hujus mundi jam judicatus eſt.* Cogita, quo exemplo, quo adjumento, quo hortatore, quo duce, & quo auſpice decertes. Cogita etiam, quo periculo, & qua mercede pugnes. Agitur de ſumma. Chriſtum ſequere. Deum audi, vide Jeſum ſpectantem te de cælo. Audi hortantem, exſpecta ſuccurrentem, time minitantem, ſequere vocantem, ſpera remunerantem, ſuſtine coronantem. Sic ſta, ut certes; ſic certa, ut vincas; ſic vince, ut coronari aliquando merearis. Certe *omnis, qui in agone contendit,* ait Apoſtolus 1. Cor. 9. *ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.* Vide, quo te exemplo provocet Apoſtolus, & qua mercede alliciat: ea quidem qua nulla major eſſe poteſt, cum ſit gloria æterna, ad quam nos perducat, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

## CONCIO PRIMA.

### Status Corporis poſt mortem, ex conſpectu Lazari fœtentis in ſepulchro.

*Veni, & vide.* Joann. 11.

QUemadmodum in homine mors ſopit omnes ſenſus, dum moritur, ita in viventibus, ratione mortui, ſenſus omnes percellit: oculos quidem, horrendo ſpectaculo; unde mortuum ab oculis removemus: aures, & ſilentio mortui, & vocibus lugentium: (*Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in voce flentium,* ait Job c. 30.) nares tetro odore, juxta illud, *Domine, jam fœtet, quatriduanus enim eſt:* guſtum quoque ſecundum illud Thren. 3. *Cibavit me cinere:* Quia tunc ceſſant convivia, quæ domui mortui a Sapiente opponuntur, Eccl. 7. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii:* Denique tactus, quoniam etiam tactus mortui, & cadaveris inferebat immunditiem: ita ut num. 5. eodem loco ponantur, leproſus, & pollutus ſuper mortuo, de quibus ita præcipitur: *Ejicite de caſtris, ne contaminent ea, cum habitaverint vobiſcum:* Unde horror mortuorum. Itaque illos domo efferimus, & ejicimus. Verum quia Chriſtus Dominus pergit ad Lazari monumentum, & quærit, *Ubi poſuiſtis eum?* ac jubet aperiri ſepulchrum: *Tollite lapidem,* unuſquiſque accedat, ut videat. *Veni, & vide:* Et quia non ſufficit oculis corporeis tantum aſpicere, ſed etiam internis cernendum eſt, cum interni non ſine luce interna id agere queant; illa inſuper ſit a gratia: hæc demum omnis nobis communicetur per Virginem; ad eam pie adeamus, ejuſque opem ſalutatione Angelica imploremus. *Ave Maria.*

QUod dixit Herodotus de quibuſdam Afrorum populis, quos Naſamones appellat, & ait fuiſſe eximiæ virtutis, & ſapientiæ, eos cum de re aliqua magni momenti deliberarent, ad majorum ſuorum ſepulchra veniſſe, & in illis indormiviſſe; tum quidquid per quietem ſomniaſſent, illud habuiſſe pro certo, atque indubitato, de quo dubitare nefas: Id in univerſum dicere poſſum de ſepulchris mortuorum, in quorum conſideratione nemo eſt, qui non poſſit multum addiſcere, uti ſe fecisse profeſſus eſt Democritus, qui plus juxta ſepulchra didicerat, quam in Philoſophorum ſcholis. Quare non mirum, ſi ſummus Magiſter omnium, nos hodie ducit ad monumentum ac jubet tolli lapidem, hoc eſt, aperiri ſepulchrum, ut nos inſtruat: ac licet delicatuli dicant cum Martha: *Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim:* Reſpondet tamen eis: *Nonne dixi tibi, quoniam, ſi credideris, videbis gloriam Dei?* Quoniam itaque vos habeo Lazari ſepulchro adſtantes, & juſſu Chriſti apertum eſt ſepulchrum: *Tollite lapidem,* permittite, ut hodie vobis oſtendam, quo in ſtatu mors hominem ponat. Et quidem cum hominem dico, loquor de corpore ſimul & anima: Verumtamen, quia id quod accidit corpori, magis ſenſibile eſt nobiſque notius, ideo ab eo exordior, alium in locum reſervans magnam mutationem, quam mors infert animæ, cum in ejus diſceſſu, tum poſt ipſius ſejunctionem.

Ut igitur initium ducam ab iis, quæ corpori accidunt; Mitto dicere, quæ mortem ipſam præcedere ſolent, quales ſunt morbi varii generis, graves dolores, & remediorum tormenta, & quædam mors ante mortem. Cum enim hæc in corpore præcipua bona credantur, ſanitas, robur, pulchritudo, uſus membrorum, & facultatum ad actiones naturales, animales, civiles, rationales, hæc omnia illo tempore concidunt; Siquidem morbi graviſſimi & dolores acerbiſſimi ſolent mortem præcedere, unde David Pſalm. 17. *Circumdederunt me dolores mortis,* hoc eſt, maximi, quales ſolent mortem prævertere, & hinc extinctio ſanitatis, virium, pulchritudinis, uſus membrorum,

atque

atque ſenſuum externorum. Vide, quam vere ſibi ſæpius dictum ſit, quod Iſaias clamare juſſus eſt, hominem, florem eſſe, fœnum, florem fœni, umbram, ſpectrum, ſomnium, nihilum. Sed omiſſis, quæ mortem præcedunt, in corpore mortuo cerne triplicem ſtatum valde miſerum, & lamentandum.

Dum enim accidit illud tempus, (de quo Hippocrates in Aphoriſmo 18. Sect. 8. ſi tamen Hippocratis, cujus ſunt tantum libri 7. Aphoriſ.) cum, inquam, eſt illud tempus, quo vitæ terminus eſt, & mors inſtat; videlicet cum animæ calor ſupea umbilicum, ad locum ſepto tranſverſo ſuperiorem aſcendit, & omnis humor exuritur; cum pulmo & cor calore in locis mortiferis coacervato, humorem amiſerint; cum vero caloris ſpiritus conſertim vaporat, & abit, cujus ope totum cum toto compactum erat: præterea partim per carnes, partim per capitis ſpiracula, unde vivere dicimur, exit anima. Et primus inde exiſtit corporis ſtatus, ſtatim ab animæ diſceſſu, quo tempore tanta de repente fit mutatio, & quædam ſpecies faſcinationis.

I. Itaque ubi anima corpus deſeruit, fit in homine privatio, exſpoliatione integra: Privatur enim rebus omnibus naturalibus earumque uſu. 1. Elementis, mundo, cæli luce, omnibus locis, tempore, exiſtentia & numero in rebus, itaque vocatur is, qui non eſt, ſecundum illud Job cap. 18. *Habitent in tabernaculo illius ſocii ejus, qui non eſt*: Et Jerem. 31. *Et noluit conſolari, quia non ſunt*, quia ſcilicet interierunt; Et iterum Job 14. *Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus, & conſumptus, ubi quaſo eſt? Quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus areſcat: ſic homo cum dormierit, non reſurget; donec atteratur cælum, non evigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo*, ut nimirum reſtituatur in priſtinum ſtatum. Deinde privatur bonis fortunæ, divitiis, facultatibus, muneribus, titulis, nominibus; aut omnia hic relinquit: nam exſpirantis hæreditatem vivus ſucceſſor occupat, ut Regnum duos Reges non capit, ita nec duos dominos una poſſeſſio. Denique in moralibus nihil ſupereſt: nam ens morale non eſt in corpore, ſed animo: animus autem corpus deſeruit, & homo periit.

Hanc porro privationem ſacræ Scripturæ multis nominibus appellant: 1. Nudationem. uti apud Jobum cap. 14. *Homo vero cum mortuus fuerit & nudatus, & conſumptus, ubi quaſo eſt?* Eccl. 5. *Miſerabilis prorſus infirmitas, quomodo venit, ſic revertetur*: quod explicuit Job cap. 1. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*; idem ſignificavit Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. *Nihil in ulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus*. 2. Ablationem & expilationem a fure factam: Unde tam ſæpe Chriſtus admonet ſe inſtar furis venturum, non tantum quia inopinato, ſed etiam quia omnia ſublaturus, ac nihil relicturus. 3. Extinctionem: ſecundum illud Jobi 21. *Lucerna impiorum extinguetur*, quia ad tempus eſt quidem vitæ fulgor, ſed poſtea extinguitur cum fœtore lucerna: In hunc ſenſum monet Sapiens Eccli. 22. *Super mortuum plora, defecit enim lux ejus*: Sicut enim vita vocatur lumen; ita mors per tenebras deſignatur: ſed ſicut nihil ita perit, ut lumen, cum extinguitur; nam nihil omnino ſupereſt lucis, ubi lumen extinctum eſt; ita nihil bonorum ſupereſt poſt mortem. Eſt enim mors rerum omnium privatio, & earum uſus, deliciarum, voluptatum, dignitatum, honorum, occupationum, officiorum, & munerum: item omnium perſonarum, Parentum, Uxoris, Mariti, Liberorum, Amicorum, Patriæ, domus & rerum propriarum: ad hæc, rerum communium, ut Cæli, Solis, Aſtrorum, Terræ, Marium, Aeris, Elementorum omnium, & earum rerum, quæ in illorum ambitu continentur: Inſuper omnium actionum hujus vitæ, quibus peccare, & mereri poſſumus, ac Deo ſervire, ut miniſteriorum, licet utilium Eccleſiæ, etiam in medio curſu, nec abſolutorum: Denique ſeparatio a vita, a corpore, ab anima, ab eſſe ipſo. Quam recte igitur de hominibus dixit Theophilus ad Autolicum [illegible], [illegible] carnei, & nihili homines.

2. Quoad corpus attinet, non eſt amplius idem: Vide enim mutationem. Pſal. 72. *Velut ſomnium ſurgentium, Domine, in civitate tua, imaginem ipſorum ad nihilum rediges*: Numera voces, ſomnium, imaginem, nihilum: In ſomnio, illuſio: in imagine, mendacium: in nihilo, quid ſupereſſe poteſt? cogita enim, quid ante fuerit, & quid nunc ſit: *Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in voce flentium*: Job 30. Aſpice capillos inconcinne ſparſos, & male digeſtos, inclinatum caput, tempora compreſſa, genas aſſutas, exacutum naſum, depreſſos oculos, diductum os, aridam contractamque linguam, dentes nigros, replicatas aures, faciem luridam, mutatum vultum, diſſoluta membra omnia, deformatumque corporis ſtatum, & vide quomodo, ut ait Hippocrates in ultimo Aphoriſmo, (ſi tamen ſunt Hippocratis ultimi illi Aphoriſmi, qui interjecti dicuntur.) Reliquens anima corporis domicilium, frigidum, & mortale ſimulacrum, una cum bile, ſanguine, & pituita, & carne illud [illegible], deditione reddit. Neque enim amplius remanet homo, ſed ſolum hominis ſimulacrum.

Ex ea prima conſideratione, mecum collige quiſquis es, o homo: quam parva diſtantia eſt inter utrumque ſtatum vitæ & mortis, ſi tamen dici poteſt diſtantia: etenim omnis diſtantia fit per medium, cum per medium diſtent extrema; nullum autem inter vitam & mortem medium eſt, unum enim uſque ad aliud porrigitur; nam uti docet S. Gregor. Niſſen. in vita Moyſis, quod & nuper dicebamus, unum contrarium non niſi alio finitur, unde neceſſe eſt, ut unum uſque ad aliud extendatur: ſic dies nocte finitur, & uſque ad noctem porrigitur, & nox uſque ad diem: eodem modo vita uſque ad mortem, ut inde intelligas vitæ vanitatem: Jacobi 4. *Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*: Hinc monet David, ut non præſentia nos admodum percellant, licet florentia & ſplendida videantur, quoniam omnia morte commutantur: *Ne timueris, cum diverſ factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus*: Ecce quæ ſolent oculos mor-

Digitized by Google

talium in admirationem rapere, & curne timueris? curne miraberis? Audi, quid ſequatur, *Quoniam cum interierit, non ſumet omnia*. Unde ſubdit Auguſtinus in Pſalm. 58. Vides viventem, cogita morientem: faſcinum eſt in viſu: vides viventem, ſed remedium eſt in cogitatione, cogita morientem: Omnis enim illa gloria, ille faſtus, illa felicitas, opes, divitiæ, voluptates, auctoritas, poteſtas, favor, ſanitas, pulchritudo, robur, & vita, abeunt, & finiuntur: vides viventem, cogita morientem.

Cæterum poſt mortem quid jam corpori ſupereſt niſi tumulus & ſepulchrum, ſecundum illud Jobi cap. 17. *Solum mihi ſupereſt ſepulchrum*. Certe nobis non longe abeundum, cum ſimus juxta Lazari ſepulchrum, quod juſſu Chriſti apertum eſt: *Tollite lapidem*.

II. Itaque corpus mortui ſtatus eſt ille, quem invenit in ſepulchro: de quo ſtatu nemo gravius locutus eſt, quam Iſaias Propheta, c. 24. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*: In quibus verbis tria notantur.

1. Quanta ſit abjectio cadaveris: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*: Vide, quo loco collocentur corpora poſt mortem, quæcumque illa ſint, Regum, divitum, nobilium, formoſarum feminarum; nempe projiciuntur in foſſam, & ſterquilinium: Tu qui olim terrarum pedibus premere dedignabaris; qui plus faſtu, quam pedibus terram premebas; Tu qui ne terram premeres, quaſi pedibus tuis indignam, marmora, & pretioſa taperia plantis calcabas; Tu qui etiam ſydera affectabas, cum terram te indignam judicares; Tu qui ſedebas tam molliter, tam excelſe in throno: Tu qui non tantum curribus & ſellis, ſed hominum brachiis, humeris atque cervicibus deferebaris: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*: Rejectus es ab hominum non tantum ſocietate, ſed etiam viſu, a throno, a lecto, a ſedibus deturbatus es, & in terram projectus; ac ne hominum oculos offendas, in ima terra poſitus es: a quibus autem? a ſubditis, a ſervis, a famulis, ab amicis, a liberis, a propinquis, ab uxore, a marito. Ubi ille faſtus, ubi illa ſuperbia, ubi illa gloria, ubi illa pompa? *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*, &c. *Qui te viderint, ad te inclamabuntur, teque proſpicient. Numquid iſte eſt vir, qui conturbavit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & urbes ejus deſtruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem?* Hic eſt finis etiam feliciſſimorum, & quod unuſquiſque maxime optat, ne careat ſepultura: Itaque de iis ſic pronuntiat Iſaias: *Deſcenderunt ad fundamenta laci quaſi cadaver putridum*: de infelici vero: *Tu autem projectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis, pollutus*, &c. *Non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura*: Unum hic omittere non placet; ſepulchri anguſtias; quam tamen habitationem appellat Sapiens Eccleſiaſtici 12. *Domum æternitatis*: Certe cui olim in vita tot domus non ſuffecerunt, tot urbes, tot Provinciæ, tot regna, vix poſtea ſex pedum ſpatium habebit, uti olim de Alexandro dictum eſt.

2. At quis erit corporis tui partium ſitus in ſepulchro? *Concidit cadaver tuum*: quibus verbis exprimitur infra cadaveris infirmitas: ut ſcias nihil ſupereſſe virium, nihil firmitatis, nihil virtutis, quoniam nec ſe poſſit defendere, nec tueri, non agere, non progredi, non abire, non fugere, non ſtare, non ſedere: nihil demum per ſe agere poſſit; nec in aliquo juvari, ut poſſit; hoc unum queat & habeat, nempe tacere: ut ſcias ſummam ejus ad omnia inutilitatem: *Quaſi ſtirps inutilis, pollutus*, &c. *concidet cadaver tuum*.

Quid ſupereſt, niſi quod tertio loco ſubjecit Iſaias: *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*: quibus verbis exprimitur pudenda corporis putrefactio: Nam ſicut arx, aut urbs deſerta a poſſeſſore, & legitimo domino, tranſit in hoſtis manus, & poſſeſſionem, qui arcem, & urbem demolitur; ita corpus deſertum ab anima, tranſit in poſſeſſionem mortis, ſecundum illud Jobi cap. 18. *Et calcet ſuper eum quaſi rex, interitus*, qui ad libitum ſuum omnia diſperdet. Deinde tranſit in poſſeſſionem ſepulchri, quod miro modo ſævit in corpus, unde pergit Jobus ibid. *Habitent in tabernaculo ipſius ſocii ejus, qui non eſt*: qui ſunt autem ſocii ejus, qui non eſt, hoc eſt mortui, niſi putredo, & vermes? Jobus cap. 19. *Putredini dixi, Pater meus es, Mater mea, & Soror mea vermibus*: Uti enim in eadem domo habitant, Pater, Mater, Fratres, & Sorores, ſic ait Jobus: ego, & putredo, & vermes in eodem ſepulchro habitabimus, ut in eadem domo. Vide itaque ſepulchri familiam, putredinem, vermes, mortuum. Sed quis poſſet efficere, ut intuerentur oculi noſtri, animuſque noſter intelligentia comprehenderet, quod evenit in tumulorum abdito; a diſſolutione noſtrorum corporum, a confuſione, ac diſſipatione egregiæ illius harmoniæ membrorum, ac artificioſi omnibus numeris completi operis naturæ? Ac primo ſicut in ruinoſo ædificio deficiunt, ac diſſolvuntur partes univerſæ; ita in illo corpore deſtituto ab anima, humique defoſſo, membra omnia, parteſque præclaræ illius ſtructuræ dirimuntur ſenſim ac ſeparantur: elementa divortium faciunt; disjungitur humidum a ſicco; molleſcit caro, fitque fluida; univerſi humores liqueſcunt; quaſi fermentum putredinis intumeſcit interius; exteriuſque liviſcens & nigra caro evadit: Unde quemadmodum ineunte vere videmus arbores floreſcere, antequam emittant folia, & fructus progenerent; ſic ex ſuperficie mucorem illa caro educit, & ſe infami obregit flore putredinem antegreſſo: 2. Reſolvitur in ſaniem, puſque, ac in vaporem fœtidum, denſum & glutinoſum, qui fluit nihilominus, ac ſe cum terra commiſcet: 3. e fœdis hiſce vaporibus, terræ frigiditate repulſis iterumque mixtis in glutinoſo iſtiuſmodi humore, excitatur materies, & quædam fermentationis ſpecies, unde copioſa lumbricorum, ſerpentium, cæterorumque hujuſmodi vermium creatio exiſtit, in quam mutantur delicatulæ carnes, nutritæ tam ſollicite, tot educatæ ſumptibus, titillatæque tot voluptatibus ac deliciis. *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*. Ecce lectus tuus ad ſpeciem luculenter ornatus, & cubile voluptatum: tinea & putredo tibi ſunt pro pluma culcitriſque aliis coacervatis, uſque adeo affluens eſt: ſtragulum ſunt vermes

Digitized by Google

mes alii aliis impliciti: lintea ſunt fluens ſanies fæxque vomicarum & abſceſſuum, & putis cumulus tibi cervicalis inſtar eſt: pulvinaria odoramentis farta ſunt fœtor putridæ carnis tuæ, & corporis tui putor: torus non eſt alius niſi feretrum, & receptus ſepulchrum. *Putredini dixi, Pater meus es, mater mea vermibus*, quia uti in eadem domo habitantibus familiis, nunc pater occurrit, nunc mater, nunc fratres, nunc ſorores, nunc domeſtici, ita tibi in ſepulchro perpetua erit occurſatio putredinis, & vermium, immo te undique ambient & complectentur, quaſi ejuſdem generis, & ſtirpis virum: hinc origo tua, quia & pater & mater: & hinc eadem cognatio, quia fratres, & ſorores; hinc tota familia, quæ ex hac vita venientem in domum propriam omnibus ulnis excipiet, uti ſolent parentes & cognati hominem peregre redeuntem excipere: vel, ut ait Sanctus Hieronymus, ut nemo ſine patre & matre & parentibus poteſt exiſtere, ita ex ſenſu Jobi ſine putredine & vermibus eſſe non poteris. Plura hic poſſem adjicere, ſed parco oculis veſtris, parco auribus, parco naribus, & multorum mollitiem nolo diutius offendere. Hoc tantum dico, in tota natura nihil fere eſſe fœdius, nihil orribilius, quam humani cadaveris putrefactionem: Hoc ſtatu ſi aliquis mulierem videat, quantumcumque formoſam fuerit, nobilis ac ſpecioſa, quis non exhorreſcat, quis non abominetur? Hic finis eſt omnis pulchritudinis, hic amorum exitus, hoc libidinis cœnum. Pudeat homines Chriſtianos, ob rem adeo abominandam, pulchritudinem æternam deſerere: Vidit Franciſcus Borgias inchoatam cadaveris Reginæ putrefactionem, quamquam corpus eſſet multo odore conſperſum, & aromatibus conditum: Et ita exhorruit, ut decreverit rebus omnibus humanis nuncium remittere. Quid ſi perfectam vidiſſet putredinem? Quid ſi perfectum ſepulchri myſterium? Pudeat mulieres Chriſtianas corpus tantæ fœditati reſervatum, ſic amare, ſic ornare, ſic colere, ſic nutrire: Mulier quædam, & cujus alias meminimus, fracta deliciis, cum omnem oblatam ſibi pœnitentiam recuſaret, hanc unam ſolam admiſit, ut quoties manus lavaret, hoc cogitaret, Illarum manuum carnem aliquando putridam futuram; cum id aliquoties feciſſet, mores improbos deſeruit, & mutavit mentem. Nemo itaque ſinat ſibi imponi oculorum præſtigiis, & fuco pulchritudinis. Fac, quod monet Auguſtinus in Pſalm. 58. Vides viventem, cogita morientem. Quam prudenter agunt virgines prudentes, & Deo dicatæ, quæ rem adeo vilem negligunt, quæ ſuo corpori non parcunt, quæ vexant, & quæ ſepulchrum præveniunt!

III. Status, in quem corpus redigitur, eſt ultima putrefactio, reductio videlicet in pulverem, atque cinerem: quæ in quibuſdam quidem celerius fit, in aliis tardius, ſed quam nemo aliquando effugiet, ſaltem in ultima conflagratione. Ac licet ea putrefactio minus habeat horroris quoad ſenſum, quam prima, major tamen eſt corruptio: neque enim major eſſe poteſt, nec in pejorem ſtatum reductio: quia, ut alias diximus, eo uſque decreſcit Gigas, ut vix urnam compleat; & corpora, quæ in hoc templo jacent, quæque ſi ſuper ſe invicem congeſta manſiſſent, qualia huc delata ſunt, jam ſuperarent ejus fornicem; eo tamen ſunt redacta, ut eorum cineres nondum ejus fundamentum altius effecerint, quin omnia in nihilum reciderent. Dixi, peſſimum hunc eſſe ſtatum: Nam rei omnium abjectiſſimæ conditiones in cinere reperiuntur, ut initio Quadrageſimæ oſtendimus.

Ex quo, quæ tunc collegimus, nunc quoque nobis ſunt colligenda:

1. Quam verum, facile, & ſolidum hinc habeamus humilitatis fundamentum, &c.

2. Quanti humana omnia, non ipſos, & alios, quicumque tandem ſint, ſi externa tantum aſpiciantur, facere debeamus, ut nihil agamus indebitum aut indecorum, & contra Dei legem, aut rationem, ob alterius reverentiam; & audiamus ſemper generoſum Matathiam, cujus meminimus, ſuos filios ita admonentis lib. 1. Machab. 2. *Et a verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus, & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non invenient: quia converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus periit*: Si enim in ea cogitatione immoremur, illa & animis noſtris rerum terreſtrium contemptum ingenerabit, & nos ad cæleſtia bona optanda traducet, donec ad ea poſſidenda tranſeamus, quod præſtare dignetur Dominus noſter JESUS Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat Deus in æternum. Amen.

## CONCIO SECUNDA.

### Status Animæ in ipſa Morte ex eodem conſpectu Lazari in ſepulchro.

*Veni, & vide*. Joann. 11.

QUemadmodum in corpore ſui ſunt oculi, ita etiam animus ſuos habet, & huc valet argumentum ipſius Dei, apud Iſai. 66. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam?* Et apud David Pſalm. 93. *Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non conſiderat*. Nam eodem modo dici poteſt, ſi corpus videt per animam, an non ipſa anima per ſe etiam videt? Sed ſicut corpus habet oculos corporeos, ſic animus habet ſpiritales; item diverſa ſunt utriuſque ſenſus objecta, ut ſcias quædam ab animo videri poſſe, quæ a nullo corporeo oculo cerni poſſunt. Hinc fit, ut ſicut vos invitavi, ut in ſepulchro corpus inanime videretis, ſecundum illud, *Veni, & vide*, nunc eodem modo hodie vos invitem, ut videatis, quid in anima mors efficiat: quæ conſideratio duplex eſſe poteſt; Una eſt ultimi ſtatus in tempore; altera primi ſtatus in æternitate, hoc eſt, in ultima vitæ præſentis hora, & in prima futuræ; cum duo hæc tempora mors reſpiciat. Incipiamus hodie a primo, quod eſt ultima vitæ hora, & ultimus animæ ſtatus: *Veni, & vide*. Verum nemo videre poteſt ſine lumine, nemo, uti oportet, venire poteſt ad videndum ſine gratia: utrumque igitur e cælo accerſendum eſt. *Ave Maria*.

Quæ

Digitized by Google

QUæ ſcripſit hominum ſapientiſſimus Salomon Eccleſiaſtis 3. non levem habent in ſenſu difficultatem. *Unus interitus eſt hominis, & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo, jumento amplius: cuncta ſubjacent vanitati*: Quibus verbis ſignificare videtur Salomon, nullum eſſe inter homines atque beſtias diſcrimen, cum ſit par exitus moriendi, ſicut & ſpirandi modus in vita, & proclivitas ad mutationem. Inde multis viſum eſt Salomonem locutum eſſe in perſona impiorum male ſentientium de animæ immortalitate, uti docent Gregorius Thaumaturgus & S. Thomas 1. par. quæſt. 75. art. 6. 1. quaſi dicerent impii, ita hominem totum interire, ſicut beſtiæ intereunt: vel ſicut corpus moritur, ita anima: quaſi per hominem animam ſignificaſſet, corpus autem per jumentum; ut ſi eſſet utriuſque partis æqualis conditio. Verum ſapiens de ſolo corpore loquitur, cujus mortem ait non differre a morte jumentorum, unde ſubdit: *Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur*: quod ſatis oſtendimus in præcedenti diſcurſu, in quo docuimus, in quem ſtatum hominis corpus mors reducat. De hoc ſolo hic agi ſic probat S. Hieronym. ubi ſubdit Sapiens: *Omnia pergunt ad unum locum: de terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur*: ſolum autem corpus de terra factum eſt, unde illud ſolum in terram revertitur, ſecundum illud: *Donec revertaris in terram, de qua ſumptus es.* Geneſ. 3. Nam ſi de anima agatur, audi eumdem Sapientem in capite ultimo ejuſdem libri, hoc eſt duodecimo: *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, ut ſcias diverſam eſſe corporis, & animæ originem, & conſequenter diverſum poſt mortem ſtatum, cum corpus reddatur terræ, anima Deo, unde conſtat mortalitas corporis, & animæ immortalitas. Quod & confirmatur ex eo, quod idem Sapiens, qui dixerat unam eſſe conditionem corporis hominum & jumentorum, aſſerit diverſam eſſe animam his verbis: *Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* per hunc enim aſcenſum animorum poſt mortem, indicat eos eſſe immortales, cum talem aſcenſum, ut dictum eſt, explicet in capite ultimo per reditum ad Deum; ſicut per deſcenſum animalium, eorum totalem interitum oſtendit, quorum ſpiritus deſcendat deorſum, id eſt, in eumdem locum, quo corpus deſcendit, uno verbo, in corruptionem. Neque obſtat, quod Sapiens id aſſerat per interrogationem, cum dicit: *Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Hic enim modus loquendi, rem ipſam non negat, neque dubiam facit; ſed oſtendit, uti notat Sanctus Hieronymus, rem a paucis bene cognitam ob difficilem probationem, & externam ſimilitudinem: unde Sapiens, ut exprimat paucitatem eorum, qui rem bene norunt, utitur interrogatione.

Verum licet mors nihil efficere poſſit contra animæ exiſtentiam, quia immortalis eſt; quia tamen eſt totius hominis pœna, & quia in toto homine graves efficit mutationes, propterea poſtquam oſtendimus, quid mors circa corpus efficiat in triplici ſtatu, in quo corpus ponit, mihi nunc oſtendendum eſt, quod efficiat in anima. I. quidem proxime ante mortem: II. in ipſo animæ diſceſſu, cum primum deſiit eſſe corporis forma, III. cum primum ad alteram vitam pertinet.

Nobis hodie tantum de I. ſtatu agendum eſt, quam graphice deſcripſit S. Joannes in Apocalypſi cap. 6. in ſignis præcedentibus Judicium univerſale. Nam ſicut illa ſigna in toto orbe præcedent idem Judicium, ut ſciant homines, quale tandem illud exſpectare debeant, ita in ſingulis hominibus quædam præcedunt judicium particulare: Et ſicut cum evenient in toto orbe, ſigna erunt brevi perituri orbis; ita cum præcedent in ſingulis hominibus, ſignum erunt hominis jam morituri.

I. Signum eſt hujuſmodi: *Et ecce terræ motus factus eſt magnus*; id eſt, ex phraſi Scripturæ, magna rerum mutatio: nam, ut ait S. Gregorius Nazianz. orat. 37. nulla facta eſt inſignis mutatio ſtatus, quam non deſiguarit terræ motus. Itaque 1. cum facta eſt mutatio a ſimulachrorum cultu ad legem, tunc præceſſit terræ motus, uti dicitur in Exodo, unde Apoſtolus Hebr. 12. *Cujus vox movit terram tunc*: 2. pariter cum facta eſt mutatio a lege ad Evangelium, quæ facta eſt die Pentecoſtes, domus Apoſtolorum concuſſa eſt; Actorum 2. *Factus eſt repente de cælo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes*: immo prius cælum concuſſum eſt, atque inde motus in terra, ut indicaretur mutatio ſtatus, ſecundum prophetiam Aggæi ante annos quingentos, *Adhuc ſemel, & ego movebo non ſolum terram, ſed & cælum*; quæ verba ita exponit ibid. S. Paulus: *Quod autem ſemel dicit, declarat mobilium tranſlationem tamquam factorum, ut maneant ea, quæ ſunt immobilia*: Ideſt, motus ille ſignificavit mutationem Legis antiquæ, vere mobilis, quia mutanda erat: & ratio ſubditur, *tamquam factorum*, hoc eſt impletorum, quaſi diceret, ideo Lex vetus eſt abolita, quia impleta; mobilium autem dicitur, quia non fuerat inſtituta, ut ſemper maneret, ſed ut aliam promitteret, unde pollicitus erat Deus, ſe adhuc terram, & cælum commoturum, & conſequenter ſe Legem mutaturum: ut autem hæc mutatio intelligeretur exſpectanda a Lege non terrena, ſed cæleſti, ideo non tantum terra, ut in priori Lege, ſed etiam cælum motum eſt. 3. Denique ad propoſitum noſtrum fit magnus terræ motus ex phraſi Scripturæ, cum mors inſtat; ſit enim migratio ab hac vita ad æternam, quæ magna eſt rerum mutatio ratione animæ, ut eſt ingens perturbatio in homine ratione corporis ipſius, ex diuturnitate, & gravitate morbi, & mortis vicinitate. Vide enim ſtatum hominis in agonia poſiti, hoc eſt in ultimo conflictu, nempe ſtatum medium inter vitam & mortem, quo tempore ferme ceſſant ſenſuum omnia officia, caligant oculi, aures obſurdeſcunt, lingua tacet, nares non olfaciunt, manus omnia quærunt, & non ſentiunt, intumeſcit pectus, vix primo trahit ſpiritum, cor deficit, membra omnia languent, adeoque graves dolores exoriuntur, ſecundum illud Pſalm. 114.

Cir-

Digitized by Google

*Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me, tribulationem, & dolorem inveni*, ut vix patiantur aliquam de ſalute animæ ſuſcipi cogitationem, quia ex Auguſtino, illuc naturaliter rapitur intentio mentis, ubi eſt vis doloris. Hinc inſenſibilitas in omnibus ſenſibus, defectus in viribus, & ſenſum faciſcens natura; quoniam paulatim anima ſe totam ad ſeipſam revocat, corpuſque deſerit; & ſicut ex terræ motu corruunt ædificia; ita totius hominis compoſitio & ſtructura diſſolvitur: & quemadmodum ejuſmodi motus ingentem hominibus timorem infert; ita tunc ingens oritur animæ timor, ac trepidatio, quod intelligat ſibi a corpore eſſe diſcedendum, nec in eo turam eſſe deinceps habitationem. Hinc judica, an prudenter agant illi, qui ad illud tempus differunt ſuam pœnitentiam, cum ne tunc quidem vivere, aut eſſe liceat, vixque anima poſſit retinere partes corporis dilabentis, immo corruentis. Voco te, mi Auditor! ad tuam experientiam: Si unquam graviſſime ægrotaſti, quarum tunc rerum capax fuiſti? Sed ſi alicui morienti adſuiſti; num eum tunc in ea perturbatione idoneum judicaſti, qui negotium aliquod magni momenti tractaret? quanto minus, ut de negotio omnium graviſſimo, quod æternitatem ſpectat, ageret? Vide autem, quam ſit parum idoneum tempus agendæ pœnitentiæ, ubi omnia ſolatia quæruntur ratione talis ſtatus, qui ut plurimum omnibus hominibus contingit. Quam multos ille aſpectus convertit? Cur tu illud tempus tua prudentia non prævenis? Nam tibi ſufficit, ut alii tibi ſint in exemplum? Cur aliis eſſe vis? & quidem ad eorum utilitatem, & ad tuum damnum?

II. Signum ſic exprimitur: *Et Sol factus eſt niger tamquam ſaccus cilicinus*. Significatur gravis mutatio in intellectu, nam quod Sol eſt in mundo, propter principium illuminationis, illud eſt intellectus in anima. Illa autem mutatio conſiſtit: 1. In ejus obtenebratione, & quaſi extinctione, quoad lumina naturalia & ſupernaturalia. Primo quidem perturbata imaginatione, a qua intellectus aliquo modo dependet in operando, ob hujus vitæ ſtatum: nam, ut ait Ariſtoteles, intelligentem oportet phantaſmata ſpeculari. Secundo abeuntibus ſpeciebus, & paulatim inductis, corrupto earum ſubjecto, ac deficientibus ſpiritibus, qui ſunt inſtrumenta, quibus ſaltem remote fit intellectio propter dependentiam ab imaginatione, unde Tertullianus vocat membrum ſapientiæ. Sicut enim in nobis prius vivit animale, tum deinde quod eſt rationale, ſecundum illud Apoſtoli 1. Corinth. 15. *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale*; ita etiam prius deficit rationale, & ultimum eſt animale: ideoque ſi deficit animale, ſane conſequens eſt jam defeciſſe rationale. Quod ſi deficiunt lumina naturalia, multo magis ſupernaturalia, quæ in multis potiſſimum deficiunt illo tempore juſto Dei judicio, licet per totum vitæ tempus abundarint: qua de re illum Jobi locum intelligo, cum ait cap. 18. *Nonne lux impii extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis ejus? lux obtenebreſcit in tabernaculo illius, & lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur*: quaſi dicat, & præteritum lumen amittet, & novum accendere non poterit, quia amittet præteritas cogitationes, & novas non habebit huic tempori opportunas.

2. Mutatio eſt in qualitate cogitationum, quas non niſi horrendas habebit, de ſuo corpore; de vita præterita; de ſtatu præſente; de imminente exitu; de dæmonibus ſeſe oſtendentibus, tentantibus, ac ſævientibus; de Deo revocante, rationem exigente, condemnante, puniente; in quibus nihil videbit, quod non terreat: etenim intellectus, ſeu animæ Sol: *Factus eſt niger, tamquam ſaccus cilicinus*. Occurret mors, ſepulchrum, cinis, & omnia alia funeſta; occurret Judicis facies & ira, ratio reddenda, examinis ſeveritas, accuſatio, convictio, condemnatio, ſupplicia, &c. Oſtendet ſe ex propinquo æternitas, & illa ſæculorum inſuperabilis immenſitas; impoſſibilitas remeandi ad priſtinum ſtatum, quia priora abierunt; præſentia rerum intoleranda propter anguſtiam, & rerum incertitudo futurarum, quod optime expreſſam his verbis ab Eccl. c. 8. *Nec ſinitur quieſcere ingruente bello*, alias oſtendimus.

Quamquam enim iſta fortaſſe non omnibus eveniant, pluribus tamen ita contingunt, licet illud non videatur: unde paſſim omnes Patres horam mortis uti rem maxime formidabilem ab inſidiis, & oppugnationibus dæmonum, ſicut & a magnis terroribus, & doloribus extremis, nobis repræſentant. Et ea quidem accidunt ex cogitationibus intellectus, quæ cum non menſurentur temporis duratione, poſſunt eſſe variæ, & innumeræ in tempore breviſſimo; uti eſſe poſſunt in minimo loci ſpatio innumeri Angeli & dæmones, ut in illo Energumeno, de quo Lucas cap. 8. in quo fuit legio, hoc eſt, plures dæmones.

III. Signum. *Et Luna tota facta eſt ſicut ſanguis*: Equidem uti Luna omne lumen recipit a Sole, & mutationi maxime obnoxia eſt, & rebus inferioribus dominatur; Ita voluntas ac libertas in homine omne lumen accipit ab intellectu, ut a ſuo Sole. Mutationi vero obnoxia eſt propter libertatem, & indifferentiam, & fere ſequitur variationem cogitationum, & rerum, quæ ipſi proponuntur. Denique potentiis inferioribus dominatur. Fit autem ipſa tota ſicut ſanguis propter pœnitentiam: quia omnia ſua ei diſplicent, & ſe totam ipſa cruciat, & quaſi cruentat variis, atque diverſis affectibus: Nollet fuiſſe, quod fuit, quod tamen fieri nequit; quod enim factum eſt, nequit eſſe infectum: & contrario voto, vellet eſſe, quod non fuit, quod neque eſſe poteſt; nam quæ fuere priora, tranſierunt: item quod nunc eſt, nollet eſſe, ſed inutiliter; & tamen voto contrario, vellet id ſemper eſſe, ne ſit aliquid deterius: Denique futurum appetit, & timet: appetit, quod præſens putat intolerabile: timet, quia quale ſit, neſcit, & ſemper gravius futurum ſuſpicatur: itaque diſſimili voto, eadem amat, & odit, amplectitur, & fugit, inſequitur, & averſatur: Unde fit, ut ſeipſam diſcindat, diſcerpatve, in quo eſt cruciatio, & velut quædam cruentatio. *Et Luna non dabit lumen ſuum*: dicebat Chriſtus loquens de ſignis judicii, Matt. 24. ſed in morte, voluntas, quæ ex ſua natura plena ſemper eſt voluptatis, & tota

in

Digitized by Google

in amoribus boni, quaſi ſuæ naturæ eſſet oblita, tota in odium ſui tranſiit. Ubi illa vota, ubi incenſa deſideria? Ubi teneri illi amores, delectationes atque riſus? abierunt omnia, nec illi ex tota vita quidquam eſt reliqui, niſi triſtitia, timor, odium, deſperatio. Tunc quæcumque alias tibi placuerunt, ſummopere tibi diſplicebunt; quæ amaſti, erunt in odio; quæ fuerunt jucunda & grata, erunt ingrata & odioſa, ſecundum illud Oſeæ 2. *Et ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolemnitatem ejus, neomeniam ejus, Sabbatum ejus, & omnia feſta tempora ejus.*

IV. Signum. *Et ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram*: hoc eſt, ſpoliatur anima ſuis ornamentis, & præſidiis. Fit enim prima denudatio: major in ipſa morte, maxima poſt condemnationem. Incipit itaque ſpoliari cognitionibus, ſcientiis, & virtutibus, ſaltem quoad uſum, quia illis uti jam non valet, unde dicuntur cadere ſuper terram, quaſi ſint inutiles. Ratio duplex eſt: 1. Quia noſtræ cogitationes fere ſunt de rebus hujus vitæ, quæ jam præterit, itaque eo tempore ut inutiles pereunt. 2. Quia virtutes noſtræ, ut tantis malis ſunt impares, ita illis ſuccumbunt. Sic implebitur illud Jobi cap. 21. *Lucerna impiorum extinguetur, & superveniet eis inundatio, & dolores furoris ſui.* Vanæ enim ſcientiæ tunc concidunt, & aliunde tentationes graves, & malæ, quæ animam hinc atque inde adoriuntur, tamquam varii ejuſdem fluminis, aut torrentis rivi, hominem inundant & demergunt.

V. Signum. *Et cælum receſſit ſicut liber involutus*: Alluditur ad locum Iſa. 40. *Et complicabuntur ſicut liber cæli*: Mementote eorum librorum, de quibus Daniel, c. 7. *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt*: De quibus etiam in eadem Apoc. 20. *Et vidi mortuos magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni & libri aperti ſunt*, &c. *Et judicati ſunt mortui, ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum*: Significatur itaque per ejuſmodi librum conſcientia, quæ quamdiu ſumus in hac vita, in noſtra remanet poteſtate, in ea ſcribimus, quæ volumus, vel delemus, uti placet: complicatur autem, quando a nobis aufertur, nec eſt amplius in noſtra poteſtate, quod fit, quando finitur, & completur ſine ulla ſpe mutationis. Complicantur etiam libri, cum finis imponitur meritis, atque demeritis, & omnis ſpes pœnitentiæ intercluditur, quod fit in morte. Inſuper involutus liber ſignificat ignotum eſſe animæ, an majora ſint ejus merita, quam demerita: an anima ſit in gratia, an in peccato: Id enim ſolum innoteſcit per judicium, in quo tantum aperiri dicuntur libri: non enim in hac vita ſemper eos implemus, augemuſque, aut etiam per pœnitentiam minuimus, atque inducimus, in morte vero finimus, atque abſolvimus: & propterea tunc dicuntur complicari, ac recedere, etenim auferuntur a nobis, quia non ſunt amplius in noſtra poteſtate: ſi enim in vita quædam in eis delere potuimus, addere, & minuere; in morte hæc poteſtas a nobis aufertur: aperiuntur autem in judicio, quia mortui judicari debent ex iis, quæ in illis ſcripta reperiuntur. Signum igitur adventantis mortis eſt, cum terminus imponitur noſtris actionibus.

VI. Signum eſt: *& omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt.* Hac phraſi ſignificat Scriptura complanata eſſe omnia, & impedimenta remota, qualia eſſe ſolent montes in itinere pedeſtri, & inſulæ ad navigationem. Ad argumenti noſtri rationem ſenſus iſte eſt, quod univerſæ formidines, ſpeſque evaneſcunt, perinde ac ſi numquam fuiſſent; morte facilem viam præſtante rebus omnibus, ac efficiente, quod ad id uſque temporis viſum fuerat fieri non poſſe. 1. Ut perdamus rerum omnium creatarum amorem: ita videmus ſæpius, parentes oblviſci liberorum, maritum uxoris, &c. 2. Ut ad extremum illum, cujuſmodi præſens eſt, ſtatum redigamur. Tunc ſubducunt ſe ex oculis animoque noſtro omnes illi montes: ſicut & hæc difficultas, & impoſſibilitatis ratio, quam finxeramus obtinendæ virtutis, affligendi corporis, aſpernandæ gloriæ, noſque ipſos abdicandi. Similiter Inſulæ illæ omnes eſſe deſinent, hoc eſt, quod nihil potuerit navigationem, & hujus vitæ curſum retardare, quandoquidem ad finem pervenimus. Sic univerſæ ſpes, cupiditateſque, quibus tamquam velis ac remis ferebamur quaſi ad fortunatas Inſulas, ſe noſtro e conſpectu abripiunt, & videntur abſorptæ in profundo non maris, ſed mortis, ubi deperduntur omnia. Inſulæ illæ magnitudinis, auctoritatis, divitiarum, voluptatum, vitæ diuturnæ, integræ valetudinis & perfectæ, non amplius futuræ ſunt. *Omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi*: aut idem Joan. in deſcriptione effuſionis phialarum iræ Dei: Apocal. 16.

VII. Signum. *Et Reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicunt montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?* Significatur ingens metus, & trepidatio, a qua nos nulla ſecuritas in morte liberat. Enumerantur autem varii ſtatus hominum, quia hæ differentiæ non ſunt nativitatis & exitus, ſed medii temporis, cujus cum adſit finis, illa omnia tunc non juvant: unde quæ hic proponuntur, omnibus ſunt communia. Oritur autem ingens illa trepidatio.

1. Ex ignoratione odii, vel amoris Dei; hoc eſt ſtatus ſui: *Nam neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit.* Eccl. 9. idque omnibus venit, ſed longe major eſt eorum timor ac trepidatio, qui ſciunt ſe eſſe odio dignos.

2. Ex incertitudine veræ contritionis, veræque pœnitentiæ. Quis enim ſcit, an ex mera neceſſitate peccatum deſerat?

3. Ex gravitate peccatorum, quæ tunc ſeſe prodit, cum tamen antea levia putarentur, ac negligerentur, tunc autem homini ſeſe offerunt inſtar exercitus, & ingentis multitudinis.

4. Ex gravibus tentationibus, & aſſaltibus dæmonis terrentis per varias viſiones, & per varias tentationes atque vapores exagitantis, & præſertim moventis ad deſperationem, ſecundum illud Iſaiæ 14. *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus*

tui

Digitized by Google

*tui, ſuſcitavit tibi gigantes*: cujus rei innumera ſunt exempla in vitis, & hiſtoriis Sanctorum.

5. Ex apprehenſione ſeveritatis Judicis adventantis: ſicut enim in vita Deum non cogitaſti, niſi miſericordem, ita tunc non cogitas, niſi ut ſeverum, ſecundum illud Jobic. 30. *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi*.

6. Ex animi incredibili perplexitate, atque anxietate, quia neſcit homo, an adhuc ſit in hac vita, an in alia: nam ſopitis & fere extinctis ſenſibus, omnia præſentia diſparent, aliunde æger, inſcius, & expers alterius vitæ, neſcit, ubi ſit, & propterea ignorat, ſi aliquis ſit adhuc pœnitendi locus: atque hinc exiſtit deſperatio, cum anima inops conſilii quidlibet potius ſubire parata ſit, quam irati Judicis conſpectum ſubire. Sed quid agat miſera? retrocedere non poteſt: ſe enim totam expelli ſentit e corpore, cum uti non poſſit amplius, nec regere aut animare illud valeat deſtructa temperie; ultra progredi maxime timet, neſciens quo eat, & rerum ulteriorum ignara; ac ſupra omnia Judicem formidat: hic autem manere, & in eodem ſtatu ſiſtere non permittitur; quoniam tranſitus eſt, non autem ſtatus: & exſpectatio tam arcta, & preſſa non minimum eſt ſupplicium; in qua cogitur ſui triplicis ſtatus pœnas ſubire; dolorem jacturæ prioris ſtatus amiſſi; metum futuri; præſentis autem ſenſum, & tormentum.

Ecce, dilecte mi Auditor! quo mors primi ſui acceſſu animam redigit: Etenim hæc omnia ſingulis contingunt; ſeu lenta morte conficiantur, ſeu repentina. Nos certe in iis, qui diu laborant in agonia, harum rerum quædam videmus argumenta: in iis vero, qui ſubito intereunt, non minus illa contingunt, quoniam cum in animo fiant, eodem modo fiunt, quo res ſpirituales; quæ uti cum locis comparatæ, nullam ex neceſſitate poſtulant extenſionem, (vides enim animam totam in puero, & in ſingulis corporis partibus; Chriſtum totum in minima parte hoſtiæ; multos in uno corpore dæmones) ita cum durationi & tempori comparantur non ex neceſſitate poſtulant extenſionem, ſed in uno inſtanti exiſtunt, uti tota Dei æternitas.

Hoc igitur unum a te peto & ſerio: Num judicas ad hæc omnia tibi non opus eſſe viribus giganteis, & ſupra humanam facultatem? quomodo ergo tu tantis malis unus ſufficies? Minima te occaſio agit præcipitem: minima terret difficultas: minima tentatio proſternit: quid ergo tunc facies? Tu ne ſentis ſatis tibi eſſe virium ad hæc omnia non ferenda ſolum, ſed ſuperanda? Quid cogitas? quid ſperas? quid exſpectas? ubi tua ſpes, & confidentia? cur tuis rebus non provides? cur te ad iſta non comparas, operibus bonis, continuis precibus, dura exercitatione? Vide, quid ſperandum ſit de maxima hominum parte, qui vivunt in tanta ſecuritate, in otio & falſa pace. Item, num rationem habuerint Sancti, cum de ſua morte ita fuerunt ſolliciti? Nonne te pudet in aliis rebus humanis ac perituris, & hujus ſæculi, adeo eſſe prudentem, & ſollicitum; & illam unam rem, quæ tanti eſt momenti, negligere? Quod ſi harum rerum ſola cogitatio nos ita terret, atque afficit, quanto magis præſentia, & experientia?

Quid agimus, Auditores! quid cogitamus? quid in hujus vitæ nugis nos occupari ſinimus? nec ad iſta nos præparamus? Hic aurum colligit; hic honores ſequitur; hic in luxuriis vitam tranſigit, & uſu voluptatum; Nemo fere de ſua morte cogitat, & ſi aliquis cogitat, tantum de teſtamento cogitat; de ſuis negotiis, de ſua ſepultura, de liberis, de iis quos relinquit: ſed nemo qualem mortem habebit, & quæ mortem comitari ſolent: Et tamen hæc omnia, quæ recenſuimus, unumquemque noſtrum monent: Nemo eſt liber, nemo qui eximatur, hoc omnibus continget. Quam jure merito, cum morti vicinus eſſet Theophilus Alexandrinus, exclamabat, vere beatus es Abbas Arſeni, qui ſemper hanc horam ob oculos habuiſti: Hora intolerabilis, cum adeſt ex improviſo, & occupat non opinantem: hora utilis, cum cogitatur: Hanc horam unicuique vita componit. Luc. 21. *Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt*. Quomodo fugere poterimus, ſi futura ſunt non providentibus? Sed ea fugient, qui providerint. Tu provide, & fuge: providebis autem, ſi vigilaveris, & oraveris omni tempore: *Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate*. Quod nobis concedere dignetur Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Amen.

## CONCIO TERTIA.

### Anima extra corpus quoad ſe ſpectata.

*Veni, & vide*. Joann. 11.

VIdere incepimus, quo in ſtatu mors hominem ponat, non tantum ratione corporis, ſed etiam animæ, quæ quidem melior eſt ejus pars & æterna. Pergimus in eodem argumento, & quod in eo eſt obſcurius, ſed & utilius, indagamus. Si enim homo ſe cognoſcit ratione partis corporeæ, ſupereſt quoque, ut ſe norat ratione partis ſpiritualis, utpote præſtantioris, ut ſeipſum eo modo totum agnoſcat: juxta illud Philoſophiæ veteris pronunciatum γνῶθι σεαυτόν. Noſce teipſum, quod in veſtibulo templi Apollinis Delphici inſcriptum fuiſſe, teſtatur Plato in Charmide. Certe ſicut in vita nemo bene novit corpus ſuum, ſed poſt corporis diſſolutionem omnia, quæ latebant nobis, innoteſcunt: ita quid ſit anima, pauci norunt in vita, adeo implexa eſt corpori: unde tot Philoſophorum de animæ ſubſtantia opiniones, aliis eam igneæ naturæ, aliis aereæ, aliis ex æthere, vel ex anima mundi delibatam aſſerentibus: ſed cum erit corpore exuta, ſeipſam noſcet, qualis eſt. Nos ſaltem qualis futura ſit, hodie conjectura aſſequamur, quantum poſſumus. Sed in re tam obſcura, inſolito lumine indigemus: unde autem melius, quam a Virgine poſtulandum? *Ave Maria*.

NEſcio, Auditores, quodnam judicium facturi eſtis de ſuſceptione rei, quam mihi hodierna die propoſui; neque dubito, quin me nonnulli accuſent temeritatis, cum audeam ingredi viam,

quæ

Digitized by Google

quæ nullius mortalium pede trita eſt, ſcilicet ſermonem habendum de ſtatu animæ in altera vita, quæ nobis omnino incognita eſt extraque experientiam noſtram. Atque aliquis dicet in me non eſſe ea de re loqui, de qua nemo ad hunc uſque diem locutus eſt: Alii arguent me novitatis, aut curioſitatis, qui ſermonem aggredior de argumento, quod neque in ſcholis Magiſtri, neque eruditi in ſcriptis tractatibuſque nos docent: Verum ſuſtinebo hilariter, quidquid vituperationis in me a vobis adhibebitur, dummodo ſaluti animarum veſtrarum ſervire poſſim, meaque temeritas vobis fructuoſa ſit; in eo Pauli Apoſtoli exemplum perſequens, qui minime ſollicitus fuit, quod ipſius adverſarii, ut ei ſtomachum moverent, ab invidia in illum ſuſcepta prædicarent S. Evangelium, modo prædicaretur Jeſus Chriſtus, & hominibus innoteſceret: ad Philipp. 1. *Dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Idem tanti Apoſtoli exemplo, audeo dicere, & veſtræ ſalutis cauſa audeo illud aggredi, quod vires meas ſuperat, nempe vobis exponere, quo mors animam ponat in ſtatu, in ipſius animæ diſceſſu, quo primum incipit eſſe ſine corpore. In quo ſtatu quatuor poſſumus in anima ſpectare: 1. ejus ſubſtantiam, & quæ ratione ſubſtantiæ ei conveniunt: 2. Intellectum ipſius, & modum ejus intelligendi: 3. Voluntatem & ejus operationes: 4. Paſſiones: nam licet paſſiones proprie dictæ ſint in ipſo corpore, quoad corporalem immutationem, tamen quoad principia actionum ſunt in anima: proprie quidem in conjuncta; ſed etiam in eadem ſeparata ſunt quidam actus reſpondentes actibus, & mutationibus paſſionum, quibus corpora commoventur. Hodie tantum tractabimus de iis, quæ conveniunt ſubſtantiæ ipſius animæ, in qua, cum erit ſeparata a corpore, hæc a me ſpectantur.

I. Ipſius poſt hominis mortem permanſio in vita, quæ fit cum anima huic vitæ mortalis ſit ſuperſtes. Scio fuiſſe aliquos & Philoſophos, & Hæreticos, qui eam eſſe mortalem, & una cum corpore perire cenſuerunt: Ita Epicurus ex Plutarcho lib. de Placitis Philoſophorum, & qui Epicuri fuerunt Diſcipuli, ut Poeta Lucretius & alii: idem docuit Democritus, ſi Lactantio credimus, lib. 3. de Divin. inſtit. cap. 18. idem Plin. lib. 1. hiſtor. cap. 53. & 55. idem exiſtimaverunt Sadducæi, & nonnulli Hæretici relati a Damaſceno lib. de Hæret. Fundamentum hujus erroris fuit, quod nulla apparet differentia in ratione vitæ inter hominem, & belluam, ut igitur animæ animantium extinguuntur, ita etiam animæ hominum pereunt. Et is viſus eſt quibuſdam fuiſſe ſenſus Sapientis Eccleſiaſtis c. 3. cum pronunciavit unum eſſe interitum hominis & jumentorum, aliaque id genus, quæ ſuperiori Concione retulimus, oſtendentes eum non ita cenſuiſſe.

Hæc ſiquidem ſententia fuit tantum hominum impiorum: Et de fide eſt animam hominis non deſinere eſſe, cum corpus vivere deſinit, eaque corpus relinquit; ſed ipſi eſſe ſuperſtitem.

Probatur 1. Ex Scripturis. Et quidem Sapiens c. 2. libri Sapientiæ, poſtquam retulit eorum errorem, qui in morte hominis animam interire putabant: *Cinis erit* (ajebant) *corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tamquam mollis aer:* (hinc illa Ethnicorum conſuetudo, ut corporum cineres in urnas colligerent, & morientium quos amarent, ore ſpiritus legerent;) Sapiens, inquam, ſubdit ſuum ſenſum. *Hæc cogitaverunt & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum.* Et propterea idem ſic loquitur de Juſtis c. 3. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*; utique ſecundum animas: nam etiam juſti moriuntur ſicut alii, quoad vitam corporum attinet: & hic eſt verus ſenſus eorum verborum Eccleſiaſtis, quibus dicit jumenta & homines in hoc convenire, quod moriantur, ut liquere heri demonſtratum eſt, ex verbis ſequentibus, quæ ſunt de aſcenſu ſpiritus Filiorum Adam, & de deſcenſu ſpiritus jumentorum: cum iſte aſcenſus ſignificet animam hominis una cum corpore non diſſolvi, ſicut animantium ſpiritus ſimul cum eorum carne periit. Sed & eumdem Sapientem id de anima hominis aſſeveranter dixiſſe in cap. ultimo ejuſdem Eccleſiaſtis inſinuamus, quod & accuratius placet perpendere. Verba ſunt hæc: *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Alludit ſane ad hominis creationem: nam corpus hominis coagmentatum eſt ex terra, figurato autem homine ex terra, cum anima fuit infundenda, dicitur, quod Deus ſuo flatu animam inſpiravit, ut ſcias a materia non fuiſſe eductam, ſed, ut dixit Ariſtoteles lib. 2. de gener. animal. cap. 3. extrinſecus adveniſſe. Equidem quando animalia formata ſunt, una actione eorum corpus & anima producta ſunt; unde dicitur Geneſ. 1. *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Factumque eſt ita, Et fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas:* Sed quando agitur de hominis formatione, fit mentio duplicis actionis, unius, qua factum eſt corpus, alterius, qua anima inſpirata eſt: 1. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. Gen. 2.* En habes corporis formationem & materiam, & de eo dicitur a Sapiente: *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat*: alterius: *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*: Hic habes originem animæ, non a terra, ſed a Deo, non eductione a materia, ſed inſpiratione a Deo, & infuſione: & idcirco dicitur a Sapiente; *Et ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*: Inde apud nos mos ille mortem explicandi, ad Deum abiit, & Chriſtus moriens dixit Lucæ 23. *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum:* Et cap. 4. Sapient. de homine juſto dicitur: *Juſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: nec mirum, quia uti ſequitur cap. 3. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod a nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. In paucis vexati, in multis bene diſponentur.*

Sed quid clarius in hanc rem dici poteſt, quam quod ab ipſa Sapientia æterna incarnata prolatum eſt? Sic enim

Digitized by Google

enim ipſe Chriſtus ſuos hortatur Matthæi 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere*: Quod certe fruſtra diceretur, ſi ſimul cum corpore animus interiret; qui enim corpus perimeret, ſimul etiam animum interimeret, uti ſit in animantibus: Et moriens idem Chriſtus dixit Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, & alia plura paſſim, e quibus ſelectiora aliqua inferius poterunt ſubjici.

Et hoc eſt fundamentum totius hujus diſcurſus, quem habemus de anima ſeparata, ut non exiſtimes nos agere de re imaginaria: ac ne putes tua omnia concludi intra hujus vitæ terminos, cum præter hanc vitam corporalem alia ſit, quæ tota ad animam pertineat; ſciaſque proinde non ſolam rationem tibi habendam corporis, ſed etiam, & multo magis, animæ tuæ; nec tantum hujus vitæ, ſed & illius alterius, quam certe ignorare non debes, cum te potius ſpectet, quem hæc præſens.

§ II. Spectanda eſt Animæ immortalitas, ſive perpetua duratio; etenim non modo non perit anima cum corpore, ſed etiam in ſuo eſſe ſemper manſura eſt, & conſequenter eſt, & erit immortalis. Eſt contra quoſdam Philoſophos, qui dixerunt, animam quidem eſſe ad aliquod tempus corpori ſuperſtitem, ſed tamen non ſemper manſuram. Ita doctum fuiſſe a Stoicis refert Euſeb. lib. de præpar. Evangel. cap. 19. & Tullius 1. Tuſculan. idem tribuit Zenoni Iſidorus lib. 1. de Doctrina, & de dogmatibus fidei c. 15. Cum enim Stoici crederent animam eſſe flatum quemdam, putabant non ſtatim corrumpi poſt emiſſionem, ſed paulatim diſſluere, & extingui. Lutherus in art. 2. ex damnatis a Leone X. inter portenta quæ dixit eſſe in fide Romanæ Eccleſiæ, unum eſſe dixit animam eſſe immortalem. Sed ea veritas, nempe quod anima hominis ſit immortalis.

Probatur 1. ex Scriptura. Exod. 2. ait Dominus Moyſi: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob*: Ex hoc antecedente vide, quid Chriſtus concludat Matth. 22. *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*. Certe Deus non eſt alicujus Deus, pro aliquo tempore, niſi ille al[illegible] exiſtit, & Deum colat, atque veneretur ut ſuum numen; [illegible]tur oportuit, ut tunc ſuperſtites eſſent Abraham, Iſaac, & Jacob, alioqui non ſe illorum dixiſſet Deum. Ut autem ſcias ſemper victuros, audi quid dicat: *Hoc nomen mihi eſt in æternum*: Igitur juxta Chriſti interpretationem iſti vivent in æternum.

Idem colligitur ex promiſſionibus præmii æterni, quæ paſſim reponuntur in Scripturis, cap. 5. *Juſti autem in perpetuum vivent*. Et Joann. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*: Item ex pœna æterna, quæ reprobis irrogatur, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*: Itaque ſupponitur damnatorum exiſtentia æterna, & vita æterna.

2. Probatur non tantum auctoritate divina & Scripturarum, ſed & eorum, qui fuerunt ſapientia illuſtres, qui fere omnes ſtatuerunt animas hominum eſſe immortales: nimirum Sapientes Hebræorum, Chaldæorum; Ægyptiorum cum ſuo Mercurio Triſmegiſto; Indorum, Gallorum, quos Druydas appellabant; Pythagoricorum demum, &

Platonicorum cum ſuis anteſignanis. Audi Origenem l. 7. contra Celſum: Perſuaſum habent non ſolum Chriſtiani & Judæi, ſed etiam multi tam Græci, quam barbari, quod ſuperſit, & quod vivat poſt diſceſſum a corpore anima humana. Sic & Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. cap. 7. & 8. docet hunc fuiſſe ſenſum plurimorum Philoſophorum, ut Pythagoræ, Empedoclis, Socratis, Platonis, Stoicorum, & aliorum: de Ariſtotele ſeparatim dicemus. Denique eam ſententiam clare, & indubitanter tenuerunt omnes, qui vitæ ſanctitate, vel inſigni probitate, vel prophetiæ dono, vel miraculorum patratione celebres extiterunt. Qui vero illam negarunt, fere improbi fuerunt, Epicurei, & Athæi: unde eorum allata opinione, ſubdit Sapiens: *Hæc cogitaverunt, & erraverunt, excæcavit enim eos malitia eorum*, quia nimirum pravis fuerunt moribus, utque impunitatem aſſequerentur, negarunt animæ immortalitatem.

Quare non mirum, ſi hanc fidem definierit Concil. Lateranenſ. ſub Leone X. Seſſ. 8. his verbis: Cum diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis ſit ſaltem ſecundum Philoſophiam, ſacro approbante Concilio, damnamus ac reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe.

3. Probatur ex præclaro Ariſtotelis diſcurſu, quem habet 10. de Anima tex. 13. & 3. de anima cap. 4. Si anima rationalis habet operationem, aut actum ſibi proprium ſeu non communem cum corpore, eſt ſeparabilis, hoc eſt, exiſtere poteſt ſine corpore: nam operatio ſequitur eſſentiam, quare ſi habet operationem independentem a corpore, ſeu organo, ipſa etiam erit independens a materia, ſeu ſubjecto organico, & con[illegible] ſeparabilis, quia ejus eſſe non [illegible] a corpore, neque materia. Atqui anima [illegible] ſibi propriam & non com[illegible] ab eo ſeparabilis eſt, [illegible]re. Probatur minor [illegible] re eſt actio a[illegible] Quia i[illegible] probatur [illegible] omnia c[illegible] ſi[illegible]a, ſimplic[illegible] quod facere non poſſet, ſi eſſet potentia [illegible]ganica; Nam ex Anaxag[illegible] intus exiſtens prohi[bet] alienum: cum enim quodlibet organum cert[am] diſpoſitionem requirat, non poteſt eſſe potentia univerſalis ad omnia cognoſcenda: Sicut videmus in [ſen]ſibus, non eſſe aptam eamdem organi diſpoſitionem ad omnia ſenſibilia percipienda, unde neceſſarium fuit, ut plures eſſent ſenſus, & in diverſis organis, propter differentiam diſpoſitionum; omnis autem determinatio indifferentiam, ſeu univerſalitatem impedit, quam tamen ſcimus eſſe in intellectu, qui omnia objecta percipit. Et confirmatur ex objecto adæquato intellectus humani, quod eſt ens, in quantum eſt, ſeu in quantum verum: igitur intellectus abſtrahit ab omni organo corporeo. Antecedens probatur. Quia intellectus attingit omnia entia corporalia & ſpiritualia creata, & ipſum Deum increatum, ſubſtantiam, & accidentia, & alia omnia, quæ ut cadunt ſub unam potentiam, accipi debent ſub ali-

qua ratione **communi**, hæc autem ratio non poteſt eſſe alia, niſi entis, vel intelligibilis, ſeu veri: igitur hæc eſt ratio adæquata objecti intellectus. Probatur conſequentia. Nam omnis potentia organica, & materialis valde eſt limitata ratione materiæ: Cum igitur intellectus ſit poſſibilis fieri omnia, nullam debet habere determinationem in ſe, ſicut vas rotundum, vel alterius figuræ, determinat liquorem ad ſui figuram; ad hæc ſi haberet in ſe determinationem, non poſſet ſe extendere ad univerſitatem cujuſcumque objecti, præſertim ejus quod eſt dependens ab omni loco, tempore, & figura, & re ulla, quæ non cadit ſub ſenſus, ſeu in toto, ſeu in parte: unde ait Ariſtoteles 2. de anima text. 2 t. Intellectum non tantum percipere ſingularia, ſed etiam univerſalia.

4. Probatur intellectum non eſſe potentiam organicam ex eodem Ariſt. 3. de Anima c. 4. Quia omnis potentia organica, ratione organi læditur & impeditur a vehementi objecto, uti patet in ſenſibus: Nam auditus poſt ingentem ſonum, non percipit parvum, ſicut viſus poſt ingentem ſplendorem hebeſcit: Similiter olfactus aut guſtus, poſt vehementis objecti ſenſationem, minora objecta non ſentiunt: Intellectio autem non impeditur, nec intellectus læditur ab excellenti intelligibili, ſed ab eo magis perficitur, & qui excellentiora intelligibilia percipit, habilior redditur ad intelligenda inferiora: & inde Ariſtoteles concludit intellectum eſſe ſeparabilem, non autem ſenſum: & lib. 1. de Anima text. 92. dicit non poſſe aſſignari partem corporis, in qua ſit intellectus, quaſi in organo, vel per quam ipſum intelligere eliciatur. Idem confirmatur experientia, ex eodem 1. de Anim. text. 66. quod per ſenium corporis non labefactetur intellectus: unde idem Philoſophus l. 2. de gener. animal. c. 3. cum dixiſſet animas cæterorum animalium non poſſe advenire exterius, nec ſine corpore exiſtere, quia omnis earum operatio communis eſt, & cum corpore ſubdit: Reſtat igitur, ut ſola mens extrinſecus accedat, eaque ſola divina ſit, nihil enim cum ejus actione communicat actio corporalis: Et l. 10. Ethic. c. 8. dicit in homine eſſe partem aliquam divinam, & inde concludit, homines non oportere tantum mortalia cogitare, ſed quod fieri poteſt, immortales nos ipſos facere.

5. Eadem veritas probatur a priori. Principium intelligendi in nobis eſt incorporeum & ſpiritale, ut patet ex ejus operatione, adhucque poſtea probabimus, & nunc ſupponimus. Si eſt ſpiritale, profecto in ſua ſubſtantia eſt ſimplex, & indiviſibile tam in partes eſſentiales, quam in integrantes: omnis enim diviſio petitur a materia & quantitate: Si eſt ſimplex, & indiviſibile, eſt incorruptibile & immortale: Quia ex Sancto Gregorio Thaumaturgo lib. de Anima: omnis corruptio ſeu mors ſit per diſſolutionem, & ſeparationem unius ab alio. Igitur ſupponit compoſitionem. Nam idem a ſeipſo non ſeparatur: quam in ſententiam Gregor. Nyſſen. in oratione Catechetica cap. 8. Quomodo diſſolvi poſſet, quod non eſt compoſitum? nec item corrumpi poteſt ex ſeparatione a comparte, quia cum ſit ſpiritale, eſt immateriale & non pendet a ſubjecto: Vera itaque ratio & intrinſeca immortalitatis **animæ**, eſt ejus **immaterialitas**? Hæc autem probatur a poſteriori, nempe **ab** ejus operatione: cum itaque mors tantum ſeparet animam a corpore, non ſequitur animæ deſitio: Quia anima in ſuo eſſe non pendet a materia, & ideo poteſt exiſtere ſine illa: Nam ſi concurſu materiæ habet, quidquid ex parte ſua neceſſarium eſt ad exiſtendum, & ab aliis cauſis ſecundis non pendet, & propterea per ordinarium primæ cauſæ influxum conſervari poteſt in ſuo eſſe, licet a materia ſeparetur.

6. Probatio, licet ſit moralis, habet tamen apud me magnum pondus, & petitur a Dei providentia, & eſt ejuſmodi. Si eſt Deus, certe eſt aliqua providentia; ſi Deus habet providentiam & curam hujus mundi, & conſequenter, immo præcipue, rerum humanarum, ad ejus juſtitiam pertinet, ut mali puniantur, & boni aſſiciantur præmio: Hoc autem non fit in hac vita, in qua homines impii ac ſcelerati maxime florent, optimi vero quique maxime affliguntur, quaſi impietatis merces ſit proſperitas, juſtitiæ vero calamitas. Neceſſe eſt itaque eſſe aliam vitam, in qua juſtitia ſit operum retributio; non erit autem altera vita, ſi anima una cum corpore pereat. Quemadmodum igitur ſi non eſſet injuriarum retributio, vel pœna reis conſtituta, ſed omnia omnibus impune licerent: recte diceremus illud regnum vel carere rectore, vel ſi eſſet aliquis, illum eſſe injuſtum, & ſceleratorum fautorem: Ita ſi in hac vita omnia impune agerentur, neque alio tempore corrigerentur, recte colligeremus nullam eſſe providentiam, nullum ſupremum dominatorem, a quo res humanæ regantur, vel ſi ſit aliquis, illum eſſe injuſtum, & conſequenter nullum eſſe numen. Unde Clemens Rom. lib. 3. Recognit. Si Deus juſtus eſt, anima immortalis eſt. Et Origenes in Cantica: Ubi eſſet juſtitia Dei, ubi bonorum merces, ſi anima eſſet mortalis? Hæc tota ratiocinatio eſt S. Chryſoſt. ſerm. 4. de Providentia. Si nihil eſt poſt hanc vitam, id eſt, ſi anima cum corpore extinguitur; ergo neque Deus eſt: Nam ſi Deus eſt, juſtus eſt, & juxta merita unicuique diſtribuit; ſi autem nihil eſt poſt hanc vitam, ubi accipient ſinguli pro ſuis meritis? Multi hic bene habent, & in honore degunt, licet mali, alii affliguntur, licet juſte vivant. Si ergo poſt hæc nihil eſt, emigrabunt juſti affecti injuria, & injuſti immerita felicitate potiti: Ubi ergo manebit juſtitia? Si enim nemo, quæ meritus eſt, accipiat, neque Deus ſecundum ſe juſtus eſt: Si autem Deus non eſt juſtus, neque Deus eſt, &c. Atqui Deum eſſe creaturæ clamitant, igitur & juſtus eſt: Quod ſi juſtus eſt, tribuit unicuique quod juſtum, ſi unicuique quod juſtum eſt, tribuit, neceſſe eſt poſt hanc vitam eſſe tempus, in quo ſinguli juxta merita accipiant. Hæc Chryſoſtomus. Unde patet hæc eſſe inter ſe connexa, fidem de exiſtentia Dei, & fidem de immortalitate animæ: neque mirum eſt, ſi Athei, & qui Deum negant, iidem etiam negent animas eſſe immortales.

Et hinc confirmatur illa veritas. Etenim illud dogma non poteſt eſſe falſum, & inane, quod eſt fons, & fundamentum omnis juſtitiæ & pietatis & virtutis: Nam lux non poteſt oriri ex tenebris &

illis

Digitized by Google

illis niti, nec ſplendor virtutis oriri ex errorum caligine: Atqui dogma immortalitatis animæ, & quod poſt hanc vitam ſunt ſupplicia, & præmia, eſt origo & ſons omnis juſtitiæ, uti patet. Ergo &c. E contrario vero illud dogma non poteſt eſſe verum, quod a vita hominum tollit omnem probitatem, & inducit omnem impunitatem ac vitiorum colluviem: Atqui hoc facit opinio de non altera vita: Nam quis vitam aſperam colat, ſi nihil lucri inde ſperet? Ergo &c. Hinc enim ipſe Ariſtotel. lib. 9. Ethic. cap. 8. colligit immortalitatis animarum argumentum: Quod vir probus corporis bona, & ipſam etiam corporalem vitam, propter honeſtatem contemnit: neceſſe eſt ergo, ut inſtinctu naturæ, anima aliquid melius inquirat quam corpus, & quæ ſunt præſentia, quod non faciunt cætera animalia, quæ tantum paſtum & venerem appetunt; nec timent niſi præſentia: ſed vis appetendi in homine ſe extendit ad omne verum, & ad omne bonum, unde patet ipſam erectam eſſe ſupra materiam, & corpoream conditionem. Et quidem ſolus homo appetit immortalitatem, non tantum appetitu innato, ſed etiam elicito, quia ſolus novit immortalitatem, eamque apprehendit ut bonum ſpeciale, & ſibi proprium & conveniens.

Mitto innumeras alias de animæ immortalitate probationes, ut ſcias hoc dogma non niti infirmis probationibus. Quod ſi eſſet falſum, ſequeretur falſam eſſe & confictam univerſam ſacram Scripturam, falſa eſſe omnium Prophetarum oracula, falſam Chriſti Doctrinam, & prædicationem, falſa ejus miracula, falſa; quæ de ſua Reſurrectione nos docuit, licet innumeras de ea nobis probationes dederit. Ad hæc, decepti fuerint, quotquot Religionem Chriſtianam ſuſcepere: Sed inter illos quot homines docti, quam præclara ingenia? Decepti tot Martyres, qui ea de cauſa ſuum ſanguinem fudere; tot Sanctorum myriades, qui carnem domuere; omnes qui ſanctitate vitæ, prophetiæ dono, miraculorum gloria, cæleſti ſapientia omnibus ſæculis celeberrimi extitere: decepti fuerint, inquam, & a veritate aberrarint: ſoliſque improbis, impuris, & inſipientibus ſervata fuerit veritatis cognitio, quam enim hæc omnia ab omni luce rationis alieniſſima eſſe quis non videt?

Hinc collige, quanta ſit hominum cæcitas & imprudentia, qui tantummodo de vita præſenti cogitant, nihil autem de futura, quaſi vero anima periret cum corpore, cum corpus mortale ſit, anima vero immortalis. Itaque cum hominem mori videris, cogita non totum perire, nec quod videris corpori accidiſſe, idem credas animæ accidere: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace*, nempe: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*: Quomodo enim immortalis mori poſſet? Et aliquando non eſſe, quæ ſemper erit?

III. Spectanda eſt animæ ſpiritualitas & immaterialitas. Etenim, licet Tertullianus animam crediderit immortalem, eam tamen putavit eſſe corpoream, eo modo. Cæli ſunt incorruptibiles, & aſtra, licet ſint corporea: quem refutat Sanctus Auguſtinus Epiſtola 517. & libro de Hæreſibus in epiſt. 86. Eumdem errorem ſecutus eſt Vincentius ille, quem refellit idem Sanctus Auguſtinus lib. 4. de anima & ejus origine a cap. duodecimo. Idem docuit Anaxagoras, teſte Plutarcho, lib. de placitis Philoſophorum cap. ſecundo. Stoici apud Euſebium, Soranus antiquus Medicus citatus a Tertulliano, & Galenus, qui putat animam eſſe harmoniam, & temperamentum humorum; Lucretius & alii Epicurei .... Fundamentum hujus erroris duplex eſt.

Primum eſt, quod ejuſmodi opinantes eo ſunt adducti, ut notavit Sanctus Auguſtinus, quod cum nimis addicti eſſent ſenſibus, & imaginationi, nihil concipere poſſunt reale, quod non eſſet corporeum, unde & Deum putarunt eſſe corporeum, ut de Tertulliano notat Sanctus Auguſtinus, qui unum ex alio infert libro decimo de Geneſi ad Litt. cap. vigeſimoquarto. Cum enim anima ſit ad imaginem Dei, nihil vicinius, aut fortaſſe nihil tam conſequens, quam ut credito, quod anima corpus ſit, etiam Deus corpus eſſe credatur; unde concludit: Nemo audeat dicere animam eſſe corpus.

Alterum hujus erroris fundamentum eſt, quod omnes actus hominis pendere videantur a corpore, ac ipſa etiam ratiocinatio, uti patet in pueris, qui nondum diſcurrunt: eademque per alterationem corporis amittitur, ut patet in inſanis; aut impeditur, ut in dormientibus, denique non ſine uſu phantaſiæ intelligimus: Quæ tanta in operando dependentia a corpore, probat animam eſſe corpoream. Verum eam eſſe immaterialem, & incorpoream ac ſpiritualem.

Probatur primo. Ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio in cap. Firmiter, de ſumma Trinitate; ubi definitur Naturam humanam ex ſpirituali & corporali eſſe compoſitam. Quam in ſententiam ita loquitur S. Auguſtinus in Pſalmo 145. Natura animæ præſtantior eſt, quam natura corporis, excellit multum, res ſpiritualis eſt, res incorporea eſt; vicina eſt ſubſtantiæ Dei: Et Epiſtola 157. Tertullianum damnat, quod animas diceret eſſe corporeas, quo perverſius quid dici poteſt? Ita quoque Damaſcenus lib. 2. de Fide orthodoxa cap. duodecimo. Animam ſimplicem, & corpore vacantem ſubſtantiam appellat.

Secundo. Probatur, quia operatio propria Animæ, ut eſt principium intelligendi, eſt in ſe ſpiritalis, igitur & principium ejus, quod eſt anima, neque enim res immaterialis poteſt oriri ab alio principio, quam ab immateriali, præſertim cum ſit immanens, & conſequenter recipiatur in ſuo principio: igitur ſi ipſa ſit ſpiritualis, requirit ſubjectum ſpiritale, ut ſit propria inter recipiens, & receptum. Probatur antecedens, ex objectis ſpiritualibus, quæ intelligendo contemplamur, ut ſunt Deus, intelligentiæ, univerſalia, & rationes abſtractæ ab omnibus particularibus circumſtantiis, loco, tempore, figura: Nam actus debet eſſe objecto proportionatus, quia ab illo ſpeciem ſumit, igitur cum objecta ejuſmodi ſint ſpiritalia, actus debet eſſe ſpiritalis. Scio quidem animam in corpore exiſtentem, non attingere Deum & Angelum, ut in ſe ſunt: unde pri-

mæ apprehenſiones participant quidem aliquid de ſtatu corporis, & imitantur phantaſmata; & hoc eſt, quod dixit Ariſtoteles, intelligentem phantaſmata ſpeculari, nam intellectus agens producendo ſpecies ſpiritales, imitatur ſpecies materiales phantaſiæ, a quibus determinatur: Tamen quoad actum judicii, intellectus vere cognoſcit illas eſſe ſubſtantias immateriales, & incorporeas, & alterius ordinis a ſubſtantiis quantitati ſubjectus, atque ad hoc judicium ferendum, oportet, ut mens noſtra ſuper ſenſibilia aſcendat, ut ſcilicet de ſpiritualibus, quatenus talia ſunt, judicare poſſit: igitur talis actus eſt ſpiritalis. Ad hæc intellectus noſter ita de illis objectis ſpiritalibus cogitat, ut circa illa diſcurrat, & illorum proprias naturas intelligere conetur, ac proprietates corporibus repugnantes illis convenire ſequatur: Itaque illa actio non poteſt eſſe corporea, alioqui non poſſet ſupra corpus aſſurgere. Cum ergo omnes actus intelligendi ſint ab uno, & eodem principio, ſi unus eſt ſpiritalis, omnes ſunt ſpiritales, etiamſi verſentur circa corpora: quia per ſpiritualem actum poteſt altiori modo corpus cognoſci, uti patet in Deo & Angelis, qui certe cognoſcunt corpora actu ſpiritali.

Confirmatur 1. Quia ſi intellectus eſſet potentia materialis, non poſſet percipere niſi materialia, & determinationem haberet, quod repugnat univerſalitati intellectus, qui cum univerſalia cognoſcat, abſtrahit ab omnibus conditionibus individuantibus, & omnibus ſenſibilibus accidentibus & circumſtantiis, ita ut ſua objecta ſpirituali modo cognoſcat. Quod ſignum eſt potentiam intellectivam hominis eſſe omnino abſtractam in ſuo eſſe ab organo corporeo, & conſequenter etiam a materia & quantitate.

Confirmatur 2. Quia animus noſter ſpiritalibus rebus plurimum delectatur & paſcitur, igitur ſignum eſt eſſe ſpiritalem: nam unumquodque vivens ſimilibus & proportionatis cibis paſcitur & nutritur.

Confirmatur 3. Ex capacitate animæ rationalis: nam poteſt accipere dona ſpiritalia, Gratiam ſanctificantem, virtutes ſupernaturales: Fidem, Spem, Charitatem, Viſionem beatificam. Hæc autem dona non poſſunt eſſe niſi ſpiritualia, quia Deum immediate attingunt, qui plane ſpiritalis eſt, & incorporeus.

Confirmatur 4. Ex actione propria intellectus, qui ſolus poteſt ſupra ſe reflecti, intelligendo ſe, & ſuum actum: ut enim corpus non poteſt ſeipſum movere per ſe primo, ſeu ſecundum eamdem partem, ita potentia corporea non poteſt ſupra ſeipſam reflecti, utique cognoſcendo ſeipſam. Si autem aliqua poteſt, ſpiritualis eſt, intellectus vero non tantum ſuper ſeipſum, ſed etiam ſuper actum ſuum reflectitur, cognoſcit enim ſe cognoſcere, & quanta certitudine, vel claritate cognoſcat, & quid ſit ipſa cognitio inquirit: ſimiliter reflectitur circa principia talis actus, ut ſunt ſpecies, lumen, & ſi quid eſt ſimile, quod non poteſt phantaſia circa ſuos actus & ſpecies, quod oritur ex materialitate, quæ impedit tantam ſubſtantiæ ſubtilitatem, qua in ſeipſam reflecti poſſit.

Quod autem initio objectum eſt, facile ſolvi poteſt ex ſtatu præſenti intellectus, qui cum unitus ſit corpori, & ab illo ſpecies accipiat, ex eo ſit, ut ratione primarum apprehenſionum a corpore dependeat. Inde ignorantia infantiæ. Inde inſania, & fatuitas in ſenibus, corruptis, aut diſſipatis ſpeciebus in phantaſmate, ad quas neceſſe eſt intelligentem ſe convertere, cum intellectio ſit earum ſpecierum imitatio. Sed acceptis ſpeciebus ſuper illas animus ſe erigit judicando, & diſcurrendo, quod ſignum eſſe aliquid ſupra corpus, & conſequenter eſſe ſpiritale, & incorporeum, & inpermixtum, uti in variis locis loquitur Ariſtoteles. Ex quibus omnibus confirmatur, quod de animæ immortalitate dixi. Nam ſi anima eſt immaterialis, & incorporea, profecto eſt ſpiritalis; ſi eſt ſpiritalis, eſt immaterialis; ſi eſt immaterialis, eſt immortalis.

Hinc diſce tibi aſſurgendum eſſe ſuper omnia corpora, & ſuper originem terrenam, cum corpus habeas a terra: Animam autem ab ipſo Deo, cum ipſam inſufflavit, & inſpiravit in corpus. Itaque ſive ad originem primam reſpicias, ſeu ad exitum, corpus tibi contemnendum, & præcipua ratio habenda animæ, quæ ſpiritualis eſt, & aliquid divinum. Hinc nihil mirare, quod animam egredientem non videas, & quod egreſſam, neque videas, neque tangas: id enim fit, quod non ſit corporalis aut materialis, ſed ſpiritalis & incorporea.

IV. Spectanda eſt ſumma animæ puritas naturalis & impermixtio: Id provenit ex natura ipſius: cum enim, uti dixi, ſpiritualis ſit, & immaterialis, nullas habet in ſe partes, & ſimpliciſſima eſt. Verum licet talis ſit etiam cum eſt in corpore, tamen cum ipſa ſit pars alicujus totius, etiamſi quoad ſe non ſit compoſita, & ſit impermixta, nihilominus, ut pars, inquam, alicujus totius, ipſa incompoſitionem ingreditur, itaque ab illa ſumma puritate deficit, quoniam deteriori conjungitur, ſecundum illud Job 4. *Qui habitant domus luteas, & terrenum habent fundamentum*: Unde ſequitur, quod dicitur Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*: Sed poſt ſolutionem a corpore, naturali ſuæ puritati reſtituitur.

Quodſi tunc aliquid ex præteritæ vitæ contagione in ea remanſerit, hoc illi ſit intolerabile, cum neque ſtatui præſenti ſit conforme, neque ejus naturali puritati conveniens, & propterea incredibiliter ex alieno torqueatur. Id collige ex re parva, quæ contingit in vita: quis enim dolor, ſi ſpina, aut aliud corpus extraneum dividat partes corporis, præſertim maxime ſenſibiles, ut in nervo, & ſolvat unionem? Vide quomodo natura nihil alienum pati poteſt, & hinc infers, qualis ſit doloris ſenſus in re maxime ſimplici, & indiviſa. Atque idcirco in eam ignis vim habet, & ipſa ſubjicitur cruciatui, ut expurgetur ab alieno, quantumvis minimus ſit. Malachiæ 3. *Quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans, & emundabit argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum*. Hæc quidem de minoribus impuritatibus, quæ remanent ſæpe etiam in juſtis: at de majoribus, audi Jerem. c. 6. *Omnes iſti principes*

cipes

Digitized by Google

*cipes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrum*: Vide ſimilitudinem: ſed addit: *Univerſi corrupti ſunt*, certe per mixtionem: audi quid ſequatur: *Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.*

V. Spectanda eſt maxima animæ ex magna ejus puritate libertas, cum a vinculis corporis ſoluta eſt. Fuit olim in corpore, ut in ſepulchro, & in fovea; unde Græci, ut alias diximus, corpus vocarunt σῶμα, quaſi σῆμα, ait Plato, hoc eſt ſepulchrum; & Nazianzenus vocavit homines δισθάπτους bis ſepultos, in vita nempe, & in morte: alii nominarunt corpus δέμας eo quod, ut ait Themiſtius, anima ſit in eo, quaſi δεδεμένη, hoc eſt, alligata: Hinc mira animæ ſervitus in corpore, cui ſervit, cum quo graditur, cum quo agit, & cum quo ſemper fuit, quod mirabili viſione imaginaria oſtenſum legimus apud Patrem a Ponte, in tractatu 3. ductus ſpiritualis capit. 7. Sancta enim quædam anima in oratione conſiſtens, die quodam animadvertit, viſione interiori, formoſam & modeſtam puellam, candida veſte luculenter ornatam: ſtabat recta, tantillum ſupra humum ſublimis, ad unum e lateribus prope illam erat Maurus non nihil deformis, humi ſtratus, blando nihilominus illecebroſoque obtutu; uterque erat in compedibus, longaque catena ambos quaſi captivos tenebat: cupiebat vir, & ſtudebat efficere, ut ipſum puella reſpiceret; negligebat illa primo, ſed ſollicitata vehementius, in eum tandem bis tertioque oculos adjecit; aſpiciendo tamen mœſte deprimebat ſe in terram, vir autem læte erigebat ſeſe, donec tandem ipſo diu aſpecto, illa humi conſedit, ac ſtatim vir inſolenter exurgens, currenſque licentius, pertraxit miſeram per lutum, & præcipitia, quoad attigit præciſam rupem, e qua ſe jecit præcipitem, ut puellam ſecum perderet, ſuaque involveret ruina. Quo in periculo ea ſe videns, erexit animum, adhæſitque ad ſaxa, paulatim adrepens uſque ad verticem: poſt ſe attrahens illum extremæ catenæ annexum, inclamans cælum, ac opem implorans. Crudelis ille aſcendebat & deſcendebat ſecundum catenam, uno impetu ſe dejiciens, quo puellam poſt ſe pertraheret, quæ reſiſtebat viriliter, eumque procul a ſe repellebat accedere volentem, Dei miſericordiam aſſidue poſtulans. Id loci ceſſavit viſum, videnſque intellexit miſerabilem animæ ſtatum in corpore, cui alligata eſt. Eam pertrahit corpus, agitque præcipitem, quando ſe immoderato ſtudio ad illud obvertit, fraudulentis ejus conſiliis inflecti ſe ſinens, quæ quidem ſubito in violentiam vertuntur: Totum ipſius remedium eſt confugere ad Deum adverſus hoſtem ita importunum, a ſe amovens repudianſque, ubi voluerit fallacibus lenociniis appropinquare, cogendo illud dedere ſe, ſuiſque mandatis ſervire, ſicut mancipium, cujus officium eſt heræ ſuæ præceptis obſequi. Sic tamen dominatrix eſt, ut illius colligationis cauſa, ipſius ſervitutis particeps ſit: Hinc ipſius depreſſio, & diviſio in tam multas cogitationes, & ſtudia: Nam, ut jam dictum eſt a Sapiente: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*: Hinc non mirum 1. quod ait Seneca, neminem vitam accepturum, ſi daretur ſcientibus: & ſæpe miratus ſum Origenem, qui dixerit animas, ſeu Angelos amore corporum in ipſa deſcendiſſe; cum nullus meo quidem ſenſu, tam fœdum habitaculum, nullus tam duram ſervitutem & vincula & carcerem amare poſſit. 4. Non mirum in Sanctis mortis deſiderium, ſecundum illud Apoſtoli, Roman. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & ad Philippenſ. 1. *Deſiderium habens diſſolvi: & eſſe cum Chriſto multo melius*. Sed nimirum uti qui naſcuntur in ſervitute & vinculis, non agnoſcunt ſuæ ſortis miſeriam; quia ſic nati ſunt; ita quoniam anima non prius eſſe incœpit, quam eſſe in corpore; propterea ſuis vinculis ſuæque ſervituti aſſueta, corpus amat, ſervit corpori, & res corporeas ſectatur. Verum ſicut illi qui tandem ſuam ingenuitatem didicerunt, ſi ſe captivos videant, coacte & inviti ſerviunt, ut ille puer Lacon, qui juſſus vas ſordidum, & contumelioſum afferre, non tulit imperium, ſed ſeipſum adhortans, tam prope libertas eſt, & patieris ſervitutem; quo dicto, parieti caput illiſum perrumpit; ita qui ſuorum animorum nobilitatem norunt, ſeſe ſupra corpus ſuum erigunt, & illud contemnunt, immo quotidie ſuum carcerem effringunt, & abrumpunt vincula, & libertatem, ad quam nati ſunt, ambiunt & quærunt. Quod ſi, ut ait Apoſtolus, Rom. 8. *Vanitati creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit illam in ſpe, &c. Ingemiſcit & parturit uſque adhuc, &c. & ipſi intra nos gemimus adoptionem Filiorum Dei, exſpectantes redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus*: Si hoc, inquam, eſt, ut eſſe credendum eſt; certe illo tempore ſoluta anima ſeſe incredibiliter ſupra corpus erigit. Si tamen naturalibus vinculis ſoluta ſentiat ſe ſuorum peccatorum vinculis teneri, nec poſſe ſua naturali libertate frui, ſed adhuc captivam teneri, ſecundum illud Prov. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur*: Sane gravem dolorem ſuſtinebit, quod cum naturaliter libera eſſe deberet, ſentiat ſe captivam.

VI. Spectanda eſt maxima animæ independentia præſertim a corpore, & ab omni re corporea. Cur enim duplex ſit animæ ſtatus, unus in corpore, alter extra corpus: Cum ipſa eſt in corpore, cum ſit forma corporis, nihil fere agit ſine corpore, unde Tertullianus lib. de Reſurrect. carnis cap. 15. Numquam anima ſine carne eſt, quandiu in carne eſt, nihil non cum illa agit, ſine qua non eſt: Nam per oculos intuetur, audit per aures, olfacit per nares, tangit per manus, immo per corpus iraſcitur, amat, cupit, odit, lætatur, triſtatur, & alia facit, immo nonniſi ratione corporis accipit ſuum eſſe; nam cum non accipiat eſſe niſi per creationem, non tamen creatur niſi infundendo, ſicut non infunditur, niſi creando, ac licet habeat ſuas proprias operationes, non tamen il-



Digitized by Google

las habet ſine corpore; nam, ut jam ex Philoſopho dictum eſt, oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, ſive ſit tantum concomitantia operationum, quia ambæ potentiæ, ſcilicet intellectus & imaginatio, in eadem anima radicantur, unde ſibi invicem ſunt adjumento, ſive ſit aliqua dependentia, quia intellectus ſuas ſpecies non producit aut recipit, niſi quando phantaſia operatur. Sed in alio ſtatu cum anima a corpore ſoluta eſt; neque ſuo corpore indiget, neque ulla alia re corporea. Verum purorum ſpirituum ſtatum, & conditionem acquiri non putares totum eſſe animæ reſpicere corpus, itaque potuiſſe ſe abſtrahere a corpore, & ita corpori fuiſſe inſertam, ut corpus regeret, & corpori dominaretur, ſicut dixit Ennodius, Animus corporis Imperator. At ſi eadem ſuæ nobilitatis oblita corpori ſe mancipavit, ſuam indipendentiam ſic amiſit, ut ſemper eſſe debeat ſubjecta corpori: unde fit, ut licet ratione ſuæ conditionis libera ſit a corpore, fiat tamen ſerva pœna, & ratione pœnæ ſerviat corpori, & a corpore patiatur, & ob eam rationem igne torqueatur. Licet igitur independens ſit a corpore omni, quo nullo pacto indiget quando eſt ſeparata, nec ut ſit, nec ut operetur, nec ut aliquid a corpore accipiat, & per corpus illi bene ſit, aut ut poſſit operari: tamen corporis ſervitutem patitur, ita ut a re corporea torqueatur, vel ut S. Thomas docet, corpori alligetur, & intra aliquod corpus uti in carcere concludatur, extra quem exire non poſſit, in quo eſt maximum ipſius tormentum, cum cogatur non tantum duram, ſed etiam inhoneſtam ſervitutem pati: Nam uti dicitur a Sapiente cap. 5. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, &c.* Matth. 25. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*: Quibus verbis ſignificatur addictio animæ igni æterno, quæ pœna erit illi intolerabilis, ſed plena juſtitiæ, ut quæ corpori ſervire voluerit, a corpore ipſo puniatur, quia per quæ peccat quis, per hæc torquetur.

VII. Spectanda eſt mira animæ ſolitudo & quaſi derelictio. Certe ab initio ſui eſſe, ſocium ſemper habuit corpus, cum quo, & in quo ſemper aliquid operata eſt, itaque nunquam fuit otioſa, conformiter ſuæ naturæ, quæ eſt activiſſimum agendi principium, unde a ſapientibus hominibus dicta eſt ἐντελέχεια, quam vocem Tullius 1. Tuſculanarum interpretatur continuam, & perennem motionem. Illa autem animæ ſocietas cum corpore fuit gratiſſima, propter mirabilem utriuſque proportionem; cum una pars eſſet actus, & altera potentia, & utraque rationem haberet ad totum, nec fuit ſine vita. Ad hæc, quoniam propter participationem omnium creaturarum & utriuſque extremi, hoc eſt, entis corporei & ſpiritalis, factus eſt homo centrum univerſi; convenientiam habuit, & familiaritatem cum omnibus creaturis, cum quibus, vel uſu, vel fruitione, vel regimine, vel imperio, vel conſideratione, & contemplatione, vel conſuetudine, & commercio aliove quocumque modo ſe geſſit: Quarum omnium rerum effectio potiſſimum ad animam pertinuit, cum ipſa eſſet vitæ, & ſenſus, & agendi principium, unde ſic ſe corpori conjunxit, ut ab eo ſeparationem omni ſemper conatu effugerit, magis eligens aliquid in eo pati, quam tale domicilium deſerere. Hinc in hominibus tantus mortis horror ac fuga, vitæque amor tantus, adeo ut delicatiſſimus homo, & voluptatis amantiſſimus Mœcenas, perpetuum in vita cruciatum malle ſe diceret, quam mortem; & de ea dixerit Seneca, etiam hoc timent, qui nihil timent; & rationem ſubjicit hujuſmodi: cæteri timores habent aliquem poſt ſe locum, mors omnia abſcindit. Verum ubi anima e corpore exiit, incredibile dictu eſt, in quanta ſolitudine verſetur, a rebus omnibus deſerta, a cælo, & aſtris, a terra, ab Elementis, a Mixtis, a ſuo corpore, a creaturis ſenſibilibus, & illarum uſu, ab aliis hominibus, ab Angelis, a ſpiritibus, ab aliis ſibi ſimilibus, ſibi uni derelicta, ſine comite, ſine ſocio, ſine contubernio, ſine ulla familiaritate, ſine actione, ſine motu, ſine ulla re nova accedente. Ita hunc ſtatum deſcribit Jobus cap. 10. *Antequam vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. Terram miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*: Quæ verba potius intelligenda ſunt de ſtatu animæ poſt hanc vitam, quam de ſtatu corporis in ſepulchro, ubi nullus eſt ſenſus, & conſequenter nullus horror. Eodem ſenſu dicitur ejus ſtatus eſſe oblivionis, Pſalm. 46. *Oblivioni datus ſum, tamquam mortuus a corde*: Item: *Qui habitant in ſepulchris, quorum non es memor amplius*: Ita Iſaias ad Regem Tyri: *In oblivione eris o Tyre*: Immo mortui vocantur, qui non ſunt, a Jobo, ut ſæpe diximus; quorum nempe reſpectu, omnia ita ſunt, ac ſi non eſſent, ſicut ipſi ita ſunt reſpectu rerum omnium, ac ſi non eſſent omnino; quem in ſenſum idem, cap. 14. *Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus & conſumptus, ubi quæſo eſt?* Itaque anima ſe videbit omnium viſibilium poſſeſſione privatam, carere omni munere, ſine actione circa res omnes hujus mundi, nullum facere in illis numerum, ſe ad nullam earum referri, nec ullam ad ipſam, omnia ſua nomina eſſe deperdita, Regis, ſubditi, Domini, ſervi, Patris & Filii, Uxoris, Mariti, affinis, propinqui, ſe nullius eſſe nationis, nullius gentis, nullius gradus, nullius ſtatus vitæ, in ſumma omnium quæ hic ſunt carentia, videbit ſibi omnia nova, & ea quidem prius incognita; ſed nihil eorum prope ſe, quæ olim habuit. Vide, an ſit ulla ſimilis ſolitudo, an talis nuditas, an egeſtas æqualis.

Quæ cum ita ſint, quid eſt, quod ita te rebus creatis addicis, & alligas, quaſi ab illis numquam eſſes avellendus? Quin potius non aſſueſcis te a rebus omnibus abſtrahere, a corpore, a ſenſibus, a creaturis? Hinc diſce, quam ſapienter nos monuerint Patres ſpiritales, eo tandem animum noſtrum eſſe reducendum, ut in mundo nihil aliud præter Deum, & præter ſe unuſquiſque cogitet: in eo veram ſolitudinem, ut quis nihil præter ſe & Deum in mente habeat, in eo veram nuditatem, & expropriationem, qualem habebit tunc anima: Lament. 3. *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus.*

VIII. Spectanda eſt unica, & omnimoda animæ

a Deo

Digitized by Google

a Deo dependentia. Certe quocumque in ſtatu fuerit anima, a Deo dependet, neque illo carere poteſt, quia illa dependentia eſt eſſentialis, itaque perpetuo indiget divinitatis influxu: ſed tamen quando eſt inſertæ corpori, non ſolum a Deo, ſed etiam ab aliis, iiſque innumeris creaturis dependet, ſecundum diverſas motiones, atque impreſſiones quas recipit: At poſtquam a corpore ſoluta eſt, ab uno Deo ſic dependet, ut ab illo ſolo moveri poſſit. Etenim immediate non poteſt moveri ab objectis externis: quia cum ſit ſpiritualis, non poteſt accipere impreſſiones materiales, quarum ſolæ res materiales capaces ſunt. Nihil etiam Angeli aut alii ſpiritus, aliæ Animæ & quidquam poſſunt in ea efficere, quia illapſus in ipſam ſoli Deo convenit, neque enim ſecundum ſubſtantiam unus ſpiritus eſt altero ſpiritalior, nec conſequenter in illum ingredi poteſt. Ad hæc Angeli nihil extra ſe producere poſſunt præter motum localem, quod facile intelligimus eos facere poſſe in corporibus per applicationem, at ea in ſpiritibus facile intelligi non poteſt. Præterea cum in anima ſeparata non ſit una pars interior, & altera ſuperior, ſed ſimpliciſſima entitas, non poteſt Angelus per partem inferiorem movere ſuperiorem, ut facit, cum anima eſt in corpore. Denique id fieri non poteſt per ſpecies, cum ſpecies acceptæ in corpore rerum præteritarum, uti in ſequenti Concione dicemus, jam deletæ ſint, nec novæ poſſint ab objectis imprimi: non poſſint, inquam, quia vel ſpiritalia ſunt objecta, vel corporea, & ſenſibilia: Si ſunt corporea, poſſunt tantum movere corporalem potentiam, non autem ſpiritalem, itaque nec animam ſeparatam: Et proinde manifeſte ſequitur, illam moveri non poſſe niſi tantum a Deo, quod quidem pertinet ad naturalem Dei providentiam, ſcilicet ut illi infundat neceſſarias ſpecies ad cognoſcendum naturaliter: Nam ut ait Scotus, alias male eſſet proviſum animæ noſtræ, ſi nec ab intrinſeco eſſet in actu primo conſtituta, nec ſecundum naturalem ordinem poſſet ab aliquo agente in actu primo conſtitui ad operandum. Adde naturalem rerum ordinem eſſe, ut ſuperiora juvent inferioribus, & præcipue ut unaquæque res juvetur ab auctore ſuo, & ab illo accipiat complementum neceſſarium: Porro cum Deus agat in animam ſecundum ejus capacitatem, & diſpoſitionem, & exigentiam, illam movet ſecundum ejus meritum, & demeritum: Ex quo duo ſequuntur: 1. Eſt, ut cum a ſolo Deo pendeat, velit, nolit, cogatur ſe Deo adjungere, quia illo carere non poteſt: quod quidem graviſſimum eſt animæ illi, quæ ſemper in vita Deum fugit, & ab eo ſe abduxit vel infidelitate vel inobedientia, neque quidquam gravius habuit, quam aut ab eo pendere, & ei ſubjici, aut ei adhærere. Eſt, inquam, illi intolerabile, & tamen tolerandum, ut neceſſitate ſui ſtatus ab illo uno pendeat, eique perpetuo adhæreſcat, ſemper que eum ſentiat in ſe agentem, & operantem: ſentiet enim, hoc eſt, intelliget, operationis hujus principium, ſeu quaſi ſemen, neque eſſe a ſemetipſa, nec ab alio creato acceptum, igitur a ſuo auctore, hoc eſt Deo. Alterum eſt, ut cum pendeat a Deo, non ut ab agente neceſſario, ſed libero, Deus agat ſecundum ejus diſpoſitionem, non phyſicam, quia hæc in omnibus animabus æqualis eſt, ſed moralem, itaque producat in ea aut pœnam, aut præmium, aut felicitatem, aut miſeriam.

Vide igitur ſtatum infelicem animæ, quæ alicujus culpæ conſcia ſit: hæc enim cum per ſe nihil habeat, cum ſit bonis omnibus nudata, cum ſit ab omnibus ſeparata, eum a nulla re juvari poſſit, & nihil accipere, cum ad ſolum Deum reducta, & redacta ſit, a quo ſolo accipere aliquid poteſt & moveri, & ad actum reduci, jam ſi illum habeat ut Judicem, ut vindicem, ut ulciſcentem, ut torquentem, quid tandem ſperare poteſt? Tu vero, quod judicium ferre debes de hujuſmodi ſtatu, tu, qui mortem adeo levem & facilem exiſtimas? Quod, ſi gravem putas, tum ob hæc, tum ob alia quæ illam conſequuntur, cur hæc omnia negligis? Cur non tibi provides, ut hæc eadem tibi levius contingant? Tu cum alios mori vides, attendis, an pacate, ac ſine dolore hinc abeant, an vero cum magnis doloribus, & ægre animam profundant? Hæc minima ſunt, ſed longe majora, quæ mortem conſequuntur, quæ tamen a te pendent, ſi in hac vita provideris. Nam hæc vita, & quæ ſequitur, ita inter ſe comparantur, ut hæc præſens ſit meritum vel demeritum; alia vero, ſit vel præmium, vel pœna: *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet:* Vide quid ſemines, ut ſcias, quid aliquando metere debeas: *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet:* Quid metet? Vitam æternam. Amen.

## CONCIO QUARTA.

### Anima extra corpus, quoad potentias & actus ſpectata.

*Veni, & vide.* Joann. 11.

SI huic tantum mundo nati eſſemus, parum noſtra referret, quid agatur in altero; verum cum potiſſimum quod ad nos ſpectat, minime ſit id, quod in hacce vita fit, ſed quod in altera exſpectamus, non eſt velle ſcire aliquid minime ad nos pertinens, ſcrutari, quod agatur in altera. De hac etiam proinde Filius Dei nobis locutus eſt, ſicut in parabola illius, qui decem millia talentorum debebat, Matt. 18. item in ea, quæ eſt decem Virginum, & in divitis Epulonis hiſtoria. Scio quidem prohibitum nobis eſſe in cap. 3. Eccli. ſcrutari, quod ſupra noſtrum captum eſt, ac penetrare velle, quæ Deus nobis abdita eſſe voluit: *Altiora te ne ſcrutatus fueris*; & ratio in ipſis verbis continetur, nam nemo ad altiora, & fortiora perveniet: *Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper*; quaſi dicat, habes materiam tuæ diligentiæ, tuique conatus: *& in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus*; quod oſtendit Deum multa voluiſſe eſſe occulta, & horum inquiſitionem eſſe curioſitatem; ſeu cognitionem eorum eſſe prohibitam: *Non eſt enim tibi neceſſarium, ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis*: quaſi dicat, rebus tantum neceſſariis vacandum eſſe, aliarum rerum ſtudium eſſe ſuperfluum: unde ſubdit: *In*

*ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus ejus non eris curioſus*: atque ut ſcias, inutilem eſſe conatum, ſubjungit: *Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi*: ne quis exiſtimaret omnia, ſibi cognoſcenda, quæ Deus nobis propoſuit, nam multa nos admirari voluit, non noſſe: Denique ſubjicit periculum, quod nobis imminet a curioſitate: *Multos quoque ſupplantavit ſuſpitio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum*; quibus verbis ſignificat multos deceptos, & vanos effectos, quod crederent ſe intelligere, quod non comprehendebant, nec intelligere poterant. Sed ſcio etiam, hanc notitiam de ſtatu alterius vitæ plenam eſſe utilitatis, ut jam experti eſtis ex primo diſcurſu; & ex hoc poſteriori non minus futurum ſpero, præſertim cum hunc aggrediar cum ea moderatione, quam præcipit Apoſtolus Rom. 12. cum nos monet: *Non plus ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem; & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*; & talenti ſibi crediti. Ut igitur noſtro recte utamur, petamus a Deo novam gratiam, idque ope Virginis. *Ave Maria.*

IGnoro, Auditores, vim & facultatem ingenii eorum, qui me audiunt, at ſcio Apoſtolum Paulum agnoviſſe olim inter Chriſtianos ſui temporis ingenia quædam exilia & infirma: unde nonnulli ab eo dicuntur, Hebr. 5. *Imbecilles ad audiendum*; & 1. Corinth. 3. *Parvuli in Chriſto*, qui lacte ſolo alendi: *Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis?* Alii carnales, ſenſibusque addicti: 1. Corinth. 2. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei*, & c. 3. *Non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tamquam parvulis in Chriſto*: Contra vero novit alios, plane ſpirituales, capaceſque ſolidi cibi, perfectos, & ad quos non dubitabat de rebus ſublimioribus, magis difficilibus, ſpiritualibus, perfectiſque ſermonem habere. 1. Corinth. 2. *Spiritualibus ſpiritualia comparantes*, id eſt, ſpiritualibus viris ſpiritualia adaptantes, ſeu, illis tamquam apta tradentes; & ſupra: *Sapientiam loquimur inter perfectos*: & c. 14. *Si quis videtur Propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat, quæ ſcribo vobis*: Et Hebr. 5. *Perfectorum eſt ſolidus cibus*. Ego quidem ejuſmodi hodie Auditores requirerem, cum mihi ſermo eſſe debeat de re prorſus ſpiritali, nempe de anima ſeparata, ad quam rem intelligendam oportet animum a ſenſibus abſtrahere, & nihil corporeum nobis proponere. Ego quidem præcipue ejuſmodi homines alloquor, ut ſibi & aliis intelligant: quod ſi ſint aliqui harum rerum minus capaces, dicam illis, *Vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite*, ad Galat. 6. Sed ut hodiernum diſcurſum cum præcedenti connectamus,

Nota in anima rationali præter ipſam, quæ ſubſtantialis eſt & pars compoſiti, quod eſt homo, ſpectari poſſe 1. Potentias animæ, ut intellectum & voluntatem. 2. Ejuſdem actiones & intra ſe & extra ſe. 3. Habitus vel infuſos, vel acquiſitos. 4. Species rerum ab objectis collectas. Hoc poſito.

Dico I. In anima ſeparata manere ex potentiis, quas habebat in hac vita, & intellectum & voluntatem, fortaſſe potentiam motricem, alias omnes extinctas eſſe.

1. Pars probatur de animæ potentiis: quia certum eſt illas eſſe ſpiritales, & in animæ natura eſſe, non autem in aliquo organo corporeo; cum earum actiones ſint indipendentes a materia, ut patet ex earum objectis univerſalibus, quæ ſunt ſpiritualia.

2. Pars probatur, de potentia motrice, ſcilicet ipſam probabiliter in anima remanere, utcumque poſſit mutare ſuam præſentiam localem. Probatur, inquam. Quia potuit corpori hanc facultatem imprimere, igitur illam habet in ſe: Hinc fit, ut cum in exitu norit, ad quid deſtinata ſit, eo ipſa pergat. Sed quia alterius voluntati addicta eſt, non manet libera, ut poſſit commigrare, quo velit, ſecundum illud, *Ligatis manibus & pedibus, projicite eum in tenebras exteriores*: qua voce ſignificatur carcer tenebroſus, qui erat extra urbem Hieroſolymitanam, & ex conſequenti quilibet alius, in quo quivis captivus detinetur.

3. Pars probatur. Quia aliæ potentiæ, cum ſint materiales & corporeæ, una cum ſuo ſubjecto deſtruuntur, ut viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus: ad hæc vis imaginativa, phantaſia, ſenſus communis, uterque appetitus inferior, concupiſcibilis & iraſcibilis, & ſi quæ ſunt aliæ potentiæ corporeæ. Ratio eſt, quia cum ſint dependentes a ſubjecto corporeo, illo deſtructo eas perire neceſſe eſt una cum corpore. Et vel hinc patet, quia in ſenectute, organis paulatim corruptis, illæ etiam paulatim minuuntur, uti docet quotidiana experientia. *Quando tenebreſcent videntes per foramina*, &c. *& obſurdeſcent omnes filiæ carminis*, &c. cap. 12. Eccleſiaſt.

Dico II. In anima ſeparata ex natura ſua manere habitus intellectus & voluntatis, quos in hac vita acquiſierat, ſed præſertim voluntatis. Ratio eſt: quia habitus intellectus & voluntatis ſunt ſpiritales, cum ſint in ſubjecto ſpiritali, nec pendeant ullo modo a corpore: non quidem ut a cauſa materiali, quia ſunt ſpiritales, neque ut a cauſa efficiente, utpote interioris ordinis, nec poteſt fingi alius modus dependentiæ; ſi ergo non pendet a corpore, manebunt plane in anima ſeparata, utpote ſpiritali.

Dixi autem I. ex natura ſua: quia cum anima ſeparata in hoc rerum ordine non maneat in puris naturalibus, ſed vel præmio vel pœna afficiatur, de facto non manent in illa multa, quæ acquiſivit, ſed ea tantum quæ convenire poſſunt ſtatui præſenti vel pœnæ, vel præmii. Et ita in anima beata non manent imperfecti habitus, quia non decent illum ſtatum, & propterea pereunt in ea habitus vitiorum, habitus imperfecti etiam ſupernaturales, ut fides, ſpes, pœnitentia, & alii, qui dicuntur obſcuri: quia cum in illo ſtatu non debeant elici actus imperfecti, ſuperflue eorum habitus retinerentur. Damnatæ vero animæ nihil ſupernaturale retinent, nec quidem bonos habitus morales naturales, quibus in pœnam ſpoliantur.

Dixi II. Præcipue voluntatis. Quia habitus intellectus producti ab actibus, qui pendent a ſpeciebus acceptis, cum amplius non proſint, fortaſſe non manebunt, ne ſint inutiles. Tales ſunt omnes habitus ſcientiarum & artium, uti patebit ex dicendis: cum agemus de ſpeciebus acceptis.

Dico III. Nullos habitus, qui fuerunt in parte in-

inferiori, remanere in anima ſeparata. Probatur. Quia, ut ait Ariſtoteles, corruptis nobis, corrumpuntur, quæ ſunt in nobis, ſed cum anima abit ex corpore, corrumpuntur potentiæ ſenſitivæ, igitur & omnes illarum habitus: Itaque ſi ſunt aliquæ virtutes, in appetitu inferiori reſidentes, illæ omnes pereunt.

Dico IV. Animæ ſeparatæ nullam actionem circa corpora, & nullam a corporibus paſſionem convenire poſſe. De paſſione quidem probatur, quia cum ſit ſpiritalis, nihil pati poteſt a corporibus, niſi ſupernaturaliter id fiat, qua ratione animæ pati poſſunt ab igne. De actione autem probatur; Quia cum ſi pars compoſiti, nullam actionem poteſt exercere circa corpus, niſi ſit in illo, cum ex ſua natura ſit forma corporis, non poteſt foras exire niſi inſtrumento corporeo, quod ut faciat, oportet, ut illud informet, & hoc non facit ſeparata.

Dico V. Quoad ea, quæ pertinent ad potentiam intellectivam, 1. Id fieri in ea, quod dicitur Pſalmo 145. ubi præclare explicat Sanctus Dorotheus Doct. 12. ſcilicet, in die ſeparationis perire omnes cogitationes ejus: quod ideo fit, quia omnes hujus vitæ ſpecies obliterantur tamquam inutiles, ut quæ non agunt niſi conjunctæ cum phantaſmatibus, a quibus uti dependent, cum fiunt, ita dependent, cum operantur: nam ſpecies, quæ ſunt in intellectu, cum imitentur eas, quæ ſunt in imaginatione, ſaltem eæ quæ efficiunt primas apprehenſiones, ſine quibus non fiunt neque judicia, neque diſcurſus, oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, ut ſæpius dictum eſt, ſeu ad ea ſe convertere: quod fit non tantum propter concomitantiam operationum, ratione potentiarum, quæ radicantur in eadem anima, ſed etiam propter ſubordinationem ſpecierum, & dependentiam illarum: nam ſicut ſpecies ab objectis ſunt cauſæ ſpecierum in phantaſia ſaltem objective, ita ſpecies phantaſiæ ſunt cauſæ ſpecierum intellectualium etiam objective, alioqui illis corruptis non ſequeretur in intellectu vel oblivio, vel delirium, vel inſania, vel ceſſatio intelligendi, contra quam experimur: cum itaque in morte pereant omnes ſpecies phantaſiæ, inutiles fiunt omnes ſpecies ab illis profectæ in intellectu, quia iſtæ ſine illis non moventur, itaque tolluntur omnes: & proinde *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*: quod interpretans Dorotheus, cogitationes dicit hujus ſæculi, veluti ædificationis agrorum, parentum, filiorum, & omnis commercii: hæc enim omnia, ſimul atque anima egreſſa eſt, pereunt, itaque ſtatus horum perit. Fundamentum hujus rei eſt ſtatus diverſus in corpore, & extra corpus; quare ſicut quæ ſunt corporis, illa omnia præterierunt, ita quæ ſunt animi, intra priorem ſtatum. Proinde peribunt illæ ſcientiæ, quas tantopere amaſti, tot curæ, tot meditationes & ſtudia; cum enim Deus det animæ ſeparatæ alias ſpecies ejuſmodi ſtatui convenientes, nullas amplius habet, quæ ad ſtatum, in quo ſumus, pertineant. Et conſequenter perit, quidquid fuit in tempore, & ſolum morale permanet propter meritum & demeritum, & quia ille ſtatus eſt pœnæ vel præmii.

2. Hinc ſequitur ingens animæ ſtupor propter novitatem ſtatus, mutationem rerum omnium, & modi agendi. Non enim utitur tunc ſenſibus, non phantaſia, non ſpeciebus hic collectis, ſed iis, quas Deus de novo immittit. Non jam aſtra intuetur, non Solem, non cælum, non terram, non elementa, non res omnes, quibus convixerat, quibus inoleverat ab initio, ſed omnia alia, & alio modo, & alia ratione. Inde ſubit animum ingens novitatis admiratio in illa rerum ſolitudine, in illo tenebrarum horrore, & in formidabili ignitorum Spirituum conſuetudine, quos cum non videat, videt, percipitque præſentes; cum non audit, cum non ſentiat, ſentit, Deo ut ſuæ juſtitiæ miniſtris dante vires ad agendum ſupra naturam. Quod ſi Rex Balthaſar in convivio ſtipatus a ſuis, in magna domeſticorum, & cuſtodum frequentia, cum ad parietem extenſam in aere manum vidiſſet ſcribentem ignoram Scripturam, ſic conturbatus eſt, ut dicatur Daniel 5. *Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur. Exclamavit itaque Rex fortiter.* Quid putas animæ in ingreſſu in alteram vitam ab egreſſu a corpore in tanta rerum mutatione contingere?

3. Oritur in intellectu diverſitas judicii, quod induit anima de ſuis rebus, de vita præterita, de bonis æternis, de hominum judiciis, de rebus, de omnibus creatis, de altera vita, de æternitate, de ipſo Deo, longe aliter quam cum eſſet in corpore. Tunc enim omnes ſuos errores corrigit, ac res omnes videt, ut in ſe ſunt. Quam vana eſſe deprehendit, & nullius momenti, quæ tanti ducebat in vita, famam, & honorem, dominationem, opes, gloriam, pulchritudinem, voluptatem, delicias, amores, ſcientias, regna, ſceptra, & quidquid homines admirantur; quanti ea ducit, quæ negligebat, paupertatem, jejunium, auſteritates, humilitatem, cruces, paſſionem, virtutes! Quam aliter de Deo ſentit, & ejus judiciis, de paradiſo, de inferorum pœnis, eorumque duratione interminabili! Nabuchodonoſor olim turbata imaginatione, cum ſe bovem putaret, herbas comedebat, ut teſtatur Scriptura: *Fœnum ſicut bos comedes, & cum feris habitatio tua.* Vide, qualem ſe geſſerit ſeptem annis. Sed ſibi redditus, ſuum illud factum exhorruit. Quibus per præſtigias oculi faſcinantur, innumera videre ſe putant, quæ non vident; ſed quando ſublatum eſt faſcinum, errorem ſuum deprehendunt, & falſitatem. Fuerunt, qui crederent ſe in menſa ſediſſe, atque lautiſſime epulatos, qui poſtea ſublato faſcino ſe deceptos cognoverunt. Eodem modo, quamdiu anima in corpore reſidet, rerum fictio ipſam decipit, ſecundum illud Sap. 4. *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona*: id eſt, pervertit judicium, ut bona putet, quæ non ſunt: non putet autem, quæ ſunt: *Et inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit* (id eſt, ſuſque evertit) *ſenſum ſine malitia*: Sed relicto corpore, unde omnis faſcinatio, cum anima, res ut in ſe ſunt, intuetur, tum obſtupeſcit ſe falſo ſe deceptam, erroremque ſuum agnoſcit. Certe quis iſtud non admiretur, quod homines in rerum omnium luce non videant, quod poſtea videre incipiunt, uel oportet videre, quando lux vitæ eſt extincta?

4. Na-

4. Naſcitur in intellectu tam vehemens applicatio ſeu fixa adhæſio ad quædam objecta, ut ſemper in iiſdem verſetur, ut dicitur Danielis cap. 12. *Ut videant ſemper*. Equidem in hac vita cogitationes ſibi perpetuo ſuccedunt; unde in varia abit animus; hinc oritur illa, de qua Sapiens loquitur, inconſtantia concupiſcentiæ ῥομβασμὸς ἐπιθυμίας, circumrotatio ſicut fundæ, quæ dicitur, ῥόμβος perpetua quædam, ac velut in gyrum mutatio, rotatio, circuitio, & quaſi turbo concupiſcentiæ, dum ex una in aliam tranſitur: Sed in altera vita illa agitatio mentis ceſſabit, & in uno mens defigetur, quæ illud cogitare cogetur, quod nolet: quæ agendi diverſa ratio in intellectu incredibile dictu eſt, quam gravis futura ſit animæ, dum non habebit ſuarum cogitationum libertatem; Miſera Ixionis imitatrix ejuſdem commentationis rotam ſemper circumagens. In hac vita ſane non exiguum eſt illud curarum levamentum, quod varietate cogitationum mens alio divertatur; ut & judiciorum mutatione, quæ vel de perſonis, vel de rebus ferre ſolet. Sed in altera vita non ita ſe res habet, cum illic uni ſolum cogitationi, eidemque uni tantum de quaque re judicio mens in perpetuum affixa ſit: *Ut videant ſemper*.

5. Cum intellectus ſequatur ſtatum animæ, hæc autem poſt mortem ſit extra corpus, ita ille operatur independenter a corpore; & proinde eodem plane modo agit, quo ſolent agere ſpiritus ſeu angeli. In hoc autem differt ſpiritus a corpore, quod cum corpus habeat rationem materiæ ſeu potentiæ paſſivæ, ſemper recipiat, & ab extrinſeco, unde ſenſus moventur ab objectis externis, a quibus accipiunt ſpecies impreſſas, & deinde a ſeipſis expreſſas, & ideo dicit Ariſtoteles, ſentire eſſe quoddam pati; hinc oculus ſeipſum non videt, nec enim eſt in ſeipſum reflectivus, quia ſeipſum movere non poteſt per ſpeciem impreſſam: quod ſi videt in ſpeculo, non tam a ſe movetur quam a ſpeculo, ſed immediate & recte ſeipſum movere non poteſt, quia ſpeciem non in ſe, ſed a ſe, directe emittit; Intellectus autem ita reſpectu aliorum objectorum eſt potentia, quia poſſibilis eſt fieri omnia per repræſentationem, ut reſpectu ſui ſit quidam actus: Ipſe enim ſe movet; nam eſſe poteſtate non poteſt, quod actu: cum autem unaquæque res id ſit prius quod actu eſt, quam quod eſt potentia, hinc fit, ut primum objectum ſpiritus ſit ipſe ſibi, unde quilibet eſt menſura totius ſuæ intellectionis, quia rationabile eſt, ut virtus intellectiva adæquatur perfectioni ipſius animæ; ſic enim Deus comprehendit, quia intellectus divinus adæquatur ſuæ ſcientiæ infinitæ: hinc etiam fit, ut quod primum Deus intelligit, ſit ipſe: ita quod primum Angelus intelligit, ipſe eſt, unde eſt menſura ſuæ intellectionis: immo ut aliqui docent, non poteſt a ſui cogitatione ceſſare, quia ſibi ſemper præſens eſt, & ſibi eſt ſui ſpecies, itaque alia non indiget, quia ſpiritalis eſt, & conſequenter per ſe intelligibilis; & proinde ſeipſum ignorare non poteſt. Quare cum anima ſeparata eumdem habeat modum intelligendi, quem habeat Angelus, quo cum convenit in ſtatu, ipſa ſe ſemper intuetur ac videt, quia ſibi ipſa eſt intime præſens: & ſi hoc deeſſet, certe Deus ipſi immitteret ſpeciem infuſam, qua ſeipſam, primum omnium objectorum, cognoſceret; nam ad hoc primum inclinationem habet; Quod ſi vitiis deturpata ſit atque fœdata, tunc maxime patitur a ſui cognitione: Sed velit, nolit, cogitur ſemper ſeipſam intueri, & exhorreſcere, ſecundum illud quod diximus: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus*. Thren. 3. quæ eſt graviſſima ejus pœna, ut ait Bernardus lib. 3. de Conſiderat. cap. 12. his verbis: Non eſt aſpectus, ſive in cælo, ſive in terra, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſit: Non latent tenebræ vel ſeipſas, vel ſe vident, quæ aliud non vident; opera tenebrarum ſequuntur illas: non eſt, quo ſe abſcondant ab illis, ne in tenebris quidem. Hæc ille: Et nos hactenus de intellectu: ſequitur, ut agamus de voluntate in eo ſtatu.

VI. Loco: quia in te 1. tunc fiet in ea tanta mutatio, ut alio modo ſit progreſſura, quam facere ſoleret in hac vita: cum enim duplex ſit inſtinctus in nobis, 1. naturalis ſeu innatus; alter additiius, & quaſi ſecundarius, & extraneus, ſeu impreſſus; primus eſt a Deo inuſtus, alter ab objectis excitatus. Dum autem in hac vita ſumus, pauci ſequuntur innatum, propter obſcuram ſui finis & principalis objecti cognitionem, ſed a variis objectis, quæ per ſenſus animum feriunt, ſeſe abripi ſinunt. Verum cum anima eſt exuta corpore, ac periit illa objectorum externorum titillatio, evaneſcit ille rerum creatarum amor, ejuſque loco exſuſcitat ſe naturale pondus, atque inclinatio vehementiſſima, & incitatiſſima in Deum, ut in ſuum finem; quæ ſublato corporis impedimento, tanta vi animam rapit, ut non poſſit retineri, quin ſeſe illi uniat, ſine forti quadam reſiſtentia & profunde afflictione, & graviſſima moleſtia, in quam de facto incurrit; quando ob mortalis vitæ imperfectiones ab illa unione impeditur. Quod ſi illa impedimenta æterna ſenſerit, acerrimo dolore ſeſe cruciat, ſitque tota quaſi contracta, quia fere in rerum omnium creatarum, & ſui ipſius odium mutatur, contra quam ipſi ſolet in hac vita contingere, ubi fere plus amat, quam odit, immo nihil odit, niſi quia amat: ſed tunc ejus fere unicus actus eſt odium, & fere nihil amat quidpiam, niſi quia oderit, odium autem acerbum eſt, pœnam habet, quia amaritudinem invehit: nec mirum, quia eſt contra inclinationem, & ſemper invenit contrarium, quod averſatur, & fugit.

2. Maxima ex parte tollitur in ea libertas. Cum enim prima libertatis origo ſit in intellectu, propter ejus interminationem; & aliunde in altera vita intellectus fere determinetur ad paucas cogitationes, præſertim circa quædam objecta ſublata in eo indifferentia; tollitur pene libertas in voluntate: at omnino tollitur circa quædam objecta, quæ juvare poſſent, & illud impletur, quod dicitur apud Matth. 22. *Ligatis manibus, & pedibus, projicite eum in tenebras exteriores*.

3. Maxima etiam ex parte perit ejus dominium in potentias inferiores: quia quædam extinctæ ſunt, ut ſenſus interni & externi, qui tantum in corpore

repe-

Digitized by Google

reperiuntur: aliæ vero non obediunt, quia ſuperiori agenti ſubditæ ſunt, a quo ad agendum determinantur, immo Deus in ipſis quoſdam actus operatur. Itaque ipſa voluntas trahitur, quo non vult, nec amplius ſuarum actionum eſt domina, & arbitra: nam ſtatus eſt mutatus & amittit modum agendi mutabilem: o magnum in voluntate damnati doloris incrementum! in hac vita ſemper eſt ambulatoria, ſed in altera, propter ipſius in uno objecto determinationem, ſiſtitur.

4. In qua quiſque voluntate, plane non retractata moritur, in ea permanet; ſecundum illud Eccleſiaſtici 11. *Si ceciderit lignum ad auſtrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*: Eſt enim ſtatus omnino invariabilis, & immutabilis, qui eſt ſtatus alterius vitæ, quæ hominem ponit in termino. Et quoniam in vita omnes fere voluntates deordinatæ fuerant; illæ omnes, ut quæ habuerunt rationem criminis ac demeriti, habent poſt vitam rationem pœnæ, atque ſupplicii, cruciantque plurimum. Ad voluntatem igitur, quæ potentia eſt, redeunt omnes voluntates, quæ actus ſunt, in quibus, quia innumeræ ſunt inter ſe contrariæ, propterea ab illis voluntas, & anima in varia diſcerpuntur. Porro iis voluntatibus, quam multæ ſunt indecentes & indignæ, atque illæ voluntatem affligunt: quam multæ inutiles & vanæ, & illæ amaritudine replent: quam multæ ſunt injuſtæ, atque illæ contriſtant, nihilque niſi mœrorem relinquunt: *Laſſati ſumus in via iniquitatis*: quam multæ obſcœnæ & turpes, & illæ ingenti pudore afficiunt: quam multæ crudeles, & illæ condemnant: quam multæ contra Deum, & illæ diſturbant atque dejiciunt. Poſt illas turmatim innumeræ ſeſe efferunt, quæ ad ſtatum præſentem pertinent, qui eſt ſtatus æternitatis, & illæ mirabiliter, & ſupra quam credi poteſt, diſcruciant, ac torquent, eo uſque ut anima non niſi ſupplicio ſe deſtinet, ex utroque ſtatu miſera, ex præſente, & ex præterito: præteritum reponit memoria, ſecundum illud Bernardi: hic eſt vermis, qui non moritur, memoria præteritorum: præſentem, aut in ſtatum extendit in omnem æternitatem, propter immutabilitatem & ſuam, & ſui ſtatus. Mitto pleraque alia ad voluntatem pertinentia, cum dicta ſufficiant.

Supereſt VII. Ut pauca de paſſionibus dicamus: Sed ne ſit æquivocatio.

Nota 1. Paſſiones proprie dictas eſſe in duplici appetitu hominis, inferiori & ſuperiori. Probatur ex earum actibus, amore, odio, lætitia, triſtitia, ſpe, metu, & aliis, quæ paſſiones ſecundum varia objecta ſunt in alterutro appetitu, vel etiam in utroque: licet communiter paſſionum nomine intelligantur paſſiones appetitus inferioris; quia præter actionem hujus appetitus ſit quædam corporis mutatio, & alteratio, unde ortum nomen paſſionis, cum tamen certum ſit dari ejuſdem nominis, & denominationis actus in parte ſuperiori, licet ſæpe oriantur etiam per ſympathiam ſimiles actus in corpore, & conſequenter immutationes in eo, ſecundum illud Davidis, *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*.

Nota 2. Cum paſſiones ſint in appetitu, & duplex ſit in homine appetitus, unus rationalis, ſeu ſuperior, & alter ſenſitivus, ſeu inferior, & locus ſeu ſubjectum ſuperioris ſit anima, inferioris autem cor; inſuper cum in morte pereant facultates corporeæ, maneant incorporeæ, ſequitur in anima ſeparata non manere paſſiones appetitus inferioris, ſed manere ea, quæ ſunt ſuperioris, verum ſecundum ſtatum cujuſque, qui certe pendet a morali, cum ſit ſtatus pœnæ aut præmii, quia jam non eſt ſpectanda anima ſecundum ens morale, quod cauſa eſt multorum, quæ ſiunt in homine ſecundum diverſitatem meritorum.

Nota 3. Quod quemadmodum tempore tempeſtatis exortæ in mari, non flant niſi venti contrarii, & turbulenti, & fluctus ingentes excitantur, & mare ſuſque deque evertitur; ita eo tempore, quo anima ſeparata eſt a corpore, inſurgunt moleſtiſſimæ paſſionum omnium commotiones, anima in ſeipſam reducta. Quod apprime expreſſiſſe Dorotheum doctrin. 12. nuper ſatis ample dicebamus. Hoc unum, ne longius hic ſermo protrahatur, addimus, ut id ex propria experientia quiſque conjectura aſſequatur. Tu aliquando cupiditatem hic ſenſiſti; infer inde, quanta tunc erit, quam ardens, quam præceps, quam inquieta. Senſiſti aliquando aculeos doloris, tunc demum ſcies, quid ſit dolor, quid deſperatio. Sane poſſum dicere te ad hoc uſque tempus ignoraſſe, quid ſit ira, & quid ſit animi impatientia, quantumvis illis commotionibus agiteris. Quid dicam de timore, quam gravior erit quolibet tormento? Sapient. 4. *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates eorum*, cum cogitationem dicit, intelligit συλλογισμὸν ratiocinationem, & ſupputationem: cum dicit, *traducent*, vult dicere, convincent & coarguent ex adverſo, ſtante in oppoſitum, & accuſante conſcientia. Et apud Job cap. 15. *Terrebit eum tribulatio, & anguſtia, vallabit eum ſicut Regem, qui præparatur ad prælium*. Denique omnes paſſiones inſurgent, quando, ut ait idem cap. 21. *Lucerna impiorum extinguetur*, ſcilicet in morte, & ubi lux vitæ perfecerit.

Has cogitationes mihi ſuppeditavit apertum Lazari ſepulchrum: Veniſti & vidiſti, mi Auditor. *Tollite lapidem*, dicebat Chriſtus. Addo, non tantum ſepulchri, ſed multo magis cordium. Tu tolle cordis tui duritiem, ac reſponde petenti. Quid tibi videtur de futuro ſtatu animæ tuæ? An id unquam cogitaſti, vel non? Si non cogitaſti, unde illud provenit? An quia non credis immortalem animam? Sed unde non credis? Quia, inquis, nemo unquam redit. Lazarus poſt ſepulturam quatuor dierum exſuſcitatus, idque coram innumeris teſtibus, qui & miraculo adfuerunt, & exſuſcitatum viderunt, manducantem & diu ſibi ſuperſtitem? Sed Chriſtus rediit poſt trium dierum ſepulturam, probata tot teſtibus ejus morte, & pluribus etiam ejus reſurrectione? Quin & innumeri alii variis ſæculis a mortuis rediere? At, inquis, ego non vidi. Igitur nihil credis, niſi quod tu ipſe vidiſti? Sed quam multa ſunt, quæ credis, nec vidiſti, in hominibus, in urbibus, in actionibus, & aliis innumeris? Alterum cur non credis? Quia, inquis, non placet, neque id certum eſt. Sed fortaſſe ita eſt? Reponis, & for-

Digitized by Google

& fortaſſe non ita eſt, quia hinc inde rationes afferuntur. Hic te exſpecto. Mitto dicere ſapienti homini hoc eſſe evidens, & homini Chriſtiano id eſſe indubitatum, cum ſit de fide, animam hominis non perire cum corpore. Sed fingamus dubium eſſe. Ita eſt, hoc ſaltem habeo, id fortaſſe verum eſſe. Certe ſi de ſola opinione ageretur, in eo quod eſſet dubium, tibi liberum foret credere, aut non credere; ſed cum non agatur de ſola opinione, ſed de ſibi conſulendo in re maximi momenti, hoc a te poſtulo: An non ad hominis prudentiam pertineat, illam partem potius ſequi, in qua nullum eſt periculum, & nullum damnum, quam alteri ſe committere, ubi agitur de ſumma rerum? An non ille miſer eſt ſponte, qui ſic vivit? Sed quid paſſus ſum, ut vel ex ſuppoſitione, in re tam gravi, tam certa, & tam evidente dubitares, cum omnia undique habeamus teſtimonia, & argumenta, rationis, fidei, experientiæ; & innumera nobis certa ſint, quæ neceſſario hanc veritatem inferunt? Quod ſi aliquando cogitaſti, quid propterea feciſti? Quid ſtatuiſti in eam rem? Quod tibi remedium, quod ſolatium, quod adjumentum tibi comparaſti? In aliis rebus tam es providus: Cur non in iſtis, quæ non ſunt alicujus temporis, ſed æternitatis; quæ non ſunt dubia, ſed certa; quæ non partem continet tuæ ſortis, ſed illa tota quanta eſt?

At dicis te de iſtis cogitaſſe. Sed quoties? quam alte & quam profunde? Quam multi ob ejuſmodi cogitationes rebus omnibus valedixerunt? Quam multi in ſolitudines ſe abdiderunt, ut hæc ſemper cogitarent, ut illa prævenire poſſent? Hæc eſt vera illa chriſtiana ſapientia, quam veteres definierunt, mortis meditationem. Eo enim mors perducit; mors quippe tranſitus eſt, ſed nemo tranſitus ſatis intelligit, in quid ſit tranſitus. Hæ ſunt illæ cogitationes, de quibus Jobus cap. 17. *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum*. In his ſe perpetuo infixum fuiſſe ſcribit Nazianzenus, & ita infixum, ut venas ejus ſanguine, & carnem ſucco privarent. Hæ fuit cogitationes Davidis Pſalm. 76. *Annos æternos in mente habui*. Has cogitationes ſuis optavit Moyſes in Cantico: *Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent!* Utinam in eo ſit, mi Auditor, tua ſapientia, tua intelligentia, tua providentia. Omnis alia vana eſt, & ſupervacanea; omnis alia intra tempus concluditur, hæc reſpicit æternitatem: quam felicem nobis donet Jeſus Chriſtus Filius Dei, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.

## CONCIO PRIMA.

### De Prædeſtinatione.

*Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me*. Joann. 10.

CUm Judæi cauſam ſuæ incredulitatis in Chriſtum rejeciſſent, quaſi non ſatis eis fuiſſet locutus, nec ſatis expreſſe dixiſſet ſe eſſe Chriſtum, poſtquam eos mendacii arguit, eo quod abunde ſe eis manifeſtaſſet verbo, & opere, veram cauſam incredulitatis eorum aperit, nempe eorum malitiam, qua factum eſt, ut ab ovium ipſius numero excluderentur. Itaque *non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis*, alioqui enim, *oves meæ vocem audiunt*. Sic enim vocantur, ut audiant. Per oves autem Chriſti, interprete S. Auguſtino Tract. 48. in Joann. intelliguntur Prædeſtinati: juxta illud Actorum 13. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Unde ſignanter dicit de ovibus ſuis: *& ego cognoſco eas*, quibus verbis earum prædeſtinationem ſignificat: Quia uti Verbum divinum cognitione gignitur; ita & Electi, ſeu Prædeſtinati gignuntur cognitione, non mere ſpeculativa & ſterili, ſed fœcunda & practica. Uti enim Pater cognoſcendo Filium, (terminus enim cognitionis ipſius eſt Filius) ſuam ei tribuit eſſentiam, & perfectiones omnes; ita ſuos cognoſcendo, omnia dona eis largitur. Itaque Apoſtolus Rom. 8. *Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit*: præſcire idem eſt atque ante diligere, & in bonum præordinare: verbum enim *cognoſce*, non ſolam cognitionem intellectus, ſed etiam affectum, & dilectionem ſignificat, uti Amos 3. *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ?* Contra vero ignorare, idem eſt, ac non approbare, non curare: Ita Pſalm. 100. *Declinantem a me malignum non cognoſcebam*: Quid eſt, non agnoſcebam, ait Auguſtinus, id eſt, non approbabam, non laudabam, non mihi placebat: cognoſcere enim invenimus aliquando in Scripturis dici, pro eo, quod eſt placere nobis: Ita Deus ad Moyſem Exodi 33. *Novi te ex nomine, & inveniſti gratiam coram me*; & Paulus 2. ad Tim. 2. *Cognovit Dominus, qui ſunt ejus*: Itaque, *quos præſcivit*, hoc eſt, quos ſpeciali præintentione dilexit, & quibus gloriam voluit, non tantum ſecundum ſe ſolam, ſed ut connexam cum vocationibus congruis, & perſeverantia in gratia; *hos & prædeſtinavit*: hoc eſt, pro eis elegit actu diſtincto, & conſequente ad illam intentionem, hæc eadem auxilia efficacia, quibus ſuos prædeſtinatos confirmavit in patientia: Nam ſicut Deus Chriſti paſſiones convertit in ejus gloriam; ita facit perſecutiones prædeſtinatorum converti in ipſorum bonum: Illos itaque ſingulariter diligit per præſcientiam, dum eos ſingulariter prædeſtinat, atque ordinat per media ſingularia, quæ terminantur ad glorificationem: cujus rei occaſione nobis hodie ſermo erit de re omnium difficillima, hoc eſt, de prædeſtinatione: Si prius gratiam popoſcerimus a cælo. *Ave Maria*.

NOndum plus habui cauſæ, quam nunc uſurpandi verba S. Joannis Chryſoſtomi inchoantis explicationem libri Geneſeos: ubi ait tempeſtatem jejunii & quadrageſimæ tribuere ſibi majorem facultatem loquendi de rebus difficillimis, quoniam auditorum ſuorum animi tunc melius, quam alias unquam diſpoſiti erant ad præſtantiſſima, abditiſſimaque comprehendenda? Nam ſi nunc non facimus (ait Homil, 2.) quando eſt jejunium, & gulæ contemptus, & tanta bonarum cogitationum ſerenitas, quomodo talia charitati veſtræ apponere poterimus, quando deliciæ, comeſſationes, & magna deſidia?

Digitized by Google

ſidia? Quin tunc neque ipſi, ut par eſt, hoc faciemus, neque vos aliquid eorum, quæ dicuntur, accipere poteritis, utpote a tenebris, cogitationumque fluctibus ſubmerſi. Mihi vero minime nunc exponendus eſt vobis mundi ortus, ſed diſſerendum eſt de argumento longe ſublimiori difficiliorique, ſcilicet de Prædeſtinatione, quam Apoſtolus appellat Conſilium Dei, Rom. 11. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* neque adeo unquam de illo loquitur, niſi cum teſtimoniis incomprehenſibilitatis, & cum ſenſu pleno ſtuporis atque admirationis: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Quod expendens S. Ambroſ. lib. 1. de vocat. Gentium cap. 5. Cum ergo hæc divinorum operum myſteria, ſupra menſuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis ſuæ profudiſſet exceſſu, totam expoſitionis rationem tranſtulit ad ſtuporem: & admiratus eorum, quæ protulerat, exclamavit, & dixit: *O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Nihil omittens de his, quæ non oportet ignorari: nihil con rectans de his, quæ non licet ſcire: Cujus rei occaſione dicere etiam poſſum, quod de eodem argumento dixit Auguſtinus, Serm. 224. de Tempore. Novi cum Paulo Apoſtolo expaveſcere, quod etiam ille, cum conſideraret, expavit, & expaveſcens exclamavit: *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus!* & quidem ſi tanta ingenia tanto argumento ſuccubuere, quis ego ſum, qui confidam me poſſe tanti Oceani profunda penetrare? Hoc equidem agere non aggredior, ſed tantum quædam vobis indicare, quæ ad prædeſtinationem pertinentia noſtro in Evangelio hodierno continentur: quæ ad quatuor puncta reduci poſſunt.

1. Eſt, dari prædeſtinationem, ſecundum illud: *Ego cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ*: Significat autem prædeſtinatio peculiarem Dei Providentiam circa ſalvandos, quæ deſignatur per ovium cognitionem, quæ non tantum ſignificat, ut dixi, cognitionem intellectus, ſed amorem etiam & curam peculiarem.

2. Quid Deus agat circa prædeſtinatos, quod non facit circa reprobos: quod continetur in illis verbis: *Vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas*, &c. *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.*

3. Quid prædeſtinati faciant ſupra reprobos: quod continetur in illis verbis: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me*, &c. *& non rapiet eas quiſquam de manu mea.*

4. Quibus modis dignoſcantur prædeſtinati a reprobis; ſecundum illud: *Et ego cognoſco eas*: Item *Non eſtis ex ovibus meis*: ad quæ puncta reduci poſſunt omnia, quæ de prædeſtinatione dici poſſunt eſſe unius diſcurſus, de ſingulis ſeparatim agemus: incipiamus a 1.

Dico 1. Dari Prædeſtinationem in Deo. Hanc unus Joannes Erigenes negavit, cum in c. 8. ſui libelli ſcripſit præſcientiam & prædeſtinationem ſimilitudine rerum temporalium ad Deum transferri; ſed vere in Deo non eſſe præſcientiam rerum humanarum; Cujus errorem recte confutavit Eccleſia Lugdunenſis in peculiari libro contra illum. Verum, ut recte dixit S. Proſper ad capita Gallor. cap. 1. Prædeſtinationis fides multa ſanctarum auctoritate Scripturarum munita eſt; Rom. 8. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*, &c. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*: Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, &c. *qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Eodem pertinet, cum mentio fit in variis locis libri vitæ, in quo dicuntur ſcripta eſſe nomina aliquorum: Item iſtud Chriſti: *Nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*: Item hoc aliud, quod dicit aliquos eſſe electos: *Multi vocati, pauci vero electi*: Item quod dicit aliquos a Patre trahi, & dari Filio: Item quod aſſerit eis paratum eſſe regnum ab origine mundi: Item, quod dicitur diverſis in locis: Deum quibus vult miſereri, vel indurare quos vult: & mercedem vel bravium aliquibus polliceri. Nam ex omnibus illis conſtat plures homines pervenire ad finem ultimum ſupernaturalis felicitatis, ad quem non potuerunt niſi viribus ſupernaturalibus a Deo collatis: At vero ſine præſcientia Dei & providentia diſponente, & ordinante, nec vires ſupernaturales potuiſſent hominibus infundi, nec potuiſſet præmium beatitudinis dignis potius concedi quam indignis. Hæc autem providentia, & præſcientia, quæ præſtat hos effectus, eſt ipſiſſima prædeſtinatio: Ipſius enim eſt ea diſponere, & ordinare, quæ hominibus conducunt ad ſalutem. Rationem dedit S. Thom. 1. p. qu. 21. artic. 1. in corp. Quia cum Deus ſit prima cauſa rerum omnium, omnia ſubjacent Divinæ providentiæ; ad providentiam autem pertinet res in finem ordinare, eſt enim providentia ratio ordinis in finem: finis autem, ad quem res creatæ ordinantur, eſt duplex; unus, qui excedit proportionem naturæ creatæ, ejuſque facultatem, & hic finis eſt vitæ æternæ, quæ excedit vim creaturæ rationalis, cui viſio Dei non competit naturaliter; alter autem finis eſt naturæ creatæ proportionatus, quem ſcilicet res creata poteſt attingere ſecundum virtutem ſuæ naturæ; ad illud autem ad quod non poteſt ſuis viribus pertingere, oportet, ut ab alio tranſmittatur, ſicut ſagitta in ſcopum tranſmittitur ad ſignum: unde, proprie loquendo, creatura rationalis, quæ eſt capax vitæ æternæ, ad ipſam a Deo tranſmittitur: cujus tranſmiſſionis ratio in Deo præexiſtit; ſicut eſt in eo ratio ordinis omnium in finem, quæ providentia nominatur; ratio autem tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem appellatur prædeſtinatio: unde patet prædeſtinationem eſſe partem providentiæ, & eodem modo procedere prædeſtinationem, quo modo procedit providentia, nempe per directionem mediorum ad finem: ſeu per electionem conducibilium, & voluntatem certam ea media parandi: Cum vero conſtet ex fide hominem creatum eſſe propter beatitudinem acquirendam, illa autem ſit ſupernaturalis; oportuit media parata eſſe proportionata, & conſequenter ſupernaturalia: quorum ratio cum ſit in Deo, & voluntas ea concedendi, oportet in Deo eſſe prædeſtinationem. Id patet ex

ipſo

ipſo facto: nam aliqui perveniunt ad vitam æternam, idque non caſu, neque temere; igitur per media certa & conducibilia: cumque ea ſint ſupernaturalia, ab alio parari debuerunt & ordinari non ab ullo alio, quam a Deo; igitur ab eo: priuſquam autem dentur, ſunt parata; igitur præordinata ſunt: hæc autem præordinatio, ſeu præcedens diſpoſitio communi nomine prædeſtinatio appellatur. Igitur certum eſt, quod diximus, dari in Deo prædeſtinationem.

Hic duplex evitari debet ſcopulus: Primus eſt ſcandali: nam plurimi ex doctrina prædeſtinationis ſcandalizantur, & peſſimas trahunt conſequentias, quidam præſumptionis, alii deſperationis, uti de quodam Monacho refert S. Auguſtinus lib. de bono perſever. cap. 15. qui ex mala conſequentia petita ex prædeſtinatione, relicta vita Monaſtica, repetiit ſæculum, & periit. Verum cuique ſufficere debet, cum prædeſtinatio ſit in Deo, nihil poſſe eſſe niſi ſanctum, itaque nihil injuſtum, nihil iniquum, nihil contra rationem, nihil contra æquitatem, nihil repugnans ſummæ bonitati, ſummæ juſtitiæ, ſummæ miſericordiæ, aut ulli perfectioni, alioqui Deus non eſſet Deus. Hoc ſignificavit Apoſtolus ad Rom. c. 9. agens de Prædeſtinatione: cum enim aliquas in contrarium attuliſſet difficultates, uno verbo reſpondet: *O homo, tu qui es, qui reſpondeas Deo?* Sufficit enim homini Dei auctoritas, quidquid homini tandem videatur, quidquid opponatur, quidquid comprehendat, aut non comprehendat homo: Hoc autem pendet ex juſta de Deo apprehenſione, & magnitudinis ipſius cogitatione; nam ſola Dei Majeſtas, & auctoritas tibi & mihi ſufficere debet; certe ſi in omnibus aliis myſteriis tibi ſufficit, cur non in ſua diſpoſitione, cur non in ordine providentiæ ſuæ?

2. Scopulus, in quem aliqui impingunt, eſt quod ex aliquibus difficultatibus, quas habent in materia prædeſtinationis, quia illis ſatisfacere non poſſunt, aut potius, quia ſibi ſatisfacere nequeunt, ideo negant Prædeſtinationem in Deo, quaſi vero ex aliqua difficultate, cui non potes reſpondere, liceat tibi evidentem veritatem rejicere? Hoc eſt, quod damnat Auguſtinus lib. de bono perſeverant. cap. 4. in fine. Numquid ideo negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt? Numquid, inquam, propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe præcipimus, non ita eſſe; quoniam cur ita ſit, non poſſumus invenire? Ita enim ſe res habet, Auditores: quotidie certa & aperta negantur ob aliquas difficultates, quibus imbecilla ingenia ſatisfacere non poſſunt: imbecilla dico, 1. quia non ſciunt ſolvere: 2. quia nec ſolutiones intelligere: 3. & maxime, quia ex illa impotentia negant apertiſſima, vel apertiſſime revelata, itaque ex ignorantia incidunt in errorem; atque hinc fere natæ ſunt omnes hæreſes, uti patet enumerando: In quo ſumma culpa eſt: cum advertere debuiſſent ſemper in rebus fidei eſſe aliquid quod lateat, itaque quod comprehendi non poſſit: unde præclare monet Ambroſ. lib. 1. de vocatione gentium, cap. 5. Multa ſunt in diſpoſitione operum divinorum, quorum cauſis latentibus ſoli monſtrantur effectus, ut cum pateat, quod geritur, non pateat, cur geratur; negotio in medium deducto, & in occulto ratione ſubducta: ut in eadem re, & de inſcrutabilibus præſumptio, de manifeſtis falſitas refutetur. In præſenti itaque materia, illud nobis certum ſit, dari prædeſtinationem. Nam ſi datur Deus, datur providentia; ſi datur providentia, datur prædeſtinatio, cum illa ſit providentia circa creaturam rationalem: ſi datur prædeſtinatio, cum ipſa ſit in Deo, nihil me turbare debet; nam ſi prædeſtinatio eſt Dei providentia circa naturam rationalem in ordine ad ſalutem, igitur eſt peculiaris cura Dei erga meipſum, ut me ad ſalutem æternam perducat: Quid me igitur obturbet, ſi Deus tam ſedulo incumbat in meam ſalutem? Cum id faciat per prædeſtinationem, tantum abeſt, ut conſideratio prædeſtinationis me habere debeat anxium, ut multo magis me ſolari debeat: ſecundum illud 1. Petri 5. *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum: quoniam ipſi cura eſt de vobis.*

Dico 2. Prædeſtinationem Dei eſſe ab æterno, ſecundum illud Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo*, id eſt Chriſto, *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti*: Item 1. Corinth. 2. ubi de Chriſti prædeſtinatione loquitur: *Loquimur Dei ſapientiam, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula*: Jerem. 31. *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miſerans*: Ratio autem eſt evidens: quia cum prædeſtinatio ſit actus immanens Dei, & Deus nullum actum immanentem habere poſſit novum in tempore, ne ſit in Deo vel levitas, vel mutatio, ſequitur prædeſtinationem eſſe æternam. Confirmatur, quia quod fit in tempore, illud eſt, quia Deus decrevit ante tempus; in tempore autem eſt donatio, in æternitate vero eſt doni præparatio, unde Auguſtinus de prædeſtinat. Sanct. cap. 10. Inter gratiam porro & prædeſtinationem, hoc tantum intereſt, quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; gratia vero jam ipſa donatio: addamus; atqui donatio fit in tempore, ſed præparatio fit ante tempora, igitur prædeſtinatio eſt æterna, ut ſcias, quantum debeas Deo, qui de te ab æterno cogitavit, & tui curam habuit, antequam eſſes. Quid moraris eum diligere, qui te tantum dilexit, cum diligere non poteras? Joann. c. 4. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*: Sed vide, qua prioritate, tot ſæculis, immo æternitate. Quantum illud eſt, quod Deus non ſe prius quam te dilexit; quia in æternitate nihil eſt prius, nihil poſterius: hoc ſaltem effice, ut quia hactenus non amaſti, ſic ames deinceps, ut ſemper ames.

Dico 3. In prædeſtinatione intercedere actus divini intellectus, & voluntatis, unde providentia & prædeſtinatio iis vocibus ſignificantur a Sanctis Patribus, quæ nunc ſignificant actum mentis ſeu intellectus, nunc actum voluntatis. De actibus intellectus ſic loquitur Dionyſ. de div. nomin. cap. 12. Veritas proſpicit cuncta, providentia mirabili: at veritas eſt in intellectu, & proſpicere pertinet ad mentem. Boetius lib. 4. de conſolat. proſa 6. Modus rerum, cum in ipſa divinæ intelligentiæ puritate conſpicitur, providentia nominatur: intelligentia eſt intellectus, & conſpectio actus ipſius: Sanctus Auguſtinus lib. 83. quæſt. 31.

Pro-

Digitized by Google

Providentia eſt, qua aliquid videtur futurum, antequam factum ſit: Idem lib. de dono Perſever. cap. 17. Prædeſtinationem definiens, vocat præſcientiam. Favet D. Paulus ad Rom. 8. *Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit*; & cap. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit.* In quæ verba S. Auguſtinus loc. cit. cap. 18. Hoc quod ait, præſcivit, non recte intelligitur, niſi prædeſtinavit. Unde multi Theologi prædeſtinationis naturam ponunt in imperio, quod dicunt eſſe actum intellectus, quod exprimit voluntatem Dei: illa autem expreſſio pertinet ad intellectum, cujus eſt præcipere, imperare, dirigere, & movere; quod certum eſt reſpectu alterius, igitur etiam reſpectu ejuſdem perſonæ. Eodem modo paſſim Sancti Patres Providentiam, & prædeſtinationem explicant per actus voluntatis: Itaque S. Auguſt. in illo c. 17. de dono Perſever. non ſolum dixit prædeſtinationem eſſe præſcire, ſed etiam diſponere; diſpoſitio vero rerum ad præſcientiam addit actum voluntatis: itaque ſic loquitur: prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei: Præparatio vero aliquid addit ad præſcientiam, ne ſit inutilis repetitio: igitur addit actum voluntatis. Id innuit Paulus dum dicit: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*: ultima vox aliquid addit ad primam, ſed prima ſpectat mentem, igitur altera ſpectat prædeſtinationis alium actum, nempe voluntatis actionem. S. Damaſc. lib. 2. de fide Orthodox. c. 29. Providentia eſt voluntas Dei, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur. Fulgent. l. 1. ad Monim. c. 7. utrumque prædeſtinando præparavit in illa incommutabili voluntate. Itaque paſſim Theologi prædeſtinationem explicant per electionem creaturæ rationalis ad gratiam & gloriam; Electio autem eſt actus voluntatis. Et confirmatur; Quia prædeſtinatio eſt actus liber, & opus eximiæ miſericordiæ, igitur non conſiſtit in ſolo actu intellectus, ſed etiam requirit actum voluntatis: unde qui optime concipiunt prædeſtinationem, dicunt eſſe conceptionem mediorum aptorum, & perducentium ad finem, & voluntatem ea exequendi; nam ſola conceptio mediorum communis eſt reſpectu prædeſtinatorum, & non prædeſtinatorum; ſola autem voluntas propria eſt prædeſtinatorum; & propterea cum dicitur in noſtro Evangelio: *Ego cognoſco eas*, ſermo eſt de cognitione approbationis, ut dictum eſt ſupra, quæ non tantum comprehendit actum intellectus, ſed etiam actum voluntatis.

Ex his patet, quid de prædeſtinatione a nobis ſentiendum ſit, quæcumque tandem rationes, aut intelligendi difficultates in contrarium ſe opponant. Cum enim ſit actus divini intellectus, non poteſt non eſſe actus ſummæ ſapientiæ atque prudentiæ, non poteſt non eſſe actus ſummæ rationis, quem præferre debemus omnibus humanis rationibus: hæ enim omnes fallibiles ſunt, & decipere, & errare poſſunt, divina autem, nec fallere ut decipiat, aut deducat in errorem: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.* Itaque omnibus hominum ſubdolis argumentis, qualia tandem ſint, unam divinam auctoritatem oppono. Item cum prædeſtinatio contineat actum divinæ voluntatis, non poteſt non continere ſummam æquitatem, juſtitiam, miſericordiam: erga ſuam creaturam amorem, & ſummam ſanctitatem.

Porro ex actibus divini intellectus, qui pertinent ad prædeſtinationem, quidam ſtrictius & proprie prærequiruntur ad eam; alii autem ingrediuntur ejus eſſentiam: primi generis eſt ſcientia poſſibilium omnium, quam Theologi appellant ſimplicis intelligentiæ, qua Deus novit omnes modos, & omnia media, quibus prædeſtinatus, immo omnes homines perduci poſſunt ad vitam æternam: Dicitur autem præcedere ſecundum modum noſtrum intelligendi, quia eſt alia ſcientia proprior, & immediatior dirigens voluntatem, & eſt ſcientia conditionalium, qua Deus novit fore, ut prædeſtinatus de facto vitam æternam conſequatur, ſi per illa media vocetur, & contra non conſecuturum, & non conſecuturum, ſi per alia media. Hæc autem ſcientia, cum ſit directiva Voluntatis Divinæ prædeſtinantis, intrinſece pertinet ad prædeſtinationem: dicitur autem dirigere Voluntatem Divinam, ne cæco modo, & fortuito, quædam media eligat & præferat aliis, quod pertinet ad providentiam, & conſequenter ad prædeſtinationem. Tum ſuppoſita voluntate dandi ejuſmodi media, ex quibus infallibiter ſequitur talis cooperatio, ſequitur ſcientia viſionis effectuum certo futurorum, donationis gratiæ, cooperationis creaturæ, perſeverantiæ uſque in finem, & mortis dandæ opportuno tempore, & conſequenter deceſſus in gratia: ex quo ſequitur voluntas abſoluta dandi gloriam, & ſcientia viſionis illius dandæ: quæ ultima ſubſequitur prædeſtinationem, niſi prædeſtinatio ſumatur completa, prout ipſo termino ſuo finitur: ſed minus proprie tunc ſumitur, ut dicemus, cum prædeſtinationis definitionem afferemus.

Jam quoad voluntates divinas, illæ omnes pertinent ad prædeſtinationem, quæ reſpiciunt ejus effectus, quicumque ſint, a primo ad maximum, ſed ſpectant ipſum finem, ſeu media: diſtinguuntur autem illæ omnes voluntates inter ſe ratione, ſecundum diverſitatem effectuum; unde inter ſe habent prioritatem, aut poſterioritatem, ſecundum prioritatem, aut poſterioritatem effectuum: in quibus prioritas ſumenda eſt ex independentia, poſterioritas ex dependentia: & ita prior eſt finis intentio, quam mediorum: unde prior eſt voluntas hominis ſalvandi, quam voluntas dandi gratiam: Jam prior eſt voluntas abſoluta dandi gloriam: Item inter media illa prius ſunt in voluntate, quæ priora ſunt in ſe; unde voluntas dandi ſecundas gratias ſupponit voluntatem dandi primas: Denique omnis voluntas, quæ nullo modo pendet a libero arbitrio, aut ab ejus cooperatione, antecedens eſt; ea vero quæ in ſuo effectu pendet a cooperatione voluntatis, non eſt abſoluta, neque antecedenter efficax, ſed eſt conſequens, aut inefficax, aut pendens a cognitione: qua ratione ſatisfit omnibus difficultatibus, quæ proponi poſſunt contra prædeſtinationis exiſtentiam: Ita enim ſervatur præexiſtentia prædeſtinationis, & conſervatur libertatis humanæ integritas: Ita ſalvatur certitudo, & infallibilitas prædeſtinationis, & voluntatis noſtræ libertas: Ita intelligimus gloriam dari hominibus miſe-

Digitized by Google

miſericorditer, & tamen dari juſte, & ut præmium atque mercedem.

Liquet ex his omnibus, quid vere ſit prædeſtinatio; quam recte definivit S. Auguſtinus lib. de dono Perſever. cap. 14. & paſſim approbatur a S. Proſpero, Fulgentio, Anſelmo, Beda, Sancto Thoma, & aliis Theologis. Hæc eſt autem ejus definitio. Hæc prædeſtinatio Sanctorum nihil eſt aliud, quam præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur. In quibus verbis illud innuitur, quod diximus in prædeſtinatione includi actus intellectus, & voluntatis; nam præſcientia pertinet ad intellectum: præparatio autem ad voluntatem: eſt enim illa præparatio ordinatio voluntatis, ſeu decretum & propoſitum voluntatis, ſeu voluntas decernens ea dare, quibus prævidet hominem perventurum ad vitam æternam: per beneficia autem quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur, intelligitur omnis illa ſeries gratiarum, quibus homines perducuntur ad ſalutem: tota igitur prædeſtinatio conſiſtit in hujus ſeriei præparatione, hoc eſt ex voluntate conſerendi, & in ejus præſcientia: nam Deus novit opus ſuum: itaque non eſt ſola præſcientia operum, quæ homo eſt facturus, ſed etiam præparatio beneficiorum, & voluntas ea conſerendi: niſi enim Deus ea præparaſſet, homo ea non poſſet habere: Per hanc autem ſeriem dicimur certiſſime liberari, quia in ea continentur non ſolum auxilia prævenientia, ſed etiam adjuvantia, & bona opera, & perſeverantia in finem; hæc enim omnia beneficia ſunt Dei, quibus libertatem gloriæ filiorum Dei aſſequimur, ut ibid. docet Auguſtinus. Alioqui ſi ſermo tantum ſit de auxiliis prævenientibus, non ita certiſſime liberamur, ea certitudine quæ oriatur præciſe ex vi auxiliorum: neque enim ex illorum nuda efficacia in actu primo, certitudinem habent, quia a ſuo effectu impediri poſſunt a libero arbitrio, & quod libere ita concurrit, ut poſſit non concurrere, ac ſi nihil concurrat, efficietur: ſed tota eventus illius certitudo oritur ex vi divinæ ſcientiæ, quæ falli non poteſt, quæque ſe extendit ad omnes eventus liberos, ſive abſolute, ſive ex hypotheſi futuros: Unde per eam Deus certiſſime novit, quid voluntas humana, tali gratiarum ſerie, ſi eam haberet, eſſet factura: Poſita autem conditione ſeu hypotheſi, nimirum Dei voluntate dandi talem ſeriem auxiliorum, illa ſcientia conditionata tranſit in abſolutam, & jam per illam ſcitur, quid reipſa eventurum. Hinc nata illa differentia, quam modo attulimus, & quam ſæpe affert Auguſtinus inter gratiam & prædeſtinationem, quod prædeſtinatio ſit præparatio gratiæ; gratia autem ipſa donatio: quare ſi ſit reſpectus tantum ad aliquas gratias, ut ad primam juſtificationem, erit prædeſtinatio inchoata & incompleta: ſi autem ſit reſpectus ad omnes gratias uſque ad ſalutem & gloriam, erit perfecta & conſummata prædeſtinatio: unde aliqui dicunt prædeſtinationem in univerſum complecti & gratiam & gloriam, quia complectitur & media & finem, cum providentia ſit ratio ordinis in finem, & ratio ordinis ſit in ordinatione mediorum.

Ex hac definitione 1. conſtat ſolum Deum prædeſtinare poſſe, quia ſolus poteſt gratiam conferre in ordine ad gloriam, itaque in ea re nos a ſolo Deo pendere, quod nobis utilius eſt, quam ſi vel a nobis, vel ab alia creatura penderemus: plus enim certi eſſe debemus de Dei erga nos amore, ejuſque de noſtra ſalute, cura, & ſollicitudine, quam de noſtro erga nos ipſos amore & cura. Certe ſi mea prædeſtinatio a me uno penderet; quam ego diffiderem; cum quotidie experiar me Dei gratiam adjutum, & tot divinis præſidiis fulfultum, & auxiliis præventum mihi deeſſe? Quid de me fieret, ſi ſolus eſſem, in tanta rerum ignoratione, inter tot hoſtes & pericula, in tanta imbecillitate virium, cogitationum varietate, judiciorum diverſitate, animi levitate, & voluntatum inconſtantia? Quis non habeat uberes & multiplices de ſe conquerendi cauſas & occaſiones? Quam tutius ergo in Dei cura vivimus, & dicimus cum Propheta: *In manibus tuis ſortes meæ?*

Conſtat 2. Cum duplex ſit prædeſtinatio, una incompleta, quam S. Damaſcenus vocat antecedentem, & terminatur ad juſtificationem; altera completa, quæ terminatur ad gloriam, cujus definitionem dedimus ex Auguſtino: prima complectitur ſeriem auxiliorum prævenientium, quæ dantur uſque ad juſtificationem incluſive; præparatio enim ejuſmodi auxiliorum ſæpe vocatur in Scripturis prædeſtinatio, ſed tantum inchoata & incompleta: altera complectitur omnem ſeriem auxiliorum prævenientium uſque ad finem vitæ, gratiæ comitantis, & bonorum operum, & ultimi auxilii prævenientis; quo vita finitur in gratia, per quod ultimo completur prædeſtinatio: eſt enim prædeſtinatio præparatio omnium beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, hoc eſt, ſalvantur, quicumque liberantur, uti dictum eſt. Ac primæ quidem effectus ſunt omnes gratiæ, quæ dantur, & omnia opera bona, quæ fiunt etiam a reprobis, quia proveniunt ex ſincero affectu, & amore Dei, quo cupit homines adducere ad ſalutem; neque enim dantur a Deo alia mente, etiamſi novit iſta in multis fore irrita; hoc enim ipſi diſplicet, neque propterea non vult eorum ſalutem; unde ad eam illos ſincero affectu excitat, invitat, & auxilium offert, ne cauſari poſſint ſibi aliquid ex parte Dei defuiſſe, cujus defectu ab ea exciderint. Alterius autem prædeſtinationis, hoc eſt, completæ, effectus ſunt, quæcumque efficaciter conducunt ad ſalutem, quæcumque illa ſint, & ad hoc hominibus a Deo dantur, & ordinantur, cum Deus ſit auctor prædeſtinationis. Unde omnes eventus proſperi & adverſi, omnia bona ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, quæ hominem ad beatitudinem obtinendam perducunt, effectus ſunt prædeſtinationis; & cum omnia juvare nos poſſint ad ſalutem conſequendam, omnes qualitates corporis & animæ, omnes occaſiones, & opportunitates, & quælibet alia adjumenta, omnes item actiones naturales & ſupernaturales, idque ex Dei ordinatione, ſane hæc omnia ſunt ejus effectus: non autem peccata; quia a Deo ordinari non poſſunt ad eum finem, licet per accidens aliquando homines lucrum capiant ex peccatis, ut occaſionem plus amandi Deum, aut pœnitentiæ; ſed Deus ad hunc effectum non vult peccatum; iterum ſuppoſi-

poſi-

Digitized by Google

poſito peccato, Deus ſecunda intentione vult pœnitentiam, & amorem majorem: itaque peccatum bene ordinari non poteſt: ſed ſuppoſita peccati inordinatione, Deus alio ordine illam corrigit. Cætera autem omnia ordinantur a Deo, & ex illa ordinatione fiunt beneficia Dei, quibus homines ad ſalutem ſuaviſſime perducuntur, ſecundum illud Apoſtoli; *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*. Sed quod dicit Apoſtolus diligentibus Deum, dicamus etiam cum eodem *dilectis a Deo*: ſi ille non diligeret, quomodo diligerent? quia *ipſe prior dilexit nos*.

Hic, mi Auditor, te ipſum conſule, te ipſum proſpice: Quid eſt, quod tibi omnia cooperantur in malum? vide enim, quo omnia nobis vertant, ſpecta ſingula. Si Deus te proſperis demulcet, omnia vertis in malum: Aut extolleris, aut te voluptatibus immergis: Si adverſis caſtigat, quam es animi fracti, & abjecti? Si augeat opes, auges crimina: Si minuit, murmuras: Si ſanus es, abuteris: Si æger, impatientia tua Deum offendis: Si tibi proponatur Deus ut miſericors, bonitate abuteris: Si ut juſtus, blaſphemas. Quid dicam, quod omnes creaturæ, ut ait Sapiens: *Factæ ſunt in odium, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*. Ex hoc colligere potes, ad quem ordinem pertineas, an ad prædeſtinatos, an ad reprobos: An ſis ex ovibus Chriſti, & ad dexteram collocandus, an vero rejiciendus ad ſiniſtram cum hœdis. Certe neceſſe eſt te ad alterutrum ordinem pertinere. Hoc potiſſimum tua intereſt; quia id pertinet ad æternitatem. Cætera ſunt hujus temporis, & finem habebunt aliquando: At prædeſtinatio originem habet ab æterno: nam præſcientia, & præparatio æterna eſt; quod autem ante ſæcula præparatur, datur in tempore; quod autem datur, ſunt beneficia Dei; terminus autem eſt id, quod terminum neſcit, nempe ſalus æterna: audi enim: beneficia, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur: In illis autem beneficiis includitur tua cooperatio, ut ſcias in tua prædeſtinatione tuam includi voluntatem; ut intelligas te non invitum, ſed volentem, futurum beatum. Attende igitur & cooperare, ut voluntati Dei reſpondeas; & ita pervenias ad gloriam, quam tibi paravit, & quam nobis concedat Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt beatus in ſæcula. Amen.

## CONCIO SECUNDA,

### De Prædeſtinatione.

*Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.* Joann. 10.

QUod populi quidam ſapientia commendabiles nobis de Sapientia Dei exhibuerunt, poſita in templorum ſuorum veſtibulo ſtatua Minervæ, ingenti velo coopertæ cum hac inſcriptione: Nemo adhuc mortalium peplum meum revelare potuit. Id ego poſſum ponere in hoc ſermonis ingreſſu, cum de prædeſtinatione vobis locuturus ſim, quam Apoſtolus nominat Conſilium Dei, ad quod neminem ipſe unquam vocavit, Rom. 11. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Propoſitum mihi non eſt retegere illud velum, ſed perſequendo explicationem Evangelii, quod aggreſſi ſumus, ubi ſub ovium nomine habetur ſermo de prædeſtinatis; poſtquam vobis locutus ſum de exiſtentia naturaque prædeſtinationis, dicam vobis hodie de iis, quæ Deus operatur erga prædeſtinatos, & non præſtat reprobis, quod quidem deprehenditur hiſce verbis: *Ego cognoſco eas, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Verum quo materia difficilior eſt, eo majori divinæ gratiæ adjutorio egemus. *Ave Maria.*

IN priori diſcurſu oſtendimus dari in Deo prædeſtinationem; cum hæc ratiocinatio id concludat: Si eſt Deus, eſt etiam providentia; ſi eſt providentia, multo magis prædeſtinatio, hoc eſt peculiaris providentia circa hominum ſalutem. Nunc ordine ſequitur dicendum, quo peculiari modo Deus ſe habeat circa prædeſtinatos; qua in re, quod occurrit, primum eſt Electio, unde paſſim in Scripturis prædeſtinati appellantur Electi: *Multi vocati, pauci vero electi*, Matthæi 20. *Elegit nos in ipſo, &c.* Epheſ. 1. *Congregabunt Electos ejus, &c.* Matth. 24. quibus verbis ſignificatur electio prædeſtinatorum, quæ nihil aliud eſt, niſi delectus & diſcrimen, quod Deus facit electorum & reproborum, in Evangelii noſtri hiſce verbis notatum: *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis: oves meæ vocem meam audiunt*: Nam ex iſtis inferendum eſt; non igitur omnes ſunt oves; ait enim: *Vos non eſtis ex ovibus meis*; Aliqui autem inter oves cenſentur, nam dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt*. Quemadmodum ergo Deus olim Ægyptios, & Iſraelitas, diviſit luce, & tenebris, Exodi 10. *Et factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti tribus diebus: ubicumque autem habitabant filii Iſrael, lux erat*; Ita per electionem Deus quoſdam aſſumit, & alios deſerit; Eſt enim electio, unius aſſumptio, & alterius derelictio.

Porro in illa ſeparatione duo mihi difficillima occurrunt, primum in genere, alterum in particulari: In genere quidem circa hunc modum agendi Dei, cur ſcilicet uſus eſt electione aliquorum, & differentia, ut alios ſalvare voluerit, alios reprobare, cum omnes homines ſalvare potuiſſet, ſi voluiſſet; neque enim Deo deeſſe poterant modi omnes homines ſalvandi, ſed voluit inæqualiter erga homines ſe gerere, ex qua inæqualitate accidit, ut quidam ſalventur, alii vero damnentur: qui enim electi ſunt, ſalvantur, qui relicti ſunt, damnantur. Jam quod in particulari maximam habet difficultatem, illud eſt, unde accidat, ut iſte cenſeatur inter prædeſtinatos, alter inter reprobos: cur Paulus Electus eſt, & factus vas electionis; Judas autem derelictus, & factus filius perditionis, ut eum vocat Chriſtus Dominus. Unde enim petitur cauſa hujus ſeparationis, atque diſcriminis, ut ſcilicet unus eligatur præ alio? ſecundum illud Matth. 24. *Duo erunt in agro, unus aſſumetur, & unus relinquetur:*



Digitized by Google

*tur: Duæ molentes in mola, una aſſumetur, & una relinquetur.*

Incipiamus a primo, ac conſideremus divinum illud decretum, quo Deus non in ſingulari, & determinate, ſed in generali & vage ſtatuit eum modum providendi, quo non omnes prædeſtinentur, ſed tantum aliqui, relictis aliis, cum eſſet in poteſtate Dei omnes ſalvare, ſi voluiſſet: hoc ego ſequentibus concluſionibus explicare aggredior.

Dico itaque 1. licet hujus rei tantæ nulla cauſa reddi poſſet, ab ullo homine vel ab Angelo, tamen id nobis ſatis eſſe deberet, cum ita ſe res habeat, non id factum fuiſſe ſine Deo, cum ejus rei procuratio ad præcipuam Providentiæ Dei partem pertineat, atque inde ſequatur id eſſe juſtiſſimum, æquiſſimum, & ſanctiſſimum, & ſuppoſito præſenti rerum creatarum ordine, id fieri debuiſſe. Ratio eſt, quia Dei providentia eſt omnium perfectiſſima: nam in nullo alio reperiri poteſt aut plus ſapientiæ, aut plus bonitatis, aut major aliqua potentia; itaque in Deo nec deeſt ſapientia, ut norit; non bonitas, ut velit; non potentia, ut exequatur, adeo ut nulla re impediri poſſit; Et hæc fuit Apoſtoli reſponſio, Rom. 9. dum ait: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Item: *Numquid iniquitas eſt apud Deum? abſit*; & c. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Dei, aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: In quibus verbis inſinuatur 1. eſſe aliquas cauſas hujus diſpoſitionis. Nam ſi nullæ eſſent cauſæ prædeſtinandi potius hunc hominem, quam alium, facile fuiſſet Apoſtolo dicere rationem hujus diſcriminis ad divinum beneplacitum revocari, nullo præſuppoſito examine futurarum actionum; quare nihil aliud reſtaret admirandum & exclamandum in altitudine, & incomprehenſibilitate judiciorum Dei, circa prædictum modum providendi. Inſinuatur 2. illas cauſas eſſe occultas in Deo, & conſequenter homini imperſcrutabiles, & incomprehenſibiles, unde Auguſtinus eas appellat judicium Dei altum, profundum, Epiſtola 105. ad Sixtum, & lib. de Gratia, & lib. Arbitr. c. 22. occultam Dei Providentiam. Inſinuatur 3. id tamen eſſe æquiſſimum, licet ſit occultum; Unde idem Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. vocat æquitatem occultiſſimam & ab humanis ſenſibus remotiſſimam: Et Laurentius Juſtinianus ſic ait in faſciculo amoris cap. 17. Nemo igitur prædeſtinationis altitudinem, & prædeſtinatorum cauſas curioſa perſcrutatione præſumat inquirere, quæ in ſola æternæ ſapientiæ cognitione abſque errore ſunt poſita: Quiſque in dubio fateatur veriſſima, & rationabilia eſſe Dei judicia quamvis occulta. Et hæc ratio ſatisfacit ignaris, & ſapientibus: omnes enim homines ſunt; unde Apoſtolus in univerſum: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?*

Dico 2. Ita non dari certam aliquam & determinatam cauſam hujus providentiæ, quaſi aliquis aſſerere poſſet hanc eſſe hujus rei veram cauſam, & non aliam, quia id pertinet ad profundum Dei judicium, uti hunc locum Apoſtoli ſancti Patres interpretantur, ut tamen ſubindicetur aliquam eſſe cauſam; nam qui dicit aliquid eſſe occultum, & imperſcrutabile, non dicit nullam eſſe cauſam, ſed illam eſſe occultam. Et propterea iidem ſancti Patres illos reprehendunt, qui dicebant Apoſtolum impia ratione confugiſſe ad admirationem, & exclamationem, quod cauſam neſciret, ut nulla eſſet: nam ideo id fecit, ut oſtenderet cauſam eſſe occultam, neque debere homines de illa temere aſſerere, & neminem poſſe reſpondere Deo, hoc eſt conqueri; ſi enim cauſam neſciat, non eſt, quod Deo reſpondeat, cum ignoret; ſi ſciat, juſtiſſimam videbit; itaque nec habebit, quod Deo reſpondeat. Chryſoſt. in c. 9. Epiſtolæ ad Rom. hom. 16. Non dicit Apoſtolus, quod iſta ſolvere ſit impoſſibile: Sed quid? iniquum eſſe de iſtis quærere: S. Aug. in Enchirid. c. 99. Quidam ſtulti putant Apoſtolum in reſponſione defeciſſe, & inopia reddendæ rationis repreſſiſſe contradictoris audaciam: Sed magnum habet pondus, quod dictum eſt: *O homo, tu quis es?* & in talibus quæſtionibus ad ſuæ capacitatis conſiderationem revocat hominem, verbo quidem brevi, ſed reipſa magna eſt redditio rationis: Si enim non capit hæc, quis eſt, qui reſpondeat Deo? Si autem capit, magis non inveniet, quid reſpondeat.

Dico 3. Præter plurimas cauſas nobis occultas & ſoli Deo notas plurimas aſſignari poſſe, tum ex parte Dei, tum ex parte hominum. Ex innumeris, quæ poſſunt afferri, nos aliquas ſeligemus. Incipiamus ab iis, quæ ſunt ex parte Dei. Nam cum Deus in omnibus operibus ſe reſpiciat, ut finem, idem fecit in reprobatione, ſecundum illud Prov. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*: quia in decernendo ſupplicio impii divina attributa manifeſtantur: in tantum enim ſe reſpicit Deus ut finem, & in reprobatione, & in aliis ſuæ providentiæ partibus, quatenus ex ſuis operibus elicit oſtenſionem, ſeu notitiam ſuorum attributorum, & hæc eſt gloria Dei extrinſeca.

1. Itaque ex iſta inæquali gratiarum ſuarum partitione, ex qua fit, ut aliqui inter prædeſtinatos cenſeantur, alii autem inter derelictos, oſtendit Deus ſe eſſe Dominum ſuorum donorum, & gratiarum, & jure ſummo agere, cum negat, quibus vult, abundantiora beneficia naturæ, & gratiæ: qua ratione inter homines dicitur ille uti ſuo jure, qui debitum ſuum exigit, & rem indebitam negat petenti, & deſideranti. Certe ſi Deus æqualiter omnes tractaret, videretur idem omnibus debere: ut autem ſcias nemini debere, confert, quibus vult; & quibus non vult, illis denegat. Hanc rationem tangit Apoſtolus cum dicit Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* quibus verbis ſignificatur, quod ſi creatura habet plenam ſui operis poteſtatem, ita ut figulus poſſit ex eodem luto pro ſuo arbitratu facere, quod vult (unde mentionem fecit ejuſdem maſſæ, & luti, ut ſcias operis inæqualitatem non pro-

ve-

venire ex materia inæquali, cum ſit idem lutum) multo magis hanc poteſtatem eſſe in Deo, cujus potentia eſt ſuprema, & qui de hominibus, & de omnibus rebus uti poteſt ad libitum ſine ulla injuſtitia, qui nulli debitor eſt, ſed agit omnia pro ſummo ſuo dominio. Itaque in illa diſpoſitione nullum locum habet juſtitia, quia in eo nullum eſt debitum, ſed totum opus pertinet ad agentis poteſtatem, quæ cum ſit ſuprema, relinquit artifici omnem faciendi, aut non faciendi, vel faciendi illo, vel illo modo, libertatem, ita ut totum negotium pertineat ad ejus arbitrium, & liberum agendi modum; contra quam poteſtatem nulla relinquitur poteſtas creaturæ, conquerendi de artifice, aut aliquid recuſandi: ad quam poteſtatem oſtendendam inæqualiter tractat: Itaque ſi homo, dominus ligni, aut lapidis, poteſt ex ligno, aut lapide, facere quidquid ei placet, aut comburere, aut comminuere, aut ſtatuam vilem, ut honorificam conficere, multo magis Deus id poteſt, cujus dominium eſt plenum & abſolutum. Cæterum Apoſtolus intelligit per vaſa in contumeliam eos, quos majoribus donis privat; per vaſa autem in honorem eos, quos majoribus donis, & gratiis afficit: Idem adhuc ſignificat, cum ait ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* ut ſcias nihil in creatura præcedere, ratione cujus Deus moveatur, ut quibuſdam majora donet, quaſi id illi eſſent meriti, aliis autem neget, quod hi non merentur; nam omnibus prior dedit; igitur ex ſe hoc fecit, non neceſſitate, ſed voluntate, & pro ſuo arbitrio: & cum tribuat, non vero retribuat; certe libere facit, non autem ex debito, & proinde ut oſtendat ſe libere facere, & ſe nihil debere, inæqualiter donat. Finis itaque generalis Dei in quacumque gratia denegata, eſt planum facere, ſe Dominum eſſe ſuæ gratiæ, ut cui voluerit negare poſſit; ſicut cum donat, libere dat, cui dare vult.

2. Ratio eſt; quia Deus circa Reprobos oſtendit Omnipotentiam ſuam: unde ſic loquitur Pharaoni, Exod. 9. *Idcirco poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem*: quem locum ſic reddit Paulus ad Rom. 9. *In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra*: quaſi diceret: In hunc finem ego volui, ut eſſes, & in regnum evehereris, teque permiſi in populum meum inſurgere, ut eſſes occaſio mihi manifeſtandi potentiam ac fortitudinem meam: dum enim pertinacia tua mihi obſiſtis, & populum meum non vis dimittere, ego opera divinitatis meæ prodo; & faciam opus mirabile, quo te, & tuos perdam naufragio, ex quo fiet, ut nomen meum celebre, & venerabile fiat in gentibus. Iterum ibidem ſic pergit: *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, &c.* Indurationem dicit reproborum; per patientiam, & dilationem ſupplicii; non per impotentiam; ſed ut majori ſupplicio oſtendat ſuam potentiam & iræ magnitudinem. Vide autem hunc eventum in Reprobis, & quomodo in illis eluceat potentia Dei, idque variis modis.

1. Quia infinitæ eſt potentiæ ex malis bona elicere; ut notat S. Auguſt. Epiſt. 106. Unde Boetius de Conſolat. lib. 4. proſa 6. Sola divina vis eſt, cui etiam mala, bona ſunt, cum eis competenter utendo; alicujus boni elicit effectum. Clemens Alexandrinus 1. Stromatum: Divinæ ſapientiæ, virtutis, & potentiæ officium eſt, non ſolum bona facere, ſed illud maxime, ut id, quod per malos aliquos excogitatum eſt, ad bonum aliquem, & utilem finem deducat. Et certe magna eſt Dei potentia, quod omnia convertat in ſuum ordinem, ut ſerviant efficaci ejus voluntati, quæcumque contra ipſius voluntatem antecedentem fiunt a quibuſcumque dæmonibus, & hominibus; ſive ſciant, ſive neſciant, ſive velint, ſive nolint; creaturæ ſemper Deo ſerviunt.

2. Quia licet reprobi ſuæ voluntati, contra Dei voluntatem multa agant, atque moliantur; non tamen id fit ſupra menſuram permiſſionis divinæ, & impediuntur, ne plus noceant, aut aliter, quam permittuntur: quibus ideo Deus præſcribit & fines, & modos, & circumſtantias.

3. Oſtenditur Dei Potentia in punitione reproborum: nam licet ſupergrediantur ordinem pœnæ, quæ etiam nolentibus irrogatur: præſertim cum nulla alia re magis ſe formidabilem exhibeat Deus, quam caſtigatione impiorum: quod ex ſupra dictis ab eo ad Pharaonem, patet; ut ex iis, quæ Gabaonitæ ita dicebant, Joſue 9. *Audivimus famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto &c.* & ex iis, quæ Moyſes in Cantico, Deuter. c. 15. *Aſcenderunt populi, & irati ſunt; dolores obtinuerunt habitatores Philiſthiim. Tunc conturbati ſunt Principes Edom: robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan: Irruat ſuper eos formido & pavor in magnitudine brachii tui.*

4. Manifeſtatio fit Juſtitiæ punitivæ Dei, quam amare potuit propter honeſtatem, quam habet, & conformitatem cum recta ratione. Nam ſicut honeſtum Miſericordiæ volitum eſt a Deo per actum prædeſtinationis, ita honeſtum Juſtitiæ punitivæ amari debuit ab ipſo. Siquidem congruentius eſt Deum velle, & exercere varia honeſtorum genera, quam unum, aut alterum ſolum. Neque enim tantum decuit, ut manifeſtaretur ſolum attributum Miſericordiæ, neque ſolum attributum Juſtitiæ diſtributivæ, commutativæ, & remunerativæ; ſed oportuit etiam manifeſtari attributum Juſtitiæ punitivæ operibus ad extra: idque per inſignem, & Deo dignam manifeſtationem, ſcilicet ſupplicio æterno: ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 9. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram:* quæ oſtenſio, ſi ſola eſſet, certe ſufficeret, cum creaturæ ſint propter Deum. Id ſignificavit idem Paulus. 2. ad Timoth. 2. *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam:* unde quamvis vaſa aurea & argentea, meliora ſint vaſis ligneis & fictilibus, expedit tamen ad domus magnificentiam, & plenitudinem, ut non ſolum aurea & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia habeantur ad varios uſus.

4. Oſtenditur eximia miſericordia in Prædeſtinatos ob multiplices utilitates ex reprobis in alios provenientes: Nam licet Deo ſufficere poſſit in reproborum creatione, & punitione, quod oſtendat in eis iram ſuam, & juſtitiam punitivam, non ta-

men ejus bonitati ſufficeret hæc ratio, niſi hoc faceret in bonum prædeſtinatorum; ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*: ex quo loco deducit S. Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei cap. 51. Reprobos a Deo creari, & tolerari, ut cooperentur in bonum prædeſtinatorum: Itaque ſic loquitur lib. 11. de Geneſ. ad liter. c. 7. Num quia præſciti ſunt, ideo creari minime debuerunt? habent enim & ipſi locum ſuum, quem in rebus impleant pro utilitatibus Sanctorum. Et eodem ſenſu S. Proſper in Sentent. ad 11. caput Gallorum. Qui ſibi ſua iniquitate nocituri ſunt, ad utilitatem naſcuntur aliorum. Ratio eſt: Quia infinita bonitas, & ſapientia non permitteret mala, niſi propter majus bonum, & licet videatur ſatis magnum bonum in manifeſtatione Juſtitiæ punitivæ, in punitione reproborum, ſolet tamen Deus inferiora bona ordinare ad ſuperiora, ſicque omnia reducere ad ſeipſum; ita & reprobi non ſolum congruenter ordinantur ad oſtenſionem juſtitiæ, quæ oſtenſio eſt minus bonum; ſed hæc etiam oſtenſio ordinatur ad oſtenſionem majorem miſericordiæ in prædeſtinatos, quæ eſt longe altius bonum, quam Apoſt. ad Rom. 9. vocat divitias gloriæ Dei, cum ait: *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*: (nam ex illa patientia indurantur, unde ex dilatione creſcit ſupplicium, & ita Deus notam facit iram ſuam & vindictam, & per talem vindictam manifeſtat potentiam ſuam) *ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: Id eſt, magnitudinem gratiæ in vaſis miſericordiæ; ſive in ſuis electis, & juſtis: ex pœna enim & gravi vindicta malorum, nota fit magnitudo gratiæ & gloriæ electorum: multi ſiquidem ex eis peccarunt, quos Deus, ſi voluiſſet, induraſſet, & puniviſſet. Atque prædeſtinati omnes ordinantur ad Chriſtum Deum & hominem: Chriſtus vero, in quantum homo ordinatur ad Deum; Unde Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt ſive Paulus, ſive Cephas; ſive mundus, ſive vita; ſive præſentia, ſive futura*: (In illis autem futuris non tantum intercluditur gloria Prædeſtinatorum, ſed etiam futura pœna Reproborum.) Tum ſic concludit: *Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*: Ex utilitatibus vero, quæ ex Reprobis in Prædeſtinatos redundant, paucas ſubjicio.

1. Eſſe poteſt. Quia prædeſtinati ex reproborum peccatis, & pœna conſequente agnoſcunt, 1. ſe nihil ex propriis viribus agere poſſe, nihilque habere virtutis, vel gratiæ: 2. propter peccatum originale, & peccata actualia, ſe non minus dignos fuiſſe æterno ſupplicio, quam reprobos, quos vident ignibus æternis torqueri: unde ſequitur, 1. ut evidentius agnoſcant ſummam erga ſe miſericordiam, & mere gratuitam: 2. ut ferventius gratias agant Deo: 3. ut in Domino, non in ſe glorientur: quæ omnia collegit Apoſtolus ex loco citato; & ex hoc alio ad Roman. 11. *Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, &c.* Id ſignificavit David, cum dixit in Pſalm. 90. *Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, &c. Verumtamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis*: Unde, quot ſunt reprobi, & illorum caſus, & pœnæ, tot ſunt prædeſtinatorum beneficia, non ſolum ex comparatione; ſed quia nullos tales eſſe permiſiſſet, niſi prædeſtinati inde proficerent, in quo ſummum eſt beneficium.

2. Utilitas eſt. Quia reproborum periculis ac ruinis, prædeſtinati cautiores, & ſecuriores redduntur, humilitate, diffidentia ſui, timore divinorum judiciorum, prudentia, & circumſpectione: ad Rom. 11. *Si autem Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte, nec tibi parcat*: & Proverb. 21. *Mulctato peſtilente, ſapientior erit parvulus*. In hunc ſenſum Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. explicat illud Pſalm. 57. *Manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris*, ut prædeſtinati, in ſupplicio reproborum, per timorem ſua opera curent eſſe puriora. Sunt enim aliqui, quos ut ait idem Auguſt. lib. 11. de Geneſi ad lit. cap. 11. ita Deus creavit, ut ad bonum proficere, niſi multorum comparatione non poſſent. Ita multi ex cauſa dæmonis profecerunt. Itaque Chriſtus hoc exemplo Apoſtolos admonuit humilitatis, & cautelæ, Lucæ 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem*: quem locum Gregorius lib. 23. Moral. cap. 4. ſic ponderat: Mire Dominus, ut in diſcipulorum cordibus electionem premeret, judicium ruinæ retulit, quod ipſe magiſter elationis accepit, ut in auctore ſuperbiæ diſcerent, quid de elationis vitio formidarent.

3. Utilitas. Quia Reprobi Prædeſtinatis materiam præbent maximarum virtutum, eos perſequendo: hinc enim prædeſtinati

1. Circa difficiliora nitentes, exercent actus heroicos.

2. Profundiores jaciunt virtutis radices, ne tentationum turbine convelli poſſint, & cadere.

3. Purius ſerviunt Deo, purificata eorum intentione ab omni ſiniſtro affectu, ut quotidie experimur.

4. Denum ſoliditatem virtutis eo modo detegunt, ut & alii ſuam hypocriſim: propterea zizania permittuntur creſcere in medio tritici uſque ad meſſem: Ita Judicum 2. & 3. relicti ſunt inter Iſraelitas habitatores antiqui in terra promiſſionis, ut Deus Iſraelem experiretur, utrum in via Dei ambularet, ac ne otio torperet. Hoc ſenſu dictus eſt Eſau ſerviſſe Jacob, quod ſic explicat Auguſtinus Serm. 78. *Major ſerviet minori*, quo, inquit, ordine? Illo utique quo mali ſerviunt bonis, non utique obſequendo, ſed perſequendo: quomodo ergo mali ſerviunt bonis? Quomodo perſecutores martyribus; quomodo limæ, vel mallei auro; quomodo molæ tritico; quomodo panibus coquendis clibanus, ut illi coquantur, iſti conſumantur. Quomodo, inquam, mali ſerviunt? Quomodo in fornace aurificis palea ſervit auro, ubi ſine dubio, palea conſumitur, aurum probatur: Itaque recte Gregor. 2. Moral. c. 29. Abel eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet. Ita Pharao, Nabuchodonoſor, & cæteri perſecutores populi Iſraelitici ei deſerviebant, ut fideles oppreſſi, vel imminente timore perculſi ad Deum confugerent. Nonne etiam hoc ab hæreticis emolumenti accipitur, quod per ipſos

ſos vèri fideles cognoſcantur: ſecundum illud 1. Cor. 11. *Oportet hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*, ut fides Catholica magis roboretur, hæreticorum diſſenſione: ut docet Auguſt. l. 18. de Civit. Dei, c. 51. Nam per hæreticorum acumina vanitatis excitantur prædeſtinati, ait l. 1. contra adverſarium Legis, & Prophetarum c. 6. ut diligentius arcana veritatis inquirant.

5. Utilitas eſſe poteſt, quod Reprobi ſerviunt etiam temporalibus commodis Prædeſtinatorum: Ita Deuteron. 24. dicitur de antiquis Palæſtinæ habitatoribus: *Non ejiciam eos a facie tua, anno uno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ agri: paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram*. Ita in ſenſu myſtico, permittuntur Gabaonitæ vivere, Joſue 9. *Ut in uſus univerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſque comportent*: Itaque Gabaonitæ ſemper viventes in terra promiſſionis, & numquam in ea ſortem conſecuti, eos denotant, ait Origenes Homil. 20. in Joſue: qui licet ſint in Eccleſia, numquam tamen ad Electorum ſortem pervenient. Mitto dicere ex multis reprobis parentibus multos naſci filios prædeſtinatos, ut maxima pars fidelium deſcendit ex Gentibus & Idololatris. Ita ab Eſau tertius ortus eſt Job. Nam ut ait S. Chryſoſt. hom. 5. de Pœnitent. Eſau genuit Raguelem, Raguel, Zaran: Zara, Jobum. Addo etiam plurimis operibus augere Reprobos utilitatem Reipublicæ, quoniam ſe totos rebus temporalibus impendunt, & pluribus artibus, & omnibus modis, quos ſæpe Prædeſtinati non adhiberent. Præterquam, quod Deus ſic apparentem virtutem Reproborum, illis fictis bonis remunerat. Ex quibus omnibus patet, quod diximus elucere eximiam Dei miſericordiam in Prædeſtinatos, quorum cauſa patitur Reprobos, ob multas ab illis profectas utilitates in Prædeſtinatos.

5. Manifeſtatio fit Liberalitatis Dei in Reprobos conferendo illis vitam, & bona temporalia, nec non auxilia ſupernaturalia, ex voluntate antecedenti ſalutis: quod beneficium tantum eſt majoris liberalitatis, quanto magis indignis confertur. S. Hieron. lib. 3. adverſus Pelagianos, Deus non condemnat ex præſcientia, quem noverit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat; ſed tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem converſionis, & pœnitentiæ. Audi, quid dicat Matth. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*, cujus eximiæ bonitatis exemplo, perſuadet poſt pauca: *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: Et Lucæ 6. *Eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos*. Finis igitur creandi & conſervandi præſcitos, eſt exercere beneficentiam conferendo beneficia corporis & animæ, rerumque omnium, quæ ad vitæ commoditatem, & jucunditatem pertinent. Hæc enim omnia veriſſime ſunt beneficia, ex non ſimulata benevolentia, ſed veriſſima dilectione profecta, quamvis Deus ſimul velit permittere damnationem æternam hujuſmodi hominum, quibus hæc beneficia conferuntur. Quare Reprobi non modo non poſſunt conqueri de ſua creatione, ſed etiam pro illa, cæteriſque rebus tenentur gratias agere Deo immortales. Ideo ſic habet Chryſoſt. hom. 5. de Anathemate. Mortuus eſt pro inimicis, pro tyrannis, &c. Quos tales fore ante mundi conſtitutionem ſciebat, eoſque præſcius formavit vincente præſcientiam bonitate. Et Auguſtinus l. 5. contra Julianum c. 8. Quos ignibus æternis præſcivit arſuros, creare non deſinit, nec ei, quia eos creat, niſi bonitas imputatur. Nec vero iſta præſcientia debuit Deum impedire. Rationem dat S. Damaſcenus Dialogo contra Manichæos: Nam alioqui bonum malo cederet.

6. Oſtendit Longanimitatem, Benignitatem, Lenitatem, & Patientiam ſuam, diu tolerando reprobandos, in hac vita, & ad pœnitentiam invitando: Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* & cap. 9. *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ, &c.*

7. Oſtendit Miſericordiam ſuam in Reprobos, in donis, & in pœnis: in donis quidem, quia eo major eſt miſericordia, quo miſerior eſt, qui recipit: In pœnis autem, quia reprobi puniuntur citra condignum.

8. Oſtenditur mira ſuavitas Sapientiæ & Providentiæ Divinæ, quæ permittit cauſas liberas agere motus ſuos, neque omnes vult evehere per auxilia ſupernaturalia copioſa, & opportuna, ſed ſinit aliquas ſuis viribus agere, ut innoteſcat, quid natura ex ſe agat, licet omnes præveniantur ſufficientibus gratiis. Ad hæc, in eo eſt ſuavitas, quod permittit particulare malum Reproborum, propter univerſale bonum: nam multa bona non eſſent, niſi hoc malum eſſe permitteretur. Denique ne impediatur ordo generationis humanæ, creat, & infundit animas, quas præſcit damnandas; ut ait S. Thom. in Opuſc. de Prædeſtinat. c. 7. ratione 2.

*Hactenus* oſtendimus varias cauſas ex parte Dei, cur permiſerit aliquos homines damnari, & aliquos eſſe Reprobos. Nunc paucæ, hoc eſt, duæ a nobis afferendæ ſunt, ex parte hominum. 1. Petitur ex peccato originali; 2. Ex libertate hominis.

Quod ad primam cauſam attinet. Cum ex fide conſtet omnes homines contraxiſſe peccatum originale, hinc conſtat omnes reprobari potuiſſe, omnibuſque gratiam denegari. Nam ut ait Apoſtolus Epheſ. 2. *Eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri*, hoc eſt, digni ira, itaque indigni gratia, & digni damnatione ſaltem negativa: unde ſequitur, quod ait Sanctus Auguſtinus in Enchiridio cap. 99. ut etiamſi nullus liberaretur, nemo recte poſſet Dei vituperare juſtitiam; & qui liberantur, ſic oportuiſſe liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione juſtiſſima derelictis, oſtenderetur, quid meruiſſet univerſa conſperſio, & quo etiam iſtos debitum Dei judicium duceret, niſi ejus indebita miſericordia ſubveniret. Ideo idem lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 9. ſic loquitur, agens de fide: Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes eſſe in condemnationem, ſine dubio juſtiſſimam,

mam, ita ut nulla Dei eſſet juſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur. Et Epiſtola 205. ad Sixtum: Ubi univerſa maſſa merito damnata eſt, contumeliam debitam reddit juſtitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativa: & proinde negat figmentum dicere poſſe, quare ſic me feciſti? cum habeat poteſtatem ex eadem maſſa, facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Et ea cauſa eſt, cur ſint plures Reprobi, quam prædeſtinati. Id notavit Auguſt. l. 21. de Civit. c. 12. Si omnes remanerent in pœnis juſtæ damnationis, in nullo appareret miſericors gratia redimentis: rurſus ſi omnes a tenebris transferrentur ad lucem, in nullo appareret ſeveritas ultionis: in qua propterea multo plures, quam in illa ſunt, ut ſic oſtendatur, quid omnibus deberetur. Idem in Epiſt. 157. ad Optatum. Tam multos naſci voluit, quos ad ſuam gratiam non pertinere præſcivit, ut multitudine incomparabili plures ſint illis, quos in regni ſui gloriam, filios ſuos promiſſionis, prædeſtinare dignatus eſt; ut etiam ipſa rejectorum multitudine oſtenderetur, quam nullius momenti ſit apud Deum juſtum quantalibet numeroſitas juſtiſſime damnatorum; atque ut hinc quoque intelligant, qui ex ipſa damnatione redimuntur, hoc eſſe debitum maſſæ illi univerſæ, quod tam magnæ parti ejus redditum cernerent.

Quoad alteram cauſam, quæ petitur ex libertate: Cum Deus voluerit homines ſalvare per merita, voluit etiam eorum ſalutem, eorum libertati gratia adjutæ relinquere: nam ſi deeſſet libertas, nullum eſſet meritum; ſi deeſſet gratia, nulla eſſet potentia: En quomodo ſequitur multos damnari abuſu libertatis. Hoc ſignificavit Chriſtus parabola invitatorum ad cœnam, de quorum maxima parte dictum eſt: *Et cœperunt omnes ſimul excuſare*, hoc eſt, noluerunt venire. Hic autem modus eſt omnium perfectiſſimus, & convenientiſſimus, licet per accidens ſequatur multorum damnatio: ſed uti dicitur Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. Hactenus de cauſis.

Dico 4. Sic homines inter ſe diviſos eſſe prædeſtinatione, ut tamen nullus ſit inter homines ſeu Prædeſtinatos ſeu Reprobos, cui Deus ſincere non voluerit ſalutem æternam, & cui non dederit media convenientia ad ſalutem conſequendam.

1. Pars de Prædeſtinatis facile patet: Quia Prædeſtinati perveniunt ad gloriam, quæ cum eorum vires ſuperet, ad eam transmitti debent, non poſſunt autem ab alio, niſi a Deo; quia ille finis eſt ſupernaturalis, nullus autem finis acquiritur, niſi per media, illa vero debent eſſe proportionata fini, igitur debent eſſe ſupernaturalia, & conſequenter ſuperat & vires, & meritum creaturæ, & propterea a Deo dari debent. Proinde verum eſt, quod dixi, Deum prædeſtinatis ſincere voluiſſe ſalutem, & illis dediſſe media apta ad eam aſſequendam: & hoc eſt, quod dixit Evangelium noſtrum: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum*.

2. Pars probatur de Reprobis: 1. Ex variis locis Scripturæ, Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur a viis ſuis, & vivat?* Et in fine capitis: *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, revertimini, & vivite*; Ibid. c. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat: convertimini, &c. quare moriemini?* In quibus verbis non ſolum continetur declaratio Divinæ voluntatis circa ſalutem etiam reproborum, ſed etiam promiſſio ſalutis. Unde Cæleſtinus I. Epiſt. 2. ad Epiſcop. Gall. c. 2. colligit Deum ſemper eſſe paratiſſimum ad ſubveniendum & provocandum ad pœnitentiam. Matth. 18. *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis*: Ubi Hieronymus: Quotieſcumque perierit aliquis ex puſillis, non voluntate Patris perit. S. Thom. In comment. proprios Minus dicit, & potius ſignificat, quia voluntas ejus eſt, ut ſalventur: Id patet ex contextu; eſt enim concluſio collecta ex Parabola de centum ovibus & una errante, 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*; ubi notandum eſt negationem poſitam cum affirmatione, nullum pati exceptionem, 1. Timoth. 4. *Qui eſt Salvator omnium, maxime fidelium*: Unde conſtat non fuiſſe tantum Salvatorem eorum, qui crediderunt, ſed etiam aliorum, licet peculiari modo fuerit fidelium. Iſaiæ 65. *Expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*: Jobi 24. *Dedit ei locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur ad ſuperbiam*: Et Apocal. 2. *Dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere*: 2. Reg. c. 4. *Neque vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans, ne penitus pereat, qui abjectus eſt*.

2. Probatur. Quia loca allata ex Scripturis neminem excipiunt ab illa generalitate, quam verba continent, ſed ſine exceptione loquuntur de omnibus hominibus, de eorum ſalute, converſione, & æterna vita.

3. Probatur. Quia quando & Paulus 1. ad Tim. 2. jubet orationes fieri pro omnibus hominibus, non ſunt excipiendi Reprobi, ſed pro illis etiam orandum eſt; igitur non minus eſt univerſalis voluntas Dei, omnes homines ſalvandi. Conſequentia probatur. Quia ab univerſalitate hujuſmodi voluntatis divinæ Paulus probat univerſalitatem orationis, dicens: *Obſecro, &c. fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, &c. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: Chryſ. hom. 7. in 1. ad Tim. 1. Imitare Deum, ſi omnes ille vult ſalvos fieri, pro omnibus oportet orare: illius & tu concorda voluntati.

4. Probatur. Quia SS. PP. agentes de præcipuis quibuſdam reprobis, ut de Pharaone, Eſau, rebellibus Iſraelitis, Juda, Gentilibus, Idololatris, docent Deum illis non defuiſſe, ſed modis omnibus eorum procuraſſe ſalutem, verum illos id noluiſſe, ſecundum illud Iſaiæ 4. *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? exſpectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruſcas*; & cap. 65. *Expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*; & Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Certe Ambroſ. de Parad.



Digitized by Google

cap. 8. ex vocatione Judæ ad Apoſtolatum ait Chriſtum oſtendiſſe, quod voluerit omnes ſalvare. Venerat (ait) Dominus Jeſus, omnes ſalvos facere peccatores: etiam circa impios oſtendere debuit ſuam voluntatem, & ideo nec proditurum debuit præterire, ut adverterent omnes, quod in electione etiam proditoris ſui, ſervandorum omnium inſigne prætendit. Et poſt pauca: Quod in Deo fuit, omnibus oſtendit, quod omnes voluit liberare.

5. Probatur. Quia omnes affectus, quos Scriptura metaphorice tribuit Deo, circa Reproborum damnationem, ut ſunt ira, triſtitia, coactio ſeu compulſio, zelus, odium, pœnitentia; oſtendunt Deum præoptaſſe ſalutem eorum, qui damnantur, quos invitus damnavit.

6. Probatur. Quia etiam Reprobis præcipitur, ut curam agant ſuæ ſalutis, & graviter peccant, cum id non faciunt; Sed hæc obligatio & cura, per ſe tendit ad conſecutionem vitæ æternæ: igitur ad hanc diriguntur.

Jam quod illa voluntas Dei ſalvandi Reprobos fuerit ſincera & efficax, Probatur 1. quia illa voluntas eſt vera & ſincera, quæ ex parte volentis & deſiderantis tribuit efficaciter, quidquid requiritur ad obtinendum effectum, ita ut per Deum non ſtet, quo minus ſequatur effectus. Itaque hæc Dei voluntas, non tantum terminatur ad media, ſed etiam intendit finem, quantum eſt ex parte Dei efficaciter, ita ut veriſſimum ſit nihil deeſſe volitioni divinæ, quo minus efficaciter obtineretur ſalus, ſi homo vellet divinam voluntatem ſequi.

Probatur 2. Quoniam omnia media ſalutis, non ſolum Prædeſtinatis, ſed etiam Præſcitis Deus concedere voluit, nec tantum materialiter, ſed etiam formaliter, prout ex ſe ſunt media ſalutis: ergo voluntas ſalvandi homines, etiam Præſcitos, fuit efficax, quantum fuit præciſe ex parte Dei. Et certe illis omnia paravit media, & communiſſima, ut Redemptionem, Chriſti mortem, merita ejus & orationem, mandata, Sacramenta, conſilia &c. & particularia, ut ſunt gratiæ exteriores & interiores, quæ nulli unquam denegantur.

Unde ſequitur 1. Nullum poſſe de Deo conqueri: Nam nihil omiſit, quod eſſet neceſſarium, ſecundum illud Iſaiæ 5. *Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?*

2. Nullum eſſe, qui non ſit plurimum Deo obnoxius: Nam ſimpliciter loquendo Deus nulli debebat vel gloriam vel gratiam, tum propter peccatum originale, tum propter actuale.

3. Nullum damnari niſi culpa ſua: Quia nemo niſi volens damnatur: Unde ait Propheta: *Perditio tua ex te Iſraël.*

4. Itaque unicuique connitendum eſſe, ut ſalvetur, ſecundum illud 1. Cor. 9. *Sic currite, ut comprehendatis:* Quod dicit Apoſtolus, poſtquam dixit: *Multi quidem currunt, ſed unus accipit bravium:* Ut oſtendat omnibus propoſitam eſſe palmam, ſed ab illis auferri, qui bene currunt, ad quod ipſe omnes hortatur. Hoc ipſum dicere voluit Chriſtus Matth. 11. cum dixit: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* quibus verbis ſignificatur non ad unam gentem aut paucos redactum eſſe regnum cælorum, ſed omnibus eſſe apertum & expoſitum: Unde Lucas c. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem: ex eo regnum evangelizatur, & omnia in illud vim facit.* Utinam & nos, cum gratia Chriſti nos ad illud vocantis, faciamus. Amen.

## CONCIO TERTIA.

### De Prædeſtinatione.

*Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.* Joann. 10.

PRædeſtinationem, ut jam dixi, rem eſſe difficillimam & obſcuriſſimam, omnes Scripturæ & Sancti Patres aſſerunt: *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Illud autem in ea occultiſſimum eſt, quod ſpectat ad Electionem, nempe cur quoſdam aliis ita præferat, ut illos aſſumat, iſtos vero deſerat. Auguſt. Epiſt. 105. ad Sixtum: Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet; ſcrutetur, qui poteſt judiciorum ejus tam magnum profundum, veruntamen caveat præcipitium. In Enchirid. c. 95. loquens de æterna beatitudine: Tunc non latebit, quod nunc latet, cur iſte potius, quam ille fuerit aſſumptus, cum cauſa una eſſet ambobus. Item exponens illa verba: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei:* Cur autem hunc trahat, & illum non trahat, noli curioſius quærere, ſi non vis errare. Cæterum in illa ſeparatione difficillimum eſt dicere, quæ cauſa ſit, ut iſti ſint Prædeſtinati, alii vero Præſciti: cur Paulus electus ſit, & factus vas electionis, Judas autem derelictus, & factus filius perditionis. Et de hac re nobis agendum eſt, & quærenda cauſa hujus ſeparationis, unde planius fiet, in quo conſiſtat prædeſtinatio, & unde fiat, ut quidam ſint oves, alii autem non ſint oves, ſecundum illud: *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis: oves meæ vocem meam audiunt. Ave Maria.*

DIco 1. Cauſa hujus ſeparationis non petitur ex natura, aut ex aliquo naturali: Etenim reſpectu naturæ & naturalium conditionum ita loquitur Apoſtolus, Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Singulariter luti fecit mentionem Apoſtolus, tum quia luti partes ſunt æquales, ut ſcias nihil eſſe, unde petatur differentia, tum quia adeo vilis eſt materia, ut nihil ſit cauſæ, cur tam vilis materiæ fiat conſideratio: in materia enim lutea quælibet pars lutum eſt, & ideo quælibet pars contemnenda eſt: In univerſum itaque loquendo, in natura Angelica alii prædeſtinati ſunt, alii vero reprobati: Idem factum in natura humana: Item, inter homines ex omnibus conditionibus nonnulli prædeſtinati ſunt, alii vero reprobati; ut ſcires prædeſtinationem non fieri reſpectu rerum naturalium. Certe ſi natura nihil facit ad gratiam, multo minus ad gloriam: unde prædeſtinatio dicitur, quod ſupra notatum eſt, tranſmiſſio creaturæ rationalis; debet enim tranſmitti aliunde, & evehi, ſupra non ſolum meritum, ſed etiam dignitatem naturæ.

Dico 2. Non peti cauſam hujus diſcriminis ex voluntate Dei conditionata, quam habet homines ſalvandi. Quia Deus pro omnibus hominibus ſimilem habuit voluntatem: Et ad minimum in hoc ſenſu accipienda ſunt verba Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Uti itaque nemo ab illa voluntate excluditur, ſic nemo etiam eligitur: nam electio dicit unius ſumptionem, & alterius derelictionem. Itaque aliquo modo dici poſſunt omnes prædeſtinati, ſed non omnes electi: nam omnibus parata eſt gratia; electio autem dicit diſtinctionem, & differentiam, quia prælationem: hæc autem volitio conditionata omnes æqualiter ſpectat; omnes enim deſtinantur ad gloriam, quam, ſi velint, & gratiæ cooperentur, & perſeverent, conſequentur.

Dico 3. Nec hujus diſcriminis cauſam peti ex duplici voluntate Dei, qua fiat, ſicut impie cenſuit Calvinus, ut quoſdam ad gloriam, ita quoſdam ad pœnam, & damnationem Deus deſtinavit. 1. Quia Deus nullam habuit voluntatem antecedentem ullum damnandi: hoc enim impium eſt. Et certe nullum damnat ex tali voluntate, ſed tantum ob peccata & demerita, quæ non modo non vult antecedenter, ſed etiam ea prohibet, & punit: 2. Quia neminem excludit a voluntate ſalvandi, ſed potius, ut ait Apoſtolus l. cit. 1. ad Tim. 2: *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: Unde pro omnibus mortuus eſt, ut ibidem dicitur: *Unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*: Itaque omnibus meritus eſt ſalutem. Quod S. Petrus Epiſt. 2. c. 3. exprimit per propoſitionem negantem: *Nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Cum itaque hæc voluntas ſalvandi dicatur eſſe generalis, ex ipſa non poteſt oriri diſtinctio: & cum altera voluntas nulla ſit, non poteſt afferri pro cauſa hujus ſeparationis.

Dico 4. Neque illam diſtinctionem oriri ex Dei voluntate antecedente abſoluta aliquos ſalvandi, cum pro aliis, aut nullam habeat voluntatem, ſed tantum negative ſe habeat, aut habeat tantum voluntatem inefficacem, & ſimplicis complacentiæ, aut conditionatam, ſed non abſolutam.

Probatur 1. Quia Deus nullam talem habuit voluntatem abſolutam aliquos ſalvandi, loquendo de adultis: Quia ejuſmodi voluntas repugnat decreto dandi gloriam propter merita; quod tamen in Deo eſſe, nullus poteſt negare; cum illud doceant omnes Scripturæ. Hæc enim inter ſe pugnant decretum abſolutum dandi gloriam ante merita præviſa, & voluntas dandi gloriam propter merita: nam abſoluta voluntas nullam includit conditionem; voluntas autem dandi gloriam ex meritis, ponit conditionem, ſcilicet meritorum. Cum itaque conſtet ex Scripturis dari gloriam propter merita; ſequitur nullam fuiſſe in Deo voluntatem abſolutam dandi gloriam: Nam abſolutam dicimus voluntatem, quæ omnem excludit conditionem.

2. Probatur. Quia nullius rei largitio poteſt ſimul eſſe ex actu efficaci, conſtituto in ſpecie liberalitatis, & in ſpecie actus remuneratorii: hoc eſt, juſtitiæ, aut fidelitatis, aut gratitudinis, aut aliarum ſimilium virtutum, quæ eſſentialiter exigunt rationem debiti ex parte conferentis ob ſtrictam obligationem fundatam in eo debito. Atqui electio ad gloriam ante præviſa merita, & ex ſeſe abſoluta, pure eſt liberalis; igitur non poteſt eſſe remuneratoria: hæc enim ſupponit debitum, quod altera negat.

3. Probatur ex doctrina S. Fulgentii lib. de Incarnatione & gratia: Deus (inquit) non aliter perficit in opere, quam in ſua ſempiterna, atque incommutabili habet voluntate diſpoſitum: quaſi diceret Deum illud facere in tempore, quod facere voluit ante tempus, id ipſum eſſe quod facit in tempore; quia eadem & non alia voluntate efficit, quod vult; præſertim cum Dei voluntas reſpiciat ipſum tempus, quo facit, & cum Deus non agat niſi ſua voluntate: Atqui in tempore neminem adultum ſalvat voluntate illa abſoluta, id eſt, independente ab omni conditione, quia ſalvat ex meritis: igitur neminem ſalvare voluit voluntate abſoluta independente.

4. Probatur: Quia ex adultis nemo ſalvatur neceſſario, ſed libere; At ſi in Deo eſſet talis voluntas abſoluta, cum illa poneretur independenter ab hominis voluntate, & libertate, effectum quoque haberet independentem ab ea, & neceſſitatem contineret, quod dici non debet. Quod enim Deus vult abſolute, ponitur independenter ab omni conditione; nemo autem ſalvatur ſine ſuo conſenſu, & cooperatione, quæ ſemper libera eſt.

Confirmatur. Quia ſi talis eſſet voluntas abſoluta in Deo, nulla eſſet in Electis libertas conſequendi, vel amittendi beatitudinem: Nam ſi Deus ex ſeipſo, nullam habens rationem meritorum, aliquos beare efficaciter voluit, in nullius poteſtatem eſt gloriam conſequi, ſeu damnari; cum nemo efficere irritum poſſit abſolutum Dei decretum: Quod eſt plane abſurdum, & contra innumera loca Scripturarum.

5. Probatur. Quia ſequeretur in Electis nihil conferre merita ad gloriæ conſecutionem: Nam ſi Deus nulla habita ratione meritorum abſolute decreverit aliquos ſalvare, non ex gratitudine, ſed ex ſola ſua gratuita liberalitate & miſericordia; ſane ſi hunc hominem beare decrevit, etiamſi poſtea ille homo merita habeat, numquam tamen ei gloriam retribuet meritorum intuitu, ſed gratis & ex miſericordia; ſicut decrevit dare gloriam: Immo quamvis merita non inveniat, nihilominus gloriam dabit: alioqui ſi daret intuitu meritorum, jam non ex vi prioris decreti id faceret, ſed ex altera voluntate: cum itaque decretum Dei ſemel poſitum mutari non poſſit, efficitur, ut ex vi illius conferat ſuis Electis beatitudinem omnino gratis, non autem ex gratitudine, nec intuitu meritorum, etiamſi plurima reperiat; quin etiamſi plurima reperiat demerita, propterea dare non omittet; ſiquidem tale decretum omnino fuit ex pura liberalitate, & mere gratuitum: igitur merita nihil omnino conferent ad beatitudinem acquirendam.

Dico 5. Neque illam diſtinctionem Electorum & Reproborum originem habere ex præviſis quorumdam meritis, cum aliorum nulla prævideantur, unde fit, ut Deus quoſdam ordinet ad præmium, alios autem ad pœnam.

1. Quo-

Digitized by Google

1. Quoniam hæc voluntas non primo ſeparat Prædeſtinatos a Reprobis: ſed ſupponit jam illos, & meritis, & perſeverantia diſcretos: quo ſenſu ita loquitur Auguſtinus lib. 5. ad Simplicianum quæſt. 2. Nemo eligitur, niſi jam diſtans ab eo, quo ejicitur: ſcilicet nemo eligitur ad gloriam voluntate abſoluta, niſi meritis diſtans. Jam nemo ſeipſum primum ſeparavit, ſecundum illud 1. Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit?* Itaque quos merita ſeparant, prius gratia ſeparavit, & ante gratiam, prædeſtinatio: eſt enim prædeſtinatio, ait Auguſt. lib. de Prædeſtin. Sanctor. c. 10. gratiæ præparatio: gratia vero ipſa donatio: Non ſunt igitur merita, prima ſeparatio.

2. Quoniam & ipſa merita ad prædeſtinationem pertinent; (eſt enim prima ipſorum cauſa per gratiæ præparationem) ea ſane non poſſunt eſſe ejus cauſa: Itaque recte Apoſtolus ad Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*, & ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti*. Non igitur, uti bene concludit Auguſtinus: Quia vel fueramus ſancti, vel quia futuri eramus ſancti; ſed potius ut eſſemus. Nam, ut dicimus, ſic definit prædeſtinationem: Eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur: non itaque prædeſtinatio ordinat merita, ſed beneficia, qua voce ſignificantur gratiæ Dei.

3. Quia ante Deum nemo poteſt gloriari, Rom. 3. *Ubi eſt ergo gloriatio tua?* Unde nulla eſt in prædeſtinatis cauſa ſeparationis: ſupereſt itaque, ut cauſa illa extra eligendos quæratur, nam ante electionem omnes in eadem maſſa conſiderantur.

Vera igitur cauſa hujus ſeparationis in Deum referenda eſt, qui ex pura miſericordia unum præ alio elegit, quia ſic voluit ex mera ſua voluntate, ſine ulla injuſtitia, quia gratiæ ſuæ verus Dominus eam partitus eſt, uti voluit, ſecundum illud ad Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* hoc eſt, inter homines, alios prædeſtinare, alios relinquere.

Rem totam accipe in gemino exemplo: Primum deſumitur ex Apoſtolo ad Rom. 9. *Rebecca ex uno concubitu Iſaac*, duos filios habuit gemellos, Eſau & Jacob, quos etiamſi natura multis modis conjunxiſſet, gratia tamen & electio plurimum ſeparavit: Verba ſunt: *Cum enim nondum nati fuiſſent; aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei*, ſcilicet Matri Rebeccæ, *Quia major ſerviet minori*, *ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*.

Nota 1. Inter duos factam eſſe electionem, electio autem illa pertinuit ad computationem liberorum in ſemine paterno, & conſequenter in hæreditate paterna: a qua, ſicut excluſus eſt Iſmael, quamquam eſſet filius Abrahæ; & ſolus Iſaac admiſſus eſt, ſecundum illud: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*: & illud aliud: *Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filiis liberæ*: Ita cum duo liberi nati eſſent Iſaac, non tamen ambo computati ſunt in ſemine, ſed unus tantum. Numquid non ambo potuerunt computari? Ita ſane: ſed tamen non ita viſum eſt Deo: ſed cum tantum duo eſſent fratres, facta tamen eſt unius electio, atque prælatio.

Nota 2. Ejuſmodi electionem ſeu prælationem non eſſe factam ratione ipſorum: eadem enim erat natura, iidem parentes, idem conceptus, nam ex uno concubitu, eadem nativitas, neque enim totus prodivit primogenitus, quin etiam prodiret ſecundus, nam ſecundus primi plantam pedis manus tenebat: Immo, quod amplius eſt, eadem moralis diſpoſitio utriuſque fuit, nam utrinque neque merita, neque demerita præceſſerunt, quoniam nondum nati erant, immo uterque in peccato originali, & uterque in eodem originali demerito, ſeu communi; Item neque ſumptum eſt diſcrimen a futuris operibus, quaſi Deus per præſcientiam reſpexerit eorum actiones, ob quarum diverſitatem inæqualiter eos tractarit: Quia ut ait Apoſtol. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori*: Vere enim Paulus intendit hanc ſeparationem factam ex electione divinæ voluntatis, nulla diſtinctione in ipſis prævisa, quæ cauſa eſſet, cur major alteri ſerviret, unde inter exiſtentes in utero hanc diſtinctionem fecit: quare hæc verba non tantum continent Prophetiam futurorum, ſed etiam ad tempus præſens referuntur, ut ſit ſenſus, ex nunc præfero majori minorem, & unum ſub alterius poteſtate conſtituo, ut major ſit minoris ſervus, & ipſe cum ſua poſteritate ſerviat minori ejuſque poſteritati: atque in hoc ſenſu, unus alteri præfertur, etiamſi nulla adſint opera.

Nota 3. Majorem ſerviſſe minori, & dilectum fuiſſe Jacob, exoſum autem Eſau, 1. Quia primogenitura Eſau pervenit ad Jacob, ut ipſe Eſau agnovit, unde Jacob accepit benedictionem primogeniti, quam noluit Iſaac revocare, quidquid rogaret cum fletu Eſau. Itaque ſub fratre ſuo Jacobo conſtitutus eſt, ſecundum illud Iſaaci: *Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres ejus ſervituti illius ſubjugari*: Ut etiam in ipſa benedictione dixerat Jacobo: *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ*. 2. Quia poſteritas Eſau, nempe Idumæi, ſervierunt Jacob, ideſt Iſraelitis, ſeu Jacobi poſteritati. 3. Quia præcipua Iſaaci hæreditas atque Abrahæ tranſlata eſt ad Jacob, nempe terra Chanaan, fertilis, atque abundans, quæ non Idumæis, ſeu poſteris Eſau, ſed Judæis filiis Jacob data eſt: Idumæis autem data ſunt loca ſaxoſa & ſterilia; ideoque dicitur Malachiæ, 1. Deum odio habuiſſe Eſau, hoc eſt, minus dilexiſſe, phraſi uſitata in Scriptura, Jacobum autem dilexiſſe, & eum fratri in amore prætuliſſe.

Nota 4. Licet dilectio Jacob, & odium Eſau, in ſenſu literali, ut legitur in Geneſi, & in Prophetia Malachiæ, intelligenda ſint de temporalibus, tamen apud Apoſtolum Paulum, quia ea loca ſumpſit ſecundum ſenſum allegoricum, intelligi poſſe de prædeſtinatione, exemplo ſumpto a rebus temporalibus, & traducto ad res ſpirituales; ita enim paſſim SS. PP. interpretantur: ac licet ſub Jacobo & Eſau, eorum poſteri poſſint intelligi, non ideo tamen capita, ſeu progenitores excludantur: Immo quando dicitur Jacob eligi, prius intelligitur ejus perſona, velut initium, & quaſi norma prædeſtinationis po-



Digitized by Google

ſb:rltatis ipſius; Et pâtet ex contextu totius capitis noni Epiſt. ad Rom. ubi agitur de prædeſtinatione, & reprobatione, quam docet, nullam aliam cauſam habere, quam Deum, unde ſubjungit: *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei:* Neque enim voluntas Iſaac quidquam profecit, qui volebat benedicere Eſau primogenitum ſuum; neque aliquid profuit curſus Eſau, qui ſtatim ad venationem profectus eſt, ut Patri obſequeretur, & benedictionem mereretur; ſed totum opus fuit miſericordiæ Dei, qui ab initio id ſtatuerat: unde Apoſtolus: *Ut ſecundum propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei: quia major ſerviet minori*: Ut ſcires, hoc totum profectum fuiſſe a mera Dei voluntate.

Alterum exemplum accipio a Sancto Dorotheo Doctr. 6. ubi iſta: Memoria teneo factum hujuſmodi me aliquando audiſſe. Navem ſervorum (ſeu quæ veheret ſervos) ad neſcio quam urbem appulcuiſſe: erat autem in civitate illa Virgo quædam ſancta, ſalutis ſuæ admodum diligens, & ſtudioſa. Hæc ubi navigium illuc appuliſſe cognovit, gaviſa eſt, deſiderabat enim puellulam parvam ſibi comparare, quam ſuo arbitratu aleret, & enutriret in Dei cultu, nec ulla labe mundialis malitiæ ſineret contaminari. Mittens igitur, qui navis illius gubernatorem accerſeret, duas ipſum habere puellas valde parvulas, quales animo ſuo deſtinarat ipſa Virgo, comperit, ſtatimque cum lætitia pretium ſolvit, atque unam puellam ſibi adſcivit. Ut igitur Nauclerus a Virgine ſancta receſſit, paululum progreſſus, obviam habuit ſcenicam quamdam meretricem, cui poſcenti puellam alteram pretio dedit. Conſiderate, obſecro, myſterium Dei, judicium attendite. Quiſnam hujus rei rationem reddere poteſt? Accipit igitur Virgo ſancta parvulam illam, atque educat in timore Dei, ad omne opusbonum, ipſam informans, ac docens omnem monaſticam diſciplinam, oſtenditque ſanctorum Dei mandatorum ſuavitatem, atque fragrantiam. Scenica ſimiliter meretrix, cum alteram illam miſeram accepiſſet, effecit eam ergaſtulum diaboli: quid enim aliud furia iſta docere illam poterat, niſi animæ perditionem? Quid igitur dicere poſſumus de horrendo iſto judicio? Ambæ parvulæ erant, ambæ abductæ, neſcientes quo proficiſcerentur, & una inventa eſt in manibus Dei, altera vero incidit in manus diaboli. Numquid igitur dicere poſſumus, quod tam unam, quam alteram repoſcat Deus? Quomodo id fieri poteſt? Utique ſi ambæ in fornicationem, aut in aliud ſimile vitium incidiſſent, liceret dicere, idem judicium ambas obtinere, cum idem ambabus error contigerit: quomodo igitur hoc fieri poſſit? Hæc dies atque noctes inter eloquia Dei didicit ea, quæ judicium, & regnum Dei ſpectant: illa vero miſera numquam ſcivit, aut audivit aliquid boni, ſed e diverſo omnia turpia, atque diabolica: quomodo igitur fieri poſſit, ut eadem ab utriſque exacta diligentia exigatur? In quo ſane facto admirabilis exemplum electionis divinæ, & diſcretionis nobis relictum eſt: Neque enim temere effectum eſt, ut ita diſcernerentur. At in illis nulla eſt cauſa; igitur in Dei electione.

Sed in ea re, illud in primis cavendum eſt, quod admonet Apoſtolus, ne in Deo judicemus eſſe iniquitatem, qui ſic diſcernat æquales: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas eſt apud Deum? abſit.*

Ratio eſt, quia ſi Deus hujus diſcretionis cauſam ſumeret ex meritis atque operibus, profecto non poſſet ſine injuſtitia diſcernere eos, quorum & opera & merita ſunt æqualia: ſed cum illa diſcretio fiat a ſola Dei voluntate, nulla poteſt eſſe injuſtitia. Unde ſubdit Apoſtolus: *Moyſi enim dixit, miſerebor, cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor.* Cum enim nemini debeat ullam gratiam, etiamſi nullum eſſet peccatum, nemini plane facit injuriam, ſi unum diſcernit ab alio, quia opus non eſt Juſtitiæ, ſed Miſericordiæ: Itaque multo magis jam id poteſt, ubi homines obnoxii ſunt Deo, ratione peccati. Ita Chryſoſt. id dictum ait Moyſi, ne ipſi mirarentur, quod Deus, poſt adorationem vituli aurei, quoſdam gladio intercmiſſet, aliis vero peperciſſet: quod enim aliqui puniti ſunt, juſtitiæ fuit; quod aliqui liberati, miſericordiæ. Sed illa diſcretio nullam habuit iniquitatem. Quapropter ita concludit: *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: Non fuit volentis, quia dum Levitæ irent, & redirent a porta una caſtrorum, uſque ad alteram obvios quoſque interfecturi, nullo delectu id fecerunt, itaque nullos elegerunt, quos eximerent, ſicut nec alios, quos interficerent; immo contigit multis, ut chariſſimos interficerent; nam dixit Moyſes: *Conſecraſtis hodie manus veſtras Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo:* Item nec fuit currentis, hoc eſt, cujuſque fugientis, cum in modum feræ, fieret vindicta: ſic enim Moyſes præceperat: *Redite de porta uſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum & proximum ſuum*, ut ſcilicet neſciretur, qua eſſet fugiendum: igitur *miſerentis Dei*, ita rem diſponentis, ut quem perire vellet, gladio tranſeuntis objiceret; quem ſervare vellet, eriperet. Quod ſi etiam duorum fratrum reſpectu hæc verba dicuntur: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei:* Idem eſt, ac ſi diceret Paulus: patet Deum ex operibus non prælegiſſe Jacobum, quaſi meruiſſet ſua diligentia benedictionem paternam, quod Eſau ad venationem profectum, prior ipſe antevertiſſet, ſed ex ſuo propoſito; quia nimirum ſic Deo placuit, qui Jacobi miſertus eſt, non autem Eſau.

Ex quibus omnibus concluditur Prædeſtinationem nihil eſſe aliud, quam ſingularem, & eximium amorem Dei erga quoſdam præ aliis, quibus præcipua quadam ratione vult gloriam, & conſequenter quibus ex illo ſingulari affectu ordinat media, quibus prævidet connectendam perſeverantiam, ſeu deceſſum in gratia, & gloriæ conſecutionem. In quo Deus nullam committit injuſtitiam: nam omnibus vult gloriam, & media donat apta ad eam conſequendam: ſed quibuſdam magis vult gloriam, & media; itaque & majora & meliora præparat; non quidem ratione ipſorum, quia ante Dei voluntatem omnes ſunt æquales, id eſt, æqualiter omnes indigni; ſed ratione ſui, quia ſuorum donorum eſt Dominus, quod oſtendit inæquali largitione. Sicut itaque Deus quoſdam homines creavit, non alios, idque

Digitized by Google

que ſine injuſtitia; quoſdam Angelos, non alios, eoſque innumeros, quibus creatis meliores creare potuit; hunc mundum, non alium, hunc Solem, non alium, & ita in cæteris: Sicut ex omnibus populis Judæos elegit, non alios; Sicut quoſdam facit divites, alios inopes; quoſdam ingenioſos, alios ſtupidos; quoſdam pulchros, alios deformes; Sicut ex omnibus mulieribus, unam elegit in matrem, ſine aliarum offenſione; Sicut ex omnibus naturis, humanam tantum aſſumpſit; Sicut ex individuis naturæ humanæ, unam tantum Humanitatem; Sicut ex omnibus Judæis, paucos, id eſt, 72. elegit in diſcipulos; ex iſtis, duodecim tantum in Apoſtolos; ex duodecim Apoſtolis, unum Petrum in caput Eccleſiæ; & alia id genus; Ita quoſdam ſingulari amore eligit ad gloriam, eoſdemque eligit in prædeſtinatos ſeu ſingulariter dilectos. In quo nihil efficit, quod non efficere poſſit quilibet de vulgo. Non itaque unius prædeſtinatio eſt alterius reprobatio, ſed unius amor præ alio, *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare*: Et ut ſcripſit Caſſiod. lib. 1. variarum, Epiſtola 12. de iis, qui a Rege Theodorico exaltati fuerant: Pompa meritorum eſt, regale judicium; Ita in cauſa prædeſtinationis electorum nihil verius dici poteſt, quam illud Chriſti: *Quoniam ſic placitum fuit ante te*. Sic Eccli. 33. *Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum a Sole? A Domini ſcientia ſeparati ſunt facto Sole, & præceptum cuſtodiente. Et immutavit tempora, & dies feſtos ipſorum, & in illis dies feſtos celebraverunt ad horam: ex ipſis exaltavit & magnificavit Deus, & ex ipſis poſuit in numerum dierum: Et omnes homines de ſolo & ex terra, unde creatus eſt Adam. In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparavit eos, & immutavit vias eorum. Ex ipſis benedixit, & exaltavit; & ſignificavit, & ad ſe applicavit: & ex ipſis maledixit, & humiliavit, & convertit illos a ſeparatione illorum*. Quærit ſapiens, cur, cum omnes dies ſint a Sole, alii tamen ſint aliis lucidiores & placidiores? Unde annus unus alio eſt fertilior & ſalubrior? Item unde ejuſdem anni dies alii, ut feſti, ſanctique obſervantur? alii vero in rebus ſervilibus teruntur ut profani? Prima cauſa eſt Deus, præſcribens Soli curſum ſuum. Idem etiam voluit quoſdam ſibi ſacros eſſe dies, alios vero communes, nulla re notabiles, niſi ſolo numero, quem diverſum efficiunt: ſic homines ab eodem ortos principio & ex eadem materia, diſſimiles eſſe voluit ſuis beneficiis: quoſdam enim fecit divites ac beatos; Reges, & potentes; alios Sacerdotes & prophetas, & ſanctos; alios vero fecit inopes, & humiles, atque abjectos: *Et convertit illos a ſeparatione ipſorum*: id eſt, dejecit ſublimi gradu & ordine dignitatis, quam vocat ſeparationem: uti eximii illi dicuntur, qui non in vulgo, ſeu numero relinquuntur. Ita dicitur de diebus dignioribus: *A Domini ſcientia ſeparati ſunt*: & David dicitur: *Quaſi adeps ſeparatus a carne: ſic David a filiis Iſrael*: & Num. 10. Moyſes ad Levitas: *Num parum eſt vobis, quod ſeparavit vos Dominus & junxit ſibi?* Hæc autem ſeparatio, ſeu ſecretio, nullam aliam habet cauſam, quam Dei beneplacitum, & voluntatem: *εὐδοκία* appellat Apoſtolus Paulus.

Ex hac conſideratione hic duplex in me ſenſus oritur.

Primus eſt. Præ illa ſecretione, & ſeparatione aliam omnem nihili faciendam: Nam hominum alii ſunt Reges, alii ſubditi; alii divites, alii pauperes; alii ſano corpore, alii proſpera uſi fortuna, alii adverſa; quidam beati, quidam miſeri: Sed quantum illa poſſunt prodeſſe? hæc autem, quantum obeſſe? Quam exiguum eſt diſcrimen, quam breve, quam inutile, quam contemnendum? Quorſum hinc nobis ineſt faſtus, & aliorum contemptus? Illa unica diſcretio magnifacienda eſt, quod unus ſit ex Electis, alter inter Reprobos. Hi fortaſſis, quem contemnis, electus eſt. Tu vero unus ex reprobis: Ille qui nunc jacet in vitiis, electus eſt: Qui autem nunc ſtat, erit aliquando caſurus, &c.

Neque etiam illud præterire poſſum, quod quam magnam habet admirationem, nempe quod Deus fere eos, qui in rebus exterioribus præcellebant, reprobat. In prima mundi familia major natu reprobatus eſt, Cain ſcilicet, quamvis primogenitus, fortior & robuſtior, & induſtrior: Abel autem electus poſterior natu, tenerior, & minus gnarus. In Abrahæ domo Iſmael primogenitus a domo & hæreditate rejectus eſt, ſecundum illud: *Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio liberæ*, nimirum Iſaac, in quo Abrahæ vocatum eſt ſemen: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*: In iſtius domo rejectus eſt Eſau primogenitus, electus eſt Jacob, cum tamen ita utrumque componat Scriptura Gen. 25. *Factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola: Jacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis*, hoc eſt, vitam agebat quietam, domi commorans: ut ſcilicet intelligas mundanas & externas prærogativas tibi eſſe debere ſuſpectas; tantum abeſt, ut hic ſumere debeas occaſionem teipſum extollendi. *Quæ mihi fuerunt lucra*, ait Apoſtolus ad Philipp. 3. *Hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta*.

2. Senſus eſt. Quanti unuſquiſque peculiarem illum in ſe amorem facere debeat, quicumque tandem illius eſt particeps, ut eum Deus inter tot creaturas, tot dotibus, atque donis inſignes, nullo ejus merito elegerit, tot aliis prætermiſſis. Audi, quid in ſimili caſu populo Iſraeli Moyſes conſiderandum propoſuerit, Deuteron. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram*: Id eſt, non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus eſt Dominus, & elegit vos, cum omnibus ſitis populis pauciores, ſed quia dilexit vos Dominus. Ego certe non dubito, ſi anima hæc interius audiret a Domino, quin tota in amorem ſolveretur: Tu me Domine ſingulariter dilexiſti, & præ tam multis amaviſti? Quis ego ſum, Domine, & quæ domus Patris mei? Non hoc ego vehementer admiror, quod hic anima deficiat, & primo quod præ admiratione extra ſe feratur, tum quod præ amore colliqueſcat. Ille te præ tam innumeris? Tu vero non illum præ omnibus? *Dilectus meus mihi, & ego illi: Ego dilecto, & ad me converſio ejus*: & Cant. 6. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*: Quam putas hoc te aliquando commovebit ac tanget, cum iſta mortalia tranſierunt, atque jam in portu & in glo-



Digitized by Google

gloria poſitus cognoſces te præ innumeris mortalibus dilectum, electumque? Quantum putas te dilecturum Deum tuum? Quid illius cauſa feciſſe non deſiderabis, quid non protuliſſe?

Sed quia nemo hunc amorem ſpecialem arrogare ſibi poteſt, nam *neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit*. Hoc ſaltem & conſidera, & æſtima: quantum debeas Deo, quod te Chriſtianum, & ſui ipſius gnarum fecerit, cum interim tam multas nationes & nobiles populos ignorantiæ tenebris obvolverit, & teneat in infidelitate; ut ſcias, quæ a Deo donata ſint tibi. Atque in univerſum agnoſce ea beneficia, quibus alteri prælatus es. Quis enim es tu, ut tui aliquam rationem peculiarem Deus habuerit? Quis es, ut te Deus alteri cuicumque prætulerit? *Quid enim habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Verum noſtra repetamus. Atque ut nullam in animis dubitationem relinquam, hoc addo: quod ſicut hæc prima Electorum ac relictorum diſcretio, nullius eſt meritum, ac demeritum, ita non efficit immediate & abſolute ſalvationem Electorum & damnationem relictorum, ſed ambos ſuo reliquit arbitrio, unde nullum cogit, ac nemini neceſſitatem infert. Itaque relictos non excludit poſitive a gloria, ſed intra communem voluntatem Dei omnes homines ſalvandi, deſerit. Sed illos non aſſumit peculiari voluntate & affectu; nullius ſane injuria: cum tamen aliquos aſſumit, id facit ſumma miſericordia: quemadmodum ex omnibus temporibus plenitudinem temporum elegit, ut homo fieret; ex omnibus populis filios Iſrael, ex quibus carnalem duceret originem; ex omnibus tribubus, tribum Juda; ex familiis Juda, domum David; ex omnibus urbibus, Bethlehem; ex omnibus feminis, ut dictum eſt, Beatam Virginem in Matrem. Quod elegit, gratia fuit; quod non elegit, voluntatis fuit liberæ, ſed non injuſtitiæ, aut injuriæ: Idem contingit in quorumdam electione, aut reprobatione.

2. Propoſitio: Sicut hujus diſcretionis initium diximus petendum eſſe a ſimplici Dei voluntate, & amore; Ita ejus complementum & perfectio pendet ab amborum voluntate, & cooperatione. Etenim *oves ſequuntur & audiunt*, non ſequuntur autem, qui non ſunt oves. Oves ſequuntur, quoniam oves ſunt, & ſequi volunt, atque amant: qui vero non ſequuntur, nec ſunt oves, neque ſequi volunt. Cauſa itaque adæquata diſcretionis integræ eſt Deus, & creatura; Et ita eſt una diſcretio ſeu ſeparatio ab electione Dei: *Ego cognoſco oves meas*; & altera a cooperatione creaturæ, *& cognoſcunt me meæ*; ex utraque fit una totalis, cujus cauſa adæquata eſt Deus, & creatura, *oves meæ vocem meam audiunt*: neque enim oves audirent, niſi loqueretur, ſed loquentem etiam non audirent, niſi vellent; eſt enim auditus obedientiæ. Sicut itaque peccator per liberum arbitrium ſe diſcernit a juſto, ſecundum illud Judæ in Epiſtola ſua: *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos*, ſed tamquam cauſa ſola, & totalis, quia ſolus ſe ad id determinat, quo ab alio ſeparatur; ſcilicet ad malas actiones: ita juſtus poſt datam gratiam, per illius uſum liberum, licet cooperante gratia, ſe ab impio ipſe diſcernit. Confirmatur: Quia qui ex æqualibus facit inæquales, ille unum ab alio diſcernit, ſed ſolum Deus per gratiam, & amorem ſpecialem, verum & homo per liberum arbitrium, licet ſecundario, & minus principaliter facit ex æqualibus inæquales. Exemplum Auguſt. poſuit lib. de Prædeſtinatione & gratia c. 15. inter Nabuchodonoſorem & Pharaonem: Quid fines eorum fecit diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero arbitrio, contra Dei miſericordioſiſſimam veritatem pugnavit?

Hinc ſequitur 2. ex Leſſio de Prædeſtinat. & Reprobat. Angelorum & hominum, ſect. ſexta num. 77. Eſſe in Juſtorum poteſtate complere ſuam prædeſtinationem. Probatur: Quia complere ſuam prædeſtinationem eſt efficere, ut in Deo ſit præſcientia & præparatio reliquorum beneficiorum, quibus reipſa homo perducitur ad ſalutem: atqui in hominis eſt poteſtate illud efficere per gratiam Dei. Major probatur ex definitione prædeſtinationis ex S. Auguſtino: Nam ſicut tota prædeſtinatio conſiſtit in præſcientia, & præparatione omnium beneficiorum, quæ ab initio conceptionis, vel vocationis, uſque ad ultimum vitæ conferuntur; ita complementum ejus conſiſtit in præſcientia, & præparatione eorum, quæ conferuntur poſt juſtificationem. Minor probatur ex Concilio Arauſicano cap. 27. ubi ait, omnes baptizatos Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſe, & debere, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere, Et ex Trident. Seſſ. 6. c. 11. ubi hæc: Deus ſua gratia juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur: Et ex eodem c. 13. ubi ita: De Perſeverantiæ munere nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debeant; Deus enim, niſi ipſius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Denique ex hoc textu 2. Petri c. 1. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*

Inſuper Deus præparavit omnibus juſtis omnia auxilia & beneficia, quibus certiſſime ſalvabuntur, ſi gratiæ non deſint: ſed in poteſtate juſtorum eſt, non deeſſe ipſius gratiæ; & implere illam conditionem, qua impleta, illa voluntas conditionata tranſit in abſolutam, ac proinde complet in Deo rationem prædeſtinationis.

Sequitur 2. Qua ratione intelligi debeat, quod a nonnullis tribuitur Sancto Auguſtino. Si non es prædeſtinatus, fac, ut prædeſtineris. Neque enim abſolute loquendo, id vere dici poteſt; quia nemo ſibi cauſa eſſe poteſt primæ gratiæ, cujus tamen præparationem nomen prædeſtinationis includit: ſed poteſt eſſe cauſa completionis, ſine qua prædeſtinatio completa eſſe non poteſt. Itaque Proſper in reſponſ. 3. ad Capitula Gallorum: Non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt: ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt. Et ad objectiones Vincentii Reſponſ. 12. Quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati, eſſent autem

præ-

prædeſtinati ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate manſuri. Hoc itaque certum habemus neminem excludi ab ovium numero, & ad hœdos tranſire, niſi vitio ſuo, unumquemque autem ſi velit, poſſe bonis adhærere Dei gratia adjutum, quæ nulli unquam denegatur.

Eodem modo reſponderi facile poteſt ad illud Dilemma, vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum: Si 1. perire non poſſum. Si 2. ſalvari nequeo: Quo argumento, ut dictum eſt ſupra, inductus quidam ex Monachis Sancti Auguſtini, Monaſticam vitam deſeruit, ad ſæculum rediit, ibique periit; illo teſte lib. de bono Perſever. cap. 25. Dicetur enim, te eſſe prædeſtinatum, ſi tu es in gratia, non tamen complete, niſi poſita præſcientia tuæ perſeverantiæ, quæ præſcientia, cum a tua perſeverantia objective, & tua perſeverantia a tua diligentia, divino adjuta auxilio, omni ope tibi conandum eſt, omneſque vires naturæ intendendæ, ut perſeverantiam præſtes: quod ſi Divina gratia neglecta non præſtes, non eris prædeſtinatus, ſed reprobus, at vitio tuo, & voluntate tua: nam ſuppoſita Dei gratia, quæ ſemper omnibus præſto eſt, & ſuppoſita etiam omnium hominum ordinatione ad gloriam, a qua ordinatione nemo excipitur, nemo reprobus eſt, nemo ab ovium numero excluditur, niſi vitio ſuo. Hinc etiam patet, quomodo concilianda ſit prædeſtinatio cum libero arbitrio, cum quo non magis pugnare poteſt, quam gratia, quæ non modo non deſtruit liberum arbitrium, quin potius illud perficit, cum illi det poſſe, quod ſine illa non poſſet, ita tamen poteſt per illam, ut cum illa etiam operetur, ſecundum illud Apoſtoli: *Ego & gratia Dei mecum*: quod autem prædeſtinatio non magis lædat libertatem quam ipſa gratia, hinc patet, quod ex Auguſtino prædeſtinatio ſit gratiæ præparatio, gratia vero ipſa donatio.

Unica mihi occurrit concluſio, quam habet Apoſtolus 2. ad Philippenſes: *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini, Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*: Vide, quid velit Apoſtolus, 1. vult unumquemque ſalutem ſuam operari, ut nemo confidat prædeſtinationi, quaſi ſolus Deus ſalutem operetur illam; neque enim ita ſe res habet, nam ipſe ſic eam operatur, ut noſtrum etiam ſit operari: ille enim gratiam & præparat & donat: nos gratiam recipimus, & ea utimur. 2. Nos vult operari cum timore & tremore, quia *neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit*: unde nemo præſumere poteſt, ſicut nemo deſperare; ſed omnes timere debent ac contremiſcere. Deinde rationem ſubdit: Quia *ipſe eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere*, ut ſciamus ab ipſo pendere, quod velimus & quod faciamus, non quod ipſe ſolus ſit in nobis, qui velit, & perficiat, alioqui male dixiſſet, ut operaremur; ſed quia ipſe per gratiam efficit, ut velimus, & ut faciamus: ipſe enim exſuſcitat, ut velimus, neque hoc tantum, ſed primum velle efficit in nobis ante libertatem, & ipſum liberum velle efficit in nobis, & nobiſcum. Quia vero non ſufficit, ut velimus, quaſi poſita voluntate, ipſi per nos efficiamus, nam ipſius adjutorio indigemus, ut perficiamus, ipſe enim efficit in nobis velle & perficere; ideo timere debemus, ne nos deſerat, ſi ejus gratia abutamur. Quare oportet operari cum timore & tremore; ne ſi non operemur, deſeramur ab eo, qui operatur in nobis velle, & perficere; & quo recedente, neque in nobis eſſe poteſt voluntas, neque opus: præſertim cum id faciat pro bona voluntate, hoc eſt, libere, ſeu ex pura liberalitate; ut qui gratiam nemini debet, & propterea ſine injuſtitia privare ea quemlibet poteſt: unde ſequitur illa utendum cum timore.

Nemo itaque ſcientia prædeſtinationis abutatur, Auditores, nemo extollatur; quia nemo ſcit, qualis ſit; nemo animum dejiciat, quia Deus neminem poſitive excluſit: ſed unuſquiſque in ſalutem ſuam maxima diligentia incumbat; quia quilibet ad gloriam ordinatus eſt, quilibet vocatus, quilibet ad eam capeſſendam gratias neceſſarias, & ſufficientia habet auxilia, quilibet in ſuo prædeſtinationis ordine ſalvari poteſt, ſi velit, ſi gratiæ reſpondeat, ſi Deo non deſit. Non te prima ſeparatio damnat, ſed ſecunda: In primam nullam habes poteſtatem; habes in ſecundam; ex qua venitur in tertiam, de qua Sanctus Mathæus c. 25. *Et ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hædos autem a ſiniſtris*; deinde Judicis ſententia accedente: *Venite & diſcedite: Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*, in qua ſeparatione omnium ſuppliciorum maximum. Hæc enim demum eſt perfecta reprobatio; cujus tota eſſentia conſiſtit in judicio indignitatis reprobi propter peccata, in quibus deceſſit, & in conſequente voluntate Judicis deputante ipſum ad carentiam viſionis, atque ignes æternos. Hoc unum cogita, oportere te eſſe aut in ovium numero, aut in hœdorum grege, aut in dextra, aut in ſiniſtra: cogita, ad quorum mores propius accedas, innocentia, manſuetudine, caſtitate, utilitate ad omnia: An vero ſis moribus noxiis, an petulcus, an impurus, an petulans. Quælibet vitæ præſentis differentia, ut diximus nuper, non magnifacienda eſt, neque ratione objecti, neque durationis: Altera differentia & res omnes, & omnem durationem complectitur. Diſcrimen eſt aut ſummæ felicitatis, aut ſummæ miſeriæ; aut cæli, aut damnationis; aut æternitatis in ſuppliciis, aut æternitatis in gloria: ad quam nos deducat JESUS Chriſtus. Amen.

## CONCIO QUARTA.

### De Prædeſtinatione.

### Vocatio Prædeſtinatorum, in exemplo Magdalenæ.

*Oves meæ vocem meam audiunt*. Joann. 10.

IN Chriſto Domino duæ ſunt Naturæ; una viſibilis, aut inviſibilis, ſecundam ejus nomen, Emmanuel: *Nobiſcum Deus*. Viſibilis fuit natura humana, de qua dictum eſt: *Verbum caro factum eſt*: Item: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſa-*

Digitized by Google

*ſatus eſt*: Inviſibilis fuit natura divina, *Deum enim nemo videt unquam*. Er ratione hujus duplicis ſtatus Chriſtus duplicis generis miracula perpetravit, alia viſibilia, alia inviſibilia. Ex viſibilibus omnium maximum fuit ſuſcitatio Lazari ad preces & lacrymas Magdalenæ: ex inviſibilibus omnium maximum, cum eam convertit. Nobis de ultimo eſt ſermo. Sed quia ad ejuſdem lacrymas totum gratiæ fuit, nihil de illo ſine gratia dicere poſſumus. *Ave Maria*.

IN Evangelio de Chriſti ovibus propoſito, & nuper a nobis expoſito omnem prædeſtinationis doctrinam agnovimus, quam omnem ad quatuor capita reduximus. De primo tribus Concionibus diximus: nimirum de diſcretione Electorum a reprobis, nihilque eſſe aliud oſtendimus niſi majorem quemdam, & ſpecialem erga nonnullos amorem Dei, quo quibuſdam vult magis gloriam quam aliis, unde illis majora & meliora præparat dona, quibus certiſſime liberantur; addidi autem iſtam ſeparationem perfici atque compleri libera hominum voluntate, & cooperatione, qui ſe etiam per bonum gratiæ uſum ſeparant, ſed conſummari in extremo judicio per ultimam Judicis ſententiam, quæ ſuum haber effectum, Matth. 25. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*: ex quo infertur: Igitur alii ſunt oves, alii non ſunt oves: *Vos non eſtis de ovibus meis*; Es Matth. 25. *Et ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis: hædos autem a ſiniſtris*: De qua re nihil amplius nobis dicendum eſt.

Alterum, quod Deus agit circa prædeſtinatos, ſupra reprobos, illud eſt, quod eos ita vocat, ut audiant: neque enim omnes eodem modo vocat: ſiquidem ait Judæis: *Loquor vobis & non creditis*; & poſtea: *Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis: oves meæ vocem meam audiunt*.

Primum itaque, quod Deus operatur extra ſe in prædeſtinatis, eſt vocatio, ſecundum illud Apoſtoli: *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit*: In quo apparet ſumma Dei providentia, & cura circa Prædeſtinatos, quos vocat, etiam modis extraordinariis, & per miracula, quando viæ ordinariæ non ſuppetunt: uti paſſim legimus in hiſtoriis & vitis Sanctorum.

In ea autem vocatione hæc ſpectanda ſunt: 1. Neceſſitas: quod ipſa Evangelii verba ſignificant, quando dicitur: *Oves meæ vocem meam audiunt*: ſignificatur enim ipſum prius loqui, ſeu prius ad oves ſe convertere: Si enim Paſtor non ſe convertiſſet ad oves, ſi non vocaſſet, numquam oves ſecuturæ eſſent Paſtorem, immo nec adeſſe noviſſent: gratia enim homines prævenit: Neque tantum id intelligendum eſt de vocatione externa, de qua loquitur Apoſtolus ad Roman. 15. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo autem prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt, quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*: ſed etiam de vocatione interna: pergit enim: *Sed non omnes obediunt Evangelio; Iſaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui noſtro*: cujus effectus cauſam notat Chriſtus, Joann. 9. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*; Et ipſe Joannes c. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*: Itaque ſic Chriſtus loquitur Joann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*: Certe quilibet ſua ſponte errare poteſt, atque a Deo diſcedere, *Erravi, ſicut ovis, quæ periit*; ſed nemo venire, ac redire poteſt, niſi Pater traxerit eum. In quo Joannis loco duo advertit Sanctus Hieronymus, dialogo adverſus Pelag. lib. 3. ubi hæc habet: Quando dicit: *Nemo venire poteſt ad me*, frangis ſuperbiſſimam arbitrii libertatem: quod, etiamſi velit ad Chriſtum pergere, niſi fiat illud, quod ſequitur: *Niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, nequicquam cupiat, & fruſtra nitatur: Simul & hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non ſponte currit, ſed aut detrectans, & tardus, aut invitus adducitur. Hæc ille. Duo ſignificat: 1. Impoſſibile eſſe, ut per ſe veniat: 2. magnam indiſpoſitionem habere & tarditatem ad veniendum. Idem Chriſtus ſuis diſcipulis ſignificavit, ſcilicet illos nihil poſſe ſine ejus auxilio: *Sine me nihil poteſtis facere*: non dixit, ait Auguſtinus, nihil magnum poteſtis, ſed nihil omnino, neque parvum, neque magnum: Item, non dixit, facile non poteſtis, ſed omnino negavit, illos quidquam poſſe: Unde hujus dependentiæ ſimilitudinem affert apud Joann. 5. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis*: quibus & aliis locis pene innumeris colligunt Patres neceſſitatem gratiæ ad omnia opera bona, ſed præcipue ad converſionem.

Vide exemplum inſigne in Magdalena, cujus errores varios & miſerabilem ſtatum uno verbo complectitur Scriptura Lucæ 7. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, quæ vox ex uſu antiquorum famoſam mulierem ſignificat: Chryſol. ſerm. 9. Non peccatrix ſolum, ſed totius civitatis facta fuerat ipſa peccatum. Quid hic memorem minora peccata, vanitatem, ſuperbiam, animi levitatem, inconſtantiam, impudentiam; nihil in vita, nihil in moribus, nihil in oculis, nihil in totius corporis compoſitione moderatum, quantum illud eſt in ſummis ſceleribus fuiſſe projectiſſimam: quod vox illa ſignificat: *Mulier in civitate peccatrix*: Quid quod non ſibi ſoli nocuit, ſed paſſim omnibus *Mulier in civitate peccatrix*, id eſt, cujus erat ſcandalum publicum. Sed quantum illud eſt, quod omnia virtutum ſemina in ea erant extincta, pudor, timor, ſpes, amor honeſtatis: immo prima principia; nempe reſpectus Dei, ejus amor, cogitatio de ipſo? Quin & ea omnia contraria, incogitantia, præcipitatio, amor ſui, æternitatis oblivio, amor ſæculi? hæc enim omnia miſerabilem hunc ſtatum comitantur. Quid ei virtutem proponas & honeſti ſpeciem, quam odit, & averſatur? Quid futurum judicium, quid pœnas Inferni, quid æternitatem proponas, cum in ea ſit earum omnium rerum oblivio? Atque inde judica, num per ſeipſam redire potuiſſet. Itaque opus fuit, ut a Deo potentiſſime vocaretur, quod Chriſtus ſumma erga eam uſus miſericordia præſtitit. Quare de ea dicitur: *Ut cognovit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi*, &c. Non tantum exterius

terius

Digitized by Google

terius fuit admonita, ſed potiſſimum interius. Unde S. Gregor. homil. 13. Quid miramur, fratres, Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? ſuſcipientem dicam, an trahentem, ipſe per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris. Neceſſe itaque fuit, ut Chriſtus eam abſentem gratia ſolicitaret, ac præveniret. Nempe ut ovis errabat, ſtolidum animal, quod ſemper progrediendo & paſcendo recedit a Paſtore: unde oves, Græci πρόβατα nuncuparunt, ἀπὸ τῦ προβαίνειν a progrediendo: & ideo opus fuit, ut Paſtor requireret.

Hinc igitur patet vocationis neceſſitas. Et hæc omnium reſpectu locum habet, tam Electorum, quam reproborum, dicente Apoſtolo: Quod omnes *indigent gloria Dei*, ſeu gratia.

II. Quod in vocatione illa ſpectatur, eſt efficacitas, quæ in eo conſiſtit, quod Deus neminem ita vocet, ut non ſequatur, ſecundum illud, *Oves meæ vocem meam audiunt*: Et illud Joann. c. 6. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Item: *Et erunt omnes docibiles Dei*; & alibi: *Faciam, ut in præceptis Dei ambuletis*, etiamſi multorum indoles & ingenium intractabile & inflexibile videatur. Ut hoc melius intelligatur.

Nota 1. Omnem vocationem dici poſſe efficacem: 1. quia omnis poteſt habere effectum, cum omnis, qui vocatur, venire poſſit. Sicut enim nullus venire poteſt, niſi vocetur: ita omnis vocatus venire poteſt, ſi velit: nam vocatio, quæ eſt gratia, dat veniendi poteſtatem & facultatem: cum ille, qui vocatur, ſincere vocetur, nempe ut veniat; & ideo qui non venit, ſua culpa non venit: itaque in actu primo aliqua ratione omnis vocatio eſt efficax, nam ſi non poſſet habere effectum, illuſoria eſſet, & qui non veniret, non eſſet in culpa, quia venire non potuiſſet. 2. Quia quæ non habet effectum, ex hoc tantum non habet, quia voluntas venire noluit: igitur ſi ſit inefficax, non hoc petitur a gratia, & vocatione, ſed a voluntate. Id ſignificavit Apoſt. 2. Cor. 6. *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: nam iſta vacuitas nil aliud ſignificat, quam non habere effectum: ſi itaque a libertate pendet, vel oritur, quod non habeat effectum, certe culpa erit libertatis, non defectus vocationis. Et proinde verum eſt, quod dixi, omnem vocationem dici poſſe efficacem, ſaltem in actu primo, ſeu per modum potentiæ.

Nota 2. Singulari quodam modo Prædeſtinatorum vocationem eſſe efficacem, quia ſcilicet: *Oves meæ vocem meam audiunt*, quam alii n n audiunt: ſecundum illud: *Propterea vos non auditis, quia non eſtis ex ovibus meis*. Et Joann. 6. *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet*. Nam prædeſtinatus, quem dat Pater Filio non tantum venire poteſt, ſed actualiter & infallibiliter venit ad Patrem, nec ullus eſt a Patre datus, qui non veniat. Unde magnum eſt in vocationibus diſcrimen: Quædam enim ſunt adeo potentes, ut illis ſemper obediatur; Aliæ vero rejiciuntur ab iis, qui illis pulſantur. De primis ſic loquitur Auguſt. lib. de Prædeſtin. Sanctor. cap. 8. ut jam nuper retulimus. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Chriſtum: ſed ubi & quomodo a Patre audierint, hoc didicerint, non videmus: nimirum gratia iſta ſecreta eſt: Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur a nullo duro corde reſpuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia auferatur. Has gratias vocare ſolet Apoſtol. ad Rom. 8. ſecundum propoſitum: *Qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*: ut exponit S. Auguſtinus lib. de Correct. & Grat. cap. 9. Eſt enim propoſitum voluntas certa & determinata, quæ effectu ſuo non caret, unde differunt vocationes Reprobi & Prædeſtinati.

Porro ut ſignificetur illa virtus & efficacitas vocationis, quæ proprie eſt ejus qualitas, Chriſtus, ut modo dicimus, eam appellat tractionem, Joann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*: nam ut ſcias eo loco agi de prædeſtinatis, poſtquam dixit, *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet*: ſtatim ſubjungit: *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras*, &c. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem eum in noviſſimo die*. Non potuit vero ſignificantius exprimi illa efficacitas gratiæ, quam per verbum tractionis, ut ſcias eum, qui venit, non tam ſuis paſſibus venire, quam alieno motu impelli: quod ut melius a nobis intelligatur,

Adverte nomen tractionis ex primaria ſua ſignificatione, eaque propria ac ſtricta, ſignificare impreſſionem factam non volenti, ſed coacto: Etenim tractio refertur ad eum, qui violenter loco movetur, nec eſt cauſa ſui motus, cujus is eſt cauſa, qui motum in ipſo efficit: Unde cum nomen tractionis de gratia & de vocatione dicatur, oportet, ut aliquam impreſſionem, & quamdam quaſi coactionem importet, quam multiplicem aſſigno.

1. Violentia eſt, quæ infertur diabolo, a quo invito & repugnante ſuos electos Deus eripit, ſecundum illud Joann. 12. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; & ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*. Chryſoſt. homil. 66. in Joan. Traham, inquit, tamquam a tyranno detentos, & per ſe minus potentes, ejus manus effugere, utpote repugnantis. Alio loco, rapinam appellat. Luc. 11. *Nemo poteſt ſpolia fortis rapere, niſi prius alliget eum, & tunc rapiat*: hæc autem ad illius oſtendendam vim dicit, ut illic tractionem appellaret: huic principio innititur tota Parabola de forti armato, quam alias Magdalenæ cras applicabimus; de qua Luc. cap. 11.

2. Violentia, quæ ſignificatur, ea eſt, quam Deus vitiis facit & concupiſcentiis, homines incitando ad illas mortificandas: Nam ab exaltatione Chriſti Domini in Cruce, multo magis, quam a diebus Joannis Baptiſtæ, *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: in quibus verbis PP. paſſim intelligunt mortificationis violentiam. Qu enim Dei vocatio pertinet, niſi ut nos moveat ad mortificanda membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram? Et ſæpe dixit Chriſtus Dominus: *Non veni pacem mittere, ſed gladium*.

3. Violentia eſt propter gratiam prævenientem & excitantem: Etenim quantum ad producendas eas operationes, quæ fiunt in nobis, uti loquuntur Theologi, poſt Auguſtinum, videlicet quantum ad illu-

illuſtrationes intellectus, & ſuavitates, ſeu delectationes voluntatis, in proprietate ſermonis, & rigore loquendi, aſſirmare poſſumus, hominem trahi; liberum enim non ſe ad illas movet, ſed movetur tantum, & agitur a Deo independenter a voluntate, quæ non negat Auguſtinus lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagian. cap. 19. Quis trahitur, ſi jam volebat; itaque iſte motus non ſequitur conſenſum, ſed præcedit, immo plerumque libera voluntate renitente, contradicente, atque conante expellere a ſe ejuſmodi illuſtrationes & ſuavitates Dei, ut terrenis voluptatibus inhæreat, nec in illis turbetur. Exempla in nobis ſunt quotidiana? Itaque licet in uſu gratia a nobis pendeat, quoniam ait Trident. illam voluntas abjicere poteſt, tamen in productione gratiæ Deus ſummam habet poteſtatem, eamque producit independenter a libertate, quoniam libertatem antecedit; quare ejuſmodi motus non ſunt liberi, & pluribus etiam invitis, & omnibus inſciis dantur: & pro quibuſdam etiam petit Eccleſia, ut dentur etiam contradicentibus, & ut noſtras, etiam rebelles, Deus compellat propitius voluntates.

4. Violentia eſt ratione diſpoſitionis contrariæ & reluctantis, quæ ſemper in peccatore contingit, & quam debellat victrix gratia. Et inde ex eo virtus ejus commendatur, quod licet gratia obſtacula reperiat, ac obnitentem contra ſe voluntatem, omnem tamen difficultatem perrumpat; dum enim nolentes aggreditur, ex nolentibus volentes facit, quod verbum tractionis recte ſignificat, quandoquidem quamdam coactionem importat. Unde ſic Chryſologus Sermon. 10. Pſalm. 18. Attrahit & nolentes: Nemo dicat, non vult, quia & Abraham offerens filium, colligavit: & Loth, Angeli ut ſubtraherent flammis, extractum manibus ſuſtulerunt: & Petrum Dominus, ut iret ad martyrium, quo nolebat, auxilii ſui virtute præcinxit, dicens: *Et alius te cinget, & ducet, quo tu non vis*: Et Pater cæleſtis non ſolum volentes ſuſcipit, ſed attrahit & nolentes, dicente Filio, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum*. Id ſignificatum in Parabola invitatorum ad cœnam, ad quam invitati noluerunt venire, alii autem, qui coacti ſunt, venerunt. Ubi adverte vocationum diſcrimen; nam qui venire noluerunt, reprobi fuerunt, de quibus dixit Paterfamilias: *Nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*: Invitati ſimpliciter ſunt, & admoniti temporis veniendi: *Quia omnia parata ſunt*: potuerunt autem venire, ſi voluiſſent, & hæc voluntas ejus fuerat, qui invitavit: non tamen ſunt introducti, nec coacti: Sed *iratus Paterfamilias*, (ſignificatur illis verbis affectus ad ſuperandas difficultates) ſervo præcepit: *Exi cito in plateas & vicos civitatis; & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*; videlicet non jam expectans, ut venirent ipſi ſola convivii propoſitione illecti: quia nec pauperes auderent, nec debiles & claudi incedere potuiſſent, & accurrere feſtinanter, nam dictum eſt, *exi cito*, nec cæci domum invenirent & januam, ſi eos vel momento dimitteret; opus igitur fuit, ut manu traheret, donec ad cœnam venirent. Unde vides modum trahendi prædeſtinatos, quos efficaciter compellit, differre a modo alios vocandi, data ſcilicet tantum veniendi facultate, & ſufficiente invitatione ad convivium. Itaque in illis elucet majoris virtutis vocatio, qui plus habent reſiſtentiæ: ut qui in viis, & ad ſepes erant, & intrare compelluntur, eos ſignificant, quos Deus permiſit majoribus retineri impedimentis, & vitiis, quibus poſtea coactionem infert, ut mutentur. Plerumque enim reluctantibus hominibus, & ab ejus miniſtris obtruditur opportune & importune prædicatio veritatis, increpatio, ſuaſio, obſecratio, exempla, miracula, flagella, occaſiones ſalutis: ad hæc interiores illuſtrationes, vehementes impulſus, & exuberantes ſuavitates, quibus tantum efficitur, ut appetatur avidiſſime, quod antea faſtidium & nauſeam peccatori provocabat.

Origenes Homil. 26. in Numer. Liberi Arbitrii eſt anima, & in quam voluerit partem eſt ei liberum declinare; ſubjicit tamen de Chriſto. Quodammodo vim nobis facit, ut nos pertrahat ad ſalutem. Id probat infra: Quoſcumque inveneritis, cogite intrare. Sic ergo non ſolum invitamur a Deo, ſed & trahimur, & cogimur ad ſalutem. Quomodo autem id fiat, quis explicet? Unde Proſper lib. contra Collatorem c. 1. Quis perſpicere aut enarrare poſſet, per quos affectus viſitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat, eſuriat; ac ſubita commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, ſint aperta; quæ onerosa, ſint levia; quæ amara, ſint dulcia; quæ obſcura, ſint lucida: *Hæc autem operatur omnia unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis, prout vult*: Certe id noſſe melius non poſſumus, quam ab effectu, & eventu. Quid hic memorem innumeros ac mirabiles gratiæ victricis triumphos, quot habuit ipſa captivos, ſed quos inſigniores, niſi quos habuerat, & invenit hoſtes infenſiores? Exemplum S. Pauli affert S. Auguſtinus, ſed quod habemus in Magdalena, non eſt minus admirabile.

Vide enim, qualis olim fuerit, & qualis facta ſit mutante eam gratia, & omnia in ea mutante. Quod olim una vox teſtatur: *Mulier in civitate peccatrix*. Quid facta ſit, paucis explicat Evangeliſta: *Ut cognovit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*: Gregor. Homil. 33. in Evangelia. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot in ſe invenit holocauſta; convertit ad virtutum numerum, numerum criminum: ut totum ſerviret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. Unde vis initium ducam? Undique poſſum, quoniam ſingula ſumma ſunt, & in ſingulis tanta mutatio, ut non ſtatum mutatum, ſed perſonam mutatam eſſe diceres: Incipiamus ab oculis, &c. Ut autem hanc mutationem gratiæ deberi, intelligas; probat Parabola Chriſti, de duobus debitoribus, qui cum non haberent, unde redderent creditori, oportuit, ut utriſque donaret, atque gratuito remitteret: quod Magdalenæ factum eſt, idque tanto amplius, quam plura

ei

Digitized by Google

ei remiſſa ſunt. Quando autem audis, ei multa eſſe dimiſſa peccata, quia multum amavit; hinc ſcias, eo plus præventam fuiſſe, ſemper enim *prior dilexit nos*: Quod autem plus amaverit Magdalena, teſtantur ejus obſequia, lacrymæ fuſæ, pedes irrorati, ſparſi capilli, & pedes terſi, data crebro oſcula pedibus, & unguentum effuſum in pedes, quæ omnia teſtimonia ſunt magnæ dilectionis; hæc vero aliud principium non habuit, quam gratiam Dei uberem, & potentiſſimam, quæ ſic mulierem peccatricem immutavit.

Sed ne doctrina de vocationis efficacitate aliquem offendat; 3. quod in vocatione illa ſpeciali ſpectandum eſt, ejuſdem vocationis eſt ſuavitas, quæ tanta eſt, ut nemo veniat invitus, immo ſe trahi, oret Sponſa: *Trahe me poſt te: curremus in odorem unguentorum tuorum*. Unde dicit Deus, Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum, &c. & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operamini*: Igitur ut ſponte & libere, hoc enim ad præcepta pertinet; & non tantum facit, ut faciant, ſed etiam ut facere velint, ac ſponte faciant, qui nec facerent, niſi ipſi vellent, ſed neque facere voluiſſent, niſi ipſum velle Deus eis dediſſet, ſecundum illud Apoſtoli ad Philippenſ. 2. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*. Hinc licet verbum tractionis quoad gratiam prævenientem accipiatur in propria ſignificatione; temperatur tamen ejus ſignificatio, & rigor, quantum ſpectat ad gratiam cooperantem, & adjuvantem actualiter communicandam, & exercendam ſeu ad effectum conſequentem gratiam prævenientem: effectum dico non formalem, ſed productum ab ea: etenim tantum ſignificat vehementem Dei motionem, quæ nihil aliud eſt præter impreſſionem gratiæ prævenientis, ſed quæ nullo modo tollat, aut lædat libertatem. Igitur propter præcedentem indiſpoſitionem coactio eſt; ſed quia ex nolente volentem facit, non eſt læſio libertatis, ſed emendatio. Proſper lib. contra Collat. cap. 6. Pater vocatum hominem ad Filium trahit, non reſiſtentem, invitumque compellit, ſed ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat, ut cor audientis obediendi in ſe delectatione generata, ibi ſurgat, ubi premebatur; ibi diſcat, ubi ignorabat; ibi fidat, unde diffidebat; inde velit, unde nolebat: *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*. Et lib. 2. de vocatione gentium cap. 27. Qui in cordibus trahendorum hoc egit, ut crederent, hoc effecit, ut vellent. Modum autem ſubdens, ait, qui ergo veniunt, amore ducuntur, unde qui trahuntur, ita veniunt, ut ſi vellent, poſſent non venire, nec venire, ſi venire nollent; nolle autem poſſunt, quia cum volunt, libere volunt.

Et probatur 1. Quia qui trahuntur, ipſi veniunt: quo verbo ſignificatur poteſtas libera movendi ſeipſum, ſuppoſito auxilio Dei, quo, ſi velit, utitur; ſi nolit, non utitur: nam ſi tantum traheretur, nec veniret, actio tantum eſſet Dei, non autem creaturæ; ſed cum qui trahitur, ab alio trahitur, qui autem venit, per ſeipſum venit, neceſſe eſt creaturam & motum aliunde accipere, & ipſam moveri, quod motum aliunde accipiat, patet, quia trahitur, quod ſeipſam moveat, patet, quia venit: ſed niſi traheretur, non veniret, neque ſe moveret, niſi ab alio mota fuiſſet.

2. Probatur. Quia iſta tractio vocatur auditio a Patre, doctrina, admonitio, conſilium, auditus, diſciplina, uti Scriptura loquitur, & ſæpius repetit Auguſtinus, & exponit Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joann. c. 5. & 6.

Probatur: Quia non quodlibet trahitur violentia, & coactione, ſed eſt, qui trahitur voluntate, & voluptate, Auguſtin. Tract. 26. in Joann. Quomodo voluntate, ſi credo, trahor? & reſpondet. Ego dico, parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris; Et poſt pauca: Si Poetæ dicere liceat, trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt?

Confirmat idem Auguſtinus, quia hæc tractio tantum eſt revelatio, quæ nullam neceſſitatem inducit: quod probat ſequentibus exemplis. Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam: nuces puero demonſtrantur, & trahitur: & quod currit, trahitur, amando ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur: Si ergo iſta, quæ inter delicias, & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum eſt. Trahit ſua quemque voluptas; non trahit Filius revelatus a Patre? Quid enim fortius deſiderat anima, quam veritatem? Ita Serm. 2. de Verbis Domini. Non dixit, *duxerit*, ſed *traxerit*: Ita violentia cordi fit, non carni: Quod ergo miraris? crede, & venis: ama, & traheris: Non arbitreris iſtam aſperam, moleſtamque violentiam: dulcis eſt, ſuavis eſt, ipſa ſuavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum eſurienti herba monſtratur? & puto, quia non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur: Sic & tu veni ad Chriſtum. Ita S. Thomas in cap. 6. S. Joannis, Lectione 5. docet Patris tractionem, non inferre coactionem, quia non omne trahens facit violentiam, ſed Pater ſic trahit ad Filium: uti apud homines aliquid trahi poteſt ſine violentia.

1. Enim aliquis alium trahit perſuadendo ratione, & hoc modo Pater homines trahit ad Filium, demonſtrando eſſe Filium: idque dupliciter: vel interius per revelationem, Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*: Vel per miraculorum operationem, quam habet a Patre ſecundum illud: *Opera, quæ dedit mihi Pater, ipſa teſtimonium perhibent de me*.

2. Aliquis alium trahit alliciendo, Proverb. 7. *Blanditiis labiorum ſuorum protraxit eum*: & hoc modo illi, qui attendunt ad Jeſum, propter auctoritatem Paternæ Majeſtatis trahuntur a Patre; Nam quis Filium Dei reſpueret?

3. Trahuntur etiam a Filio, admirabili delectatione, & amore veritatis, quæ eſt ipſe Filius Dei: Trahit enim ſua quemque voluptas. Et hi tres modi

ſunt

ſunt uſitati inter homines: Sed quartus ſoli Deo convenit; & eſt interior Inſtinctus impelliens, & movens ad credendum, ſub quo tamen manet ſemper homo liber ad conſentiendum: unde ex S. Thoma 3. contra Gentes c. 148. debet intelligi hæc tractio, ſecundum convenientem modum naturæ rationalis, nimirum ſalvo manente dominio libertatis: Ita ſibi potitus vim trahendi Chriſtus in Cruce, Joann. 12. *Et ego, ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*: nimirum propter ſummam vim alliciendi ad amorem, gratitudinem, & imitationem ſui, per ſupremum opus charitatis, adjunctis interioribus auxiliis, quæ objecti excellentiæ reſpondeant. Ita hanc tractionem poſtulat Sponſa: *Trahe me &c.* hæc tractio non eſt violentia, cum petatur, neque enim ſe cogi petit, quæ petit, ut trahatur, ſed ſuam currendi impotentiam fatetur, itaque alterius opem implorat, unde ſubdit, quod curret, ſi trahatur. S. Bernardus Serm. 21. in Cantic. Non omnis, qui trahitur, invitus trahitur: nec enim infirmum, aut debilem, cum videlicet qui per ſe ire non valet, trahi ad balneum, ſeu ad prandium piget, & ſi reum pigeat trahi ad judicium, vel ad pœnam. Et infra: Trahe quodammodo invitam, ut facias voluntariam, trahe torpentem, ut reddas currentem.

Ex quibus omnibus locis & in Patribus, & in Scripturis colligitur, quamlibet vocationem, & quamlibet gratiam libertati non obeſſe, immo libertatem ſtabilire, cum ei donet poteſtatem. Neque enim oves audire poſſunt, niſi loquatur, cum autem Deus non tantum externe loquatur per vocem prædicantium, ſed interne per inſpirationem, ut loquentem audire poſſimus, cordis aurem aperit, unde dicit: *Surdi audite*. Ut autem perſuadeat, neceſſe eſt, ut ſuadeat; hoc autem facit ſelectis quibuſdam rationibus ad intelligendum accommodatis, ut nemo ſit, qui ſic illuminatus non videat. Quare eam gratiam appellat altam & ſecretam vocationem, & certam ſcientiam, quam nemo reſpuit, ſed cum præcipuum ſit circa voluntatem negotium, eam ſic blande & opportune convenit, quacumque tandem in diſpoſitione fuerit, eam vincat, atque ad ſe pertrahat, quod facit blandiendo, & palpando, mira ſuavitate demulcendo: Et hanc gratiam victricem, delectationes appellat Auguſtinus 1 & Concil. Trid. tactum cordis: nam gratia non vincit debellando, ſed demulcendo, non violentia ſed ſuavitate.

Idque fundamentum habet in modo operandi proprio voluntatis: Cum enim hæc non agat, niſi allecta bono, bonum autem illud tantum ſit, quod eſt conveniens, porro cum iſta convenientia multiplex ſit & varia, & relationem habeat ad voluntatis præſentem diſpoſitionem, Deus qui ſolus novit cordis ſecretum, & omnes ejus ad omnia objecta propenſiones, ſecundum omnes circumſtantias convenientia, ſic voluntatem adoritur, ut cum vult conſenſum illius, ſemper referat: Qua ratione vim non infert voluntati, immo ejus modo agendi ſe accommodat. Nam ut ipſa nunquam ſe ad volendum determinat, niſi ſuavitate objecti, quod hic & nunc ſibi expetendum novit, ſic Deus voluntatem & cor non inclinat alia ratione, niſi propoſita ſuavitate, & bonitate ejus rei, ad quam inducit. Sicut itaque voluntas cum ſuavitatem quærit, cum vult, poſſet non eam quærere, ſed aliquid aliud, non tamen de facto aliud quærit, nec ſeipſa aliud unquam quæret, cum hoc ſemper quærat, ut ſibi ſatisfaciat: ita Deus, cum voluntatem gratiæ motione aggreditur, ſic blande eam tangit, & tanta ſuavitate demulcet, ut licet voluntas abjicere poſſit illam ſuavitatem, titillationem illam ſpernere, non tamen ſpretura, nec rejectura ſit nunquam, delectatione ſemper victrice, in quo vides illa mirabiliter eſſe connexa, vim & robur & potentiam gratiæ illius peculiaris, cui nullum cor durum reſiſtit, & ejuſdem ſuavitatem, quæ libertatem noſtram nullo pacto violat: quod Sapiens verbis illis expreſſit, Sap. 13. *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi, cum volueris, poſſe*. Deus quippe ſeſe cauſis ſecundis accommodat; uno modo cauſas neceſſarias diſponens; liberas autem varia & multiplici ratione.

Exemplum illuſtre eſt in Magdalena, cujus indoles, cum eſſet ad amorem proclivis, eam non alia ratione ad ſe vocavit, quam amoris illecebris, feliciter amore mutato. De qua enim dixerat: *Mulier in civitate peccatrix*, de ea poſtea ſic pronunciat: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Itaque totum Evangelium eſt de amore Magdalenæ: nam licet videatur eſſe de ejus pœnitentia, non tamen alia fuit ejus pœnitentia, quam per amorem. Propterea ſi flet, ut non tantum ſcires eſſe doloris lacrymas, ſed etiam amoris, pedes irrigat Salvatoris: Si capillos ſpargit, quod ſemper fuit doloris ſignum, illis tergit pedes Salvatoris. Oſcula autem ſunt amoris ſigna; Neque ſatisfacit fundendo unguenta, niſi in quantum pedes ungit. Vide autem, quo ejus amor perductus ſit. Non amare dicitur, quaſi jam tantum inchoaret, ſed amaſſet. Item, non mediocriter, ſed plurimum: *Quia dilexit multum*. In tota parabola ejus amoris magnitudinem Chriſtus probat: *Cui dimittitur minus, minus diligit, &c. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Sane oportet uberrima gratia & convenientiſſima fuiſſe vocatam. Unde non ei dicitur ſicut aliis: *Vade, noli amplius peccare*: ſed *vade in pace*: Quæ vox ſecuritatem ſignificat. Ita in reliqua vita nonniſi amare deſcribitur, ſemper ad pedes Chriſti, ad officia charitatis, dum viventem ungit, dum accurrit ad mortuum, dum aſſidet ſepulchro, dum nil Angelos morata de uno dilecto cogitat, & alia ſexcenta, quibus ejus amor exprimitur. Quis cogitet, quibus modis eam Deus ad ſe attraxerit, quibus illecebris, qua ſuavitate, quo amore? quibus ſauciarit vulneribus? quibus vinculis alligarit? &c.

Sed quo pertinet omnis ille diſcurſus, niſi ut hæc tria ſequentia intelligas.

1. Quandoquidem neceſſaria eſt gratia, te omni modo conari debere, ut eam procures. Scio multas gratias inſperate dari & mere gratuito, & de prima gratia certum eſt; ſed etiam illud verum eſt, multas gratias conſequentes dari, vel quia petitæ ſunt, vel quia prioribus gratiis bene acceptis, id meriti ſumus. Ita docet Auguſtinus Epiſt. 105. & 106. & libr.

Digitized by Google

& libr. de bono perſever. cap. 6. obtenta fide nos poſſe obtinere gratiam juſtificationis; illa obtenta, gratiam, qua perſeveremus. Tu itaque pete quotidie, quære & pulſa: *Omnis enim qui petit, accipit*, &c.

2. Quoniam tanta eſt efficacitas in gratia, ut ne deſperes, quidquid te in contrarium videas inclinatum. Vide in tot exemplis, quam victrix fuerit gratia. Verum ne putes gratiam ſolam agere, tuus conſenſus requiritur. Itaque Apoſtolus: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Quælibet gratia inefficax eſt, ſi velis: omnis autem habebit effectum, ſi volueris.

Verum dices: Si Deus daret gratiam efficacem, agerem; ſed ſi dat inefficacem, quomodo poſſum agere? Ita ſane: prætendis occaſionem & excuſationem negligentiæ tuæ; ſed falſo velo. Nam ut tecum diſputem: Dic mihi, quid vocas gratiam efficacem, quid gratiam inefficacem? Illam, ais, efficacem, cum qua non poſſum non agere; inefficacem autem, cum qua agere non poſſum. Peſſime dixiſti: Nulla enim eſt gratia quæcumque tam efficax, quam non poſſis abjicere, ſi velis, ut docet Trident. Seſſ. 6. c. 5. quippe quicumque illam abjicere poteſt, alioqui gratia tolleret liberum arbitrium: Nulla item gratia eſt ex ſua natura, aut ex intentione Dei inefficax, ſed ex ſolo hominis vitio: Non ex ſua natura, quia omnis eſt potens efficere in homine conſenſum, niſi ipſi reſiſtat: Non ex Dei intentione, quaſi ipſe talem gratiam det, quia ſcit non habituram effectum, vel ne habeat ſuum effectum; nam nec Deus ſincere ageret, qui ſic vocaret, ut intenderet, ne veniret? ipſe, qui dum vocat, ſic vocat, ut velit vocatus venire. Aliud eſt dare ipſum gratias, quas ſcit non profuturas: aliud eas dare, quia ſcit profuturas. Primum poteſt, quia non tenetur ob malam hominis futuram voluntatem rerum ordinem immutare: Sed non facit ſecundum, quia non dat gratiam, niſi ut homines ei conſentiant: unde ſincere vocat, ut obediant, & dolet, quod non obediant, quæ ſunt incompoſſibilia cum ea voluntate, ne obediant, vel quia non ſunt obedituri. Melius ergo gratiam dixeris efficacem, eam, quæ eſt habitura effectum: inefficacem, quæ non eſt habitura: quo ſuppoſito, nulla tibi ſupereſt excuſatio; Nam quæ eſt habitura effectum, non eſt habitura niſi per te, ſed per gratiam potentem: nam ſi nolles, non haberet effectum, quantumcumque magna ſit, & potens; ſiquidem ut te potentem facit, non tamen neceſſitate adactum, & libertate carentem: quæ autem non eſt habitura effectum, non per ſe eſt non habitura, immo habere debuerat, & ad hoc data fuit, ut haberet, ſed non habebit tuo vitio, quia nolles: nolitionis autem tuæ nulla alia cauſa eſt præter te!, qui tuo damno tua uteris libertate, non ad volendum, ad quod impellebat gratia, ſed ad nolendum, quod tua malitia perfecit. Nulla itaque gratia niſi per te eſt inefficax: omnis autem gratia per te, ſed gratia adjutum, poteſt eſſe efficax, quæ habebit effectum. *Hortamur itaque vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Alioqui ſi velis, nolis, habitura eſt effectum, inutilis eſt Apoſtoli adhortatio, ne in vacuum recipiatur. Sed, proh Deus immortalis! non moribus ſolum, ſed etiam doctrina contra ipſam gratiam pugnamus. Hoc tamen differt inter efficacem gratiam & inefficacem, quod hæc a nobis ſolum fiat inefficax: quæ autem eſt efficax, non a nobis, niſi per ipſam.

Tertium ſupereſt, ut quoniam fere omnis gratiæ victoria fit per ejus ſuavitatem, uti Proſper interpretatur illud Pſalm. 84. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*, cum gratiæ ſuavitas conſiſtat in convenientia, enitendum nobis eſſe, ut eas in corde diſpoſitiones habeamus, quæ cum Dei gratia convenientiam aliquam habere poſſint. Sunt enim aliqui adeo perverſi, ut fere nulla parte adiri poſſint: ut ille, de quo Pſalm. 35. *Aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit*. Vide tu, ne dominetur in te peccatum. Scito tamen Deum omnia poſſe per gratiam. Proinde ſæpe ora cum Eccleſia: & noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates, &c.

F I N I S.

IN-

# INDEX CONCIONUM QUADRAGESIMALIUM,

Quæ in Appendice Primi Tomi continentur.

In Dominica prima Quadrageſimæ.

I.

*Sex veritates ſibi connexas, de tentationibus dæmonum complectitur.* Pag. 505.

II.

*Quæ eſt ſecunda de tentationibus, dolos, & artes dæmonis in tentando aperit, quibus Chriſtum aggreſſus eſt.* 511.

Feria Quarta Dominicæ Primæ in Quadrageſima.

III.

*Probatur Divinitas Chriſti ex ejus miraculis.* 517.

IV.

*Quæ eſt ſecunda de Miraculis. Solvuntur objectiones, quæ ſiunt contra Miracula Chriſti; & diſputatio ſatis implicata de falſis Magorum vel Hæreticorum Miraculis plane evolvitur.* 523.

Dominica tertia in Quadrageſima.

V.

*Probatur dari inter dæmones aliquam regni formam.* 529.

VI.

*De Energumenis, ſeu de corporum invaſione, quæ fit a dæmonibus.* 535.

VII.

*Chriſtum veniſſe, ut deſtrueret Regnum dæmonum: idque feciſſe inſtitutione veræ Religionis, & ſtabilita morum contrarietate* 541.

Re-

VIII.

*Regnum dæmonis a Chriſto deſtructum auctoritate ſumma, & ſuprema poteſtate.* 547.

Feria ſexta Dominicæ Quartæ in Quadrageſima.

IX.

*Status corporis poſt mortem, ex conſpectu Lazari fœtentis in ſepulchro.* 552.

X.

*Status animæ in ipſa morte, ex eodem conſpectu Lazari in ſepulchro.* 555.

XI.

*Anima extra Corpus quoad ſe ſpectata.* 559.

XII.

*Anima extra corpus, quoad potentias & actus ſpectata.* 567.

Feria Quarta Dominicæ Paſſionis.

XIII.

Concio Prima. *De Prædeſtinatione.* 572.

XIV.

Concio Secunda. *De Prædeſtinatione.* 577.

XV.

Concio Tertia. *De Prædeſtinatione.* 583.

XVI.

Concio Quarta. *De Prædeſtinatione: vocatio Prædeſtinatorum, in exemplo Magdalenæ.* 589.


F I N I S.

NOI

Digitized by Google

# NOI RIFORMATORI

## DELLO STUDIO DI PADOVA.

COncediamo Licenza agli Eredi Baglioni Stampatori di Venezia di poter riſtampare il Libro intitolato *Annus Apoſtolicus. Auctore F. Zaccaria Laſelve &c. Tomi* II. oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 31. Decembre 1791.

( GIACOMO NANI Cav. Rif.

( ZACCARIA VALLARESSO Rif.

( FRANCESCO PESARO Cav. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 256. al Num. 10.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

*Marcantonio Sanfermo Segretario.*

MAG 499

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google